HISTORIA
CONGREGATIONUM
DE AUXILIIS.

HISTORIÆ CONGREGATIONUM DE AUXILIIS DIVINÆ GRATIÆ,

SUB

SUMMIS PONTIFICIBUS

CLEMENTE VIII.

ET

PAULO V.

LIBRI QUATUOR.

Quibus etiam datâ operâ confutantur recentiores hujus Historiæ Depravatores, maximè verò nupertimus Autor Libelli Gallicè inscripti, *Remontrance à M. l'Archevêque de Reims, sur son Ordonnance du 15. Juillet 1697.* Et Actorum fides adversùs inanes Epistolæ Leodiensis argutias vindicatur.

Autore AUGUSTINO LE BLANC S. Theol. Doct.



LOVANII,
Apud ÆGIDIUM DENIQUE.

Cum Approbationibus.

M. D. CC.



PRÆFATIO

Lectori pernecessaria, quâ Actorum fides asseritur, vindicatur, multaque continentur ad præsentis Historiæ elucidationem opportuna.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Rationes edendæ Historiæ.

QUod animis votisque conspirantibus expetitum tandiu fuit, feliciter illud atque omni ex parte confectum est. Historiam Celeberrimarum Congregationum de Divinæ Gratiæ Auxiliis in publicum damus, unius quidem voluminis angustiis comprehensam, nullo tamen rerum magnitudinis detrimento, nullâ veritatis injuriâ. Eruditorum æquè ac curiosorum votis factum satis. Habebunt illi unde argumenti sublimitate ingenia exerceant; isti, unde eventuum insolentiâ animos delectent. Nulla enim, ab ipso Christiani nominis exordio, fideles inter sese concertatio tenuit, aut partium dissidentium ardore pertinacior, aut controversæ quæstionis sublimitate dignior, aut casuum varietate jucundior.

Nullus tamen, dum id aggredimur, nobis est animus, invidiosam litem repetere, & obligata jam pridem vulnera refricare. Positos enim à Pontificibus terminos scimus, quos prætergredi nefas: constitutos, donec sanciti judicii solennitas accesserit, fines novimus, quibus non contineri religio est. Una nobis cura fuit, una voluntas, nobilissimam Historiæ Ecclesiasticæ partem in lucem edere; ne si natalitiis tenebris diutiùs delitescat, spes omnis demum excidat Operis conficiendi. Quare Censurarum omnium, Judiciorumve, quibus pars altera petita fuit, consideratione sepositâ; (iis enim, quod jus attinet, adstringi neminem satis novimus) in unam facti veritatem intenti, celeberrimæ controversiæ tractationem adornavimus; ut hanc Sacrorum Anna-

lium lacunam, ab antiquis Scriptoribus prætermiſſam, reſarciremus: ac recentium quorumdam ex Gallia fabulatorum audaciam, ſi fieri quidem id poteſt, pro modulo noſtro cohiberemus.

Doluimus quippe, viros etiam eruditos in ea rerum iſtarum ignoratione verſari, ut neque quo loco fuerint aliàs, neque quo ſint hodie, ſatis ſciant: dum hanc privatæ ſcholæ litem exſtitiſſe putant, vel certè ultimo judicio definitam, vel temporis diuturnitate conſepultam. Exhorruimus hæreticorum audaciam, qui neglectam in Eccleſia Romana Auguſtini doctrinam, probatumque apud Pontificios, ut aiunt, Pelagianum errorem fabulantur. Recentiores demum Divinæ gratiæ Tractatores ægrè tulimus; qui dum aliquas ex occaſione hujus Hiſtoriæ laſcinias ſuis quaternionibus ſuunt, non tam Hiſtoriam ſcribere, quàm fabulas adornare videntur. In utriſque dedocendis inſudatum eſt, utriſque detracta larva. Celeberrimos enim virorum Religioſorum Ordines in cauſam vocatos, turbata Regna, diſciſſas Academias, commiſſos Epiſcopos, violata Apoſtolicæ Sedis jura, & ſi quid aliud peritior aſtutia potuit, tentatum non ſine ſtupore invenient, quotquot litem iſtam ſcholaſticæ dumtaxat velitationis loco habent. Tenendæ Auguſtinianæ doctrinæ zelum in Clemente VIII. & Paulo V. experientur Hæterodoxi; quo nec majorem in Innocentio, nec ardentiorem in Cœleſtino commendat antiquitas. Actorum denique fidem à nobis ubique ſervatam intelligent recentiores hujus Hiſtoriæ corruptores; ne & illorum morem ſecuti, pro affectu non pro veritate ſcriberemus. Id unum ſaltem optandum, ut ſuis tandem gregalibus inſuſurrare, ſparſiſque libellis effutire deſinant, Molinam ſuum ob impugnatam dumtaxat phyſicam prædeterminationem à Prædicatoribus traductum eſſe, dum ex publicis Congregationum iſtarum tabulis noverint, diem illi coram Apoſtolica Sede dictam, ob aſſertiones longè plurimas, quibus Pelagianiſmum denuò ſuſcitaverat, obtritaque jam pridem & obſoleta Maſſilienſium arma recuderat.

Rem totam ab ovo petere neceſſe fuit, ab iis nempe turbinibus, quos in Hiſpania paſſim & Belgio excitarunt ſuperiori ſeculo Leſſiana ac Moliniana paradoxa; cùm primùm ſolutâ tenendæ S. Thomæ Doctrinæ lege, ſuo quiſque indulſit ingenio, ut *accommodatioris* Theologiæ fundamenta ponerent. Quocirca texendæ Belgicarum Cenſurarum Hiſtoriæ, earumque vindicandæ Orthodoxiæ, magnam prioris Libri partem conſecravimus, non modò occaſione natâ, ſed adigente neceſſitate. Quæ ſi unquam aliàs magna, nunc certè maxima viſa fuit, quo ex tempore, non privati tantùm ut olim Moliniani, ſed totius jam Ductor exercitus, diſſeminato Romæ *veri ac falſi Thomiſmi Parallelo* celeberrimarum Academiarum Cenſuras, non modò traduxit uti Pſeudo-Thomiſticas, verùm etiam illis, quod injurium magis, Janſeniani erroris labem aſperſit. Multa nos in hanc rem pro officio diximus, quæ ſolidæ Apologiæ loco haberi poſſint. Verùm quia in ea propulſandâ calumniâ intra hiſtoricæ ſcriptionis modum hæſimus, & ab inſtituto noſtro alienum exiſtimavimus, dogmaticas controverſias ingredi, & ad Theologiæ Scholaſticæ limam vocare, quæ Janſeniano luto hærere contendit, ſuo illo vulgato libello noviſſimus accuſator; rem nos Lectori gratam facturos arbitrati ſumus, ſi Theologicam Paralleli confutationem ab erudito Lovanienſis Academiæ Deputato Romæ ſub idem tempus elucubratam referremus inter cætera Appendicis noſtræ documenta; ne ulla ex parte Belgicarum Cenſurarum orthodoxia calumniæ pateat. Interea ſuo ſaltem damno noſſe poſſunt præcipites ac liberales accuſatores, quàm infeliciter cenſoriam virgam exerceant: cùm ſuos nuper libellos, Curiæ Matritenſi datos, quibus Theologos Lovanienſes tritis illis ac vagis Janſeniſmi accuſationibus notabant pro more ſuo, à ſupremo Hiſpaniarum fidei Quæſitore, ac noviſſimè à Sacro Romanæ Inquiſitionis

Tribu-

Tribunali damnatos experti sint: quibus satius erat, Innocentii XII. Pontificis Optimi Maximi Decreto hærere firmiter, quo effrenem illam objectandi Jansenismi licentiam, ab Orbe Christiano eliminatam voluit.

Breve ad Episc. Belgii die 6. Febr. 1694.

Fecit ejusdem argumenti necessitas, ut Tellerianæ novorum Christianorum Apologiæ (ubi tam liberaliter Belgicæ Censuræ hæreseos insimulantur) adversam fortunam Romæ habitam paulò distinctiùs narraverimus, dum illic triennio penè integro forum tenuit. Quæ instituti nostri erant, dumtaxat attigimus; cæteris longè missis, quæ impactas religiosis Missionariis calumnias, confictaque instrumenta propiùs attinebant: ut ex hoc uno intelligant universi, quàm festivè suo nuper libello, De cultu Sinensium, jactitarit Gobianus, Tellerium suum, nullâ Romæ acceptâ clade, victoriam integram reportasse. Non judicium, quod re ipsa latum esse constat, sed judicii solennitatem effugit Tellerius: atque id quidem speciosis circulationibus, vanisque promissis, quibus Apologiam suam intra breve tempus expurgaturum se, judicibus adpromisit, postquam vanis illos terriculamentis minùs flecti comprobaverat. Horum unum fuerat, inter alia longè multa, festivum satis ac lepidum, initio tentatum à suis; ut magni nominis umbrâ Romanos, quibus P. Tellerii genus ignotum erat, terrefacerent. Obliquè scilicet innuebant, & ad aures clamculum mussitabant, Apologiæ Editorem ex inclyta Telleriorum gente sanguinem ducere, quæ Galliarum nuper Imperio supremos Administros dedit & Cancellarios, primosque etiamnum Franciæ Pares ac Duces habet. Quod ubi nonnullis, qui Romæ tunc aderant, Gallis innotuit, mirùm quo risu exceptum est. Sed est qui Gobianum pro meritis exagitet, ne commilitonis triumphis ac suis accinere pergat.

Historiæ nostræ finem fecimus, qua parte excitatæ contra Molinam de divinis auxiliis controversiæ tractatio desiit, solennesque pro obtinenda sanciti judicii promulgatione supplicationes actæ sunt. Periculosam ac multis scopulis celebrem Jansenismi historiam attingere religio fuit, ut minore uteremur invidiâ; tametsi nemo nesciat eruditus, multa in hujus argumenti tractatione adnotari potuisse, quæ Scholæ Augustino-Thomisticæ nedum faveant, sed & integrum illi de Jansenismo simul ac Molinismo triumphum adscribant. Provinciam illam aggressi sunt benè multi, aggredientur & alii, quorum studiis gratulamur: nos minore quidem, sed interim quietiori fortunâ frui malumus.

Id instituto nostro plus satis est, gratiam se ipsâ efficacem gratuitamque prædestinationem, pro quibus in hisce Congressibus tanta cum gloria certavit Thomistica Schola, à damnatis quinque famosis propositionibus longè distare. Hoc Romani Pontifices, à quibus sententia lata est, vivæ vocis oraculo Urbi & Orbi notissimo, contestati sunt aliàs: hoc nuper significarunt dignissimi Præsules, pietate, religione, zelo, doctrinâ spectatissimi, Institutionibus Pastoralibus, quibus hæc ipsa dogmata nedum in tuto posuêre, verùm etiam ut Augustinianæ doctrinæ capita, fidelibus interpretati sunt: hoc hodie eruditorum omnium ac piorum mentibus adeò insidet, ut ne Moliniani quidem confidentiores, scriptis authenticis diffiteri jam audeant, Scriptis authenticis dico: Quid enim si furtivis interdum typis libelli famosi prodeant, *Ecclesiastica Problemata*, quibus dignissimorum Præsulum Decreta Pastoralia, Religionem, fidem insectantur; Augustiniana dogmata ab iisdem exposita, Janseniani erroris petulanter insimulant; Pontificiam quinque propositionum damnationem, in assertiones orthodoxas confidentiùs regerunt? Sunt hæc profectò opera tenebrarum, non aliâ luce digna, quàm quæ illis ex supremi Galliarum Senatus Edicto decreta est, accenso scilicet ad infamiam rogo: non aliâ quâ versentur manu digna, nisi ferali & carnificinâ, quâ flammis ultricibus, ad perenne fabricatorum dedecus, addicta sunt.

Archiep. Parisiensis die 20. August. 1696.

Probleme Ecclesiastique à M. l'Abbe Boileau &c.

Die 10. Januar. 1699. Die 5 ejusdem.

Cæterùm meminerint universi, nos repugnante animo manum tandem
Lege 5. 4. 5. 6. calamo admovisse, nec nisi diu provocatos ab eis, qui suas nuper fabulas tantâ fiduciâ venditarunt, ut sibi victoriam accinerent. Pio silentio Religioni diu litavimus, cum aliquantulo etiam causæ dispendio: at eò demùm perducta res est, liberâ illâ quidlibet audendi fingendique licentiâ, ut saxeos nos esse oporteat, si stylo diutiùs parceremus. Ecquis enim surdâ aure pertranseat, quæ nuper de celebri Auxiliorum controversiâ, tot Thesibus ac libellis vulgata sunt atque jactata? Quis publicam rerum inibi gestarum fidem, non violari modò, verùm etiam ludibrio verti, siccis oculis videat? Quis demum Molinismum sacri Consessus suffragio coronari patiatur, cujus judicio pro-
Job. 11. v. 3. scriptus damnatusque est? *Tibi soli tacebunt homines? Et cum cæteros irriseris, à nullo confutaberis?* Justæ ergo defensionis titulo scribimus, na-
Lege l. 4. c. 22. & hic § 11. turali ut credimus jure asserto. Quem exitum res habuerit in ea solenni Controversiæ tractatione, palàm prodere necesse est, ne publicæ fidei illudatur confidentiùs. Id enim si minùs aliàs, nunc certè maximè, sciri omnium interest. Si qui verò scriptionem nostram molestè ferant, imputent sibi, qui nolentes ac repugnantes ad scribendum provocarunt. Ab ipsis enim jacta est alea, quorum potiùs intererat, justo silentio famæ suæ non minùs, quàm religioni litasse

PARAGRAPHUS SECUNDUS.

De recentiorum hujus Historiæ Corruptorum Confessione.

TAmetsi pauca, atque ex occasione tantùm, de Auxiliorum historia dixerint aliqui; minor adhuc apud illos veritatis cura fuit. Satis ipsi se produnt ex publica confessione. Sherlogus, sub Pauli Leonardi nomine delitescens, qui plura reliquis hoc de argumento dixit, nusquam se Disputationum aut Judiciorum Acta legisse, sed divinationes ac publicæ famæ rumores
1. p. sect. 4. n. 21. consuluisse profitetur. *Licet*, inquit, *qualis exstiterit minutatim publici examinis Censura prorsùs ignoremus*, QUIA ORIGINALIA ACTA CONSULERE NON LICUIT, *tamen si ex effectibus & fama divinandum est, magna spes est, lata tum suffragia pro Scientia Media.* Quæ verò, amabo, divinatoribus fides, aut quæ vagis famæ rumoribus stat autoritas?

De Actorum lectione gloriatur quidem Gabriel Henao, alter nugarum venditor: sed suam illam gloriationem in causæ suæ dedecus vertit, dum
In 1. prot. ad scient. med. Theol. disp. n. 61. nulla sibi adfavere contestatur. *Acta conscripta*, inquit, *in favorem nostrum nulla exstant, sed solùm orationes seu declamationes recitatæ à Valentia, Arrubale, Bastidâ, super punctis præscriptis à Clemente & Paulo.* Benè profectò, bene! Habemus hic fatentem reum. Unum ab illo postulaverim, quam sibi velit præstari fidem, dum post habitâ Originalium Actorum veritate, fabulas agit?

Non absimilem confessionem à Petro Fuliensi vis veritatis extorsit, dum doctissimi Bossutii, qui unus è causæ Judicibus Romæ sedit, Diarium histori-
In suavi Conco. disp. 4. sec. n. 4. cum Prædicatoribus suffragari monet. *Apertè*, inquit, *favet Dominicanis.* Quid-ni verò favisset, si quæ gesta referebat, litem Prædicatoribus adjudicabant? Aut quæ illum necessitas movit, ut Prædicatoribus adfaveret, nisi ita historiæ veritas postulasset? Sedebat enim Judex ab omni partium studio solutus: eaque scribebat omnia, quorum ipse pars magna fuerat

Suam alii religionem causari malunt, quominùs Acta consulerent, aut illis ad scribendum uterentur: cùm eam nihil scribendo multò feliciùs comprobassent. Si quæ enim, ne Acta in usus adhibeant, religio vetat; plura certè, ne fabulas scribant, jura prohibent. Ita verò fabulari eos necesse est, quotquot neglectis Congregationum Actis ad scribendum animum inducunt.

Hinc æqui rerum æstimatores in antecessum intelligent, quæ fides Petro Fuliensi,

lienſi, Leonardo Sherlogo, Gabrieli Henao, Theophilo Raynaudo, Franciſco Annato, Joanni de Ripalda, Jacobo Platelio, Eugenio Philadelpho, Chriſtophoro Ortegæ, Franciſco Perrino, Philippo Brietio, Petro Poſſino, Michaeli Tellerio, ac demum perſonato Societatis Actori, qui libellum famoſum adversùs Archiepiſcopi Remenſis Cenſuram nuper edidit: quos toto paſſim Opere data occaſione exagitabimus. Horum etenim ne unus quidem occurrit, qui iſtarum Congregationum Acta vel leviter attigerit, aut ſuos in uſus accommodarit. Id verò mirandum magis, quòd cùm in iſto Argumenti genere cæcutierint univerſi, oculatiſſimi videri velint: tanta eſt in nugis venditandis confidentia!

PARAGRAPHUS TERTIUS.

De prima inter Recentiores ſcribendi occaſione.

ORta primùm ſcribendi occaſio anno 1630. ex obſcuris quorumdam rumoribus. Vulgaverant ſcilicet aliqui, Scientiam-mediam nullo in Auxiliorum Congregationibus judicio petitam eſſe: ſed is rumor obſcurior erat, & ſine capite in Academia Salmanticenſi. Inter hæc ſcribebant de ſcientiâ Dei Theologi Carmelitæ, ſtrictioris Inſtituti, qui ut vanos rumores diſſiparent, in facti veritatem inquiſiere. Inſtructâ quæſtione, compertum fuit ex virorum omni exceptione majorum teſtimonio, Scientiam-mediam, Romæ ſub Clemente VIII. & Paulo V. datis judicibus circiter triginta, causâ cecidiſſe. Inter alios verò teſtes, Thomam de Lemos tacito nomine proferebant; qui id Diario ſuo conteſtatus erat, & morti proximus confirmaverat. *Hæc omnia,* inquiebant Carmelitæ Salmanticenſes, *non ex proprio marte adinvenimus, ſed à viris graviſſimis omni exceptione majoribus, de quorum veritate nulla ſuſpicio ſuboriri cordatè poteſt, accepimus. Quia tamen oppoſitus rumor ab aliquibus ſparſus fuit, propterea ut omnis deceptionis morale periculum, quantum in hac parte fieri poteſt, fugeremus, in Romana Curia peculiarem diligentiam & ſollicitudinem ad hoc examinandum, adhiberi curavimus; & diligentiâ iſtâ adhibitâ comperimus, rem ita ſe habere, ſicut à graviſſimis illis Viris acceperamus. Idque Romæ noviſſimè teſtatus eſt quidam Theologus, qui omnibus Congregationibus à nobis recenſitis attentiſſimè interfuit, & cuncta in eis acta diligenter notavit; & ne oblivione delerentur, illa ſcriptis fideliter commiſit. Quippe non ſolùm maximâ ſapientiâ, ſed egregiis virtutibus adeò floruit, ut poſt ſuum obitum plura ediderit miracula. Et ut ejus teſtimonium adhuc firmius & omni exceptione majus maneat; teſtamur virum iſtum graviſſimum, octo diebus ante ſuum obitum, & antequam in morbum, quo vitam finivit, incidiſſet, ac proinde dum in ſacra Theologia & ſanitate maximè vigebat, ea quæ diximus, ingenuè faſſum eſſe.*

Tract. 3. de ſcien. med. diſp. 10. dub. 3. §. 2 n. 69.

Hæc dum in Hiſpaniis ſcribebant Carmelitæ, ſuum in Galliis *De libertate Dei & creaturæ* eruditum opus luci dedit Guilielmus Gibieuf Doctor Sorbonicus & Gallicani Oratorii Presbyter: quod ex mandato Cardinalis Berulli Congregationis ejuſdem Parentis ſuperiori proximè anno defuncti & elucubravit & Urbano VIII. cui Berullius pro eximiis meritis acceptiſſimus erat, nuncupavit anno 1630. Quod illi preſſiùs ac velut ex occaſione tetigerant, fuſiùs confirmavit nullo inter ſe ſe collato conſilio, ſed uno aſpirante veritatis ſtudio.

Quadriennio poſt, eamdem illam Salmanticenſium narrationem confirmarunt Prædicatores Duacenſes, qui ſecundam editionem hiſtoriæ Pelagianæ Didaci Alvareſii curarunt. Ubi additâ ſub finem Appendice, Lemoſii verba ex illius Autographo retulêre. *Ex triginta judicibus, qui vel Cardinales, vel Epiſcopalibus infulis conſpicui, vel ex gravioribus inter Regulares erant, omnes, uno atque altero demto, & ſummos Pontifices Clementem VIII. &*

Paulum V. ut Doctores particulares judicasse, veram & germanam SS. Augustini & Thomæ sententiam à Thomistis adversùs Ludovici Molinæ doctissimos & acerrimos Defensores propugnatam esse.

Salmanticensium ac Duacensium studiis obsecundavit Joannes à S. Thoma, anno 1637. Lemosii testimonio clarissimi Pegnæ suffragium addit: è cujus Diario nonnulla petiit ex prioribus Congregationibus coram D. Episcopo Agathensi celebratis, de scientia media, suisque in D. Thomam Commentariis inseruit, publicis Notariorum instrumentis confirmata. Partis etiam adversæ silentium, quæ nihil post annos sex Salmanticensibus reposuerat, vertebat in veritatis argumentum: quasi nihil quod reponerent, opportunum occurreret. *Satis temporis evolutum est*, inquiebat, *sex enim anni sunt, ex quo liber est publicatus, ut posset ab adversariis, tale testimonium in historia infringi & redargui. Sed factum est, & ita factum tenet.*

1. p. disp. 20 quæst. 14. a. 6.

Molinæ sectatores momordit verbum illud. Rem suam agi existimarunt, magnumque Scholæ suæ dedecus accessurum, nisi hujuscemodi narrationes brevi refellerent. Pugnarunt itaque pro Aris & focis Joannes Martines de Ripalda, Petrus à S. Joseph Fuliensis, Paulus Leonardus, Franciscus Annatus, aliique deinceps: quibus cum opportuna satis argumenta non suppeterent, eam styli amaritudinem usurparunt, quæ rationum loco illis esset. Pro Salmanticensibus & Joanne à S. Thoma, steterunt ex opposito Vincentius Baronius, Antoninus Reginaldus, Joannes Casalasius, Paulus Fasseaulius, cæterique non pauci. Acris inter illos commissa pugna. Sed ut pauci Congregationum Acta legerant, unde veritatis lucem haurire possent; clausis oculis, velato capite, Andabatarum more, certatum est. Res compertissimas in dubium ab eis verti videas, planas atque apertas detorqueri, fingi monstra, negari solem, omnia demum ita sinistrè ac perperam accipi, ut vix alterum alteri consentientem inveneris. Babelicam confusionem intueri putes. Si trullam petas, cæmentum offerunt; proximi vocem nemo audit; quod negat unus, affirmat alter; atque, quod festivum magis, pari utrimque confidentiâ.

Feliciúsne cesserit Petri Possini, hoc de argumento, spissum opus, pronuntiare haud possumus, quandiu in secretioribus Societatis Tabulariis delitescit. Dicam quid de illo à Viris fide dignis acceperim. Romam à Societatis Præposito vocatus Petrus Possinus, sub Alexandri VII. Pontificatu, scripsit Auxiliorum Historiam in sex libros distributam, sub titulo Controversiarum Societatis Jesu de divina gratia. Opes suas omnes ex domus Professæ Tabulario petiit, de Secretariorum aliorumve Consultorum Actis, quorum tamen est summa fides, minùs sollicitus. Typorum veniam negavit Alexander VII. Quapropter, ne tanti operis fructus omnis excideret, curatis transumtis manuscriptis in celebriores cujusque Regni Societatis domos transmissum est, ut hanc unam de Auxiliis historiam sequerentur omnes; eoque pacto labii unius esset Societas universa. Post annum alterum spissi operis compendium elaboravit Petrus Possinus, quo faciliùs inter amicos circumferri posset. Cumque Tholosam reversus vellet Typis edere, doctissimi D. Marsoulieі famam mercatus est, rogans ut compendium hoc nomine suo vulgari sineret. Renuit Vir prudens, donec fœtum probaret quem esset adoptaturus. Sed ut illum ex lectione novit, in parentem vehementiùs est indignatus, qui tales ei fœtus supponi vellet.

De his plenius §. 11.

Meliorem vulgandi operis occasionem adepti videbantur sub Innocentio XI. quo tempore Lemosii Panoplia de gratia Leodii prodiit. De violatis ab Ordine Prædicatorum decretis Pontificiis expostularunt; quibus jam diu cautum erat, ne citra Romanæ Curiæ licentiam tractationes de divina gratia vulgarentur. Addebant, eo minùs vulgari potuisse Lemosii opera, quòd is non stetisset intra scholasticæ disputationis modum, sed multa historicè attigisset,

set, quæ in arcano Congregationum sacrario tractata fuerant. Idcircò vel prohiberi Lemosii Opera, vel æquo jure secum agi supplicabant, sibique propterea dari veniam precabantur, vulgandi quam pridem ediderant Auxiliorum Historiam. Lemosii causam egit Generalis Prædicatorum dato libello supplici. Curatæ editionis rationes dedit Innocentio XI. tum ad ultimam expostulationis partem reposuit: sibi totique Prædicatorum Ordini gratissimum fore, si Congregationum Historia publici juris fieret: modò ne privatorum Scriptorum fabulationes venerando Historiæ nomine vulgarentur, sed ipsa primigenia Secretariorum Acta, quæ in Arce S. Angeli, in Bibliotheca Angelica, & in Archivio Barberino servata sunt. Quo casu suam totiusque Ordinis fidem ad expensas integras obligabat. Æqua certè conditio, sed iis paulò durior, qui fabulas mallent, quàm historias. Interea tamen Lemosii liber fortunæ suæ permissus est, ac publicè Romæ væniit; missaque Possini historia, candidiores soles exspectatura.

PARAGRAPHUS QUARTUS.

De Triumphis Molinæ nuper in Gallia excitatis, Illustrissimi Remensium Archiepiscopi Decreto disturbatis ac dejectis.

INtempestivam sanè, ac suis nimiùm Actoribus indecoram scenam aperuit Remis in Gallia, Gabriel Thirioux è Societate Theologus, in Thesibus die 5. Decembris anno 1696. publicè defensatis. Decantatas jam pridem à suis reportatæ Molinianæ victoriæ, probatæque ab Apostolica Sede doctrinæ fabulas, novum in theatrum induxit. Seu quòd res ab hominum memoriâ satis dissitas crederet, ut pro Vatis sustinendâ personâ hariolari tutò posset: seu quòd gravissimæ controversiæ exitum, à nemine fortasse notum confidentiùs existimaret, ut suas pro arbitrio nænias venditaret. Sic ille suum carmen agebat in theatro; *Doctrina Ludovici Molinæ, aliorumque Theologorum qui doctrinam libertatis humanæ cum gratia divina, ope scientiæ mediæ tradere enucleatiùs tentârunt, ita ab errore Calvini, aliorumque hujus ætatis sectariorum recedit, ut ad opinionem Pelagianorum nullo modo accedat. Et ideò tam validè impetita, toties à diversi generis hostibus impugnata, & coram summis Pontificibus tam diligenter agitata, tanquam aurum in fornace probata, purior inventa est, ut ait Maurolicus, & cum honore ex tot Disputationum fluctibus emersit.* Hunc eadem in scena intra paucos dies excepit alter ex eadem gente Professor, qui Molinæ doctrinam cum Augustiniana superbè componeret, die 17. Mensis ejusdem.

Verùm inventus est illicò, qui Moliniani Triumphi insulsos jactatores, ea qua pollet autoritate atque doctrinâ retunderet Illustrissimus Remensium Archipræsul, Carolus Mauritius Le Tellier, Augustinianæ doctrinæ defensor nulli secundus, Ecclesiasticæ disciplinæ inprimis studiosus, qui nec nostris laudibus crescit, nec æmulorum vituperatione minùitur; quod aliàs de Augustino dictum accepimus. Inauditam audaciam, quâ Viri Molinianis chimæris *Pius 2. epist.* mentem pasti Majorum suorum exempla secuti, vanis triumphis accinebant, *113.* solenni Decreto fregit Eruditissimus Archipræsul, ad Remensem Academiam directo die 15. Julii 1697. in quo hæc inter alia, instituto nostro accommodata notanda veniunt.

Equidem Clemente VIII. ad superos vocato, Paulus V. (cujus consilia introspicere religio nobis est) meditatum judicium in suspenso posuit, & in commodiorem tempestatem consultò distulit. At nemo inde citra temeritatis notam propterea colliget, probatum idcircò fuisse librum illum, de quo tam diu fuerat deliberatum. Post tam diligentem motæ litis tractationem, silentium Romanorum Pontificum approbationis loco jactare velle, hominum est nimis audacium; qui Sedem Apostolicam Protestantium calumniæ committunt,

Il est vray qu'après la mort de Clement VIII. Paul V. dont nous ne voulons point par respect pene-

mittunt, quâ eam de contempta jam tandem Auguſtiniana doctrina, noviſque Molinæ inventis in animum inductis accuſant.

Quare quantamlibet hujuſce Theſis Autor in deſpicienda futilique Maurolici ſui autoritate fidem ponat, ferre nullatenus poſſumus eam immoderatis adeò laudibus doctrinam efferri, quæ ex ipſa ſui origine, ſiniſtræ ut minimum ſuſpicionis labem incurrit: quod & ex ante-dictis, & ex probatiſſimorum hujus ætatis Scriptorum ſuffragio perſpicuum eſt; maximè verò ex Cardinalis Baronii, cujus acre judicium magni apud omnes ponderis eſt. Tantum igitur abeſt ut, Molinæ doctrinam velut Eccleſiæ approbatione dignam excipere liceat, quin potiùs illum ipſum, veluti virum propriis figmentis, cæterorum novatorum more delectatum habere neceſſe eſt; ejuſque doctrinam infauſtâ novitatis & audaciæ labe, ab ipſo ſui Autore notatam exſibilare.

trer les motifs, trouva à propos de surſeoir le jugement qu'il avoit projeté de rendre. Il ne s'enſuit pas pour cela, qu'on puiſſe avancer ſans temerité, qu'il ait approuvé le livre, qui avoit été la matiere de tant de deliberations. Après tout ce qui s'eſt paſſé, c'eſt abuſer du ſilence des ſouverains Pontifes, que de vouloir le donner pour une approbation abſolue de cet Auteur. C'eſt expoſer le S. Siege aux calomnies des Proteſtans, qui l'accuſent mal à propos d'avoir abandonné l'ancienne doctrine de S. Auguſtin ſur la grace, pour embraſſer les nouvelles decouvertes de Molina. Ainſi quelque fond que puiſſe faire l'Autheur de la Theſe ſur un temoignage auſſi mepriſable, que l'eſt celui de Maurolicus, nous ne devons pas ſouffrir, qu'on donne de ſi grands eloges à une doctrine, qui dès ſon origine a été regardée tout au moins comme ſuſpecte. Ce qui parois par tout ce que nous venons de vous dire, par le temoignage des meilleurs Autheurs de ce temps là, & en particulier par la lettre du Cardinal Baronius, dont le ſentiment eſt d'un ſi grand poids..... Loin donc de pouvoir conſiderer la doctrine de Molina comme digne de l'approbation de l'Egliſe, on le doit regarder lui même, comme un homme qui s'eſt plû dans ſes inventions, ainſi que les autres novateurs; & ſa doctrine, comme une doctrine, qui en naiſſant à receu de ſon Auteur un auſſi mauvais caractere, qu'eſt celui de la nouveauté & de la preſomption......

Tum demum poſt alia multa in eam rem aliaque laxiora Molinæ dogmata, exculta eruditione enarrata, in ſuperiorem inficetorum triumphatorum propoſitionem, quæ tertiæ columnę prima erat, ita pronuntiat: *Iis de cauſis, aliiſque graviſſimis benè multis, invocato Dei Nomine, re maturiùs expenſâ, auditis Sacræ Theologiæ Doctoribus eruditiſſimis, ſapientiſſimis, & in Epiſcopali dignitate conſtitutis, damnavimus atque damnamus primam Poſitionem tertiæ columnæ Theſis habitæ die 5. Decembris ultimo elapſi, quam & hic ſupra retulimus, uti falſam, temerariam, ſcandaloſam, captioſam, & inducentem in errorem.*

Pour toutes ces raiſons, & pour d'autres tres importantes, après avoir invoqué le ſaint Nom de Dieu, & avoir long tems examiné la matiere avec pluſieurs Docteurs tres éclairés, ſages, & même conſtitués comme nous en dignité Eccleſiaſtique, nous avons condamné, & condamnons la premiere propoſition de la troiſieme Colonne de la Theſe, du 5. Decembre dernier, que nous avons cy-deſſus rapportée, comme fauſſe, temeraire, ſcandaleuſe, captieuſe, & induiſante en erreur.

Quid ad hæc Moliniani? Larvatum Apologiſtam tacitè ſubmiſerunt, qui ſupplicem Monitionem ederet Illuſtriſſimo Archipræſuli inſcriptam, ſpecie quidem interdùm humilem, ſed Epiſcopali dignitati, Meritiſſimoque Præſuli multùm injuriam; (quam nos hìc toto paſſim opere refellemus) ut Cenſuram ejus totamque lucubrationem eruditiſſimam confutaret. Erat Libelli famoſi titulus: *Monitio ſupplex Illuſtriſſimo Remenſium Archiepiſcopo facta, ſuper decreto edito die 15. Julii 1697. occaſione duarum Theſium Theologicarum, in Collegio Societatis Jeſu ejuſdem Urbis habitarum diebus 5. & 17. Decembris 1696.*

Remontrance à M. l'Archevêque de Reims, ſur ſon Ordonnance du 10. Juillet 1697. à l'occaſion de deux Theſes de Theologie, ſoutenues dans le College des Jeſuites de la même ville, les 5. & 17. de Decembre 1696.

De attentato in Epiſcopalem dignitatem audaci facinore coram Auguſtiſſimo Galliarum Senatu expoſtulavit Illuſtriſſimus Archipræſul dato Libello ſupplici, quo Societatis Præpoſitos Lutetiæ degentes in jus vocabat, ut libellum famoſum ſecundùm Juris formas agnoſcere aut negare cogerentur. Erat hæc Viri Meritiſſimi Supplicatio, è Gallico Idiomate latinè reddita.

"Supplicat ſubmiſsè Carolus Mauritius Le Tellier, Archiepiſcopus Dux "Remenſis, primus Franciæ Par, exponens, quòd cùm in ſuam notitiam ve-"niſſent

"nissent periculosæ duæ Theses, publicè in Collegio Iesuitarum Remensium
"propugnatæ, diebus 5. & 17. Decembris anni 1696. Eas ille cum nonnul-
"lis Episcopis Consacerdotibus, multisque Doctoribus examinavit. Cumque
"Pastoralis officii partes esse judicasset, ut in illarum Autores animadverte-
"ret, Decretum die 15. Iulii proximè elapsi ediderit, instar Pastoralis Insti-
"tutionis ad Facultatem Theologicam Universitatis Remensis directæ, quâ
"Theses illas Censurâ confixit; ea tamen moderatione ac lenitate servatâ, ut
"nulli offendi ex lato judicio possent, nisi intractabilis indolis homines, qui
"ne minimam quidem animadversionem sustinere velint.

"Post expositam eo in Decreto Ecclesiæ Catholicæ de divina Gratia & Prę-
"destinatione doctrinam; Jesuitis in sua jam Diœcesi constitutis, aut ad eam
"deinceps accessuris Orator inhibuit, ne quid docerent, scriberent, prædica-
"rent, aliquodve dogma disseminarent, iis contrarium Articulis, quos inconc-
"cussa Augustinianę doctrinę ab Apostolica Sede probatæ, & veluti Catho-
"licæ fidei contra Pelagianos vindicatæ fundamenta esse, demonstravit. Eo
"tamen Interdicto posthabito, libellus famosus typis editus, Versaliis, Pa-
"risiis, & in Diœcesi Remensi disseminatus est, titulo Monitionis, præfato
"Domino Archiepiscopo inscriptæ; nullo Autoris ac Typographi nomine ap-
"posito, nulla obtentâ typorum veniâ, nulla Doctorum aut Superiorum ap-
"probatione præmissâ, tametsi Religionis causa vertatur. Hujusce verò li-
"belli disseminatores eumdem dicto Domino Archiepiscopo, sigillo obsigna-
"tum transmisere, nullâ adjunctâ epistolâ, quâ cujus nomine transmittere-
"tur, dignosci posset. Eoque pari modo, cum universis Lutetiæ secularibus
"ac Religiosis communitatibus, virisque primariæ totius Regni Nobilitatis,
"aliisque privatis benè multis, se gessere.„

"Licentiam sibi sumit disseminatæ hujus Monitionis Autor, doctrinam eo
"Decreto assertam confutandi. Quo certè facinore eam sibi arrogavit auto-
"ritatem, quæ (primâ saltem actione) uni Provinciæ Remensis Concilio pro-
"pria est. Quare ea Autoris hujus agendi ratio in Ecclesiasticam & Civilem
"disciplinam ex æquo peccat: ac si impunè toleretur, scriptiones edendi ac
"disseminandi licentiam dubio procul inducet, ad eos vindicandos errores,
"quos Archiepiscopi & Episcopi in suis quique diœcesibus condemnarent;
"& ad ea in dies concutienda, quæ Decretis suis sancire tenentur, ut depo-
"situm sibi à Christo concreditum religiosè custodiant, disciplinam sanciant,
"legumque Ecclesiasticarum exsecutioni invigilent. Quæ omnia præfatum D.
"Archiepiscopum movent (qui, quod honori ducit, Sedem cæteras inter no-
"bilissimam occupat, primumque antiquitatis jure Cleri Gallicani locum ob-
"tinet) ut suas coràm suprema Curia expostulationes deferat.

"Satis impræsentiarum adduci nequit idem Orator (publica licet facti no-
"titiâ repugnante) ut Iesuitas Parisienses accuset, editi ac disseminati Libel-
"li famosi, ad sodalium suorum Remensium Theses vindicandas. Eos in hanc
"usque diem sapientiores existimavit, quàm ut id facinoris attentarint, quod
"nedum in debitam Episcopali dignitati venerationem adeò peccat, verùm
"etiam in ipsorum Jesuitarum institutionis ac restitutionis Edicta, in hocce
"augustissimo Senatu comprobata: atque in illud præsertim, quod ab Henrico
"IV. anno 1606. pro instituendo Remis Societatis Collegio obtinuerunt. Qui-
"bus quidem tribus Edictis distinctè illis vetitum est, ne quid in spiritualibus ac
"temporalibus Episcoporum damno molirentur. Stupendum sanè foret, si pa-
"làm aperteque potissimam eorum Edictorum conditionem violassent: & scan-
"dalosa temeritate scriptionem vulgandam attentassent, ad eripiendam Epis-
"copis autoritatem ac fidem, quâ eos apud fideles valere necessum est. Cùm
"contra, ut officium illorum erat, obedientiam docere debuissent, quam po-
"testatibus præstandam Deus admonet, ac præsertim Episcopis, quos Spiri-
"tus Sanctus posuit regere Ecclesiam Dei.

 "Nullo

"Nullo casu Jesuitis Parisiensibus, quos ex Franciæ Provinciâ esse constat, "licitum erat, dicto D. Archiepiscopo Admonitionem inscribere ob Decretum "ab ipso recens editum, quo illi nullatenus petebantur; nisi palàm significa- "re voluerint, nihil in illorum aliquo mali reprehendi posse, nisi omnes in ejus "defensionem insurgant. Si Diœcesis Remensis Jesuitæ, quos ad Campaniæ "Provinciam attinere certum est, Decretum hoc minùs æquum atque cano- "nicum reputassent, præfatum Archiepiscopum adire, ac libellum supplicem, "Superiorum nominibus obsignatum offerre poterant: quo casu cum ille ex- "pendisset, & quod juris esse judicasset, facilè respondisset, dato etiam, si opus "id visum esset, ea de re necessario documento. Aut certè adversùs Decre- "tum hoc juxta præscriptas juris formulas consulere sibi poterant. At nulla "eis suppetere ratio potuit, (ac ne beneficiorum quidem eximiorum conside- "ratio, quibus Rempublicam ubivis à Societate juvari, affirmare absque assen- "tatione se posse, ait Autor ille) quæ disseminandi libelli famosi jus arroga- "ret; qui & Episcopali autoritati adeò injurius est, ac dura idcirco animad- "versione dignus.

"Verùm cum hujusce libelli Autor sub ipso statim initio significet, se ta- "cito licet nomine Jesuitam esse, rursusque sub finem apertè pronuntiet, ni- "hil vereri se, ne ab ipsa Societate in libelli scriptione negetur; cùm & totius "Ordinis, & Præpositorum quibus regitur sensum ea de re probè norit; ad fa- "cti veritatem internoscendam necessum est, ut dictus D. Archiepiscopus "sibi coram suprema Curia provideat, quatenus Societatis Præpositi, qui Lu- "tetiæ, ubi libellus disseminatus est, commorantur, ex juris præscripto decla- "rare cogantur, an eum abnegent, vel agnoscant.

"His attentis, Illustrissimi Domini, placeat Benevolentiæ vestræ, consigna- "tam autoritatem Oratori concedere, quo pacto apud publicum Senatus Scri- "bam libellum famosum typis editum deposuerit, quem ad ipsius Versallia- "nas ædes sigillo obsignatum detulère: cui titulus est: *Remontrance à M. "l'Archevêque de Reims, sur son Ordonnance du* 15. *Juillet* 1697. *à l'oc- "casion de deux Theses de Theologie, soutenuës dans le College des Jesuites "de la même ville les* 5. & 17. *de Decembre* 1696. Eumdem à publico Cu- "riæ Scribâ peculiari notâ obsignari jubeant, *ne varietur:* ac demum Decre- "to sanciant, ut Frater Jacobus le Picart Provincialis Societatis Provinciæ "Franciæ, Superior Professæ domus, Rector ipsorum Novitiatus Parisiensis, "nec non Rector Collegii Ludovici Magni, ad negandum vel agnoscendum "libellum adigantur, fatendumque num fortè noverint aliquem è Societate "famosum hunc libellum edidisse atque disseminasse: ut eorum acceptâ de- "nuntiatione, & Procuratori generali, dictoque D. Archiepiscopo communi- "catâ, ab eodem ipso Procuratore generali præfatoque D. Archiepiscopo, quid "juris fuerit statuatur."

Illustrissimi Archipræsulis preces ratas habuit Senatus augustus. Diem Societatis Præpositis dixit 10. Januarii anni 1698. ad vadimonium per se obeundum. Sequenti decreto in publicas tabulas relato, sancita res est.

Ex Senatus Edicto, consignata autoritas Oratori concessa est, quo pacto libelli famosi exemplar typis editum deposuerit; Statutum, ut in forensi Tabulario servetur, peculiari primùm notâ à primo Curiæ Scriba obsignatum, ne varietur; *Sancitumque, ut libellus idem, unà cum Oratoris Supplicatione, Jesuitarum Provinciæ Franciæ Provinciali, Professæ domus Superiori, nec non Rectoribus Novitiatus, eorumque Collegii Parisiensis communicetur, quatenus stata die in Senatu compareant, coram Regiis Cognitoribus, quid illis visum fuerit declaraturi: ut eorum acceptâ denuntiatione, ac Regio Procuratori, nec non præfato D. Archiepiscopo Remensi communicatâ, quid illis visum fuerit statuatur; & à Senatu quid jus postulaverit decer-*

decernatur. Datum in suprema Senatus Curia, die 10. Januarii 1698.

Res in malum omen abibant, & in fulmen corrugabant addensæ nubes. Senatui quippe Augustissimo speciosis circulationibus verba dare, difficile erat: Archiprætulem verò frangi, ubi jus postulat, ac mollescere nesciunt delinire, difficilius. Quid in tam præcipiti rerum eventu emunctissimæ naris homines? Ne quid pejus suo capiti fuerent, Christianissimi Regis gratiam implorârunt, ne summo secum jure agi permitteret. Quare ex nutu Regio, Augustissimi Senatus Principe sequestro, læsæ dignitatis Episcopalis veniam, dato scripto petiêre supplices Societatis Præpositi quatuor, Lutetiæ Parisiorum constituti, quos in jus vocaverat Archipræsul; Franciæ scilicet Provincialis, aliique Rectores, qui Parisienses Societatis domos moderantur. Sua satis sorte felices! quòd, latere tecto, ex tam ambiguo difficilique negotio emerserint; quibus gravissimum periculum imminebat, ne ultra domesticæ doctrinæ vulnus ex meritissimi Archiepiscopi Censurâ susceptum, & excitati Moliniani triumphi demolitionem, novâ catastrophe totam fabulæ suæ actionem absolverent. Hoc publico Scripto satisfecère die 23. Januarii 1698. Parisiis, in Illustrissimi Remensium Archiepiscopi Palatio, præsentibus Episcopis Suessionensi & Laudunensi, ejusdem Suffraganeis.

Nos infrascripti, Jacobus le Picart Societatis Provinciæ Franciæ Provincialis, Ludovicus de Valois Superior Professæ domus, Petrus Pomereau Rector Collegii Ludovici Magni, & Isaacus Martineau Rector Novitiatus Parisiensis, hoc præsenti Scripto denuntiavimus Illustrissimo D. Archiepiscopo Remensi, quatenus, cùm officii nostri censeremus, palàm querendi rationes significare, quibus occasione Decreti adversùs Theses in Collegio nostro Remensi propugnatas editi die 15. Julii 1697. jure nos moveri putabamus; supplicem Monitionem, nullo inscripto Autoris nomine, nullâque obtentâ licentiâ, vulgari permisimus: cujus nonnulla loca ansam Illustrissimo Domino existimandi præbuêre, nos debito Episcopali dignitati ejusque Clarissimæ Dominationi obsequio ac venerationi deesse voluisse. Qua de re ut primùm certiores facti sumus, tum ex ejus Supplicatione Senatui facta, tum ex quorumdam monitionibus, de omissis à nobis juris formulis, quarum summa in hocce Regno (si quando in Episcoporum Decreta postulare necesse sit) religio esse debet: continuò denuntiandum judicavimus, ac re ipsâ impræsentiarum suæ Celsitudini denuntiamus, nos in præfata Monitione scribendâ atque vulgandâ procul ab animo habuisse, ut debitam Dignitati suæ, & Episcoporum Autoritati venerationem, læderemus, Illustrissimoque præsertim Archiepiscopo Remensi, spectatissimum nobilissimumque in Ecclesia locum occupanti, debitam observantiam violaremus: nos deinceps secundùm præscriptas juris formulas religiosissimè acturos, si quid hujusmodi nobis accideret; nobisque dolere ex animo anteactum, unde Illustrissimus Archipræsul opinionem inducere potuit, ab ea nos veneratione & observantia excidisse, quam intimo corde gerimus. Celsitudinem suam rogamus humillimè, ut id oblivione deleat, nostramque Societatem, ejusque potissimùm domos in Diœcesi Remensi constitutas, gratiâ suâ ac patrocinio tegere velit, quod humillimis semper obsequiis promereri satagemus.

Le Picart. De Valois. Pomereau. Martineau.

Steterunt nihilominùs animis ludicri Triumphatores, & adversùs iniquos fortunæ casus pristinos ignes accenderunt. Disturbato ac demolito Remis Moliniano triumpho, novum iratis licet Diis Rothomagi excitarunt. Theses publicas anno 1698. die 10. Januarii habuêre; quibus prostratum Remis Molinismum erigerent, novoque in curru collocarent, Leonardo Lessio, Molinæ triumphatori, in cumulum festivitatis & gloriæ sociato. Ita

quippe columnâ 6. quæ de gratia erat, scribebant. *Tot in errores, non casu, sed livore malo, & consilio Lessii tanquam Semipelagiani traducendi delapsum Jansenium, ipse testis est in epistolis ad Abbatem S. Sygirani scriptis, quarum autographa in Parisiensi nostro Collegio servantur. Manet interim, æternumque manebit primæ Sedis Judicium, & quo Lessii doctrina sana, & quo Jansenii commenta falsa, hæretica, impia, blasphema, universâ Ecclesia applaudente, pronuntiata sunt.* Columnâ verò octavâ: *Longè dispar Societatis Jesu, sive cum eruditissimo & Religiosissimo Prædicatorum Ordine, sive cum Doctoribus Lovaniensibus, ac Duacenis quibusdam concertatio. Prioris occasio fuit liber Molinæ supremæ Inquisitionis Lusitanæ, Academiarum undecim judicio comprobatus, Romæ coram Pontifice, & Cardinalibus Bellarmino, Perronio &c. per annos quatuor examinatus, ac demum nullâ censurâ notatus. Controversia sic composita, ut liberum relinqueretur utrique parti sententiam suam absque alterius censurâ defendere. Censura Salmanticensis tam fictitia est, quam Bulla Pauli V. & Acta Congregationis de auxiliis, quæ fide indigna declaravit Innocentius X. Quare cum Romæ etiam Molinæ doctrina, quæ tot habuit sectatores dignitate & eruditione inclitos, doceatur; quicunque Molinam Semipelagianis annumerat, Romanam Ecclesiam approbati Semipelagianismi ream agit. Censuræ in Lessium Lovaniensis ac Duacena, statim Apostolica auctoritate reprobatæ ac suppressæ; de quibus, quoties Romanam Sedem consuluere Censurarum Patroni, toties grave responsum accepere, eas Romanæ Ecclesiæ displicuisse & displicere. Easdem à Sorbona, cum publicatæ fuerunt, improbatas fuisse certum est; ac nullius roboris æstimatas, inde constat, quod deinceps & Societatis Theologi, & alii Professores, contrariam Censuris doctrinam Lovanii ac Duaci impunè docuerint.*

Quidni quoque Clementem VIII. & Paulum V. in vivis etiam exstitisse; aut ullas unquam de divinis Auxiliis Congregationes habitas esse negent, pari confidentia? Sic enim compendio confecta res erit, totaque Congregationum Historia, quæ illis adeò stomachum movet, hoc uno verbo dissipabitur. Egregii Historici, quos hìc pro meritis excipiemus!

Hæc interim Rothomagenses Actores. Nec dubito, quin intra breve tempus, quotquot per universas Galliæ Provincias, Societatis Cathedras Theologicas moderantur, eadem illa, ac fortè pejora, velut ex condicto publicis in Thesibus fabulentur: ne Illustrissimi Remensium Archi-præsulis Censurâ territi, animo excidisse, aut præconceptos de fanaticis Molinianæ doctrinæ triumphis sensus exuisse videantur. Nec fortè sim ita Propheta malus, si quod olim in celebri Casuistarum Apologiæ damnatione accidisse notum est, ut ad erigendos Sociorum animos, & linguas ad ejusdem cantilenæ modulamen componendas, Encyclicæ Provincialium litteræ mitterentur, hoc idem in hocce rerum concursu evenisse ominarer: ut eo excepto monito, starent animis, & experrecti, fractasque copias, concordi consilio, novis conatibus instaurarent.

Et certè, uno veluti eodemque consilio, quotquot è Societate ubivis in Europa versabantur, ex hac ipsa Parisiensium Sociorum excusatione, qua admissę culpę veniam ab Illustrissimo Archiepiscopo rogare coacti fuerant, reportatam sibi victoriam accinerunt; quasi amicâ illos inter compositione initâ, à lata in audaces assertiones Censurâ recessisset meritissimus Pręsul. Sic sanè naris emunctæ viri, quacunque ex re gratulari sibi solent; atque ex adversis fortunæ casibus fortunam ipsam amplificant. Periti profectò Medici, qui sua etiam vulnera in pharmacum vertant; ac ipsis etiam iratis Diis non sine festivitate fruantur! Itane pristinos sensus exuerit Illustrissimus Archipręsul? Dicant qui infracti animi virum norunt. Stare illum in cœptis, nec à decretis resilire,

esilire, fidenter pronuntio: nec vereor ne mihi hac parte mendacium exprobret. Decretum ejus à nobis latinè redditum, in Appendice damus; ut hoc ipsum Historiæ nostræ coronidem imponat, cujus occasione edita est. *Num.* XX.

Sed quid tandem? Molinæ triumphum, quamquam Archipręsulis auctoritate disjectum, Nestorianismi obliquâ instauratione cumularunt: ut nostrorum temporum scenæ veteribus responderent; illudque S. Prosperi Carmen, in hac quoque Remensi fabulâ, cani posset:

Nestoriana lues successi Pelagianæ,
Quæ tamen est utero progenerata meo.
Infelix miseræ Genitrix, & Filia Natæ,
Prodivi ex ipsô germine, quod peperi.

Catholicæ quippè fidei caput, quod universa contra Nestorium profitetur Ecclesia, ad meram probabilitatem traduxerunt, publicis in hac ipsa Diœcesi Thesibus habitis: *Humanitatem*, inquiebant, *à verbo hypostaticè sustentari, probabilissimum est*. Palinodiam, jubente Archipræsule, secutis intra paucos dies Thesibus decantarunt. Fidei caput extra omnem probabilitatis aleam posuere; de solis inter Scholasticos controversis opinionibus contendi licentiam professi publicè. *Humanam naturam in Christo hypostaticè sustentari à Persona Verbi*, publicâ in scriptis retractatione fassi sunt; tametsi (ut addebant) influxu minimè physico. Qua de re mihi ad institutum satis, ne peregrina sectari videar.

Duas Jesuitarum Remensium Theses 5. & 17. Decembris anni 1696. defensas Mandato Illustrissimi Archiepiscopi, cui locum dedere, subjicimus, cum ut excerptorum fides ampliùs constet, tum ut integrum Patrum illorum de gratiæ divinæ Auxiliis systema conspiciatur. His tamen alias quadriennio antiquiores præmittimus, quia & operosè ab illis concinnatæ mihi visæ sunt, & nonnulla etiam continent ad Congregationem de Auxiliis pertinentia. Easdem ob causas Rothomagenses anni 1698. illas excipiunt: quibus & nonnullas in aliis Societatis Collegiis propugnatas adjicimus, ut perfectior placitorum Molinisticæ Scholæ notitia habeatur. *Append. Num.* XXI

PARAGRAPHUS QUINTUS.

De Litteraria Concertatione R. P. Natalis Alexandri Ord. Prædic. cum R. P. Daniele Jesuita, de divina gratiâ.

NAtalis Alexandri de divina gratia cum Daniele litteraria Concertatio, à Moralibus ortum habuit. Mandatum Pastorale anno 1696. ediderat Illustrissimus Rothomagensium Archiepiscopus, Jacobus Nicolaus Colbert, quo Ecclesiasticas Collationes haberi jusserat; in quibus sacræ disciplinæ leges, & præcepta morum exponerentur. Ne verò multi Parochorum, temerè implicati lectione recentium Autorum, qui de Christianis morum Regulis scripsêre, in errorem adducerentur, pravos fortè ac cæcos secuti duces, libros etiam indicaverat Præsul prudentissimus, quos ad decidendas quæstiones consulere opus esset. Hos inter legendus proponebatur Natalis Alexander, in Theologia Dogmatica & Morali, quam is, missâ recentium autorum rudi indigestaque mole, ex divinarum Scripturarum, sacrorum Canonum, sanctorumque Patrum purissimis fontibus expressit ante annos aliquot, magnâ eruditorum omnium existimatione susceptam.

Nonnullis stomachum fecit delectus ille; qui Tamburinum fortè, Baunium, Busembaum, aliosque id genus conscientiæ casuum arbitros designari maluissent. Furtivis typis confestim emissus in lucem est libellus gallicè inscriptus: *Difficultés proposées à Monseigneur l'Archevêque de Rouen, contre la Theologie Dogmatique du P. Alexandre Jacobin.* Hoc est, *Difficulta-*

ficultates propositæ Illustrissimo Rothomagensium Archiepiscopo, circa Theologiam Dogmaticam R. P. Natalis Alexandri Dominicani. In hoc ægrè se & impatienter admodum tulisse significat autor anonymus, quòd P. Alexander, quasi Diœcesis Theologus, in Collationibus Diœcesanis citaretur, ejusque Moralis Theologia laudaretur. Tum Propositiones duas supra viginti, ex Alexandri libris excerptas, temerè & ineruditè impugnando, in damnatos, vel meritò damnandos errores impingit; multaque ponit corruptę Moralis Paradoxa.

Paulisper cunctatus est Alexander, an contemnendo libello responderet. At cùm veritatis & Moralis Evangelicæ causam deserere ac prodere non posset, certóque nosset infaustum libellum, in quo damnati à S. Sede corruptæ Moralis Articuli renovabantur, à Patribus Jesuitis, cùm in Neustria, tum Lutetiæ Parisiorum studiosè disseminari, responsionem adornavit, sub hoc titulo: *Eclaircissemens des prétendues difficultés proposées*, seu, *Elucidationes prætensarum difficultatum* &c. Constat hęc Capitibus octodecim, quibus auctoris anomymi errores de Probabilitate, de Simonia; de Beneficiorum Ecclesiasticorum ambitu, de Peccato Philosophico, de Usura, de Æquivocationum & Restrictionum mentalium usu &c. confutantur: variæque Moralis Christianæ Regulæ ab auctore anonymo impugnatæ vindicantur. Eruditorum omnium laudem meruit & consecuta est Alexandri Responsio; contemtum, Difficultates Anonymi.

Interim cum P. Buffier Jesuita libellum Difficultatum in vulgus Rothomagi spargeret, in flagranti delicto deprehensus, temerarium libellum ejurare, & Propositionibus decem subscribere jussus est; quas libelli erroribus oppositas Archipręsul Reverendissimus præscribebat. Archipræsulis, & Vice-provincialis sui mandatis parere renuit vir cerebrosus: quare in remotam Aremoricæ urbem, Corisopitum, ablegatus est; eidemque in Societatis domo incluso, omni Jesuitici muneris functione & commercio cum extraneis hominibus interdictum. Perniciosum verò Difficultatum propositarum libellum damnavit Illustrissimus Archipræsul, Epistolâ seu Institutione Pastorali, datâ Rothomagi die 28. Martii 1697. quæ & eruditionis ipsius, & Episcopalis zeli monumentum est, Moralisque sanioris & disciplinæ munimentum.

Autorem Difficultatum propositarum esse P. Daniëlem Jesuitam (qui responsione ad litteras Provinciales Montaltii, seu Cleandri & Eudoxi Colloquiis, nomen sibi facere conatus est, haud felici successu) existimaverant universi, quibus notus est Patris Daniëlis stylus & character, nec absque fundamento. Ejusque idcircò errorem de æquivocationum usu, quem Deo & Christo tribuere non veretur, perstrinxerat in Elucidationibus Alexander. Quo factum est, ut Epistolam ad Alexandrum ediderit Propheta novus, æquivocationum revelator & vindex, die 1. Januarii 1697.

Inter hæc nobilis & erudita femina, litterulas quinque scripsit ad amicam, doctrinâ pariter & nobilitate insignem (quales in Gallia inveniuntur non paucæ, ad sexus gloriam) quibus referebat, quæ in familiari colloquio dicta essent ab Abbate, & illustribus feminis, contra anonymi Jesuitæ Difficultates. Ludendo refellebantur, seria velut responsione indignæ. *Multa enim sunt sic indigna revinci, ne gravitate adorentur. Vanitati propriè festivitas cedit: congruit & veritati ridere, quia lætans; de æmulis suis ludere, quia secura est.* Litterularum altera Dominicanos commendabat, quod gratiæ Christi, & sanioris moralis defensores semper extiterint, sitque hæc velut sacri Ordinis hæreditaria pars.

Id in Jesuitarum injuriam dictum putans P. Daniel, calamum acuit. Novem alias Epistolas ad Patrem Alexandrum edidit, intra menses aliquot: quibus Parallelum doctrinæ Prædicatorum & Jesuitarum instituit, circa probabilita-

babilitatem & gratiam. Quatuor probabilitatem spectant, quinque gratiam: illis laxioris Moralis defensionem instituit: istis gratiam præsertim victricem aggreditur. Neque verò id mirum: sunt enim hæc, ut eruditi probè nôrunt, confinia atque cognata veluti argumenta. Pelagianos divinæ gratiæ & Moralis Evangelicæ hostes ex æquo fuisse, notum est, nec non peccati Philosophici ac vagæ probabilitatis defensores acerrimos. Hinc nefarium illud Pelagianorum dogma, in Synodo Palæstina damnatum refert S. Augustinus lib. De Gestis Pelagii, Cap. 18. *Oblivionem & ignorantiam non subjacere peccato; quoniam non secundùm voluntatem eveniunt, sed secundùm necessitatem:* quo stat peccati Philosophici nuperrimè recusus error. Hinc & Cœlestius, alter Pelagianæ sectæ Coryphæus, quæsitus à Carthaginensis Synodi Patribus, ut doctrinæ suæ Magistros proferret, Ruffinum illicò protulit: tum secundò rogatus, ut si quos alios haberet suæ sententiæ Patronos ac Duces, eos liberè proderet, ad vagæ probabilitatis arcem confugit, quæ sententiam aliquam unius Doctoris præsidio tutam putat; *Non tibi*, inquit, *sufficit unus Sacerdos!*

S. Aug. lib. 2. de Pecc. Orig. c. 3.

Quinque ergo de divina gratia vulgatis Epistolis, scientiæ mediæ ruinosum systema sustentare nititur novus ille Societatis Athleta. Molinæ & Suaresii commenta adstruit: gratiam per se efficacem à SS. Augustino & Thoma, eorumque discipulis vindicatam, impugnat veluti libertatis inimicam: decreta Dei prædeterminantia sugillat, quasi fatalem necessitatem imponentia, & quæ Deum autorem peccati faciant: quæstionem de Prædestinatione gratuita ad gloriam, inter Theologos utriusque Ordinis controversam, quæstionem esse de solo nomine confidenter asserit: definitionem Prædestinationis à S. Augustino traditam adulterat: doctrinam Thomisticam de gratia per se efficaci, Novatoribus & Iansenismo favere contendit: S. Augustinum scientiam mediam approbasse, eamque cum dogmatibus Catholicis de gratia planè convenire: Molinæ propositiones à Congregatione de Auxiliis nunquam fuisse damnatas, ejusque doctrinam ab omni errore immunem esse: Acta Congregationis de Auxiliis nullius esse fidei, ex Innocentii X. Decreto: Cardinalem Perronium, his controversiis ferventibus scripsisse, Protestantes doctrinæ de gratia per se efficaci & prædeterminante non ægrè subscripturos: doctrinam S. Augustini, in libro de Prædestinatione SS. & libro de Correptione & Gratia, non esse intelligendam secundùm vim & rigorem terminorum: licere Theologis systemata pro arbitrio fabricari in quæstionibus de Prædestinatione & Gratia: Molinianas assertiones Semipelagianis erroribus affines non esse: ex gratiæ per se efficacis assertione sequi, præcepta Dei hominibus illâ destitutis esse impossibilia: aliaque id genus commenta venditat; quorum vanitatem, ineptiam, falsitatem tota hæc Auxiliorum Historia in aperto ponet.

His Danielis Epistolis respondit Theologus Anonymus, quem Alexandrum esse persuasum habent viri omnes eruditi. Patribus Iesuitis inscriptæ sunt ejus Epistolæ sex. Tribus prioribus Parallelum seu convenientiam doctrinæ Thomistarum cum doctrina Iesuitarum, circa probabilitatem, funditùs evertit atque refellit. In tertia etiam invictè probat, Gregorium de Valentia, qui Molinæ opiniones ardore maximo in Congregatione de Auxiliis defendebat, à Patre Thoma de Lemos Dominicano palàm convictum coram Pontifice & Cardinalibus, quòd S. Augustini locum studiosè interpolasset, ad pedes Pontificis, deliquio ex confusione publica superboque dolore orto, cecidisse probat invictissimis documentis. D. Francisci Pegnæ Commentarios de rebus in Congregatione gestis à calumnia vindicat. Tum ad Danielis Parallelum rediens, Scholæ Thomisticæ & Alexandri doctrinam, contra vagum Probabilitatis usum tuetur: Scholam Thomisticam Iesuitarum Societati circa probabilismum, qui flagitiosarum omnium opinionum in Theologia Morali fons est, adversari multis ostendit.

Tribus

Tribus aliis Epiſtolis, inſtitutæ circa Gratiam comparationi reſpondet Autor Anonymus. Convenientiam aſſertionum Molinę cum Semipelagianorum erroribus palàm demonſtrat: Doctrinam Thomiſticam de Gratia Novatoribus non favere, immò & ab Eccleſia probatam eſſe: Doctrinam communem Ieſuitarum de Gratia, novam eſſe, periculoſam, à celeberrima Facultate Lovanienſi damnatam: Patris Danielis Litteras Eccleſię injurias eſſe, & converſioni Proteſtantium obicem ponere: Doctrinam Molinæ in Congregatione de Auxiliis damnatam; Thomiſticam, approbatam: Arminianos ex Calvini grege cum Molinianis conſentire: Alexandri Theologiam doctrinamque de Gratia à calumnia vindicat: Quindecim Patris Danielis viſiones, ſeu inſomnia atque commenta in hac controverſia detegit ac refellit; ejuſque ſophiſmatibus & inanibus argutiolis invictè reſpondet, nihil aliud eſſe oſtendens ejus contra Thomiſticam de Gratia doctrinam argumenta, quàm crambem recoctam Semipelagianorum.

Hęc dum mutuâ concertatione ſcriberentur, Theſes publicas Ieſuitæ Lugdunenſes propugnârunt die 26. Auguſti 1697. multis contra Gratiam & Moralem Evangelicam erroribus ſcatentes; quę anonymus Theologus duabus ad Doctorem Sorbonicum inſcriptis Epiſtolis confutavit, addito etiam libello, cui titulus erat: *Theſes Theologicæ Jeſuitarum Lugdunenſium Cenſoriis Notis diſpunctæ atque confixæ.*

Verùm cùm Prophetam ſuum congreſſum Achilli imparem experti eſſent Ieſuitę, cauſęque ſuę meritis minùs fiderent, à Rege Chriſtianiſſimo impetrarunt, ut ſilentium utrique parti imperaret; eo conſilio, ut victoriam ſimularent potiùs, quàm receptui canerent. Alexandrum & Danielem vocavit Excellentiſſimus Gallię Cancellarius: Audientiam utrique ſingulatim conceſſit: Regis nomine ſilentium utrique injunxit. Hinc factum eſt, ut decima Danielis Epiſtola, quę poſt ſignificationem Regiorum Mandatorum in lucem prodiit, ſine Reſponſo dimiſſa ſit à Thomiſtis, non faſces victori ſubmittentibus, ſed Regi, ut officium poſtulat, obſequentibus. Nulla tamen ex judicio ſervatoque ſilentio veritatis jactura ſecuta eſt. Ecquid enim novi tunc eructavit Propheta bonus, cui reponere neceſſe fuerit? Prędeterminationi phyſicę non favere Doctorem Angelicum, ea in Epiſtola commentus eſt. At cùm id à ſexcentis Dominicani Ordinis Theologis, ac nuper à R. P. Antonino Maſſoulié, confutatum ſit; nullâ Reſponſione ad crambem recoctam Danielis fuit opus.

S. Thomas ſui Interpres.

Nonnullis menſibus interjectis, cum omnia ex Mandato Regio conſepulta crederentur, Daniel vir inquietus & obſequi neſcius, quam fecerat in ea litteraria concertatione famę jacturam, opportunâ calliditate reſarcire molitus eſt. Suas & Alexandri Epiſtolas Lugduni novis typis edidit, multis pro arbitrio reſectis, additis aliis, quibus imperitę plebi fucum faceret. Prętationem etiam adjunxit, quâ ſibi victoriam accinebat feſtivus homo: adeò eſt viſionibus & inſomniis aſſuetum Prophetarum genus! Fraudem detexit neſcio quis Thomiſticę Scholę amans, & Alexandri famę ſtudioſus. Epiſtolarum congeriem puram & integram typis mandavit: prœmiſsâ pręfatione rerum geſtarum ſeriem expoſuit; vanamque Danielis gloriationem retudit ac fregit.

Hunc exitum habuit Alexandri de Divina Gratia cum Daniele concertatio; quam novus iſte Propheta ſuſceperat, non tam ut Scholę Thomiſticę doctrinam de Divinis Auxiliis vellicaret, quàm ut ſuum totiusque Societatis in Alexandri Theologiam Moralem pręconceptum jam pridem odium palàm effunderet. Vix enim prodierat eruditum Opus, cum ſtatim vulgatus Rothomagi rumor fuit, à quibuſdam Societatis Patribus diſſeminatus, Patrem Alexandrum fortunę (ut loquebantur) ſuę obicem poſuiſſe; quòd Societatis minorem quàm par erat in Theologia Morali rationem habuiſſet. Cùm etiam nonnulli Gallię Pręſules Alexandri Librorum ſingulares ęſtimatores, ejus pro

Ecclesiæ utilitate suscepta Opera viro è Societate primæ notæ, sub idem fermè tempus commendassent; respondit ille, in Alexandri Morali nuper edita, multa esse, quæ illum erga Societatem minùs benè affectum demonstrarent.

Id ut ex amicorum relatione didicit Vir eruditus, scire voluit, quid Societatis animos à se tantoperè alienasset. Audientiam ab Jesuita meritissimo postulavit, & obtinuit die 17. Septembris 1695. ut amico ac familiari colloquio animum mutuò aperirent. Nullâ spe, nullâ ambitione moveri se atque impelli præfatus est Alexander, ad fovendam, quæ ab annis viginti quinque sibi intercesserat cum ipsius Reverendissima Paternitate amicitiam: se personam ejus ob merita & virtutes, non ob autoritatem coluisse, ac etiam colere: sed grave sibi esse, quòd aures faciliores nonnullis susurris & criminationibus contra doctrinam operaque sua præbuisset. Respondit Reverendus Pater, se absque ulla æstimationis de illo conceptæ remissione, nonnulla ipsi è vestigio ostensurum, quæ in ejus libris emendari operæ pretium esset: codiceque in manus accepto, multa adnotata significavit, quæ spongiam ejus judicio mererentur. Respondit ad singula Vir eruditus, quâ decebat veneratione ac reverentiâ. Colloquium integram horam tenuit; ut doctrinæ suæ rationem redderet. Tum demùm Reverendum Patrem secundò rogavit, ne fidem æmulis suis adhiberet; & exsoluto urbanæ salutationis & venerationis officio, vale dixit. Nihil tamen eo colloquio profecit Alexander, nisi ut secutis inde temporibus intelligeret, quid æmulorum invidiam tantopere concitasset; quidve illos in editis Operibus malè habeat.

PARAGRAPHUS SEXTUS.

De Codicibus M.SS. è quibus præsens Historia petita est.

CUm veritatis, quæ prima historiæ pars est, nobis potissima cura fuerit, eos pro officii debito fontes attigimus, unde illam præsertim haurire liceat. Congregationum Acta, Suffragia Consultorum, Academiarum Censuras, Hispanicæ Legationis Instrumenta, Virorum Illustrium qui eo tempore Romæ degebant Commentarios, aliosque bene multos Codices Manuscriptos excussimus; è quibus tota Historiæ hujus autoritas pendet ac fides. Non unus tamen idemque apud nos fuit instrumentorum usus. Quoties de iis sermo fuit, quæ in intimo Congregationum sacrario tractata sunt, tum ad controversarum quæstionum examen, tum ad earum sancita judicia, nihil nisi ex Secretariorum Actis, quorum stat suprema fides, petitum est. Ubi verò de iis sermo venit, quæ semotâ judicii formâ, instar amicæ compositionis coram Cardinalibus arbitris tractabantur; cum nulla de rebus inibi tractatis per Secretarios Acta sint edita, ipsorum Cardinalium fidem adhibuimus. In aliis demum, quæ politicam potiùs, quàm dogmaticam historiæ partem attinent; litis scilicet urgendæ, tractandæ, flectendæ, procrastinandæ modos; artes omnes, circuitus, pactiones, aliaque id genus politicæ scientiæ machinamenta; quorumcunque probatorum testium Commentarios usurpavimus.

Instrumenta ex integro sæpiùs attulimus: unde effectum est, ut narratio quidem minùs flueret, magis tamen sibi constaret. Cum enim hæc contentiosa Historia sit, & à nemine hactenus in totum elaborata, nihil omninò missum fecimus, quod vel asserendæ veritati, vel secretioribus internoscendis juvare posset: minusque Lectorum oblectationi, quàm eruditioni consulendum existimavimus. Instrumenta nihilominus prolixiora, in Appendicem consultò misimus; ne Lectorem diutiùs detinerent, & ab Historiæ contextu longiùs abducerent. Disputationes coram Summis Pontificibus, aliisque judicibus habitas, ex Secretariorum quidem Commentariis, summâ quâ potuimus fide retulimus, sed compendio tantùm resectisque infinitis propemodum argumentis,

quibus interlocutores asserta sua muniebant, & castigatâ scholastici styli barbarie, dogmaticis Hispanorum disputationibus indivulsâ; servato nihilominus ubique sensu, rationumque momentis ad certa capita revocatis. Sic scriptiorum missa moles ingens, quibus non tam lector erudiendus erat, quàm tædio solvendus.

Catalogus Manuscriptorum, è quibus tota penè Historia petita est.

1. Acta coram Reverendissimo D. Octavio Episcopo Calatino Apostolicæ Sedis Nuntio ad partes inferioris Germaniæ: super Materia de Auxiliis divinæ gratiæ, occasione controversiæ ortæ inter Universitatem Lovaniensem & quosdam Professores de Societate Jesu; Romam ab eodem Nuntio transmissa: cum utriusque partis instrumentis.
2. Relationes duæ F. Didaci Alvares, de initio causæ Romæ agitatæ an. 1598.
3. Relatio P. F. Dalmatii Amati Ord. Prædicatorum, de initiis controversiæ divinorum Auxiliorum, inter Patres Prædicatores & Jesuitas excitatæ.
4. Relatio institutæ disputationis inter Patres Societatis Jesu, & Provinciam Hispaniæ Ordinis Prædicatorum.
5. Epistola P. F. Hieronymi Baptistæ de la Nuza, Provincialis Provinciæ Arragoniæ, Regi Catholico data die 22. Aprilis 1597. circa Patres Societatis Iesu.
6. Epistola P. F. Hieronymi Baptistæ de la Nuza Provincialis Provinciæ Arragoniæ, Generali fidei Quæsitori data, circa Patres Societatis Iesu.
7. Libellus Memorialis Conventus Valentini Ordinis Prædicatorum, missus ad Reverendissimum P. Magistrum Ordinis, Hippolitum Mariam Beccariam de Monte Regali, circa Patres Societatis Iesu.

3. Relacion que el P. Fray Dalmatio Amat de la Orden de Predicadores dio acerca del principio que tuvo la causa de los Auxilios, entre los Padres de la Orden de Predicadores, y los de la Compañia.

4. Relacion de la Verdad que ha avido en la communicacion de disputas, con los Padres de la Compañia, en la Provincia de España, de la Orden de Predicadores.

5. Carta que el P. Fray Jeronymo Baptista de la Nuza, Provincial de la Provincia de Aragon de los Padres Predicadores dio al Rey Catolico, acerca de los Padres de la Compañia 22. Agosto 1597.

6. Carta del P. F. Jeronymo Baptista de la Nuza, Provincial de la Provincia de Aragon, de los Predicadores, al Inquisidor General acerca de los Padres de la Compañia.

7. Memorial acerca de los Jesuitas, embiado por parte del Convento de Predicadores de Valencia, al General de la Orden, el Maestro F. Hippolito Maria Beccaria de Monte Regali.

8. Scripta à Patribus Societatis data, dum juxta Pontificis Breve, ab Inquisitore generali Hispaniæ jussi sunt suam de divinæ gratiæ efficacia & Molinæ causa sententiam aperire, anno 1594.
9. Censuræ Episcoporum & Theologorum Hispaniæ, de Mandato Summi Pontificis datæ, ac Romam missæ, à D. Petro Portocarrero S. R. E. Card.
10. Apologia Provinciæ Hispaniæ Ordinis FF. Prædicatorum contra doctrinam Ludovici Molinæ.
11. Responsio Arrubalis ad Apologiam FF. Prædicatorum cum ejusdem Responsionis Confutatione.
12. Scripta à Censoribus deputatis data anno 1598. in primo examine Romæ habito, circa librum Molinæ, Apologiam Prædicatorum, & Censuras ex Hispania missas.
13. Censura in primo causæ examine instructa, contra doctrinam Ludovici Molinæ, totius Congregationis nomine, elaborata à Patre Gregorio Coronello, ejusdem Secretario, & à Censoribus subscripta die 12. Martii 1599.
14. Scripta Cardinalis Ludovici Madrutii, quibus suam de utriusque Scholæ doctrina sententiam dicit.

14. Acta

15. Acta in mutuo partium congressu coram arbitris habito, anno 1599. cum Scriptis omnibus hinc inde datis, & collectis à Cardinale Ludov. Madrutio.
16. Scripta Patrum Prędicatorum & Patrum Societatis, data anno 1601. ad novum examen instruendum.
17. Acta Congregationum anni 1601. pro revisione Censuræ latæ contra 20. propositiones Ludovici Molinæ.
18. Resolutiones & Decisiones Congregationum anni 1601. à Gregorio Coronello Secretario collectæ, & à Censoribus subscriptæ.
19. Acta disputationum habitarum coram Clemente VIII. ab anno 1602. ad annum 1605. collecta à P. Coronello, primo Congregationis secretario.
20. Resolutiones Congregationum coram Clemente VIII. anno 1602. ad annum 1605. collectæ à P. Coronello, primo Secretario Ord. S. August.
21. Acta disputationum sub Paulo V. à die 16. Maii 1605. usque ad 22. Februarii 1606. collecta à P. Greg. Coronello.
22. Resolutiones Congregationum coram Paulo V. à die 21. Septemb. 1605. usque ad 1. Martii 1606.
23. Acta disputationum coram Clemente VIII. & Paulo V. à P. Thoma de Lemos elaborata: ab anno 1602. ad annum 1606.
24. Miscellanea P. Thomæ de Lemos, quibus multa hujus causæ documenta continentur, quatuor tomis comprehensa.
25. Diarium F. Jacobi le Bossu Ord. S. Benedicti Doctoris Sorbonici, unius è Consultoribus Congregationum de Auxiliis, à nonnullis laudatum.
26. Ejusdem Notæ & Animadversiones in XXV. Molinæ Propositiones.
27. Diarium Illustrissimi D. Francisci Pegnæ, Rotæ Romanæ Decani, ab anno 1601. ad annum 1607.
28. Collectanea ejusdem Francisci Pegnæ, quatuor tomis comprehensa; quibus varia ad præsentem causam, tum sua, tum Hispanicæ Legationis instrumenta continentur.
29. Acta Congregationum Consultorum, anno 1606. & 1607. cum informatione Bullæ sub Paulo V. abumbratæ pro ultima causæ hujus definitione.
30. Acta pacti conventi inter Patres Prædicatores & Patres Societatis, coram excellentissimo Duce de Lerma anno 1612.

Auxiliorum Historiæ, ad manu-scriptorum Codicum fidem elaborandæ, rumor nescio quis pervaserat Belgium vicinasque Provincias; terror illicò hostiles acies occupavit. Adeò scilicet nonnullos rerum istarum memoria malè torquet! Calamum confestim acuit obscuri nominis Scriptor. Epistolam Leodii mense Julio typis editam consarcinavit; non illam quidem *brevem in verbis, & longam in sententiis*, quod de Catholicis Epistolis Hieronymus dixerat; sed sensu longè quàm verbis breviorem, in qua nec micam salis invenire liceat. Magno inanium cavillationum, nugarum, vitilitigationum apparatu, manuscriptorum Codicum fidem minuere; Gregorium Coronellum, Franciscum Pegnam, Thomam de Lemos deprædicare, carpere, dilacerare nititur vir nullius judicii atque criterii: cui illud Poëtæ jure accommodes, *Et magnâ peragit sedulitate nihil.* 1698. *Lettre à M l'Abbé *** sur la nouvelle Histoire de Auxilius qu'il prepare.*

De Actis manuscriptis in universum duo expostulat, ut Historiæ Editorem ab iis inter scribendum usurpandis dimoveat. Primum, magnam illorum partem Innocentii X. Decreto confixam ait: Alterum, Acta hæc anno dumtaxat hujus seculi quadragesimo laudari cœpisse, confidenter pronuntiat, & ex FF. Prædicatorum Jansenianorumque officinâ primitùs prodiisse: unde suppositionis suspicionem non levem oriri colligit. Verùm ut primum expostulationis *Pag. 4. 5. 6.*

 nis

nis caput mittamus interim, speciali deinde Paragrapho pertractandum; quot hìc verba, tot lapsus. Falsum quippè, Acta illa anno dumtaxat hujus seculi
Supra §. 3. 40 laudari cœpisse: laudaverant enim decennio priùs Theologi Salmanticenses & Guillelmus Gibieuf; & hi quidem, ut notum est, Ordinis Prædicatorum nequaquam Professores, editi libris Orbi notissimis, ac Summo etiam Pontifici nuncupatis. Neque verò mirari subit, ab nullo ante id temporis laudata fuisse; non ab Alvaresio, non à Gonzales, non à Nazario, Navaretto, Cabezudo, aliisque Thomistis, qui paulò post solutas Congregationes suas de divinis Auxiliis lucubrationes vulgarunt. Cùm etenim recentior esset Gestorum memoria, quàm ut res sibi cessisse prosperè, Romanosque Judices Molinam absolvisse, fabulari Jesuitæ possent; nulla Thomistas necessitas adigebat, ut productis instrumentis veritatem in aperto ponerent: quod aliis demum præstare necesse fuit, dum senescente paulatim Gestorum memoriâ, suas liberiùs Jesuitæ fabulas venditarunt. Acta tunc è tenebris eruere fuit opus, quibus ora fabulatoribus occluderentur. Priores etiam illos Scholæ Thomisticæ Theologos paulò lætiùs alebat vulgandæ definitionis Apostolicę data fides. Hinc Alvaresius illorum unus, in Prologo ad Lectorem Operis de Auxiliis Divinæ Gratiæ, quod anno tertio post solutas Congregationes, publici juris fecit, *Nullius*, inquit, *Doctoris sententiam aliquâ censurâ notabo: non enim decet determinationem S. Sedis Apostolicæ, quæ propè diem exspectatur, privato judicio prævenire.* At ubi continuis perendinationibus spes suas retardari posteriores experti sunt; ne fortè temporum spatiis, assertis sibi juribus præscribi sinerent, nonnulla suis interdum lucubrationibus de adjudicatâ sibi lite memorarunt, quæ productis instrumentis confirmare necesse fuit.

Falsum pariter, immò etiam insulsum, ex Prædicatorum Jansenianorumque officinâ produisse primùm. Ex iis quippe Urbis scriniis ac Tabulariis prodiere, in quibus Prædicatores nihil, Janseniani minùs possunt. In iis visuntur etiamnum magnâ ex parte Autographa primigenia, variaque transumta ex forma juris recognita, quæ nostram in laudando fidem absolvant. An Prædicatorum Jansenianorumve officina est Arx S. Angeli, in qua illorum servantur aliqua? An Prædicatorum Jansenianorumve officina, Augustiniensiûm Tabularium, ubi copia major extat, quòd ex illo instituto esset Gregorius Coroneilus Congregationum Secretarius? An Prædicatorum Jansenianorumve Officinæ, Bibliothecæ Barberina, Alteriana, Chigiana, aliæque non paucæ; ubi partìm Autographa, partìm integræ fidei transumta videre licet? Aut demùm sub Prædicatorum Jansenianorumque curâ servantur tot illi descripti Codices, Italiâ, Galliâ, Hispaniâ, Belgio, ab annis circiter quinquaginta vulgati; ut in omnes grassari, procacesque & interpolatrices manus immittere potuerint? Bellum profectò, bellum!

Certè Congregationum illarum Acta nulla esse non possunt. Quis etenim ita desipiat, ut dicat in tota decennali gravissimæ controversiæ tractatione nihil fuisse à Secretariis in publicas Tabulas relatum; nihil à Consultoribus, cæterisque Judicibus scripto traditum? Si ergo quæ proferuntur Acta, Prædicatoribus adstipulantia, conficta, supposititia, adulterata sunt, proferant quæ vera & indubitata esse velint. At est illa virorum istorum mira indoles, ut nulla quidem in sui gratiam Acta proferant, immò nulla hujusmodi scripta esse fa-
Supra §. 2. teantur; nec ea tamen admittere velint, quæ sola in hanc usque diem allata sunt: ob id certè, quod adversæ parti unicè faveant. Sed non ita illudi sibi patiuntur eruditi, satisque norunt tritas esse miserorum circulationes, qui ne victi videantur, compertissima quæque & in omnium oculis posita pertinaciter negant.

Levi illâ adversùs Congregationum Acta in universum præmissâ velitatione,

tione, conceptam Bullæ Pontificiæ ideam cumulatiùs aggreditur Leodiensis Epistolæ consarcinator. Qua de re ne plura dicamus hoc loco, vetat uberior hujus argumenti tractatio habita, lib. 4. cap. 15. 16. 17. 19. ubi nugatoris illius tricas & cavillationes occupavimus; ostendimusque velut ex digito, quam infeliciter in censendo calculum ponat. Superest unicum, quod hìc paulò distinctiùs exponamus, ne quæ fortè nubecula cœlum obnubilet. Agedum, acuti criterii homo, quid tibi tuus adversùs Diploma delineatum Mercurius aspiraverit liberè proferas. *Dici nequit* (inquit paginâ 14) *Diploma Pontificium jubente Paulo V. instructum esse. Ubinam enim quidquam ejusmodi ab eo mandatum invenire liceat? Id quidem Prædicatores affirmant; at diffitentur Jesuitæ, aiuntque Paulum V. prædeterminationem physicam dubio procul damnaturum fuisse, si quod Diploma Pontificium edidisset. Quibusnam ergo præstanda fides?* Iis profectò præstanda, iis sine controversiâ assentiendum, qui quod aiunt, productis instrumentis evincunt, non qui pro arbitrio fabulantur & garriunt. Porrò adumbratæ Bullæ Pontificiæ exemplar, nedum ex Secretarii Commentariis erutum produnt Prædicatores; verùm etiam illud ipsum mandante semel & iterum Paulo V. instructum ostendunt. * Rescriptum Pontificium ex integro dedimus lib. 4. cap. 15. cujus pauca ista hoc loco sufficiant: *Di piu noti il modo, che li parera si deve tenere, in formar la Bolla ò Constitutione, che s'haverà dà fare, & in particolare se nella narrativa s'havera da far mentione d'authori che habbino stampati libri in questa materia, se delle due Religioni de S. Domenico, e Giesuiti; e di quel piu che li occorrerà d'avertire e ricordare.* Hoc est: *Notet insuper methodum, quam putabit observandam in Bulla, quæ instituenda erit, seu Apostolica Constitutione. Et peculiariter, An in Præfatione fieri debeat mentio Doctorum, qui de hoc argumento libros ediderunt, & utriusque Ordinis S. Dominici & Societatis; & quæcunque existimabit digna quæ observentur.* Quare sponte sua concidunt vitilitigationes omnes ac tricæ, quibus probandum sibi sumit Leodiensis Scriba, certum tempus definiri non posse, quo quidquam de instruendo Diplomate jusserit Paulus V. Bis illud ab eo jussum diximus loco laudato: primùm quidem post habitam Congregationem die 8. Martii 1606. ubi universi Cardinales (Bellarmino Jesuitâ, & Perronio Henrici IV. Oratore duntaxat exceptis) causam solenni judicio definiendam pronuntiaverant: atque id quidem generatim omnibus Consultoribus jussum, ut latas Censuras ad certa capita reducerent, & instruendi Pontificii Diplomatis methodum delinearent. Postmodùm idem ipsum duobus Archiepiscopis & Secretariis distinctè mandatum die 23. Novembris 1606. ut collatis secum studiis Bullam ederent. Suam igitur ludit operam novus monitor, dum omnes exilis ingenii nervos intendit in spurii, ut putat, operis fabricatore detegendo. Hoc illum levavimus onere, ne figmentis figmenta superstruat, novóque absurditatis genere, Diplomatis specimen in quo de Clementis VIII. obitu, deque Pauli V. primis in Apostolica Sede laboribus sermo venit, anno 1600. fabricatum obtrudat.

* *Immò sunt qui ferè vices commemoratum Pontificis Mandatum afferunt: quod olim forsan discutiendum veniet.*

At fluctuabat, inquit, animo Paulus V. solutis etiam Congregationibus; quo tempore Diploma Pontificium meditatus dicitur: Concilii quippe Tridentini Commentarios, ad quæstiones de divina gratia spectantes, Cardinali Perronio evolvendos tradi jussit initio Mensis Julii, ut is suâ ad Henricum IV. Epistolâ fidem facit. Fluctuasse tunc Paulum negamus omninò: nec enim quòd eos Tridentinæ Synodi Commentarios Perronio tradi jusserit, fluctuantis animi indicium est, sed prudentis & cauti; ne quid minùs discussum, minùs elaboratum obtendi posset. Suspicari quippe pronum est, Perronium, cui non alius tunc, nisi Jesuitis adfavendi & declinandi judicii Apostolici animus erat, (sic enim in mandatis habuerat) difficultatem aliquam scrupulumve, *Pag. 15.*

ve ex Tridentino Concilio Pontifici optimo injecisse, ut interim moras necteret; cui ut indulgeret optimus Pater, eos illi Commentarios tradi voluit. Cæterùm nihil hæc Pontificem commovisse, nihilque à studioso Cardinali tandem inventum, quod meditatam definitionem morari posset, inde liquet, quòd post transactos circiter menses quinque, qui evolvendis Synodi Commentariis satis erant, Diploma Pontificium à duobus Archiepiscopis ac Secretariis conflari jusserit: sic ut de Molina penitùs actum fuisset, nisi intercedentes occasione Veneti Interdicti politicæ rationes obfuissent. Qua de re suo loco diximus.

Quàm verò turpiter Scriba Leodiensis hallucinetur, dum Concellitis suis persuasum ait, *Paulum V. prædeterminationem physicam dubio procul damnaturum fuisse, si quod Diploma Pontificium edidisset*, cumulatè satis ostendimus sub Historiæ finem. Ubi illos, usque adeo de lata in Molinam suum à Paulo V. damnatione sibi malè conscios demonstravimus, ut quoties de petenda meditatæ definitionis promulgatione tractatum est, pedem toties retulerint. Ita scilicet illos damnati Molinæ conscientia mordet! Quanquàm etsi quod ait ille, persuasum Jesuitis esset, crudâ nimis ac jejunâ persuasione alerentur; repugnantibus scilicet universis tractatæ causæ præjudiciis.

Pag 26 Non absimili cavillandi prurigine Autographum Canonum damnandæ doctrinæ, vellicandum sibi sumit Pseudo-criticus noster; Canonum, inquam, quos Paulus V. solutis tandem Congregationibus, ex variis anteactorum judiciorum Censuris, à Consultoribus edi voluit. Hoc nos in Coronelli tabulis legimus, quatuordecim pagellis comprehensum, propriis Consultorum Chirographis obsignatum, ut in Appendice repræsentamus: cujus authentiam nemo qui viderit, nemo qui legerit, vertet in dubium. Jam quid in eo omnium absolutissimo Autographo cavillari libuerit Censori nostro, paulò distinctiùs observemus. (Num. XXIII. Pag. 203.)

Pag. 26. *Constat*, inquit ille, *ex ipsa Societatis hostium confessione, Paulum V. post solutas statim Congregationes, Censoribus jussisse, ut sua singuli judicia scripto mandarent; eaque sigillo obsignata sibi traderent: quod & illi mense Julio anni 1607. exsecuti sunt. Quâ ergo ratione inventum in Coronelli Commentariis horum judiciorum Autographum dici potest?* Potest planè, ac citra miraculum: modò scilicet supponamus, quod ipsa rei ratio satis postulat; Paulum scilicet, acceptis lectisque Censorum judiciis, eorum tandem Autographum, in publicis Congregationis tabulis reponendum Secretario dedisse. An non id, amabo, diligentia Pontificis postulabat, ne Autographa lapsu temporis exciderent, præcipuaque gravissimæ Controversiæ documenta perirent? At ne illo quidem ad confutandam nugacem argutiam responso egemus, per se licet satis obvio. Fallitur quippe incautus cavillator, seque in hacce Auxiliorum Historia minùs decoctum ostendit, dum Censorum judicia statim solutis Congregationibus sub sigillo Pontifici data, cum damnandæ doctrinæ Canonibus, quatuordecim pagellis in Autographo comprehensis promiscuè confundit, ut nodum in scirpo quærat. Sunt hæc enimverò inter se planè distincta, ac distinctis post solutas Congregationes temporibus elaborata, uti libro IV. Cap. 15. cumulatiùs scripsimus. Legat qui Scriptoris cespitationem nosse velit.

Neque verò se acutioris criterii, aut integrioris fidei virum dedit, dum doctissimos viros, Ludovicum à sancto Amore, & Joannem Mabillonium, in eo exscribendo Autographo minùs consentientes observat, vertitque ludibrio.

Pag. 27. *Dominus à sancto Amore*, ait ille, *hujusce Censuræ Autographum, & Consultorum Chirographa, Romæ se vidisse ait, & ad hujus instrumenti fidem, transumtum manu propriâ exscripsisse, quod ad Diarii sui calcem typis edidit. Profitetur similiter P. Mabillonius, in Musæo Italico tomo I. pag.* 93.

93. *Romæ se in Augustiniensium Bibliotheca vidisse omnia Acta autographa Congregationis de Auxiliis. Atque idcirco uterque ex æquo putat, visum à se Censuræ, de qua hic agitur, autographum instrumentum. Constat nihilominùs non unum idemque ab utroque scriptum inspectum esse. Etenim juxta transumtum D. à S. Amore, Julius Sanctutius Episcopus Agathensis quinquies damnandis propositionibus subscripsisse legitur: at juxta Mabillonii exemplar, duodecies subscripsisse perhibetur. Juxta transumtum Domini à Sancto Amore, Dominus Bossutius duodecies subscripsit, ordine ultimus: è contra, juxta Mabillonii exemplar, idem ille Bossutius ante P. Plumbinum & P. Coronellum Augustinianum perpetuò subscripsit. Non eæ porro aberrationes illæ sunt ac dissonantiæ, quæ Scribis oscitantibus casu accidant: ac satis idcirco evincunt, non unum idemque à Domino à S. Amore & P. Mabillonio inspectum Censuræ hujus instrumentum. Uterque tamen visum à se autographum existimavit: alterutrum ergo eo in capite delusum fateri necessum est. Sed & jam demonstrabo, utrumque perinde delusum esse.*

Siccine viros eruditos speciosæ dissonantiæ obtentu ludere libuit, ut lectoribus nimium credulis illuderetur? Mabillonium (ut de altero, suâ etiam laude digno, nihil dicam hic) novit litterarius orbis Virum, si quis unquam, in dispungendis codicibus manuscriptis emunctæ naris; cui detritas & interpolatas merces pro genuinis venditare impossibile sit. Is visa à se, Romæ dum degeret, *Omnia Acta Autographa Congregationis de Auxiliis, sub Clemente VIII. & Paulo V.* profitetur, in Musæo Italico; quod vel unum, causæ quam hic agimus conficiendæ satis esset. Quis etenim experientissimo manuscriptorum codicum Cognitori, ab omni partium affectu soluto, fidem abneget? Negat Monitor. Mabillonium unà cum Doctore clarissimo delusum ait; nihilque hujusmodi quidquam à Consultoribus scriptum obtendit, quòd minùs inter se se amborum transumta consentiant. Pessimæ fidei coram Orbe litterario te postulo, Scriba confidentissime: Mabillonio audacter imponis, affingis quod nusquam illi venit in mentem. Ubinam tot librorum & operum, quibus Rempublicam litterariam ditavit Vir meritissimus, tuam illam quatuordecim pagellarum Censuram, ex integro relatam invenisti, ut illum cum Doctore Santamorio committeres, & utrumque speciosis subscriptionum antilogiis ac dissonantiis turpiter luderes? Mabillonium ad hujusce Epistolaris rapsodiæ laciniam non mediocriter obstupuisse scimus, dum hæc illi die 2. Novembris, ab amico Parisiis exhiberetur. Nihil à se ex Actis, quæ Romæ viderat, Congregationis Auxiliorum, aut vulgatum uspiam, aut etiam Romæ transcriptum contestatus est. Meditatæ dumtaxat Bullæ Pontificiæ Pauli V. exemplar à se descriptum affirmavit, cujus tamen nuspiam suorum Operum mentionem ingesserit. Quis itaque non miretur, eò usque publici Scribæ fiduciam devenisse, ut & magni nominis Viro, & publicæ fidei tam audacter imponeret?

Tom. 1. pag. 93.

Mabillonio adjungendus Cardinalis de Noris, qui Acta omnia à se lecta profitetur, in Vindiciis Aug. cap. 6. vide infrà §. 8.

1698.

Sed nec minùs hoc loco notanda venit tricandi libido, dum nullum hujusce quatuordecim pagellarum Censuræ Autographum probat esse, quòd in aliquibus fortasse minutiis, duo Virorum illustrium transumta dissentirent: quasi qui libros de Civitate Dei, aut si fortè mavis, contra Julianum, ab Augustino nusquam elaboratos effutiret, quòd in illis exscribendis Amanuenses nonnullis in voculis aberrassent. Ecquid enim, amabo, referret, si Julium Sanctutium Episcopum Agathensem, quinquies tantùm scribentem referret unus, duodecies alter? Si Bossutium ante Plumbinum & Coronellum notaret ille, iste postponeret? Si Episcopum Bitontinum, Hieronymum Pallantierum vocaret ille, iste Hieronymum Pallantum, contractâ scilicet scriptione? Essent hæc profectò Amanuensium, quibus ad exscribendum usi fuissent, leviores

res aberrationes, seu etiam nugæ, quæ nihil Autographum læderent; nec nisi a professo vitilitigatore, ad minuendam primigenii Codicis fidem, obtrudi possent. Nos quidem, in ipso quod Romæ legimus & exscripsimus Censorum Autographo, Episcopum Agathensem quinque dumtaxat prioribus vicibus subscriptum observavimus: nec mirum, cùm die 8. Novembris, quâ quinta hujus examinis Congregatio fuit, eâ ægritudine detineri cœperit, quâ paulò posteà sublatus est. Bossutii Chirographum, extremum ubique locum obtinet. Bitontinus Episcopus, quandoque Pallantier, quod illi vernaculum nomen erat, sæpiùs Pallantierus, latini idiomatis æmulatione, subscribitur. Quæ omnia in subjecto ad calcem Historiæ nostræ transumpto, scrupulosiùs æmulati sumus.

In Appendice num. XIII. pag. 103.

Gravioris profectò momenti videri posset, quod tertio ac quarto loco ponit Leodiensis Scriba, si facti veritate niteretur, nec suis ipse perspiciliis lusus esset. "Archiepiscopus Armachanus, ait ille, nec non Joannes Baptista "Plumbinus, duodecies hoc in codice Molinæ damnationi subscribunt: cùm "è contra, prior, si Coronelli compendio promulgato, ac Francisci Pegnæ Dia-"rio fides est, in omnibus pene congressibus, à reliquis Molinæ Censoribus "dissenserit; ac damnandarum etiam propositionum Cathalogo, à Secretariis "tandem digesto subscribere renuerit, ut ex ejus ad Paulum V. Epistola no-"tum est: alter Censoris munus non obiret sub Paulo V. aut certè eos inter "à Coronello & Pegna minimè numerentur." Verùm aberrat toto cælo, falliturque turpiter, dum hæc scribit. Archiepiscopum Armachanum, constanter, ubique, ac semper Molinæ Censoribus consensisse, clamant universa Congregationum Acta toto passim libro III. & IV. à nobis deflorata atque laudata: clamant Coronelli Compendium, & Francisci Pegnæ diarium, quorum ille fidem appellat; ubi Episcopus dumtaxat Aquilanus, & Bovius Carmelitarum Regens, quandoque etiam Procurator Augustinianus, à cæteris Censoribus dissentientes adnotantur. At suis perspiciliis delusus Leodius explorator, ac vanis præjudiciis obcæcatus, Archiepiscopum Armachanum, loco Episcopi Aquilani legit, ex oscitantia; aut ambos in unum promiscuè confudit, ut suam commodiùs fabulam luderet. Legat pervulgatum Coronelli Compendium, quisquis stupendam critici nostri cespitationem experiri velit.

Pag. 28. & 30.

Neque verò digesto ab Secretariis damnandarum propositionum catalogo subscribere renuit Illustrissimus Armachanus, quòd Molinam absolvendum existimaret; cùm & ipse prolixum etiam damnandarum propositionum Elenchum, ab altero sola methodo atque ordine diversum elaborârit, & ad Paulum V. unà cum Epistola in objectione laudata transmiserit: sed quòd servatam à se in ordinandis propositionibus methodum probaret magis, uti libro IV. Cap. 15. videre licet. Nec satis ab insignis fallaciæ culpa vindicari potest Pseudocriticus noster, qui Illustrissimi Archipræsulis ad Paulum V. Epistolam (quâ se digesto à Secretariis propositionum catalogo subscriptionem negasse admonebat) ex integro protulit, ut illum eo fuco Molinæ Patronis adnumeraret; damnandarum verò Molinæ propositionum Elenchum simul cum Epistola transmissum, alto silentio pressit, ut illuderet; neve Molinam suum à meritissimo Viro damnatum proderet, à quo illum absolutum commentus erat. At nihil illi studiosa taciturnitas profuit: cùm hac ipsa in Epistola erroneas Molinæ propositiones, à seipso digestas, transmissasque palàm innuat. En Epistolæ verba, ut exstat in Actis.

BEATISSIME PATER.

Transmitto ad Sanctitatem Vestram Capitula illa, quæ etiam ex judicio Congregationis sanam & Catholicam de viribus liberi Arbitrii & Auxiliis Gratiæ

Gratiæ Dei doctrinam continent. Adjungo propositiones continentes de eodem argumento erroneas assertiones, prout in Congregatione visæ revisæ, lectæ relectæ, & diversis vicibus sunt correctæ. Quod autem noluerim subscribere propositionibus sic digestis, prout eas Sanctitati Vestræ præsentabit R. Pater Secretarius, præcipua eaque prægnans valde ratio est, quòd cùm in iis extra Congregationem, saltem me non præsente, aliquæ sint mutatæ, aliæ additæ; ex iis, quæ sunt mutatæ atque additæ, quædam sunt, quæ (si quid valet judicium meum) Doctoribus extra Congregationem hanc Theologis, nec satisfactionem adferent, nec ferre poterunt oppositionem, si contingat circa ipsas fieri. Ut demantur aliquæ propositiones, non repugno; modò non sint ex principalioribus: immò, pro judicio meo, possent ac deberent compendiosiùs ordinari, cujus rei formam aliquam postremo loco hìc subjicio, cum osculo pedum Sanctitatis Vestræ. Devotissima & humillima ejus Creatura, Petrus Lombardus Archiepiscopus Armachanus.

Jam Plumbinum quod attinet, fuisse illum sub Pauli V. Pontificatu Consultoris officio functum, æquè constat. Ejus identidem in Actis illorum temporum nomen occurrit; suffragia ab illo lata distinctè plerumque memorat Coronellus; ut planè mirari liceat recentioris vitilitigatoris dicacitatem, qui rem omnium compertissimam, ac in ipsa solis luce positam, pro ingenita nugandi libidine vertat in dubium.

Foret hìc de pervulgato Coronelli Compendio dicendi locus, quod is non alia de causa spurium putat, quàm quòd præconceptis Sociorum de Molinianæ causæ merito fabellis ac nugis contrarium norit. Verùm quia eas toto passim opere fabulas aggressi sumus, certisque probavimus documentis, quantum ipsi ea parte fallantur & fallant, actum reagere non est opus. Circumferuntur hujusce Compendii Editiones plures, quorum exemplaria nonnulla ad Autographi fidem recognovit ac suo etiam chirographo communivit Angelicæ Bibliothecæ Præfectus. Unum addam, nec addidisse pigebit, Romæ, ubi inspici Tabulæ possunt, exsibilatum iri, quisquis Coronelli Compendium, aliave Censorum scripta judicia, pro spuriis atque confictis instrumentis haberi vellet. Hinc Vir clarissimus Libertus Hennebellus, Lovaniensis Academiæ Doctor Theologus, & ad Sedem Apostolicam Deputatus, in sua Paralleli Confutatione, quam Romæ supremis fidei Quæsitoribus obtulit, Censuras Belgicas, magno in Auxiliorum Congregationibus pretio habitas ostensurus, testes ipsos æmulorum oculos appellat. Cui sanè minùs tutum erat, in facto quod & contrectari manibus, & lustrari oculis poterat, ad ipsa sensuum testimonia provocare, coram ipsis supremis causæ Judicibus, atque ubi indictum experimentum fieri commodè posset, si quid eâ parte dubii foret. *Immò verò*, inquit, *quod rei caput est, coram Paulo V. & gravissimo selectorum Cardinalium Consultorumque Consessu, P. Gregorius Nunnius Coronellus, Ordinis S. Augustini, Secretarius Congregationum de Auxiliis, jussus compendio referre ea, quæ sub Clemente VIII. gesta erant, sciensque quo in pretio semper fuisset Censura Lovaniensis apud Patres Congregationum sub Clemente VIII. habitarum, in ipso Relationis exordio palàm dixit, Doctores Facultatis Lovaniensis ad unam & triginta Professorum Societatis propositiones dignam adhibuisse Censuram. Exstat prorsus integra hæc Relatio in Bibliotheca Angelica de Urbe ad S. Augustinum, unà cum votis plurium Consultorum, qui eandem pariter prædicârunt. Nolim mihi quis hac in parte credat, sed oculis saltem suis illa legentibus in prædicta Bibliotheca Angelica credere dignetur.*

Pag. 38. 39.

Lege supra §. 4.

Exstat in Appendice. Num. XIX.

Sed de Nunnio Coronello, uti & de Francisco Pegna, de Thoma de Lemos, ac de Innocentii X. Decreto, distinctis Paragraphis agemus, ut Critici Leodiensis cavillationes cumulatiùs exagitemus.

PARAGRAPHUS SEPTIMUS.

De Card. Ludovico Madrutio ejusque M SS. Item de Petro Lombardo Archiepiscopo Armachano, & Hieronymo Baptista de la Nuza Episcopo &c.

LUDOVICUS MADRUTIUS, Christophori Madrutii ex Fratre Nepos, Tridentinus Episcopus fuit, quo tempore Concilium ibidem habebatur. Quantâ apud Patres omnes existimatione fuerit, ex Cardinalis Palavicini Historia notum est. Partes plurimas habuit ad resarciendam Ecclesiæ disciplinam, sacrosque condendos Canones. A Pio IV. ob eximia pietatis & doctrinæ merita Cardinalis creatus, publicas Concilii acclamationes obtinuit, cujus Decretis ac definitionibus ultimò subscripsit. Ter in Germaniam pro fidei rebus legatus est, secundo semper exitu. Pater pauperum vulgò dictus, quos statis diebus commensales excipiebat. A Clemente VIII. ob plenissimam doctrinæ in Concilio Tridentino agitatæ cognitionem primus Auxiliorum controversiæ Cognitor datus, munus obiit pari eruditione ac diligentiâ. Tentatæ Prædicatores inter ac Jesuitas amicæ compositionis sedit Arbiter: de qua cùm demum coram Summo Pontifice dicturus esset, præcipite morte sublatus est die 20. Aprilis 1600.

Excerpta quædam habentur in Appendice Num. VIII. pag. 133.

Codices manuscriptos, quibus suam de Prædicatorum ac Jesuitarum opinionibus sententiam consignavit, Clementi VIII. moriens tradi jussit; quos ille tantâ existimatione habuit, ut ad maturandam Molinæ damnationem illorum præsertim lectione fuerit incitatus. Causam enim Prædicatoribus adjudicabant; eòque majorem apud eruditos omnes autoritatem obtinebant, quòd à Viro editi essent, qui tantas in Concilio Tridentino partes habuerat, ubi affines admodùm controversiæ tractabantur.

Exstant in Angelica Augustiniensium Bibliotheca cum hac Coronelli Secretarii prænotatione: *Hæc omnia Scripta spectant ad causam Controversiæ exortæ inter PP. Dominicanos & Patres Societatis. Ex quibus facilè potest constare, quod fuerit hac de re judicium Illustrissimi & Reverendissimi Domini S. R. E. Cardinalis Ludovici Madrutii.*

DE PETRO LOMBARDO pauca hæc habemus in Fastis Academicis studii generalis Lovaniensis Authore Valerio Andrea Lovanii denuò editis à 1650. p. 130. "PROMOTIO ANNI 1594. II. KAL. SEPTEMBR. "Petrus Lombardus "Hibernus, Primus in Schola Artium anno 1575. Post Præpositus Ecclesiæ "Cathedralis Cameracensis & Archiepiscopus Armachanus, totiusque Hiberniæ Primas Romæ anno 1601. electus, & in virtute obedientiæ munus illud suscipere coactus. Moritur ibidem circa annum 1624. Scripsit de Regno Hiberniæ, Sanctorum Insula, Commentarium, à morte Autoris evulgatum Lovanii a. 1632. in 4.

Scripta duo ab eo exarata huic volumini inseruntur: Unum, in quo præmissâ errorum circa gratiam narratione, definiendæ controversiæ necessitatem urget; estque in Appendice numero XII. pag. 178. Alterum est, adumbrata Bullæ delineatio, quæ numero XIV. habetur pag. 214.

DE HIERONYMO BAPTISTA DE LA NUZA, cujus calamo exarati libelli duo supplices exhibentur num. V. pag. 55. & num. XVI. hæc habe. Is natus in Arragoniæ oppido Ixar dicto, parentibus Michaele-Baptista de Sessan & Catharina de la Nuza, Ordini FF. Prædicatorum juvenis admodùm se addixit. In eo Theologiam docuit Cæsar-augustæ, præcipuaque obiit munera. Provincialem Magistratum secundò gerebat anno 1616. cum ad Balbastrensem Episcopatum evectus est, à quo ad Albarracinensem translatus an. 1622. vivere desiit a. 1625. Cætera continet Elogium quo illum decoravit Capitulum generale Ordinis FF. Prædicatorum, quodque illius Homiliis præfigitur.

ELO-

ELOGIUM VITÆ, MORTIS, DONORUM,

Ac virtutum heroicarum venerabilis Præsulis Hieronymi Baptistæ De la Nuza, Romæ impressum cum licentia SS. D. N. Urbani VIII.

In Actibus Capituli generalis, quod ibidem celebravit S. Prædicatorum Religio 2. Junii anno Verbi Incarnati 1629. ad faciendam electionem Reverendissimi sui Generalis M. F. Nicolai Rodulphii: quod sic habet.

IN Provincia Aragoniæ obiit Albarracini Reverendissimus Dominus Frater HIERONYMUS BAPTISTA DE LA NUZA, Episcopus Balbastrensis & Albarracinensis, Filius Conventus Valentini, qui in omni vita sua Constitutiones Ordinis ad unguem servavit; jejuniis, catenisque ferreis carnem maceravit; orationi, & sacræ lectioni quotidiè vacavit; prophetico spiritu claruit; secreta cordium, multorumque statum in Purgatorio, egressumque ab eo cognovit. Dono sapientiæ & intellectus in sacris præcipuè Scripturis exponendis divinitus (Sancti Ludovici Bertrandi ejus Magistri testimonio) eximiè præditus fuit; quod ejus opera præclarè demonstrant. Quinquaginta annis in prædicationis munere consumtis, non semel facie splendidus apparuit: paupertatem in Episcopatu summoperè coluit omnibus suis usque ad proprium lectum pauperibus erogatis, Sanctorum Episcoporum æmulator; ab omni lethali labe immunis, Confessario teste: septuagenarius in magna sanctitatis opinione ex hac luce migravit.

PARAGRAPHUS OCTAVUS.

De Gregorio Coronello, ejusque MSS.

GRegorius Nunnius Coronellus, Ordinis S. Augustini à Clemente VIII. Congregationis Auxiliorum primus Secretarius institutus, omnes difficillimi officii partes tantâ eruditione, diligentiâ, fide obiit, ut communi appellatione Sacrorum Comitiorum Genium vocaretur. Qualis ille fuerit, ex Augustiniani Ordinis monumentis discimus. In Lusitania Sacris Litteris excultus, Sacræ Theologiæ Doctor nobilis, plenus meritis & integerrimæ vitæ fuit. Magnus in primis inter suos; quorum statu immutato, in Gallias recessit, factusque est Concionator Ducis Sabaudiæ. Deinde Romam vocatus, ibidem multis annis Theologiam professus, & Clementi VIII. carus, ab eodem in Congregationis de Auxiliis Secretarium & Consultorem assumtus, & in Theologorum de qualificandis, ut aiunt, Propositionibus album adscriptus fuit. A Paulo V. anno 1607. Episcopus Castellanensis & Hortensis electus, dignitatem omni submissione & modestiâ recusavit, inquiens in tali ætate, quâ sexagesimum annum attigerat, non esse tempus onera suscipiendi, sed deponendi, dum ad mortis fossam transiliendam se compararet. Variis Scriptis typis editis Rempublicam litterariam locupletavit.

Congregationum Acta universa, Disputationes, Judicia, Censuras digessit, pro Secretarii debito. Privatas etiam de quæstionibus ibidem controversis tractationes elucubravit; quibus ut Consultoris officium postulabat, sententiam dixit. In colligendis verò disputationibus, coram Clemente VIII. & Paulo V. celebratis, tantam adhibuit diligentiam, ut experientissimos amanuenses conduxerit, qui eas festinanti calamo ex dicentium ac disputantium ore exciperent.

Gregorium Coronellum nemo hactenùs infamaverat, nemo illum & Societatis hostem, & in gerendo Secretarii munere minùs æquum commentus erat. Ipsis etiam confidentioribus hujus Historiæ Depravatoribus visum satis, si ne

victi meritissimi Viri suffragio viderentur, horum alterutrum responderent; vel nesciri certò posse, quid ille suis tabulis scriberet, vel illum Molinæ opinionibus adsfavisse. Verùm novissimus Leodiensis Epistolæ consarcinator, fossam audaciùs transiliit; suorumque Concellitarum responsa minùs probans, furit in Coronellum. *[Pag. 35. 36 37.]* Congregationum Commentarios, ejus nomine laudari solitos, nedum supposititios habet, (quam ob rem dignè pro suis meritis vapulat paragrapho sexto) sed & illum invidiâ, livore, odio in Societatem implacabili obreptum ait, qui suis etiam in obeundo Secretarii munere partibus minùs æquè fungeretur Quis ea convicia probet; ac non potiùs intelligat, cruda esse miserorum solatia, qui ne causâ excidisse videantur, Judices suos injuriis & calumniis occupant? Sed vide hujus Historiæ Depravatorum ingenium. Gregorium Coronellum Molinæ adsfavisse commenti fuerant quondam aliàs Petrus à S. Joseph Fuliensis, Paulus Leonardus, Christophorus Ortega: *[Pet à S. Jos. in suavi con disp. 4. sec. 4. Paul. Leon. 1. par. sect. 9. Ortega Cont. 3. disp. 1. qu. 4. cart. 3.]* ac tunc quidem erat ille, ipsorum judicio, Vir probus, partium affectu solutus: at ubi primùm intellexit Bellator novus, non adsfavisse re ipsa Coronellum, sed repugnasse, Virum illico suis titulis exuit: cœpit hac ipsa die Coronellus iniquus esse, studio adversæ partis occupatus, Societatis professus hostis. Sic nempe Virorum merita, dotes, mores, & omnia, pro arbitrio metiuntur.

Vis alia stateræ dolosæ argumenta? Dabit hæc ipsa quam aggredimur Auxiliorum Historia. Clarissimum Virum Franciscum Pegnam, Rotæ Romanæ Decanum, de quo nobis post Paragraphum iterum sermo erit, dignis omninò laudibus celebravit Vir è Societate primæ notæ Sebastianus Salelles, in Prolegomenis eruditi operis de Origine & progressu Tribunalium fidei. Ea scilicet ætate temporum scribebat ille, quâ necdum satis vulgatum erat Pegnæ Diarium; necdum satis notum, quid de hac celebri disputatione scripto reliquisset. Verùm ubi res in aperto fuit, nullum convicii genus fuit, quo non illum dehonestarint Moliniani hujus Historiæ Tractatores. Nil minùs anceps versatilisque fortuna fuit Thomæ Campanellæ, eorundem quidem laudatorum judicio. Quot illum conviciorum plaustris onerarit Theophilus Raynaudus in Diatribis, nemo nescit: *[§. 57.]* *Tametsi visus sit*, inquit audacissimus Aristarchus, *per aliquod tempus cymbalum mundi; tamen re verâ est ignorantissimus, ita ut ne ipsos quidem terminos, sive Philosophicos sive Theologicos intelligeret. Sententias autem invehit non modò à S. Thoma, sed etiam à sensu cujusvis sani hominis adeò abhorrentes, ut desipere potiùs videatur, quàm disserere. Hæreses crassæ in ejus libris tam multæ & tam inexcusabiles occurrunt, ut mirum sit adeò pinguem Scriptorem superioribus annis invenire potuisse laudatores.* Suos tamen habuit ante dies aliquot in Societate Laudatores, *[In supplici Monitione Archiepisc. Rhem. factâ anno 1697.]* *Celeberrimique* Theologi nomen meruit, qui de Thomisticis dogmatibus pronuntiaret; quo ex tempore visus illis est, physicam prædeterminationem impugnasse.

Sed absit, ut novellum Criminatorem vel momento dimittamus. Audi alterum, unde prudens criterium probes magis. Universa Congregationum istarum Acta, Censuras, Judicia, Documenta, eaque præsertim quæ Coronelli nomine circumferuntur, pro falsis ac supposititiis haberi vult; multisque cavillationibus hoc ipsum demonstrasse sibi videtur festivus homo: ac simul tamen Coronellum insectatur, uti Societatis professum hostem; qui multa suis Actibus scripserit, Jesuitis injuria, falsa commenta, quibus livorem suum palàm effuderit. Quid ergo? Si falsò Coronelli nomine supponuntur, cur Coronellum quòd multa in Societatem probra suis Actibus scripserit, insectatur? Mendaces cautos ac memores esse oportet, ne suis ipsi mendaciis implicentur. At divina vox est, falli nescia, *Mentitur iniquitas sibi.* Et quidem sicubi unquam, hic certè maximè sibi mentitur iniquitas; quæ eadem ipsa ratione falsitatis arguitur, quâ potissimùm niti voluit. Coronellum enim adverso

in

in Societatem animo occupatum ostensurus ineptissimus Zoilus, sic suæ præludit fabulæ: *Coronel étoit desia prevenu contre la doctrine de Molina: il s'en étoit hautement declaré en Portugal.* Hoc est: *Adversùs Molinæ doctrinam in antecessum occupatus erat Coronellus; suaque in illum præjudicia palàm in Lusitania prodiderat.* At tantum abest, ut quidquam ille adversùs Molinam in Lusitania pronuntiasset, dum prima in illum tempestas sæviit: (*Phil. Elss. Encomia August.*) quin potiùs certo certius est, procul illum à Lusitania tunc fuisse. Consentiunt quippe Augustiniensium Annales, cæterique qui de hujus Ordinis Viris Illustribus scribunt, Coronellum relictâ patriâ in Gallias recessisse, quo tempore Lusitaniæ status immutatus est, seu dum sublato Henrico Rege, Philippus II. Hispaniæ Rex Lusitaniam occupavit: tum inde Romam vocatum, inter hujusce controversiæ Judices consedisse. Porrò quo tempore Lusitaniæ Regnum ad Hispanos translatum est, anno nempe 1580. nondum erat in Molinam excitatus turbo, nulla in Hispania aut Lusitania quæstio mota; immò necdum cusus typisque mandatus CONCORDIÆ liber, de quo tota discordia fuit. Qua ergo, amabo, forte de Molinæ doctrina in antecessum præjudicaverat Coronellus, suaque in illum præjudicia palàm in Lusitania prodiderat?

Plura adderem si foret opus ad meritissimi Secretarii famam ab injuria vindicandam: at calumniis superior est religiosissimi Viri virtus: nemoque audaciori Leodiensi non indignabitur; qui ea in illum probra exspuit, quæ in ipsam etiam Apostolicam Sedem, totamque Congregationem facilè recidant. Ecquis enim Coronellum à Clemente VIII. in Consultorem ac Secretarium Congregationum, idcircò maximè adlectum audiat, quòd in Molinam occupatus esset; (*Pag. 38. Epist.*) nec illicò læsam eo scommate Pontificis Majestatem agnoscat? Quis Coronellum Congregationis Censuras ex præconcepto in Societatem odio elucubrasse, elaborasse, recudisse audiat; nec statim eo probro universam Congregationem, cujus ille Decreta ac jussa exsequebatur, infamatam intelligat? Quàm meritò ergo hæc in æmulum obtrectatorem, Augustini in Julianum verba regereret doctissimus æquè ac piissimus Coronellus! *Cernis cum quibus tua maledicta sustineam? Cernis cum quibus mihi sit causa communis, quam* (*Lib. 1. con. Jul. cap. 4.*) *nulla consideratione propriâ pulsare calumniis, & expugnare conaris? Cernis quàm tibi perniciosum sit, tam horribile crimen objicere talibus, & quàm mihi gloriosum sit, quodlibet crimen audire cum talibus? Si cernis, cerne, & tandem tace: Pelagianam linguam tot linguis catholicis deprime; tot venerandis oribus proterva ora submitte.*

Manuscriptos Coronelli Codices universos, quorum asserendæ authentiæ sextum Paragraphum consecravimus, à se lectos testatur Eminentissimus Cardinalis de Noris: cujus unius testimonio, nulla licet alia suppeterent, quorumcunque obtrectatorum, qui fidem derogare pertinaciter velint, audacia fracta est. *De Actis*, inquit, *plus fortè cæteris meliora dicere possem; cùm legerim omnia manuscripta Gregorii Nunnii Coronel, Augustiniani Lusitani, qui memoratorum Congregationum fuit à secretis: sed pio silentio religioni lito.* In Vindiciis Augustinianis Capite sexto.

Animus fuerat Appendici inserere *Brevem illam Coronelli Actorum Enarrationem*, de qua sermonem feci in §. 6. Etsi enim Enarratio illa typis primùm mandata fuerit anno 1687. cum Gallico Historiæ Congregationis compendio, & iterum in volumine 11. Gallici Operis, cui titulus: *Traditio Ecclesiæ Romanæ de Prædestinatione SS. & Gratia per se efficaci*, nihilominus opportunum videbatur occasione prolixioris Historiæ Congregationum illam denuò excudere, sat multis mendis quibus scatebat expurgatam. Addebat animos novum quod nuper accessit testimonium integritatis & authentiæ preclaræ istius Actorum partis, quo R.P. Carolus Riccius, Angelicæ Augustinianorum Romanorum Bibliothecæ Custos scientissimus, fidem facit, exemplar illius editum concor-

dare

dare per omnia cum originali Codice Gregorii Coronel, quod in illa Bibliotheca diligenter asservatur, cum quo accuratissimè contulit exemplar editum, emendavitque laudatus Bibliothecarius in gratiam Viri magnæ apud Romanos Proceres autoritatis, qui mecum illud unà cum authentico testimonio pro sua humanitate communicavit.

Sed ut cœptum istud consilium posteà repudiarem in causa fuit, quòd in hac Historia nihil penè omissum sit eorum, quæ illâ Enarratione continentur. Duo sunt enim quæ in illa prolixiùs referuntur. Primum est, Examen Quartum viginti Propositionum Molinæ, quod more Rotali haberi cœpit 25. Januarii 1601. post mortem Cardinalis Madrutii apud Cariathensem, & posteà apud S. Agathæ Episcopum, cum judicio Congregationis. Alterum est, Examen Quintum, quod coram Pontifice Clemente VIII. celebratum est anno 1602. At viginti Propositiones & judicium de unaquaque illarum sancitum à Congregatione totidem omninò verbis referuntur in libro III. à Capite XIII. usque ad XX. Ad alterum verò quod spectat, Propositiones Molinæ eædem prorsus habentur in libro III. Historiæ ac in Compendio. Quoniam verò judicia de iisdem lata aliis nonnunquam verbis referuntur in Brevi Enarratione, ne quid Lector subtractum sibi quereretur, judicia illa ex Coronelli Compendio excerpta attexuimus, & margini inscripsimus ad latus eorum quæ idem Coronellus in Acta integra transcripserat. Porrò brevis illa dissonantia, quæ non in rebus, sed in verbis aut verborum ordine conspicitur, in variis ejusdem Coronelli Scriptis, & in aliorum de iisdem Congregationibus Commentariis, tam illorum fidem non minuit, ut potiùs augeat & confirmet: inde enim illud Coronelli à seipso discrimen oriri potuit, quòd Acta à se concinnata relegens & cum aliorum Diariis & Commentariis conferens, ab illis mutuatus est quæ fortè illi exciderant, vel aure fallente vel memoriâ. Ut ut sit, certus sit Lector eruditus, integrum se habere Coronelli Compendium huic Historiæ insertum, illudque ex collatione cum Originali accuratissimè emendatum: ita ut qui deinceps illius fidei & integritati detrahere ausus fuerit, omnibus se ridendum propinaturus sit.

Porrò testimonium Augustiniani Bibliothecarii sic se habet: *Infrascriptus fidem facio me de verbo ad verbum contulisse hunc libellum cum ipsis originalibus quæ exstant in Bibliotheca nostra Angelica S. P. Augustini de Urbe, & manu propriâ emendasse omnia & singula quæ à dictis originalibus in eo erant dissona, ipsumque hunc libellum mediante hâc correctione cum præfatis originalibus per omnia convenire. Dat. Romæ hac die 20. Februarii 1699. Magist.* F. CAROLUS RICCIUS *Augustinianus, Custos Angelicæ Bibliothecæ.*

PARAGRAPHUS NONUS.

De Jacabo Bossutio ejusque M SS.

BOssutii merita paucis complectitur Epitaphium, ejus Memoriæ incisum, Romæ in Ecclesia Minimorum Gallorum, ad Montem Pincium, extra cancellos Aræ Principis.

D. O. M.

Hic jacet Fr. Jacobus Le Bossu, origine Parisinus, Religiosus S. Benedicti, ex Cœnobio S. Dionysii in Francia, dignitate Sacerdos, gradu Doctor Sorbonæ, omnibus Pontificibus, sub quibus Romæ degit, carus; sed præsertim Clementi VIII. & Paulo V. propter munus Consultoris, ab eis illi impositum, in illa venerabili Congregatione, quæ de Auxiliis dicta est. Vixit annis 80. *Menses quatuor, dies duodecim. Obiit* 7. *Idus Junii, anno D.* 1626.

Is ab alio cognomine Monacho distinguendus, S. Dionysii tertiò Priore, qui anno 1570. mundo sublatus, Epitaphium in Claustro San-Dionysiano, ac sepulturam habuit. Ro-

Romam diu ante contenderat Jacobus le Bossu, quàm Auxiliorum Congregationes haberentur; quo videlicet tempore, sub Henrico III. intestino dissidio Gallia jactabatur.

In Consultorem adlectus à Clemente VIII. Academiæ Parisiensis nomen ac famam egregiè sustinuit; unà cum Ludovico de Creil, quem Schola Sorbonæ ad Sedem Apostolicam pro eadem Congregatione delegaverat. Scripsisse creditur Congregationum Diarium, cujus Autographum Romæ apud Fulienses servatum fuerit, donec illud hujus Ordinis Præpositus Generalis R. P. Goulu in Gallias deportavit. Incidit in invidas manus Patris à S. Joseph, Viri medullitùs Moliniani, à quo posteritati ereptum est. Hoc tamen de illo testimonium tulit in *Suavi Concordia* disp. 4. sect. 4. num. 4. *Apertè favet Dominicanis*: eàque idcirco ratione publicæ luci sublatum voluit, ne schola Thomistica, cui is admodùm adversus erat, Testis adeò locupletis suffragio frueretur.

Nonnulla ex eo Bossutii Diario petiisse videtur Autor *Quæstionis Theologicæ, Historicæ, & Juris Pontificii: Quæ fuerit mens Concilii Tridentini circa Gratiam efficacem & scientiam mediam?* quæ Venetiis primùm anno 1607. fertur edita, tum posteà Tholosæ 1644. procurante R. P. Antonino Reginaldo: cui proptereà à nonnullis adscripta est; nisi fortè ille ipse Quæstionis hujus verus est Autor; qui eam nihilominus, utì jam pridem Venetiis editam, non ut à se primùm elucubratam, certis de causis vulgari voluerit. Et quidem Quæstionem illam, ab Henao primùm in Mantissa ad Tractatum de scientia Media, tum deinde a Francisco Annato ad calcem Operis De Scientia Media impugnatam, novis Apologeticis Thesibus defendit Reginaldus. Hanc nos, ut ut est, in Appendice dabimus, uti brevem Auxiliorum Historiæ Analysim. In illa occurrent fortè minutiora quædam facta, quorum veritatem haud scio an satis perspectam Autor habuerit, sed quæ nec ad incudem revocare vacat, nec præstare animus est. *In Append. Num. XVII.*

Extant etiamnum ejusdem Bossutii Animadversiones in viginti quinque Propositiones Ludovici Molinæ, quas ille à Domno *Sancio à S. Catharina* Fuliensi, quo familiariter utebatur, rogatus elaboraverat; eidemque dono dederat moriens. Et illas quidem in Appendicem nostram conjicere animus tunc fuerat, cum primùm earum exemplar nanciscendi spem fecit amicorum unus. At consilium quod intenderam abjicere coëgit spissior Scripti moles. Hujus tamen particulam ad promulsidem exhibemus in Appendice, integrum Opus olim reddituri cum opportuna se dederit occasio. Quanquam nec integrum Opus vocare liceat, cum è viginti quinque Molinæ propositionibus, in quas Auctor animadvertere proposuerat, sexdecim solummodo discusserit, reliquas morte præventus intactas dimittere coactus. In Indice qui primus occurrit, totius fe. è Operis conspectus habetur. Tum viginti quinque propositiones Molinæ ex ejus libro decerptæ repræsentantur: ac consequenter duo prima Animadversionum Capita, quæ Historiam Congregationum propiùs attingunt.

Sed juvat huc transferre gallicum Autoris elogium latinè versum, quod Venerabilis Domnus Sancius à Sancta Catharina Animadversionum seu Autographo seu primo Apographo præfixit. Sic se habet.

„Dominus Le Bossu, Monachus Ordinis S. Benedicti in celeberrima S. „Dionysii Abbatia (prope Parisios) & Doctor Sorbonicus, postquam in Gallia „Christianæ Ecclesiæ res mirum in modum promovisset, cum verbi Divini præ„dicatione, tum omnigenis aliis pietatis charitatisque operibus, Romam se „contulit Clemente VIII. ad Ecclesiæ Romanæ clavum sedente, illicque com„moratus est annos circiter triginta quinque, hoc est, usque ad obitum, qui „illi contigit ante hos duos & ampliùs annos. *Gallicè habetur in Append. Num. XVIII.*

„Cùm Clementi VIII. ejus doctrina, animus, ac præclara merita innotuis„sent, illum in Consultorum Congregationis de Auxiliis numerum adscivit.

„Is

„Is semper Dominicanorum de Gratia sententiam secutus est, ac strenuè adversùs Jesuitas propugnavit. Pro eadem stetit pariter D. De Creil Consultorum ejusdem Congregationis & ipse unus.

„Mortuo Clemente Pontifice, de repetenda patria & suæ Professionis Domo seriò cogitavit Bossutius: at Romæ subsistere jussus est à Clementis Successore Paulo V, cui bene notus fuerat & magno in pretio habitus in iisdem illis Congregationibus: eumque ab omni Monasterium suum repetendi debito absolutum voluit Pontifex. Mox in eundem modicas pensiones contulit ex Beneficiorum nonnullorum proventibus decerpendas, & ad vitæ necessaria usui futuras; indultâ insuper facultate de bonis omnibus testamento pro nutu & arbitrio statuendi.

„Quidquid verè bonum est, id omne habebat ille in delitiis. De fide ac de Ecclesiæ veritate altè & magnificè sentiebat.....

„Romanis Congregationibus nonnullis ex officio intererat, in Consultorum numerum adlectus. Per multos annos spiritualem Monasterii Sanctæ Suzannæ administrationem gessit.

„Ab omnibus, qui illum intùs noverant ejusque frequenti usi fuerant consortio, singularis pietatis ac sanctimoniæ Vir habitus est.

„Tam intimo religionis ac pietatis sensu in rerum divinarum contemplatione afficiebatur, ut plerumque dum in sacris Templis preces fundebat, totus ille in lacrymas effunderetur.

„Licet octuagesimum ętatis annum attigisset, Quadragesimale tamen jejunium, aliaque ex Ecclesiæ vel Regulæ Monasticæ pręscripto indicta religiosè ac rigidè observabat, non secùs ac olim juvenis ac vegetus fecerat. Postremis etiam vitæ suæ annis Romanarum Stationum septem stadium pedes decurrere solebat, etsi quinque leucarum iter istud censeatur.

„Quotidie ad duodecimam noctis horam è lectulo surgebat, ut nocturno Breviarii officio defungeretur. Cilicio carnem domabat, sępe non exutus vestes nocturnum somnum capiebat; nonnunquam carnis ovorumque usu sibi interdicebat, & plures alias carnis macerationes octogenarius assumebat, quibus ex Monasterii ejusque vitę communis legibus immunem se habere poterat.

„Paucis ante mortem annis Opus de Gratia, hortante me ac suadente, elucubrandum suscepit, cui morte præventus coronidem imponere non potuit: & quia hujus Operis concinnandi Autor illi fueram, istud mihi cum cęteris suis schedis chartisque testamento legavit, significavitque sibi huic Scriptioni incumbenti animum fuisse illam Sorbonicæ Domûs Nomini inscribere ac nuncupare.

„Quidquid sibi bonorum temporalium morienti superfuit, id omne in pauperum jus usumque transcripsit ultimę suę voluntatis tabulis.

„Denique ut sanctè vixerat, ita sanctè diem ultimum Sacramentis Ecclesię munitus obiit die VII. Junii an. 1626. Priusquam sacro Eucharistię Viatico ad grandem ęternitatis viam percurrendam reficeretur, latino sermone ipsum Dominum in Sacramento pręsentem allocutus est, tam ardenti pietatis charitatisque affectu, tantoque fidei suę de hujus mysterii veritate ac sanctitate sensu, ut ipse largiter fleret, pręsentique cœtui copiosas exciret lacrymas.

Ad finem hujus Elogii hoc subnotatum est.

„Hæc scripta sunt à Domino Sancio à S. Catharina Congregationis Fuliensium Monacho."

PARA-

PARAGRAPHUS DECIMUS.

De Illustrissimo Pegna ejusque MSS.

Franciscus Pegna, Aragonius, ex oppido cui vulgo nomen *Villaroia de los Pinares*, in Academia Valentina S. Theologiæ ac Juris Utriusque Doctor est renuntiatus. A Philippo II. Rege Catholico Romæ Judex causarum Pontificiarum, seu Rotæ Auditor pro Corona Aragoniæ datus, eo munere summâ integritatis ac pietatis famâ functus est; ac demum Decani locum obtinuit. Canonicatum in Cæsaraugustana Ecclesia, tum Albarrazinensem Episcopatum recusavit: quam ob temperantiam opimis à Rege suo pensionibus auctus est. Maximâ apud Clementem VIII. & Paulum V. gratiâ & existimatione valuit; à quibus in gravissimis negotiis ad S. Inquisitionis Tribunal spectantibus consulebatur. Exstat ejus ad hujusmodi Consultationes Responsionum Volumen integrum manuscriptum. Judex Apostolicus datus est Actorum & Processuum SS. Didaci Complutensis, Hiacynti, Raymundi, Caroli Borromæi, Franciscæ Romanæ, ad canonicam illorum apotheosim promovendam. Causam Francisci Suares, de semine à Virgine Deipara in Christi Conceptione effuso, cum aliis Episcopis ac Censoribus judicavit. Controversias de Veneratione hominum mortuorum ante Ecclesiæ approbationem, cognovit cum Eminentissimis Cardinalibus de Monopoli & de Torres, aliisque meritissimis Cognitoribus ab Apostolica Sede datis. De propositionibus Joannis Baptistæ Catansariti, Italo-Græcorum Rheginorum Archiepiscopi, de Græcorum Ritibus, cum Cardinalibus Galamino & Asculano sententiam dixit. Hispaniarum Oratoribus apud Apostolicam Sedem, ac præsertim Duci de Sessa, quasi à manu ac studiis fuit.

Ex Did. Anton. Francés. Nicol. Ant. Jano Nicio Erith. Morerio.

Obiit Romæ anno ætatis suæ 72. hujus verò seculi duodecimo cadente. Ejus corpus, quemadmodùm testamento legavit, in Hispaniam translatum, sepultum fuit in patria, in sacro sacello, quod magnis sumptibus politiori arte elaborari, pretiosissimáque ex auro & argento supellectili ornari curaverat. Reliquit eruditionis suæ monumenta libros à se editos de rebus Theologicis, Canonicis, Historicis, & Asceticis: quorum elenchum habes in Bibliotheca Nicolai Antonii, & in Præfatione ad ejus Decisiones Rotales, quas Didacus Antonius Frances publicè juris fecit.

In causa Divinorum Auxiliorum partes habuit plurimas. Catholici Regis nomine coram Clemente VIII. & Paulo V. supplicavit pluries pro gravissimæ controversiæ definitione: eumque vicissim iidem Pontifices ad colloquium ea de re sæpiùs admittebant. Supremum Inquisitionis Matritensis Consilium, de universa hujus causæ tractatione, statis cujusque mensis diebus commonebat. Diarium Congregationum adornavit, cujus autographum vetustate exæsum in Archivio generali Ordinis Prædicatorum extremum cum tineis agonem agit. Varia tamen ex illo transumta ante annos quadraginta Notariorum chirographis communita, in varias Urbis & Galliæ Bibliothecas transmissa sunt.

Autographum hoc, unà cum aliis quatuor Collectaneorum voluminibus ad causam de Auxiliis spectantium, extremâ voluntate dedit Thomæ de Lemos. Servantur in eodem Archivio, cum hac Lemosii epigraphe illorum uni præfixa: *Liber Illustrissimi D. Pegna, quo varia continentur ad controversiam de Auxiliis spectantia documenta, Epistolæ multæ, Relationes plurimæ: quem ipse, unà cum aliis quatuor, mihi F. Thomæ de Lemos testamento legavit.*

Libro de Monseñor Peña, que, contiene varias cosas muchas cartas, y relaciones muchissimas, acerca de la causa de los Auxilios de la Divina Gracia. El qual libro con otros quatro mando se me diessen a Mi Fray Thomas de Lemos, despues de su muerte.

Multa de Clarissimo Pegna expostulant Societatis Scriptores, ut ejus Diarii fidem elevent. Imprimis Theologum illum fuisse negant; sed Juris Canonici dumtaxat peritum; atque idcircò in hisce de Divina Gratia disputationibus minus versatum. Addunt, Congregationum Acta illi perspecta non fuisse; utpote quæ ex Summorum Pontificum mandatis sub sacratissimi silentii sigillo servabantur. Ultimò implacabilem illum Societatis hostem appellant.

At tria hæc ipsâ sui levitate evanescunt. Theologiæ perinde ac Juris Doctor erat Clarissimus Pegna: nec vanam in ipso fuisse Theologici nominis umbram intelligent, quotquot eruditionis ejus monumenta legerint, aut demandata ipsi à summis Pontificibus officia perpenderint. Quamquam aliàs non exculta admodum Theologicæ scientiæ peritia desideraretur, ut historicam Congregationum istarum narrationem faceret.

Injuncti silentii lex minùs urget: cum ab ea soluti censerentur, qui suas in hujusce negotii tractatione partes habebant. Publici enim commodi necessitas postulabat, ut ii secretorum conscii essent, qui aliquid in rem publicam utilitatis conferre possent. Et verò si Congregationum gesta nescivisset Pegna, quæ illum, amabo, necessitas compellebat, ut illarum Diarium ederet? Sed scivit maximè, atque Secretarii ipsius Commentarios in quarta causæ cognitione penè ad verbum destoravit; uti nos manuscriptorum collatione comprobavimus. Verùm etsi ita foret, ut objicitur, nihil nobis prorsus officeret, qui Clarissimi Viri testimonium nusquam unquam appellavimus, ubi de iis sermo fuit, quæ in intimo Congregationum sacrario tractabantur.

Ultimum de odio in Societatem implacabili, calumnia est, & futilis exceptio ad eludendum piissimi Viri suffragium excogitata. Sed frustra: probandus est etenim adversus ille in Societatem animus, non jactitandus pro arbitrio; aliàs nemo unquam cujuscunque testis, tametsi locupletissimi, fide revinci posset; cùm nemo sit, qui futiles illas odii, inimicitiæ ac simultatis exceptiones non obtrudat, quoties adversum sibi testimonium experitur. Certè quo fuerit in Societatem animo Clarissimus Pegna ante Congregationum istarum celebrationem, probat ejus opus contra Senatus Parisiensis Edictum, quo è Galliæ Regno Societas pulsa fuerat, ob Joannis Castellii facinus in Henricum IV. attentatum. In Societatis laudes toto passim opere diffunditur. Ostendit Capite 12. *Patres Societatis Jesu, non esse juventutis corruptores, sed integros & incorruptos bonorum morum Magistros, & doctrinæ Christianæ veraces & assiduos Doctores.* Probat capite 13. *Jesuitas non esse pacis & tranquillitatis publicæ perturbatores.* Capite 14. *Jesuitas non esse Regis & status inimicos, ut Parlamentum asseruit.* Qui porrò Societatis patrocinium, in tam odioso rerum eventu sibi sumsit, isne, quæso, Societatis ejusdem professus hostis habendus erit? Mutatum fortassis animum obtrudent, cùm primùm emersit Auxiliorum Controversia. At præposterum nimis ac serum effugium est. Non enim reus auditur, qui testem inimicitiæ obtentu rejicit, nisi odium præcedentibus factis ostenderit. Non jam ergo adverso Pegnæ animo, sed narrandæ veritatis necessitati tribuendum, quidquid controversiæ hujus occasione scripto reliquit.

Sed, inquit novissimus Cavillator Leodiensis, erat ille Gallis subinfensus. Sit ita, quid ergo? An fortè in ea, quæ de Auxiliis controversia movebatur, de Regni finibus Gallia cum Hispaniâ certabat? Aut qui Molinam Jesuitæ
Pag. 42. 43 44. tuebantur, Galli erant; soli qui oppugnabant Prædicatores, Hispani? An non potiùs Hispani omnes, qui pro alterutra parte dimicabant, seu veriùs duo amplissimi Ordines committebantur, quorum neuter unius Regni clauditur finibus?

Erat (subjungit festivus homo) Franciscus Pegna Henrici IV. professus hostis, ejusque canonicæ absolutioni modis omnibus intercessit. Ita fortè fuerit.

At

At quis non videat, obtensum illud quo in Henricum ferebatur odium in Societatem usque non protendisse? cùm iis ipsis in libris, quos adversùs Henrici IV. personam ejusque Senatûs Edictum, occasione perpetrati à Joanne Castello facinoris promulgatum, elucubravit, Iesuitarum defensionem in odiosissima omnium causa arripuerit?

S. Ignatii (reponit ille) canonicæ apotheosi obstitit Clarissimus Pegna. Demus illud, tametsi pro arbitrio fortè confictum. Quis nesciat, in ea de viris inter Cœlites ascribendis lite instrui solitâ, Religiosiores quandoque rituum Consultores (quo tunc munere Pegna fungebatur) ardentiùs obstare, à reliquis dissentire; quòd eis de heroicis, ut aiunt, virtutibus minùs constet. Tametsi statim atque sacros illis honores Ecclesia decrevit, pietate in illos ac religione nulli concedant. Et certè si Societati, ob ea quæ tunc in Molina tuebatur doctrinæ portenta, adeò infensus erat Clarissimus Pegna; quæ illum ratio compellebat, ut eodem sanctissimum Patriarcham dente morderet; cùm illum longè aliter affectum nosset, sancitasque ab eo leges certò sciret, quarum præsertim violatione nova illa portenta enata fuerant.

Quid tandem? Pegna, inquit ille, suum illud in Societatem odium implacabile, extremo etiam testamento obsignavit. Mirum profectò! At quo tandem pacto, quave ratione, livorem etiam suum, extremâ voluntate testatum voluit? Non id Leodiensi nostro dicere libuit. Dicam ego, ut criminationis ineptiam rideant omnes. Gravem illam alicubi apud Theophilum Raynaudum de Clarissimo Pegna expostulationem legisse memini; quòd is moriens largas Eleemosynas inopibus apud varia Urbis Collegia studentibus erogari jusserit; nihil tamen legarit iis, qui studiorum in Societate tyrocinia ponerent. En grande scelus, grande implacabilis in Societatem odii argumentum. Auro igitur venditur amicitia; timendumque ne, si nihil Societati vel suis testamento legemus, implacabilis in eam odii incusemur? *In diatr. § 113.*

De Cardinalibus Bellarmino ac Perronio (quod ultimum Leodiensis criminationis caput est) non ita quidem magnificè sensit Illustrissimus Pegna; quòd illos fortè obliquis conniventionibus Molinismo plus æquo patrocinari crederet. At venialis hæc culpa est, cujus obtentu fidem illi in cæteris derogare, minùs expedit. Varia quippe esse de viris etiam meritissimis hominum judicia, ipsius etiam Bellarmini fortuna satis probat: qui cùm Leodiensis Scribæ opinione dignus esset, ut inter sanctos canonicâ apotheosi referretur, *un Saint à canoniser*, talis nihilominus Romanæ Curiæ judicio non est habitus, dum de ejus virtutibus quæstio ex forma juris instructa est, *Ponente*, ut aiunt, Eminentissimo Cardinali Flavio Chigio. Una enim Consultorum omnium sententia fuit, uno dumtaxat excepto Prædicatorum Ordinis Professore (ne fortè illorum invidiâ causam elisam dicat aliquis) de heroicis Bellarmini virtutibus minimè constare. Hinc noverit Pseudo-criticus Leodiensis, non unam eandemque omnium animis insidere de viris etiam præstantissimis opinionem. *Pag 44.*

PARAGRAPHUS UNDECIMUS.
De Thoma de Lemos ejusque MSS.

THomas de Lemos Hispanus, ex Illustri Comitum stirpe oriundus, ad Prædicatorum Ordinem cœlesti quodam numine vocatus est. Pietatem & litteras adeò coluit, ut intra breve tempus religiosissimi æquè ac eruditissimi famam apud suos & exteros obtinuerit. Degebat Vallisoleti, quo tempore prima controversiarum istarum velitatio cœpit anno 1594. inter Didacum Nuño & Antonium de Padilla. Postmodùm anno 1600. Neapolim missus ad Capitulum Generale, ubi excultæ eruditionis argumenta dedit, communibus Ordinis votis electus est, qui publicam Thomisticæ Scholæ cau- *Ex Dion. de Lecce. & Marchesio in Monum. Domin.*

 sam,

ſam, Romæ ab Alvareſio ſuſceptam, tueretur. Solennium diſputationum coram Clemente VIII. & Paulo V. habitarum pondus penè omne ſuſtinuit: vix enim ſemel & iterum in arenam venit Didacus Alvares. Epiſcopales Infulas, ſibi à Philippo III. ſæpiùs oblatas, ſummâ animi modeſtiâ recuſavit. Poſt ſolutas Congregationes Romæ ſubſtitit, ſanctæ Romanæ & Univerſalis Inquiſitionis Conſultor: nec ullius unquam oblatæ dignitatis ſplendore commotus eſt.

Hunc ſuæ apud ſummum Pontificem ſupplicationis patronum aſſumſit Academia Salmanticenſis, dum ſtatutum ſuum de tenendâ S. Thomæ doctrinâ ab Apoſtolica Sede confirmari petiit. Qua occaſione, litteras ei ſingularis exiſtimationis obſides dedit, quarto nonas Novembris 1627. Ubi hęc inter alia legere erat: *Jam verò ut id faciliùs obtineat Academia noſtra, nullum alium aptiorem propenſioremque ad bene de ipſa merendum, patronum precatoremve invenit, quàm te, qui diligentiùs eximiúſque (quod ſine tuâ moleſtiâ, Reverendiſſime Pater, fiat) hoc deprecandi pro ea munus ſuſcipiat. Quod quidem facilè impetrabis, cùm ſemper is exſtiteris, qui in publicis privatiſque diſputationibus, necnon elaboratis doctiſſimis Scriptis, Angelici Doctoris ſententias & ſcripta diligentiſſimè defenderis, qui te quaſi deditâ operâ ad tantum culmen evexit, ut hoc tempore illius & totius Eccleſiæ partes agas & tuearis. Hanc verò Academiam tuo patrocinio confidentem tibi in perpetuum devinxeris; quæ non dubitat quin te fautore & auditore quod humiliter petit, efficaciter conſequatur.*

Præ nimiâ lectionis defatigatione, provectâque ætate, triennio ante mortem penè cæcutiit; adeò ut vix ſine miraculo quotidie ſacrum faceret. Obiit anno ætatis ſuæ 84. die 23. Auguſti 1629. Miraculis illuſtrem narrant ipſius Ordinis Annales. Optandum tamen, ut de illis temperantiùs egiſſet Hiacintus Choquetius, in Opere cui titulus, *Viſcera materna* &c. quod annis dumtaxat quinque poſt Lemoſii obitum adornavit: ſed rebus aliunde veris, ſua pro more figmenta immiſcendo, cenſuram meruit.

Errore typographi mortuus dicitur anno 1624. in Vita Synopſi, ejus operibus præfixa, & in aliis Scriptis qui ex illa errorem hauſerunt.

Lemoſium tacito nomine indigitant Theologi Salmanticenſes, dum poſt nonnulla de divinorum Auxiliorum Congregationibus enarrata, ita ſubdunt: *Id Romæ noviſſimè teſtatus eſt inſignis quidam Theologus, qui omnibus Congregationibus à nobis recenſitis attentiſſimè interfuit, & cuncta in eis acta diligenter commiſit. Quippe non ſolùm maximâ ſapientiâ, ſed egregiis virtutibus adeò floruit, ut poſt ſuum obitum plura ediderit miracula. Et ut ejus teſtimonium adhuc firmius & omni exceptione majus maneat, teſtamur Virum iſtum graviſſimum, octo diebus ante ſuum obitum, & antequam in morbum quo vitam finivit, incidiſſet, ac proinde dum in ſacra Theologia, & ſanitate maximâ vigebat, ea quæ diximus ingenuè faſſum eſſe.* Falluntur enim, qui Franciſcum Pegnam, ibi à Salmanticenſibus indigitatum ſibi fingunt, & autoritate Joannis à S. Thoma ad ſuum illud figmentum obtrudendum abutuntur. Scribebant quippe Salmanticenſes anno 1630. aut 1631. Virumque appellabant, qui hęc noviſſimè teſtatus erat, & qui Congregationibus interfuerat: quæ duo in Lemoſium apprimè cadunt; neutrum autem in Pegnam incidit, qui jam ab anno 1612. mortem obierat, nec unquam ad hujuſmodi Congregationes admiſſus eſt. Ab hac etiam fabula procul abeſt Joannes à S. Thoma, qui Pegnam à Salmanticenſibus appellatum nuſquam finxit; ſed quod illi autoritate Lemoſii comprobaverant, iſte Clariſſimi Pegnæ ſuffragio confirmavit.

Tract. 3. de ſcie. med. diſp. 10. dub. 3 §. 1.

Theop. Rayn. Annatus.

1. p. diſp. 20. q. 14. a. 6.

Scripſit Thomas de Lemos Acta Diſputationum coram ſummis Pontificibus habitarum, ab anno 1602. ad annum 1606. ſub hoc titulo: *Acta omnium Congregationum, & Diſputationum, quæ coram Sanctiſſimis Clemente VIII. & Paulo V. Summis Pontificibus celebratæ ſunt in cauſa & controverſia*

illa

illa magna de Auxiliis divinæ gratiæ. Quas Disputationes F. Thomas de Lemos, ex Prædicatoria Familia Magister, eâdem gratiâ adjutus, contra plures è Societate sustinuit. Monet Ludovicus Bertrandus Loth, sub finem Historiæ Pelagianæ Didaci Alvares, servari Autographum apud Prædicatores Duacenses: unde illud ab annis circiter triginta Antverpiam asportatum audio. Ut ut est, Romæ non exstant nisi transumta, quorum aliqua Notariorum fide munita sunt. Quatuor etiam reliquit Miscellaneorum Volumina, quibus benè multa ad Auxiliorum Controversiam spectantia instrumenta continentur.

De Opere typis edito Leodii anno 1676. dictum satis in fine Paragraphi tertii. Addenda dumtaxat in integrum Generalis Prædicatorum Supplicatio, coram Innocentio XI. quâ illius osorum machinationes retudit.

Beatissime Pater.

"Ordo Prædicatorum ad Sanctitatis Vestræ pedes humillimè provolutus „exponit, quo pacto internoverit, Patres Societatis Jesu Sanctitati Vestræ „ & Congregationi S. Officii Libellum supplicem obtulisse, in quo gravissi-„mè conqueruntur, quod publicis typis data fuerit Theologia P. F. Thomæ „de Lemos, sub titulo, *Panoplia Gratiæ*, in quatuor tomos distributa; re-„pugnantibus, ut aiunt, Decretis Pontificiis, ejusdemque sacræ Congrega-„tionis statutis: simulque supplicant ut sibi liberum fiat, in lucem edere Hi-„storiam Congregationum habitarum ea de re coram summis Pontificibus „Clemente VIII. & Paulo V.

"Quapropter Dominicana Religio, quæ & sanctæ Sedis, & hujus sacræ Con-„gregationis Decretis hactenùs obsequentissima fuit, magnaque semper exi-„stimatione Societatem coluit, exponit: Multos in hanc diem de Divina „Gratia libros prodiisse post Sedis Apostolicæ inhibitionem quorum pars „maxima à Societatis Scriptoribus edita est: ut Francisci Suarez, Ioannis de „Ripalda, Gabrielis Henao, Francisci Annati, aliorumque multorum Scripto-„rum Opera, quæ in Societatis Bibliotheca recensentur; ne quid de aliis, „tum secularibus tum aliorum Religiosorum Ordinum Autoribus dicamus: „nullam tamen idcirco perturbationem in Ecclesia subortam esse. Quapro-„pter nulla præfatis Patribus Societatis inest conquerendi ratio, quòd in lu-„cem prodierit Theologia P. M. F. Thomæ de Lemos, Viri eximiæ virtutis „& pietatis, atque à summis Pontificibus, quos suarum disputationum ar-„bitros habuit, magnâ existimatione habiti. Cum præsertim SS. Augustini „ac Thomæ strenuorum Ecclesiæ Catholicæ Propugnatorum doctrinam „tueatur.

"Rogat itaque Prædicatorum Ordo Sanctitatem Vestram, ut vel Patribus „Societatis silentium imponat, vel in eos primùm ejusdem Societatis alte-„riusve Instituti Scriptores animadverti jubeat, qui hoc de argumento, post „Apostolicæ Sedis inhibitionem prodiere.

"Supplicat insuper idem Ordo Sanctitati Vestræ, ut si Congregationum „illarum Historiam edi sinat, Acta ipsa typis mandari jubeat, quæ in Arce S. „Angeli, & in Bibliothecis Barberinâ & Augustinianâ, cum aliis Codicibus „M SS. asservantur: spondetque se omnes editionis expensas lubentissimè „collaturum.„

Res ad Congregationem S. Officii transmissa est. Examinatus Lemosii liber, illæsus abiit: permissum Cameræ Apostolicæ Typographo, ut illum publicè divenderet; affixo ad consueta Urbis compita hoc Magistri Sacri Palatii Programmate.

F. Raymundus Capisuccus Ord. Præd. S. Palatii Apostolici Magister.

OMnibus ad quos spectat notum facimus, qualiter Nicolaus Angelus Tinassius, publicus Impressor Urbis, admodùm R. P. F. Thomæ de Lemos Panopliam gratiæ, seu de Rationalis Creaturæ ad finem supernaturalem gratuitâ Divinâ suavi-potente ordinatione, ductu, mediis, liberoque progressu, Dissertationes Theologicas, ab Autore in quatuor Tomos distributas, Leodii ex Officina Claudii Landas, Impressoris publici, anno 1676. *impressas, publicè Romæ vendit anno* 1681. *In quorum fidem, his sigillo nostro munitis propria manu subscripsimus, Romæ in Palatio Apostolico, die* 26. *Augusti* 1681. *Ita est, qui supra F.* Raymundus Capisuccus.
Locus ✠ sigilli.

Franc. Perrinus in Thes. Theol. Tolosæ habitis an. 1681. Quo judicio nuperi Scriptoris inepta maledicentia elisa est, ita de Lemosii Operibus garrientis: Leodiensibus typis edita sunt opera M SS. *F. Thomæ de Lemos, contra prædictas Constitutiones Summorum Pontificum. An verò ea editio Catholicorum, an Hæreticorum expensis facta sit, incertum est. Illud verò satis compertum, non esse satis purgatam à Jansenianis erroribus, nec satis exactam ad fidem Historiæ.* Illud immò satis compertum, quisquis hæc dixit, ineptum esse blateronem.

Expeditiùs rem totam confectam voluit novissimus Leodiensis, in sua Epistolari rapsodia. Lemosii Panopliam spuriam eidemque suppositam dixit; eoque semel obtruso figmento, quâ valet nugandi audaciâ quæritat, quo demum tempore elaboratum fuerit spissum opus? Quo Autore? Gallone an Belga? Num ab uno, an à multis? aliasque id genus fabulas ludit, quibus ingenii levitatem demonstrat. Ecquis verò novum illud & inauditum paradoxum in vulgus tantâ fiduciâ mitti audiat; ac non illico putet, singulare quoddam ab Autore tandem inventum argumentum, erutumque ex intimo secretioris scrinii angulo instrumentum aliquod, mortalibus hactenus inauditum, quo publica, constans, indubitata gentium omnium opinio deleri possit? Audi tamen, quid criticum nostrum ad id obtrudendum adduxerit, & nullius judicii virum nosce.

Pag. 52. 53. Panopliæ divinæ gratiæ, inquit ille, quæ Lemosii nomine Leodii prodiit, non ante annum 1623. prima manus admota est; cùm sub ipso Operis initio libri aliqui recenseantur eo dumtaxat anno Typis editi: Lemosius porrò anno 1624. ultimum diem obiit, ut in ejus Vitæ Synopsi notatum est: cùm itaque unius anni spatium edendo spisso operi non sufficiat, Viro præsertim seniori, qui plurimam diei partem piis precibus consecraret, Panopliam ab altero elaboratam fateri necessum est. Hoc nos ariete pulsat Leodiensis Miles. At si novisset, Lemosium anno dumtaxat 1629. obiisse, nec nisi errore Typographi annum 1624. in ejus Vitæ Synopsi notatum esse; eò se delusum argumento sensisset, quo publicam omnium fidem ludere voluit. Eruditissimo quippe Viro, & in eo doctrinæ genere versatissimo, sex annorum spatium spisso Operi adornando satis fuisse, non abnueret. Legat Vincentii Fontanæ Monumenta Dominicana, Diarium Marchesii, Annum Dominicanum Thomæ Sueges, aliave quæcunque libuerit hujus Ordinis documenta ac publicas tabulas, quibus Virorum illustrium notantur obitus; & suum ipse errorem exuat. Ne verò illam Leodiensis Typographi cespitationem à me primùm observatam putet, quasi ad eludendam insulsi argumenti vim sera suffugia quæsierim, audiat ea de re Antoninum Massolieum, *in D. Thoma sui Interprete* tomo 2. dissert. 4. de Gratia Adami, Quæst. 3. Art. Ultimo pag. 387. *Obiter*, inquit, *adverti potest, errorem irrepsisse*

in

in Synopsi Vitæ Patris Lemos, initio primi Tomi affixâ, ubi hujus mors ad annum 1624. refertur. Sed hic Romæ, ubi inspici tabulæ possunt, quibus mortuales Religiosorum dies inscribuntur, reperi extremum diem clausisse anno 1629. cùm annum 84. ageret.

Sed etsi daremus, quod falsissimum esse constat, Lemosium anno 1624. fato cessisse; nunquid, amabo, statuere certò poterat insulsi criterii homo, Panopliam non ante annum 1623. inchoatam esse, ob id unum, quòd sub ejus initium, libri aliqui recenseantur anno 1623. typis editi? Quis nesciat Autores lucubrationes quandoque suas jam pridem elaboratas, ac etiam prælo maturas sæpiùs recognoscere, novisque plerumque additamentis illustrare, augere, perpolire? Eaque idcirco de causa factum, ut in eo quod diu ante mortem opus ediderat Thomas de Lemos, prǫloque, si semel liceret, dandum destinaverat, quorundam librorum mentionem ingerat, quæ non diu ante ejus obitum prodiere. Solebat quippe vir studiosissimus quoscunque ætate sua vulgatos de divina gratia libros conquirere, eorumque saltem mentionem elaboratis jam jam lucubrationibus suis inserere, tum adjectis ad marginem notulis, tum assutis chartulis; quod & nos propriis, dum ejus autographum legeremus, oculis usurpavimus.

Nugacitatem verò suam prodit magis Epistolæ Consarcinator, dum pugnantes temporis notas ab Autore Panopliæ suo interdum Operi assutas ait, ut impostorem demonstret. Quid enim si in prioribus editi Operis partibus monet Autor, scribere se anno 1611. in posterioribus verò notat, Opus à se identidem intermissum, ob graves sustinendarum disputationum curas, quæ ante id temporis habebantur? Nullam hic profectò pugnam invenisset, si sciret quod res est: primam scilicet hujus Operis partem, quæ de erroribus disserit, re ipsa postremam omnium ab Autore elaboratam esse; sed primam idcirco sedem in editis obtinuisse, quòd universo præludat Operi, feratque lucem. Num enim impositam fortè Scriptoribus legem obtendet criticus Leodiensis, ut eundem in scribendo Opere temporis ordinem servent, quem in disponendo typisque dando servare velint? Id si velit, dignum judicii, dignum peritiæ specimen dabit. Pag. 54. 55. 56.

Verùm quid in nugaci vitilitigatore confutando ludimus operam? Compendio confecta res est: servatur etiamnum Panopliæ Autographum, quo uno tot illæ congestæ argutiæ dissipantur. Ubinam exstet inquirit festivus homo. Responsum negare fas fuerit, si quid ea parte timendum esset: at quo ex tempore Leodiensis Editio venalis Romæ prostat, nihil jam periculi esse potest, si palam hic moneamus, servari in publico Ordinis Prædicatorum Tabulario. Dubitas, amice? Romam pergas, & videas. Interim si tibi sat est fides testium, Fontanam legas in Monumentis Dominicanis ad annum 1629. ubi hoc ipsum observare nihil veritus est, antequam Editio curata esset: *Quatuor volumina*, inquit, *de divina gratia aliisque materiis scripsit, in Ordinis Archivio existentia, nondum impressa.*

At, inquies, ergone in hujus Historiæ tractatione in testem advocabitur Thomas de Lemos? De Jesuitis ex adversæ partis suffragio pronuntiabitur? Aut erit fortasse concessum Prædicatoribus privilegium, ut partium simul ac testium conditionem subire possint? Absit ut id à nobis piaculi admittatur, quod omni jure vetitum satis novimus: absit ut eo privilegio donatos Prædicatores existimemus, quo neminem donari posse certò scimus. Sed neque Lemosium adversùs Molinianos appellavimus unquam; ejusve suffragium attulimus, ut factum aliquod statueremus, quod aut Jesuitis injurium videri posset, aut excitatæ controversiæ summam peteret. Nunquam ille iis in occasionibus vocatus in testem, nusquam in iis auditus, nusquam laudatus à nobis est; ne contra litigantium jura peccaremus. In iis dumtaxat factis statuendis, Pag. 44.

suffra-

suffragium ejus imploravimus, quæ vel nihil adversæ parti præjudicent, vel levis admodùm momenti reputentur. In una, (quæ certè & injuria parti, & gravis momenti videri potest) referendâ probandâque Valentiæ Catastrophe, Lemosium appellavimus. At tantum abest, ut testis personam induerit, ut potiùs accusati, à nobis ab injuria vindicandi, adversùs æmulorum audaciam, qui eum calumniæ postulant, quasi eam falsati Augustini labem Antogonistæ suo affinxisset. Quare Valentiæ casum Lemosii testimonio nequaquàm probavimus eo loci; sed Lemosii narrationem, ne deinceps calumniæ postuletur, aliorum testium suffragio confirmavimus.

Lib. 3. c. 5.

De commentitia Lemosii palinodia lege Lib. IV. cap. 21.

Lemosii fide tuti, alicubi Libro II. adnotavimus, Cassiani Sanctitatem, reclamante Pontifice Maximo, ambitiosiùs a Molinianis elatam fuisse, quo tempore Romæ maximè concertationes istæ fervèrent; sparsasque tunc, ad aucupandam plebeculæ venerationem, ossium particulas: nam & hoc scripsit ille, tomo 1. tractatu 5. de Erroribus Cassiani cap. 2. Sed absit ut à nobis Cassiani sanctitati injuriam importari idcircò quis autumet: quippe qui id eo tantùm observavimus animo, ut illorum artes digito monstraremus, qui Cassiani doctrinæ orthodoxiam ex ejusdem Sanctitate commendare satagebant; ne Molinianæ assertiones, iisdem cum Semipelagiana lue ponderibus appensæ, ulli parere censuræ viderentur. Cæterùm de Cassiani sanctitate contentionis funem cum aliquo ducere, nobis haud quaquàm est animus. Neque enim usque parum in Augustini illiusque Discipulorum lectione decocti sumus, ut latere nos possit, quâ pietatis & Religionis opinione, uti fratres ac sanctos excepèrint eos qui vulgò Semipelagiani in Galliis audiebant. Nec nos fugit, Ioannem Cassianum, Hilarium Arelatensem, & Faustum Regiensem, Massiliæ, Arelate ac Regii, inter Divos erectis aris adnumerari. Quin & hoc nobis notum, Urbanum V. Caput Cassiani, Massiliæ in argenteâ thecâ inclusum, hac epigraphe ornandum jussisse, *Caput S. Cassiani*: ejusdemque memoriam eâ in urbe celebrari die 23. Julii, eique precum Officia solenni ritu persolvi. Quia, licet de gratuitâ prædestinatione ad primam gratiam ab Augustino procul abirent illi, ea tamen ætate temporum versabantur, quâ necdum veritas hęc in rem definitam abierat; licebatque, tutâ fide, in partem alterutram disputare. Anno quippè demum centesimo ab Augustini obitu, ac diu post fata ultima à primis illis Semipelagianæ sectę Principibus persoluta, veritas hæc inter fidei capita in Synodis Arausicanâ & Valentinâ relata fuit: tum primùm lis illa magna, quæ sanctissimos ac doctissimos utrinque viros in Gallia centum & ampliùs annis exercuit, ex Sancti Augustini sententiâ extremo judicio finita est: Semipelagianismus tunc tandem ad tumulum ductus, Felice IV. & Bonifacio II. Apostolicæ Sedis sigillo lapidem obsignantibus.

August. de dono perse. cap. ult. De Prædest. SS. cap. 20. S. Hilar. Epis. ad S. August.

„Quam in rem scitè à Doctissimo Jesuita Jacobo Sirmundo adnotatum lego in Notis ad Arausicanam Synodum II.: *Intererat Concilium istud, quod Leonis olim Papæ temporibus asserebatur, ad hæc potiùs tempora* (a. 529.) *differri, propter multos doctrina & pietate præstantes Viros, qui spatio interjecto favere in Gallia visi sunt Semipelagianis: quorum placita in hac demum Synodo, quam Sedis Apostolicæ Autoritas comprobavit, penitus explosa ac rejecta sunt.* Quibus similia idem Scriptor habet in Notis ad Epistol. 9. lib. 9. Apollinaris Sidonii: *Faustum verò*, inquit, *& si qui tum in Gallia (quod dissimulari non potest) cum eo senserunt, aliquo modo excusare ratio illa videtur, quòd ante Synodum II. Arausicanam an. 529. habitam vixerint: cujus placitis Ecclesia deinceps tanquam norma doctrinæ adversùs Semipelagianorum errores usa est.* Hanc ultimam observationem ex Sirmundi Notis eliminare operæ pretium duxit Philippus Labbeus, ejus Socius, in Editio-

ne

ne posteriori an. 1652. ab ipso procurata. Aliam pariter rejecit ex Notis ad eandem illam Arausicanam Synodum, quam eam ob causam hoc loco exscribere supervacaneum non erit: *Cæterùm gravi ac diuturnæ contentioni, quæ Sanctissimos & Doctissimos utrinque Viros in Gallia centum & amplius annis exercuit, finem postea tandem attulit Synodus Arausicana II quæ totam de gratia & libero arbitrio controversiam ex S. Augustini sententia composuit.* Hæc nimirum postrema verba sunt, quæ Labbeum malè habuerunt: quia his agnoscit Sirmundus ac palàm prædicat, ex S. Augustini sententia pependisse totam hanc fidei quæstionem ejusque judicium, secundùm celeberrimæ Synodi ac ipsius Apostolicæ Sedis præscriptum.

Lemosium quod attinet, fatendum jejunè satis de Cassiani & Fausti sanctitate ipsum scripsisse, S. Prosperi Aquitani suffragio nixum: qui licet Semipelagianorum magna virtutum merita initio commendasset, vocato tamen ad Superos Augustino, ejusque libris à Cœlestino summo Pontifice solenniter approbatis, novâ rerum inductâ facie, in eosdem velut hypocritas stilum acuit, totisque lacertis depugnavit; quòd sancto Doctori, posthabito Apostolicæ Sedis oraculo, refragari pergerent, ejusque gloriosis manibus insultarent. Ac re ipsa quidem Cassianum, Semipelagiani agminis primipilum, ventilandum aggressus Prosper Aquitanus, paucis quidem, sed atris coloribus depingit istud hominum genus, cum quibus manus consereret: illosque sub ipso Præfationis initio, *immoderatos calumniatores, domesticos malignos; habentes speciem pietatis in studio, cujus virtutem diffitentur in sensu; fallaces calumniatores, hypocritas, qui reverentiam sibi præsumtione pepererunt, viros austeri supercilii & tetricæ frontis, insidiosos scrutatores, novosque censores* appellat; eisque satis gratificatum existimat, si sub Operis finem, Ecclesiæ communione potiri illos etiamnùm agnoscat: *Quorum tamen*, inquit, *dum adhuc non sunt à fraternâ societate divisi, toleranda magis est intentio, quàm desperanda correctio; donec Dominus per Ecclesiæ Principes, & legitimos judiciorum suorum ministros, hæc quæ per paucorum superbiam, & quorundam imperitiam sunt turbata, componat.* Quibus verbis Massiliensium fidem, pro conditione temporum ac pendente, ut ita dixerim, lite, ponit in tuto; sed objectam hypocrisis & calumniæ labem non abstergit. Quin & illos *vasa iræ*, in Epistola ad Rufinum, ignominiæ causa contemtim appellat.

Ep. ad S. August.

Epist. ad Gall. Episc.

Præfat. lib. contra Collat.

Eâdem illos virgâ ferit S. Fulgentius lib. 1. ad Monimum cap. 30. ubi primos illos Semipelagianæ sectæ conditores, non zelo sed livore in Augustinum accensos affirmat: *Huic itaque pravitati, quæ B. Augustini dictis, non ex veritate, sed ex livore objiciebatur, tali Prosper sermone respondit.*

Nihilo in Cassianum humanior exstitit S. Isidorus Pelusiota, qui suam illi procacem & petulantem loquacitatem in faciem illisit, datâ ad ipsum Epistolâ 309. *Te caducam*, inquit, *& corruptioni obnoxiam vitam fugisse, atque in Monasticum studium cursum contendisse audio: atque interim tamen procacem ac petulantem linguam habere, ac temerè loqui.*

Duriùs longè multo, quod habet Sigebertus in Chronico, ad annum 407. quod & Vincentius Bellovacensis lib. 19. Speculi Hist. cap. 14. & S. Antoninus 2. par. hist. tit. 10. cap. 10. §. 2. suis calculis probant; Cassianum scilicet à S. Joanne Chrysostomo, à quo sacris fuerat initiatus, ab Ecclesia Constantinopolitanâ tandem ejectum, Massiliam transfretasse. Num quis fortè id in ejus religionis ac sanctitatis argumentum accipiat?

Guilielmus Estius in Responsione ad Joannem Deckerium Jesuitam in Appendicem nostram relata Num. XV. testis est locuples, Ruardum Tapperum Lovaniensem Doctorem celeberrimum à quodam Scholæ Collega seriò fuisse admonitum de Fausto, quòd non *venerabilis*, ut ille eum vocabat,

sed *damnabilis autor* esset: & ea re sibi indicata vehementer Tapperum obstupuisse: *ut ego*, inquit Estius, *ex illo ipso Collega* (Judoco Tiletano, ut putatur) *accepi*.

Molanus è Divorum albo Faustum expunxit. Eundem sacro titulo primùm exuit Cardinalis Baronius, donec Reïensis Ecclesiæ schedis acceptis, antiquum illi honorem restituit. Sed quid tandem? Quotquot Capitula celeberrima, Cœlestini Romani Pontificis Epistolis ad Gallicanos Episcopos datis assuta, ipsi Cœlestino tribuunt, non Prospero alterive Augustini discipulo, primos illos Semipelagianorum duces à pertinaci hæresi liberare vix possunt, nisi decantatam ab eis palinodiam obtendant, quod liberalis ingenii foret. Cùm enim tam dilucidè prima salutis initia iis in Capitulis divinæ gratiæ tribuantur, *Sancta*, scilicet, *cogitatio, pium consilium omnisque bonæ voluntatis motus* (quæ omnia Semipelagiani, post datas ipsas Cœlestini litteras, liberi arbitrii viribus arrogabant) errorem suâ jam ætate ab Apostolicâ Sede proscriptum pertinaciter defendisse censeri possent, vixque hujusce litis eliquatio ad Arausicanæ Synodi tempora detrudetur, ubi primùm veritas per Semipelagianos obfirmatis animis oppugnata in fidei dogma transierit, nisi quòd sententiam in illos non è Tribunali tulerat Cœlestinus.

Neque tamen hæc adnotamus, quasi Cassiani ac Fausti sanctitatem, in ore famæ volitantem, quamque nos fusâ ad sacras illorum aras piâ precatione venerati sumus, vocemus in dubium; sed ut Lemosio nemo quisquam vitio vertat, quòd illam, nullo in hanc diem universalis Ecclesiæ judicio acclamatam, minùs noverit, & sacros honores Semipelagianis deferri, amaro animo tulerit. Hoc certè scio, à vero illos longiùs abire, ac duriori animadversioni esse obnoxios, qui colendæ nonnullorum Semipelagianorum sanctitatis obtentu, eorundem doctrinam absolvunt; Cassiani & Fausti lucubrationes, sacro anathemate à Gelasio in Concilio Romano percussas, hæreseos immunes effutiunt; Apologias adornant; D. Prosperum ut eorum famæ decurtatorem exagitant, vertuntque ludibrio. Proh infrunitam audaciam, pessimamque desperatæ causæ advocationem! Augiæ stabulum purgandum aggrediar, si quæ Thomas Pio, Mariana, Guesnaius, Ariaga Jesuitæ in eam rem congessere spurciloquia, velim in indicem cogere. Notare hìc satis sit Thomæ Pio Societatis Jesu Theologi assertiones numero sex, quas supremum Hispaniarum Inquisitionis Tribunal censorio stigmate confixit, ex ejus ad quæstionem 23 primæ partis D. Thomæ Commentariis, excerptas.

Thom. de Lemos tom. 1. tract. 5. de Error. Cass. cap. 3.

1. *Cassianus non fuit Semipelagianus, nec in ejus libris reperitur aliquid quod sit Pelagianum aut Semipelagianum.*

2. *Faustus Regiensis Episcopus non fuit Semipelagianus, nec in ejus libris reperitur aliquid, quod sit Pelagianum aut Semipelagianum.*

3. *Initium nostræ salutis spiritualis ex nobis est.*

4. *Quodammodò exspectat Deus voluntatem nostram, ut det suam gratiam, & vocationem ad dona supernaturalia.*

5. *Deus dat saltem aliquam vocationem fidei, intuitu bonorum operum naturalium.*

6. *Meritò videtur Gennadius, in Catalogo Illustrium Virorum, agens de Prospero Aquitano, sic sensisse:* Legi librum adversùs Opuscula Cassiani; quæ Ecclesia Dei salubria probat, ille infamat nociva.

In eas Assertiones, uti *falsas, temerarias, in fide erroneas, & hæresis Semipelagianæ fautrices* animadvertit Sacer consessus, librumque Scholarum usibus sublatum edixit.

PARA-

PARAGRAPHUS DUODECIMUS.

De Decreto Innocentii X.

PRoſcriptis quinque famoſis Propoſitionibus, Decretum edidit Innocentius X. in Congregatione Generali S. Romanæ & Univerſalis Inquiſitionis die 23. Aprilis 1654. quo plurimos libros damnavit, pro tuendâ Janſenii cauſa recens editos, cum aliis nonnullis. Tum ad ejuſdem Decreti calcem inſtar appendicis ita addidit: *Cæterùm, cùm tam Romæ quàm alibi circumferantur quædam aſſerta Acta manuſcripta, & forſan typis excuſa, Congregationum habitarum coram felicis recordationis Clemente VIII. & Paulo V. ſuper quæſtione de Auxiliis divinæ gratiæ, tam ſub nomine Franciſci Pegnæ olim Rotæ Romanæ Decani, quàm F. Thomæ de Lemos Ordin. Prædicatorum, aliorumque Prælatorum & Theologorum, qui, ut aſſeritur, prædictis interfuerunt Congregationibus: nec non quoddam Autographum ſeu exemplar cujuſdam aſſertæ Conſtitutionis ejuſdem Pauli V. ſuper definitione prædictæ quæſtionis de Auxiliis, ac damnationis ſententiæ ſeu ſententiarum Ludovici Molinæ Societatis Jeſu; eadem Sanctitas ſua præſenti hoc Decreto declarat ac decernit, prædictis aſſertis Actis, tam pro ſententia FF. Ordinis S. Dominici, quàm Ludovici Molinæ, aliorumque Societatis Jeſu Religioſorum; & Autographo, ſive exemplari prædictæ aſſertæ Conſtitutionis Pauli V. nullam omninò eſſe fidem adhibendam; neque ab alterutra parte, ſeu à quocunque alio allegari poſſe, vel debere, ſed ſuper quæſtione prædicta, obſervanda eſſe Decreta Pauli V. & Urbani VIII. ſuorum prædeceſſorum.*

Quis ſit hujus appendicis ſenſus, nemo prudens non intelligit. Congregationum Acta à libris damnatis cautè ſecernit Innocentius. Hæc enim nec proſcribit, nec cenſurâ notat, nec pro Apocryphis haberi vult: ſed pro neutra diſſidentium parte laudari poſſe, dumtaxat decernit. Quia nempe, Auxiliorum controverſiâ ſemel in ſuſpenſo poſitâ, & miſsâ in aliud tempus ultimâ ſententiæ promulgatione, fidem in judicio nullam faciunt, quæcunque in partem alteram definita ſunt ac ſtatuta; nec unquam ſententiæ Pontificiæ vim obtinebunt, donec ultima illa juris ſolennitas acceſſerit. Pro nulla igitur parte laudari poſſunt eo ſenſu, quaſi ob latas ibi Cenſuras cauſa ultimò definita putanda ſit, aut adverſa doctrina invidioſis Pelagianiſmi notis inurenda veniat, aut alteri parti ſuas etiamnum opiniones tueri non liceat: quod ſanè ne per umbram nobis venit in mentem; modò eâ, quâ illos Eccleſia Catholica donat interim, indulgentiâ modeſtè fruantur; nec vanis (quod interdùm imprudenter factitare ſolent) Molinæ ſui triumphis Trophæa excitent arrogantiùs.

Verùm quis idcircò putet ſublatam iis Actis hiſtoriæ fidem; ut ſepoſitâ cenſurarum autoritate, ne facti quidem veritatem teſtari poſsint? Si ſic eſt, ubi publica fides, ubi ſocietas, ubi religio? Suſtulerit juſtâ de cauſa Innocentius X. publicam ſcriptis omnibus autoritatem, Juris fidem ademerit, donec ſupremâ autoritate promulgentur: bene eſt. At id efficere non potuit, ut quæ Secretariorum commentariis inſerta ſunt, re ipsâ inſerta non ſint. Id verò nobis ſufficit unum, qui de Congregationibus iſtis non dogmaticè, ſed hiſtoricè ſcribimus, Unicuique enim liberum erit Acta conſulere, an aliter habeant, quàm retulimus.

Novit id Sereniſſimus Princeps de Conty, qui Stephano Dechamps Jeſuitæ, ad hujuſmodi Innocentianum Decretum confugienti, ut Scriptum à Clemente VIII. editum exſufflaret, ita repoſuit: *Quòd alterum caput attinet à R. P. Rectore nobis objectum; Innocentium ſcilicet X. ea omnia apocrypha pronuntiaſſe,* In 1. Reſp. ad P. Dechamps.

nuntiasse, quæ de Divinorum Auxiliorum controversiâ typis edita fuerant: bonâ ejus pace repono, in primis Decretum hoc Generalis dumtaxat Inquisitionis autoritate prodiisse, quæ à Gallis recepta non est; ac propterea nihil illud exemplaribus in Gallia editis obesse posse. Secundò, Autographum Parisiis servatum eo Decreto minimè peti, tametsi transumpta typis edita pro apocryphis haberentur: cùm nullum Inquisitionis Decretum efficere possit, ut id re verâ non scripserit Clemens VIII. quod re ipsa certissimè scripsit. Demùm Scriptum apocryphum dicere, idem profectò non est, ac suppostititium declarare; sed publica dumtaxat fide minùs dignum, minùsque authenticum; quòd publica autoritate minimè prodierit. Atque id quidem Romæ prudenter admodùm fieri solet. At non id obest quominùs Scriptum suâ interim veritate fruatur. Quamquam nec illud etiam invidiosum *Apocryphi* vocabulum usurparit Innocentius X. sed alia longè mitiora, quæ Actorum Autoritatem minùs elevent.

Pour ce que dit le R. P. Recteur, qu'Innocent X. a declaré tout ce qui a esté imprimé de la Congregation de Auxiliis Apocryphe: il agréera que je lui dise, que ce n'est qu'un decret de l'Inquisition, dont les François ne reconnoissent point l'authorité; & qu'ainsi cela ne fait rien contre ces Imprimés, qui ont esté publiés en France. Secondement que quand les Imprimés seroient declarés Apocryphes, l'Original ne l'est pas, qui est gardé a Paris: & qu'il est impossible qu'un decret de l'Inquisition empesche que Clement VIII. n'ait ecrit ce qu'il a effectivement ecrit. En dernier lieu declarer une chose Apocryphe, ce n'est pas dire, qu'elle est fausse; mais qu'elle n'est pas imprimée avec permission: & cela se fait toujours a Rome, par une police tres judicieuse: mais cela n'empesche pas la verité de l'Ecrit.

Serenissimi Principis judicium confirmant exempla bene multa. Sic an. 1657. cùm absque Romanæ Curiæ licentiâ typis prodiissent privata Theologorum suffragia, qui de Jansenii propositionibus pronuntiaverant; re ad Alexandrum VII. delatâ, ita die 6. Septembris Decreto sancitum est: *Et quia circumferuntur quædam folia impressa anno 1657. quorum titulus est: Tredecim Theologorum, ad examinandas quinque Propositiones ab Innocentio X. selectorum suffragia, seu ut appellant, Vota Summo Pontifici scripto tradita: Eadem Sanctitas sua præsenti hoc Decreto illa prohibet, & declarat ac decernit, iis tanquam Apocryphis nullam fidem esse adhibendam, nec à quoquam allegari posse, vel debere.* Nec tamen ullus idcirco fuit, qui vel nulla, vel ab iis diversa suffragia Pontifici data sibi finxerit.

Sic anno 1621. sub Gregorio XV. renovatâ Pii IV. Bullâ, quæ incipit *Benedictus Deus*, ex Decreto Congregationis Concilii, sub die 29. Aprilis prohibitæ sunt omnes & quæcunque Collectiones declarationum, decisionum, seu interpretationum Congregationis Concilii, tum impressæ, tum imprimendæ: quod & eodem anno die 6. Julii ab Indicis Congregatione confirmatum fuit. At quid ita? Nullæ-ne sunt, aut certè possunt esse veræ ac germanæ hujuscemodi definitionum Collectiones? Quid si eas aliquis ex ipsius Congregationis commentariis petitas typis ederet; ideóne falsæ putandæ essent? Absit. Hæc itaque Romanæ Curiæ Decreta publicam dumtaxat & authenticam in judicio fidem eripiunt, non humanæ historiæ credulitatem. Addiderim, pacis quandoque studio prohiberi libros, nullius licet malæ doctrinæ notâ dignos. Quis enim aut pro Jansenio, aut pro Patribus Societatis, nihil scriptum hactenus aut scribendum in posterum arbitretur, quod malæ doctrinæ notam effugiat? In Indice tamen librorum prohibitorum, sub Innocentio XI. pag. 179. pari virgâ notantur libri omnes, opuscula, theses, aliaque omnia, tam edita huc usque, quàm imprimenda, tam contra, quàm pro Jansenio & Patribus Societatis.

At nihil æquè ad præsens institutum facit, quàm quod simili prorsus eventu sub Clemente VIII. gestum est. Graves inter Chalcedonensem Episcopum & Angliæ Regulares controversia emerserat, quam fiduciario Decreto composuit Pontifex maximus. Vetuit die 9. Octobris, ne quis instrumenta litis, aliasve hac occasione adornatas lucubrationes typis ederet: quod idem ab Urbano VIII. die 5. Maii 1631. confirmatum est. Non id tamen obfuit, quin

quin typis demum mandarentur. Qua de causa die 19. Martii 1633. sacra Indicis Congregatio libros editos suspendit solenni Decreto: vetans sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendâ, ac summo Pontifici reservatâ, ne quis illos rursus ederet, aut editos servaret. Verùm ne quis edictum perperam acciperet, ut vel idcirco judicata causæ merita, vel injuriam Autoribus irrogatam causaretur; edicti sensum subjunctis verbis aperuit: *Ne quis autem ex hoc Decreto alios criminandi, vel exprobrandi occasionem aliquam arripiat; eadem sacra Congregatio expressè declarat, se in præsenti non intendere aliquid de meritis causæ statuere, vel ulli Autori aut Operi ignominiam aliquam vel notam malæ doctrinæ inferre: sed judicium horum omnium Apostolicæ Sedi in opportunum tempus reservans, nunc præcipit, ne quis adversæ partis libros, tractatus, eorumve Autores hæresis vel malæ doctrinæ notâ, seu aliâ quacunque, ante Sedis Apostolicæ definitionem, verbo vel scripto deinceps afficiat.*

Iis attenderint professi vitilitigatores; qui obtentu Innocentiani Decreti Congregationum Actis irrogatam injuriam fabulantur: atque ex ipsa Indicis Congregatione noverint, quis hujusce modi Decretorum sensus, quæ ratio, quæ potestas. Certè si nulla Autoribus irrogatur injuria, tectáque manent Chalcedonensis Causæ merita, tametsi sub excommunicationis pœna librorum editio proscripta sit; quanto minùs Innocentii Decreto illata Auxiliorum Actis injuria putanda erit, cùm & ab omni Censura, & à quibusvis invidiosis notis abstineat? Sed adest ejusdem Instituti Magister, qui hæc illos amicè doceat, Michael Tellier, in sua Christianorum Apologia: ubi pervulgatum Coronelli Compendium fabulis nequaquam annumerari patitur; eosque calumniæ postulat, qui id à se alicubi factum objiciebant. Porrò universa Coronelli Acta, eundem post Innocentii Decretum fortunæ exitum habent: nulli plus minusve derogatum est.

Annatus. Henao. Ortega. Perrinus. Dechamps. &c. Epistola Lovaniensis.

In præfatione 3. Editionis.

Verùm etsi nihil eo Innocentii Decreto ad eripiendam Congregationum istarum Actis humanæ saltem historiæ fidem, extundi posse, nemo nesciat, adeo tamen Molinianis Actoribus arridet, eoque uno causam suam in tuto positam arbitrantur; ut illud quavis occasione datâ, per fas nefasque imprudenter obtrudant. Imprudentiæ hujusce specimen videas in nupero Societatis Actore, qui Archiepiscopo Remensi supplicem Monitionem dedit, ut illum à lato in nonnullas Molinianas assertiones judicio revocaret. Laudaverat scilicet Illustrissimus Archipræsul ex Thoma de Lemos testimonia nonnulla, non ex scriptis ab illo Congregationum istarum Actis, sed ex Operibus Apostolica Sede annuente vulgatis ac typis editis petita: illicò fervidus Actor, quasi ridente Minerva, sibique secundo favente Mercurio, Innocentiani Decreti Autoritatem opposuit: *Dum vestra Celsitudo*, inquit ille, *suum illud Pastorale Decretum edebat, non illi profectò veniebat in mentem Innocentii X. Decretum, anno 1654. promulgatum: ubi de Actis disputationis Auxiliorum sermonem habens, qui passim Francisci Pegnæ Rotæ Romanæ Decani, & Thomæ de Lemos Ordinis Prædicatorum nominibus vulgabantur, decernit Sanctitas sua, nullam esse prætensis iis Actis fidem habendam. Eo verò Pontificio Decreto posito, isne, quæso, admittendus est testis, qui à Celsitudine Vestra producitur?* Papè, quàm appositè, quàm ad Archipræsulis institutum accommodatè! Quid enim Innocentii X. Decretum cum Lemosii lucubrationibus typis editis? Sic certè dum peregrina sectatur Actor, ineptum se blateronem ostendit. Benè tamen omninò est, quòd in deprimendis Congregationum istarum Actis tantam Molinæ Vindices operam ponant. Satis eâ agendi ratione se produnt; palámque significant, quàm infeliciter sibi in ea doctrinæ suæ ventilatione res cesserint; quorum tanti interest, ut rerum inibi gestarum acta æterno, si fieri quidem posset, silentio involvantur.

Satis hæc, pro Decreti Innocentiani expositione. Sunt adhuc qui illic in Galliis receptum negent, tum quod Romanæ Inquisitionis nomine prodierit; tum quòd juxta præscriptas Juris Gallicani formulas vulgatum non sit. Qua de causa, in publicis Cleri tabulis inscriptum est: *Non hic in dubium vocata est Apostolicæ Sedis Autoritas in libris configendis.... verùm existimatum est, istiusmodi Decreta, nec in Galliis recipi, nec exsecutioni demandari posse, nisi ab ipsa Sanctitate sua ferantur, debitâque formâ exhibeantur, quæ fidem publicam faciat.... Ac propterea non esse Decretum hoc inter cætera Cleri Gallicani documenta referendum; quòd probatâ Juris formâ non exstet.*

In relatione deliberationum Cleri Gallicani super Constitutione Innocentii X pag. 31.

On n'y met point en doute la puissance du S. Siege touchant la Censure des livres... Mais on estima que les Decrets de cette nature, pour être reçus & executez en France, outre qu'ils doivent être expediés par sa Sainteté, doivent aussi être presentés en bonne & deüe forme, qui puisse faire foy..... Et qu'ainsi ce Decret ne pouvoit être inseré dans le proces Verbal, d'autant qu'on ne l'avoit pas eu forme.

Cæterùm hujus Historiæ nostræ fidem, non ex solis Actis MSS. repetimus. Multa ex aliis documentis Scriptoribusque hausimus: multa etiam communi famâ constant. Hæc verò omnia, ob id unum negare velle, quia Congregationum Acta vulgare vetitum est, perinde foret, ac Romam a Remo & Remulo fundatam inficiari, si historiæ omnes, quibus id scriptum est, perirent aut decreto prohiberentur. Nulla enim lex Principum jussit unquam, aut passa est, hanc fidem communem & traditionem scripto receptam deleri atque damnari: aliàs tyrannis esset, non legitima potestas, quæ jus in memoriam aut fidem publicam sibi vindicaret. Neque ea mens esse potuit Pontificis Maximi, ut hoc Decreto deleret quæ recepta sunt & conservata, non Actorum dumtaxat fide, sed tot aliunde testium, qui de Auxiliorum Controversia multa vulgarunt. Si qui verò importuniùs objiciant indicti saltem silentii leges à nobis hujusce argumenti tractatione violari, priores potiùs violatores incusent, qui nedum silentii leges, sed & publicæ fidei jura, vulgatis fabulis conculcarunt: nosque justæ defensionis titulo, naturali lege asserto, & liberandæ Veritatis studio in hanc aleam vocatos intelligant, ut vulgatas ante dies aliquot in nonnullis Galliæ Provinciis fabulas confutemus. Nec grave ferant, hoc idem à nobis impræsentiarum responderi, quod ipsimet primi in sui defensionem usurparunt. *Inhibitæ fuerunt de hac materiâ scriptiones & libri: sed eas prohibitiones aliqui magno Ecclesiæ damno violarunt: atque ut confutari possent, Catholicos, ut idem facerent, penè nolentes coegerunt.*

Philip. Briet ad annum 1606.

Si quis Historiam hanc meam impugnare velit, per me licet. Meminerit tamen quisquis id attentabit, ex probatis documentis, ac istarum præsertim Congregationum tabulariis mecum agendum esse. Si secùs egerit, ventis illum ac fabulis pasci sinam, sed responsionis honore non dignabor: ne Sapientis oraculo repugnare videar, *Ne respondeas stulto juxta stultitiam suam.* Stultitiæ quippe genus esse puto, velle de rebus historicis aliter, quàm ex illarum documentis pronuntiare ac definire.

Sed antequam magnum illud Historiæ Congregationum Pelagus ingrediamur, juvat paucis attingere insignem controversiam, cujus argumentum Operis hujus nostri materiæ affine est & cognatum; tametsi ullam in ea partem habuisse Molinæ socios, posteritati non sit traditum.

PARA-

PARAGRAPHUS DECIMUS-TERTIUS.

Prima Controversiarum Prolusio. Grimanus Patriarcha Aquileiensis, Augustinianæ ac Thomisticæ doctrinæ vindex, diu à malevolis appetitus, Tridentinæ Synodi judicio tandem absolvitur.

Finitis sacrosanctæ Tridentinæ Synodi sessionibus, quibus Catholica fides de Gratia & Libero Arbitrio adversùs Calvinistas & Lutheranos asserta est; prima in Augustini doctrinam, Thomisticis præsertim in scholis propugnari solitam, tentata velitatio fuit anno 1549. unde prima Controversiarum istarum & adornandæ Historiæ nostræ proludia peti possunt.

Patriarchatum Aquileiensem ab annis circiter quatuor occupabat Joannes Grimani, Patritius Venetus, Vir ingentium virtutum, Antiquitatis diligens investigator, litterarum amans, & litteratorum Mœcenas beneficentissimus; ex inclita Grimanorum prosapiâ originem ducens, quæ tot Aquileiæ Patriarchas, tot Ecclesiæ Romanæ Purpuratos Principes, tot Reipublicæ Venetæ serenissimos Duces dedit. Venetiis agebat ille anno 1549. cum ab suo Vicario Generali Utinensi litteras accepit, quibus significabat, Fratrem Leonardum Utinensem * Ordinis Prædicatorum, nonnullas inter concionandum Propositiones de divinâ Prædestinatione protulisse, quæ plebem totumque consessum non mediocriter offendissent. De duabus præsertim scandalum ortum inquiebat: Primâ, *Prædestinatus à Deo nullo modo damnari potest; quia quantumvis in peccata labatur, Deus eum ita eripit, quòd illum salutem tandem consequi necesse sit.* Alterâ, *Electio ac Prædestinatio ita sunt necessariæ, ut in voluntate & arbitrio nostro neque salus, neque damnatio posita sit.*

Ex Ughellio in Italia sac. And. Mauroc. in Hist. Venet. Tyb. Deciano respon. 9. Pallavi. in Hist. Conc. Trid.

** Is distinguendus est ab altero Leonardo Utinensi, antiquiore Dominicano cognomine & concive, qui Concilio Basileensi Ferrariam translato interfuit sub Eugenio IV.*

Re, quantum ex temporis necessitate licuit, maturè discussâ, rescripsit Patriarcha Aquileiensis prolixam satis Epistolam * die 17. Aprilis, qua Prædicatoris in Hæreseos suspicionem vocati partes suscipiens, abstrusiora divinæ Prædestinationis arcana fusiùs exposuit; quòd id sedandis motibus, & erudiendæ plebi necessarium existimaret. Tractatum etiam hoc de argumento paulò explicatiorem elaboravit post menses aliquot, quo doctrinam suâ in Epistola contentam cumulatiùs exponeret, variisque Scripturarum, Conciliorum, ac Patrum testimoniis confirmaret. Nemo fuit, qui per annos circiter duodecim adversùs Epistolam ejusve Tractatum mussitarit; tametsi per universum Patriarchatum, instar documenti Pastoralis, utraque lucubratio vulgata esset. Cœpit anno dumtaxat 1560. excitari tempestas, ab invidis corruptisque tenebrionibus, quos sua illi virtus infractusque animi vigor in regenda plebe concitaverant. Cum enim grassante tunc in Germania hæresi Lutheranâ, & latè finitima quæque loca depascente, servando pecori studiosiùs incumberet, & ad severitatem, pro restituendâ disciplina Ecclesiastica, pronior foret, nonnullorum è Clero invidiam subiit, quorum castigandis ac perpoliendis obsoletis moribus studium impenderat. Opportunum ulciscendi tempus arripuere pravi homines, statim atque Pius IV. Pontificatum auspicatus, sacrum Cardinalium Collegium viris pietate, religione ac rerum usu insignibus, qui laboranti Ecclesiæ turbulentissimis temporibus opem ferrent, augendum ratus, Patriarcham meritissimum adlegere meditabatur. Consepultam Epistolam, ac penè vetustate temporis exesam, è cineribus dolo malo excitatam, ad sacrum Romanæ Inquisitionis Tribunal detulere, tanquam quæ Lutheranos & Calvinianos de divina Prædestinatione errores complecteretur, ut eo objecto probro Patriarcham denigrarent, Pontificemque à conferenda Purpurâ dimoverent.

** Hæc Epistola cæteraque hujus controversiæ Instrumenta habentur in Appendice. Num. I.*

Versabatur ille tunc Romæ, dum hæc in eum tempestas sæviit: pro viribus

bus adniti cœpit, ut depulsis objectæ criminationis nebulis, religionem suam ac fidem in aperto poneret. Ad Pontificis pedes vocatus, Epistolæ suæ doctrinam profluentibus ubertim lacrymis exposuit, editumque à se sub idem penè tempus Tractatum obtulit, in quo quid de Prædestinatione sentiret, distinctiùs exposuerat; omnesque tum hoc de argumento, tum de aliis quibuscunque, sensus suos Apostolicæ Sedis judicio subjecerat. Fluctuare ad hæc aliquantulum cœpit optimus Pontifex, qui Patriarcham nova quidem dignitate auctum vellet, ut Serenissimæ Reipublicæ votis, ejusque meritis responderet: at virum de hæresi nuper accusatum sacris infulis induere, pudor erat. Sacræ Inquisitionis Consessum in Consistorii pervigilio festinanter indixit, ut præsens ipse Patriarcha Epistolam in jus vocatam, fidemque suam exponeret. Dixit ergo, imparatus licet atque ex tempore, de variis Epistolæ suæ propositionibus in suspicionem adductis: sed fidem suam, non ita in aperto posuit ut omnem prorsus nebulam depelleret. Quare illo posthabito, destinatos viros Purpurâ induit Pius IV. die 26. Februarii 1561. quos inter, ne invisam sibi Rempublicam faceret, quæ pro Grimani Purpurâ ardentiùs supplicaverat, duos adlegit Patritios Venetas, Bernardum Navagerium ex inclito Sapientum Ordine, & Antonium Amulium apud Sedem Apostolicam Oratorem: spopondítque altiori se Grimani fortunę provisurum, cùm primùm eliquatâ causâ, omnem fidei suæ offusam nebulam depulisset.

Rem paulò aliter referunt Scriptores Veneti. Joannem Grimanum re ipsa ab summo Pontifice Cardinalem creatum aiunt, eo tamen tempore declarandum, quo judicata lite, fidem suam plenè purgasset. Quin etiam Joannem Formetum Romam ab Senatu Veneto legatum addunt, qui ob delatam Grimano & Navagerio purpuram grati animi sensum exsolveret; nihilque interim de Amulio nova dignitate aucto significaret, ob perpetratum ab eo in ea suscipienda adversùs patrias leges facinus ingens. Audi ea de re Andream Maurocenum, Venetum Senatorem, qui cęteris fusiùs, accuratiùs & elegantiùs de rebus Venetis scripsit. *Ex Veneta nobilitate tres Cardinales adlegit, Joannem Patriarcham Aquileiensem (à quo pronuntiando, ob ei inflictam à malevolis calumniam abstinuit) Bernardum Navagerium; qui tunc præcipuum in Republica Sapientis Consilii Magistratum gerebat, M. Antonium Amulium Legatum. Is, quòd adversùs leges delatam dignitatem accepisset, magnam apud Senatum Civitatemque universam invidiam subiit....... Joannes Formetius iterum citato itinere Romam contendit, qui de Grimano atque Navagerio summa dignitate ornatis ingentes Senatus nomine Pontifici gratias ageret. Quod ad Amulium attineret, Pii voluntati repugnare se nolle: cæterùm perperam Legatum fecisse, qui Patriæ legum oblitus, ab officio recesserit. Adjectum, ne illum inviseret, neve alloqueretur, neve quidquam de publicis negotiis communicaret.* Quid plura? Tam certa fuit de delata (ut aiebant sub conditione purgandæ fidei) Grimano Purpura Venetorum opinio, ut Tyberius Decianus, Marcus Mantua, & Hieronymus Torniellus Juris Pontificii ac Cæsarei in Academia Patavina Professores, sententiam scripto rogati quid juris, confidentissimè pronuntiarint, Joannem Grimanum, nova licet inauguratione non accedente, pro sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinali habendum omninò, ex quo fidem suam dato Apologetico scripto purgasset. Verùm fuerit ita, necne, definire nostra non est, penes Autores fides esto.

And. Mauroc. lib. 8. hist. Veneta.

Vide apud Decianum Resp. 8.

Casum hunc, qualiscunque ille fuerit, magno animo tulit Joannes Grimanus. Romæ substitit aliquandiu, causamque suam judicio maturavit. Epistolæ suæ doctrinam scripto defendit mense Augusto, sententiamque ex Pontificio Oraculo ferri petiit: at supremæ Inquisitionis Tribunali commissa res est. De septem Propositionibus Quæstio fuit, ex variis Epistolæ locis compendio deductis.

Prima

Prima Propositio: *Prædestinatio à solo Deo est.*

Secunda: *Prædestinatio dumtaxat pendet à liberis Dei promissionibus.*

Tertia: *Prædestinatus damnari non potest; nec reprobus, salvari.*

Quarta: *Reprobos nunquam Deus intuetur oculis misericordiæ suæ.*

Quinta: *Diabolus prævalere non potest contra determinatum numerum electorum.*

Sexta: *In salutis negotio totum Deo tribuendum est.*

Septima: *In reprobis nihil valet liberum arbitrium ad salutem obtinendam.*

Eâ de re Congregatio haberi cœpit die 11. Decembris 1561. Ex objectis Propositionibus tres unanimi quidem suffragio, quatuor pro majori dumtaxat votorum parte probatæ sunt: nonnullis scilicet Consultoribus erroris suspicionem opponentibus. Hos inter extitisse fertur Felix Perettus Montaltius, qui postmodum sub Sixti V. nomine Pontificatum obtinuit: cujus etiam suffragium Censorium, ea occasione datum, in publicis Generalis Inquisitionis tabulis legitur.

Eo se judicio absolutum Grimanus existimabat, quòd ita Judiciorum forma postulare videretur. Verùm fecit æmulorum autoritas, aut etiam (quod æstimare pronum est) conditio temporum, quæ vel minimam Calviniani erroris suspicionem in Ecclesiæ Principe pati nollet, ut causam maturiori examine limari voluerit Pius IV. sustinuit itaque Grimanus menses aliquot, candidiorem Romæ solem brevì oriturum sperans: causam conjunctis cum Oratore Veneto supplicationibus eliquari petiit multis admodùm vicibus: donec tædio solutus, quòd rem suam plus nimio procrastinari cerneret, Româ secessit Neapolim versùs, animum magnis longisque curis defatigatum levaturus: quanquam Româ per multa milliaria jam absens, accepto nuntio quo ab Augustissimo Senatu vocabatur, viam quæ Loretum ducit arripiens, citatis equis Venetias contenderit. Sui tamen, quantum licuit, officii memor fuit: Oratorem litteris rogavit, ut inopinati itineris rationes Pontifici significaret; quas etiam (ut ex Rescripto didicit) benignissimus Pater ratas habuit.

Fugæ instar ab æmulis discessus est habitus; quasi causæ meritis diffisus Grimanus maturiori examini se negasset. Fuere qui illum ea mente aufugisse dicerent, ut causam judicio Pontificio eriperet, & ad Synodum Tridentinam deferret, quæ magno tunc Ecclesiæ emolumento celebrabatur. Quare Legatos suos confestim litteris monuit Pius IV. ne Grimani causam, coram Romana Inquisitione ac ipsa etiam Apostolica Sede pendentem, acciperent, eidemque significarent, non Tridenti comparendum, sed Romæ; ubi litem in integro, si Reus mallet, Consistorio, brevì dirimeret. Non iis ille hortamentis eguit; qui licet causam suam ab œcumenica Synodo cognosci maluisset, voluntatem hortante Senatu Veneto deposuerat, ne reluctantem Pontificem offenderet. *Die 18. Mart. & 11 Junii 1562.*

Grimanum tamen denuò Romæ sisti Senatus noluit, quòd Cardinalium quorundam Inquisitorum Generalium aversum ab illo animum existimaret: sed quâ valuit apud Pontificem gratiâ petiit, ut causam ipsemet Concilio committeret: Apostolicæ Sedis autoritatem nequaquam imminutum ac læsum iri arbitratus, si causam jam ab eo cognitam, ipso quidem volente atque mandante Synodus absolveret. Pronus quidem erat ad assensum Pontificis animus: at repugnante, ut ferebatur, Inquisitorum Consilio, diu hæsit: donec sedatis animis, instantis Reipublicæ votis omninò respondit. Causæ instrumenta Cardinalibus Morono ac Navagerio, quos novos Tridentum Legatos mittebat, tradi jussit; quibus, uti & Reipublicæ Oratori, significavit, assentiri se perlubenter, atque etiam omninò velle, ut causam universam Synodus cognosceret. Quapropter ex Pontificis nutu Tridentum contendit Joannes Grimani mense Junio 1563. Magno viginti circiter Prælatorum comitatu

cinctus Legatos adiit, quæ res nonnullis stomacho fuit. Judicium festinari rogarunt Reipublicæ Oratores; at nonnulla mora præter exspectationem adjecta est. Quanquam enim Pontificis assensum, Navagerii ac Moroni Cardinalium fide nossent Tridentini Patres, operi tamen manum admovere detrectarunt, donec misso Romam Cursore, Pontificis voluntatem proprio Rescripto, atque etiam formâ Brevis, testatam haberent. Rescripsit non sine sensu Pius IV. die 1. Julii privatâ Epistolâ, tum subinde die 3. formâ Brevis, nihil ultra Navagerii ac Moroni fidem, pro internoscenda Sanctitatis suæ voluntate, desiderari debuisse: assentiri se perlubenter, atque etiam omninò velle, ut causa Patriarchæ Aquileiensis Synodi Judicio finiretur: optionem demùm Venetis Oratoribus dari oportere, num causam Patrum omnium suffragiis committi vellent; an delegandorum ab universo cœtu Deputatorum votis; quanquam ipse hoc ultimum probaret magis, modò peritiores omnium nationum Theologi (Venetis, aliisve qui causam Romæ judicassent dumtaxat exceptis) assumerentur.

Hæc ultima, conspirantibus universis, judicii forma servata est. Adlecti die 20. Julii ab universa Synodo Ecclesiastici in primis omnium nationum Oratores, Archiepiscopi, Episcopi, altioris famæ Theologi, Itali, Hispani, Galli, Germani, Belgæ, omnes numero viginti quinque*; quibus instante Grimano ipso, ac Venetis Oratoribus, duo Cardinales adjecti sunt. Totius OEcumenicæ Synodi nomine, Grimani Epistolam hæreseos insimulatam ejusdemque scripta Apologetica, quibus objectas erroris accusationes ante diluerat, per dies viginti quatuor privatim examinarunt, ac cum aliis etiam ultra deputatos Theologis contulere. Post privata cujusque studia, publicæ omnium Congregationi indicta dies est, decima tertia Augusti; ubi collatis per horas sex suffragiis universis, concordi unanimique consilio, ne vel uno quidem ex Deputatis omnibus dissentiente, in hanc sententiam itum fuit; quam Cardinalis Pallavicini verbis referre malim, quàm meis, in æmulorum accusatorum dedecus sempiternum. *Unanimamente convennero, che in certa Lettera, scritta multi anni prima dal Patriarcha al suo Vicario d'Udine, intorno alle Propositioni datte da un Predicatore, nella materia della Predestinatione; la qual lettera era il fundamento dell'accusa; non fosse parola meritevole di Censura; ne pur tale che non si trovasse ò in Sant' Agostino, ò in San Prospero, ò in San Bernardo, ò in San Tomaso, e similianti Dottori: e così ancora esser paruto a tutti i Teologi, con cui essi ne havenano conferito.* Quæ verba ita ad amussim reddas Latino Idiomate: *In hanc sententiam uno animo conspirarunt, In certa quadam Epistola ante multos annos à Patriarcha ad Vicarium suum Utinensem datâ, circa Propositiones à Concionatore quodam in materia Prædestinationis pronuntiatas, ne verbum quidem esse Censurâ dignum, aut quod vel in S. Augustino, vel in S. Prospero, vel in S. Bernardo, vel in S. Thoma, aliisque consimilibus Doctoribus non legatur. Idemque etiam visum esse Theologis omnibus, cum quibus ea de re contulissent.*

* *Viginti quatuor tantùm recensiti inveniuntur in Actis.*

Lib. 22. hist. Conc. Trid. Cap. 3. n. 10

Deputatorum Judicium confestim Senatui suo, misso cursore significarunt Veneti Oratores; Legati verò, Pontifici Maximo. Die 18. Septembris pronuntiati Judicii Instrumentum in publicas Tabulas relatum est, in hæc verba: *Domini nostri Jesu Christi Nomine invocato, solum Deum præ oculis habentes, & de aliorum in Theologia peritorum consilio & assensu, judicamus, attestamur, & pronuntiamus, prædictas Litteras prædicti Reverendissimi Domini Joannis Grimani, Patriarchæ Aquileiensis, cum Apologia junctas, non esse hæreticas, seu de hæresi suspectas, neque sic declaratas esse scandalosas: non tamen divulgandas propter nonnulla difficilia minùs exactè in eis tractata & explicata. Ita dicimus, declaramus, pronuntiamus, sententiamus, omni meliori modo.*

De Grimani Orthodoxiâ in Concilio Tridentino probatâ, de reportato

de

de tot æmulis triumpho, déque acceptis hac occasione gratulatoriis Epistolis, hæc in Annales Venetos retulit Andreas Maurocenus lib. 8. *Neque prætermittendum est, Joannem Grimanum Patriarcham Aquileiensem, pravorum hominum, quòd minùs catholicè in Epistola quadam de Prædestinatione scripsisset, calumniis appetitum, summo cunctorum Patrum consensu, ab omni noxæ suspicione immunem judicatum fuisse: magnaque lætitiâ ob eximium, quo Patriarcham complectebantur, amorem perfusi Patres, non modò cum eo per litteras sunt gratulati; verùm etiam, ut insignis viri famæ atque honori consulerent, præclarum de illo Patrum judicium, Regibus ac Principibus Christianis communicarunt.*

Ad eandem Grimani victoriam complaudens alludebat Patavii Nicolaus Antonius Gravatius Briaticensis, Juris-consultus, IV. Kalendas Februarii, mense à dicta sententia quarto, à Synodo dissolutâ, secundo; in sua ad Patriarcham Nuncupatoria præfixa Octaviani Vestrii J. C. Introductioni in Romanæ Aulæ Actionem & Judiciorum mores. *Cunctis*, inquit, *tua virtus, gloria, clari natales, gloriosáque stemmata satis explorata sunt atque elucescunt. Tu certè talem Te jam inde à puero semper præbuisti, talisque innocentissimæ tuæ vitæ ratio fuit, ut verè possimus dubitare, an tibi dignitas, an potiùs tu dignitati plus ornamenti conferas. Tu ille, inquam, es quem omnes ubique prædicant, hominem esse omnium honorum usui natum, etsi livor atque insana fortuna frustra tamen oppugnare tentaverint: quos firmissimis conscientiæ præsidiis munitus, præclarè nedum contemsisti, sed contrivisti etiam & conculcasti. Enimverò sic omnia feliciter his succedunt qui sua consilia piè ac religiosè ad Deum referunt. Quamobrem ob incredibiles virtutes tuas exstat admirabilis gloria tua, & frequens in sempiternum erit fama cum laude &c.*

In eundem etiam sensum Tyberius Decianus anno 1578. in sua Responsorum publicâ nuncupatione, Grimano triumphum gratulatur. *Licet multorum Præsulum doctrina, mores & vita à multis laudentur, tua tamen integritas, innocentia, Fides Catholica, ac gratissima cœlo pietas, sacrosanctæ Theologiæ profunda eruditio, non ab uno vel altero, sed ab universo Christianorum cœtu, nempe à sacrosancto & œcumenico Tridentino Concilio, quò universa Sanctorum ac Doctorum Patrum Ecclesia confluxerat, non modò fuit approbata, & à malevolorum rabie vindicata, sed & summè laudata, & ex professo gloriosè prædicata: quod nescio an ulli mortalium, jam annis anteactis tam feliciter, tantoque summorum atque eruditorum virorum applausu contigerit.*

Jam quid ex ea Patriarchæ Aquileiensis absolutione Scholæ Thomisticæ lucri veniat, demonstrare nostrarum omninò partium putaremus, nisi res in aperto foret. Quis enim primo rerum intuitu, non illicò videat, illas Utinensis Concionatoris assertiones, ab Illustrissimo Præsule vindicatas, cæterasque ea in Epistola passim additas, & à Synodo Tridentina ab erroris suspicione vindicatas, ex earum numero esse, quas in plerisque Thomistis nonnulli sugillant? Quin immò nemo non statim intelligit, assertionum illarum aliquas iis verbis expressas esse, quæ si nunc Thomistarum aliquis usurparet, cœlum rueret. Heu quàm præcipiti æmulorum accusatione peteretur! quàm liberaliter invidiosum, quod passim volitat, affictum nomen! Nullum esset convicii genus, quod non in illum exspueret sacer furor. Et hæc tamen præcipua hujus Epistolæ capita erant, cujus ne verbum quidem censurâ dignum invenit Tridentina Synodus, aut quod in Ecclesiæ Patribus non legatur.

CAUSA

CAUSA
P. LUDOVICI MOLINÆ
SEPTIES AD EXAMEN VOCATA EST.

PRIMUM EXAMEN anno 1598. peractum est, coram selectis Censoribus, Præsidentibus Cardinalibus LUDOVICO MADRUTIO, & POMPEIO ARRIGONIO: Congregationibus undecim causa tractata est: ac demum Censorum Judicia scripto lata. *V. Lib. 2. cap. 2. p. 164.*

SECUNDUM EXAMEN, seu veriùs amica Collatio partium, à die 22. Februarii anni 1599. ad diem 20. Aprilis anni 1600. octo Congregationibus peracta est; tum subinde scriptis ultrò citróque datis: Præside CARDINALI MADRUTIO; Arbitris CARDINALIBUS BERNERIO Ord. Prædicatorum, & BELLARMINO è Societate. *V. Lib. 2. cap. 4 p. 184.*

TERTIUM EXAMEN, seu primi examinis recognitio, à die 27. Aprilis anni 1600. ad diem 9. Septembris, binis Congregationibus qualibet hebdomadâ celebratis. *V. Lib. 2. cap. 9. p. 219.*

QUARTUM EXAMEN anno 1601. celebratum est à selectis Censoribus. *V. Lib. 2. cap. 13. p. 238.*

QUINTUM EXAMEN à die 20. Martii anni 1602. ad diem usque 22. Januarii anni 1605 præsente CLEMENTE VIII. & Emin. Card. Inquisitoribus Generalibus habitum est. Habuit Congregationes 68. *V. Lib. 3. cap. 1. p. 351.*

SEXTUM EXAMEN à die 14. Septembris 1605. ad diem 1. Martii 1606. habitum est: Congregationibus constans 17. præsente PAULO V. & Emin. Card. Inquisitoribus Generalibus. *V. Lib. 4. cap. 1. p. 585.*

SEPTIMUM EXAMEN, pro Censuris ultimò colligendis, & Pontificio Diplomate meditando, à die 5. Octobris anni 1606. ad diem 20. Julii 1607. *V. Lib. 4. cap. 15. p. 667.*

NOMINA

Eorum qui aliquas in Congregationibus de Auxiliis partes habuerunt.

PONTIFICES.

CLEMENS VIII.
PAULUS V.

CARDINALES.

Card. Ludovicus Madrutius, Episcopus Tridentinus.
Card. Hieronymus Bernerius de Corrigio, vulgò de Asculi, Ord. Prædic. Episcopus Albanensis.
Card. Paulus Sfondratus, Mediolanensis.
Card. Dominicus Pinellus, Genuensis, Episc. Tusculanus.
Card Petrus Aldobrandinus, Clementis VIII. ex Fratre Nepos.
Card. Annas Descars de Givri, Gallus, Ord. S. Benedicti.
Card. Laurentius Blanchettus, Bononiensis.
Card. Pomponius Arrigonius, Romanus.
Card. Franciscus de Avila, Hispanus.
Card. Innocentius Bufalo, Hispanus.
Card. Antonius Zapata, Hispanus, Archiepiscopus Burghensis.
Card. Robertus Bellarminus, Politianus, è Societate Jesu.
Card. Camillus Burghesius, Romanus, qui fuit Paulus V.
Card. Anselmus Morsatus de Monopoli, Ord. Capucinorum.
Card. Jacobus Davy du Perron, Gallus, Episc. Ebroïcensis, postea Archiepiscopus Senonensis, & magnus Franciæ Eleemosynarius.
Card. Ferdinandus Taverna, Mediolanensis.

Episcopi Censores primi Ordinis.

Propertius Resta, Ord. S. Francisci, Episcopus Geruntinensis & Cariatensis.
Petrus Lombardus, Archiepiscopus Armachanus, Hiberniæ Primas.
Joannes de Rada, Episcopus Pactensis, Ord. S. Francisci, postea Archiepiscopus Tranensis.
Julius Sanctutius à Monte-Filatrano, Episcopus Sanctæ Agathæ Gothorum, Ord. S. Francisci.
Hieronymus Palantierus, Episcopus Bitontinus, Ord. S. Francisci.
Lælius Suessanus, Episcopus Neritonensis.
Hyppolitus Masserius, Episcopus Montis-Pelusii, Ord. Servorum.
Basilius Pignatellus, Episcopus Aquilanus, Clericus Regularis Theatinus.

Theologi Censores secundi Ordinis.

Henricus Sylvius, Vicarius Generalis Ord. Carmelitarum.
Joannes Baptista Plumbinus, Procurator Generalis Ord. S. Augustini.
Franciscus Brusus, Procurator Generalis Ord. S. Francisci.
Gregorius Nunnius Coronel, Ord. S. Augustini, primus Congregationis Secretarius.
Anastasius Brixiensis, Ord. S. Benedicti, Prior S. Pauli, posteà Abbas S. Mariæ de Farfa, secundus Secretarius.
Anselmus de Monopoli, Procurator Generalis Ordinis Capucinorum. Is fuit S. R. E. Cardinalis qui supra.
Antonius Bovius, Ordinis Carmelitarum Regens.
Jacobus le Bossu, Ord. S. Benedicti, Doctor Sorbonicus.
Ludovicus de Creil, Doctor Sorbonicus.

Generales Ordinum, Actores in causa.

Hyppolytus Maria Beccaria, Generalis Prædicatorum.
Hieronymus Xavierres, Generalis Prædicatorum
Claudius Aquaviva, Generalis Societatis Jesu.

Procuratores Causæ.

Paulus Isarecius, Vicarius & Procurator Generalis Ord. Prædicatorum.
Raphaël à Ripa, Ord. Prædicatorum.
Benedictus Justiniani, è Societate.
Michaël Vasques de Padilla, è Societate.

Disputatores pro Prædicatoribus.

Thomas de Lemos, Magister.
Didacus Alvares, Magister & Regens Minervitanus.

Disputatores pro Societate.

Gregorius de Valentia.
Christophorus Cobos.
Petrus Arrubal.
Ferdinandus de Bastida.
Joannes de Salas.
Bartholomæus Peres.

ELEN-

ELENCHUS
PARAGRAPHORUM PRÆFATIONIS,
LECTORI PERNECESSARIÆ,

Quâ Actorum fides asseritur, vindicatur, multáque continentur ad præsentis Historiæ elucidationem opportuna.

INDEX CAPITUM
QUATUOR LIBRIS
HISTORIÆ CONGREGATIONUM
DE AUXILIIS
CONTENTORUM.

LIBER PRIMUS.

Quo referuntur Controversiæ, in Belgio primùm, tum in Hispania habitæ; quæ hisce Congregationibus locum dedere: ad annum usque 1597. quo causa Romam ascita, primò cognita est.

rum,

LIBER SECUNDUS.

Quo quadruplex Causæ cognitio, in Romanis Congregationibus ab anno 1597. ad annum 1602. habita describitur.

pro-

LIBER TERTIUS.

Quo Quinta Causæ cognitio ab anno 1602 ad annum 1605. coram Clemente VIII. & Eminentissimis Cardinalibus Generalibus Inquisitoribus, aliisque Censoribus deputatis, habita narratur.

LIBER QUARTUS.

Quo ultima Causæ cognitio ab anno 1605. ad annum 1607. coram Paulo V. & Eminentissimis Cardinalibus Generalibus Inquisitoribus, aliisque Censoribus deputatis, habita narratur;

Sententia à Pontifice decreta, etsi nondum ex præscripto juris promulgata, aliáque subinde secuta referuntur.

INDEX APPENDICIS.

Quâ varia continentur Instrumenta seu Scripta paulò prolixiora, quàm ut Historicæ Narrationi commodè inseri potuerint; quæ idcircò in hunc locum consultò missa sunt.

FINIS INDICIS APPENDICIS.

CENSORUM JUDICIA.

CENSURA

Reverendi admodum ac Perillustris Domini HENRICI DENIS, Sacræ Theologiæ in Academia Lovaniensi Licentiati, Cathedralis Ecclesiæ Leodiensis Canonici-Theologalis, in ejusdem Ecclesiæ Seminario Theologiæ Professoris, necnon Examinatoris Synodalis.

ETsi celeberrimæ de Divinis Auxiliis Controversiæ Historia, quæ in publicum prodit, nonnullam belli imaginem præ se ferat, pacis tamen Opus est, pacisque negotium adoritur ac concordiæ inter Theologos ineundæ viam sternit. Hæc enim velut quoddam MOTIVUM JURIS esse mihi videtur pro instruendâ & urgendâ decisione litis jam à centum annis coram Apostolica Sede pendentis adornatum: in quo perspicuè, eleganter, candideque exponuntur controversiæ materies, origo, progressus, statusque hodiernus; expenduntur litigantium partium rationes, argumenta, momenta omnia, septies ad examen per totum decennium revocata; referuntur scripta juridicè à Partibus prolata, disputationes coram sanctissimis Pontificibus eorumque delegatis Consultoribus habitæ, & pleraque ordinandæ informandæque litis instrumenta; narrantur denique importuna jurgia, contentiones acerbæ, malaque innumera, quæ ex iis controversiis nondum juridicè decisis enata sunt, & scholarum totiusque Ecclesiæ pacem ac concordiam miserum in modum labefactant. His igitur supremæ Apostolicæque Sedis tribunali expositis, quis non speret futurum, ut optimus Pontifex Innocentius XII. Pacis non minùs quàm Veritatis amans, huic tam diuturnæ controversiæ finem tandem imponat, sententiamque suam tot ardentibus votis expetitam, ex Apostolicæ Cathedræ solio pronuntiet? Hac spe animatus hanc *Historiam Congregationum de Auxiliis Divinæ Gratiæ* velut Augustinianæ ac Thomisticæ de gratiâ doctrinæ vindicem, Apostolicæ Sedis adversùs hæreticorum calumnias apologeticam, Ecclesiasticæ pacis ac Theologicæ unitatis prodromam, exultans vidi, ac securus probavi, cum nihil illa contineat fidei Catholicæ ac bonis moribus non consentaneum, & Ecclesiæ utilitatibus accommodum. Dabam Leodii 7. Martii 1699.

H. DENYS, *S. Th. Licent. & Professor, nec non Canonicus Theologus Leodiensis, ac Examinator Synodalis.*

CENSURA

Sapientissimi Domini ARNOLDI EYBEN, Cathedralis Ecclesiæ Antverpiensis Canonici Theologalis & Thesaurarii, Archipresbyteri Ruralis, ac Censoris Librorum.

ATtentè perlegi hanc *Historiam Congregationum de Auxiliis, quatuor Libris comprehensam*, simul cum *Appendice*: cumque in iis nihil occurrerit aut à fide devium, aut bonis moribus adversum, judicio meo (quod tamen Sedis Apostolicæ Censuræ reverenter subjicio) publicam illa lucem meretur. Faxit Deus ut per eam obstruantur petulantia ora Heterodoxorum, Pelagianismi notam Romanæ Ecclesiæ per calumniam affricantium: & Ortodoxorum aliqui desinant pro versatili Molinæ gratia, voluntatis infirmæ pedissequâ, inanes buccinare triumphos: ac demùm omnes uno ore, ac eodem sensu confiteantur illam gratiam, quæ efficaciam suam habens ab omnipotentiâ Dei ac dominio quod habet in voluntates hominum, facit non minùs fortiter, quàm suaviter, ut in præceptis ejus ambulemus, & judicia custodiamus ac operemur. Dabam ANTVERPIÆ hac 1. Aug. 1699.

ARNOLDUS EYBEN, *Cath. Antverp. Can. Theologalis, Librorum Censor.*

CEN-

C E N S U R A

Sapientissimi D. JOANNIS LE BEAU, ad S. Adalberti Leodiensis Curio-Decani, ac Synodalis Examinatoris.

CUm multi Pontifices Prædecessores nostri, inquit Clem. VIII., *doctrinæ sancti Augustini de Gratia, tam acres fuerint assertores & vindices, ut quasi hæreditario jure, eam in Ecclesia relinqui voluerint, æquum non est, ut patiar illam hac quasi hæreditate privari:* hinc non mirum, si parvulus ego Rom. Ecclesiæ Filius, Sanctissimi Patris animo ac consiliis obsequens, gaudeam in publicum prodire hanc Historiam: quæ ad laudem gloriæ Gratiæ Domini JESU, communemque totius Ecclesiæ utilitatem, quantopere collatura sit, vel ex ipsius argumento augurari licet, cum totam celeberrimæ controversiæ seriem exhibeat, & invictas Augustinianæ doctrinæ vindicias, numerosissimæ ac sapientissimæ Congregationis judicio confirmatas, omnium oculis subjiciat: quamobrem non tam Censorum particularium judicium, quàm unanimem Theologorum omnium gratulationem exigere videtur. Proinde dum sacræ illorum turbæ gratulanti, sub sanctæ Sedis Apostolicæ beneplacito, & ego gratulabundus accedo, liceat mihi, non minùs charitatis quàm veritatis amanti, ex demissæ mentis penetralibus, fraternæ pacis vota depromere, juxta suspiciendum Magni Leonis PP. sensum, quo magnificè dixit Epist. 20. ad S. Flavianum: *Decet in talibus causis hoc maxime provideri, ut sine strepitu concertationum & charitas custodiatur & veritas defendatur.* Veritati servient hæc amabilia S. Augustini verba in Psalm. 57. *Quid gloriosius Fratres, quam subjici & vinci à Veritate? Superet te Veritas volentem; nam & invitum ipsa superabit.* Charitati suffragabuntur hæc mellita S. Bernardi Epist. 35. *Inter amicos, contra veritatem nulla debet esse meticulosa, cum sit periculosa, palpatio.* Accedat ergo, Lector benignus, qui tranquillâ mente, sedato corde, pacis studio, qui veritatis amore, Religionis affectu, Ecclesiæ sollicitudine, in veritate & charitate ambulet, unitatis Christianæ tenax: sic voveo, sic cupio sub illius supremæ Sedis Patrocinio, cui hæc, & omnia mea libentissimè simul & humillimè submitto: dabam LEODII Calendis Julii *1699*.

JOANNES LE BEAU, *S. Adalberti Curio-Decanus, Examinator Synodalis.*

ALIORUM THEOLOGORUM
A P P R O B A T I O N E S.

JESUS, MARIA.

EMinentissimi Cardinalis BERULLI, ejusque Oratorianæ Congregationis degenerem me Filium probavero, si prodeunti in publicum *Historiæ Congregationum de Auxiliis Divinæ Gratiæ sub Summis Pontificibus Clemente VIII. & Paulo V.* venerabundus non assurgam, ejusque eruditissimo ac sincero Autori meæ qualiscunque Approbationis calculo suffragari subterfugiam. Actorum enim celeberrimæ illius Congregationis editio, triumphus est omnipotentis gratiæ Christi, quam Eminentissimus Parens noster deperibat; Honor est sancti Patris Augustini, cujus ille doctrinæ suos omnes addictissimos esse, addictissimus ipse, voluit; Decus est Romanæ Ecclesiæ Sedisque Apostolicæ, cujus de gratia fidem à doctissimis Pontificibus assertam, contra calumniantes Heterodoxos propalàm evincit; Solatium est denique nostræ ipsius Congregationis, quæ Cathedræ Petri & Augustino, cujus illa doctrinam toties suam fecit, indivisè adhærens, non aliam hucusque amplexa ac tuita est quàm quæ hic à doctissima Congregatione de Auxiliis, ut divinis Scripturis & sacræ Traditioni conformis, post septem decennalis judicii Examina, confirmatur ac sancitur. Si gloriari oportet (& expedit quidem) est unde Oratorio nostro gratulemur, quòd ex illo primùm in lucem publicam, ante annos ferè septuaginta emerserit, & Urbano VIII. Summo Pontifici oblata fuerit, jussu Eminentissimi Institutoris nostri, Actorum hujus Congregationis pars exigua quidem, sed nobilissima; summa videlicet Orationis, aurum contra æstimandæ, quam velut totius illius Judicii fundamentum posuit Clemens VIII. & cui pariter velut quadrato lapidi

Opus suum *De libertate Dei & creaturæ* superstruxit Gibieufus noster, Doctor & Socius Sorbonicus. Si portio tam exilis ex integra Actorum mole delibata tanto tunc plausu excepta est, & ab Augustinianis Theologis tam avidè hausta, quid non pro integra Historia sperandum? *Si enim delibatio sancta, & massa* (liceat Pauli verbis abuti) *& si radix sancta; & rami.* Dubitas, candide Lector? *Veni & vide:* sicut ego veni, vidi, probavi, sanctè attestans in eo opere tam laborioso, nihil à me fuisse deprehensum, quod fidei Catholicæ bonisque moribus adversetur: immò nihil quod perutile non sit ac penè necessarium ad vindicandam gratiæ Christianæ veritatem, ad humana novellarum opinationum inventa confutanda, ad pacem Ecclesiarum scholarumque tranquillitatem stabiliendam. O utinam! Sic testor ac voveo in Bruxellensi nostro Oratorio die 1. Augusti 1699.

J. DE HONDT *Presbyter, S. Theol. in Academia Lovaniensi Licentiatus, Præpositus Congreg. Oratorii D.* JESU, *per Provinciam Mechliniensem.*

AD laudem gratiæ Omnipotentis, Apostolicæ Sedis honorem, & Augustinianæ Thomisticæque Scholæ defensionem prodit tandem in lucem integra ac sincera Congregationum de Auxiliis Divinæ Gratiæ Historia, quatuor hisce libris ab Eximio Domino AUGUSTINO LE BLANC, S. Th. Doctore fideliter exposita, in quibus videre est Autorem radiis & amore veritatis perfusum perspicacissimè ejusdem Historiæ malignos depravatores detegentem ac refutantem. Tam solida enim & clara in veritatis defensionem eleganti stylo, & mira dicendi dexteritate deducit, ut adamantis instar, nequaquam tenebricosis offuciis, aut mallei malè ferientis ictibus sint obnoxia. Quare cum nihil fidei, aut bonis moribus dissonum contineat, illam prelo & plausu dignam judico; ut evidenter ac fideli calamo demonstrata veritas, in ejusdem adulteratorum confusionem triumphet. Datum Leodii ultimâ Julii 1699.

FR. PHILIPPUS VERDIN *Ord. FF. Minimorum S. P. Francisci de Paula per Belgium & inferiorem Germaniam Provincialis, & S. Theol. Lector.*

TOtam Historiam Congregationis de Auxiliis sub Romanis Pontificibus Clemente VIII. & Paulo V. quatuor Libris contentam, latè deductam, & eleganti stylo propositam unà cum Appendice legi, & judicavi dignam, quæ preli beneficio ad omnium Theologorum manus perveniat, ut tandem agnoscant & admittant libero arbitrio prædominantem gratiam, quam agnoverunt & admiserunt S. Augustinus, & ejus vestigiis inhærens S. Thomas, & ita cessent dissentiones & scandala. Plurimùm placet quod Autor Historiæ, totâ Sanctorum Augustini & Thomæ discipulorum comitante catervâ, vehementer anhelet ad hujus controversiæ plenariam decisionem: cui do manus, idipsum unicè optans, confirmandus, ut certò arbitror, in ea sententia, quam à juventute tenui: si verò malè arbitror, ab errore liberandus, & cantaturus altissimam palinodiam. Dabam Antverpiæ 2. Augusti 1699.

F. MICHAEL VERDIERE, *Ord. Erem. S. Augustini, S. Theol. in Academia Duacensi Doctor & Professor.*

NEDUM in Galliam, sed & in Belgium nostrum exit quotidie sonus Defensorum Scientiæ-mediæ, se in Congregatione de Divinis Auxiliis sub fel. rec. CLEMENTE VIII. & PAULO V. gloriosos reportasse triumphos jactantium. Et Lovanii quidem nuperrimè quidam buccinabat: *Hæc doctrina est, pro qua potissimum in acie Romana stetimus non inglorii, quam Molina illustravit quidem, non tamen primus adinvenit, denique quæ velut pretiosa margarita semper nitidior, & solidior crevit procellas inter & turbines, vel, ut loquitur Sylvester Maurolycus, quæ in fornace examinis Pontificii sæpius igne probata, deprehensa est aurum omnibus modis purgatissimum.* Et iterùm: *An Molina reus sit jam à seculo judi-*

Judicavit S. Sedes, à qua tam Liber, quàm Libri Autor ab omni prorsùs Censura absolutus est. Frustra igitur post tot annos Lovanii Ranæ coaxant, quando jam primùm Romæ Vaticanum intonuit. Absolutus, inquit, *tum à censoris primum in Hispania, deinde Romæ à quibusdam qualificatoribus injustis.* Insultos ejusmodi & imaginarios triumphos retundit efficacissimè hæc de Divinis Auxiliis Historica Narratio. Unde ut Scientia-media, quoad concordiam liberi arbitrii cùm Divina gratia, *Hesternum Ludovici Molinæ commentum*, quam ratio invictissimè impossibilem probat, quam Molina manifestè à nullo Theologo traditam agnoscit, quam Doctorum Aquilæ, Magno P. Augustino, palàm ignotam confitetur, propter cujus neglectum Lucem Doctorum sub caligine ponit, omissione cujus si non prorsùs tollit, diminutos saltem vult gloriosos Ecclesiæ de Pelagianis & Semipelagianis per S. P. Augustinum reportatos triumphos, nec satis prostratos hujus temporis Lutheranos & Calvinistas, dùm palàm inverecundè gloriatur Molina: *Quæ si data explanataque semper fuissent* (videlicet principia Scientiæ-mediæ) *fortè neque Pelagiana hæresis fuisset exorta, neque Lutherani tam impudenter fuissent ausi negare libertatem arbitrii, neque ex Augustini opinione concertationibusque cum Pelagianis tot fideles fuissent turbati, ad Pelagianosque defecissent, faciléque reliquiæ illæ Pelagianorum fuissent extinctæ:* ut, inquam, illa Scientia-media exuat larvatam approbationem Summorum Pontificum fel. rec. CLEMENTIS VIII. & PAULI V. quam ejus defensores ei ubique attribuunt, utque Orbi universo innotescat quid de Scientia-media senserint Belgæ, Hispani, Qualificatores Romani, Summi Pontifices, denique Ecclesia universa, sub beneplacito S. Sedis utilissimè in lucem edentur *Historiæ Congregationum de Auxiliis sub Summis Pontificibus Clemente VIII. & Paulo V. Libri quatuor*, *Autore* AUGUSTINO LE BLANC *S. Theologiæ Doctore:* quæ Historia Reformatos nostros Batavos confundet, calumniantes Ecclesiam, quasi desertâ Augustinianâ victrici gratia ad castra Pelagiana vel Semipelagiana transisset, & confirmabit Doctores Catholicos, ut despectis Molinianis castris, quoad rationem conciliandi libertatem arbitrii, sequantur D. Augustinum ac D. Thomam, eam deducentes ex Dei omnipotentia, & ejus efficaci dominio super humanas voluntates: quæ sententia, Cœlestino, teste ipsa est Ecclesiæ Catholicæ doctrina, evidentissimè à Clemente VIII. in suo magno Scripto asserta, qui propterea Congregationes de Auxiliis ad mentem D. Augustini adstrinxit, ut refert Contensonius post D. le Bossu Doctorem Parisiensem, & P. Gibieuf Oratorii Presbyterum ex illa Clementis Oratione, cujus exordium: *Quamvis nemini nisi Deo rationem reddere debeam*, & cætera quæ referuntur in hac Historia lib. 3. cap. 8. p. 388. & in Append. p. 146. & 363. Prodeat itaque in lucem hæc Historica Narratio, & ejus Acta probabunt quæ sapientissimus hic Pontifex asserit. Dabam Bruxellis 10. Augusti 1699.

FR. AGATHANGELUS à STO. CLEMENTE,
Primus Definitor Provincialis, & sacræ Theologiæ Prælector Ord. Carm. Disc.

AD laudem omnipotentis gratiæ Dei, quæ de omnibus Augustinianæ doctrinæ obtrectatoribus semper triumphavit, simul & in Romanæ Ecclesiæ defensionem adversùs Heterodoxos eam calumniantes, quasi suis contra quinque famosas propositiones Constitutionibus, à vera Christi gratia ad Pelagianismum defecerit, Infrascriptus censet librum, cui titulus, *Historiæ Congregationum de Auxiliis divinæ gratiæ, sub Summis Pontificibus* CLEMENTE VIII. *&* PAULO V. *Libri quatuor*, *Autore* AUGUSTINO LE BLANC, *S. Th. Doct.* eo jure dignum qui in lucem prodeat, quo Panoplia gratiæ per R. P. Thomam de Lemos, eâdem Ecclesia permittente, prodiit. Tametsi enim Acta de Auxiliis sub CLEMENTE VIII. & PAULO V. allegare non permittat tanquam authentica, allegare non prohibet tanquam vera, prout ea laudatus Lemos allegavit. Ita visum, salvo meliori Suæ Sanctitatis judicio, hac die 18. Augusti 1699.

Fr. HENRICUS A STO. IGNATIO *Carmelitarum Wallo-Belgarum Vice-Provincialis, S. Theologiæ Professor Emeritus.*

APPRO-

APPROBATIO
THEOLOGORUM ORDINIS PRÆDICATORUM.

R*Idiculum est & satis abominabile dedecus*, inquiebat Nicolaus I. PP. ad Hincmarum Remensem, cæterosque Galliæ Episcopos, *ut temporibus nostris, vel falsò insimulari sanctam Dei Ecclesiam permittamus, vel eas Traditiones quas antiquitùs à Patribus nostris suscepimus, pro libitu semper errantium infringi patiamur. Quapropter necesse est, ut eorum conatibus resistamus, & falsis eorum jaculis veritatis clypeum opponamus. Quod nos quidem opitulante supernâ potentiâ, prout valemus, agere non omittemus: nec cum opportunitas cœlitùs datur, contra illos pro Ecclesia Christi tacebimus.* Hujus Pontificis zelum imitatus hujus Historiæ Autor, illam ad veritatem historicæ narrationis exactissimè compositam, atque eleganti stylo elaboratam hoc uno studio dedit, ut ipsam à falsitatibus, quæ de illa spargebantur, vindicaret; & Ecclesiæ dogmata de Prædestinatione gratuita, & Gratia de se efficaci, à nonnullorum calumniis defenderet. Nempe, Molinistarum jam est vox una vulgatissima, Censores Romanos in celeberrimis Congregationibus de Divinæ Gratiæ Auxiliis, nedum absolutum dimisisse Molinam ejusque sequaces, sed & palmam ipsis asseruisse atque victoriam. Atque hinc inventa sua commentaque, à Pelagianorum figmentis licet nil differentia (ut quidem censent Congregationum de Auxiliis integerrimi Judices) in doctissimis istis Congregationibus approbata fuisse effutiunt, & ea passim ac ubique venditant ut Ecclesiæ Catholicæ Fidem. Quod quanto ejusdem Ecclesiæ probro fiat hisce in Regionibus, heu! nimiùm experimur, ubi hæreticos incessanter audimus inclamantes, se nunquàm ad eam Ecclesiam accessuros in qua Pelagianismus usque adeò prædicatur atque extollitur. Tanto malo occurrit præclarus hic Autor, opportunissimum adhibens remedium, dum genuinam ac sinceram Congregationum de Auxiliis scribendo Historiam, quis iis de dogmatibus sit Ecclesiæ sensus palàm facit ac prodit. Quod quàm feliciter præstiterit existimabunt æqui Lectores, dum interim hanc Historiam utilissimam Ecclesiæ futuram arbitramur. Datum Montibus Hannoniæ in Belgio 14. Julii 1699.

FR. PHILIPPUS DURANDUS, *in Universitate Duacena S. Th. Doctor, Exprovincialis Provinciæ Germaniæ inferioris Ordinis Prædicatorum, nuper Duaci, Coloniæ, & Lovanii repetitis vicibus Studiorum Generalium Regens Primarius.*

FR. NORBERTUS D'ELBECQUE, *S. Th. Doctor, & ejusdem ac S. Scripturæ Professor, necnon Studii Generalis Montensis Regens Primarius, ejusdem Ordinis.*

FR. ANTONINUS ANCION, *S. Theol. Licentiatus ejusdem Ordinis, & Studii Regens.*

PRIMA TABULA

Prima Tabula Chronologica Congregationum [...]
Anno Domini [...]

PRÆSIDENTES

Illuſtriſſimus Cardinalis LUDOVICUS MADRUTIUS Epiſcopus Tridentinus, qui Concilio Tridentino interfuerat & ſubſcripſerat.

Illuſtriſſimus Cardinalis Pompeius Arigonius.

CONSULTORES EPISCOPI

Fr. Propertius Reſta de Talleacotio (*al.* de Capellis) ex Ordine Fratrum Minorum, Epiſcopus Geruntinenſis & Cariathenſis.

Fr. Julius Sanctutius à Monte Filatrano, ex Ordine FF. Minorum, Epiſcopus Sanctæ Agathæ-Gothorum.

D. Lælius Landus Sueſſanus, Epiſcopus Neritonenſis.

THEOLOGI

Fr. Henricus Silvius, Apoſtolicus Ordinis Carmelitarum Vicarius.

Fr. Franciſcus Bruſus, Ordinis S. Franciſci Procurator generalis.

Fr. Joannes Baptiſta Plumbinus, Ordinis S. Auguſtini Procurator generalis.

Fr. Gregorius Nunnius Coronel, Ordinis S. Auguſtini.

D. Ludovicus De Creil, Doctor Sorbonæ Pariſienſis.

Additi ſunt paulò poſt primam Congregationem

Fr. Hyppolitus, Servita Senenſis, Epiſcopus Montis-peluſii.

Fr. Antonius Bovius, Regens Collegii Carmelitarum.

D. Jacobus le Boſſu, Ordinis Sancti Benedicti, Doctor Pariſienſis.

Hæc omnia habentur in magno volumine ſignato ✠

DIES	MENSIS	CONGREGATIO	
2.	Januarii	I.	Expo[...] tius M[...] nando[...] N. Æ. &[...] cath[...] diſſid[...]
9.	Januarii	I I	Quis [...] princip[...]
16.	Januarii	I I I	Quæ [...] Concor[...]
			D[...]
23.	Januarii	I V	Utrum [...] in cauſa [...] effectus [...] de re [...]
30.	Januarii	V	Utrum [...] linæ ſit [...]
6.	Februarii	V I	Quid [...] Deum? [...]
13.	Februarii	VII	An me[...] actibus [...]
20.	Februarii	VIII	An me[...] dono p[...]
27.	Februarii	I X	An me[...] efficaci[...]
6.	Martii	X	An me[...] ſcientia [...] tium? [...]
13.	Martii	X I	An me[...] Prædeſt[...]

Ab hac [...] rurſum a[...] Die 26. [...] Conſult[...] PP, Sa[...] ſimum Ca[...]

e Auxiliis sub Clemente VIII. Romæ habitarum 598. & 1599.

MATERIA	DECISIONES
it. Illustrissimus Cardinalis Madru- ndatum Sanctissimi Papæ de exami- ibro CONCORDIÆ LUDOVICI MOLI- censurandis omnibus quæ à veritate a, Conciliis, Patribus & Theologis nt, aut scandalum parerent.	Respondent omnes se obedituros, & re maturè pensatâ decernunt, primo inquirendum, Quis fuerit scopus Molinæ.
uerit scopus Molinæ, & quæ ejus ?	Respondent, scopum ejus fuisse, antiquâ concordiâ gratiæ & liberi arbitrii non satisfaciente, novam invenire.
rincipia Molinæ ad suam novam liam constituendam ?	Respondent, esse quatuor. Primum, omnem Dei concursum esse cum Causis in effectus, non in Causas. Secundum, ut gratia, quam Deus dat ad perseverandum, sit donum perseverantiæ, necessarium esse ut prævideatur homo consensurus. Tertium, Deum cognoscere futura conditionata ante decretum. Quartum, Prædestinationem non differre à providentia, nisi ex prævisione.
PRIMO PRINCIPIO. concursus Dei generalis sit influxus secundas; an potiùs cum causis in & qualis sit Ludovici Molinæ hac tentia ?	Respondent, secundùm rei veritatem concursum Dei esse influxum in causas secundas; secundùm Molinam, esse influxum cum causis secundis in effectus.
prædictum primum principium Mo- liquâ Censurâ dignum ?	Respondent, esse Pelagianum.
ntiat Molina de actibus diligendi	Respondent, ipsum sentire hos actus elici posse viribus naturæ cum solo concursu Dei generali.
eatur Censuram opinio Molinæ de rædictis ?	Respondent, non posse sustineri, & esse Pelagianam.
eatur Censuram opinio Molinæ de severantiæ ?	Respondent, esse Pelagianam.
eatur Censuram opinio Molinæ de gratiæ ?	Respondent, ad minus esse Semipelagianam.
eatur Censuram opinio Molinæ de Dei respectu futurorum contingen-	Respondent, esse falsam & erroneam.
eatur Censuram opinio Molinæ de atione ?	Respondent, esse falsam & vergere ad hæresim Semipelagianorum.

ie usque ad vigesimam secundam Novembris singulis septimanis conveniunt, & relecto uno Censuræ articulo, rutiunt: & re iterum accurate perpensâ Censuram suam confirmant, mandantque Secretario ut illam ordinet. Novembris Patres Jesuitæ Hispani Molinam defensuri Romam perveniunt.
s Censura jam ordinata in librum Molinæ subscribunt die 12. Martii Anni 1599.
atis agunt apud Sanctissimum Papam, ut res amicabiliter componatur. Deputat Sanctissimus iterum Illustrisdinalem Madrutium.

balli, feste, le maschere, e spettacoli tutti, doue s'offende Iddio, e guardati non solo di participarne in altro modo, mà anco d'esserui presente.

Guardati del star'in otio, come veleno dell'anima,

issima Trinità, auanti qualche Imagine di Giesù Christo, ò della Beata Vergine, che diuotamente si tenghi in Casa, ò Bottega, auanti alla quale imagine sempre in ginocchioni, e parimente la sera si farà la

nel tempo delle Confessioni di non scordarsi, e far penitenza, mancando nelle cose dette di sopra, per non incorrere nell'ira del Signore, il quale sempre sia benedetto.

Secunda Tabula Chronologica Congregationum
ſub Clemente VIII. Pontifice

Quo tempore habitæ ſunt Congregationes & Conferentiæ Verbo & Scripto, ut

PRÆSIDENTES	CONGREGATIO	DIES	MENSIS	
Præſidebat primò ſolus	I	22.	Februarii	R. P. Generalis Prædicatorum ſolùm contra Molinam.
Illuſtriſſimus Cardinalis LUDOVICUS MADRUTIUS.				R. P. Generalis Societatis reſpo
	II	ultimâ	Februarii	FF. Prædicatores juxta Mandatum de fide admittendas eſſe cenſe
In Tertia verò Congregatione adjuncti ſunt				PP. Societatis deſignant alias ſer librum relinquunt cenſurand
	III	4.	Martii	Illuſtriſſimus Cardinalis Madrut
Illuſtriſſimi DD. Cardinales Aſculanus & Bellarminus.				Illuſtriſſimus Madrutius determ utramque partem.
				1. Utrum ante bonum uſum lib natur ad juſtificationem, aut præſcientia?
Vocati ſunt				2. Utrum, ſi ponatur talis præd nibus quibus ad juſtification
Reverendiſſimus Pater Hieronimus Xaviere Generalis Fratrum Prædicatorum.				3. Utrum divina præſcientia & tiæ auxiliis de ſe, & ut ſunt a
				4. Utrum aliqua auxilia gratiæ tiat auxilio? An vero ab ipſo l efficacia vel inefficacia re ſum
R. P. F. Didacus Alvarez.				5. Utrum divina prædeſtinatio ſalutem?
R. P. F. Raphael à Ripa.				6. Utrum prædeſtinatio ſe effic uſum liberi arbitrii, quem ha liberè illis benè utendo?
Et alius Theologus Cardinalis Aſculani.				7. An potiùs talis uſus ſit dumta
		16.	Maii	8. Utrum talis bonus uſus ſit ta dicatores replicant contra reſp
R. P. Claudius Aquaviva Generalis Societatis.		21.	Maii	PP. Societatis reſpondent ad ſole efficaciæ. FF. Prædicat. admi
R. P. Michael Vaſquez.		27.	Maii	FF. Prædicatores mittunt quinqu infallibiliter, ſalva libertate.
		82.	Maii	FF. Prædicatores reſpondent, PF
R. P. Petrus Arrubal.		8.	Junii	PP. Societatis ex mandato Illuſtr gnitate prævisâ à Deo per ſo
R. P. Chriſtophorus Cobos.		27.	Junii	FF. Prædicatores exhibent Illuſt mentem ſuam evidenter. Ead
		8.	Julii	Patres Societatis reſpondent Me
				Illuſtriſſimus Card. Madrutius partem duo puncta circa effica Patres Societatis dant prolixe Patrum Societatis. FF. Prædica pondent, & ex illis colligunt o 1599.
		12.	Februarii	FF. Prædicatores offerunt Illuſtr Patres Societatis.
		16.	Februarii	Patres Societatis offerunt Illuſtri D. Madrutius tradit illud Scrip
		16.	Aprilis	Orator Regis Catholici nomine
		[illegible]	Aprilis	Moritur Illuſtriſſimus Cardinalis
		ſub finem	Aprilis	PP. Societatis tradunt Memorial
		10.	Maii	Patres Societatis tradunt Scriptu
				Huic Scripto reſpondent FF. Præ
				Reſpondent PP. Societatis; conn
				Iterum PP. Societatis exhibent a ad Cardinalem Aſculanum, & Congregationes; de quibus ta

de Auxiliis Anno 1599. & initio Anni 1600.
Maximo Romæ habitarum.

venireturaliqua via concordiæ inter FF. Prædicatores & PP. Societatis Jesu.

MATERIA

otestatur nihil sibi aut suis contra Patres Societatis universaliter, sed

et, in Molina non tot reprehendenda, quot in Dominico Bannez.

designant sex propositiones ex libro Molinæ, quarum contrarias

r modum quæstionum, dicentes se non defendere Molinam, cujus
s Censoribus à Sancta Sede deputatis.

refert omnia gesta SS. Clementi VIII. in Congregatione S Officii.
cto propositiones ex Apologia FF. Prædicat. easque transmittit ad

i arbitrii, quem ex innata libertate homo habiturus est, ut dispo-
d vitam æternam perveniat, ponenda sit in Deo prædestinatio &

tinatio vel præscientia, nulla homini libertas relinquatur in actio-
dis, onitur, aut ad vitam æternam pervenit?
ræ destinatio sit causa efficiens, mediantibus efficacibus divinæ gra-
eo, actuum humanorum?
nt de se efficacia, ad efficiendum quòd liberum arbitrium consen-
ero arbitrio pro sua sola & innata libertate hujusmodi auxilia gratiæ
r?
diminuta in effectibus seu mediis necessariis ad justificationem &

ter extendat, tanquam ad effectum infallibilem, ad bonum illum
o prædestinatus habet, dum auxiliis prævenientis gratiæ se applicat.

t præscitus à Deo, non autem prædestinatus aut prædefinitus?

DECISIONES

Ordinatum, ut utraque pars scripto signaret propositiones quas judicant necessariò admittendas in hac controversia.

Cùm partes non convenirent de statu quæstionis, decernitur ut gesta referantur Sanctissimo.

Sanctissimus decernit ut Illustrissimi Asculanus & Bellarminus etiam intersint, & ordinent cum Madrutio omnia, consideratis contentis in Apologia FF. Prædicatorum.

C. Madrutius mense Maio refert omnia gesta Sanctissimo.

Mandat Sanctissimus, ut Patres Societatis amplius explicent suum sensum, & discutiantur puncta in quibus videtur esse controversia. Quod ut fiat Cardin. Madrutius mittit ut ambæ partes sese explicent in tribus articulis seqq.

1. Liberum arbitrium ad actus quibus ad justificationem disponitur, & ad vitam æternam pervenit, concurrit ex innata libertate ut causa secunda & proxima, mota à prima, efficacis gratiæ auxilio.

2. Auxilia divinæ gratiæ, ut sunt à Deo & ex se includunt respectum ad consensum futurum liberi arbitrii, tanquam causa ad effectum; non verò tanquam aliquid à quo pendeat efficacia auxilii ad movendum ipsum liberum arbitrium.

3. Auxilia gratiæ sufficientis in hoc sensu redduntur inefficacia, quod ponente homine obicem per liberum arbitrium, non consequuntur illum effectum, ad quem ex suo genere disponebant; nunquam tamen contingit, quod homo reddat inefficacia illa auxilia quibus movetur à Deo in instanti justificationis: cùm de sese & ut veniunt à Deo, sint efficacia.

o vel conditio prævia, sine qua non, prædestinationis? His respondent tam FF. Prædicatores, quam PP. Societ. Mox FF. Præ-
nsum PP. Societatis. Iterum respondent PP. Societ. ad replicam FF. Prædicat. qui hanc secundam responsionem etiam impugnant.
primum articulum ex illis tribus, & explicant septem propositionibus rationem auxilii efficacis in communi, & non modum
unt septem illas propositiones, sed dicunt explicandum esse modum efficaciæ.
propositiones circa modum efficaciæ, asserentes quòd sit vera & realis, pendens à Decreto Dei determinante voluntatem nostram
ndem die PP. Societatis transmittunt alias quinque propositiones de prædeterminatione physica, quas dicunt asseri à FF. Prædicat.
Societatis debere declarare quid ipsi, non quid alii sentiant.
simi Card. Madrutii sensum suum aperiunt quinque propositionibus, quibus efficaciam gratiæ verbis ambiguis explicant ex con-
tiam mediam.
ssimo Card. Madrutio Memoriale, in quo repetitis omnibus quæ gesta fuerant, ostendunt quòd Patres Societatis nolunt declarare
n die Illust. Card Madrutius præcipit Patribus Societatis ut clarè ac distinctè ad illos tres articulos respondeant.
oriali FF. Prædicatorum.
asmittit Responsionem illam ad Memoriale Fratribus Prædicatoribus. Aliquo post tempore idem Illustriss. D. mittit ad utramque
iam divinæ gratiæ. Mox FF. Prædicatores brevissimam responsionem exhibent, affirmantes totam efficaciam gratiæ esse a Deo.
Scriptum 17. numeris distinctum. Illust. Card. Madrutius jubet FF. Prædicatoribus ut annotent, quid sibi displiceat in Scripto
ores obediunt & exhibent aliquas observationes. Illust. Cardinalis Madrutius tradit has observationes Patribus Societatis, qui res-
o propositiones, in quibus dicunt consistere totam controversiam inter se & FF. Prædicatores. In his transigitur totus hic annus

Initio Anni Millesimi sexcentesimi.

. D. Cardinali Madrutio Animadversiones ad Responsionem Patrum Societatis Jesu. Illustrissimus eas eodem die transmittit ad

mo D. Madrutio Scriptum breve contra physicam prædeterminationem. Rogant ut FF. Prædicatores respondeant. Illustrissimus
am P. Procuratori Generali FF. Prædicatorum, qui dicit jam responsum esse; iterum tamen ipse nomine proprio respondet.
gis urget definitionem.
Madrutius.
SS. Papæ, in quo parum submissè loquuntur. Sanctissimus tradit illud P. Generali Prædicat. qui curat ut ad illud respondeatur.
, quo ex variis conclusionibus in Hispania defensatis conantur probare suam sententiam esse communem.
icatores, qui aliud statim tradunt, probantes suam sententiam ex D. Augustino & D. Thoma.
, quorum Responsionem FF. Prædicatores exhibent Animadversiones.
ad Memoriale Sanctissimo Papæ per manus unius Patris, qui dicit se illud tradere nomine proprio. Sanctissimus respondet ut eat
cum illo agat de modo concordiæ. Huic Memoriali respondent FF. Prædicatores mense Augusto: interim verò celebrantur ao.
ula sequenti.

Memoria di S. CARLO BORROMEO, Fatti ristampare d'ordine dell' Eminentiss. e Reuerendiss. Sig. Card. NICOLO' LVDOVISIO Vescouo d'Ostia, e di Velletri, Decano del Sac. Collegio, e della S. Romana Chiesa Maggior Penitentiero, per profitto spirituale delle dette Diocesi.

A principal cosa, che si deue procurare, &

Vedi di nõ andar mai a dormire con alcun peccato

perdono à Dio de' peccati commessi.

RICORDI PER VIVERE CHRISTIANO

Tertia Tabula Chronologica Congregationum I
Romæ l

PRÆSIDENS

Prӕsidet nomine S.S. Fr. Propertius Resta de Talleacotio Episcopus Geruntinensis & Carinthensis.

CONSULTORES

Fr. Julius Sanctutius à Monte Filatrano, ex Ordine FF. Minorum, Episcopus Sanctæ Agathæ-Gothorum.

D. Lælius Landus Suessanus, Episcopus Neritonensis.

Fr. Henricus Silvius, Apostolicus Ordinis Carmelitarum Vicarius.

F. Franciscus Brusus, Ordinis S. Francisci Procurator generalis.

Fr. Joannes Baptista Plumbinus, Ordinis S. Augustini Procurator generalis.

F. Gregorius Nunnius Coronel, Ordinis S. Augustini.

D. Ludovicus De Creil, Doctor Sorbonæ Parisiensis.

Fr. Hyppolitus, Servita Senensis, Episcopus Montis-pelussi.

F. Antonius Bovius, Regens Collegii Carmelitarum.

D. Jacobus le Bossu, Ordinis S. Benedicti, Doctor Parisiensis.

CONGREGATIO	DIES	MENSIS	MATERIA
I	23	Aprilis	SS. Clemens VIII. convocatos ad se Consultores pe… cipit ut iterum conveniant, in breviorem form… eamque subscriptam ad se deferant.
	24	Aprilis	I. Propositio Molinæ: Quòd non detur concursus D… secundas ad operandum, quia Deus & causa secu… les, & aliàs tolleretur libertas voluntatis humanæ
II	28	Aprilis	II. Propositio Molinæ. Potest homo solis naturæ vir… latis, quia revelata sunt, actu tamen merè naturali:… us ex certa lege dat gratiam ut eundem assensum eli…
III	2	Maii	III. Hominibus eatenus data est potestas filios Dei fi… conentur, illis aderit Deus, ut fidem & gratiam c… set verum quòd Deus vult omnes homines salvos fi…
IV	5	Maii	IV. Potest homo actu naturali assentiri revelatis, & p… sensum supernaturalem esse necessarium, ex solis… re & conari, ita assentiri, immò & petere auxilium… sensum & satagere se disponere ad illud.
V	8	Maii	V. Deus semper paratus est conatus nostros adjuvare… citat liberum arbitrium nostrum torpens ac sopitum…
VI	13	Maii	VI. Auxilium supernaturale gratiæ non est necessari… mysteriis fidei actu merè naturali, nihilominus De… illud confert.
VII	15	Maii	VII. Facienti quod in se est ex naturalibus, Deus ex cer… quoties quis paratus est ad dolendum de peccatis ex… Deus dat illi gratiam qua illud faciat, ut oportet.
VIII	19	Maii	VIII. Ante receptionem gratiæ, in ipsa receptione & p… pria laus & industria libero arbitrio servanda est.
IX	26	Maii	IX. Vocatio ad fidem & excitatio fidelis ad pœniten… bero arbitrio ejus qui vocatur & excitatur.
X	29	Maii	X. Potest homo solis naturæ viribus diligere Deum f… absoluto cum proposito amplius non peccandi letha…
XI	2	Junii	XI. Potest homo solis naturæ viribus elicere actum… naturalem cum proposito amplius non peccandi leth…
XII	5	Junii	XII. Potest homo solis naturæ viribus resistere cui… quamlibet difficultatem pro servanda lege naturali…
XIII	9	Junii	XIII. Donum perseverantiæ consistit in gratia habitu… qua Deus prævidit hominem operaturum.
XIV	12	Junii	XIV. Datur in Deo scientia media, quâ Deus ante d… gnoscit quid voluntas creata factura sit, si in talibus… stituatur.
XV	16	Junii	XV. Ad actus fidei, spei, charitatis & alios supernat… veniens vel excitans, & concursus Dei generalis.
XVI	20	Junii	XVI. Gratia excitans fit adjuvans & cooperans quand… arbitrio ipsa influit in actus fidei.
XVII	23	Junii	XVII. Auxilium ex seipso efficax admittere est error… citur efficax ab effectu.
XVIII	26	Junii	XVIII. Si ab efficacia divini auxilii habet homo quòd… arbitrii ad salutem.
XIX	30	Junii	XIX. Si Deus ita prædefinit omnes actus non malos, … seipso efficacem determinatè statuerit, perit mani…
XX	3	Julii	XX. Prædestinatio ut distinguitur à communi provi… quam à ratione, sive conditione sine qua non, à c…

Duæ aliæ habitæ sunt Congregationes h…
Censuram in viginti istas propositio…
Benedictus Justinianus Societatis exhib…
Iterum exhibent aliud Memoriale nom…

e Auxiliis Anni 1600. sub SS. Papa Clemente VIII.
bitarum.

	DECISIONES	CONGREGATIONES VIDENDÆ
horas alloquitur; præ- contrahant Censuram,		*Videnda est Congregatio 2. cum 3. & 8. anni 1601.*
ævius applicans causas unt duæ causæ partia-	Censent, hanc propositionem esse Molinæ, & eum in illa non discedere à semitis Pelagii, ex scopo quem habet, ut scilicet tolleret gratiam, ne arbitrii libertas tolleretur.	
assentiri mysteriis reve- omini sic assentienti De- , ut oporter ad salutem.	Censent, hanc esse Molinæ & Pelagianam ac Semipelagianam ex Bellarmino, sed magis ex D. Augustino.	*Videnda sunt 2. 3. & 5.*
quia si ex naturalibus quantur, aliàs non es-	Censent, esse assertam à Molina & esse Pelagianam.	*Videnda est 6. cum 13.*
quam edoctus fuerit as- ræ viribus potest opta- ernaturale ad illum as-	Censent, esse Molinæ, sed Pelagianam & Semipelagianam.	*Videnda est 7. cum 15.*
l etiam quandoque ex-	Censent, esse à Molina assertam contra definitionem Concilii Arausicani Secundi Canone sexto.	*Videnda est 7. cum 17.*
ut homo assentiatur uandoque ad hoc etiam	Censent, Molinam in hac propositione insistere vestigiis Cassiani.	*Videnda est 7. cum 19.*
ege dat gratiam, immò ore, vel ad conandum,	Censent, Molinam non recedere à doctrina Cassiani.	*Videnda est 9. cum 21.*
ejus receptionem pro-	Censent, ex hac exigua conclusione penè totum Pelagianum dogma confirmari.	*Videnda est 9. cum 25.*
multùm pendent à li-	Censent, hanc sententiam P. Molinæ Cassiani doctrinæ consonam esse.	*Videnda est 11. cum 27.*
r omnia actu naturali r.	Censent, hanc fuisse sententiam Cassiani.	*Videnda est 11. & 29.*
tionis & contritionis r.	Censent Molinam conflasse assertionem suam ex erroribus Massiliensium & accedere ad Pelagianum dogma.	*Videnda est 14. & 30.*
t tentationi & vincere nsi mors subeunda sit.	Censent accedere ad Pelagianismum & Semipelagianismum.	*Videnda est 14. & 31.*
gratia excitante, cum	Censent hanc doctrinam non esse alienam ab illa quam Massilienses asserebant.	*Videnda est 16. cum 32.*
um suæ voluntatis co- umstantiis homo con-	Censent, hanc doctrinam de scientia media & ejus necessitate esse eandem cum illa quam Massilienses excogitarunt ad extenuandam gratiam effectricem bonæ voluntatis.	*Videnda est 16. cum 33.*
es, sufficit gratia præ-	Censent Molinam non recedere à semitis Pelagii.	*Videnda est 18. cum 34.*
nsentiente jam libero	Censent, hanc Molinæ opinionem obscurare veram Christi gratiam & coincidere cum errore Massiliensium.	*Videnda est 20. cum 35.*
ide, sed auxilium di-	Censent, hanc explicationem à Molina traditam de auxilio efficaci fuisse traditam à Semipelagianis.	*Videnda est 22. cum 36.*
nsentiat, periit libertas	Censent, hâc Molinæ argumentatione usos fuisse Pelagianos.	*Videnda est 24. cum 37.*
ad illos per concursum è arbitrii libertas.	Censent, hanc propositionem ut intelligitur in Molina non esse alienam à Pelagianorum & Semipelagianorum sententia.	*Videnda est 26. cum 39.*
s, sunt dependens tan- ratione liberi arbitrii.	Censent, hanc fuisse opinionem Semipelagianorum contra D. Augustinum.	*Videnda est 28. cum 39.*

c anno coram Illustrissimis S.R.E. Cardinalibus Asculano & Bellarmino ad recognoscendam hanc
Molinæ.
Memoriale SS. in quo conqueruntur multa in his imponi Molinæ.
c Molinæ.

Quarta Tabula Chronologica Congregationum De
Romæ ha

PRÆSIDENTES

Præest F. Propertius Resta de Tallacotio, Ordinis Minorum, Episcopus Geruntinensis & Cariathensis, usque ad 25. Congregationem 4. Maii.

Illo ægrotante & mox defuncto præfuit F. Julius Sanctutius de Monte Filatrano, Ordinis Minorum, Episcopus sanctæ Agathæ Gothorum.

Assistunt alii
CONSULTORES.

D. Lælius Landus Suessanus, Episcopus Neritonensis.
F. Hyppolitus Servita Senensis, Episcopus Montis-pelusii.
F. Joannes de Rada, Procurator Generalis Ordinis S. Francisci.
F. Joannes Bapt. Plumbinus, Procurator Generalis Ordinis Sancti Augustini.
F. Hieronymus Palanterius, Ordinis S. Francisci, Regens Paduanus.
F. Gregorius Nunnius Coronel, Ordinis S. Augustini Secretarius Congregationis.
F. Joannes Antonius Bovius, Regens Collegii Carmelitarum.
D. Jacobus Le Bossu Gallus, Ordinis S. Benedicti Doctor Sorbonicus.
D. Ludovicus de Creil, Gallus Doctor Sorbonicus.

Ex parte Ordinis Prædicatorum.

F. Didacus Alvarez.
F. Thomas de Lemos.

Ex parte Societatis.

P. Petrus Arrubal.
P. Christophorus Cobos, sed in 7. Congregatione & deinceps loco Patris Arrubal venit
P. Gregorius de Valentia.

CONGRE-GATIO.	DIES	MENSIS	MATERIA
I	23	Januarii	Sanctissimus præcipit, ut ambæ Partes audiantu
II	25	Januarii	Ex viginti Propositionibus & Censuris in præcedenti Tabula rela ctæ sunt in hac Congregatione 1. & 2. & Censura in illas. 1. neg vium Dei Concursum. 2. affirmat possibilem esse assensum nat exhibitum rebus revelatis, ut revelatis, quem si homo eliciat co tur gratiam, qua elicit talem assensum, ut oportet ad salutem. Congregatione Jesuitæ contendebant explicandum, quæ fuerit m lagii.
III	1	Februarii	Fratres Prædicatores afferunt verbo & scripto primam & secundam sitionem Molinæ esse Pelagianam & Semipelagianam. Patres Societatis negant has propositiones, ut asseruntur à Molina, illam censuram. Leguntur & exhibentur 3. & 4. propositio, & utriusque censura.
V	5	Februarii	Fratres Prædicatores verbo & scripto approbant Censuram in 3. & positiones. PP. Societatis iterum agunt de 2. propositione. Præcipitur Patribus Societatis, ut in proximè futura Congregatio spondeant de 3. & 4. propositionibus.
VI	8	Februarii	PP. Societatis respondent ad Censuram contra 3. propositionem, ut communicentur Scripta utriusque partis, & una tantùm Congr habeatur in septimana. Leguntur 5. & 6. propositiones cum Cens
VII	12	Februarii	PP. Societatis respondent ad Censuram contra 4. 5. & 6. propositio FF. Prædicatores, quia jam de 4. dixerant, dixerunt de 5. & 6. v scripto approbantes Censuram in illas. Leguntur & dantur 7. & 8. cum Censuris.
IX	19	Februarii	FF. Prædicatores verbo & scripto approbant Censuram in 7. & 8. Societatis illam reprobant. Leguntur 9. & 10 cum Censuris.
XI	26	Februarii	FF. Prædicat. verbo & scripto approbant Censuras in 9. & 10. propos PP. Societatis repugnant, & dicunt non esse Molinæ . . . Leguntur tur 11. & 12. cum Censuris in illas.
XIII	12	Martii	FF. Prædic. verbo & scripto approbant Censuras in 11. & 12. propos PP. Societatis negant esse Molinæ, & ut habentur in Molina neg reri Censuram. Leguntur & dantur 13. & 14. cum Censuris.
XV	19	Martii	FF. Prædic. approbant verbo & scripto Censuram in 13. & 14. propos PP. Societatis repugnant . . . Leguntur 15. & 16. propositiones cum ris, & dantur Partibus.
XVII	26	Martii	FF. Prædicatores verbo & scripto dicunt se approbare Censuras in 16. easque confirmant. PP. Societatis dicunt 15. nullam mereri Censuram; differunt res nem ad decimam sextam.
XIX	2	Aprilis	PP. Societatis respondent ad Censuram 16. Leguntur Propositiones 17. & 18. cum Censuris in illas, & dat tibus.
XXI	9	Aprilis	FF. Prædicatores verbo & scripto consentiunt Censuris in 17. & positiones. PP. Societatis solo tuentur verbo Propositionem 17. nec dant scrip Leguntur & dantur Propositiones 19. & 20. & Censuræ in illas.
XXII	16	Aprilis	PP. Societatis respondent Censuræ in Propositionem 18. FF. Prædicatores verbo & scripto profitentur & probant legitim Censuras in 19. & 20. Propositiones.
XXIV	30	Aprilis	PP. Societatis respondent ad Censuram 19. Propositionis.
XXVI	7	Maii	PP. Societatis verbo & scripto respondent pro 20. Propositione Censuram. Deputantur duo Episcopi ad Sanctissimum Tusculi agentem pro gando Præside in locum Episcopi Cariathensis defuncti.

& examinetur, An Molina conveniat cum Pelagio & Semipelagianis.

CONGREGATIO	DIES	MENSIS	DECISIONES
			Decretum, non aliter agendum de mente Pèlagii, quàm conferendo propositiones Molinæ & Pelagii.
IV	3	Februarii	Examinatæ sunt defensiones Patrum Societatis in communi, & actum de modo examinandi easdem in particulari; ut scilicet D. Le Bossu referret Consultoribus summam defensionum, sicut & rationes impugnantium Molinam, quorum omnium singuli Consultores exemplaria manuscripta penes se haberent.
VIII	15	Februarii	Censuerunt rationes, quibus Patres Societatis volunt tueri primam propositionem Molinæ, quâ negat concursum prævium, esse nullas; & ideò persistunt in Censura. Ita omnes, excepto P. Bovio, qui propositionem tuebatur, & P. Plumbino, qui dixit esse falsam, sed non mereri Censuram.
X	22	Februarii	Expensis rationibus quibus Patres Societatis defendunt secundam propositionem, censuerunt illas non excusare eam à Censura. Ita omnes, exceptis PP. Plumbino & Bovio.
	1	Martii	Differtur examen rationum pro tertia propositione. Decernitur habendam esse bis in hebdomada Congregationem.
XII	8	Martii	Discussis rationibus pro tertia propositione. decernunt illas non excusare; & ideò persistunt in Censura omnes, exceptis PP. Plumbino & Bovio.
XIV	15	Martii	Expendunt rationes pro quarta, & judicant esse nullas, & persistunt in Censura; exceptis eisdem.
XVI	22	Martii	Discussis rationibus pro quinta, censent persistendum in Censura; exceptis iisdem qui supra.
XVIII	29	Martii	Rationibus pro sexta discussis, censent nihilominus persistendum in Censura; eisdē exceptis.
XX	5	Aprilis	Expensis rationibus pro septima omnes persistunt in Censura: exceptis eisdem duobus.
	12	Aprilis	Prorogatur discussio rationum pro 8. Decernitur ut DD. Episcopi adeant Sanctissimum, ut satisfaciant omnibus querelis PP. Societatis adversùs Congregationem: quod præstiterunt die 13. Aprilis.
XXIII	26	Aprilis	Discussæ rationes pro 8. nullæ judicantur, & confirmatur Censura ab omnibus; illis duobus exceptis.
XXV	4	Maii	Examinatis rationibus pro 9. censent persistendum in Censura; eisdem exceptis.
XXVII	10	Maii	Expensis rationibus pro 10. censent justè fuisse censuratam; exceptis eisdem.
XXVIII	17	Maii	Expendunt rationes pro 11. judicant eas invalidas, persistunt in Censura; eisdem exceptis.
XXIX	24	Maii	Examinantur defensiones 12. & illis non obstantibus persistunt in Censura; eisdem exceptis;
XXX	1	Junii	Expendunt diligenter rationes pro 13. & censent persistendum in Censura; præfatis exceptis.
XXXI	7	Junii	Discutiunt rationes pro 14. & illis non obstantibus persistunt in Censura; eisdem exceptis.
XXXII	21	Junii	Discutiuntur rationes contra 15. illis non obstantibus persistunt in Censura; exceptis eisdem.
XXXIII	27	Junii	Post expensas rationes in Censuram 16. omnes, exceptis eisdem, illam confirmant.
	3	Julii	Conveniunt Consultores deliberaturi de modo conficiendi Censuram, & decernunt ponendas 1. ipsas propositiones verbis Molinæ; deindè Censuras; mox rationes Patrum Societatis pro defensione propositionum, & solutiones Congregationis.
XXXIV	5	Julii	Defensiones pro 17. propositione nullæ judicantur, & persistunt in Censura; exceptis qui supra.
XXXV	12	Julii	Rationes pro 18. judicantur invalidæ, & ideò censent persistendum in Censura; exceptis eisdem.
XXXVI	19	Julii	Censuerunt, rationes allatas pro defensione 19. non excusare à Censura illata; eisdem exceptis.
XXXVII	ultim	Julii	Censuerunt, rationes PP. Societatis nihil obstare quominus Censura in ultimam propositionem sit legitima. Ita omnes exceptis PP. Plumbino & Bovio.
	4	Augusti	Sanctissimus præcipit ut ad se veniant die sextâ.
	8	Augusti	Consultores reddunt rationem omnium gestorum Sanctissimo, qui contra Carmelitam disputat.
	24	Octobris	Jubet Sanctissimus ut ordinent Censuram & revideant: ad quam revisionem non vocentur RR. PP. Plumbinus & Bovius.
XXXVIII		Octobris	Revident Censuras in propositionem 1. & 2.
XXXIX	30	Octobris	Revident Censuras in 3. & 4.
XL	31	Octobris	Revident Censuras in 5. 6. & 7.
XLI	2	Novemb.	Revident Censuras in 8. 9. & 10.
XLII	3	Novemb.	Revident Censuram in undecimam.
XLIII	6	Novemb.	Revident Censuras in 12. & 13.
XLIV	7	Novemb.	Revident Censuras in 14. & 15.
XLV	8	Novemb.	Revident Censuram in 16.
XLVI	9	Novemb.	Revident Censuras in 17. & 18.
XLVII	10	Novemb.	Revident Censuras in 19. & 20. interrogando RR. PP. Plumbinum & Bovium, an velint subscribere. Recusant illi.
	19	Novemb.	Subscribunt Censuræ jam ordinatæ.
	5	Decemb.	Dant Censuram Sanctissimo.

Secunda Tabula Chronologica Congregationum
sub Clemente VIII. Pontifice

Quo tempore habitæ sunt Congregationes & Conferentiæ Verbo & Scripto, ut m

PRÆSIDENTES	CONGREGATIO	DIES	MENSIS	
Præsidebat primò solus	I	22.	Februarii	R. P. Generalis Prædicatorum p solum contra Molinam.
Illustrissimus Cardinalis LUDOVICUS MADRUTIUS.				R. P. Generalis Societatis respo
	I I	ultimâ	Februarii	FF. Prædicatores juxta Mandatu de fide admittendas esse censen
In Tertia verò Congregatione adjuncti sunt				PP. Societatis designant alias scr librum relinquunt censurand
	III	4.	Martii	Illustrissimus Cardinalis Madrut
Illustrissimi DD. Cardinales Asculanus & Bellarminus.				Illustrissimus Madrutius determin utramque partem.
				1. Utrum ante bonum usum libe natur ad justificationem, aut a præscientia?
Vocati sunt				2. Utrum, si ponatur talis præde nibus quibus ad justificationem
Reverendissimus Pater Hieronimus Xaviere Generalis Fratrum Prædicatorum.				3. Utrum divina præfinitio & tiæ auxilii de se, & ut sunt a
				4. Utrum aliqua auxilia gratiæ tiat auxilio? An verò ab ipso li efficacia vel inefficacia reddan
R. P. F. Didacus Alvarez.				5. Utrum divina prædestinatio in salutem?
R. P. F. Raphael à Ripa.				6. Utrum prædestinatio se effica usum liberi arbitrii, quem ho liberè illis benè utendo?
Et alius Theologus Cardinalis Asculani.				7. An potiùs talis usus sit dumta
		16.	Maii	8. Utrum talis bonus usus sit ta dicatores replicant contra respo
R. P. Claudius Aquaviva Generalis Societatis.		21.	Maii	PP. Societatis respondent ad solu efficaciæ. FF. Prædicat. admi
R. P. Michael Vasquez.		27.	Maii	FF. Prædicatores mittunt quinque infallibiliter, salva libertate. E
		82.	Maii	FF. Prædicatores respondent, PP
R. P. Petrus Arrubal.		8.	Junii	PP. Societatis ex mandato Illustri gruitate prævisâ à Deo per scie
R. P. Christophorus Cobos.		27.	Junii	FF. Prædicatores exhibent Illustri mentem suam evidenter. Eado
		8.	Julii	Patres Societatis respondent Mem
				Illustrissimus Card. Madrutius tra partem duo puncta circa efficac
				Patres Societatis dant prolixum Patrum Societatis. FF. Prædicat pondent, & ex illis colligunt o 1599.
		12.	Februarii	FF. Prædicatores offerunt Illustri Patres Societatis.
		16.	Februarii	Patres Societatis offerunt Illustri D. Madrutius tradit illud Scrip
		16.	Aprilis	Orator Regis Catholici nomine R
		10.	Aprilis	Moritur Illustrissimus Cardinalis
		sub finem	Aprilis	PP. Societatis tradunt Memoriale
		10.	Maii	Patres Societatis tradunt Scriptum
				Huic Scripto respondent FF. Præ
				Respondent PP. Societatis; contr
				Iterum PP. Societatis exhibent al ad Cardinalem Asculanum, & Congregationes; de quibus tab

de Auxiliis Anno 1599. & initio Anni 1600.
Maximo Romæ habitarum.
veniretur aliqua via concordiæ inter FF. Prædicatores & PP. Societatis Jesu.

MATERIA	DECISIONES
otestatur nihil sibi aut suis contra Patres Societatis universaliter, sed er, in Molina non tot reprehendenda, quot in Dominico Bannez.	Ordinatum, ut utraque pars scripto signaret propositiones quas judicant necessario admittendas in hac controversia. Cùm partes non convenirent de statu quæstionis, decernitur ut gesta referantur Sanctissimo.
designant sex propositiones ex libro Molinæ, quarum contrarias r modum quæstionum, dicentes se non defendere Molinam, cujus a Censoribus a Sancta Sede deputatis.	Sanctissimus decernit ut Illustrissimi Asculanus & Bellarminus etiam intersint, & ordinent cum Madrutio omnia, consideratis contentis in Apologia FF. Prædicatorum.
refert omnia gesta SS. Clementi VIII. in Congregatione S Officii. cto propositiones ex Apologia FF. Prædicat. easque transmittit ad	C. Madrutius mense Maio refert omnia gesta Sanctissimo. Mandat Sanctissimus, ut Patres Societatis amplius explicent suum sensum, & discutiantur puncta in quibus videtur esse controversia. Quod ut fiat Cardin. Madrutius mittit ut ambæ partes sese explicent in tribus articulis seqq.
i arbitrii, quem ex innata libertate homo habiturus est, ut dispo- d vitam æternam perveniat, ponenda sit in Deo prædestinatio &	1. Liberum arbitrium ad actus quibus ad justificationem disponitur, & ad vitam æternam pervenit, concurrit ex innata libertate ut causa secunda & proxima, mota à prima, efficacis gratiæ auxilio.
tinatio vel præscientia, nulla homini libertas relinquatur in actio- dif. onitur, aut ad vitam æternam pervenit? a destinatio sit causa efficiens, mediantibus efficacibus divinæ gra- eo. actuum humanorum? ie de se efficacia, ad efficiendum quòd liberum arbitrium consen- ero arbitrio pro sua sola & innata libertate hujusmodi auxilia gratiæ r?	2. Auxilia divinæ gratiæ, ut sunt à Deo & ex se includunt respectum ad consensum futurum liberi arbitrii, tanquam causa ad effectum; non verò tanquam aliquid à quo pendeat efficacia auxilii ad movendum ipsum liberum arbitrium.
diminuta in effectibus seu mediis necessariis ad justificationem & ter extendat, tanquam ad effectum infallibilem, ad bonum illum o prædestinatus habet, dum auxiliis prævenientis gratiæ se applicat. t præscitus à Deo, non autem prædestinatus aut prædefinitus?	3. Auxilia gratiæ sufficientis in hoc sensu redduntur inefficacia, quòd ponente homine obicem per liberum arbitrium, non consequuntur illum effectum, ad quem ex suo genere disponebant; nunquam tamen contingit, quod homo reddat inefficacia illa auxilia quibus movetur à Deo in instanti justificationis: cùm de sese & ut veniunt à Deo, sint efficacia.

vel conditio prævia, sine qua non, præ lestinationis? His respondent tam FF. Prædicatores, quam PP. Societ. Mox FF. Præ- nsum PP. Societatis. Iterum respondent PP. Societ. ad replicam FF. Prædicat. qui hanc secundam responsionem etiam impugnant. primum articulum ex illis tribus, & explicant septem propositionibus rationem auxilii efficacis in communi, & non modum ant septem illas propositiones; sed dicunt explicandum esse modum efficaciæ.
propositiones circa modum efficaciæ, asserentes quòd sit vera & realis, pendens à Decreto Dei determinante voluntatem nostram dem die PP. Societatis transmittunt alias quinque propositiones de prædeterminatione physica, quas dicunt asseri à FF. Prædicat. Societatis debere declarare quid ipsi, non quid alii sentiant.
imi Card. Madrutii sensum suum aperiunt quinque propositionibus, quibus efficaciam gratiæ verbis ambiguis explicant ex con- tiam mediam.
timo Card. Madrutio Memoriale, in quo repetitis omnibus quæ gesta fuerant, ostendunt quòd Patres Societatis nolunt declarare n die Illust. Card. Madrutius præcipit Patribus Societatis ut clarè ac distinctè ad illos tres articulos respondeant.
oriali FF. Prædicatorum.
smittit Responsionem illam ad Memoriale Fratribus Prædicatoribus. Aliquo post tempore idem Illustriss. D. mittit ad utramque am divinæ gratiæ. Mox FF. Prædicatores brevissimam responsionem exhibent, affirmantes totam efficaciam gratiæ esse à Deo. Scriptum 27. numeris distinctum. Illust. Card. Madrutius jubet FF. Prædicatoribus ut annotent, quid sibi displiceat in Scripto ores obediunt & exhibent aliquas observationes. Illust. Cardinalis Madrutius tradit has observationes Patribus Societatis, qui res- o propositiones, in quibus dicunt consistere totam controversiam inter se & FF. Prædicatores. In his transigitur totus hic annus

Initio Anni Millesimi sexcentesimi.

. D. Cardinali Madrutio Animadversiones ad Responsionem Patrum Societatis Jesu. Illustrissimus eas eodem die transmittit ad
mo D. Madrutio Scriptum breve contra physicam prædeterminationem. Rogant ut FF. Prædicatores respondeant. Illustrissimus tim P. Procuratori Generali FF. Prædicatorum, qui dicit jam responsum esse; iterum tamen ipse nomine proprio respondet. gis urget definitionem.
Madrutius.
SS. Papæ, in quo patrum submissè loquuntur. Sanctissimus tradit illud P. Generali Prædicat. qui curat ut ad illud respondeatur.
, quo ex variis conclusionibus in Hispania defensatis conantur probare suam sententiam esse communem.
catores, qui aliud statim tradunt, probantes suam sententiam ex D. Augustino & D. Thoma.
quorum Responsionem FF. Prædicatores exhibent Animadversiones.
d Memoriale Sanctissimo Papæ per manus unius Patris, qui dicit se illud tradere nomine proprio. Sanctissimus respondet ut eat um illo agat de modo concordiæ. Huic Memoriali respondent FF. Prædicatores mense Augusto: interim verò celebrantur ao. ala sequente.

Memoria di S. CARLO BORROMEO, Fatti ristampare d'ordine dell' Eminentiss. e Reuerendiss. Sig. Card. NICOLO' LVDOVISIO Vescouo d'Ostia, e di Velletri, Decano del Sac. Collegio, e della S. Romana Chiesa Maggior Penitentiero, per profitto spirituale delle dette Diocesi.

LA principal cosa, che si deue procurare, &

Vedi di nõ andar mai a dormire con alcun peccato

perdono à Dio de' peccati commessi.

Tertia Tabula Chronologica Congregationum D
Romæ h

PRÆSIDENS	CONGREGATIO	DIES	MENSIS	MATERIA
Prçſidet nomine S.S. Fr. Propertius Reſta de Talleacotio Epiſcopus Geruntinenſis & Cariathenſis. CONSULTORES Fr. Julius Sanctutius à Monte Filatrano, ex Ordine FF. Minorum, Epiſcopus Sanctæ Agathæ-Gothorum. D. Lælius Landus Sueſſanus, Epiſcopus Neritonenſis. Fr. Henricus Silvius, Apoſtolicus Ordinis Carmelitarum Vicarius. F. Franciſcus Bruſus, Ordinis S Franciſci Procurator generalis. Fr. Joannes Baptiſta Plumbinus, Ordinis S. Auguſtini Procurator generalis. F. Gregorius Nunnius Coronel, Ordinis S. Auguſtini. D. Ludovicus De Creil, Doctor Sorbonæ Pariſienſis. Fr. Hyppolitus, Servita Senenſis, Epiſcopus Montis-peluſſi. F. Antonius Bovius, Regens Collegii Carmelitarum. D. Jacobus le Boſſu, Ordinis S. Benedicti, Doctor Pariſienſis.	I	23	Aprilis	SS. Clemens VIII. convocatos ad ſe Conſultores perm cipit ut iterum conveniant, in breviorem formm eamque ſubſcriptam ad ſe deferant.
		24	Aprilis	I. Propoſitio Molinæ: Quòd non detur concurſus D ſecundas ad operandum, quia Deus & cauſa ſecun les, & aliàs tolleretur libertas voluntatis humanæ
	II	28	Aprilis	II. Propoſitio Molinæ. Poteſt homo ſolis naturæ viri latis, quia revelata ſunt, actu tamen merè naturali: & us ex certa lege dat gratiam ut eundem aſſenſum eli
	III	2	Maii	III. Hominibus eatenus data eſt poteſtas filios Dei fi conentur, illis aderit Deus, ut fidem & gratiam co ſet verum quòd Deus vult omnes homines ſalvos fie
	IV	5	Maii	IV. Poteſt homo actu naturali aſſentiri revelatis, & p ſenſum ſupernaturalem eſſe neceſſarium, ex ſolis n re & conari, ita aſſentiri, immò & petere auxilium ſenſum & ſatagere ſe diſponere ad illud.
	V	8	Maii	V. Deus ſemper paratus eſt conatus noſtros adjuvare, citat liberum arbitrium noſtrum torpens ac ſopitum.
	VI	13	Maii	VI. Auxilium ſupernaturale gratiæ non eſt neceſſari myſteriis fidei actu merè naturali, nihilominus Deus illud confert.
	VII	15	Maii	VII. Facienti quod in ſe eſt ex naturalibus, Deus ex cer quoties quis paratus eſt ad dolendum de peccatis ex Deus dat illi gratiam qua illud faciat, ut oportet.
	VIII	19	Maii	VIII. Ante receptionem gratiæ, in ipſa receptione & p pria laus & induſtria libero arbitrio ſervanda eſt.
	IX	26	Maii	IX. Vocatio ad fidem & excitatio fidelis ad pœniten bero arbitrio ejus qui vocatur & excitatur.
	X	29	Maii	X. Poteſt homo ſolis naturæ viribus diligere Deum ſ abſoluto cum propoſito amplius non peccandi lethal
	XI	2	Junii	XI. Poteſt homo ſolis naturæ viribus elicere actum naturalem cum propoſito amplius non peccandi lethal
	XII	5	Junii	XII. Poteſt homo ſolis naturæ viribus reſiſtere cui quamlibet difficultatem pro ſervanda lege naturali, e
	XIII	9	Junii	XIII. Donum perſeverantiæ conſiſtit in gratia habitua qua Deus prævidit hominem operaturum.
	XIV	12	Junii	XIV. Datur in Deo ſcientia media, quâ Deus ante de gnoſcit quid voluntas creata factura ſit, ſi in talibus c ſtituatur.
	XV	16	Junii	XV. Ad actus fidei, ſpei, charitatis & alios ſupernat veniens vel excitans, & concurſus Dei generalis.
	XVI	20	Junii	XVI. Gratia excitans fit adjuvans & cooperans quand arbitrio ipſa influit in actus fidei.
	XVII	23	Junii	XVII. Auxilium ex ſeipſo efficax admittere eſt error citur efficax ab effectu.
	XVIII	26	Junii	XVIII. Si ab efficacia divini auxilii habet homo quòd arbitrii ad ſalutem.
	XIX	30	Junii	XIX. Si Deus ita prædefinit omnes actus non malos, ſeipſo efficacem determinatè ſtatuerit, perit mani
	XX	3	Julii	XX. Prædeſtinatio ut diſtinguitur à communi provid quam à ratione, ſive conditione ſine qua non, à co

Duæ aliæ habitæ ſunt Congregationes h
Cenſuram in viginti iſtas propoſitione
Benedictus Juſtinianus Societatis exhib
Iterum exhibent aliud Memoriale nom

e Auxiliis Anni 1600. sub SS. Papa Clemente VIII.
abitarum.

	DECISIONES	CONGREGATIONES VIDENDÆ
s horas alloquitur; præ- contrahant Censuram,		*Videnda est Congregatio 2. cum 3. & 8. anni 1601.*
præ vius applicans causas sunt duæ causæ partia-	Censent, hanc propositionem esse Molinæ, & cum in illa non discedere à semitis Pelagii, ex scopo quem habet, ut scilicet tolleret gratiam, ne arbitrii libertas tolleretur.	
assentiri mysteriis reve- omini sic assentienti De- , ut oportet ad salutem.	Censent, hanc esse Molinæ & Pelagianam ac Semipelagianam ex Bellarmino, sed magis ex D. Augustino.	*Videnda sunt 2. 3. & 5.*
, quia si ex naturalibus equantur, aliàs non es-	Censent, esse assertam à Molina & esse Pelagianam.	*Videnda est 6. cum 13.*
quam edoctus fuerit as- ræ viribus potest opta- pernaturale ad illum as-	Censent, esse Molinæ, sed Pelagianam & Semipelagianam.	*Videnda est 7. cum 15.*
d etiam quandoque ex-	Censent, esse à Molina assertam contra definitionem Concilii Arausicani Secundi Canone sexto.	*Videnda est 7. cum 17.*
n ut homo assentiatur quandoque ad hoc etiam	Censent, Molinam in hac propositione insistere vestigiis Cassiani.	*Videnda est 7. cum 19.*
lege dat gratiam, immò nore, vel ad conandum,	Censent, Molinam non recedere à doctrina Cassiani.	*Videnda est. 9. cum 21.*
ejus receptionem pro-	Censent, ex hac exigua conclusione penè totum Pelagianum dogma confirmari.	*Videnda est 9. cum 25.*
n multùm pendent à li-	Censent, hanc sententiam P. Molinæ Cassiani doctrinæ consonam esse.	*Videnda est 11. cum 27.*
er omnia actu naturali r.	Censent, hanc fuisse sententiam Cassiani.	*Videnda est 11. & 29.*
ritionis & contritionis er.	Censent Molinam conflasse assertionem suam ex erroribus Massiliensium & accedere ad Pelagianum dogma.	*Videnda est 14. & 30.*
et tentationi & vincere m si mors subeunda sit.	Censent accedere ad Pelagianismum & Semipelagianismum.	*Videnda est 14. & 31.*
gratia excitante, cum	Censent hanc doctrinam non esse alienam ab illa quam Massilienses asserebant.	*Videnda est 16. cum 32.*
rum suæ voluntatis co- cumstantiis homo con-	Censent, hanc doctrinam de scientia media & ejus necessitate esse eandem cum illa quam Massilienses excogitarunt ad extenuandam gratiam effectricem bonæ voluntatis.	*Videnda est 16. cum 33.*
les, sufficit gratia præ-	Censent Molinam non recedere à semitis Pelagii.	*Videnda est 18. cum 34.*
onsentiente jam libero	Censent, hanc Molinæ opinionem obscurare veram Christi gratiam & coincidere cum errore Massiliensium.	*Videnda est 20. cum 35.*
fide, sed auxilium di-	Censent, hanc explicationem à Molina traditam de auxilio efficaci fuisse traditam à Semipelagianis.	*Videnda est 22. cum 36.*
nsentiat, periit libertas	Censent, hàc Molinæ argumentatione usos fuisse Pelagianos.	*Videnda est 24. cum 37.*
ad illos per concursum è arbitrii libertas.	Censent, hanc propositionem ut intelligitur in Molina non esse alienam à Pelagianorum & Semipelagianorum sententia.	*Videnda est 26. cum 39.*
a. fuit dependens tan- ratione liberi arbitrii.	Censent, hanc fuisse opinionem Semipelagianorum contra D. Augustinum.	*Videnda est 28. cum 39.*

e anno coram Illustrissimis S.R.E. Cardinalibus Asculano & Bellarmino ad recognoscendam hanc
Molinæ.
Memoriale SS. in quo conqueruntur multa in his imponi Molinæ.
e Molinæ.

Quarta Tabula Chronologica Congregationum De[...]
Romæ ha[...]

PRÆSIDENTES

Præest F. Propertius Resta de Tallacotio, Ordinis Minorum, Episcopus Geruntinensis & Cariathensis, usque ad 25. Congregationem 4. Maii.

Illo ægrotante & mox defuncto præfuit F. Julius Sanctutius de Monte Filatrano, Ordinis Minorum, Episcopus sanctæ Agathæ Gothorum.

Assistunt alii

CONSULTORES.

D. Lælius Landus Suessanus, Episcopus Neritonensis.
F. Hyppolitus Servita Senensis, Episcopus Montis-pelusii.
F. Joannes de Rada, Procurator Generalis Ordinis S. Francisci.
F. Joannes Bapt. Plumbinus, Procurator Generalis Ordinis Sancti Augustini.
F. Hieronymus Palanterius, Ordinis S. Francisci, Regens Paduanus.
F. Gregorius Nunnius Coronel, Ordinis S. Augustini Secretarius Congregationis.
F. Joannes Antonius Bovius, Regens Collegii Carmelitarum.
D. Jacobus Le Bossu Gallus, Ordinis S. Benedicti Doctor Sorbonicus.
D. Ludovicus de Creil, Gallus Doctor Sorbonicus.

Ex parte Ordinis Prædicatorum.

F. Didacus Alvarez.
F. Thomas de Lemos.

Ex parte Societatis.

P. Petrus Arrubal.
P. Christophorus Cobos, sed in 7. Congregatione & deinceps loco Patris Arrubal venit
P. Gregorius de Valentia.

CONGREGATIO.	DIES	MENSIS	MATERIA
I	23	Januarii	Sanctissimus præcipit, ut ambæ Partes audiantu[r]
II	25	Januarii	Ex viginti Propositionibus & Censuris in præcedenti Tabula rela[...] ctæ sunt in hac Congregatione 1. & 2. & Censura in illas. 1. neg[...] vium Dei Concursum. 2. affirmat possibilem esse assensum natu[...] exhibitum rebus revelatis, ut revelatis, quem si homo eliciat co[...] tur gratiam, qua elicit talem assensum, ut oportet ad salutem. [...] Congregatione Jesuitæ contendebant explicandum, quæ fuerit m[...] lagii.
III	1	Februarii	Fratres Prædicatores asserunt verbo & scripto primam & secundam [...] sitionem Molinæ esse Pelagianam & Semipelagianam. Patres Societatis negant has propositiones, ut asseruntur à Molina, [...] illam censuram.
V	5	Februarii	Leguntur & exhibentur 3. & 4. propositio, & utriusque censura. Fratres Prædicatores verbo & scripto approbant Censuram in 3. & 4[...] positiones. PP. Societatis iterum agunt de 2. propositione. Præcipitur Patribus Societatis, ut in proximè futura Congregatio[...] spondeant de 3. & 4. propositionibus.
VI	8	Februarii	PP. Societatis respondent ad Censuram contra 3. propositionem, i[...] ut communicentur Scripta utriusque partis, & una tantùm Congr[...] habeatur in septimana. Leguntur 5. & 6. propositiones cum Censu[...]
VII	12	Februarii	PP. Societatis respondent ad Censuram contra 4. 5. & 6. propositio[...] FF. Prædicatores, quia jam de 4. dixerant, dixerunt de 5. & 6. ve[...] scripto approbantes Censuram in illas.
IX	19	Februarii	Leguntur & dantur 7. & 8. cum Censuris. FF. Prædicatores verbo & scripto approbant Censuram in 7. & 8. [...] Societatis illam reprobant.
XI	26	Februarii	Leguntur 9. & 10. cum Censuris. FF. Prædicat. verbo & scripto approbant Censuras in 9. & 10 proposi[...] PP. Societatis repugnant, & dicunt non esse Molinæ . . . Leguntur &[...] tur 11. & 12. cum Censuris in illas.
XIII	12	Martii	FF. Prædic. verbo & scripto approbant Censuras in 11. & 12. proposi[...] PP. Societatis negant esse Molinæ, & ut habentur in Molina nega[...] reri Censuram.
XV	19	Martii	Leguntur & dantur 13. & 14. cum Censuris. FF. Prædic. approbant verbo & scripto Censuram in 13. & 14. proposi[...] PP. Societatis repugnant . . . Leguntur 15. & 16. propositiones cum C[...] ris, & dantur Partibus.
XVII	26	Martii	FF. Prædicatores verbo & scripto dicunt se approbare Censuras in [...] 16. easque confirmant.
XIX	2	Aprilis	PP. Societatis dicunt 15. nullam mereri Censuram; differunt resp[...] nem ad decimam sextam. PP. Societatis respondent ad Censuram 16.
XXI	9	Aprilis	Leguntur Propositiones 17. & 18. cum Censuris in illas, & dantu[r] [...] tibus. FF. Prædicatores verbo & scripto consentiunt Censuris in 17. & 18[...] positiones.
XXII	16	Aprilis	PP. Societatis solo tuentur verbo Propositionem 17. nec dant scripta[...] Leguntur & dantur Propositiones 19. & 20. & Censuræ in illas. PP. Societatis respondent Censuræ in Propositionem 18. FF. Prædicatores verbo & scripto profitentur & probant legitim[...] Censuras in 19. & 20. Propositiones.
XXIV	30	Aprilis	PP. Societatis respondent ad Censuram 19. Propositionis.
XXVI	7	Maii	PP. Societatis verbo & scripto respondent pro 20. Propositione [...] Censuram. Deputantur duo Episcopi ad Sanctissimum Tusculi agentem pro [...] gando Præside in locum Episcopi Cariathensis defuncti.

Auxiliis Anni 1601. ſub SS. D. Clemente VIII.
bitarum.

& examinetur, An Molina conveniat cum Pelagio & Semipelagianis.

	CONGREGATIO	DIES	MENSIS	DECISIONES
le- ræ-				Decretum, non aliter agendum de mente Pelagii, quàm conferendo propoſitiones Molinæ & Pelagii.
em ur- ac l'e-	IV	3	Februarii	Examinatæ ſunt defenſiones Patrum Societatis in communi, & actum de modo examinandi eaſdem in particulari; ut ſcilicet D. Le Boſſu referret Conſultoribus ſummam defenſionum, ſicut & rationes impugnantium Molinam, quorum omnium ſinguli Conſultores exemplaria manuſcripta penes ſe haberent.
po- reri	VIII	15	Februarii	Cenſuerunt rationes, quibus Patres Societatis volunt tueri primam propoſitionem Molinæ, quâ negat concurſum prævium, eſſe nullas; & ideò perſiſtunt in Cenſura. Ita omnes, excepto P. Bovio, qui propoſitionem tuebatur, & P. Plumbino, qui dixit eſſe falſam, ſed non mereri Cenſuram.
	X	22	Februarii	Expenſis rationibus quibus Patres Societatis defendunt ſecundam propoſitionem, cenſuerunt illas non excuſare eam à Cenſura. Ita omnes, exceptis PP. Plumbino & Bovio.
ro-		1	Martii	Differtur examen rationum pro tertia propoſitione. Decernitur habendam eſſe bis in hebdomada Congregationem.
re-	XII	8	Martii	Diſcuſſis rationibus pro tertia propoſitione, decernunt illas non excuſare; & ideò perſiſtunt in Cenſura omnes, exceptis PP. Plumbino & Bovio.
ant	XIV	15	Martii	Expendunt rationes pro quarta, & judicant eſſe nullas, & perſiſtunt in Cenſura; exceptis eiſdem.
atio	XVI	22	Martii	Diſcuſſis rationibus pro quinta, cenſent perſiſtendum in Cenſura; exceptis iiſdem qui ſupra.
s.	XVIII	29	Martii	Rationibus pro ſexta diſcuſſis, cenſent nihilominus perſiſtendum in Cenſura; eiſdẽ exceptis.
s.	XX	5	Aprilis	Expenſis rationibus pro ſeptima omnes perſiſtunt in Cenſura: exceptis eiſdem duobus.
o &		12	Aprilis	Prorogatur diſcuſſio rationum pro 8. Decernitur ut DD. Epiſcopi adeant Sanctiſſimum, ut ſatisfaciant omnibus querelis PP. Societatis adversùs Congregationem; quod præſtiterunt die 13. Aprilis.
atres	XXIII	26	Aprilis	Diſcuſſæ rationes pro 8. nullæ judicantur, & confirmatur Cenſura ab omnibus; illis duobus exceptis.
	XXV	4	Maii	Examinatis rationibus pro 9. cenſent perſiſtendum in Cenſura; eiſdem exceptis.
ones.	XXVII	10	Maii	Expenſis rationibus pro 10. cenſent juſtè fuiſſe cenſuratam; exceptis eiſdem.
dan-	XXVIII	17	Maii	Expendunt rationes pro 11. judicant eas invalidas, perſiſtunt in Cenſura; eiſdem exceptis.
	XXIX	24	Maii	Examinantur defenſiones 12. & illis non obſtantibus perſiſtunt in Cenſura; eiſdem exceptis;
ones.	XXX	1	Junii	Expendunt diligenter rationes pro 13. & cenſent perſiſtendum in Cenſura; præfatis exceptis.
me-	XXXI	7	Junii	Diſcutiunt rationes pro 14. & illis non obſtantibus perſiſtunt in Cenſura; eiſdem exceptis.
	XXXII	11	Junii	Diſcutiuntur rationes contra 15. illis non obſtantibus perſiſtunt in Cenſura; exceptis eiſdem.
	XXXIII	27	Junii	Poſt expenſas rationes in Cenſuram 16. omnes, exceptis eiſdem, illam confirmant.
ones. nſu-		3	Julii	Conveniunt Conſultores deliberaturi de modo conficiendi Cenſuram, & decernunt ponendas 1. ipſas propoſitiones verbis Molinæ; deindè Cenſuras; mox rationes Patrum Societatis pro defenſione propoſitionum, & ſolutiones Congregationis.
y. &	XXXIV	5	Julii	Defenſiones pro 17. propoſitione nullæ judicantur, & perſiſtunt in Cenſura; exceptis qui ſupra.
ſio-	XXXV	12	Julii	Rationes pro 18. judicantur invalidæ, & ideò cenſent perſiſtendum in Cenſura; exceptis eiſdem.
	XXXVI	19	Julii	Cenſuerunt, rationes allatas pro defenſione 19. non excuſare à Cenſura illata; eiſdem exceptis.
Par-	XXXVII	ultim	Julii	Cenſuerunt, rationes PP. Societatis nihil obſtare quominus Cenſura in ultimam propoſitionem ſit legitima. Ita omnes exceptis PP. Plumbino & Bovio.
Pro-		4	Auguſti	Sanctiſſimus præcipit ut ad ſe veniant die ſextâ.
		6	Auguſti	Conſultores reddunt rationem omnium geſtorum Sanctiſſimo, qui contra Carmelitam diſputat.
		24	Octobris	Jubet Sanctiſſimus ut ordinent Cenſuram & revideant: ad quam reviſionem non vocentur RR. PP. Plumbinus & Bovius.
eſſe	XXXVIII		Octobris	Revident Cenſuras in propoſitionem 1. & 2.
	XXXIX	30	Octobris	Revident Cenſuras in 3. & 4.
	XL	31	Octobris	Revident Cenſuras in 5. 6. & 7.
ontra	XLI	2	Novemb.	Revident Cenſuras in 8. 9. & 10.
	XLII	3	Novemb.	Revident Cenſuram in undecimam.
ibro-	XLIII	6	Novemb.	Revident Cenſuras in 12. & 13.
	XLIV	7	Novemb.	Revident Cenſuras in 14. & 15.
	XLV	8	Novemb.	Revident Cenſuram in 16.
	XLVI	9	Novemb.	Revident Cenſuras in 17. & 18.
	XLVII	10	Novemb.	Revident Cenſuras in 19. & 20. interrogando RR. PP. Plumbinum & Bovium, an velint ſubſcribere. Recuſant illi.
		19	Novemb.	Subſcribunt Cenſuræ jam ordinatæ.
		5	Decemb	Dant Cenſuram Sanctiſſimo.

Quinta Tabula Chronologica Congregationum
mente VIII

PRÆSIDET

SS. Dominus CLEMENS VIII.

CARDINALES

Illustrissimus Camillus Burghesius.
Illustrissimus Pompeius Arrigonius.

Ad 6. Congregationem vocati sunt præterea

Illustrissimus Pinellus.
Illustrissimus Asculanus.
Illustrissimus Sfondratus Sanctæ Cæciliæ.
Illustrissimus De Avila

Ad 55. vocati sunt.

Illustrissimus Annas Descars Cardinalis De Givry.
Illustrissimus Ferdinandus Taberna.
Illustrissimus Anselmus de Monopoli.

Ad 65. vocatus est etiam.

Illustrissimus Innocentius de Bufalo.

Ad 67. vocatus venit.

Illustrissimus Cardinalis du Perron.

Ad 69.

Illustrissimus Cardinalis Aldobrandinus.
Illustrissimus Bellarminus,
Illustrissimus Blanchettus.

Ad 81.

Illustrissimus Antonius Zapata.

EPISCOPI.

Reverendissimus D. Archiep. Armachanus.
Reverendissimus D. Episcopus De Nardo.
Reverendissimus D. Episcopus Sanctæ Agathæ Ordinis S. Francisci.
Reverendissimus D. Episcopus De Monte Peloso Ord. Servorum.
Reverendissimus D. Episcopus Aquilanus.

CONSULTORES.

F. Joan. Rada Procurator gen. S. Francisci.
F. Anselmus De Monopoli Procurator gen. Capucinorum.
F. Joan. Bapt. Plumbinus Procurator gen. S. Augustini.
F. Joan. Anton. Bovius Regens della Transpontina.
F. Palanterius Ord. S. Francisci.
F. Greg. Nunnius Coronel Ord. S. August. Secretarius.
F. Anastasius Prior S. Pauli Ord. S. Benedicti, Secretarius.
D. De Creil Doctor Sorbonicus.
D. Joan Le Bossu Ord. S. Bened. Doctor Sorbonicus.

Ex parte FF. Prædicatorum.

F. Hieronymus Xavierre Generalis Ordinis.
F. Didacus Alvares Regens in Minerva.
F. Thomas de Lemos Præsentatus.

Ex parte Societatis.

P. Claudius Aquaviva Generalis.
P. Gregorius de Valentia.
P. Petrus Arrubal.
P. De Bastida.
P. Salas.

CONGREGATIO	DIES	MENSIS	MAT
Intimatur	14	Februarii	1. Quis majores vires ad bonum ... nus, an Molina?
			2. An in libris S. Augustini legat... bilem cum Christo Filio suo, ut ... rit totum quod in se est, Deus ill... Sancti Augustini
I	20	Martii	Sanctissimus 1. designat Secretario... precatur Deum cum lacrymis, ite... Alvares & Valentia.
	22	Aprilis	Mittuntur septem propositiones M... gustini, cujus loca 1. consignab...
	28	Aprilis	Generalis FF. Prædicatorum con... Augustini, contra septem propo...
	5	Maii	PP. Societatis dant Sanctissimo S... septem propositionibus, quarum ... rali, absque auxilio gratiæ, poss... quod comparatione ultimi finis ...
II.	8	Julii	1. Ipse Sanctissimus fusè de hoc ... replicantem: mox disputant Le...
III.	9	Julii	2. Utrum sufficienter propositis ... lis assentiri, ut revelatis, assensu...
IV.	22	Julii	3. Utrum homo edoctus, assensum ... necessarium, possit viribus natu... re, satagere, se disponere.
V.	23	Julii	4. Utrum ante receptionem gra... ceptionem, ita servandus sit loc... & laus relinquatur.
VI.	6	Augusti	5. Utrum sine gratia possit hom... nis elicere.
VII.	19	Augusti	6. Utrum sine gratia possit homo... tionis Dei super omnia.
IX. Disputatio 1.	2	Septemb.	7. Utrum sine gratia possit homo... gravi, & vincere quamcunque ...
XI. Disputatio 9.	30	Septemb.	Utrum in libris S. Augustini leg... infallibiliter gratiam cuicunque...
XIII. Disputatio 10.	18	Novemb.	Utrum Molina cum Cassiano co... positionibus, quarum 1. & 2. d... 1. Est quòd homo habeat in nat... dum bonum & malum, & natur... dum. Disputârunt Lemos & A... 2. Est quòd gratia illuminans, vo...
XV. Disputatio 11.	9	Decemb.	Utrum Molina cum Cassiano co... 3. Est quòd possit homo ex facult... nia. 4. Verò est, quòd Deus exspect... præveniat.
XVII. Disputatio 12.	16	Decemb.	Utrum Molina cum Cassiano co... 5. Est quòd Deus quodammodo ... elargitio suæ gratiæ rationabil... ra lapsa sufficientes vires habea... & ad superanda singula difficili...

…e Auxiliis Anni 1602. Romæ coram SS. D. Cle-
…habitarum.

…RIA.	CONGREGATIO	DIES	MENSIS	DECISIONES.
…at libero arbitrio, an S. Augusti- …onstitutam esse à Deo legem infalli- …ies homo solis naturæ viribus fece- …uat gratiam: vel an id sit de mente …postea orationem habet prolixam, …s orationem habet. Mox disputant …æ conferendæ cum doctrina S. Au- …r in scriptis: deinde disputabitur.				In hac prima Congregatione nihil decisum. Solùm ordinatur, ut seligerentur speciales aliquæ propositiones Molinæ, conferendæ cum doctrina S. Augustini. Imponit Sanctissimus præceptum sub pœna excommunicationis de secreto servando, & statuit sequendum in omnibus S. Augustinum.
…at Secretariis scriptum ex locis S. …nes Molinæ. …tum ex locis S. Augustini pro illis …t, Utrum cum solo concursu gene- …rno efficere bonum opus morale, …è bonum, & verè virtutis opus. …tur, & aliquandiu refellit Valentiam … & Valentia.	II	8	Julii	Egressis Generalibus Prædicatorum & Societatis, ac Disputantibus, Consultores ferunt suffragia, determinantes non posse hominem in natura lapsa elicere actus veræ virtutis, etiam moralis & ordinis naturalis. Duravit Congregatio à 12 ad 16.
…eriis fidei possit homo sine gratia il- …en naturali.	III	9	Julii	Egressis partibus, determinant non posse.
…pernaturalem mysteriorum fidei esse …us optare ita credere, conari, pete-	IV	22	Julii	Egressis partibus, determinant non posse.
…in receptione illius, & post ejus re- …bero arbitrio, ut ei propria industria …ctum naturalem attritionis & contri-	V	23	Julii	Egressis eisdem, determinant non esse servandum talem locum ante gratiæ receptionem, nec in ipsa receptione, vel post, nisi quatenus ille bonus usus est effectus gratiæ.
…sus elicere actum naturalem dilectio- …sus resistere cuilibet tentationi, etiam	VI	6	Augusti	Egressis eisdem, censent Consultores, non posse.
…cultatem; etiamsi mors sit toleranda. …constitutam esse a Deo legem dandi	VIII	20	Augusti	Decisum, non posse.
…enti quod in se est ex viribus naturæ.	X	3	Septemb.	Determinatum, non posse.
…iat in quatuordecim sequentibus pro- …tatæ fuerunt in hac Congregatione. …apsa naturale judicium ad cognoscen- …facultatem ad utrumque amplecten- …bal.	XII	1	Octobris	Non inveniri talem legem in S. Augustino; immò esse falsam, absolutè censuerunt.
…s, & excitans sufficiat ad salutem. …iat in 3. & 4. propositionibus. …ola naturæ diligere Deum super om-	XIV	19	Novemb.	Decisum, Molinam in his propositionibus falsis & erroneis convenire cum Cassiano.
…stros conatus, quódque aliquando nos	XVI	10	Decemb.	Decisum, convenire Molinam cum Cassiano in his propositionibus; quæ tamen sunt contra fidem.
…niat in 5. & 6. propositionibus. …asiones quærat & exspectet, ut datio & …videatur. 6. Est quod homo in natu- …resistendum gravibus tentationibus,	XVIII	17	Decemb.	Determinatum est, propositiones illas esse falsas & hæreticas, & in illis Molinam cum Cassiano convenire.

Guardati dal mormorare, e dal straparlare, e di non togliere mai la fama à nessuno.

Fuggi le cattiue compagnie più che la peste, & ogn'vno, che ti dia cattiui ricordi, ò consigli, ò mal'esem-

e per non spender malamente il tempo.

Che si dia buon'essẽpio a'suoi di Casa, e di Bottega, come cõuiene a'buoni Padri di famiglia: e però non potendosi in giorno di lauoro andar'à Messa, al-

guadagno.

In oltre si ricordi ciascuno, che hà da morire, e hà da dar conto à Dio di ogni nostra attione insino delle parole otiose, e fin che habbiamo tempo, deb

Sexta Tabula Chronologica Congregationum d... mente VIII...

PRÆSIDET

SS. Dominus CLEMENS VIII.

CARDINALES

Illustrissimus Camillus Burghesius.
Illustrissimus Pompeius Arrigonius.

Ad 6. Congregationem vocati sunt præterea

Illustrissimus Pinellus.
Illustrissimus Asculanus.
Illustrissimus Sfondratus Sanctæ Cæciliæ.
Illustrissimus De Avila

Ad 55. vocati sunt.

Illustrissimus Annas Descars Cardinalis De Givry.
Illustrissimus Ferdinandus Taberna.
Illustrissimus Anselmus de Monopoli.

Ad 65. vocatus est etiam.

Illustrissimus Innocentius de Busalo.

Ad 67. vocatus venit.

Illustrissimus Cardinalis du Perron.

Ad 69.

Illustrissimus Cardinalis Aldobrandinus.
Illustrissimus Bellarminus,
Illustrissimus Blanchettus.

Ad 81.

Illustrissimus Antonius Zapata.

EPISCOPI.

Reverendissimus D. Archiep. Armachanus.
Reverendissimus D. Episcopus De Nardo.
Reverendissimus D. Episcopus Sanctæ Agathæ Ordinis S. Francisci.
Reverendissimus D. Episcopus De Monte Peloso Ord. Servorum.
Reverendissimus D. Episcopus Aquilanus.

CONSULTORES.

F. Joan. Rada Procurator gen. S. Francisci.
F. Anselmus De Monopoli Procurator gen. Capucinorum.
F. Joan. Bapt. Plumbinus Procurator gen. S. Augustini.
F. Joan. Anton. Bovius Regens della Transpontina.
F. Palantesius Ord. S. Francisci.
F. Greg. Nunnius Coronel Ord. S. August. Secretarius.
F. Anastasius Prior S. Pauli Ord. S. Benedicti, Secretarius.
D. De Creil Doctor Sorbonicus.
D. Jacob Le Bosiu Ord. S. Bened. Doctor Sorbonicus.

Ex parte FF. Prædicatorum.

F. Hieronymus Xavierre Generalis Ordinis.
F. Didacus Alvares Regens in Minerva.
F. Thomas de Lemos Præsentatus.

Ex parte Societatis.

P. Claudius Aquaviva Generalis.
P. Gregorius de Valentia.
P. Petrus Arrubal.
P. Ferdinandus De Bastida.
P. Joannes Salas.

CONGREGATIO	DIES	MENSIS	MAT...
XIX	20	Januarii	Utrum Molina cum Cassiano conveni... lud dictum D. Pauli 1. ad Corinthios 10. ... *supra id quod potestis*, intelligitur quaten... non autem quòd det vires. 8. est quòd ... servanda sit laus libero arbitrio.
XXI Disputatio 15	27	Januarii	Utrum Molina cum Cassiano conveniat ... num perseverantiæ nihil aliud requiratur ... sufficiens.
XXIII Disputatio 16	17	Februarii	Utrum Molina cum Cassiano convenia... quòd omnia ab eo dicta de conatu liberi a... justificationem. 11. verò est, quòd homi... tamen ut conatus illi non sint meritorii ...
XXV Disputatio 17	14	Aprilis	Utrum Molina cum Cassiano conveni... quòd propter bona opera naturalia detur ... modo temperet hanc propositionem, di... modo meritoria. 13. est quòd possit bo... derare.
XXVII Disputatio 18.	5	Maii	Utrum Molina cum Cassiano conveniat ... natio non sit merè gratuita respectu omni... tùm respectu aliquorum.
XXIX Disputatio 19.	9	Junii	An Concilium Tridentinum sessione 14... ne & contritione docet Molina.
XXXI Disputatio 20.	23	Junii	An bona opera nostra moralia, nedum ... & nedum semotâ omni malâ circumstanti... cumstantiis, non dicantur bona; nec sec... nec ad pietatem pertinere; nisi sint facta ... quamvis facta sint suppositâ fide, & intu... punientis, & beneficiorum Dei miserenti... tim consideratione beneficii effusionis prop...
XXXIII Disputatio 21.	10	Novemb.	An ea omnia quæ Molina docet circa a... trio, simul cum his quæ de lege dicit, ea... ctum justificationis; & an ex iis quæ de li... immediata & proxima, vel remota pr... Disputarunt Bastida & Salas contra Lemos
XXXV Disputatio 22.	18	Novemb.	An liberum arbitrium & gratia sine du... ciendum.
XXXVII Disputatio 23.	25	Novemb.	An quòd liberum arbitrium considera... beat à Deo, nisi possibilitatem illam, qu... sit ex sententia expressa S. Augustini, a... cum Pelagio relato a D. August. lib. de g...
XXXIX Disputatio 24.	8	Decemb.	Quid intelligat Molina, dum dicit qu... rali respicientibus fidem, spem & charita... eos, & facit supernaturales? An solùm ... ex sola naturali facultate factos, & facia... habitos illos actus ex sola facultate natural... faciat, nedum naturales; sed etiam super... stante doctrina Molinæ, hanc elevatione... actuum ex sola naturali facultate elicitoru... bus factis & elicitis ex sola naturali facult... à credente in Deum, & sperante in Deu... Deus elevet potentiam, ut actus superna... facultate naturali possit credere, sperare ... to & deliberatione ampliùs non peccand... offendere, & in summa conteri & attere... aliquid amplius assequatur potentia, qu... Quid sit supernaturalitas, quam secu... assequuntur actus ex potentia naturali fac... circumstantiâ vestiti, sed omnibus boni... dente in Deum, à sperante in Deum, ab a... cum deliberatione cum ampliùs non offe... elevat.

e Auxiliis Anni 1603. Romæ coram SS. D. Cle-
habitarum.

R I A.	CONGRE GATIO	DIES	MENSIS	DECISIONES.
7. & 8. propositionibus. 7 est quòd il- ciis *Deus qui non patitur vos tentari* Deus prot git, incitat, cooperatur; ate receptionem, in ipsa receptione,	XX	21	Januarii	Censuerunt, Molinam cum Cassiano in illis erroribus convenire.
9. propositione. quæ est, quòd ad do- quàm gratia habitualis, & auxilium	XXII	18	Januarii	Censuerunt, convenire, & propositionem esse erroneam.
10. & 11. propositionibus. 10. est rii reducan ur ad actus necessarios ad e naturalibus conanti detur gratia, ita e, nec semper necessarii.	XXIV	18	Februarii	Censuerunt in his propositionibus, quæ sunt Semipelagianæ, convenire cum Cassiano.
12. & 13. propositionibus. 12. est ria, & quòd tamen uterque eod m do videlicet, illa opera non esse ullo medicum quærere & sanitatem desi-	XXVI	15	Aprilis	Censuerunt, Molinam in his propositionibus, quæ sunt semipelagianæ, convenire cum Cassiano.
ultima propositione, quòd prædesti- qui gloriam consequuntur; sed tan-	XXVIII	6	Maii	Censuerunt, Cassianum & Molinam æqualiter in hac propositione errasse.
p.4. & can. 5. obstet iis quæ de attritio-	XXX	10	Junii	Censuerunt, obstare.
na ex genere & objecto, ac ex officio, sed econtra vestita omnibus bonis cir- tùm Deum autorem naturæ & gratiæ; motivo fidei & pietatis supernaturalis, & consideratione justitiæ Dei scelera & tam copiosè præmiantis, & præser- sanguinis in cruce pro nobis.	XXXII	24	Junii	Censuerunt, illos actus spectare ad pietatem: contrariam verò doctrinam Molinæ à Catholicorum scholis explodendam.
s omnes qui exi possunt a libero arbi- mnia ticat & afferat in ordine & ad effe- o arbitrio & de lege affirmat, resultet ratio ad justificationem & gratiam.	XXXIV	11	Novemb.	Censuerunt, Molinæ doctrinam esse expressam doctrinam Massiliensium; præcipuè verò quæ dixerat Salas.
ausæ partiales ad eumdem actum perfi-	XXXVI	19	Novemb.	Censuerunt, non esse ponendos istos concursus partiales.
ex se, separatum à gratia, nihil ha- Deus tribuit libero arbitrio ab initio, illo colligi possit? An potiùs conveniat a Christi cap. 3. & sequentibus.	XXXVIII	26	Novemb.	Censuerunt, Molinam omninò convenire cum Pelagio, & statum causæ illius seculi esse eundem cum hoc quem Molina & ejus defensores proponebant & defendebant
n actibus elicitis ex sola facultate natu n in Deum, Deus inserit se, & elevat elligat quòd Deus elevat ipsosmet actus s supernaturales? An verò quòd post actus, elevet potentiam ipsam ut alios turales. Et an in hoc secundo sensu, Deus faciat intuitu & contemplatione Et an quid amplius tribuat Deus . cti. quando inserit se, quia jam facti sunt & amante Deum super omnia? Et si les novos faciat, cum jam potentia ex mare, dolere de peccatis cum proposi- k potiùs subire mortem, quam Deum pter Deum; an per istam insertionem ut faciliùs hæc omnia facere possit. ùm Molinam assequitur potentia, vel boni ratione objecti & officii, nullâ malâ rcumstantiis, & in summa facti a cre- ante Deum, à dolente illum offendisse, eudi, quando Deus se illis inserit, & eos	XXXX	13	Decemb.	Responderunt, Molinam existimare, quòd per illam infusionem, sive insertionem, elevantur soli actus, & iidem qui priùs eliciti sunt ex solis viribus naturæ. Responderunt, in doctrina Molinæ Deum facere talem elevationem intuitu actuum naturalium. Responderunt, Molinam velle, quòd Deus det illis actibus supernaturalitatem, quamvis in rei veritate hoc implicet. Responderunt, secundùm Molinam Deum tribuere illis actibus, non autem potentiæ, supernaturalitatem, per hoc quod se inserit. Responderunt istos actus in rei veritate esse supernaturales, & non posse elici à potentia naturali: & oppositum, quod Molina asserit, esse hæresim Pelagianorum.
				Hoc anno Ferdinandus Comes scribit ad Sanctissimum de Concordia.



Quinta Tabula Chronologica Congregationum c
mente VIII

PRÆSIDET	CONGREGATIO	DIES	MENSIS	MAT
SS. Dominus CLEMENS VIII.	Intimatur	14	Februarii	1. Quis majores vires ad bonum nus, an Molina?
CARDINALES				2. An in libris S. Augustini legat bilem cum Christo Filio suo, ut rit totum quod in se est, Deus ill Sancti Augustini
Illustrissimus Camillus Burghesius.	I	20	Martii	Sanctissimus 1. designat Secretario precatur Deum cum lacrymis, ite Alvares & Valentia.
Illustrissimus Pompeius Arrigonius.		22	Aprilis	Mittuntur septem propositiones M gustini, cujus loca 1. consignab
Ad 6. Congregationem vocati sunt præterea		28	Aprilis	Generalis FF. Prædicatorum con Augustini, contra septem propo
Illustrissimus Pinellus.		5	Maii	PP. Societatis dant Sanctissimo S septem propositionibus, quarum rali, absque auxilio gratiæ, poss quod comparatione ultimi finis si
Illustrissimus Asculanus.	II.	8	Julii	1. Ipse Sanctissimus fusè de hoc b replicantem: mox disputant Le
Illustrissimus Sfondratus Sanctæ Cæciliæ.	III.	9	Julii	2. Utrum sufficienter propositis lis assentiri, ut revelatis, assensu
Illustrissimus De Avila	IV.	22	Julii	3. Utrum homo edoctus, assensu necessarium, possit viribus natu re, satagere, se disponere.
Ad 55. vocati sunt.	V.	23	Julii	4. Utrum ante receptionem gra ceptionem, ita servandus sit loc & laus relinquatur.
Illustrissimus Annas Descars Cardinalis De Givry.	VI.	6	Augusti	5. Utrum sine gratia possit hom nis elicere.
Illustrissimus Ferdinandus Taberna.	VII.	19	Augusti	6. Utrum sine gratia possit hom tionis Dei super omnia.
Illustrissimus Anselmus de Monopoli.	IX. Disputatio 1.	2	Septemb.	7. Utrum sine gratia possit homo gravi, & vincere quamcunque
Ad 65. vocatus est etiam.	XI. Disputatio 9.	30	Septemb.	Utrum in libris S. Augustini leg infallibiliter gratiam cuicunque
Illustrissimus Innocentius de Bufalo.	XIII. Disputatio 10.	18	Novemb.	Utrum Molina cum Cassiano co positionibus, quarum 1. & 2. d 1. Est quòd homo habeat in nat dum bonum & malum, & natu dum. Disputârunt Lemos & A 2. Est quòd gratia illuminans, vo
Ad 67. vocatus venit.	XV. Disputatio 11.	9	Decemb.	Utrum Molina cum Cassiano co 3. Est quòd possit homo ex facult nia. 4. Verò est, quòd Deus exspecte præveniat.
Illustrissimus Cardinalis du Perron.	XVII. Disputatio 12.	16	Decemb.	Utrum Molina cum Cassiano co 5. Est quòd Deus quodammodo elargitio suæ gratiæ rationabil ra lapsa sufficientes vires habea & ad superanda singula difficili
Ad 69.				
Illustrissimus Cardinalis Aldobrandinus.				
Illustrissimus Bellarminus.				
Illustrissimus Blanchettus.				
Ad 82.				
Illustrissimus Antonius Zapata.				
EPISCOPI.				
Reverendissimus D. Archiep. Armachanus.				
Reverendissimus D. Episcopus De Nardo.				
Reverendissimus D. Episcopus Sanctæ Agathæ Ordinis S. Francisci.				
Reverendissimus D. Episcopus De Monte Peloso Ord. Servorum.				
Reverendissimus D. Episcopus Aquilanus.				
CONSULTORES.				
F. Joan. Rada Procurator gen. S. Francisci.				
F. Anselmus De Monopoli Procurator gen. Capucinorum.				
F. Joan. Bapt. Plumbinus Procurator gen. S. Augustini.				
F. Joan. Anton. Bovius Regens della Transpontina.				
F. Palanterius Ord. S. Francisci.				
F. Greg. Nunnius Coronel Ord. S. August. Secretarius.				
F. Anastasius Prior S. Pauli Ord. S. Benedicti, Secretarius.				
D. De Creil Doctor Sorbonicus.				
D. Joan. Le Bossu Ord. S. Bened. Doctor Sorbonicus.				
Ex parte FF. Prædicatorum.				
F. Hieronymus Xavierre Generalis Ordinis.				
F. Didacus Alvares Regens in Minerva.				
F. Thomas de Lemos Præsentatus.				
Ex parte Societatis.				
P. Claudius Aquaviva Generalis.				
P. Gregorius de Valentia.				
P. Petrus Arrubal.				
P. De Bastida.				
P. Salas.				

e Auxiliis Anni 1602. Romæ coram SS. D. Cle-
habitarum.

R I A.	CONGREGATIO	DIES	MENSIS	DECISIONES.
at libero arbitrio, an S. Augusti- onstitutam esse à Deo legem infalli- ics homo solis naturæ viribus fece- uat gratiam: vel an id sit de mente postea orationem habet prolixam, orationem habet. Mox disputant æ conferendæ cum doctrina S. Au- r in scriptis: deinde disputabitur.				In hac prima Congregatione nihil decisum. Solùm ordinatur, ut seligerentur speciales aliquæ propositiones Molinæ, conferendæ cum doctrina S. Augustini. Imponit Sanctissimus præceptum sub pœna excommunicationis de secreto servando, & statuit sequendum in omnibus S. Augustinum.
at Secretariis scriptum ex locis S nes Molinæ. ptum ex locis S. Augustini pro illis st, Utrum cum solo concursu gene- omo efficere bonum opus morale, è bonum, & verè virtutis opus. tur, & aliquandiu refellit Valentiam & Valentia.	II	8	Julii	Egressis Generalibus Prædicatorum & Societatis, ac Disputantibus, Consultores ferunt suffragia, determinantes non posse hominem in natura lapsa elicere actus veræ virtutis, etiam moralis & ordinis naturalis. Duravit Congregatio à 12. ad 16.
eriis fidei possit homo sine gratia il- en naturali.	III	9	Julii	Egressis partibus, determinant non posse.
pernaturalem mysteriorum fidei esse us optare ita credere, conari, pete-	IV	22	Julii	Egressis partibus, determinant non posse.
in receptione illius, & post ejus re- bero arbitrio, ut ei propria industria ctum naturalem attritionis & contri-	V	23	Julii	Egressis eisdem, determinant non esse servandum talem locum ante gratiæ receptionem, nec in ipsa receptione, vel post, nisi quatenus ille bonus usus est effectus gratiæ.
osus elicere actum naturalem dilectio- sus resistere cuilibet tentationi, etiam cultatem; etiamsi mors sit toleranda.	VI	6	Augusti	Egressis eisdem, censent Consultores, non posse.
constitutam esse à Deo legem dandi enti quod in se est ex viribus naturæ.	VIII	20	Augusti	Decisum, non posse.
iat in quatuordecim sequentibus pro- tatæ fuerunt in hac Congregatione.	X	3	Septemb.	Determinatum, non posse.
apsa naturale judicium ad cognoscen- facultatem ad utrumque amplecten- bal.	XII	1	Octobris	Non inveniri talem legem in S. Augustino; immò esse falsam, absolute censuerunt.
s, & excitans sufficiat ad salutem. iat in 3. & 4. propositionibus.	XIV	19	Novemb.	Decisum, Molinam in his propositionibus falsis & erroneis convenire cum Cassiano.
ola naturæ diligere Deum super om- stros conatus, quódque aliquando nos	XVI	10	Decemb.	Decisum, convenire Molinam cum Cassiano in his propositionibus; quæ tamen sunt contra fidem.
niat in 5. & 6. propositionibus. asiones quærat & expectet, ut datio & videatur. 6. Est quod homo in natu- d resistendum gravibus tentationibus,	XVIII	17	Decemb.	Determinatum est, propositiones illas esse falsas & hæreticas, & in illis Molinam cum Cassiano convenire.

Guardati dal mormorare, e dal ſtraparlare, e di non togliere mai la fama à neſſuno.

Fuggi le cattiue compagnie più che la peſte, & ogn'vno, che ti dia cattiui ricordi, ò conſigli, ò mal'eſem-

e per non ſpender malamente il tempo.

Che ſi dia buon'eſsēpio a'ſuoi di Caſa, e di Bottega, come cōuiene a'buoni Padri di famiglia: e però non potendoſi in giorno di lauoro andar'à Meſſa, al-

guadagno.

In oltre ſi ricordi ciaſcuno, che hà da morire, e ſi hà da dar conto à Dio di ogni noſtra attione inſino delle parole otioſe, e fin che habbiamo tempo, deb-

Sexta Tabula Chronologica Congregationum d[...] mente VIII

PRÆSIDET

SS. Dominus CLEMENS VIII.

CARDINALES

Illustrissimus Camillus Burghesius.
Illustrissimus Pompeius Arrigonius.

Ad 6. Congregationem vocati sunt præterea

Illustrissimus Pinellus.
Illustrissimus Asculanus.
Illustrissimus Sfondratus Sanctæ Cæciliæ.
Illustrissimus De Avila

Ad 55. vocati sunt.

Illustrissimus Annas Descars Cardinalis De Givry.
Illustrissimus Ferdinandus Taberna.
Illustrissimus Anselmus de Monopoli.

Ad 65. vocatus est etiam.

Illustrissimus Innocentius de Busalo.

Ad 67. vocatus venit.

Illustrissimus Cardinalis du Perron.

Ad 69.

Illustrissimus Cardinalis Aldobrandinus.
Illustrissimus Bellarminus.
Illustrissimus Blanchettus.

Ad 82.

Illustrissimus Antonius Zapata.

EPISCOPI.

Reverendissimus D. Archiep. Armachanus.
Reverendissimus D. Episcopus De Nardo.
Reverendissimus D. Episcopus Sanctæ Agathæ Ordinis S. Francisci.
Reverendissimus D. Episcopus De Monte Peloso Ord. Servorum.
Reverendissimus D. Episcopus Aquilanus.

CONSULTORES.

F. Joan. Rada Procurator gen. S. Francisci.
F. Anselmus De Monopoli Procurator gen. Capucinorum.
F. Joan. Bapt. Plumbinus Procurator gen. S. Augustini.
F. Joan. Anton. Bovius Regens della Transpontina.
F. Palantesius Ord. S. Francisci.
F. Greg. Nunnius Coronel Ord. S. August. Secretarius.
F. Anastasius Prior S. Pauli Ord. S. Benedicti, Secretarius.
D. De Creil Doctor Sorbonicus.
D. Jacob Le Boilu Ord. S. Bened. Doctor Sorbonicus.

Ex parte FF. Prædicatorum.

F. Hieronymus Xavierre Generalis Ordinis.
F. Didacus Alvares Regens in Minerva.
F. Thomas de Lemos Præsentatus.

Ex parte Societatis.

P. Claudius Aquaviva Generalis.
P. Gregorius de Valentia.
P. Petrus Arrubal.
P. Ferdinandus De Bastida.
P. Joannes Salas.

CONGREGATIO	DIES	MENSIS	MATE[RIA]
XIX	20	Januarii	Utrum Molina cum Cassiano conveniat [...] lud dictum D. Pauli 1. ad Corinthios 10. [...] *supra id quod potestis*, intelligitur quatenus [...] non autem quòd det vires. 8. est quòd [...] servanda sit laus libero arbitrio.
XXI Disputatio 15.	27	Januarii	Utrum Molina cum Cassiano conveniat [...] num perseverantiæ nihil aliud requiratur, [...] sufficiens.
XXIII Disputatio 16	17	Februarii	Utrum Molina cum Cassiano conveniat [...] quòd omnia ab eo dicta de conatu liberi a[...] justificationem. 11. verò est, quòd homin[...] tamen ut conatus illi non sint meritorii gr[...]
XXV Disputatio 17	14	Aprilis	Utrum Molina cum Cassiano conveniat [...] quòd propter bona opera naturalia detur g[...] modo temperet hanc propositionem, dic[...] modo meritoria. 13. est quòd possit bon[...] derare.
XXVII Disputatio 18.	5	Maii	Utrum Molina cum Cassiano conveniat i[...] natio non sit merè gratuita respectu omnium [...] tùm respectu aliquorum.
XXIX Disputatio 19.	9	Junii	An Concilium Tridentinum sessione 14. [...] ne & contritione docet Molina.
XXXI Disputatio 20.	23	Junii	An bona opera nostra moralia, nedum [...] & nedum semotâ omni malâ circumstantiâ [...] cumstantiis, non dicantur bona; nec secu[...] nec ad pietatem pertinere; nisi sint facta e[...] quamvis facta sint suppositâ fide, & intuit[...] poenitentis, & beneficiorum Dei miserentis [...] tum consideratione beneficii effusionis prop[...]
XXXIII Disputatio 21.	10	Novemb.	An ea omnia quæ Molina docet circa a[...] trio, simul cum his quæ de lege dicit, ea[...] ctum justificationis; & an ex iis quæ de lib[...] immediata & proxima, vel remota præ[...] Disputarunt Bastida & Salas contra Lemos.
XXXV Disputatio 22.	18	Novemb.	An liberum arbitrium & gratia sint du[...] ciendum.
XXXVII Disputatio 23.	25	Novemb.	An quòd liberum arbitrium consideratu[...] beat à Deo, nisi possibilitatem illam, qua[...] sit ex sententia expressa S. Augustini, ante[...] cum Pelagio relato à D. August. lib. de gr[...]
XXXIX Disputatio 24.	8	Decemb.	Quid intelligat Molina, dum dicit quo[...] rali respicientibus fidem, spem & charitat[...] eos, & facit supernaturales? An solùm in[...] ex sola naturali facultate factos, & faciat [...] habitos illos actus ex sola facultate naturali [...] faciat, nedum naturales; sed etiam super[...] stante doctrina Molinæ, hanc elevationem [...] actuum ex sola naturali facultate elicitorum [...] bus factis & elicitis ex sola naturali facult[...] à credente in Deum, & sperante in Deum [...] Deus elevet potentiam, ut actus supernat[...] facultate naturali possit credere, sperare, [...] to & deliberatione ampliùs non peccandi, [...] offendere, & in summa conteri & attri[...] aliquid amplius assequatur potentia, qua[...] Quid sit supernaturalitas, quam secu[...] assequuntur actus ex potentia naturali fact[...] circumstantiâ vestiti, sed omnibus bonis [...] dente in Deum, à sperante in Deum, ab a[...] cum deliberatione cum ampliùs non offen[...] elevat.

…R I A.	CONGREGATIO	DIES	MENSIS	DECISIONES.
7. & 8. propositionibus. 7. est quòd il- *tæl in Deus qui non patietur vos tentari* Deus præ git, incitat, cooperatur; ate receptionem, in ipsa receptione.	XX	21	Januarii	Censuerunt, Molinam cum Cassiano in illis erroribus convenire.
9. propositione. quæ est, quòd ad do- quàm gratia habitualis, & auxilium	XXII	28	Januarii	Censuerunt, convenire, & propositionem esse erroneam.
e 10. & 11. propositionibus. 10. est rit reducantur ad actus necessarios ad x naturalibus conanti detur gratia, ita e, nec semper necessarii.	XXIV	18	Februarii	Censuerunt in his propositionibus, quæ sunt Semipelagianæ, convenire cum Cassiano.
12. & 13. propositionibus. 12. est tia; & quòd tamen uterque eod m do videlicet, illa opera non esse ullo medicum quærere & sanitatem desi-	XXVI	15	Aprilis	Censuerunt, Molinam in his propositionibus, quæ sunt semipelagianæ, convenire cum Cassiano.
ultima propositione, quòd prædesti- qui gloriam consequuntur; sed tan-	XXVIII	6	Maii	Censuerunt, Cassianum & Molinam æqualiter in hac propositione errasse.
p. 4. & can. 5. obstet iis quæ de attritio-	XXX	10	Junii	Censuerunt, obstare.
na ex genere & objecto, ac ex officio, sed econtra vestita omnibus bonis cir- ùm Deum autorem naturæ & gratiæ; motivo fidei & pietatis supernaturalis, & considratione justitiæ Dei scelera & tam copiosè præmiantis, & præter- sanguinis in cruce pro nobis.	XXXII	24	Junii	Censuerunt, illos actus spectare ad pietatem: contrariam verò doctrinam Molinæ à Catholicorum scholis explodendam.
s omnes qui e ici possunt a libero arbi- nnia sicat & afferat in ordine & ad effe- o arbitrio & de lege affirmat, resultet ratio ad justificationem & gratiam.	XXXIV	11	Novemb.	Censuerunt, Molinæ doctrinam esse expressam doctrinam Massiliensium; præcipuè verò quæ dixerat Salas.
ausæ partiales ad eumdem actum perfi-	XXXVI	19	Novemb.	Censuerunt, non esse ponendos istos concursus partiales.
ex se, separatum à gratia, nihil ha- Deus tribuit libero arbitrio ab initio, illo colligi possit? An potius conveniat ia Cirilli cap. 3. & sequentibus.	XXXVIII	26	Novemb.	Censuerunt, Molinam omninò convenire cum Pelagio, & statum causæ illius seculi esse eundem cum hoc quem Molina & ejus defensores proponebant & defendebant.
m actibus elicitis ex sola facultate natu n in Deum, Deus inserit se, & elevat elligat quòd Deus elevat ipsosmet actus s supernaturales? An verò quòd post actus, elevet potentiam ipsam ut alios turales. Et an in hoc secundo sensu, Deus faciat intuitu & contemplatione Et an quid amplius tribuat Deus acti- quando inserit se; quia jam facti sunt & amante Deum super omnia? Et si les novos faciat, cum jam potentia ex rmate, dolere de peccatis cum proposi- k potius subire mortem, quam Deum opter Deum; an per istam insertionem ut faciliùs hæc omnia facere possit. ùm Molinam assequitur potentia, vel boni ratione objecti & officii, nullâ malâ rcumstantiis, & in summa facti a cre- ante Deum, à dolente illum offendisse, cudi, quando Deus se illis inserit, & eos	XXXX	13	Decemb.	Responderunt, Molinam existimare, quòd per illam insitionem, sive insertionem, elevantur soli actus, & iidem qui priùs eliciti sunt ex solis viribus naturæ. Responderunt, in doctrina Molinæ Deum facere talem elevationem intuitu actuum naturalium. Responderunt, Molinam velle, quòd Deus det illis actibus supernaturalitatem, quamvis in rei veritate hoc implicet. Responderunt, secundùm Molinam Deum tribuere illis actibus, non autem potentiæ, supernaturalitatem, per hoc quod se inserit. Responderunt istos actus in rei veritate esse supernaturales, & non posse elici à potentia naturali; & oppositum, quod Molina asserit, esse hæresim Pelagianorum.
				Hoc anno Ferdinandus Comes scribit ad Sanctissimum de Concordia.

Septima Tabula Chronologica Congregationum ... no Clemente ...

PRÆSIDET

SS. Dominus CLEMENS VIII

CARDINALES

Illustrissimus Camillus Burghesius.
Illustrissimus Pompeius Arrigonius.

Ad 6. Congregationem vocati sunt præterea

Illustrissimus Pinellus.
Illustrissimus Asculanus.
Illustrissimus Sfondratus Sanctæ Cæciliæ.
Illustrissimus De Avila

Ad 55. vocati sunt.

Illustrissimus Annas Descars Cardinalis De Givry.
Illustrissimus Ferdinandus Taberna.
Illustrissimus Anselmus de Monopoli.

Ad 65. vocatus est etiam.

Illustrissimus Innocentius de Bufalo.

Ad 67. vocatus venit.

Illustrissimus Cardinalis du Perron.

Ad 69.

Illustrissimus Cardinalis Aldobrandinus.
Illustrissimus Bellarminus.
Illustrissimus Blanchettus.

Ad 81.

Illustrissimus Antonius Zapata.

EPISCOPI.

Reverendissimus D. Archiep. Armachanus.
Reverendissimus D. Episcopus De Nardo.
Reverendissimus D. Episcopus Sanctæ Agathæ Ordinis S. Francisci.
Reverendissimus D. Episcopus De Monte Peloso Ord. Servorum.
Reverendissimus D. Episcopus Aquilanus.

CONSULTORES.

F. Joan. Rada Procurator gen. S. Francisci.
F. Anselmus De Monopoli Procurator gen. Capucinorum.
F. Joan. Bapt. Plumbinus Procurator gen. S. Augustini.
F. Joan. Anton. Bovius Regens della Transpontina.
F. Palanterius Ord. S. Francisci.
F. Greg. Nunnius Coronel Ord. S. August. Secretarius.
F. Anastasius Prior S. Pauli Ord. S. Benedicti, Secretarius.
D. De Creil Doctor Sorbonicus.
D. Jacob. Le Bossu Ord. S. Bened. Doctor Sorbonicus.

Ex parte PP. Prædicatorum.

F. Hieronymus Xavierre Generalis Ordinis
F. Didacus Alvares Regens in Minerva.
F. Thomas de Lemos Præsentatus.

Ex parte Societatis.

P. Claudius Aquaviva Generalis.
P. Gregorius de Valentia.
P. Petrus Arrubal.
P. Ferdinandus De Bastida.
P. Joannes de Salas.

CONGREGATIO	DIES	MENSIS	MAT[...]
XLI Disp. 25.	20	Januarii	Utrum sit de expressa S. Augustini [...] vel potius contra ipsius doctrinam, quod [...] deat à libero arbitrio ejus qui vocatur [...] terna vocatio fidelis ad pœnitentiam [...]
XLIII Disp. 26.	16	Februarii	Utrum dum sumus in via semper [...] nostra salus; perque nos ipsos stet, q[...] putarunt PP. Alvares & Bastida, quia [...]
XLV Disp. 27	22	Martii	Utrum sit vera hæc propositio Mol[...] suorum adultis distribuendorum magn[...] modat.
XLVII Disp. 28.	21	Aprilis	Utrum hæc propositio Molinæ sit fa[...] mine ut priùs faciat quod in se est, a[...] Deus fidem non conferat propter illa [...] antecedant, conferre illam non solet.
XLIX Disp. 29.	30	Aprilis	Actum fuit de hac propositione: P[...] arbitrio ex facultate naturali credendi [...] Deum super omnia, pœnitendi de pe[...] ampliùs non peccandi, superandi te[...] tiones, vel saltem cohibendi consensu[...] bat: & quòd omnes illi actus sint elic[...] stantiâ, sed vestiti omni bonâ circumst[...] ficii, & quòd sint eliciti intuitu & co[...] punientis, & præmiantis virtutes; & q[...] etiam quoad substantiam ipsorum actu[...] naturales: an sint prout ad salutem [...] quod in se est, Deus dat gratiam
LI Disp. 30.	7	Maii	In quo differant motivum pietatis Ch[...] intuitu & contemplatione bonitatis & [...] etiam super omnia
LIII Disp. 31.	28	Maii	An quando intellectus proponit vo[...] esse, ut summè bonum, ut summè j[...] vitæ æternæ, & ut qui pro nobis vitam[...] nientem æternâ damnatione, possit d[...] naturale tantùm, aut etiam supernatu[...] naturalem & supernaturalem.
LV Disp. 32.	30	Junii	An quando intellectus proponit vo[...] quam rem ad fidem pertinentem, & s[...]
LVII Disp. 33.	26	Julii	Præsupposito quòd in via Molinæ [...] causæ partiales, & quòd liberum arbi[...] bilitatem naturalem, quam Deus in [...] beat ut possit assentiri omnibus myster[...] laris, & quia à Deo revelata sunt, & [...] Deum super omnia, atteri & conteri de[...] plius non peccandi, possitque nedum [...] superare, vel saltem cohibere consens[...] tiat & in summa exercere omnia bo[...] officii, sed quæ sint bona ex omnibus c[...] tuitu bonitatis Dei præmiantis, & justi[...] Dei: à gratia autem habeat motivum, [...] tatis christianæ: quænam ex istis du[...] præponderet, supposita præsertim ing[...] det gratiam; & supposita opinione Mol[...] minet ipsam gratiam; eamque cum ve[...]
LIX Disp. 34.	27	Octobris	An sit sententia S. Augustini, quod [...] luntatis detur in Deo cognitio certa & [...] tium à causa libera, qualem Molina p[...] stida noluit attingere punctum diffic[...] cognosceret contingentia futura condi[...]
LXI Disp. 35.	29	Novemb.	Actum est de eodem dubio. Bastida [...] re, sed solùm voluit probare, quòd D[...] futura cognoscat, quod nemo negab[...]
LXIII Disp. 36.	6	Decemb.	Actum de eodem dubio. Bastida [...] gnoscat ante Decretum absolutum su[...]

…R I A.	CONGREGATIO	DIES	MENSIS	DECISIONES.
…entia, aut ſaltem de ejus mente, …rna vocatio ad fidem multùm pen- …icèt donum Dei ſit: Et, an in- …ùm pendeat à miniſtris Eccleſiæ.	XLII	21	Januarii	Cenſuerunt, eſſe contra doctrinam Sancti Auguſtini, dicere quòd interna vocatio pendeat à libero arbitrio, vel à Miniſtris Eccleſiæ.
…anu liberi arbitrii noſtri poſita ſit …ad Deum non convertamur. Diſ- …abat Lemos.	XLIV	17	Februarii	Cenſuerunt, illam propoſitionem (ſemper dum ſumus in via in manu arbitrii noſtri poſita eſt noſtra ſalus) eſſe Pelagianam.
…: Deus léges ordinarias donorum … parte uſui liberi arbitrii accom-	XLVI	27	Martii	Cenſuerunt, eſſe contra D. Paulum & D. Auguſtinum.
… Deus effectualiter exigit ab ho- …uam fidem donet: quamvis enim … antecedunt; nihilominus niſi illa	XLVIII	23	Aprilis	Cenſuerunt, iſtam propoſitionem eſſe dogma Pelagianum.
…ppoſito quòd actus eliciti à libero …um, ſperandi in Deum, diligendi …s cum propoſito & deliberatione …minores, ſed etiam graves tenta- …ne gravibus tentationibus ſuccum- …nedum remotâ omni malâ circum- …â, tam ratione objecti, quàm of- …platione omnipotentiæ Dei ſcelera …iſti actus ſint nedum naturales, ſed …, ſecundùm Molinam, ſint ſuper- …te ſuppoſitâ lege, quòd facienti	L	1	Maii	Cenſuerunt, actus illos, iis omnibus ſuppoſitis (quamvis ſint falſa & hæretica) eſſe prout ad ſalutem oportet.
…ane, & motivum quòd actus fiant …tiæ Dei, ex timore & amore Dei	LII	8	Maii	Cenſuerunt, hæc duo motiva non differre; & liberum arbitrium ex ſolis naturæ viribus non poſſe illos actus ob aliquod ex his motivis elicere; & contrarium eſſe Pelagianum.
…ti Deum amandum & colendum …, præmiantem virtutem præmio …nguinem profudit, & ſcelera pu- …uod proponat tanquam objectum …aut tanquam indifferens ad actum	LIV	29	Maii	Cenſuerunt, intellectum ſic proponentem, proponere motivum ſupernaturale.
…ti Deum ut ſupra, proponat tan- …quam objectum fidei.	LVI	2	Julii	Cenſuerunt, proponere tanquam objectum fidei.
…um arbitrium & gratia ſint duæ … nihil habeat à gratia, niſi poſſi- …catione ei dedit, à ſe autem ha- …ei revelatis, tanquam à Deo reve- …d poſſit credere, ſperare, & amare …catis commiſſis cum propoſito am- …res, ſed etiam graves tentationes …ne gravibus tentationibus conſen- … ſolùm bona ratione objecti & …nſtantiis, & hæc omnia facere in- …nientis, & ſic ex timore & amore …cet quòd hæc fiant ex motivo vic- …auſis partialibus in juſtificatione …ód facienti quod in ſe eſt, Deus … quòd liberum arbitrium deter- …im reſpuere & vanam reddere.	LVIII	27	Julii	Cenſuerunt, juxta Molinam liberum arbitrium præponderare: ſed juxta S. Auguſtinum & juxta Catholicam veritatem, gratiam in his actibus præponderare & prævalere.
… Decretum abſolutum Divinæ vo- …llibilis contingibilium dependen- …entiam-mediam Deo tribuit. Ba- …, ſed voluit probare, quòd Deus …è; quod tamen nullus negabat.	LX	29	Octobris	Cenſuerunt, ſcientiam mediam non fuiſſe à S. Auguſtino aſſertam, immò fuiſſe ipſiſſimum Pelagianorum & Semipelagianorum dogma.
…iit ad punctum difficultatis acce- …tera illa contingentia conditionatè	LXII	30	Novembris	Idem cenſuerunt.
…neſt probare, quòd Deus illa co- …onis.	LXIV	7	Decembris	Idem cenſuerunt.

no,secõdo diuerse attioni,come del far'oratione,vdire
la Messa,negotiare,mãgiare,e così non perderai tẽpo.
La sera dopo cena,ò à qualche altra hora,se sai leg-
gere,leggi vn poco vn libro spirituale,ò vite de'Sãti,

spesse volte l'osseruanza de' Diuini Precetti,e massi-
me guardar le vigilie, e feste comandate dalla Santa
Madre Chiesa, non permettendo in giorno di Festa
si lauori, nè si lasci la Messa, dispensandoli in opere

giudizio d'altrui, sapendo in questo caso ancora
ser tenuti alla sodisfatione del danno.
Che si fugga ogni sorte di contratti illeciti, ò s
spetti in alcun modo; auuertendo, che li guadag
siano leciti per poterli godere con buona coscienz

Octava Tabula Chronologica Congregationum
Disputationum coram (

PRÆSIDET	CONGREGATIO	DIES	MENSIS	MATERI
Sanctissimus Clemens VIII. Clemens VIII. moritur 4. Martii.	LXV Disp. 37.	4	Januarii	An in præsenti disputatione, in qua m Decretum prædestinationis habeat scienti lium dependentium à causa libera, statu cretum Dei, quo decernat velle salvare P nendum sit aliud, quo sua Divina Majest illum salvare, si ponatur in tali rerum or liis ipse bene utatur.
Eligitur Leo XI. qui paulò post moritur.	LXVII Disp. 38.	21	Januarii	An bonus usus Divinorum auxiliorum bertate; an verò à gratia Dei, quæ fac ctis auxiliis?
Eligitur Paulus V. 16. Maii.	LXX Disp. 39. quæ fuit 2. Congregatio & prima Disput. sub Paulo V.	20	Septemb.	Actum fuit de Scripto olim à Clemente diviso: & concedentibus adversariis omn tenta, solùm actum fuit de quinto capite S. Augustini, quod gratia efficax habet s tentia Dei, & à dominio quod sua Divina tes hominum. De Gratia & libero Arbitr rept. & Gratia cap. 5 cap. 8. & cap. 14. in Psalmum 134. De Dono perseveran
	LXXII Sub Paulo V. 4. Disp. 40.	12	Octobris	An Deus suâ efficaci gratiâ moveat h liberos bonos, non solùm interiùs suaden aut aliter moraliter attrahendo; sed eti salvâ tamen humanâ libertate?
	LXXIV Sub Paulo V. 6. Disp. 41.	26	Octobris	Utrum gratia efficax, quâ Deus move propriè ad actus bonos liberos, convenien physicè prædeterminare dicatur? Actum præcipuè ex Scriptura.
	LXXV Sub Paulo V. 7. Disp. 42.	9	Novemb.	Actum fuit de mente Concilii Tridenti 4. in illis verbis, *motum & excitatum à D*
	LXXVI Sub Paulo V. 8. Disp. 43.	22	Novemb.	Actum fuit de Gratia efficaci ex men
	LXXVIII Sub Paulo V. 10. Disp. 44.	14	Decemb.	Actum fuit de Gratia efficaci ex Sanc tum Latinis.
	LXXX Sub Paulo V. 12.	10	Januarii	Actum fuit de Gratia efficaci, præs Calvino.
	LXXXI Sub Paulo V. 13. Disp. 45.	25	Januarii	Iterum ex rationibus.
	LXXXIII Sub Paulo V. 15. Disp. 46.	15	Februarii	De eadem Gratia efficaci ex Sancto Th
	LXXXIV Sub Paulo V. 16. Disp. 47.	28	Februarii	De eadem Gratia efficaci ex Doctorib

Finis Disp

de Auxiliis Anni 1605. & 1606. usque ad finem
emente VIII. & Paulo V.

A	CONGREGATIO	DIES	MENSIS	DECISIONES.
tur, Utrum Deus ante futurorum contingibi- am sit unicum esse De- m; an verò præsuppo- ecernat conditionaliter , & datis talibus auxi-	LXVI	5	Januarii	Censuerunt, unum esse Decretum, & nullo modo admitti posse aliud, ut admittit Molina.
oveniat à sola innata li- it homo bene utatur di-	LXVIII	22	Januarii	Censuerunt, esse sententiam Pelagianorum, quòd bonus usus auxiliorum à sola libertate, & non ab ipsa gratia proveniat.
III. in quindecim capita ia in dicto Scripto con An videlicet sit doctrina n efficaciam ab omnipo- ajestas habet in volunta	LXIX Sub Paulo V. 1.	14	Septembris	Actum est de statu causæ & modo procedendi. Decrevit Pontifex, agendum primùm de Scripto Clementis VIII. in quindecim Capita diviso.
cap. 14. & 20. De Cor- : Gratia Christi cap. 24. cap. 13.	LXXI Sub Paulo V. 3.	21	Septembris	Censuerunt, hanc esse sententiam D. Augustini, quæ in illis quindecim Capitibus, præsertim in quinto exprimitur.
inis voluntates ad actus , invitando, excitando, verè, activè, propriè;	LXXIII Sub Paulo V. 5.	15	Octobris	Censuerunt Deum non solùm moraliter, sed etiam verè, activè, propriè movere libertatem ad actus liberos bonos, salvâ eorum libertate.
oluntatem verè, activè, ab aliquibus Scholasticis				
præsertim Sess. 6. Can.	LXXVII Sub Paulo V. 9.	29	Novembris	Censuerunt, gratiam efficacem posse vocari physicè prædeterminantem, neque obstare; immò potiùs favere Tridentinum & Augustinum.
Divi Augustini.				
Patribus, tum Græcis,	LXXIX Sub Paulo V. 11.	3	Januarii	Censuerunt, Patres Latinos & Græcos non præjudicare, immò favere gratiæ prædeterminanti.
n ex convenientia cum	LXXXII Sub Paulo V. 14.	1	Februarii	Censuerunt, esse magnam differentiam inter Catholicos admittentes gratiam de se efficacem, & Calvinistas; nec rationes allatas ab adversariis aliquid efficere.
na.	LXXXV Sub Paulo V. 17.	1	Martii	Censuerunt, Scholasticos Doctores, maximè Sanctum Thomam & alios, favere gratiæ per se efficaci.
Scholasticis.				

tationum.



HISTORIÆ CONGREGATIONUM DE AUXILIIS DIVINÆ GRATIÆ

LIBER PRIMUS.

Quo referuntur Controversiæ, in Belgio primùm, tum in Hispania habitæ; quæ hisce Congregationibus locum dedere: ad annum usque 1597. quo causa Romam ascita, primò cognita est.

CAPUT PRIMUM.

Societatem suam tenendæ S. Thomæ doctrinæ lege astringit B. Ignatius. Suos ad Concilium Tridentinum missos Theologos Litteris monet, ne quid novent. Prudentium de Monte-Major, primum Molinismi velitem, Censurâ notat Academia Salmanticensis.

Quæ magnis incendiis initia solent esse, ut nec primùm ardeant, nec humanis oculis statim luceant; eadem illa celeberrimis de divinâ Gratiâ controversiis contigere; quæ Prædicatorum Ordinem, decimo sexto cadente seculo, cum Societate commiserunt.

Germanæ S. Thomæ doctrinæ sectator strenuus, Christianæque pacis amator Beatissimus vir Ignatius, Societatis Parens, si quæ vidit ætate suâ dissensionum istarum ac novitatum suboriri semina, eâ quâ potuit pietate ac religione compressit: illo sanè dignus elogio, quo eum Cardinalis Franciscus à Monte, coram Gregorio XV. coronavit, dùm virtutum ac miraculorum gesta, pro Canonica ejus Apotheosi, referret: *Novas*, inquit, *opiniones nunquam admisit, & in Theologia Scholastica doctrinam Angelici Doctoris secutus est.* Et certè, si Societatis scriptoribus fides, eam ille Lutetiæ-Parisiorum apud FF. Prædicatores, in Collegio Generali S. Jacobi didicerat. Eâque ratione subinde factum, ut qui nascente Societate, eidem necdum peractis Theologicis studiis, nomen dabant, ad FF. Prædicatorum scholas, lectiones Theologicas excepturi mitterentur: quod olim Vallisoleti atque Abulæ fieri solitum, ipsimet profitentur. Ita nempè qui Ignatii mentem animumque propiùs ebiberant, se nusquam meliùs instituendos arbitrabantur, quàm

Jac. Penard. tom. 2 de Trop. SS. serm. 2. de S. Ignatio. Maffeius lib. 1. cap. 19. de vita S. Ignatii. Henao tr. 3. disp. 25. cap. 2. Paul. Leon. p. 2. n. 77. L. de Ponte in Vita V. Balth. Alvarez c. 2.

quàm si eum Doctrinæ fontem attingerent, unde Sanctissimus Pater hausisset.

Sed nec id satis: sectandæ Thomisticæ doctrinæ zelum hæreditarium suis esse voluit, jussitque Vir Dei, sancitâ lege, quarta Constitutionum parte: *In Theologia legatur vetus & novum Testamentum, & doctrina scholastica sancti Thomæ*: eique nullo nomine, nullove titulo, lituram aliquam exceptionemve præfigi passus est, quoad vixit. Id vel uno probatissimo exemplo, ex quo cætera discere licet, compertum reliquit Maffæius, ejusdem instituti scriptor non ignobilis. Cùm enim Martinus Olavius, propositis Romæ publicæ disputationi Thesibus Immaculatæ Conceptionis opinionem inseruisset, eam suâ licet in Beatam Virginem inclinante pietate, expungi jussit Ignatius; ne Doctoris Angelici doctrina peti, ejusque discipuli provocari viderentur.

4. Parte Const. cap. 14.

Lib. 3. de vita S. Ignatii cap. 9.

Non obfuit tamen tantus ille promovendæ fovendæque S. Thomæ doctrinæ zelus, quin sua etiam ætate, eas apud Suos novitates suboriri cerneret, quæ obscura controversiarum istarum proludia censeri meritò possunt, quæque veluti neglectæ scintillæ illud tandem in Ecclesia incendium excitarunt, cui exstinguendo celeberrimas de Divinis Auxiliis Congregationes Summi Pontifices indixere.

Fatentem habemus Orlandinum, in suæ Societatis Historiâ. Is scilicet de nonnullis sermonem instituens, qui Calvinianos circa Justificationem errores, in sexta Concilii Tridentini sessione, liberiùs oppugnaturi in extremas veterum hæreticorum partes accedere videbantur, observat, Ignatium missos illuc Societatis suæ Theologos litteris convenisse: *Lainio, Salmeroni, ac Jaio seriò commonefactis, ne novam ullam opinionem, firmis licet rationibus nixam, proferrent in medium, quæ vel ad hæreticorum commenta deflectere, vel ad eorum qui nova sectantur opinionem videretur accedere: ac quandiu ab Ecclesia pars non definiretur alterutra, à probabilissimis etiam rebus assensum cohiberent & linguam.* Hinc etenim viderint æqui rerum æstimatores, (quippè nos ad cujusquam invidiam loqui nolumus) num ii jam tunc obliquas illas oppugnandi Calvinismi vias iniisse censendi sint, quos paternâ illâ monitione contineri retrahique necesse fuit?

Lib. 6. n. 26.

Placuit equidem Orlandino rem adeò apertam, & ex ipsâ rei gestæ narratione sponte consectariam dissimulare; dum domesticis servandis finibus totus intentus, eam tentatæ novitatis labem, in obscuros duntaxat Episcopos injecit. Verùm quod ille studio partium abreptus catè dissimulat, nititurque tegere, sincerâ fide profitetur & in oculis ponit sodalis ejus Pallavicinus, dum Lainium, Concilii Tridentini Canonem (quo, *liberum arbitrium motum & excitatum à Deo posse dissentire si velit*, sancitum fuit) ita emolliendum judicasse refert, ut hominem communi dumtaxat vocationi posse dissentire, sanciretur. Scilicet tacitè Lainius seminabat, quod apertè secutis temporibus Societatis Theologi messuerunt: specialibus nempè gratiæ suaptè naturâ efficacis auxiliis dissentiri non posse, deque humani arbitrii libertate actum iri, si iis excitaretur ac moveretur.

In histor. Conc. Trid. lib. 8. cap. 13. n. 9.

Hoc idem Salmeronem sensisse produnt Acta ejusdem Concilii manuscripta, in Arce S. Angeli asservata: e quibus plurima in causæ Thomisticæ defensionem jubente Paulo V. defloravit Thomas de Lemos, anno 1605. Sed & illud observatione dignissimum, quod ibidem in sextæ sessionis volumine scriptum perhibet, iisdem nempè displicuisse Theologis, præfati Canonis verba, *liberum arbitrium motum & excitatum à Deo*: quorum quidem loco, (quasi mens sola, non item voluntas humana moveretur à Deo) *mentem à Deo motam*, reponendum judicarunt; non absque cæterorum stomacho, & injectâ Pelagianismi accusatione. *Cùm in plena Congregatione proponeretur Patribus Concilii Canon ille quartus,* Si quis dixerit liberum hominis arbitrium motum & excitatum &c. *omnibusque Patribus illa verba placerent; P. Laynes è Societate semel & iterum dixit: Non placet, quòd dicatur,* Liberum arbitrium à Deo motum & excitatum, *sed,* Mens mota & excitata, *ponatur. Quod cum Patribus displicuisset, Episcopus quidam dixit, illam sententiam, quam proponebat Pater Laynes, esse Pelagianam; nolentem, Deum agere & movere hominis arbitrium, seu liberam voluntatem, sed tantùm intellectum & mentem.* Idem planè Salmeronem cum Laynio sensisse fertur paginâ 133. eorumdem Actorum.

In volum. Actor. 6. sess. pag. 133.

Fuerunt illa controversiarum de Auxiliis infausta prænuntia, à venerandis Concilii Patribus patulis auribus excepta, quæ ferventissimis monitis amovere satagerat Beatus Ignatius. Sed quid illo ad superos evocato? Sui jam juris facti, quasi excessissent ex ephebis, suo quisque indulsit ingenio. Tenendæ S. Thomæ doctrinæ legem, quâ contra novitates omnes Vineam suam, sacrâ veluti sepe, muniverat

san-

sanctissimus Parens, demoliri sensim ac dissipare aggressi sunt: idque non privatim ac clanculùm, sed facto velut agmine, collatisque consiliis.

Ea de re statim actum eâ in Congregatione, quâ ad supremam Societatis præfecturam vocatus Didacus Laynes, communibus votis S. Ignatio suffectus est anno 1558. Illic ad limam vocata tenendæ S. Thomæ doctrinæ lex, speciosæ interpretationis obtentu concussa est, *Accommodatioris utiliorisque Theologiæ*, propè diem edendæ, accepto consilio, quæ solemni Præpositorum ac Theologorum Societatis approbatione prælegenda foret. Ita quippè statutum: *In Theologia legetur vetus & novum Testamentum, & doctrina scholastica D. Thomæ. Prælegetur etiam Magister sententiarum. Sed si videretur temporis decursu alius Autor studentibus utilior futurus, ut si aliqua Summa vel liber Theologiæ scholasticæ conficeretur, qui his nostris temporibus accommodatior videretur; gravi cum consilio, & rebus diligenter expensis, per viros qui in universa Societate aptissimi existimentur, cumque Præpositi Generalis approbatione, prælegi poterit.*

In [illegible] ad [illegible] 4. const. litt. B.

Hinc veluti dato signo, orta confestim opinandi licentia. Seu enim *accommodatioris Theologiæ* editione, Societatis votis respondere festinarent aliqui, seu novæ scholæ erigendæ Principes, novique Israëlis Magistri evadere vellent alii, diligenti æmulatione tentatum est. Id mutuâ gestorum subsequentium collatione videas. Nova quidem vulgavit Molina, anno duntaxat 1588. at Scientiam-mediam, doctrinæ suæ caput & corpus, annis antehac triginta, & mente concepisse, & in scholasticis disputationibus, sub scientiæ naturalis nomine, se propugnasse professus est. Quæ duo si conferas, eum ignes concepisse suos invenies anno circiter 1558. quo Generalis Congregationis Decretum emissum est. Idem in Fonseca notare licet. Prodiit quidem ejus Metaphysica, iisdem novitatibus famosa, anno 1596. verùm alta illa Scientiæ-mediæ mysteria sibi ab annis supra triginta, revelata gloriatur, sed non ea palàm eructare ausum esse, donec à Molinæ, Suarezii, Vasquezii, Mendozæ præviis revelationibus autoritatem accepissent. Quæ certè si debitè conferas, ad præfatæ Congregationis vicina tempora revocabis, quibus à malè sibi consciis parentibus, abortivi fœtus opportuno silentio celabantur.

In Conc. quæst. 14. art. 13. disp. 53. memb. 2.

Quæst. 6. Meta. sect. 8.

Primus sodalium suorum doctrinam, diuturnâ illâ tacitaque meditatione concoctam vulgavit in publicum Prudentius de Monte-Major, anno 1581. jactâ velutì aleâ probaturus, quam apud viros eruditos fortunam esset habitura. Theses publicæ disputationi dedit Salmanticæ: quibus tum absoluta Dei erga actus liberos Decreta, tum gratuitam prædestinationem explodebat. Res incommodè cessit. Hunc quippè publica disputatione exagitavit Dominicus Bannes, Ordinis Prædicatorum, Primariæ cathedræ moderator: qui etiam non ita post, editis in primam partem D. Thomæ Commentariis, eas nascentis Molinianæ scholæ novitates impetiit ac profligavit, tantâ tamen animi modestiâ, ut illos numquam ex nomine designarit, quorum opinationes refellebat: satis officio suo consultum putans, si veritatem absque ullius famæ jacturâ, tueretur: *Ut faciliùs corriperet pænitudo*, quod aliâ occasione inquit Leo Magnus, *quos nulla deformasset abjectio.*

Serm. 7. de Pass.

Nec solùm Ordinis Prædicatorum Theologi, verùm etiam alii gravissimi Salmanticensis Universitatis Magistri, novam illam doctrinam, tamquam erroneam, ac de Pelagianorum reliquiis derivatam, ad sacros fidei Censores deferendam esse judicarunt. Quo factum est, ut S. Inquisitionis Vallisoletanæ Judex insignis Joannes Aresius, Vir ingenio, litteris, prudentia, & omni virtutis officio præstans, Salmanticam hujus rei inquirendæ & examinandæ causâ missus sit: qui, diligenti examine, de assertionibus & assertoribus facto, omnes sacræ Theologiæ Salmanticensis Magistros in unum Congregatos consuluit. Qui omnes temeritatis & erroris notâ prædictam novam in Universitate doctrinam, subscriptis nominibus, dignam esse judicarunt. Rem totidem omnino verbis referunt Prædicatores, in sua contra Molinam Apologiâ, sacris fidei Quæsitoribus Matriti datâ anno 1595 de qua suo loco multa dicemus. Quod etsi facti publici, non juris controversia sit, in qua fidem viris probis derogare (quales Prædicatores illos fuisse certum est) animi esset partium studio nimis abrepti: suos tamen illi fidei suffragatores habent, omni exceptione majores, qui illos ab omni suspicione falsitatis absolvant. Theologos Societatis intelligo, in libello supplici iisdem ipsis fidei Quæsitoribus sub idem tempus exhibito, cujus mentionem injecit Paulus Leonardus ex eadem gente Molinæ defensor. Factum agnoscunt, nec diffitentur; tametsi ad latæ damnationis dedecus abstergendum, hanc non æquitati, sed partim Prædicatorum invidiæ, partim Banne-

In Apol. pro scient. med. 3. par. n. 35.

Bannesii autoritati, quâ tunc in Academia Salmanticensi pollebat, tribuendam innuant. Quod an ferendum probandumque sit, æqui bonique viderint: solita quippè exceptio est, à miseris obtrudi solita, quos causâ excidisse pudet, & gravi aliquâ Censuræ notâ labefactari.

Severiores in Hispaniâ cognitores experta novitas, liberiorem in patriam aufugit. Scientiæ-mediæ defensionem Ingolstadii in Bavaria publicis Thesibus suscepit Gregorius de Valentia, anno 1584. Quo exitu, prorsus ignotum; id tamen certum, Sixtum V. ad Pontificiam dignitatem anno sequenti assumtum, ipso Pontificatus exordio, Societatis Præpositis seriò præcepisse, ut eam doctrinæ studiorumque regulam præfigerent, *quam Societatis Constitutiones exigebant, ne aut domesticis periculis, aut externis pateret calumniis.* Cui sanè præcepto delatas, novitatum istarum occasione, querimonias locum dedisse, facilè credet quisquis paulò attentiùs gesta contulerit.

In Præf. 2. Edit. lib. de Nat. stud.

CAPUT SECUNDUM.

Studiorum rationem, seu tenendæ doctrinæ Canonem præfigit Claudius Aquaviva Præpositus Societatis. Tenendæ S. Thomæ doctrinæ legem temperat, ac penè rescindit, accommodatioris Theologiæ cupidus.

INtereà procrastinante *accommodatioris utiliorisque* Theologiæ editione, quam se Societas optare significaverat, necessitati consultum voluit Præpositus Generalis, iis in Theologicâ S. Thomæ Summâ notatis, quæ sibi incommoda & inutilia viderentur. Arduum opus, conspirantibus omnium Nationum selectis Theologis, tentavit P. Claudius Aquaviva anno 1584. Ex Hispania Joannem Azorium, Gasparum Gonzales è Lusitaniâ, Jacobum Tirium è Galliâ, ex Austria Petrum Buzæum, Antonium Guisanum è Germania, Romam ascivit; ut collatis cum Stephano Tuccio Italo consiliis, librum de ratione studiorum ederent: qui rejiciendarum tenendarumve S. Thomæ opinionum instar Canonis haberetur.

Speciosam edendi operis rationem dedêre in tractatu *De opinionum delectu*, existimationem scilicet Societatis apud exteros retinendam, opinionumque stabiliendarum necessitatem, ne omni doctrinæ vento circumferretur. Prudens equidem justumque consilium. At non erat ob id S. Thomæ Theologia mutilanda, sed arctiori religione suscipienda. Quo circa rem observatione dignissimam addiderunt, pag. 30. *Cùm anno superiore*, inquiunt, *quidam è nostris Patribus, jussu R. Patris Generalis, significasset Illustrissimo Cardinali Sabello, à nostris haberi Congregationem de stabiliendis opinionibus, laudavit ille consilium, & subjecit: Id verò vobis maximè necessarium est, nam ob aliquam libertatem nonnunquam in Tribunali nostro habitus est sermo de doctrina vestra.* Cardinali Societatis amico credendum maximè, atque ea potissimùm in re, quam ipsimet confiteri non dedignantur.

Præconceptus eo tempore studiorum liber, sequenti duntaxat anno in Societate vulgari cœpit, Encyclicis Præpositi Generalis Epistolis: ac demum eo elapso, domesticis Typis Romæ prodiit anno 1586. sub hoc titulo, *Ratio atque institutio studiorum, per sex Patres ad id jussu R. Patris Generalis deputatos, conscripta.* Inter præscriptas ibi Theologiæ Professoribus regulas, hæc ordine quinta legitur: *In Theologia doctrinam S. Thomæ, ut cavetur 4. parte Constitutionum cap. 14. nostri sequantur, paucis exceptis.* Tùm quæ sint pauca illa, declaratur in hunc modum: *Nostri itaque non cogantur defendere quæ sequuntur .... secundas causas esse propriè & univocè instrumenta Dei: & cùm operantur, Deum in illas primùm influere, aut eas movere.* Ex quibus perspicuè colligas, existimasse tunc primùm, ultroque fassos esse Societatis Theologos, universi Ordinis nomine, Doctoris Angelici sententiam esse, illam ipsam, quam deinceps novo flante Aquilone, aliisque commodis intenti, ejusdem doctrinam esse pernegarunt. Accedit alterum singulari animadversione dignum, ad gratuitæ Prædestinationis dogma communi Societatis suffragio statuendum, quod pagina 37. de opinionum delectu, eodem in libro legere est. *Item definitum est, Prædestinationis nec rationem, nec conditionem esse, ex parte nostra. Id ad pietatem parùm pertinere dicet aliquis: at hanc Augustini doctrinam, non modò communiter Theologorum schola jam recipit, sed & Ecclesia Patres per mille & ducentos circiter annos, qui id contendunt probare ex Scripturis, & Responsis Pontificum Romanorum, nempè Zozimi, Sixti, Cælestini, Leonis, Gelasii, apud quos Massilienses, Cassianus, Faustus, aliique hujus prædestinationis oppugnatores malè semper audierunt.* Cujus profectò Decreti fidem violatam, neglectamque religionem in Societate, nemo non videt, ex quo præsertim

sertim tempore Molinæ novitates ebibit.

Librum hunc ægrè tulerunt viri è Societate primæ notæ. Intercessit Henricus Henriques, id præsertim stomacho ferens, quòd in nova edenda Theologia Societatis honorem agi, diceretur; suæque intercessionis capita, post annos aliquot, dato libello supplici exposuit Clementi VIII. Pontifici Maximo.

Extat in Bibliot. Angel. & citatur à Lemosio in Editis tom. 1. part. 1. tract. 6.

Philippo II. Hispaniarum Regi displicuit immoderata illa de S. Thomæ dogmatibus judicandi licentia. Librum de ratione studiorum sacris fidei Quæsitoribus tradidit, qui in illum uti *temerarium, periculosum, jactantiâ plenum* animadverterunt. Suâ demum apud Sixtum V. effecit autoritate, ut illum publicis Societatis usibus interdiceret.

Pegna in 1. Relat.

Hoc ergo sublato, alter aliquantùlùm emendatior, & à tribus selectis Theologis, Stephano Tuccio, Joanne Azorio, & Gaspare Gonzales, secundis curis elaboratus prodiit anno 1590. Totius ideam operis exhibent illa præfatiunculæ verba: *Visum nobis est statuere, ut nostri in Theologica facultate sequantur S. Thomæ doctrinam, quam & nostræ commendant Constitutiones, & Academiæ pene omnes, ut maximè tutam, receperunt. Sed quia durum videbatur, ita S. Thomæ nostros astringere, ut ab eo nullâ in re liceat recedere, etiamsi opinio contraria valde probabilis & recepta esset; placuit liberum relinquere, ut alios graves Doctores sequi possent qui velint, in paucis quibusdam quæstionibus, quæ subjecto liberarum Propositionum catalogo continentur.*

Id verò ibidem notatione dignissimum, quòd cùm non ita pridem Sixtus V. Pontifex Maximus Societatis Præpositos seriò monuisset, ut eum doctrinæ Canonem præfigerent, quem Paterna Instituta postulabant; id se novâ illa studiorum ratione exsecutos gloriantur, quâ maximè violarunt. Dum scilicet sexaginta & eo amplius Angelicæ Theologiæ quæstiones privatorum opinationibus permiserunt; cujus ne vel unam, invitante licet pietate, permittendam judicaverat B. Ignatius. Ut ut est, fecit superioris libelli adversa fortuna, ut non absimilis jacturæ metu, istum publicæ luci subducendum, & intra domesticos fines continendum, judicaverint Societatis Præpositi.

In Præfat.

Demum anno 1594 de nova studiorum edenda ratione, seu veriùs de superiori recognoscenda atque emendanda actum est. Hæc R. P. Generali demandata Provincia fuit, in V. Generali Congregatione: atque interim Canone 9. statutum, ut Societatis Professores, *in scholastica Theologia doctrinam D. Thomæ sequerentur juxta praxim in libro De ratione studiorum ponendam, & à P. Præposito Generali explicandam.*

Can. 9. Cong. 5.

Suscepti à Societate Consilii conscius Clemens VIII. S. Thomæ doctrinæ, juxta Constitutionum præscripta, standum edixit; ejusque jussis obtemperatum est, edito in hac ipsa Congregatione Decreto 56. in hæc verba: *Nostri omninò S. Thomam ut proprium Doctorem habeant, eumque in scholasticâ Theologia sequi teneantur. Tum quia Constitutiones nobis eum commendant, & Summus Pont. Clemens VIII. id se cupere significavit: tum quia cum unius scriptoris doctrinam in Societate eligendam Constitutiones moneant, nullius hoc tempore doctrina potest occurrere, quæ sit eâ solidior aut securior: ut non immeritò S. Thomas Theologorum Princeps ab omnibus habeatur.* Verùm hanc sibi impositam a Generali Congregatione Provinciam, de studiorum ratione explicandâ, exsecutus Claudius Aquaviva anno 1599. eam tenendæ Thomisticæ doctrinæ legem circumscriptione temperavit, penèque irritam fecit, ita decernens: *Sequantur nostri omnino in scholastica Theologia S. Thomæ doctrinam, eumque ut doctorem proprium habeant: ponantque in eo omnem operam, ut auditores erga illum quam optimè afficiantur. Non sic tamen sancto Thomæ adstricti esse intelligantur, ut nullâ prorsus in re ab eo recedere liceat; cum illi ipsi, qui se Thomistas maximè profitentur, aliquando ab eo recedant; nec arctiùs nostros Sancto Thomæ alligari par sit, quàm Thomistas ipsos.*

In Regulis Profess. Schol. Theolog.

Eo ni fallor temperamento intelligendum voluit, quod eodem in opere sanxit; *Non esse scilicet ad cathedras Theologicas promovendos, nisi qui erga S. Thomam bene affecti fuerint; eos verò à docendi munere repellendos, qui ab eo sunt alieni.* Vel enim legislatorem sibi repugnantem fateri necessum est, vel certè, ejus judicio, is non est à D. Thoma putandus alienus, aut eidem minùs bene affectus, qui ab ejus doctrina recedit. Quamquam tamen neglectam satis in Societate hujusce Decreti religionem, innuit Mutii Vittelleschii Præpositi Generalis Epistola transmissoria, data 4 Januarii 1617. ubi de suis conqueritur, quòd ad eas sententias non accesserint, quæ tutiores essent, quæ bonis moribus conducerent magis, quæ denique pietatem alere & prodesse possent; nec Decreta servarint, quibus removeri jubentur à cathedris, qui S. Thomæ doctrinam parvi facerent, aut eam corde

non præ se ferrent. Vittelleschii verba subjicio, observatione dignissima: *Nennullorum ex Societate sententiæ, in rebus præsertim ad mores spectantibus, plus nimio liberæ, non modo periculum est ut ipsam evertant, sed ne Ecclesiæ etiam Dei universæ insignia afferant detrimenta. Omni itaque studio perficiant, ut qui docent scribuntve, minimè hac regulâ & norma, in delectu sententiarum utantur*: Tueri quis potest, probabilis est, autore non caret. *Verùm ad eas sententias accedant, quæ tutiores, quæ graviorum majorisque momenti Doctorum suffragiis sunt frequentatæ, quæ bonis moribus conducunt magis; quæ denique & pietatem alere, & prodesse queunt, non vastare, non perdere. Quoniam verò Constitutiones, Decreta, Regulas probè callent, de S. Thoma sequendo, de non promovendis ad cathedras, aut etiam removendis, qui ejusmodi doctrinam parvi facere, aut cordi non habere præ se ferunt, præsertim si novitatum amantes deprehendantur, qui nullâ sunt ratione ferendi; reliquum mihi prætereà nihil est, nisi ut hæc ipsa serventur, uti maximi rem momenti, quàm ardentissimè possum urgere.*

Inter Epistolas Præposit. Soc. Jesu.

CAPUT TERTIUM.

Lessius & Hamelius novam de Divina Gratia Doctrinam Lovanii docent. Hos gravi Censurâ percellunt Academia Lovaniensis & Duacensis, suffragantibus Belgii Præsulibus. Ortum hinc Academias inter & Societatem grande dissidium.

VIx cœperat in Societate circumferri liber De ratione studiorum, primis Claudii Aquaviva curis elucubratus, ejusque autoritate munitus; cùm statim quotquot hactenus in occulto novitatibus fuerant delectati, eas incircumspectè erectoque supercilio in scholis venditare aggressi sunt.

Hos inter primi in aciem descenderunt Leonardus Lessius & Joannes Hamelius, Lovanii in Collegio Societatis sacræ Theologiæ Professores, annis 1585 & 1586. Ii scilicet propositiones triginta quatuor, de Scripturâ sacra, de Providentia, Prædestinatione, Reprobatione, Gratiâ, Justificatione, publicis lectionibus docuere, quæ celeberrimæ Facultatis Lovaniensis zelum ac Religionem concitarunt.

Ex Censura Lovan.

Delatis itaque ad sacrum Theologorum Ordinem propositionibus, nihil temerè leviterque tentandum voluit Academia. Variorum in primis Societatis discipulorum quaterniones consulendos judicavit, datâ selectis Magistris hujusce rei provinciâ, ne unius alteriusve discipuli oscitantiæ culpa foret, qui dicentium è pulpito Magistrorum, dicta minùs fideliter excepissent. Ubi verò compertum fuit consonare omnes, easdemque ab omnibus propositiones exceptas esse; Censuram in eas instruxit, seu veriùs benignam admonitionem, ad eosdem Theologiæ Professores, cæterosque Collegii Lovaniensis Jesuitas directam: quâ nempè, singulis notatis propositionibus earumque demonstratâ falsitate ac novitate, suadent meliora consilia; sanioris atque à Pelagianismo remotioris doctrinæ zelum commendant; majorum exempla, ac potissimùm Roberti Bellarmini, qui non ita pridem Lovanii summâ cum laude docuerat, ad imitationem proponunt.

Propositiones in Lessio & Hamelio à Lovaniensibus Theologis notatæ, istæ erant.

1. *Ut quid sit Scriptura sacra, non est necessarium singula ejus verba inspirata esse à Spiritu Sancto.*

2. *Non est necessarium, ut singulæ veritates & sententiæ sint immediatè à Spiritu sancto ipsi scriptori inspiratæ.*

3. *Liber aliquis, qualis fortè est secundus Machabæorum, humanâ industriâ, sine assistentia Spiritus sancti scriptus, si Spiritus sanctus posteà testetur nihil ibi esse falsum, efficitur Scriptura sacra.*

4. *Augustinus definit, quòd Prædestinatio est præscientia & præparatio beneficiorum Dei, quibus certissimè liberantur quicumque liberantur. Quæ definitio valdè bona est, si intelligatur de Prædestinatione hominum, quæ supponit servitutem & peccatum, & de certitudine ex præscientiâ, non ex mera praeordinatione.*

5. *Deus post prævisum peccatum Originale, habuit voluntatem dandi Adamo & toti ejus posteritati sufficientia media contra peccata, & auxilia ad consequendam vitam æternam: ergo dat illis sufficiens auxilium ut possint reverti.*

6. *Tota Scriptura plena est præceptis & exhortationibus, ut peccatores convertantur ad Deum: atqui Deus non præcipit impossibilia: ergo dat illis sufficiens auxilium ut possint converti.*

7. *Dices, Deum quidem vocare omnes ad pœnitentiam, sed non secundùm propositum, & non illa vocatione quæ est sine pœnitentiâ. Respondeo, hoc videtur alienum à benitate Dei, quia non hoc esset seriò, sed delusoriè vocare, si vocaret aliquem non ex intentione ut convertatur. Augustinus autem,* (ut in scholio additur) *propositum Dei accipere vide-*

videtur, ut idem sit quod, illo modo quo novit illum secuturum.

8. *Jubentur omnes baptizari: ergo Deus, quantùm in ipso est, vult omnibus dare gratiam baptismi.*

1. Tim. 2. 4. 9. *Hunc locum*, Deus vult omnes homines salvos fieri, *id est, vult omnes salvos fieri qui salvi fiunt, non videtur exponere Augustinus secundùm intentionem Apostoli: & sex amplius argumentis dicta interpretatio oppugnatur.*

10. *Deus vult dare Christum in Redemtorem pro omnibus, nullo excepto: ergo omnibus praeparavit sufficientia media per Christum. Probatur consequentia; quia eatenus est Christus omnium Redemtor, quatenus per ipsum dantur omnibus sufficientia auxilia, quibus resurgant à peccatis: si enim non darentur sufficientia, verus non esset omnium Redemtor, quia neque quoad sufficientiam, neque quoad efficaciam.*

11. *Ut peccator possit converti, non est necessarium ut recipiat utrumque auxilium, praeveniens scilicet & concomitans, in actu secundo; sed satis est, ut accipiat auxilium praeveniens in actu primo: & tunc verè habet auxilium sufficiens ad actualem conversionem.*

12. *Concomitans concursus specialis seu supernaturalis, ita praeparatus est peccatori, sicut concursus naturalis & generalis praeparatus est potentiae naturali, v. g. potentiae videndi.* Et infra: *Deus non dat ipsa opera bona, nisi quatenus per gratiam praevenientem dat nobis auxilium sufficiens, & paratus est dare concursum gratiae concomitantis, in actu secundo, si velimus.*

13. *Augustinus ubicumque dicit nos non tantùm gratiâ egere quâ possimus, sed etiam quâ faciamus, intelligendus est de supradicto concomitanti concursu; quòd scilicet non possimus facere sine auxilio gratiae concomitantis: alioquin dictum ejus non esset universaliter verum. Nam ut faciamus non requiritur efficax excitatio, quae voluntatem infallibiliter determinet, qualis fortè fuit in Paulo & Magdalena, aliisque nonnullis, dum converterentur; sed sufficit multo minor, quae plenissimam relinquat libertatem.*

14. *Quod dicit Augustinus, eis qui non sunt à perditionis massa segregati non adhiberi dicta vel facta divina, per quae possent credere, si audirent ea vel viderent, cum grano salis accipiendum est: ut intelligantur non accipere in actu secundo illa auxilia, cum quibus Deus noverat, eos de facto convertendos; quod certissimum est de omnibus qui non convertuntur.*

15. *Ad illud quod capite sexto De praedestinatione Sanctorum objicitur, ubi Augustinus docet hunc nolle credere, quia ejus voluntas non praeparatur à Domino, quod tamen erat necessarium ut credere vellet: Respondetur valde impropriè dici, quòd is cui sufficienter proposita est fides, ideò nolit credere, quia ejus voluntas non praeparatur à Domino.*

16. *Est quoddam perseverantiae donum, consistens in quodam speciali auxilio & protectione, quâ Deus ita protegit & munit quosdam, ut ferè indeclinabiliter & infallibiliter in gratia perseverent usque ad mortem: quod quibusdam conceditur, ut fortè Apostolis post acceptum Spiritum-Sanctum; &* (ut in scholio additur) *iis qui dicuntur confirmati in gratia. Aliud est perseverantiae donum, quod consistit in quodam auxilio & protectione, quâ Deus ita adest, ut possint in gratia perseverare si velint: & hoc donum est necessarium ad salutem, & datur omnibus justis immediatè in actu primo.*

17. *Indurati & excaecati habent sufficiens auxilium ex parte Dei, ut convertantur.* Et infra: *Omnes infideles semper & ubique habent sufficiens auxilium ad salutem ex parte Dei.*

18. *Omnia loca Scripturae sacrae, quae significant esse impossibile quosdam converti, intelgenda sunt, ut impossibile accipiatur pro eo quod est valdè difficile.*

19. *Parvuli ex parte Dei habent remedium sufficiens contra peccatum, praesertim in nova lege: nam Christus pro omnibus mortuus est, & pro omnibus instituit Sacramentum in remedium peccatorum, nemine excepto. Atque id* (quod in scholio additur) *ex Epistola 59. D. Cypriani satis apertè colligitur.*

20. *Quòd applicatio talis remedii, Baptismi scilicet, his vel illis ob aliqua impedimenta occurrentia fiat impossibilis, non est Deo imputandum; quia non ordinat, ut non possit applicari, vel ut talia impedimenta occurrant; sed tantùm permittit secundùm communem cursum rerum, sicut permittit peccata.*

21. *Omnes Infideles semper & ubique habent sufficiens auxilium ex parte Dei, seu in actu primo. Si enim facerent quod in ipsis est, & quantum possent secundùm praesentem dispositionem naturalem vel supernaturalem, quam habent, Deus illuminaret eos, ut credere possent, vel converti.*

22. *Qui invincibiliter ignorat fidem, tenetur ad praecepta naturalia, id est Decalogum: ergo habet auxilium morale sufficiens, ad illa implenda; quia Deus neminem obligat ad impossibile: alioquin videtur accedere ad insaniam haereticorum, qui dicunt, per peccatum originale amissum liberum arbitrium ad bonum.*

23. Sen-

23. *Sententia quæ dicit, eos qui salvantur, non efficaciter electos ad gloriam ante prævisionem bonorum operum, vel applicationis meriti contra peccatum, videtur maximè probabilis. Tenent autem hanc sententiam omnes Patres Græci, adeò ut communiter dicatur sententia Græcorum.* Et in scholio: *Quamquàm diversa sententia Augustino adscribatur, non puto tamen esse Augustini. Nam ubi de hac re loquitur, non exprimit utrùm loquatur de immediata electione ad gloriam, an de mediata, quæ est ad gratiam. Item an loquatur de electione absoluta & efficaci, an de conditionata, id est, si gratiæ fuerint cooperati; quomodo intelligendas esse promissiones divinas docet Concilium Tridentinum sess. 6. Quod si tamen contraria sententia esset Augustini, non admodum referret.*

24. *Deinde probatur aliis pluribus testimoniis:* Tene quod habes, ne alius accipiat coronam tuam: *ergo corona potest amitti. Cui respondet Augustinus cap. 13. de cor. & gr. Scripturam ita loqui, non quòd corona possit amitti, sed ut homines stent in timore.*

Apoc. 3. 11.

25. *In statu innocentiæ sufficiebat homini ad salutem gratia, quâ poterat perseverare si vellet: ergo & nunc.*

26. *Si electio est ad certum gloriæ gradum; ergo omnia opera justorum debent absolutâ Dei voluntate esse præordinata, nec poterunt aliter, nec aliud operari, quàm sit à Deo præordinatum: quod est contra libertatem.*

27. *Martyria & afflictiones Sanctorum, quas patiuntur ab impiis, sunt excellentissima media salutis ipsorum: ergo etiam hæc ante omnem prævisionem erant præordinata: quod est falsum: quia Deus non est autor peccati.*

Ezech. 36. 27.
28. *Ad illud Ezech.* Faciam ut in præceptis meis ambuletis &c. *dico ibi significari, Deum daturum abundantiorem gratiam in nova lege, quàm in veteri; quâ fiet ut reipsâ plures ambulent in lege Dei, quàm in lege veteri. Non ergo illud,* Faciam ut ambuletis, *significat illum providentiæ modum, per quem omnes infallibiliter servarent præceptum Dei.*

29. *Non est voluntas absoluta Patris, ut omnes quos ipse dat Filio, absolutè salventur, ut patet Joannis 17. ubi dicit, quòd ex illis, quos dedit ei Pater, perierit filius perditionis, qui se ipsum perdere voluit. Sed voluntas Patris est, ut omnes habeant sufficientia auxilia, & non stet per ipsum quominus salventur.*

Rom. 8. 28.
30. *Hæc sententia Apostoli,* Omnia cooperantur in bonum, iis qui secundùm propositum vocati sunt sancti, *loquitur in genere de omnibus diligentibus Deum, non autem tantùm de illis qui erant prædestinati.*

Rom. 9. 11.
31. *Ex his verbis,* Jacob dilexi, Esaü autem odio habui; *per dilectionem non significatur efficax ordinatio ad gloriam, sed ad majora dona gratiæ, quæ non erant ex prævisis meritis. Quia enim ex Jacob nasciturus erat Christus, voluit illi Deus, & ejus posteritati, maxima dilectionis signa ostendere, quæ non ostendit fratri ejus Esaü: ita ut comparatione Jacob & populi Israëlitici, Esau & Idumæi, possint videri odio habiti.*

32. *Si Deus prævisо Originali peccato, absoluta voluntate constituit hunc hominem excludere à Regno, vel admittere ad Regnum, ante omnem operum prævisionem: ergo nullis operibus bonis vel malis poterit averti quod decretum est. Nam hæc suppositio divinæ voluntatis facta est independenter à libertate humana: ergo absolutè necessarium est hominem damnari, posito quòd Deus illum reprobaverit; & speciali providentiâ procurari debebit ut in peccatis moriatur.*

33. *Numerus prædestinatorum non est certus ex præordinatione, quæ antecedit omnem præscientiam operum.*

34. *Hæc sententia, de prædestinatione & reprobatione, maximè consentanea est divinæ bonitati, Scripturarum autoritati, Patrum testimoniis, & naturalis rationis æquitati, in nullâ re omnino Pelagio favens, & quàm longissimè à sententia Lutheri & Calvini, & reliquorum hæreticorum nostræ tempestatis recedens; à quorum sententia & argumentis difficile est alteram sententiam vindicare.*

Censuram hanc totius Theologici Ordinis nomine composuit Henricus Gravius, Doctor Theologus, ac postmodum Vaticanæ Bibliothecæ Præfectus. Prodiit anno 1587 die 9 Septembris. Decani cæterorumque Magistrorum autoritate; subscripsit Andreas Sassenus, ejusdem Facultatis Bedellus ac Notarius publicus. Hujus varia transumta ad Belgii Antistites, die ejusdem 20 transmissa sunt; ad Mechliniensem scilicet, Ruremundensem, Iprensem, Boscoducensem, Atrebatensem, Namurcensem, & Audomarensem: tum die 30 ad Archiepiscopum Cameracensem, necnon ad Academias Parisiensem ac Duacensem. Ac demum die 4 Januarii anni 1588 ad cæteros omnes Belgii Episcopos, & insignia Sedium vacantium Capitula. *In Imagine 1. sæc. lib. 6. cap. 4.* Fuit etiam sub idem tempus publicis impensis Academiæ instituta ac dotata cathedra, ad Lessianæ doctrinæ confutationem.

Feriit Censura columbas. Verùm huic antequam reponeret Lessius, Decanum totumque Theologicum ordinem, suo totiusque ipsorum Collegii nomine rogavit, ut selectos Theologos designarent, cum qui-

quibus coram Arbitris, hoc de argumento conferre posset. Id pernegavit Academia, ne dignitatem autoritatemque suam demittere videretur. Scripto itaque respondit Lessius anno 1588 ineunte, ac stylo quidem amariori. Objectam doctrinæ suæ novitatis errorisque labem abstergere conatus est; Bellarminum novis rationibus adductum à pristina sententiâ recessisse respondit, nullo tamen cantatæ palinodiæ producto argumento: utque par pari referret, Academiæ doctrinam, uti Majoribus ejus, Adriano, Driedoni, Ruardo, repugnantem suggillavit.

Eodem illo ineunte anno 1588. die 20. Januarii, Lovaniensium Judicium, datâ in Lessium Censurâ longè duriori, confirmavit Duacensis Academia; ab Illustrissimis Præsulibus Joanne Hauchino Mechliniensi, Ludovico de Barlemont Cameracensi, Guillelmo Damasi Lindano Gandavensi, sententiam rogata. Censuram cæterorum Doctorum nomine & autoritate adornavit Guillelmus Estius, suâ Orbi Christiano famâ notissimus, qui nascentem novitatem innumeris Scripturarum, Conciliorum ac Patrum monumentis exagitavit.

Geminis Academiarum Censuris petiti, desperatis rebus consulendum Jesuitæ judicarunt. Academias Trevirensem & Moguntinam concitarunt, in suæ doctrinæ qualecumque præsidium; obscuri certè nominis Academias, in quibus non triduo, ut de causarum Patronis aiebat Tullius, sed uno mane Doctores Theologi fabricantur. Quàm leve, quàm elumbe de orta Lovanii controversia judicium tulerint, vel ex uno capite satis liquet, quòd illud nullo planè Scripturarum, Conciliorum, Patrum, rationisque Theologicæ momento firmaverint; cùm id è contra Lovanienses & Duacenses summâ eruditione præstitissent. Sed & illud mirandum magis, quòd de Censura Lovaniensi judicium tulerint, quo eam tempore minimè legerant: sic ut proscriptarum à Lovaniensibus propositionum numerum ignorarint. Cùm enim essent numero triginta quatuor, sex illi duntaxat annumerarunt. *Prodiit superiori anno*, inquiunt Trevirenses, *Censura Theologorum Facultatis Theologicæ, quâ tamquàm peregrinas, offensivas, periculosas, hæresique vicinas damnant atque rejiciunt sex propositiones, à Professoribus Societatis Jesu in scholis suis Lovanii doctas & publicè traditas.* Moguntini verò: *Quoniam à Facultate nostra Theologica petitum est, ut sententiam de sex Propositionibus inter Academia Lovaniensis Doctores & Societatis Jesu Theologos controversis, ferremus &c.*

Sententiam dixere Trevirenses calendis Maii; Moguntini, calendis Junii. Quamquam verò Societatis doctrinam probabilem judicarunt, Lovaniensis tamen Academiæ dogmata notare non ausi sunt, uti passim moderni Osores libentiùs audent, sed illa perinde probabilia judicarunt.

Despectis illis contemtisque volaticis Germanorum judiciis, Lovaniensium ac Duacensium Censuras Episcopi benè multi, aliique viri meritissimi comprobarunt; parumque abfuit, quin Synodorum Decretis Lessiana dogmata damnarentur. Hujus rei fidem nobis facit Societas ipsa, in Imagine primi sæculi. *Adversariis*, inquit, *nostrum dedecus indesinenter urgentibus, major Episcoporum pars, & quædam Collegia Canonicorum, geminis duarum Academiarum Censuris calculum adjecerant. Mechliniensis verò & Cameracensis Metropolitæ Synodum parabant Episcoporum, qui dogmata nostra à duabus Facultatibus damnata discuterent, eademque toto proscriberent Belgio, tamquam impias Massiliensium aut Pelagii reliquias; adeoque Societati notam inurerent hæreticæ pravitatis.* Lib. 6. cap. 4. p. 848.

Quid de Censuris Lovaniensi ac Duacensi senserit Academia Parisiensis, cæterarum omnium caput & princeps, nullo publico instrumento erui potest. Illam enim, excepto Lovaniensium scripto, aut deliberasse, aut respondisse, nuspiam legitur. Silentium ejus in rem suam vertunt Patres Societatis in Imagine primi sæculi: quo titulo, judicent eruditi. Certè si quid Lib. 6. ex silentio colligi meritò potest, illam Lovaniensium Censuræ assensisse potiùs, quàm repugnasse, judicandum erit. Si unquam enim, hìc maximè valet Juris Regula, Qui tacet consentire videtur. Et quidem, si aliter Sorbona sensisset, exigebat proprii Ordinis dignitas, ut Belgicas illas Academias falsi postularet, saltem dum sese ab iis vocatam in causam intellexit, easque suâ uti autoritate cognovit. Duacenses enim, in primæ Lessii Assertionis censura, doctrinam ejus de Prædestinatione ad Gloriam ex prævisione meritorum, ab Academia Parisiensi jam ante annos 240. damnatam dixerant. Addiderant in Defensione sua Lovanienses, parte 2, circa finem, Lessiana dogmata Parisios nuper adducta, illinc non multò post, celeberrimæ Academiæ studio, explosa fuisse. Quid itaque si se res aliter habuisset? Nunquid servare silentia? An non potiùs pu-

 blicâ

blicâ falsi postulatione impostores revincere Sorbona debuisset? Quòd si non egit, uti non egisse certò constat, Duacensium ac Lovaniensium Censuris assensisse dicenda est. Quidni verò assensisset, quæ jampridem anno 1347. tres istas propositiones Joannis de Mercuria Ordinis Cistertiensis, censurâ proscripserat? *1. Quòd propter opera alicujus futura bona Deus prædinavit aliquem ab æterno. 2. Quòd aliquis prædestinatus est ab æterno propter bonum usum liberi arbitrii, quem Deus præscivit eum habiturum. 3. Quod non sic gratis & misericorditer Deus prædestinavit illum quem prædestinavit, quin & pro omnibus bonis ipsius futuris, vel alterius.* Exstat Censura sub finem editionis anni 1550 Magistri Sententiarum.

Nec verò mirum si sensa sua solemni scripto non consignavit. Id etenim injuriæ temporum tribuendum. Tunc quippè tristissimi Septorum * dies agebantur, quibus tot inter intestini belli discrimina, miserrimam Lutetiæ sortem lugebat Academia; propriaque tractabat vulnera, non aliena curabat.

* *Les Barricades.*

Sed nec interiora rimari necessum est, ut Parisiensem Academiam à patrocinio, eâ saltem ætate Jesuitis impendendo, remotissimam fuisse noverimus; externam rerum faciem observare sat est. Quis etenim nesciat ab anno 1554. ad annum circiter 1612. eam gravissimis litibus cum Societate commissam esse? Hinc asperrima illa celebratissimaque in nascentem Societatem lata Censura ab universo Theologico Ordine, post quatuor Congregationum maturum examen, die 1. Decembris 1554. cujus ne memoriam quidem superesse velim. Hinc lis altera odiosissima, ab integro Magistrorum Ordine in Societatem intentata anno 1564. cujus instrumenta, mordaciori sale aspersa, etiamnum exstant apud Stephanum Paschasium, celeberrimum causarum Patronum, qui pro Academia dixit. Hinc & alia non minùs acerba lis, ab Academiæ Rectore in Jesuitas excitata, anno 1594. cujus vel sola recordatio Philippum Brietium è Societate ita commovit, ut Antonii Arnaldi, qui tunc Academiæ partes egit, dicendi vehementiam maledicendi vehementiâ superarit. Hinc demum anno 1611. nova de Societatis Privilegiis excitata querela; quâ præteriturum litium acerbitas omnis refricata est, Academiæ causam agente Martilerio. In cujus Oratione istud instituto nostro accommodatissimum observare est: nimirùm Societati inter alia exprobratum fuisse ab Academia, quòd di-

Lib. 3. cap. 37. & 38. Estienne Pasquier.

In Epit. hist. ad annum 1594.

De la Martiliere.

vinorum auxiliorum controversiam importunè suscitassent, ut Inquisitorum officia FF. Prædicatoribus eriperent. *Che havessero eccitato importunatamente la questione de i divini ajuti, con fine di cavar l'officio dell' Inquisizione dalle mani de Dominicani*, Inquit Alexander Ziliolus, lib. 9. historiarum memorabilium.

Verùm non est cur conjecturis innitamur, ubi aperta suppetunt argumenta. Recurret de Academia Parisiensi dicendi locus: atque ex iis quæ in causa Molinæ gessit, ejusdem de Lessii doctrinâ judicium probabit facilè, quisquis liberum à præjudiciis animum afferet.

Lib. 2. cap. 25.

Interea viri æqui bonique viderint, quàm fidenti & audaci animo suis nuper Thesibus scripserit Societatis Theologus Rothomagensis, die 10. Januarii 1698. *Censuras Belgicas à Sorbona, cùm publicatæ fuerunt, improbatas fuisse, certum est.* Subtimidiùs de Sorbonæ judicio pronunciaverant Sodales ejus in Imagine primi seculi, lib. 6. Nonnihil præsidii ex ejus silentio pro domestica causa repetere, satis illis multùmque visum erat. Iste difficultatem perrumpit omnem, ac veluti certis rei gestæ documentis instructus esset, Sorbonæ improbationem extra omnem dubitationis aleam ponit; quasi ex occultis Academiæ Tabulariis Decretum aliquod ignotum hactenus eruisset. Tanta est quorumdam hominum in venditandis fabulis confidentia!

CAPUT QUARTUM

Sixtus V. Nuntium Apostolicum delegat, pro dissidio Lovaniensi componendo, causamque Romam advocat, utrique interim parti indicto silentio.

RES erant eo loco positæ in Academia Lovaniensi, dum Octavius Frangipani, Calatinus Episcopus, in Germania simul ac Belgio Nuntius Apostolicus, prudentiâ suâ egit, ne ad extrema urgerentur. Archiepiscopos Mechliniensem & Cameracensem non ita pridem à ferenda damnationis sententia dimoverat, datis Coloniæ ad ipsos Epistolis die 15. Martii 1588. quibus repugnantium hujusmodi opinionum judicium definitivum Apostolicæ Sedi debitum significabat; Universitatem Lovaniensem admonebat, ut Romani Pontificis Judicio causam committeret, si cum Patribus Societatis concordia iniri non posset; Istosque vicissim hortabatur, ne adeò eruditæ Academiæ Theologos temerè provoca-

Ex Nuncii Apostolici narratione ad Card. S. Severinæ transmissâ.

vocarent; omnibus demum spondebat, ad ipsos sese quantociùs accessurum, ac juxta Sanctissimi Domini Nostri judicium, suborta dissidia compositurum. Die autem 17. quæstionum controversarum capita Romam miserat, remque totam Eminentissimo Cardinali de Monte-alto Litteris communicaverat, qui eam cum suâ Sanctitate conferret.

Iis Apostolici Nuntii monitis æquo animo exceptis, Censuram suam Lovanienses, Responsum verò suum Jesuitæ, eidem ipsi obtulerunt: quæ duo ad pleniorem causæ controversiæ cognitionem præfato Cardinali transmiserat, die Aprilis 28.

Verùm necdum ista Romam pervenerant, imò nec de illis eò transmittendis cogitaverat ipse, cùm exceptis dumtaxat prioribus ejus Epistolis, neque cum Eminentissimis S. Officii Cardinalibus communicatâ, Sixtus V. Pontifex Maximus per Breve Apostolicum, diligentissimo cursore transmissum, sub data 15. Aprilis 1588. eidem Octavio Nuntio suo mandavit quid ad componenda dissidia facto esset opus.

SIXTUS PP. V.

» Venerabilis Frater, Salutem, & Apostolicam Benedictionem. Ex Fraternitatis tuæ Litteris ad nos proximè allatis Controversias inter Universitatis Lovaniensis Theologos, & Sacerdotes Societatis Jesu, in quibusdam sanæ doctrinæ articulis, ortas fuisse cognovimus. Qua in re vehementer in Domino commendamus prudentiam tuam, pietatis zelum, diligentiam, & curam omnem, quam opportunè adhibuisti, ut tam pernicioso dissidio occurreres. Cum autem ejusmodi contentiones, quarum consuetudinem nec nos, neque Ecclesia Dei habet, ut ad Corinthios Apostolus scribit, perpetuo seditionum Auctore satana suggerente, Ecclesiarum scissuras parere consueverint; verendum maximopere est, ne damnum exitiale Ecclesiæ Catholicæ afferant, nisi confestim tollantur. Ideò Nos, pro Apostolicæ servitutis nostræ munere, tam gravi malo, ne sensim latiùs serpat, mederi volentes, Fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus, ut Lovanium, cum primùm commodè fieri potest, te conferas, & quibuscum oportet, omni charitatis officio, & quâ es prudentiâ studiosissimè agas, ut earum contentionum ac dissentionum finem omninò faciant universi ac singuli, qui de iis articulis tam graviter inter se dissident. Quod si officium hoc illicò exsequi coram non poteris, idem Litteris tuis diligentissimè præstari, Nostro mandato urgebis: nempè ut illi inter se dissidentes ab omni intereà decertatione desistant, quoad Apostolicâ nostra autoritate de eorum controversiis ac disceptationibus maturè decernamus. Præsertim cùm id persuasissimum habere illi debeant, Beati Petri tantùm successori Pontifici Romano licere, doctrinæ Christianæ res controversas definire, alii verò nemini. Itaque hoc valdè curabis, & quàm primùm efficies, ut omnia quæ earum quæstionum aut contentionum scripta illi vel universè vel sigillatim habent, tibi tradant, eaque tradita simul atque poteris, obsignata ad Nos rectà mittas: ut duce autoreque Spiritu Sancto, ea definiamus, quorum certam doctrinam eos habere oportet. Quod si Fraternitatis tuæ cohortationibus, quas nomine nostro adhibueris, parere illi recusaverint; tunc demum potestatem Fraternitati tuæ omnem facimus inhibendi, ut ab hisce opinionum dissidiis & contentionibus penitus se abstineant, propositâ excommunicationis latæ sententiæ pœnâ, & aliis Censuris arbitrio tuo, quam te exsequi volumus, invocato etiam, si opus fuerit, brachii secularis auxilio, non obstantibus in contrarium quibuscumque. Speramus autem illos planè obedientes fore, usque adeò ut tui religiosi necessariique studii atque officii, quod ea in re præstiteris, fructus Nobis constet. Datum Romæ apud S. Petrum, sub Annulo Piscatoris, die 15. Aprilis 1588. Pontificatus nostri anno 3.

1. Cor. 11. 16.

Subscriptum

THOMAS GUALTERUTIUS.*

* Al. Antonius Boccapadulius. M. Vestrius Barbianus.

Fuerunt & alia duo ad eumdem Nuntium Apostolicum transmissa diplomata; unum quidem Archiepiscopo Mechliniensi, alterum Lovaniensi Academiæ inscriptum.

Coloniæ versabatur ille, dum ea Apostolica Mandata excepit, unà cum adjunctis Epistolis Cardinalis à S. Severina, sub data 16. Aprilis. Lovanium impigrè profectus die ejusdem 30. superioremque Luxemburgi ac Trevirorum viam tenens, ad declinanda recti itineris pericula, die 22. Junii adventavit. Concreditum sibi pro Archiepiscopo Mechliniensi Breve Apostolicum, eidem ipsi restituit; unàque cum illo, uti in Mandatis acceperat, de dissidio emergenti contulit. Theologicam Academiam, cum Universitatis Rectore,

primùm indixit die 25. in Collegio Antverpiensi. Comparuerunt Magistri numero duodecim: nimirum Michael Bayus, Cornelius Reinerius, Fr. Petrus Bacherius, Henricus Gravius, Joannes Lensæus, Ægidius Vallius, Embertus Everarts, Henricus Cuyckius, Joannes Clarius, Jacobus Janssonius, Jacobus Bayus, & Samuel Loyarts. Iis legationis suæ rationes exposuit; verùm diploma Pontificium iisdem inscriptum non exhibuit: quia cum primùm data sibi pro causæ cognitione mandata significaverat, pronam spoponderant obedientiam, suasque partes Henrico Gravio & Joanni Lensæo commiserant, qui causam publicam urgerent. Societatis Professores subinde vocavit Nuntiùs Apostolicus, sibique à Sanctissimo commissæ provinciæ mandata significavit.

Novit quantociùs Vir prudentissimus, habitâ cum utriusque partis selectis viris collatione, concordiam frustra tentatum iri. Quare sibi dumtaxat ab utrisque tradi postulavit instrumenta, quæ ipsorum juvandæ causæ necessaria viderentur; ut, iis Romam missis, judicium ferret Apostolica Sedes. Assensit lubens Academia, obtulitque prima fronte propositiones à Jesuitis assertas publicéque traditas; rogans ut ii palàm profiteri cogerentur, an eas pro suis agnoscere, ac etiamnum tueri vellent; ut quid ipsa de iisdem judicaret, postmodum aperiret. Consilium non probavit Octavius: quòd eâ agendi ratione, Apostolicæ Sedis judicium de Academiæ Censura, Societatisque Responso declinari videretur. Quapropter scripta jam pridem ab utrisque vulgata, Sanctitati suæ dumtaxat exhibenda judicavit; ut de utriusque partis doctrinâ sententiam ferre posset.

Conditione partium assensu exceptâ, Censuram Theologis Lovaniensibus, Responsionem verò Patribus Societatis exhibuit Octavius, interrogans num utrique opus suum agnoscerent, & scriptis stare vellent. Steterunt utrique lubentiùs. Verùm Societatis Responsum communicari sibi rogavit Academia, quò dijudicaret, an esset in judicio perseveratura. Id ubi animadverterunt Jesuitæ, æquo jure secum agi postularunt: petieruntque (casu quo ipsorum Responsio Academiæ traderetur, eaque quidpiam reponeret in oppositum) id sibi pariter exhiberi, ut novam posset defensionem adornare. Utrisque pro voto satisfecit Octavius eâ lege, ut novis utrimque elucubratis, sibique concreditis scriptis, nihil nisi Sedis Apostolicæ judicium quæreretur.

Itaque secundis curis Censuram suam recognovit Academia die 17. Augusti: Lessii Responsum novis confutavit argumentis, pristinamque sententiam copiosiori scripto defendit, cui *Justificationis seu Defensionis Censuræ suæ nomen dedit*: ac demum die 3. Septembris Nuntio Apostolico per Henricum Cuyckium Decanum, & Henricum Gravium sacræ Theologiæ Magistrum significavit. Publicam illam significationem recognovit & ratam habuit Academia die 6. mensis ejusdem, celebratis, ut vocant, strictioris Facultatis Comitiis. Moguntinenses autem ac Trevirenses Theologos responsione dignata non est; sed uni Henrico Gravio provinciam demandavit eorum jejuna judicia velitandi.

Mirari profectò subit, in dubitationem venisse aliquos, num unanimi totius Theologici Ordinis assensu, tum Censura, tum ejusdem Defensio prodierint: indubiam certè fidem faciunt Subscriptionis, Significationis, ac Recognitionis instrumenta. Ea subjungere non pigebit, ut in originali authenticisque Censuræ transumtis ad calcem habentur.

Subscriptionis Instrumentum.

Hanc Justificationem seu Defensionem Censuræ Facultatis nostræ Theologicæ Lovaniensis, ego subscriptus, omnium ejusdem Facultatis Doctorum concordi Judicio probatam esse, & Illustrissimo Reverendissimoque Nuntio Calatino Episcopo, mensis Augusti die 17. anni 1588. exhiberi jussam attestor.

Henricus Cuyckius sacræ Theologiæ Lovaniensis Decanus.

De mandato DD. Decani, & reliquorum Magistrorum Facultatis sacræ Theologiæ subscripsit

Andreas Sassenus, dictæ sacræ Theologiæ Facultatis Bedellus, & Notarius publicus.

Locus ✠ Sigilli.

Significationis Instrumentum.

Die Sabbathi 3. mensis Septembris 1588. exhibita fuit Reverendissimo Domino Octavio, Episcopo Calatino, ac Nuntio Apostolico, supra scripta Justificatio, seu Defensio Censuræ Facultatis Theologicæ Academiæ Lovaniensis, in Assertiones quasdam Professorum ibidem Patrum Societatis Nominis Jesu, de Scriptura sacra, Prædestinatione & Gratia Christi; per Reverendos DD. Henricum Cuyckium, dictæ Facultatis Theologicæ Decanum, & Henricum Gravium, ambos sacræ Theologiæ Doctores, ibidemque Professores, nomine totius Facul-

Facultatis, cum expressâ, tam suo quàm dictæ Facultatis nomine omnium approbatione, quæ inibi continentur. Acta sunt hæc Lovanii in Collegio Dalensi, dicti Reverendissimi Domini Nuntii residentia: loco, die, mense, & anno, quibus supra, præsentibus ibidem D. Julio Tartesio J.V. D. ac ejusdem Reverendissimi D. Nuntii Apostolici Auditore; & Luca à Tongheren Presbytero Daventiensis Diœcesis, testibus ad præmissa vocatis specialiter atque rogatis.

Recognitionis Instrumentum.

Post hæc die 6. prædictorum mensis & anni, Congregati ac sub juramento convocati in Capitulo Collegiatæ Ecclesiæ S. Petri Lovaniensis, per R. D. Henricum Cuyckium, uti prædictæ Facultatis Theologicæ Decanum, RR. DD. Michael de Bay ab Atho, Cornelius Reynerius Goudanus, Fr. Petrus Bacherius Dominicanus, Henricus Gravius Lovaniensis, Joannes Lensæus Belliolanus, Ægidius Wallius Brugensis, Embertus Everarts Arendonckanus, Henricus Cuyckius Culenburgensis, Jacobus Joannis Amstelredamensis, Joannes Clarius Tongrensis, Jacobus de Bay Athensis, Samuel Loyarts Altenhoviensis, totam Theologicam Facultatem Lovaniensem, ut asserunt, repræsentantes: specialiter & sigillatim per me Notarium infra scriptum interrogati, an supradictam exhibitionem nomine prædictæ Facultatis, per supra nominatos Dominos Henricum Cuyckium, & Henricum Gravium factam, ratam haberent; & omnia & singula quæ in dictâ Justificatione seu Defensione, per me illis tunc exhibitâ & ostensâ, ac per eos recognitâ continentur, approbarent: viva & clara voce responderunt, se dictam exhibitionem approbare & ratam habere: illaque omnia quæ in dicta Justificatione continentur etiam approbare; ut quæ ab omnibus dictæ Facultatis diligenter visa, & maturè considerata fuerunt; & de novo, quatenus opus sit, in manibus mei Notarii, uti de cæteris actis hujus causæ rogati exhibere & approbare, prout exhibuerunt & approbarunt, præsentibus ibidem Dominis Andrea Sassene dictæ Facultatis Bedello ac Notario, & Magistris Joanne Gerbeuch, & Andrea Baeten, Clericis respectivè Monasteriensis & Boscoducensis Diœceseon, testibus ad præmissa vocatis specialiter atque rogatis.

Novam illam Lovaniensis Censuræ Defensionem, Henrici Gravii & Joannis Lensæi studiis elaboratam, Reverendis Patribus, Balduino ab Angelo Jesuitarum Lovaniensium Rectori, & Leonardo Lessio tradi jussit Octavius, per Jacobum Peranum Notarium publicum die 10. Septembris: ut & ipsi propriæ Defensioni conferent. Inducias ad novam parandam responsionem rogarunt illi, & obtinuerunt. Eam die Octobris 17. absolverunt; ac demum die Novembris 19. Apostolico Nuntio tradidere.

Intereà dum utrique in eam curam intenderent, mutuæque defensionis instrumenta pararent, studuit Octavius quorumdam, qui litem privato affectu fovebant, audaciam frænare; atque ipsas etiam partes in officio continere: ne, pendente coram Sixto V. veritatis examine, de controversis dogmatibus temerè disceptarent. Sequens ea de causa Decretum edidit, summâ partium observantiâ ac devotione susceptum.

Decretum Nuntii Apostolici.

« OCTAVIUS Dei & Apostolicæ Sedis gratiâ Episcopus Calatinus, Sanctissimi Domini nostri Sixti Divinâ providentiâ Papæ V. ejusdemque S. Sedis in Coloniensis, Moguntinensis, Argentinensis, Spirensis, Wormatiensis, Monasteriensis, Osnaburgensis, Paderbornensis, Leodiensis, Luxemburgensis, & inferioris Germaniæ & Belgarum Provinciis, Civitatibus & locis omnibus, etiam Duci Clivensi & Juliacensi subjectis, Nuntius cum potestate Legati de latere: Universis & singulis, præsentes nostri Edicti litteras visuris, lecturis, & audituris, Salutem in Domino sempiternam.

« Etsi diversorum hominum diversæ sint discrepantesque sententiæ; quamdiu tamen fide & dilectione Deo adhærent, estque eorum quasi cor unum & anima una, in uno invisibili duce, ejusque Vicario Divo Petro, aliisque deinceps Romanis Pontificibus ejus legitimis Successoribus, non solùm supremâ illa gradus & officii dignitate, à Christo Domino, in eos perpetuâ successione derivata, corporis & sanguinis Dominici alimoniâ, ut ejus spiritu vegetentur, in uno Ecclesiæ ovili reficiendi sunt, sed illa etiam jurisdictionis autoritate terribili, cujus potestas Cœlos quoque penetrat, & quidquid in terris est, subjectum habet; cui Christus ad servandam unitatem, cujus ipse author est, parendum esse sanxit; ita in Religionis Christianæ officiis continendi sunt, ut unam fidem, unum baptisma, unum Deum ac Dominum venerantes & colentes, in eodem sensu eademque sententia concordes, id ipsum dicant & sapiant, nec ullis do-

„ ctrinæ dissidiis lacerentur, aut ullo schis-
„ mate ullave sacrilega separatione, ab hac
„ unitate Spiritus pacisque vinculo divel-
„ lantur.

„ Cum igitur Coloniæ commorantes,
„ quasdam opinionum dissensiones ortas esse
„ cognoverimus, inter Universitatis Lova-
„ niensis Theologos, & Sacerdotes Socie-
„ tatis Jesu, Lovanii Theologiam profiten-
„ tes, super quibusdam sanæ doctrinæ arti-
„ culis, quibus fidelium unitas scindi, ac
„ Christi Corpus lacerari posset, nisi matu-
„ rè sapienterque occurratur: eas nos S. D.
„ N. Sixto Papæ V. sanctæque Sedi Apo-
„ stolicæ significavimus, ut tam periculoso
„ dissidio obviam iretur: sed quâ potuimus
„ diligentiâ Litteris propriis utramque par-
„ tem monuimus obsecravimusque, ut dis-
„ ceptationibus hujusmodi, quoad sua San-
„ ctitas quæstiones controversas definierit,
„ tum verbo tum scripto desisteretur. Quod
„ ut faceremus, Apostolico mandato ad nos
„ directo jussi sumus; præsertim cum nulli,
„ nisi successori Divi Petri Pontifici Roma-
„ no liceat doctrinæ Christianæ res con-
„ troversas definire. Et quamvis partes ipsæ
„ cohortationes nostras non recusaverint, hu-
„ milesque ac obedienter coram nobis Lo-
„ vanii residentibus, suæ Sanctitati, sanctæ-
„ que Sedi Apostolicæ se præbuerint; ta-
„ men cum acceperimus aliquos etiam diver-
„ sorum Ordinum Regulares, Clericosque
„ Seculares, ac potissimùm studiosos, de
„ Assertionibus, de quibus controversia est,
„ inter dictæ Universitatis Lovaniensis Theo-
„ logos, & Sacerdotes Societatis Jesu sa-
„ cram Theologiam profitentes, tam perti-
„ naciter pro alterutra parte contendere, &
„ temeritate quadam in suis Concionibus,
„ Lectionibus, Disputationibus scriptisque
„ privatis alterius partis sententiam damnare,
„ quam S. Romana Ecclesia omnium Eccle-
„ siarum Magistra salutaris disciplinæ do-
„ ctrix non damnavit, & quos tumultuan-
„ tes atque dissidentes componere sedaréque
„ satiùs foret, eos indiscretæ devotionis ob-
„ tentu, vel potiùs loquacitatis & osten-
„ tationis affectu, studio partium, ad tu-
„ multus simultatesque concitare.

„ Prædictorum omnium, & singulorum
„ temeritati, populorumque scandalo oc-
„ currere studentes, præsentibus his nostri
„ Edicti Litteris statuimus & ordinamus, ac
„ per Apostolica scripta mandamus, ut ne-
„ mo cujusque ordinis, gradus, condi-
„ tionis, vel dignitatis existat, in Concio-
„ nibus, Lectionibus, Disputationibus pu-
„ blicis & privatis, aut ubicumque pro-
„ miscua virorum ac mulierum multitudo
convenire solet, de his Assertionibus con- “
troversis in alterutram partem ita disputare, “
rationibus vel Doctorum autoritate unius “
partis Assertiones confirmare, alteriusque “
refellere, aut impugnare, vel cujusvis pie- “
tatis aut necessitatis prætextu, de his lo- “
qui, scribere, vel dictare in posterum at- “
tentet, ut ausu temerario eas hæreticas, “
suspectas, offensivas, & periculosas esse, “
& qui eas asserunt, alicujus hæresis labe, “
aut suspicione contaminatum iri, donec “
autoritate Apostolica maturè definitæ fue- “
rint, affirmare præsumat. Quod si quis “
contra fecerit, sciat se excommunicationis “
latæ sententiæ pœnam (à qua nisi in mor- “
tis articulo constitutus, à nullo præter- “
quàm à Romano Pontifice valeat absolvi) “
incurrisse, & alias pœnas, nobis nostro- “
que arbitrio reservatas subiturum. “

Ut autem hæ nostræ Litteræ & præ- “
missa universa, ad eorum omnium quo- “
rum interest notitiam pervenire possint; “
monemus, requirimus & obsecramus, ac in “
virtute sanctæ obedientiæ præcipimus, om- “
nibus & singulis Archiepiscopis, locorum “
Ordinariis, eorumque Suffraganeis, Vicariis “
& Officialibus quibuscumque, aliisque om- “
nibus & singulis, ad quos quomodolibet “
spectat & pertinet, ut hujusmodi Edicti “
Litteras singulis Diœcesis vel districtûs “
Monasteriis, Concionatoribus, & aliis “
quibuscumque expedire judicaverint, op- “
portunè insinuent & promulgent, ac insi- “
nuari & promulgari faciant: ne qua radix “
amaritudinis & dissentionis, quod absit, “
per eos succrescat, per quam turbentur “
multi, quamque necesse sit omnino præ- “
cidi. Et ne quis in posterum quoquo modo “
ignorantiam præmissorum possit præten- “
dere, aut se contra præmissa valeat excu- “
sare; volumus & eâdem pariter autoritate “
decernimus atque mandamus, ut præsen- “
tes Litteræ in locis solitis hujus oppidi Lo- “
vaniensis, & in aliis pariter Legationis no- “
stræ consuetis affigantur, & in eisdem lo- “
cis per aliquot dies affixæ remaneant: quæ “
affixio ita omnes ad quos spectat, afficiat “
& arctet, ac si illis personaliter intimatæ “
fuissent. Datum Lovanii die 10. Julii 1588. “
Indictione 1. Pontificatus S. D. N. Sixti “
Divinâ providentiâ anno IV. “

OCTAVIUS *Episcopus Calatinus*
Nuntius Apostolicus.

Delegationis suæ partes ultra protendit Octavius Frangipani. Exceptis Româ mandatis inquirendi num Episcopi aliqui, de controversis dogmatibus, ex juris præscripto judicandi autoritatem sibi arrogassent;

gassent, eâ de re quæstionem habuit, comperitque Archiepiscopum Mechliniensem, judicium quidem in Jesuitas tentasse, sed intra minas hæsisse; Episcopos benè multos, nec non Canonicorum Collegia, datis ad ipsum Epistolis ea de re dixisse sententiam; Censuris Lovaniensi ac Duacensi subscripsisse plurimos, neminem tamen ex juris formulis causam cognovisse, sed omnes Summo Pontifici reservasse.

Rebus ita instructis, exceptisque scriptis utriusque partis, Romam ad Cardinalem S. Severinæ propè diem transmittendis, Legationis officium absolvit, die Novembris 29. qua, renovato superiori Decreto, singulos ad pacem est adhortatus, omnia in suspenso posuit, silentium utrique parti indixit, donec de Controversis Articulis judicasset Apostolica Sedes. In quorum fidem, sequens Instrumentum instrui voluit.

Die 29. mensis Novembris anni 1588. coram Reverendissimo Domino Octavio Nuntio Apostolico, comparuerunt admodum R. D. Michael de Bay ab Atho, Henricus Cuyckius Culenburgensis, Cornelius Reynerius Goudanus, Frater Petrus Bacherius Dominicanus, Henricus Gravius Lovaniensis, Joannes Lensæus Belliolanus, Ægidius Wallius Brugensis, Embertus Everarts Arendonckanus, Jacobus de Bay Athensis, Samuel Loyarts Altenhoviensis, omnes dictæ Universitatis Lovaniensis, in Facultate Theologica Professores, illamque in totum repræsentantes, nec non ad instantiam prædicti Reverendissimi Domini Nuntii Apostolici, per Decanum dictæ Facultatis, ad quem illius convocatio spectat, specialiter congregati, prout verum esse asseruerunt: Necnon admodum R. P. Balduinus ab Angelo, Rector Collegii Societatis Jesu Lovaniensis, & Leonardus Lessius in eodem Collegio sacræ Theologiæ ordinarius Professor, etiam debitè convocati. Quibus quidem sic convocatis & congregatis, dictus Reverendissimus Dominus Nuntius Apostolicus, repetitis priùs summariè, Brevis Apostolici superioribus actis inserti, necnon Edicti per ipsum aliàs ad omnes valvas Ecclesiarum, & studii Lovaniensis, legitimè publicati & affixi, contentis, ad eorumque memoriam reductis, illos denuò seriò sub pœnis in eisdem contentis admonuit, & per viscera misericordiæ Domini Nostri Jesu-Christi exhortatus fuit; ut memores promissionis aliàs sibi factæ, donec utriusque partis scripta & responsa, ab illis jam respectivè recepta, & per eum brevi ad suam Sanctitatem, Sanctamque Sedem Apostolicam mittenda, per eamdem resoluta ac definita fuerint, super eisdem articulis, inter eos controversis, aut aliis materiis consimilibus, aut ex incidenti articulos prædictos quomodolibet tangentibus & definientibus, legere, scribere, disputare, statuere, aut definire, per se vel interpositam personam, aut alumnos suos, publicè vel privatim, verbo aut scripto, non audeant ampliùs aut præsumant. Quippè qui columnæ quasi aut bases Catholicæ fidei, in his inferioris Germaniæ ac Belgarum Provinciis erant, magnum suis disceptationibus & controversiis apud debiliores Catholicos scandalum generarent; hæreticis autem obloquendi, deridendi & fidem Catholicam, omnesque Catholicos calumniandi, occasionem præberent: sed ut concordes unanimesque & probitate morum ac doctrinâ sana & recta apud omnes, pro exspectatione totius Christianitatis, quæ assiduè oculos in ipsos defixos habet, relucerent ac eminerent. Qui quidem omnes sic congregati, unanimiter altâ & intelligibili voce, prædictorum omnium se benè memores esse responderunt; promiseruntque se illis ut obedientiæ filios, lubenti animo parituros; omnique operâ conaturos, ne unquam futuris temporibus, similes inter eos dissentiones contentionesque oriantur: supplicantes Actum hujusmodi actis inseri, & ad suam Sanctitatem sanctamque Sedem Apostolicam cum reliquis transmitti. Sicque habitâ benedictione dimissi fuerunt. Acta sunt hæc Lovanii, in Collegio nuncupato Van Dale, domo habitationis & residentiæ prædicti Reverendissimi D. Nuntii Apostolici, anno die & mense quibus supra. *Inferiùs erat scriptum.*

De mandato Reverendissimi D. Nuntii Apostolici prædicti, ego Jacobus Peranus Clericus Leodiensis, Apostolicâ & Imperiali autoritatibus Notarius, qui præmissis omnibus interfui, eaque in notam scripsi, in illorum fidem me subscripsi, signumque meum apposui solitum & consuetum.

Lis eo pacto Romam ascita, silentio consepulta est: qua ratione prorsus incertum. Seu enim causæ pendentis examen, alterutrius partis industriâ fuerit præpeditum, seu negotiorum procrastinatione, ac subsecutâ deinceps Sixti V. morte Lovaniense dissidium cum causâ Molinæ paulò post subortâ, ob affinitatem argumenti, in unum coaluerit; nullum unquam ea de re Decretum Judiciumve Sedis Apostolicæ

stolicæ prodiit. Nota dumtaxat Leonardi Lessii fortuna, quam non ex alienis suspectisve testibus, sed ex coævis ac domesticis scriptoribus haurimus. Ita quippè Henricus Henriques Societatis Jesu, gratuitam Prædestinationem ad gloriam propugnans, Lessium tacito nomine carpit: *Quidam doctus prædicavit in Academia Lovaniensi oppositum, cum magno scandalo Academiæ: & re ad Sixtum V. Papam delatâ, sustinuit suæ temeritatis gravem reprehensionem.* Crudum verò atque festivum nimis est, quòd Gabrieli Henao venit in mentem, ut domestici testimonii fidem everteret. *Henriques,* inquit vir acutus, *loquitur de Prædicatore, qui Catharini sententiam de Prædestinatione, incircumspectè è sacro pulpito enarravit ad plebem; quo nusquam munere Lessius functus est.* Quasi verò id Henriquesii verba postulent; virumque è sacro pulpito dicentem ad populum intelligere necesse sit, quoties illum quidpiam prædicasse legitur. Næ quæso dignum Palæmone commentum! Nugacem Ludimagistrum, ad scholas amandare sat est, ut hujusmodi vocabuli vim ediscat. At interea rogo nobis aperiat, quem alium loci ac temporis circumstantiæ, ita minutatim expressæ, nobis indigitent? Quamquam nec de iis vitilitigare necessum est. Seu etenim Lessius, aut Hamelius, seu quivis alius in scholastico suggestu docens, aut in Ecclesiastico pulpito dicens ad populum, Sixti V. severam animadversionem concitaverit, ob eam prædicatam doctrinam, perinde nobis est, perinde traditæ doctrinæ meritum innotescit.

Lib. de ult. fine cap. 12. Lege Thomassin Tr. 4. de gratia part. 4.

De Scient. med. sect. 172.

Nec verò magis arridet, quod ad Henriquesii fidem sollicitandam subjungit idem: *Illum fortè, falsis de Lovaniensi causa documentis, deceptum aberrasse.* Quis enim, amabo, credet, Virum prudentissimum, rem non in angulo, sed in orbis luce positam, suoque ordini, ac viro summa sibi necessitudine conjuncto, minùs honorificam, temerè prodidisse? Imò quis apertè non videat, eum facti veritate victum, ac de servando Societatis honore piè sollicitum, hanc unam reticendi nominis arripuisse viam, quæ sibi sola accommodatissima visa est.

CAPUT QUINTUM.

Novas Duaci turbas agunt Societatis Professores: falsis in Academiam criminationibus, Nuntium Apostolicum circumveniunt, quas ille datis Epistolis cumulatè diluit.

Decretum in causa Lovaniensi datum exceperat Academia Duacensis, anno 1588. ac solitò affigi jusserat; non jubente quidem, sed ita optante ac significante per Litteras Nuntio Apostolico; quòd una eadémque duarum Academiarum causa esset. Jussis etiam atque sancitis summâ religione obsequebantur Theologi Professores, suam ut in Apostolicam Sedem, cujus autoritate prodierant, observantiam religionemque testarentur. Pax Belgicis scholis restituta putabatur, cùm ecce turbas alias, superioribus nihilo mitiores excitarunt Societatis Professores annis 1589. & 1590.

Ex Nuntii Apostolici Narratione, & Academiæ Duacensis Epistolâ.

Academiæ doctrinam Calvinismi palàm sugillavit Joannes Deckerius Theologus Jesuita, in suis ad primam secundæ D. Thomæ Prælectionibus, Quæstione sua 4. Propositione 2. Probatione 11. *Difficile est*, aiebat ille de sententia Duacensium, *videre in quo secundùm rem hæc sententia differat à sententia Calvini. Nam Calvinus dicit &c...... Hæc verò opinio dicit &c...... Quæ sententiæ duæ, in quo inter se secundùm rem discrepent, certè non video &c.* Rursùs in dictato quodam extraordinario, ex illis Edicti Sixti V. verbis: *Super quibusdam sanæ doctrinæ articulis*, suam suorumque doctrinam ab Apostolica Sede probatam effutiit, atque veluti sanam & orthodoxam commendatam. Non absimili audaciâ Physicus Professor, in Tractatu de Causis, Facultatis doctrinam sub Calvinismi nomine prolixiùs oppugnavit: cæterique passim, posthabito Apostolici Nuntii Edicto, adversùs Academiarum Censuras, notata Lessii & Hamelii dogmata tenaciùs sectabantur. Hinc motus, hinc dissensiones ac rixæ.

Nuntio Apostolico procul absente, rem primò cognoverunt Atrebatensis & Tornacensis Episcopi, qui indicto Jesuitis silentio, Academiæ Censuræ standum judicarunt, donec controversa dogmata judicasset Apostolica Sedes. Amicam etiam inter partes dissidentes compositionem curarunt, mense Februario anni 1591. quæ publicis Academiæ Tabulis inscripta est, sub hac formâ.

Ad sopiendam dissensionem, inter Facultatem Theologicam Universitatis Duacensis, & Patres Societatis Jesu Duaci agentes exortam, ratione quorumdam dogmatum de Gratia & Prædestinatione, quæ fuerant ante triennium Lovanii ventilata: Visum fuit nobis Tornacensi & Atrebatensi Episcopis, partibus in amicabili & charitativa communicatione & conferentia auditis, vehementer expedire, ad pacem & tranquillitatem hujusce Universitatis, & scandala vitanda, ut Societatis Patres,

tres, tertiæ Regulæ sive Consilio libri De ratione doctrinæ Societatis *sese conformando, non doceant de supradictis materiis, in hac Academia Duacensi, contraria doctrinæ Facultatis Theologicæ, donec per Sedem Apostolicam Quæstiones de supradictis materiis exortæ fuerint definitæ, sive determinatæ.* Subscriptum.

VENDVILIUS Episcopus Tornacensis.

MATTHÆUS MOULARTIUS Episcopus Atrebatensis.

MATTHIAS BOSSEMIUS Cancellarius Duacensis.

GULIELMUS ESTIUS.

JOANNES DECKERIUS.

JOANNES DE LA HAYE Servius Rector Collegii Societatis Jesu.

BARTHOLOMÆUS PETRUS Linthrensis.

Sodalitii Jesu viros, in suis servandis finibus adeò experrectos & acres, huic meditatæ compositioni subscripsisse, miraculi propè loco haberi potest. Sed hanc illis subscriptionem extorsit causæ necessitas, in quam illos Academia Duacensis induxerat, ne quid illis pejus accideret. Aperta enim in primis atque explicatissima lex erat, cui illos stare voluerunt Illustrissimi Præsules, eique repugnare palàm pudor erat: *Quæ opiniones, cujuscumque autoris sint, in aliqua Provincia aut Civitate, multos aut nostrorum aut exterorum Catholicos, & non indoctos offendere sciuntur, eas ibi nemo doceat aut defendat; quamvis alibi sine offensione doceantur.* Rursùs cùm ante annos viginti tres, pacto cum Academia Duacensi inito, ad docenda Pastoralia dumtaxat admissi fuissent; hoc est, ad Theologiam nudam, qualem simplicium Sacerdotum & Curatorum status exigit, edocendam; timendum illis erat, ne si oblatæ compositioni acquiescere nollent, omni docendi jure interdicerentur; quippè qui pacta jam pridem inita violaverant, contentiosâ illa de Divinis Auxiliis tractatione. Stimulabat & illos tam præfracta, tam audax Decreti à Nuntio Apostolico lati violatio; metusque erat, ne si quid hac occasione mussitarent, admissi delicti pœnas luerent. Quare demisso supercilio, oblatæ compositioni specie saltem assentire, ea tamen conditione verbo additâ, *nisi ab Generali suo Præposito improbaretur*: quòd illam fortè ab ipso improbatum iri suspicarentur.

In Tract. de opinionum delectu, pag. 10.

Conditionem tametsi lepidè festivam accepere sequestri Præsules, ea nihilominùs lege, ut Præpositi Generalis improbatio (si fortè accideret) Ordinario loci, scripto ac formâ juris exhiberetur. Verùm bono licèt animo omnia fierent, non diù Jesuitas initæ compositionis religio tenuit. Quin potiùs injuriam clanculùm causati, Nuntium Apostolicum Coloniæ commorantem Litteris occuparunt, mense ipso Februarii die 17. quibus Academiam variis calumniis impetebant, & Illustrissimos pacis sequestros, uti publici juris violatores incusabant. Erant hæc criminationum Capita. 1. Quod pristinum Edictum, in causa Lovaniensi latum, quâ par erat reverentiâ, debitoque loco minimè vulgasset Academia; hoc est, non in fronte Cathedræ Professoris Theologi, ut moris erat, affixisset, sed ab tergo, ut à nemine legi observarique posset. 2. Quòd ab ea dubitatum esset, An Edictum illud Theologos Duacenses perinde ac Lovanienses astringeret. 3. Quòd eo usque desipuisset, ut etiam in quæstionem verterit, An re ipsâ ab Nuntio Apostolico editum esset Edictum, an à quopiam subdolo impostore. 4. Quòd ab illius observantiâ procul abfuisset Academia, ex quo tempore latum erat. 5. Quòd convitiis Societatis viros affecissent Academiæ Theologi, novaque in dies jurgia concitarent. 6. Quòd tentata ab Illustrissimis Episcopis compositio novas dissensiones commovisset: aliaque id genus conviciorum plaustra, de suscitato Baianismo, quibus meritissimos Theologos, non apud Nuntium tantùm, sed & apud viros Principes oneraverant.

Hamum voravit Nuntius Apostolicus falsis expostulationibus circumventus. Rem totam Cardinali Sfondrato litteris significavit die mensis ejusdem ultimâ: ac necdum exspectatis Rescriptis, ordinariâ Nuntii Apostolici autoritate usus, Atrebatensem & Tornacensem Episcopos per litteras monuit, ut recentem flammam exstinguerent publicâ Edicti in causa Lovaniensi aliàs editi promulgatione. Id impigrè præstiterunt prudentissimi Præsules, non sine aliquo Academiæ sensu: cui planè perspectum erat, ex falsa suggestione mandatum illud extortum fuisse; eamque iteratam Edicti publicationem cum tacitâ sui accusatione (quasi in eo aliàs publicando servandoque defuisset) suique nonnulla ignominiâ conjunctam esse. At injuriam pati maluit, quàm officio deesse: Edictum nova solemnitate vulgatum, novâ venerationis & observantiæ significatione osculata est.

Intereà subintravit in causam Middelburgensis Episcopus: qui cùm certò nosset novas in dies controversias orituras

ob Pontificiæ definitionis, quam jam anteà spoponderat Sixtus V. procrastinationem, Gregorium XIV. supplicibus Epistolis rogavit, die 4. Aprilis, ut præsentibus dissidiis Apostolica definitione modum poneret, & futura præcaveret. Respondit Sanctitatis suæ nomine Cardinalis à S. Severina, sustinendum ad tempus: sed & interim Apostolico Nuntio injunxit, ut magni nominis & autoritatis Virum Duacum dirigeret, qui utramque partem ea de re disputandi facultate interdiceret, quemadmodùm in causa Lovaniensi sancitum fuerat.

Excepto Pontificio Mandato, die 21. Junii, id à se jam per prædictos Episcopos præstitum intellexit Nuntius Apostolicus, quod sibi præstandum injungebatur. Quare à Viro Duacum delegando abstinuit; sed novo Edicto, quo prioris observantia jubebatur, in Academiam Duacensem, falsis ab adversa parte criminationibus appetitam, animadvertit; durioresque ad ejusdem Rectorem Epistolas dedit, universo Theologorum Ordini communicandas. Decreti verba hæc erant.

OCTAVIUS *Dei & Apostolicæ Sedis gratiâ Episcopus Calatinus S. D. N. Gregorii Divinâ providentiâ Papæ XIV. ejusdemque Sanctæ Sedis, in Coloniensi, Moguntinensi, Trevirensi, Argentinensi, Spirensi, Wormatiensi, Monasteriensi, Osnaburgensi, Paderbornensi, Leodiensi, Luxemburgensi, & in inferioris Germaniæ & Belgarum Provinciis, Civitatibus, & locis omnibus etiam Duci Clivensi & Juliacensi subjectis, Nuntius cum potestate Legati à latere: Patribus Societatis Jesu Duaci residentibus, & Theologicæ Universitatis Duacensis Facultati, Salutem in Domino sempiternam.*

Cùm annis præteritis, in causa Dissensionis Universitatis Lovaniensis cum Theologis Societatis Iesu Lovanii degentibus, Edictum promulgaverimus tenoris sequentis: Etsi diversorum hominum &c. Ut supra: *&* Cap. 4. pag. 26. *modò non sine nostro mœrore audiamus, novam dissensionem exortam inter vos, nimirùm Universitatis Duacensis Facultatem Theologicam & Patres Societatis Jesu Duaci residentes, ratione quorumdam dogmatum de Gratia & Prædestinatione, quæ inter alia fuerant ante triennium Lovanii ventilata: Necnon dubitari à multis, an prædictum Decretum liget Duacenses, imò an nostrum sit Edictum, vel alterius; Ac etiam quòd amicabilis compositio, à Reverendissimis DD. Episcopis Tornacensi & Atrebatensi, ad novam illam controversiam sopiendam, pro pace & tranquillitate Universitatis Duacensis, scandalisque vitandis interposita, dissensionem non adimat, novamque commoveat, eâ ratione quod uni tantùm parti sit inhibitum, ne de supradictis materiis in Academiâ Duacensi doceretur, donec per Sedem Apostolicam, quæstiones de iis exortæ, definitæ ac determinatæ fuerint. Nos pro munere nobis commisso à S. D. N. Papa, populorum scandalis occurrere volentes, præsentibus his nostri novi Edicti Litteris censuimus declarandum, nedum prædictum nostrum Edictum Duacenses ligare, nostrumque esse non alterius; verùm etiam illud innovare, quemadmodum eadem autoritate nostra, imò veriùs Apostolicâ, illud in primis innovantes, dilucida declaratione decernimus, omnes & singulos cujuscumque Ordinis, gradus, conditionis, vel dignitatis, sub Legatione nostrâ degentes & Duacenses præsertim, Edicto præfato, quod nostrum est non alterius, ligari, ejusdemque pœnis subjici: & ordinandum ac mandandum, sicut per hæc nostra, imò veriùs Apostolica scripta ordinamus & mandamus, ut quod prohibitum fuit à supradictis Reverendissimus DD. Episcopis, Patribus Societatis Jesu Duaci degentibus, idem Theologicæ Universitatis Duacensis Facultati inhibitum censeatur. Aut saltem ad declinanda studiorum ex hujusmodi interruptione dispendia, utriusque opinionis assertoribus, maneat sua sentiendi docendique libertas, servatâ utrinque Christianâ in eruenda veritate modestiâ, depulsisque hinc inde injuriosis ac invectivis, privatis publicisque conviciis, donec per Sedem Apostolicam, quæstiones de hujusmodi materiis exortæ, definiantur ac determinentur; sicut & Nos utrique parti, tenore præsentium inhibemus, sub pœnis & Censuris, quæ in Edicto nostro prædicto Lovanii publicato continentur. Quod si utraque pars vel alterutra contrafecerit, sciat se pœnis ejusdem Excommunicationis latæ sententiæ, & aliis arbitrio nostro reservatis subjiciendos; quibus illi qui contravenissent Edicto præfato, obnoxii declarantur. Et ne quis præmissorum omnium ignorantiam prætendat, aut se contra præmissa valeat excusare; volumus & eadem pariter autoritate mandamus, ut præsentes Litteræ nostræ in loco Sedis Theologorum publicè affigantur, ubi reliqua omnia similia affigi solent; ibique per aliquot dies affixæ maneant. Quæ affixio ita omnes ad quos spectat, afficiat & arctet, ac si illis personaliter intimatæ fuissent. Datum Coloniæ die 28. Junii 1591. Indictione quartâ, Pontificatûs S. D. N. Gregorii Divinâ Providentiâ Papæ XIV. anno primo.* OCTAVIUS *Episcopus Calatinus Nuntius Apostolicus.*

Edicti hujus promulgationi intercessit Aca-

Academia, quòd illud à Judice falsis documentis & adversæ partis artibus circumvento latum certò sciret. Eâ tamen animi modestiâ se gessit, ut nihil de suâ in Nuntium Apostolicum veneratione remitteret. Prolixas ad eum Litteras misit die 13. Augusti 1591. adjunctis publicæ fidei instrumentis, quibus æmulorum criminationes diluebat. Rerum gestarum seriem aperuit: suam in veteri Edicto servando Religionem probavit: omne in Jesuitas accusatores crimen rejecit: rogavitque supplex ut fartâ tectâ manente amicâ compositione, ab Episcopis Atrebatensi & Tornacensi gravissimis de causis initâ, mutuoque partium assensu susceptâ, ab hujusce novi Edicti promulgatione supersederet. Epistolam hanc totius Theologici Ordinis nomine scripsit Guillelmus Estius, Vir omni laude superior, pietate, eruditione, Religionis zelo commendatissimus, quam ex ejus Autographo nuper descriptam, & inter alia documenta ad Academiæ Duacensis historiam spectantia vulgatam, dabimus in Appendice nostra.

Hæsit ad hæc Nuntius Apostolicus, nihilque quod sciamus ab Academiâ Duacenâ postulavit jussitve deinceps acceptis Epistolis. Quare nec ex juris formulis Edictum illud secundum vulgatum unquam, nec in publicos Academiæ Commentarios relatum est. Quin etiam in ipsa Nuntii Apostolici Narratione, Italico idiomate scriptâ, & ad Cardinalem S. Severinæ Romam ab ipso transmissâ, ut demandatæ sibi sopiendi Lovaniensis & Duacensis dissidii provinciæ rationem redderet, ne verbum quidem occurrit, unde illum acceptis Academiæ Litteris Edicti secundi promulgationem jussisse, colligi possit. Quocirca effectum est, ut prisci Belgicarum Academiarum Osores, qui qualibet ex re criminandi occasionem arripuere, nodumque quolibet in scirpo quæsiere, primum quidem Octavii Edictum ad sua instituta detorserint; ab hoc tamen secundo proferendo penitùs temperarint, quòd illud effectu caruisse satis nossent. Post annos amplius octoginta, illud mortalium primus vulgavit in lucem P. de Fourmenstreaux, & in domesticæ causæ patrocinium venditavit. At serò nimis & incircumspectè, quod attinet doctrinæ caput. Demus enim nihil Edicto huic est juris formâ deesse, ut laudari à viro prudente possit: quid uni præ altera parti prodesset provisionale Decretum, quo utrique silentium æquè indicitur; seu potiùs, quo datâ utrique opiniones suas propugnandi docendique libertate, ab injuriis notisque partis adversæ temperandum injungitur, *donec per Sedem Apostolicam, Quæstiones de hujusmodi materiis exortæ, definiantur ac terminentur*? Sit certè nedum mente, sed & sensu captus oportet quisquis aliter senserit.

Extat in Collect. D. Pegna.

Anno 1673.

Vir doctissimus Geri, seu quisquis alius sub eo nomine delitescens, qui Historicam Censurarum Belgicarum Apologiam edidit non ita pridem, in hujusce ultimi Decreti νοθείας suspicionem venerat: verùm re maturiùs inspectâ, dubitationem excussit omnem, in suis ad Academiæ Duacensis Historiam documentis, anno 1696. publicæ luci datis, rationibusque, quas ad probandam suppositionem usurpaverat primò, obreptionem Apostolico Nuntio factam demonstravit pari ingenii subtilitate & elegantiâ.

Ad hujusce novæ dissensionis initia, ad annum scilicet 1589. aut 1590. revocandam opinor Balduini Rithovii Regii in Academia Duacena Professoris, adversùs Joannem Deckerium Societatis Theologum, publicam concertationem, quam aliqui ad annum 1609. minùs cautè retulere. In hanc Epocham nostram universa conspirant. Tunc etenim commissi cum Academia Societatis Professores, Belgicarum Censurarum doctrinam sugillabant, suamque ambitiosiùs efferebant; quos idcircò publicis Orationibus retundere opus erat. Regium etiam Professorem agebat ea ætate temporum Balduinus Rithovius, legebatque apud suos Joannes Deckerius: quæ duo figendæ Epochæ plus justo sufficiunt. Sed & omnem dubitationem amovent Regii Professoris Oratio publicè pronunciata, unde temporis notam certò colligimus. In primis enim Benedicti Perrerii in Danielem Commentarios in Censurarum doctrinæ patrocinium afferens, illos *nuper Romæ primùm in lucem editos* observat: porrò ii in Danielem Perrerii Commentarii, Romæ primùm apud Georgium Ferrarium cusi fuerant anno 1587. Rursùs Matthæum Bossemium uti tunc Academiæ Cancellarium commendat, quem nominatim sugillare Deckerius veritus non erat: at eo munere fungebatur Vir meritissimus, quo tempore cœpta motaque lis est; ut ex amicæ compositionis ab Episcopis interpositæ subscriptionibus liquet: nullus verò anno 1609. Bossemius erat, qui integro ante decennio diem obierat, anno nempè 1599. Demum Petri de Rivo damnationem, à Sixto IV. latam anno 1473. in Societatis doctrinam regerens, eam *ante annos circiter* 115. *Romæ latam* ob-

observat: at totidem evoluti numerabantur anno 1589. quo novi isti turbines in Academiâ Duacenâ excitati sunt. Rithovii Orationem publicè habitam, seu Responsum adversùs Deckerii querelas, ex scholæ suggestu pronunciatum, mittimus in Appendicem.

CAPUT SEXTUM.

Vanæ recentium quorumdam adversùs Censuram Lovaniensem criminationes diluuntur.

Meraines, Paul. Leonardus. Henao. Annatus. Thir. Gonzal. & alii.

NIhil ita in recentium Societatis Theologorum scriptis de Divina gratia tractantibus, frequenter occurrit, quàm fuisse à Sixto V. proscriptam Censuram Lovaniensem, uti maleferiatum opus, & abortivum Baianæ factionis partum. Id verò qua parte conentur extundere, mirum dictu! Animadverterunt scilicet viri boni, tum Sixtum V. in Brevi Pontificio supra laudato, tum Octavium in Decreto, ortam Lovanii Controversiam significasse *in quibusdam sanæ doctrinæ articulis:* ac protinus quasi ridente Minervâ, ac secundo sibi favente Mercurio, hæc ad Leonardi Lessii designandam doctrinam miserè detorserunt; eamque propterea, uti *sanam* à Summo Pontifice, ejusque Nuntio judicatam jactitarunt. Rursùm indictum Academiæ silentium, quasi non itidem Societati jussum esset, damnationis loco reputarunt, indignâ planè atque injustâ facti dissimulatione. Ac demum Michaelem Baium (cujus propositiones aliquot Pius V. & Gregorius XIII. prædamnaverant) è Lovaniensibus Censoribus unum animadverterunt, eóque modico fermento totam Academiæ massam corruptam conclamarunt.

Non morabor hic quæ ad primam criminationem confutandam scripsit recens Belgicarum Censurarum Apologista, legendum scilicet, *sacræ* (non *sanæ*) *doctrinæ articulis:* Jesuitasque recentiores eum Brevis Pontificii locum fœdè mutilasse; adeò ut ii qui in Congregationibus de Auxiliis Societatis partes egerunt, nusquam ea verba in rem suam usurpaverint. Mihi quippè duo hæc æquè falsa probantur. Licèt enim in editis Lemosii, τὸ *sacræ doctrinæ* interdum occurrat; aliter tamen in Codicibus manuscriptis: uti & in omnibus Brevis Pontificii Decretique Octavii exemplaribus, inter Acta Congregationum asservatis. Sed & Bastidam iis in verbis vim fecisse lego, in sessione habita die 22. Martii 1604. nec tamen illum à Lemosio falsi postulatum; tametsi nihil inde ad Lessianæ doctrinæ commendationem extundi posse Vir maximus demonstraverit. *Miror*, inquiebat Bastida, *quod R. Pater in conspectu Sanctitatis vestræ produxerit in hac materia Lovanienses, cum ab hac S. Sede fuerit illis impositum silentium, quia injustè accusabant Patres Societatis de quibusdam Propositionibus doctrinæ* SANÆ. Quibus Lemos ita reposuit: *Quod dixisti indignum esse, ut in conspectu S. D. N. afferatur Censura Patrum Lovaniensium, certè miror quod hoc audeas proferre, cùm nihil fuerit ab hac sancta Sede contra eos definitum. Nam per illam Bullam tantùm impositum fuit silentium Patribus illis, & vobis etiam, ne de propositionibus* SANÆ *fidei esset controversia. Non ait Propositiones vestras fuisse* SANÆ *fidei, sed controversias super rebus* SANÆ *fidei. Et ideò præcipitur utrisque partibus, ut datis eorum rationibus Sedi Apostolicæ, expectent quòd ab ea fuerit definitum.* *Lege lib. 3. cap. 43.* *In Actis Secretarii.*

Accedit Academiæ Duacensis Epistola Cap. superiori laudata & in Appendicem nostram in integrum referenda: ubi Societatis Theologos exagitant viri Academici, quod suam iis Decreti verbis probatam doctrinam effutirent, super quibusdam SANÆ doctrinæ articulis; nec tamen illos falsæ & adulteratæ lectionis postulant, sed sinistræ dumtaxat, & obliquæ interpretationis accusant. Non aliter Balduinus Rythovius Regius quondam & Ordinarius in Academia Duacena Professor Joannem Deckerium easdem argutias obtrudentem eventilat, non objecto lectionis, ut dixi, sed interpretationis vitio: ut inter Appendicis instrumenta videre licet.

Nec me movet Joannis à S. Thoma testimonium, qui eam de Sixti V. Decreto disceptationem ex actis Lemosii referens, ita Bastidam loquentem inducit; quasi Lovaniensibus impositum silentium dixerit, ob facessitum Societati negotium, *in quibusdam* SACRÆ *doctrinæ capitibus.* Non enim præsentem critices difficultatem movit Vir eruditus, ut in verbis ei vim facere necesse fuerit; nec idcircò Actorum retulit verba, sed sensum, prout suo conducebat instituto. Etenim (quod ad rem nostram facit maximè) ita in hisce Lemosii actis Societatis interlocutor inducitur: *Quomodo in conspectu Sanctitatis suæ adducuntur in hac materia Doctores Lovanienses; cum ab hac sancta Sede, illis in hac parte fuerit impositum silentium, quia injustè in hac materia accusabant Patres Societatis, de quibusdam propositionibus doctrinæ* SANÆ? *1. part. qu. 14. disp. 20. art. 6. n. 9.*

Legen-

Legendum itaque, in quibusdam SANÆ doctrinæ articulis; nec tamen ob id Lessii commendata doctrina, aut Lovaniensium prædamnata Censura putanda est. Eâ quippè loquendi ratione Controversiæ Academiam inter & Societatem agitatæ argumentum indigitatur. Cum enim non de Philosophicis, sed de Theologicis quæstionibus ageretur, soleatque Theologia sacræ doctrinæ nomine nuncupari: hinc in quibusdam sacræ doctrinæ Articulis, ortæ controversiæ dici potuerunt. Cumque rursùs repugnet id sanum non asseri, quod sacrum meritò dicitur; quidni quoque super SANÆ doctrinæ articulis, ortæ controversiæ dictæ fuerint? Hoc itaque sibi voluit unum Pontifex Maximus, de rebus Theologicis Lovanii controversiam emersisse.

Quamquam si ea loquendi ratione, non ipsa per sese Controversiæ materia, sed alterutrius partis doctrina designata fuisset, quo, quæso, jure quove titulo id in rem suam Jesuitæ præ Lovaniensibus verterent? Certè dum controversiam ortam significat Sixtus V. *in quibusdam* SANÆ *doctrinæ articulis*, ne verbulo quidem insinuat, quæ pars SANAM illam doctrinam profiteretur: pari itaque sorte, si quid inde lubet extundere, verba hæc suas in partes trahere possent Lovanienses, ac Jesuitæ. Controversia quippè orta perinde dici potest, super Lovaniensium doctrinâ, quam primò temerè Lessius suis in prælectionibus veluti Calvinianam sugillabat, ac super Jesuitarum Assertionibus, quas uti Semipelagianas Academia confixit. Utrisque ergo, si superis placet, canere liceat, io Triumphe. Imò fallor: stante etenim dubio, triumphum soli possent canere Lovanienses, justo præsumtionis jure, quod in dubiis nobiliori parti assertum est.

Verùm iis omissis, non ita operosum erit, primæ hujus in Lovaniensem Censuram criminationis iniquitatem aperire, ex ipsis solis Nuntii Apostolici delegationis instrumentis, antequam Censurarum Belgicarum autoritatem, petitis aliunde monumentis, sequenti capite demonstremus.

Quæ etenim, amabo, ratio, quæ forma juris patitur, ut in ipso Pontificis Brevi, quo utrique parti æquè silentium indicit, causam judicandam ad se vocat, instrumenta partium ad se transmitti jubet, facti cognitionem postulat, ut controversiam tandem autore Spiritu Sancto definiat, partem alteram unius appositione voculæ prædamnaverit? Facti repugnantiam vehementer auget temporum observatio. Datum quippè fuit Sixti V. Decretum 15. Aprilis 1588. Censura autem Lovaniensis, non ante diem mensis ejusdem 28. ab Octavio Romam transmissa est; nec illuc nisi sub finem Maii pervenire potuit. Qui ergo contentam eo in Decreto Lovaniensis Censuræ damnationem fabulantur, damnatam nobis à Sixto V. Censuram obtrudunt, quo illam tempore nec legerat nec expenderat: quod quàm verisimile sit, judicent eruditi.

Sed & Nuntius ipse Pontificiæ voluntatis dignus interpres, quique iis verbis, SANÆ *doctrinæ*, pariter utitur, suo in Decreto profitetur, Romanam Ecclesiam neutrius partis damnasse sententiam: alterutram Censurâ aliquâ notare vetat, donec controversia autoritate Pontificiâ fuerit definita. Num, quæso, illum rerum istarum nescium, sensusque Brevis Pontificii sibi transmissi prorsùs ignarum effutiemus, ut illud necdum ab Ecclesia damnatum dixerit, notarique vetuerit, quod Brevi suo Pontifex prædamnasset?

Quin imò post datum illud Sixti V. Decretum, Censuræ suæ Defensionem edidit Academia Lovaniensis, Lessiique doctrinam novis confutavit argumentis, præeunte ac volente Nuntio Apostolico. Ut quid autem passus esset ille Lovanienses denuò coram semetipso eamdem solemniter doctrinam profiteri, quam Pontifex ipso delegationis ejus Decreto proscripsisset; eamque rursùs, uti peregrinam, offensivam & periculosam publicè confutare, quam idem veritatis arbiter approbasset?

Mirum! Quid, Episcopi, quorum jussu defensionem ediderunt, id præcepissent, viri aliàs in Summum Pontificem observantissimi? Hinc videas quàm ineptè Lessio suo plaudat Societatis Theologus, dum ita suis in Thesibus Rothomagi defensatis, die 10. Januarii 1698. scribit: *Manet interim æternùmque manebit primæ sedis Judicium quo Lessii doctrina* SANA *pronuntiata est.* Manet immò, æternùmque manebit, ineptum esse Pontificii Brevis Interpretem, qui hæc scripserit.

Nec minùs insulsam illam Pontificiæ damnationis fabulam revincunt, quæ de dissidio Duacensi supra retulimus. Dùm enim ortam eamdem Duaci controversiam, novo meditato ac misso Decreto componendam censuit Nuntius idem, tentatam priùs ab Episcopis compositionem dissensiones auxisse conquestus est, ob id unum quòd uni dumtaxat parti, videlicet

Societati, silentium indixissent. Nonne verò conquestus esset magis, huic parti silentium indictum, cujus doctrinam & Pontifex & ipsemet approbassent, illique è contra concessam docendi licentiam, quæ Lovaniensis Censuræ damnatam doctrinam studiosè tuebatur? Nihil quippè ad eorum Episcoporum compositionem improbandam opportunum magis occurrisset, si quæ nobis obtrudunt Lessianæ doctrinæ Vindices, & Academiæ Lovaniensis Osores, veritate niterentur. At tantùm abest, ut hæc illi in mentem venerint aliquando, quin potiùs Duacensibus, Lovaniensium Censuræ doctrinam propugnantibus, sua sentire ac docere, solemni Decreto permisit. Adeò scilicet fabulosam habuit Lovaniensis Censuræ damnationem; quam tamen nedum à Sixto V. sed & ab ipsomet latam, implacabiles obtrectatores effutiunt.

Secunda de impenso Academiæ silentio, criminatio, suâ ipsius levitate dissipatur & evanescit. Nam & Societati æquâ sorte indictum est; non spectatis quidem controversæ doctrinæ meritis, sed vitandæ contentionis studio, donec rem Sedes Apostolica definiret. Quid hinc porrò Jesuitæ sibi præ Lovaniensibus arrogant? Rebus enim ita in suspenso positis, stat utriusque partis æqua conditio, judicii Ecclesiastici spectatâ ratione: nulliusque proptereà definita vel damnata sententia censenda est. Quamquam tamen, sua unicuique doctrinæ servanda prærogativa, ex assertoribus autoribusque petita. Sic ut Lessiani articuli, non nisi privati viri opinationes habeantur; Lovaniensium verò Censuræ, tanquam venerandi Ordinis assertiones excipiantur; cujus est doctrinale de rebus Theologicis judicium ferre. Hinc Bastidam, indicti silentii prætextu, objectam sibi Censuræ Lovaniensis Autoritatem, declinantem, non semel à Lemosio coram Clemente VIII. exagitatum observo, quòd eam meritissimis Patribus venerationem, in lato doctrinali judicio non exhiberet, quam tanti fama nominis postulabat.

Tametsi attenta Instrumentorum lectione detexi, nec Brevi Pontificio, nec Nuntii Apostolici Decreto, plenum absolutumque silentium partibus indictum, sed restrictione aliqua temperatum. Pontifex quippe *à Contentionibus*, *Dissensionibus*, *Decertationibus*, *Dissidiis*, non à publicis lectionibus abstinendum injunxit. Nuntius verò duo cautè distinxit; partes scilicet contendentes, & alios variorum Ordinum viros, qui alterutrius partis immoderato affectu ducebantur. Illis injunxit, ut quibusvis sepositis disceptationibus, sensa sua Apostolicæ Sedi subjicerent: Istis districtè vetuit, ne de controversis assertionibus ita differerent, ut partem alteram injuriis ac notis afficerent. Neutris vetitum lego, ne sua interim sedatè ac pacificè sentirent ac legerent. Immò si datum in causa Duacensi Decretum, uti certam Decreti pro Lovaniensi Controversiâ emissi interpretationem excipere licet, id ipsum disertè concessum invenio: *Saltem*, inquit, *ad declinanda studiorum ex hujusmodi* (lectionum) *interruptione dispendia, utriusque opinionis assertoribus maneat sua sentiendi & docendi libertas, servatâ utrinque Christianâ in eruendâ veritate modestiâ, depulsisque hinc inde injuriosis ac invectivis, privatis publicisque conviciis; donec per Sedem Apostolicam quæstiones de hujusmodi materiis exortæ definiantur; sicut & nos utrique parti tenore præsentium inhibemus, sub pœnis & Censuris, quæ in Edicto nostro præfato Lovanii publicato continentur.*

CAPUT SEPTIMUM.

Censura Lovaniensis iniquis Michaelis Baii artibus minimè tribuenda venit. Sed nec illius dumtaxat ætatis, verùm etiam sequentium deinceps temporum Germana totius Academiæ doctrina censenda est.

FIrmioribus non stat fundamentis altera contra Lovanienses criminatio. Quid enim si Censores inter sederit Michael Baius, à Pio V. ante annos viginti damnatus? Numquid universum Theologicum Ordinem, obtorto veluti naso ductum, privati cujusdam hominis studio æmulari, eique jam pridem illatæ calumniæ vices Societati rependere voluisse putandum erit? Aut Academiam Duacensem, omnesque penè Belgii Episcopos, Lovaniensis Censuræ Vindices (quibus nihil unquam cùm Baio commune fuerat) stultæ recriminationis reos existimabimus? Absit.

Alius certè erat, ætate illa, non Academiarum modò & Episcoporum, de quibus talia sentire sacrilegum est, sed & ipsius Michaelis Baii animus, alia voluntas. Illatum enim vulnus non sola diuturnitas temporis obduxerat, sed eximiæ virtutis summæque humilitatis sensus, quo Sedis Apostolicæ judicium absque ulla prorsus cunctatione amplexus, quieverat. Adeò ut non tam læsa sit ea damnatione doctrinæ illius fama, quàm aucta pietatis ac Religionis opinio:

Palav. Inst. Conc. Trid. lib. 15. cap. 7. Toletus. Possevinus in Appar. Valer. Andreas in Bibl. Belgica. Le Mire. Moreri in Dict. hist.

nio: cui scriptores Ecclesiastici, atque ex ipsa etiam Societate, illustre perhibent testimonium.

Quare nec Octavius Apostolicæ Sedis Nuntius, Lovaniensis dissidii diligentissimus cognitor, ullam de meritissimis Censoribus factionis coitionisque suspicionem habuit, sed illos uti religioso zelo ductos excepit. Nec qui Societatis partes egere in Congregationibus Auxiliorum, objectamque sibi Censuram Lovaniensem ægrè tulere, eam doctissimis Viris injuriam irrogarunt.

Cæterùm quamquàm sufficiunt illa per sese, ad falsæ criminationis injuriam propulsandam; accedit alterum omni observatione & autoritate superius. Si enim anno 1587. edita Censura factiosis Michaelis Baii artibus tribuenda foret, quorsùm eam ad nostra usque tempora solemnibus instrumentis toties renovavit Academia, ut non illius dumtaxat ætatis, sed omnium planè subsequentium temporum, Lovaniensis Doctrina perhibeatur? An hìc Gentilium fabulas obtrudemus, animamque Baii mortali corpore solutam, tumulo suo ad hæc usque tempora circumvolantem garriemus, suos etiamnum Lovaniensibus Doctoribus sensus insusurrantem?

Lubet in eo, qui se mihi nunc campus aperitur, paulo liberiùs excurrere, & ad augendam Censuræ Lovaniensis autoritatem, renovationum ejusdem instrumenta subjungere.

Eam in primis anno 1613. authentico scripto renovavit, ad nonnullos rumores propulsandos, quos viri è Societate disseminaverant. Ad sacrum quippè Theologorum consessum, delatis rumoribus quibus ab avita doctrinâ Academiam recessisse ferebatur, calumniam actu publico propulsandam judicavit, illiusque instruendi provinciam demandavit P. Thomæ de Torres Ord. Prædicatorum, singularis pietatis & eruditionis viro, tunc temporis Decano, ac postmodum ad Episcopales infulas pro meritis assumto. Qui quidem actus die 2. Augusti in solemnibus Academiæ Comitiis lectus, discussus, approbatus, & in publicos Commentarios relatus est, sub forma sequenti.

Cùm ad aures Facultatis S. Theologiæ Universitatis Lovaniensis pervenerit, sparsum esse in Hispania, Italiâ & aliis partibus, eam in materia de Auxiliis & Gratia Christi, mutasse sententiam, & ab antiquâ, quam in sua Censurâ Summo Pontifici Romam transmissâ quondam tenuit, retrocessisse: idque ob energiam argumentorum, quæ P. Lessius, tum viva vocis dictamine, tum edito libro in medium attulit. Volens huic sparso rumori obviare, & veritatem omni volenti scire manifestare, sub juramento congregata in Capitulo parvo S. Petri, die 30. mensis Julii, post Vesperas anni 1613. nullo Magistrorum ipsius contradicente, tota Facultas uniformiter declaravit & testata est, se semper tenuisse, & nunc de præsenti tenere; semper perstitisse, & nunc de præsenti persistere, in sua antiquâ sententia, quam in dicta Censura tenuit; & ibi declaravit, nec unquam ab illa sententia discessisse, nec in posterum Deo favente discessuram, donec per summum Pontificem aliud definiatur; aut à S. Romana Ecclesia, cujus censuræ & correctioni omnia in prædicta Censura contenta, & qualibet alia à se dicta, & in posterum dicenda humiliter subjicit, aliud tenere ei præcipiatur. Declaravit insuper tantùm abesse, ut argumentis P. Lessii ante dicti à sua sententia recesserit, ut ex adverso, quemadmodum olim ipsius dictata improbavit, ita nunc improbat ipsius edita scripta, in hac determinata materia. Permisitque prædicta Facultas, & voluit copiam hujus Acta omni volenti habere illam dari, & ad quascumque partes transmitti.

Quod attestor GERARDUS RIVIUS, *dictæ Facultatis Bedellus, & Notarius publicus.*

Eamdem Censuram rursùs secutis temporibus renovavit. Orto scilicet in Academia Tolosana dissidio inter ejusdem Theologos & Societatis Professores, de Censuris Lovanii ac Duaci latis adversùs Lessium & Hamelium, totius Academiæ nomine scripsit die 6. Augusti P. Antoninus Reginaldus Ord. Prædicatorum, ad facti veritatem inquirendam. His acceptis litteris, sequens Instrumentum instruxit primò Facultas Duacensis, Lovaniensi doctrinæ communione conjuncta, die 10. Julii anni 1648. quo quæsitis ante Lovanienses Theologos satisfecit.

Cùm ad aures Facultatis S. Theologiæ Universitatis Duacensis pervenerit sparsum esse Tolosæ & alibi, eam in materia de Auxiliis & Gratia Christi, mutasse sententiam; & ab antiqua, quam in sua Censura anni 1587. quondam tenuit, retrocessisse: insuper illam Censuram solùm ab aliquibus Professoribus malè affectis Societati, aliis obnitentibus, editam fuisse: nec non autores dictæ Censuræ coactos fuisse eam retractare, summumque Pontificem eam damnavisse: Volens huic sparso rumori obviare, & veritatem omni volenti scire, manifestare; congregata pariter in schola publica die 10. mensis Julii 1648. nullo Magistrorum ipsius contradicente, tota Facultas uniformiter declaravit & testata est,

hac

hac esse falsissima: & ultra, se semper tenuisse, & nunc de præsenti tenere; semper perstitisse, & nunc de præsenti persistere in sua antiqua sententia, quam in dicta Censurâ tenuit; & ibi declaravit, nec unquam ab illa sententia discessisse, nec in posterum, Deo favente, discessuram; nisi fortè per Summum Pontificem aliud definiatur, aut à S. Romana Ecclesia (cujus censuræ & correctioni omnia in prædictâ Censurâ contenta, & quælibet alia à se dicta, & in posterum dicenda similiter subjicit) aliud tenere ei præcipiatur. Permisit quoque prædicta Facultas ac voluit, copiam hujus Acta omni volenti habere illam dari, & ad quascumque partes transmitti.

De mandato D. Decani, & reliquorum Magistrorum Facultatis Theologicæ Universitatis Duacensis, dicta Facultatis Bedellus juratus ANTONIUS BIEULOT.

Lovanienses autem Theologi, datis ad Duacenses gratulatoriis Epistolis, avitam Censuræ doctrinam innovarunt, Jesuitarumque in falsis rumoribus disseminandis artes acriori stylo descripsere, in hunc modum.

Multùm nos exhilaravit evulgatum nuper, sub nomine vestro Manifestum, antiquo nostro Manifesto gemellum: quo adversus malignantium susurros Orbi Catholico notum fecistis, Facultatem vestram unanimi consensu, in veteri sua causa doctrina, quæ & nostra est, constanter persistere. Sed illud miramur atque etiam dolemus, quòd non simul advertistis, tam facilè potuisse æmulos, de nobis mentiri vobis, quàm in causa Censuræ vestræ, mentiti sunt Tolosatibus; aut in causa approbationis Astri inexstincti, mentiti sunt Germanis. Imitantur illi priscos suorum dogmatum patronos, quibus solemne fuit ad mendacia confugere, quoties id causa ipsorum exigeret. Non vos latet quomodo Pelagius hæresiarcha, Synodum Palæstinam circumvenerit, atque ab Antistitibus stropharum ejus ignaris absolutionem surripuerit. Nostis etiam quòd Cælestius Zozimum Papam primitùs deceperit, & acerrimas ab eo Litteras, contra accusatores suos ad Africanos Episcopos extorserit. Scitis & Cassianum, Semipelagianismi Architectum palàm docuisse, ac Litteris consignasse, mendacio utendum velut helleboro. Nec latet vos Faustum Semipelagianismi restauratorem, anathematismos suos, sub Arelatensis Synodi nomine divulgasse. Hæc & his similia docere vos non præsumimus, qui omnia accuratè ipsi nostis. Istorum itaque veteratorum hæredibus nulla fides in propria causâ adhibenda est. Dignum quippè est, ut quorum sequuntur sententiam, imitentur astutiam. In præsenti verò materia, si vel unum articulum eis concedatis, universa catena indivulsè subsequetur. Quia notum est, ut monet Prosper, ita se falsitatis illius habere versutias, ut si eis liceat prætensa correctionis imagine, aliquod sibi faventium radicis suæ germen excipere, totam se posse in exigua sui parte reparare. Hinc considerare nobiscum dignemini, quanto periculo exponatur Facultatis vestræ & nostræ Censura, si vel unum apicem Augustinianæ doctrinæ, Semipelagianorum asseclis dimittatis. Quod ne hypocritarum obtineatur insidiis, confidimus Domini protectione, ac vestra nobiscum sedula collaboratione præstandum. Ut quemadmodum olim propugnatores gratiæ, de ejusdem impugnatoribus triumpharunt, ita nunc illorum clientes de istorum sectatoribus triumphent. Quo voto finientes, omnem prosperitatem almo cœtui vestro apprecamur. Lovanii hac die 21. Decembris 1648.

Nec satis fuit Doctoribus Lovaniensibus sensa sua his Epistolis aperire; sed ut postulatis ab Academia Tolosana facerent satis, Censuras suas sequenti Instrumento, anno sequenti videlicet 1649. confirmarunt.

Nos sacræ Facultatis Lovaniensis Doctores, toti Orbi Christiano testatum facimus, nos sacras Scripturas, Concilia & SS. Patres eo sensu & modo recipere, ac interpretari, quo Sancta, Catholica & Romana recipit & interpretatur Ecclesia, quam veritatis Magistram esse agnoscimus.

Signanter verò Bullam Pii V. amplectimur & observamus. Inter Sanctos autem Patres, more majorum nostrorum, S. Augustinum præsertim, in materia gratiæ Dei & humanæ libertatis, contra Pelagianos, Dei præeunte lumine, & Ecclesiæ Romanæ ductu, exactè sequi, nec latum unguem à vestigiis ejus deflectere, unicè studemus.

Belgicarum quoque Universitatum Lovaniensis & Duacensis, à sexaginta jam circiter annis Censuras, adversus P. Leonardum Lessium, & P. Joannem Deckerium, aliosque Societatis S. Theologiæ Lovanii & Duaci Professores: denique quidquid postea Clemens VIII. & Paulus V. in celebri disputatione Romana, contra Ludovicum Molinam, & sectatores ejus censuerunt, exosculamur, & Dei gratiâ firmiter tenere conamur. Quicumque de nobis aliter publicant, pro mendacibus & calumniatoribus habemus, & si opus est, tales eos esse publicè judicio contradictorio sustinebimus.

Demum cum anno 1677. favente Rege Catholico, Deputatos suos, MM. Franciscum van Vianen, & Christianum Lupum Augustiniensem, adjuncto Martino Steyaert, Romam delegasset Academia Lovaniensis, ad

ad plurium laxioris Moralis dogmatum damnationem promovendam, rursùs fidem suam ac religionem in materia Gratiæ testandam judicavit. Quapropter sequens Instrumentum, elapso biennio, ad prædictos Deputatos direxit, illud Summo Pontifici exhibituros.

Notum sit omnibus has visuris, quòd Facultas Theologica Lovaniensis, sub juramento 19. Aprilis 1679. in Collegio Atrebatensi legitimè congregata, post maturam deliberationem, de unanimi Magistrorum Regentium consensu, declaraverit & declaret, doctrinam Majorum suorum, de Prædestinatione hominis lapsi, & Auxiliis ac Gratiâ Christi, in libello, cui titulus, Censura Facultatis sacræ Theologiæ Lovaniensis & Duacensis; *& altero juncto, cui titulus*: Justificatio seu Defensio Censuræ Facultatis S. Theologiæ Academiæ Lovaniensis, *contentam, illam ipsam esse, quam tenuit & hactenus tenet, quamque S. Sedi per Deputatos suos repræsentatam desiderat.*

Declarat insuper eadem Facultas, se præfatam doctrinam Apostolicæ Sedi, tanquam Ecclesiæ totius Magistræ, prout par est, suique Majores fecerunt, tota devotione submittere: profitens quòd quidquid desuper decernendum præscribendumque censuerit, ejus vocem non secus atque à B. Petri Cathedrâ profectam, obedienter reverenterque suscептura sit, & observatura. In quorum fidem hoc præsens instrumentum expediri, sigillo suo muniri, & Decani sui ac etiam Bedelli manu subscribi curavit. Datum Lovanii die, mense, anno, quibus supra.

Sed & ante paucos annos novam doctrinæ ac sententiæ suæ fidem dedit Academia Duacensis, suorumque æmulorum artes delusit, dum eam illi deludere molirentur. Prodierat non ita pridem liber Gallicè inscriptus: *Apologia historica geminæ Censuræ Lovaniensis & Duacensis*: qui nonnullis earum Academiarum ac Censurarum Osoribus ultra quàm dici potest stomacho fuit.

De autore igitur, uti violatæ charitatis ac pacis reo, expostularunt coram Academia Duacensi, quam sibi, ex quo tempore in Regis Christianissimi ditionem venit, paulò æquiorem futuram ominabantur. Damnationem, occulto illorum nomine, urgebat Henricus de Cerf, eo potissimùm nomine, quòd contra Concilii Tridentini statuta librum vulgasset absque ulla Doctorum ac Theologorum approbatione; tametsi eò collimarent omnia, ut si quod in librum ipsum iis de causis judicium ferret Academia Duacensis, hoc in Censuras ipsas, quarum complectebatur Apologiam, pronunciatum dicerent, ac instar publicæ palinodiæ venditarent. Sed ita judicium temperarunt suum; ita Concilii Tridentini legibus consultum voluere, ut Belgicas Censuras nedum in tuto ponerent, sed novâ etiam confirmatione roborarent. Quo nuncio excepto, ceciderunt animo fervidi Actores, qui pristina vulnera novo judicio refricari cernerent.

Lateret etiam nunc Academiæ Decretum in secretioribus Tabulis, publicis nunquam typis, opinor, edendum, nisi aliorum cura prodiisset in scripto cui titulus: *Memoires importans* &c. latinè *Magni momenti Commentarii* &c.

Cum in manus Facultatis Theologicæ Universitatis Duacensis pervenerit liber, cui titulus: Apologie historique des deux Censures de Louvain & de Douay; *Coloniæ, ut præfertur, sine ullo approbationis indicio, contra dispositionem sacrosancti Concilii Tridentini sess. 4. typis editus: Congregata tota Facultas omnibus declaravit, & hoc suo scripto testatum voluit, supradictam Apologiam à se non probari, sed plura in illa improbari: quippè quæ non solùm Christianam charitatem lædat, sed & hinc periculum sit, ne graves animorum dissentiones, à centum annis in hac Universitate exortæ, & per Edictum Illustrissimi Nuntii Apostolici Octavii, Episcopi Calatini, feliciter sopitæ suscitentur. Cujus Edicti autoritate deinceps effectum est, ut Facultati Theologicæ, & Patribus Societatis Jesu hic Theologiam profitentibus, in materia de Auxiliis & Scientia Dei, sua utrimque manserit sentiendi & docendi libertas, ut loquitur Calatinus in secundo Edicto, in unitate fidei & vinculo pacis. Declaravit insuper eadem Facultas, quòd sicut antecessores suos secuta, à damnatis erroribus Baii & Jansenii immunis hactenus fuit; ita Majorum suorum vestigiis insistens, perseveret in antiqua de Scientia Dei, de Prædestinatione, & efficacia Gratiæ, doctrina, quæ in libro, cui titulus est*, Censura Duacensis (*à S. Sede Apostolica nunquam proscripta aut improbata) continetur. Cumque S. D. N. Innocentius XI. die 2. Martii 1679. in virtute sanctæ obedientiæ omnibus præceperit, cavere ab omni Censura & nota, necnon à quibuscumque conviciis contra eas propositiones, quæ adhuc inter Catholicos hinc inde controvertuntur; donec à S. Sede super iisdem propositionibus judicium proferatur; sperat eadem Facultas futurum, ut pacem illam firmam & integram servent hujus Universitatis Theologi. De mandato Decani & Magistrorum Facultatis S. Theologiæ Universitatis Duacensis.*

censis, Ego FRANCISCUS SARAZIN *ejusdem Sacræ Facultatis Bedellus juratus & Notarius Apostolicus subscripsi die 21. Januarii 1690.*

FRANCISCUS SARAZIN *S. Fac. Theol. Bedellus & Not. Apost.*

Ex illis instrumentis, è Lovaniensis & Duacensis Academiarum Commentariis summa fide petitis, æqui rerum æstimatores intelligent, non Baii dumtaxat ætate, sed omnibus subinde temporibus (ut nihil hìc de superioribus dicam) eam fuisse ac etiamnum esse Belgicarum Academiarum doctrinam, quæ late in Lessium Censurâ consignatur, ineptumque prorsùs convitium esse, quod hac in causa de Baianæ factionis artibus nullo fundamento vulgatum est.

CAPUT OCTAVUM.

Censurarum Belgicarum Auctoritas asserta & commendata.

QUæ hactenus de Belgicis Censuris ac de illarum præsertim renovationibus superiori capite diximus, earum asserendæ autoritati satis superque sufficerent, nisi cum iis rem haberemus, quos non tam rationibus adducere, quàm obruere necessum est. Felices satis, si vel obruti veritati cedant!

Certè dum Censuras suas annis 1613. 1648. 1649. 1679. 1690. Lovanienses ac Duacenses solemnibus instrumentis renovarunt, res toti Reipublicæ Christianæ innotuit; seu solemnis esset illa per se, seu illam clamoribus ac querelis eorum hostes ubique buccinarent. Ut quid igitur Censuras, jam prædamnatas Sedis Apostolicæ judicio, impunè renovari sinit Ecclesia? Quid causæ hujus implacabiles & indefessi Actores sacrilegum ac temerarium ausum Apostolicæ Sedi non detulerunt, ut comprimerentur proscriptarum Censurarum renovatores? Aut certè si detulerunt, cur nihil obtinuerunt? Et quidem non alia ratione annis 1648. & 1649. renovatæ ac denuò firmatæ Censuræ sunt, quàm quòd Jesuitæ Tolosâni publicè jactitassent, illarum Auctores palinodiam decantasse, & à Romano Pontifice damnatos fuisse. Postulabat itaque Pontificiæ majestati debita reverentia, nec non Societatis, quæ hac in re calumniæ postulabatur, honos; ut ab Apostolica Sede dignâ animadversione plecterentur Academiæ, si conculcatâ spretâque Pontificiâ damnatione Censuras suas sic perfractè, sic obstinatè, sic protervè renovassent ac confirmassent.

Verùm accedunt alia benè multa, quæ earumdem Censurarum confirmationis loco sunt habenda.

Cùm primùm illæ juris publici factæ sunt, à majori inferioris Germaniæ Episcoporum parte comprobatæ fuere; ac, nisi totius causæ cognitionem ad se vocasset Romanus Pontifex, Concilii nationalis judicio fuisset Semipelagiana proscripta fuisset Societatis doctrina. Id Societatis ipsius testimonio comprobavimus Cap. 3. Tot verò Episcoporum judicia instar luculentissimæ approbationis haberi, religio vult, quâ docemur, Episcopos à Spiritu Sancto positos, ad Ecclesiam Dei puræ ac sanctæ doctrinæ pabulo nutriendam, ac pro Ministerii parte regendam. Ac licet causam sibi Sixtus V. adsciverit, rebus in suspenso positis; quandiu tamen definitiva sententia exspectatur, summi momenti semper est primæ sententiæ præjudicium.

Facit etiam plurimùm diversa Leonardi Lessii & Autorum Censurarum, apud Romanos Pontifices fortuna. Prior quidem proscriptæ doctrinæ patronus, re ad Sixtum V. delatâ, acrem sustinuit suæ temeritatis reprehensionem, uti Capite 4. monuimus. Henricus Gravius è contra Censuræ Lovaniensis Autor, ab eodem summo Pontifice ob exquisitam eruditionem adscitus, à Gregorio XIV. ejus Successore honorificè in aulam exceptus, ac Bibliothecæ Vaticanæ & Apostolicæ Typographiæ Præfectus est institutus: Eminentissimis Cardinalibus, ac præsertim Sancto Carolo Borromæo, & Cæsari Baronio, ob egregia merita charissimus fuit; ac paulò post præmaturâ morte ereptus, illud obtinuit Epitaphium, quod ejus Tumulo mœrens apposuit Cardinalis Baronius, in ejus pietatis ac doctrinæ perenne monumentum.

D. O. M.

Henrico Gravio eximia probitatis spectataque eruditionis Viro Quem, post quatuor lustrorum in florentissima Lovaniensi Academia S. Theologiæ publicam professionem, Sixtus V. Pontifex Maximus, insignis eruditionis ergo, Romam evocavit: Gregorius XIV. in Pontificiam Aulam excepit: sed amplioribus dignum honoribus Christus in Cœlum evexit, die 11. Aprilis anno 1591. ætatis suæ LV.

Nec minùs probata Romæ fuit Guillelmi Estii, Censuræ Duacensis Autoris, eruditio, in eo ipso de quo nunc agimus argumento. Sententiam enim de controversis divinæ Gratiæ quæstionibus rogatus est sæpiùs ab Illustrissimo Archiepiscopo Armachano, quo tempore sub Clemente VIII. Romanis Congregationibus ade-

aderat, Censorum primus & Consultorum. Quod ex mutuis Epistolis, suo infra ordine referendis, compertum est. Interim dicant Censurarum Osores, qua forte tanti est habita Estii de Divinâ Gratiâ doctrina, ut consuli propterea à Romanis judicibus mereretur, si jam fuerat illa damnata, eoque ipso Anathemate percussa, quo Censuram Duacensem petitam comminiscuntur?

Accedit in Belgicarum Censurarum commendationem, quod in Lovaniensis Academiæ Tabulariis legimus, ad annum 1593 mense Junio. Tunc quippè operam omnem Societas posuit, ut latarum ab annis circiter quinque Censurarum damnationem extorqueret. Consilii conscia Lovaniensis Academia Eminentissimos Cardinales Madrucium, & S. Severinæ, Congregationis S. Officii Decanum, datis Epistolis convenit: à quibus officioso responso donata est; Jesuitis verò turpem repulsam passis, nihil pro voto concessum. Unde ergo tot strophæ, tot illi circuitus, ad Censurarum damnationem urgendam, si jam erant illæ proscriptæ? Quo auspice, tot inter adversantium machinas judicium evaserunt; nisi sanam orthodoxamque doctrinam complecterentur? Non ea fuit Lessianæ doctrinæ fortuna; quæ in Molinæ Concordia renascens, & ad tribunal Romani Pontificis delata, & in septuplici causæ cognitione discussa, toties à selectis judicibus uti Semipelagiana notata, traducta, inusta est; tametsi, certis rationibus intercedentibus, latæ sententiæ judiciique instructi promulgatio suspensa sit, & in opportunum tempus dilata.

Verùm nusquam meliùs, quàm in Congregationibus de Auxiliis commendatam legimus Censuram Lovaniensem: ubi tanquam novis, reprobatis, periculosis, turpibusque opinionibus dignè adhibita commendatur. Rei fidem facit P. Gregorius Nunnius Coronellus, Congregationum Secretarius, in ea ipsa præcedentium Actorum Narratione, quam coram Paulo V. totius Congregationis nomine habuit, dum de resumendis Congregationibus actum est. *Die 14. Sept. 1605.* *Cum Doctores*, inquit, *Facultatis Lovaniensis verbatim excerptas triginta & eo amplius propositiones, à Professoribus Societatis in suis prælectionibus traditas in eadem Civitate Lovaniensi, diligenter considerassent, illas peregrinas & periculosas judicantes, habito hac de re maturo consilio, ne quid leviter & temerè credidisse viderentur, quosdam ex suis ad Professores Societatis miserunt, ut cum illis conferrent, & an prædictas propositiones pro suis vellent agnoscere, intelligerent. Cùm autem prædicti Professores, illis inspectis in sententia sua persisterent, Doctores Facultatis graviter commoti sunt, quod sibi cernere viderentur præcipuum illud de Gratia Christi & Divina prædestinatione argumentum, novis, immò jam diu reprobatis rejectisque periculosis opinionibus corrumpi & turpiter infici. Unde ad illas dignam adhibuerunt Censuram.*

Eodem illam elogio celebrat Cardinalis Baronius, in exquisito Codice propriâ ipsius manu scripto, in Cardinalis Riccii Bibliothecâ asservato, cum hac prænotatione: *Hæc quæ sequuntur, sunt reperta, excerpta & scripta ab ipsomet Cardinali Baronio. Unde colligitur quid ipse potuerit sentire de sententia Ludovici Molinæ circa Prædestinationem & Gratiam.* In hoc scilicet agit Eminentissimus Annalium Ecclesiasticorum Parens de commendatione doctrinæ Augustinianæ in Ecclesia, quam illam ipsam esse ait, quæ à FF. Prædicatoribus propugnatur, erroribus Fausti opposita: de necessitate & contingentia, de occasione controversiæ de Auxiliis, de Molinæ propositionibus, quas magno criterio expendit, & cum Semipelagianorum erroribus componit. In eo porrò Capitulo, ubi de controversiæ origine disserit, ita scribit: *Universitas Lovaniensis Censuram edidit gravem. Respondentibus Jesuitis, Universitas Apologiam luculentissimam condidit, replicantibus Jesuitis.*

Sed & celeberrimæ Academiæ Tolosanæ autoritas nullius ponderis esse non potest. At hæc Censurarum Belgicarum tanta fide ac pietate patrocinium suscepit, quanto eas ardore insectati sunt Jesuitæ anno 1647. quo Tolosæ ea de re dissidium ortum est. Id ex ejus ad Lovaniensem Academiam Epistola colligere licet. *In Academia nostra*, inquit, *est controversia inter Professores Theologiæ, & Lectores Jesuitarum, de gestis Lovanii & Duaci annis 1586. & sequentibus, circa Censuram à vestra Academia latam, adversùs propositiones Lessii & Hamelii. Jesuitæ enim dicunt Censuram illam non à tota Facultate Theologiæ, sed à privatis quibusdam Doctoribus sibi infensis, & propter Michaelis Baii condemnationem odio percitis, emanasse: atque illam ipsam nedum Decreto Nuntii Apostolici, verùm etiam Diplomate Pontificio fuisse rescissam. E contra verò sacræ Theologiæ Professores asserunt, rem multò aliter se habuisse.*

Iis robur addit, & quidem maximum, Alexandri VII. suffragium. Dum lata contra quinque famosas Propositiones

Summorum Pontificum judicia promulgari cœperunt, nihil ita Societati cordi fuit, quàm Belgicarum Censurarum doctrinam hoc telo petitam conclamare. Hac de causa ad Alexandrum VII. scripsere Lovanienses die 20. Martii 1660. Eam se de Gratia & Prædestinatione doctrinam profiteri, quam à Majoribus acceperant, quamque ipsi, editis contra Lessium & Hamelium Censuris, ad Sixtum V. transmiserant. Addiderunt, se quoque paratos esse, illam secundò Romam transmittere Sanctitatis Suæ judicium excepturos. *Ut magis*, inquiebant, *sinceritas nostra pateat, doctrinam de Gratia & Prædestinatione quam tradimus, & à Majoribus accepimus, quam & illi olim ad Sixtum V. Prædecessorem Vestræ Sanctitatis transmiserunt, Vestræ quoque Sanctitati, si ita visum fuerit, illicò transmittere, ejusdemque subsecuturo judicio per omnia nos conformare, promtissimis animis pollicemur.* Quid porrò respondit Pontifex? Transmissam illam ad Sixtum V. doctrinam, ab illo ipso proscriptam esse, nec ultrà propugnandam? Aut certè eam datis nuper ab Innocentio X. & à se ipso Constitutionibus prædamnatam esse; nec ideò ulteriùs asserendam? Ita profectò responsurus erat, si vera foret Societatis in Lovanienses & Duacenses criminatio. At nihil minùs: quin potiùs assertam in ipsorum Epistolis doctrinam Responso suo commendavit; eosque ut in illa perseverent, est adhortatus. Sic quippè in Brevi sub die 7. Augusti. *Non dubitamus quin vos pro singulari scientiæ pietatisque studio, sanam & incorruptam, qualem tot Apostolicæ Sedis declarationes & Sanctorum Patrum traditiones requirunt, doctrinam semper amplexuri, & adversùs Orthodoxæ Religionis hostes defensuri sitis: Necnon præclarissimorum Ecclesiæ Catholicæ Doctorum Augustini & Thomæ Aquinatis inconcussa tutissimaque dogmata sequi semper, ut asseritis, ac impensè revereri velitis. Quorum profectò Sanctissimorum Virorum penes Catholicos Universos ingentia & omnem laudem supergressa nomina novi præconii commendatione non egent.* Quæ usque adeò Lovaniensis Academiæ invidis stomacho fuere, ut nonnulli, in furorem ac rabiem velut acti, in impias istas voces eruperint, *laudatum Breve per diabolicam machinam fuisse impetratum:* alii Pontificem *nunquam Breve illud privatum vidisse*, interposito etiam juramento contestari non erubuerint. Quos dignè pro suis meritis retundunt Christianus Lupus in Epistola Apologetica de Attrit. & Contr. cap. 5. Vincentius Baronius in Opusculis part. 4. lib. 2. Sect. 2. art. 5. paragr. 1. Gabriel à S. Vincentio lib. De remed. ignor. disp. 14. dub. 9. num. 149. Henricus de Noris in Vindiciis Augustin. cap. 6. Raymundus Capisuccus in Appendice, Antoninus Massoulié tom. 2. dissert. 4. quæst. 3. art. 1. qui etiam Cardinalis Nerlii, Alexandri VII. Secretarii, à quo Breve jubente Pontifice, fuerat editum, fidem appellant. *Quod quidem diploma* (ait inter prælaudatos Cardinalis Capisuccus) *ab eodem Alexandro perlectum, observatum, commendatum & probatum fuit, cum sibi annulo Piscatoris signandum exhiberetur à Francisco Nerlio, Brevium ad Principes tunc Secretario, postmodum S. R. E. Cardinali, ut idem Cardinalis Nerlius mihi testatus est.*

Luculentissimum quoque Censuris Belgicis testimonium perhibuere viri omnium gentium eruditissimi, qui vel eas data operâ propugnarunt, vel eas ut insigne Augustinianæ doctrinæ monumentum laudavere. Earum in primis Autoritatem, in disputationibus coram Clemente VIII. plaudente ac probante sacro consessu laudavit, ac totius Ordinis Prædicatorum nomine defendit Thomas de Lemos die 5. Maii anno 1603. & 22. Martii 1604. & Bastidam earum vim effugere tentantem, duriùs exagitavit. Ac demum in editis Operibus de Divina Gratia easdem impensè commendavit tom. 1. part. 1. tract. 6. pag. 126. & part. 2. tract. 3. pag. 102. rursùs tract. 5. pag. 287. & 288. Clarissimus Franciscus Pegna, Rotæ Romanæ Decanus, illas cum cæteris Censuris Hispanicis petenti Paulo V. obtulit die 5. Octobris 1605. easque veluti purioris doctrinæ monumentum dato libello supplici commendavit. Easdem passim in scriptis suis de Divina Gratia probavit Didacus Alvares Archiepiscopus Tranensis, ac ea in Epistola, qua anno 1631. earum authenticum transumtum sibi ab Academia Lovaniensi transmitti rogavit. Non absimili modo doctissimus Guilielmus Gibieuf Doctor Sorbonicus & Oratorii in Gallia Presbyter illarum defensionem nervosè suscepit, in erudito Opere De Libertate Dei & Creaturæ, quòd hortante Eminentissimo Cardinale Berullio edidit, & Urbano VIII. nuncupavit. Ac licet multis artibus in Curia Romana tentarint adversæ doctrinæ Vindices, ut tam eruditi operis damnationem extorquerent, illæsum tamen evasit. His addere licet Abrahamum Bzovium ad annum 1587. Vincentium Baron. Theologiæ Moralis parte 1. disp. 1. sect. 3. §. 4. Car-

Carmelitas Salmanticenses, Joannem à S. Thoma, Joannem Baptistam Gonet, Vincentium Contensonium, Carolum ab Assumtione Thomistici Triumphi Autorem, Franciscum Macedo, Lud. Thomassinum, Antoninum Massolicum, aliosque benè plurimos Theologos, quorum in Ecclesia venerandum nomen est, & scripta ritè probata: qui Censuras illas, uti Augustinianæ de Divina Gratia doctrinæ speculum commendarunt.

At quid in congerendis commendationibus immorari necessum est? Si fuerunt Belgicæ Censuræ damnatæ, eas nobis in librorum prohibitorum indicibus notatas ostendant, & ultrò gradum referemus. Prodiit primùm Sixti V. Diploma Pontificium, quo librorum prohibitorum index accuratissimus continetur, anno 1590. Rursùs Urbanus VIII. plurima de Divina Gratiâ prohibuit opuscula anno 1643. Longè plura hoc de argumento Innocentii X. Decreto prohibita sunt die 23. Aprilis 1654. Alia ab Alexandro VII. die 6. Septembris 1657. notata fuere. Rursùs sub Clemente X. anno 1670. prodiit librorum prohibitorum Romanus Index: ac demum sub Innocentio XI. 1683. Mirum quantâ diligentiâ in omnes de Divina Gratia lucubrationes Romani Judices inquisiere! adeò ut aliquas vel eo solùm nomine prohibitas videas, quòd suspectæ forent sopitasque controversias refricarent. Verùm Belgicas Censuras nusquam notatas videas; tametsi Romanis Censoribus essent illæ notæ per sese, iteratisque renovationibus notiores, ac (si hoc ultimum addere liceat) æmulorum perpetuis querelis, strophis, criminationibus longè notissimæ.

Demùm non modò damnatas non esse latas in Lessium & Hamelium Censuras Belgicas, sed nec æquo jure damnari potuisse, colligitur ex earum cum Hispanicis in Molinam adornatis collatione. Etenim ubi primùm Belgica controversia Ludovici Molinæ novitatibus in Hispania recruduit, Censuram Belgicis planè germanam, ne dicam duriorem, edidere Fratres Prædicatores (de qua suo loco dicemus.) Hæc porrò in primo examine Congregationum *De Auxiliis* solemniter probata est, anno 1598. & 1599. & Molinæ doctrina proscripta. Pariter Universitates & Episcopi Hispaniarum, à Cardinale de Quiroga Inquisitore generali sententiam rogati, Censuras Belgicis nihilo mitiores dedere; quas Romani Judices à Clemente VIII. præpositi, suo calculo comprobarunt, uti loco suo ex Actis demonstrabimus. Non sinit autem Romani Judicii æquitas, ut Lovanienses ac Duacenses Censuras damnari potuisse putemus; iis è contra probatis atque firmatis, quarum una est eademque doctrina.

Facessant itaque putidissimarum fabularum venditores: idque eos in vulgus spargere pudeat, quod nedum celeberrimarum Academiarum famæ, sed & Romanorum Pontificum æquitati, palàm apertéque injurium est.

CAPUT NONUM.

Censurarum Belgicarum Orthodoxia, Romæ sub Innocentio XI. secundùm Curiæ morem approbata; hoc est, Censorum judicio commissa, illæsa prodiit.

FAcit plerumque adversariorum pertinacia, ut quæ per sese in occulto lateret veritas, eadem publicam in lucem clariùs prodeat & apertiùs. Quia quò plus huic oppugnandæ studium adhibent, eidem probandæ & asserendæ magis adnitimur. Id Censurarum Belgicarum occasione gestum animadvertimus. Perpetuis namque Societatis criminationibus appetita Lovaniensis Academia, ad Apostolicam Sedem justæ defensionis necessitate confugit: selectos Theologos Franciscum van Vianen & Christianum Lupum, adjuncto Martino Steyaert, anno 1677. Romam delegavit, ut Innocentii XI. judicium de Belgicis Censuris rogarent, pluriumque laxioris Moralis propositionum damnationem urgerent.

A Moralibus exordium duci voluit Sanctissimus Pontifex: quibus tandem solemni Decreto proscriptis atque damnatis, ad Censurarum examen studium converterunt dignissimi Deputati. Eas Sanctitati suæ unà cum recentioris renovationis instrumento tradidere anno 1679. enixè rogantes, ut de iis ad malevolorum calumnias propulsandas, sententiam diceret. Hæc una fuit Doctissimorum Deputatorum expostulatio. Quod enim supponit audacissimus ac mendacissimus Societatis Apologista, postulasse illos, ut Sixti V. Decretum contra Censuras latum rescinderetur, aperta calumnia est. Cùm nullum in eas à Sixto V. latum Decretum semper contenderint Lovanienses, nullúmque reipsa unquam exstiterit, cujus rescissionem postulare necessum esset. *Apolog. pro novis Christ. pag. 336. Edit. 1.*

Exceptis à Deputatorum manu Censuris Belgicis, Pontifex Maximus negotium Congregationi S. Officii remisit. Quæ statim

ſtatim illas examinandas dedit ſelectis Theologis, Raymundo Capiſucco S. Palatii Apoſtolici Magiſtro, Dominico Mariæ Puteobonello Romanæ & Univerſalis Inquiſitionis Commiſſario, Nicolao Mirabella, & Laurentio de Laurea: è quibus primus & ultimus ad purpuram non multo poſt, pro maximis in Eccleſiam meritis, aſſumpti fuere.

Poſt accuratum trium & ampliùs menſium examen, judicium S. Congregationi retulerunt; Cenſuras orthodoxas, ſanas, nulli damnationi obnoxias, inoffenſo pede percurri poſſe pronuntiarunt. Ac tandem die 9. Junii, Illuſtriſſimus D. Piazza Aſſeſſor S. Officii, nomine Eminentiſſimorum Cardinalium Inquiſitorum Generalium, Lovanienſibus Deputatis ſignificavit, poſſe illas tutò legi, doceri, typiſque mandari: tametſi, repugnantibus ſacræ Congregationis moribus, nullum lati judicii authenticum documentum, iis rogantibus licet & inſtantibus conſignaverit.

Adverſarii, quibus nihil unquam fateri religio eſt, quod Societati minus accommodum ſit, quantalibet facti evidentiâ conſtet, examinatas ea occaſione Cenſuras Belgicas fatentur, at probatas inficiantur.

Verùm etſi nulla nobis ſuppeterent teſtimonia, quibus rem ita geſtam, probataſque eâ occaſione Cenſuras probare poſſemus, id nobis ſufficeret unum, quòd fuerint Romano Pontifici delatæ, quòd rigoroſo trium & ampliùs menſium examine à Curiæ Judicibus diſcuſſæ ſint, nec tamen edito Decreto proſcriptæ atque damnatæ. Quotquot enim Romanæ Curiæ, ac præſertim Generalis Inquiſitionis praxim vel leviter norunt, certò ſciunt, non aliter ab eis ſententias, propoſitiones, aut libros approbari: ſic ut cenſeatur approbatus liber, dum judicio delatus eſt, & agnitâ causâ lectus, diſcuſſus, prodit illæſus, nullo Decreto Cenſurâve proſcriptus. Approbationis authenticum in ſcriptis documentum nuſquam conceditur; ut hominum ex omni re accuſandi & calumniandi materiam arripientium, artes effugiant; licet è contra ſententia damnationis non niſi publico Decreto pronuntietur. Jeſuitarum igitur eſt Romanæ Inquiſitionis Decretum ea occaſione datum proferre, quo fuerint Cenſuræ proſcriptæ, ſiquidem eas examinatas fatentur: quod quia certè non poſſunt, illas Romanæ Curiæ ſtilo probatas eſſe, cenſendum eſt.

Sed nec aperta ſcriptoque conſignata deſunt inſtrumenta, quibus probatas ea occaſione Cenſuras Belgicas demonſtremus: non quidem Romani Pontificis aut S. Congregationis Decreta, quæ nulla pro Librorum Approbatione conceduntur; ſed Virorum fide digniſſimorum teſtimonia, quibus illas poſt maturum examen intactas evaſiſſe, & ita à S. Officii Aſſeſſore Deputatis Lovanienſibus ſignificatum fuiſſe conficitur.

Id in primis oſtenditur ex Epiſtola duorum Deputatorum Chriſtiani Lupi & Franciſci van Vianen, ad D. Scaille S. Facultatis Lovanienſis tunc Decanum, datâ Romæ die 10. Junii 1679. ubi ita narratur geſtorum ſeries.

Dum venimus ad almam Urbem, ſuæ Sanctitati mox propoſuimus quæſtiones & articulos duplicis generis, Morales & Dogmaticos, tangentes divinæ gratiæ auxilia ac Decreta, adverſum quos adverſarii noſtri declamabant varia, & nos variè accuſabant. Verùm primates ſuæ Sanctitatis Miniſtri iſtos diſparatos articulos noluerunt accumulari: voluerunt exordium duci à Moralibus. Et ita fecimus: & circa morales articulos laboravimus per integrum ferè biennium: & tandem impetravimus Decretum condemnatorium ſexaginta quinque articulorum. Communi omnium Qualificatorum, ac etiam DD. Cardinalium ſuffragio, damnati ſunt inſuper alii triginta tres. Decretum prodibit dum placuerit Sanctiſſimo Domino. His expletis perreximus ad ſecundam ſpeciem. Suæ Sanctitati in manus proprias dedimus Lovanienſis ac Duacenſis Sacræ Facultatis Cenſuras, necnon Lovanienſis Cenſuram Juſtificationem; ſcripto Libello ſupplicantes, iſtorum omnium Apoſtolicum examen & approbationem. Addidimus iſtis Libellis compendiosè contineri doctrinam, quam Majores noſtri à tempore Eugenii IV. Pontificis, qui Theologicam Facultatem erexit Lovanii, docuerunt. Et ſua Sanctitas libellos tranſmiſit ad examen S. Officii. DD. Cardinales examen delegarunt quatuor Theologis, nempè Magiſtro ſacri Palatii, Commiſſario S. Officii, R. P. Laurentio Laurea Ordinis Conventualium, & R. P. Nicolao Mirabella Theatino. Hi elapſâ ſeptimanâ ſuum judicium retulerunt ſacræ Congregationi. Cenſuerunt libellos eſſe ſanæ doctrinæ, nulli Cenſuræ obnoxios, poſſe tutò doceri & legi, adeòque & imprimi. At tamen ſuper his nullum volunt confici inſtrumentum, aut dare teſtimonium. Ita hodie in Apoſtolico Palatio nobis dixit Illuſtriſſimus D. Aſſeſſor S. Officii: cui ad colloquii finem adjunxi: Illuſtriſſime Domine, Libellus noſter dicere poterit: Igne me examinaſti, & non eſt inventa in me iniquitas.

tas. *Et ille reposuit*: Si esset iniquitas, non transiret. . . . . . . Infra scriptum erat

F. Christianus Lupus.

Idem testor Franciscus van Vianen.

Quanta sit huic Relationi præstanda fides, duobus ex capitibus colligere licet. 1. Quòd Virorum publicæ autoritatis nomine prodeat: quippè erant illi ab universa Lovaniensi Academia, patrocinante Rege Catholico, deputati. 2. Quòd in Romana Curiâ publicè versarentur, dum hæc scripto retulerunt: quos propterea ut violatæ publicæ fidei reos traduxissent Inquisitionis Romanæ Judices, ac præsertim Illustrissimus D. Assessor, si eis fictitium ac planè contrarium de Censuris Belgicis judicium affinxissent. Cùm potissimùm Relatio hæc ubique à Lovaniensibus proderetur, nec Romanos Judices fugeret.

Rursus probatas ea occasione fuisse Censuras, ostenditur ex Brevi Apostolico Innocentii XI. ad Lovaniensem Academiam dato die 17. Junii 1679. Sed quia Breve istud est Apostolicum rescriptum ad Literas quas Sacra Lovaniensis Facultas ad suam Sanctitatem die Maii undecima ejusdem anni dederat, operæ-pretium est has Responso ipsi præmittere, cui nempè lucis non parum sunt allaturæ. Has igitur repræsentamus ex ipsis Sacræ Facultatis Actis descriptas.

Sanctissime Pater.

Exultavimus & præ gaudio quasi reviximus ad conspectum Oraculi Vestri, quo 65. propositiones è scholis Theologicis proscripsit ac eliminavit. Erupimus in gratiarum actiones, primò ad misericordissimum Deum, qui Spiritu Sancto suo Sanctitati vestræ animum & robur indidit; nunc totis eas præcordiis effundimus ad pedes Sanctitatis vestræ, quæ tot adire labores non detrectarit, ad aperiendam toti Ecclesiæ veritatem & viam pacis, pacis autem tam diu exoptatæ. Neque hic stetit insatiabilis amor pacis quo Sanctitatem vestram apprimè flagrare tum Deputatorum nostrorum scripto, tum reipsa comperimus. Nam ut hæc plenius stabiliatur, etiam Facultatis nostræ doctrinam de Gratia, comprehensam libello à Majoribus nostris scripto, suscepit examinique subjiciendam curavit. Summi porrò momenti semper existimavimus in ordine ad fidem & mores in Ecclesia pro virili anniti ad assequendam & tuendam doctrinam Divi Augustini de Gratia. O! quàm impares sunt qualescumque gratiarum actiones nostræ ad tam ingentia beneficia! Solus Deus digna merces vigilantiæ tantæ. Speramus hac via redivivam pacem inter Theologos harum regionum, quin & Ecclesiæ universæ. Ut felicius oriatur duo è Deputatis nostris, aut saltem eorum alter in Urbe permansurus est, qui sive in hac materia, sive in aliis quæ ad elucidandam veritatem aut conciliandam pacem spectare possunt, Sanctitatis vestræ mandata excipiat, nobisque renuntiet, quibus nil cariùs quàm amantissimi Patris, summique Pastoris nutus omnes observare. Ideòque tamquam sinceri obedientiæ filii, ad pedum oscula prostrati, qua par est humilitate Paternam Benedictionem petimus, apprecantes ut ille, à quo omnis paternitas nominatur, Sanctitatem vestram annis & meritis repleat sospitetque, in quo voto nunquam finiendo permanemus

Sanctissime Pater,

Sanctitatis Vestræ,

Humillimi & obedientissimi Filii

11. Maii 1679. Decanus & Facultas *Theologica Lovaniensis.*

Quàm gratæ acciderint optimo Pontifici Lovaniensium Theologorum Litteræ, ipsum testatur Responsum, quod non diu post secutum est, 17. Junii, ut jam observatum est, die, qui septimus erat à Censurarum examine datoque de iis judicio. En ipsum Breve.

INNOCENTIUS PP. XI.

Dilecti Filii, *Salutem & Apostolicam Benedictionem. Excepimus perlibenter devotas animi grati significationes, ob ea quæ nuper ad sanam doctrinam tuendam, & pacem Ecclesiæ stabiliendam, pro Pastoralis nostri officii debito decrevimus. Vehementer vos hortamur, ut in eumdem scopum, ad quod sponte vestrâ paratos esse, & datis ad nos Litteris professi fuistis, & nos nunquam dubitavimus, zelum ac studia vestra dirigere velitis, sicuti veteri illius insignis Universitatis pietate institutoque dignum est. Deputatis interim vestris benevolas, sicut huc usque fecimus, aures animumque præbebimus, in omnibus quæ ad vos rerumque vestrarum rationes pertinere intellexerimus. Vobisque, Dilecti filii, Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud S. Petrum, sub Annulo Piscatoris die 17. Junii 1679. Pontificatus nostri anno tertio.*

Quamquam porrò aliam ob causam Breve illud dederit Summus Pontifex; si tamen superiori hebdomadâ Censuræ proscriptæ fuissent, tantùm abest ut Doctoribus Lovaniensibus scripturus fuisset, nusquam se de Academiæ zelo, ejusque ad sanam

nam doctrinam tuendam affectu paratissimo dubitasse; quin potiùs obstupere se vehementiùs significasset, quod iniqua erroneaque dogmata, hoc in libello compperisset, quo omnem de Divina Gratia sententiam doctrinamque suam contineri declaraverant, non modò per suos Deputatos, sed etiam per se ipsi, tam in Litteris diu ante ad S. S. scriptis, quàm in his ipsis ad quas tunc respondebat Summus Pontifex. Tantùm abest ut pietatem institutumque Majorum ipsorum, ad exemplum proposuisset; quin potiùs ad eorum prava periculosaque fugienda dogmata fuisset adhortatus. Tantum abest, ut eorum Deputatis benevolas aures semper se præbuisse, ac se deinceps præbiturum dixisset; immò verò eos seu maleferiatos traduxisset, qui Sedem Apostolicam, ad proscriptæ jam dudum doctrinæ approbationem extorquendam, dolo circumvenissent.

Hoc idem maximè confirmant, quæ post acceptam Deputatorum narrationem Lovanienses Theologi præstiterunt. Triumphum scilicet de approbatis Romæ Censuris palàm ac publicè cecinerunt. Ad Eminentissimum Cardinalem Cibo Congregationis S. Officii Decanum, atque ad integram Congregationem, ovantes scripsere, ut de impensis sibi beneficiis, approbatisque Censuris, gratias agerent. Næ verò Theologos illos dementes, si res aliter cessisset, Censuræque proscriptæ, non approbatæ fuissent! Aut certè, qui rem totam tractaverant, promoverant, judicaverant Cardinales Eminentissimi, an non eos, veluti de fictitiâ victoriâ ac fanaticâ Censurarum approbatione stultè delirantes, suis responsis retudissent, remque totam aliter accidisse significassent? Id sanè Congregationis, cui contrarium judicium affinxissent, postulasset honos: id Christiana charitas, & promovendæ veritatis studium exegisset; ne sub fictitiâ Censurarum approbatione expressus in eis error serperet ambitiosiùs. At quâ veritate suis Epistolis triumphum egere Theologi Lovanienses, eâdem triumphis accinere Eminentissimi Cardinales. Id totum mutuarum Epistolarum collatione constat, quas propterea subjungimus.

Epistola Academiæ Lovaniensis, ad Eminentissimum Cardinalem Cibo data die 20. Julii 1679.

EMINENTISSIME AC REV. DOMINE.

Sanctissimi Patris Oraculum, adversus 65. propositiones, Ecclesiam nostram Belgicam, immo totam mirè instruxit: quæ hoc ipsum, post primam sedem, Charitati vestræ & vigilantissimo zelo acceptum refert, totidem titulis obstrictissima. Sicut enim (& nos speciatim, referente uno Deputatorum nostrorum jam reduce, latiùs didicimus) quidquid sacra Congregatio strenue & generosè perfecit, hoc aurigante sapientissimâ industriâ vestrâ esse directum: quidquid sua Sanctitas examinandum curavit, examinatumque decrevit, hoc collaborante zelo vestro inchoatum, promotum, completum. Suscepimus S. S. Decretum magna animi exultatione, sed tamen modestâ, ne cui videremur insultare. Mutantur nunc in meliùs multorum judicia & praxes, mutatur Ecclesiæ Belgicæ facies, fructumque accipit uberrimum. Pro quo rependat Deus Eminentiæ vestræ mercedem eminentissimam. Gratiarum actiones hoc voto potiores non habemus, nec requiret Eminentia vestra. Quanquàm nec dubitemus insuper adscribere vigilantissimæ curæ vestræ factum feliciter examen Libri continentis Majorum nostrorum doctrinam de Gratiâ; cui hactenus insistimus. Hæc est via pacis, ut tandem evanescant quorumdam obtrectationes, quæ nunc ab ipsa S. Sede deprehenduntur non fundatæ. Emin. Domine, suscipe qualescunque gratiarum actiones, sed verè ex intimis animi medullis effusas, cum sacra purpura submissa veneratione. Et si quid deinceps querelarum adversum nos ad aures suæ Sanctitatis, vel Eminentissimæ Gratiæ Vestræ perveniat, oramus dignetur nos verbulo. Et speramus nos ita exhibere, ut certò constet, quòd verissimè simus, S. S. Patris Domini Nostri filii, &

EMINENTISSIME DOMINE,

Eminentiæ Vestræ,

Humillimi & observantissimi Clientes & famuli, DECANUS & FACULTAS *Theologica Lovaniensis.*

Epistola Academiæ Lovaniensis, ad Eminentissimos Cardinales S. Officii.

EMINENTISSIMI ET REV. DOMINI.

Opportunissimum illud suæ Sanctitatis atque optatissimum Decretum, quo 65. propositiones proscriptæ sunt, latere non sinit egregiam vestram operam, atque in iis dijudicandis labores indefessos. Videt nobiscum Orbis Christianus vestrum pro sana doctrina zelum & constantiam; quæ quantùm emineant in Eminentiis vestris, specialiùs adhuc didicimus ex uno Deputatorum nostrorum jam reduce. Fructus uberes jam nunc sentit Ecclesia, speque alacri præsentit longè uberiores. Habetis eam meritò vobis obstrictam, habebitisque; sed præsertim in illa Facultatem nostram. Quas rependamus pares gratias non invenimus. Verùm

rùm quod Eminentiis vestris maximè cordi est, conabimur pro virili tam sanctæ intentioni vestræ respondere. Oraculum illud tanquam Cœlo missum cum veneratione & modestiâ suscepimus; aliisque autores sumus in dies, ut eâdem animi demissione susceptum constante obedientiâ teneant. Accessit cumulo beneficiorum, quòd Eminentiæ vestræ non detrectarint accurato examine discutere librum illum in quo Majores nostri superiori seculo, cum Duacena Facultate Theologica, uniformiter suam de Gratia doctrinam claré expresserunt: quæ etiamnum nostra est. Nihil enim nos novi procudere publicè profitemur. Verendum quidem ne fortè sint qui diversa nobis affingendo fictaque speciose deferendo, pacem quam speramus perturbare machinentur; sed benè confidere jubet summa illa prudentia Eminentiarum vestrarum nobis compertissima, quæ magis audiet publicas nostras declarationes, quàm clanculares istas delationes: quales si quando in Urbem adveniant, obnixissimè rogamus moneri, promittentes ingenuè exponere quod res est. Et si, quod absit, minùs rectum quid deprehendatur, mutare animus est illorum, qui post sacrarum Purpurarum vestrarum cum omni submissione venerationem, & humillimas iteratarum gratiarum actiones, precamur Omnipotentem, ut Eminentias vestras Ecclesiæ suæ bono diu conservet sospitetque.

EMINENTIARUM VESTRARUM,

Humillimi & obsequiosissimi Clientes & Famuli, DECANUS & FACULTAS *Theologica Lovaniensis.*

Ac ne quis putet Curiam Romanam silentio dumtaxat suo Lovaniensium triumphis accinisse (tametsi id per sese ad institutum satis foret) accinit certè quo clariori potuit modo per Literas quas Innocentii Romani Pontificis XI. nomine ad Academiam scripsit Eminentissimus Cardinalis Cibo die 1. Junii 1680. Cùm enim Sanctitati suæ de approbata Majorum doctrinâ in Censuris expressâ datis Epistolis Lovanienses gratias egissent, ac de sinistris in ipsos sparsis rumoribus conquesti fuissent, ita summi Pontificis nomine, præfatus Cardinalis scripsit.

ILLUSTRES ET ADMODUM REVERENDI DOMINI.

Significationibus, quas Sanctitas sua Collegis ac Deputatis vestris, dum Romæ commorarentur, exhibuit paternæ suæ erga vos & clarissimam Universitatem vestram voluntatis, novæ semper accedent, qualibet oblatâ occasione rebus ac studiis vestris suffragandi. Quam quidem animi propensionem Sanctitas sua nuper quoque ostendit, cùm Ipsi Litteras vestras filialis obsequii & grati animi plenas legerem. Quòd enim pertinet ad rumores, quos adversùs vos à malevolis spargi scribitis, eam de prudentia ac pietate vestra opinionem gerit Sanctitas sua, ut facilè sibi persuadeat vos Majorum vestrorum exemplo constantes fore in sana & Catholica doctrina tuenda illustrandaque; unde obloquentium ora tandem aliquando obstruantur: quorum præterea maledictis, si Christianam benevolentiam rependeritis Divinâ adjutrice gratiâ fiet, ut dissidentes à vobis eorum animos ad fraternæ charitatis compaginem revocetis, & Belgicæ Ecclesiæ pax, cujus causâ laborare vos profitemini, restituatur & planè solidetur. Id Pontificiæ solicitudini propositum in primis est, à qua propterea omnem in idipsum opem & favorem polliceri vobis debetis; sicut conjicere potuistis ex officiis, quæ pro vobis ab injuria tuendis interponere apud Matritensem Aulam non distulit. Interim & læta vobis precatur omnia, &, me interprete, amanter Benedicit, quibus opera atque officia mea ex animo offero. Romæ die 1. Junii 1680.

DD. VV. ad officia, ALDERANUS *Card. Cibo.*

Res paulò attentiùs conferre sufficit, ut probatas Romæ Belgicas Censuras certò colligas ex ea Pontificis nomine scriptâ Epistolâ. Traducebantur scilicet Theologi Lovanienses à nonnullis malevolis, quasi qui in Dogmatibus de divina Gratia à Baianis & Jansenianis erroribus non recederent, nec sinceram Innocentii X. & Alexandri VII. Diplomatibus præstarent obedientiam. E contra, ut fidei doctrinæque suæ rationem Apostolicæ Sedi proferrent illi, datis Romam Epistolis significarunt, se in dogmatibus de Divina Gratia nihil novi procudere, sed etiamnum eamdem doctrinam profiteri, quam Majores sui superiori seculo, cum Duacena Facultate Theologica, uniformiter expresserunt. Hanc confessionem gratam acceptamque se habere Rescripto significat Romana Curia; prudentiam eorum pietatemque commendat; benèque sperat, ut Majorum ipsorum exemplo constantes sint in sana & Catholica doctrinâ tuendâ illustrandaque: quid, quæso, illud est, nisi Lovaniensis Academiæ Majorum doctrinam, simul cum Academia Duacensi superiori seculo in latis Censuris expressam, sanam ac catholicam, necnon ab omni Jansenianismi suspicione remotissimam profiteri?

Iis non absimile & publicæ fidei factum adjiciam. Anno 1681. Romam venit R. P. Patritius Duffy Ordinis S. Francisci, ab

Academiæ malevolis secretò delegatus. Nonaginta & ampliùs propositiones damnandas protulit Innocentio XI. quas à Doctoribus Lovaniensibus doceri obtendebat. Dum interim in Congregatione S. Officii expenderentur, Illustrissimus Favoriti, summo Pontifici à secretis, earum Exemplar Academiæ communicandum transmisit ad Belgii Internuntium. Academia verò, propositionibus attentè perpensis, ad Romanum Pontificem scripsit die 4. Maii 1683. doctrinam iis expressam spectare ad Congregationes de Auxiliis, quibus per omnia stare se velle significavit. Deinde subjunxit: *Si Theologicæ Facultatis major super his expressio desideretur, illa refert se ad Censuram Lovaniensem ejusque Justificationem, & ad Censuram Duacensem quæ est conformis; utpotè continentes Majorum suorum doctrinam, quam & hodie tradere solet. Cùm autem dicta Censura fuerit nuper ab Apostolicis Deputatis, Ecclesiæ Cardinalibus Capisucco & Laurea, & aliis Romæ examinata & judicata posse teneri ac doceri; eadem confidit suam doctrinam sanam & irreprehensibilem esse, & ut talem liberè tradi posse, donec per Apostolicam Sedem aliter statuatur.* Hoc Academiæ accepto responso Propositionum delator causâ cecidit.

Jam verò Theologos Lovanienses quis ita graviter impudentes dixerit, ut in caput suum Romano Pontifici ea ipsa in re mentiri voluerint, cujus ipse pars magna fuerat? Quis enim summo Pontifice meliùs noverat, probatæne an proscriptæ ab ipso Censuræ fuissent? Nulla itaque Lovaniensibus mentiendi hac in Epistola facultas suppetebat. At si eos mentitos velimus, Censurasque prædamnatas supponamus: quorsum Orthodoxi sunt habiti, eorumque accusator causâ cecidit, speque dejectus est, cùm primùm Censurarum doctrinæ se stare professi sunt? Siccine absolvi Romæ solent, qui proscriptam ibidem doctrinam amplecti se profitentur? Apage nugas & machinamenta nequitiæ.

CAPUT DECIMUM.

Hanc ipsam sub Innocentio XI. datam Censuris Belgicis approbationem alia demonstrant.

NEc minùs efficaciter probatas tunc temporis Romæ Censuras Belgicas demonstrant, quæ in Belgio ac in Curia Matritensi post acceptum Breve Pontificium contigere. Scripsit Lovaniensis Academia ad Summi Pontificis Internuntium Bruxellis commorantem, ut ei acceptum à Sanctitate sua judicium de Censuris significaret, illumque in communis lætitiæ partem vocaret. Qua verò fronte, hæc omnia Sanctitatis suæ diligentissimo oculatissimoque Administro obtrudere ausi fuissent, si se res aliter habuisset? Erat enim ille qui tam nefariam audaciam compressisset, ne in mendacii fraudisque partem venire suo silentio videretur. In facti quippè testem hic in Epistola quadamtenus advocatur, quod aliunde pro munere nosse debebat, nisi eum ignarum ac stipitem fuisse velimus.

Rursum cùm Regis Catholici acceptâ veniâ Legationem illam Deputati Theologi obiissent; statim Româ reduces administrationis suæ rationem reddidere die 29. Octobris, Duci de Villahermosa Belgii Proregi, cæterisque Catholicæ Majestatis Administris. Rerum Romæ gestarum brevem relationem exhibuerunt, quâ Censuras approbatas Romanorum Censorum judicio affirmarunt. Nemo tamen fuit qui eorum hac in parte sollicitaverit fidem; tametsi rei gestæ seriem aliunde Regii Administri non ignorarent.

Duplex Instrumentum subjicio, nequid ad fidem desit.

Epistola Academiæ Lovaniensis ad D. Abbatem Tanarum Internuntium, nunc Eminentissimum Cardinalem, data die 14. Julii 1679.

ILLUSTRISSIME DOMINE,

" Toti exultavimus heri ad inexspectatum conspectum alterius Brevis Apostolici, quo S. Dominus, verè amantissimus Pater, dignatus est Facultatem nostram. Officii nostri esse censuimus Illustrissimam Dominationem vestram, primum suæ Sanctitatis in Belgio Ministrum, nostræque Facultatis ac Deputatorum nostrorum fautorem & patronum, quantociùs per transmissionem hujus exemplaris tanti gaudii nostri participem facere. Det Deus ut illud supremi Pontificis judicium dissipet tandem aut compescat multorum linguas malè nos accusantes. Speramus forè ut talibus testimoniis sensim pudefiant & obmutescant. Maximè cum etiam liber Majorum nostrorum in materia de Gratia & Prædestinatione, cui titulus: *Censura Facultatum Sacræ Theologiæ Lovaniensis & Duacensis*, ad preces Deputatorum nostrorum, autoritate suæ Sanctitatis jam sit examinatus, nec inventa in eo iniquitas: atque hoc ipsum registratum sit in Actis S. Congregationis. Perge, Illustrissime Domine

„ mine, nos intueri, ut aliquando liberi ab
„ importunis calumniis fructuosiùs laboremus in Ecclesia Dei, juxta sanctam intentionem Sanctissimi Domini & Vestram, cui sumus &c.

Brevis relatio rerum Romæ gestarum, Belgii Proregi, cæterisque Catholicæ Majestatis Administris exhibita die 29. Octobris 1679.

SANCTISSIMUS *D. N. Deputatos excepit cum summa ac veraciter paterna benignitate: quod ipsum fecerunt Eminentissimi DD. Cardinales, aliique omnes Prælati Romanæ Ecclesiæ.*

Etiam propositos à dictis Deputatis articulos sua Sanctitas benevolè admisit, & ad ipsos discutiendos deputavit duas hebdomadatim Congregationes, alteram Theologorum, alteram DD. Cardinalium.

Hæ Congregationes fuerunt continuatæ ultra annum & medium: & novem factæ sunt coram Sanctissimo, aliquando durantes ad tres horas.

Ab his Congregationibus damnati sunt 65. articuli spectantes ad Theologiam Moralem. Apostolicum Decretum est omnibus notissimum.

Præfati Deputati suæ Sanctitati tradiderunt in proprias manus libellum cui titulus: Censuræ Facultatum sacræ Theologiæ Lovaniensis & Duacensis: *& supplicarunt ipsum examinari ac judicari. Sanctissimus Dominus illud examen delegavit quatuor Theologis, qui unanimiter censuerunt libelli doctrinam esse sanam & ab omni notâ liberam: ideóque posse teneri ac tradi: & hoc ipsorum judicium DD. Cardinales ac sua etiam Sanctitas comprobarunt.*

Sua Sanctitas Theologicæ Facultati Lovaniensi adversùm suos æmulos eorumque libellos promisit protectionem & adjutorium; eâ tamen lege, ut nullus vindicaret semetipsum, sed ut cuncti suas querimonias deferrent ad Sedem Apostolicam.

Sua Sanctitas ex pleno pectore commendavit tria: nempè concordiam inter Clerum Secularem & Regularem, plenamque ablationem omnium discordiarum & scandalorum: item plenam exstirpationem omnium novitatum, circa venerationem Sanctorum ac sacrarum Imaginum; nec non circa Sacramentum Pœnitentiæ.

Hæc tria nobis commendarunt etiam præcipui DD. Cardinales; idque cum summo zelo & affectu. Et sua Sanctitas & DD. Cardinales nos cum honore dimiserunt.

Deputatos Lovanienses rem ita Regiis Administris exposuisse Roma novit quantocitiùs. At tantùm abest ut falsi postulati sint; quin potiùs, ubi primùm rem Lovaniensibus in Regis Catholici Curiâ Matritensi importunè facessivere malevoli susurrones, occasione præsertim doctrinæ in Censuris expressæ, quam Jansenianismi unà cum clarissimis Deputatis insimulabant; Academiæ patrocinium datis ad Aulam Epistolis suscepit S. Pontifex. Id ex præmissa Cardinalis Cibo Epistolâ compertum est. *Officia*, inquit, *pro vobis ab injuria tuendis, interponere apud Matritensem Aulam non distulit Pontificia solicitudo.* Idem testatur Illustrissimus Favoriti, Innocentio XI. à secretis, variis in Epistolis, in quibus etiam egregium Deputatorum Lovaniensium doctrinæ ac pietati testimonium perhibet. Pag. 66.

Prima data est Romæ die 6. Aprilis anno 1681. ad D. van Vianen Româ Lovanium jam reversum; in qua inter alia hæc habet: *Dudum in Hispaniam scripsimus, quâ Deputatos Lovanienses Sanctitas sua benignitate primùm exceperit, & quo ad extremum honore sit prosecuta, & quàm magnum sui desiderium, & quàm egregiam de sua doctrinâ & in Apostolicam Sedem observantiâ, opinionem huic Aulæ reliquerint. Jussus propterea fuit Nuntius Apostolicus, si quid Matriti adversùs vos moveretur, rem sicuti est Regi ejusque Ministris exponere; & malevolorum calumniis, si quæ suborirentur, obviam ire. Ceterùm per infamiam & bonam famam serviendum Deo est, & ejus Ecclesiæ honos vindicandus, refellendis erroribus & cohibendâ laxitate recentiorum nonnullorum Theologorum, qui quotidie magis turbant pacem Ecclesiæ.*

Secunda mense Junio ejusdem anni ad eumdem data est, in qua sic habet: *In Hispaniam scriptum jam fuit, Sanctitatis suæ jussu, ut ea Aula certior fieret de paterna Sanctissimi Pontificis in istam Universitatem voluntate, deque rebus à vestris Deputatis magna cum reverentiâ in Apostolicam Sedem, & pari cum fructu gestis. Si alia occurrant, in quibus Pontificia benignitas gratificari vobis possit & Academiæ studia excitare, Sanctitas sua occasiones libentissimè amplectetur.*

Tertia data est, die 14. Junii anno 1681. ad eumdem: *Scripsi*, inquit, *quàm diligentissimè ad Nuntium Matritensem, & quidem pluries, Sanctitatis suæ jussu, ut Aulam illam abducat ab errore, in quem ab æmulis Academia Lovaniensis pertracta est, edoceri à vobis propositiones scandalosas & non minùs politico statui quàm Catholicæ Religioni periculosas. In invidiam præcipuè vocantur Pater Lupus, D. van Vianen & D. Huyghens. Scripsi luculenter & detexi malevolorum criminationes, & quàm cumulatè vos*

 omnes

omnes Sanctitati suæ & Aulæ Romanæ satisfeceritis, non sine gravi æmulorum dolore & dedecore.

Hanc ipsam Censurarum approbationem attestantur etiam Viri meritissimi publicæque autoritatis, qui Romæ tunc temporis versabantur. Prodit in primis idem Clarissimus D. Favoriti, Romani Pontificis Secretarius, cui hujusce negotii arcana patebant omnia. Is enim à nonnullis Doctoribus Lovaniensibus rogatus, ut authentico publicæ fidei instrumento declarari curaret judicium approbationis de Censuris in Congregatione S. Officii latum, si id præter ipsius leges ac mores obtineri posset, respondit in hunc modum in Epistola data die 18. Aprilis 1682. ad Dominum van Vianen: *Quantùm in me erit adnitar, ut authentico aliquo documento confirmetur quod à Congregatione S. Officii decretum fuit, videlicet Censuram Lovaniensem inoffenso pede percurri posse, cùm nihil in ea inventum sit censurâ vel animadversione dignum. Nonnulli tamen ita verentur nonnullos homines ex omni re accusandi & calumniandi materiam arripientes, ut difficillimi sint in refricando negotio jam sopito: adnitar tamen.* Et in altera 24. ejusdem mensis data: *Æquissimum*, inquit, *mihi videtur & multis magnæ dignitatis, virtutis & prudentiæ Viris postulare, ut aliquo S. Sedis Testimonio vindicetur innocentia doctrinæ Lovaniensis quæ in Censura continetur, ad obstruendum os loquentium iniqua. Non omisi id insinuare ac urgere, quò tam justo desiderio ad necessariam defensionem satisfieret.*

Accedit D. Emmanuel à Schelstrate Bibliothecæ Vaticanæ Præfectus, in Epistola ad D. Hoesslach Canonicum Antverpiensem scriptâ die 26. Septembris 1682. *Quoad librum*, inquit, *in quo Censura Facultatis Theologicæ Lovaniensis & Justificatio ejusdem, item Censura Facultatis Theologicæ Duacenæ, in materia de Gratia Dei & Prædestinatione, annis 1587. & 1588. respectivè conscripta continentur, responsum accepi ab aliquo illius rei non ignaro, quòd nihil hac in re definitum sit, neque à Summo Pontifice determinatum: quòd tamen ante discessum Doctorum Lovaniensium hic liber oblatus fuit S. Officio examinandus, & post examen à Deputatis desuper factum, permissum fuerit quod in illo continetur liberè doceri; cumque à Doctoribus Lovaniensibus peteretur hæc licentia & permissio in scriptis, id ipsum negatum fuerit. Hæc sunt quæ hac de re intellexi. Et si in aliis opera mea vobis utilis videatur, ut de illa disponere digneris, etiam atque etiam rogo, mansurus interim Eruditissimæ Dominationi vestræ obsequentissimus famulus.* E. à SCHELSTRAETE.

Suffragatur R. P. Joseph Sabbatini Ordinis S. Augustini Romanæ Bibliothecæ Angelicæ Præfectus & S. Officii Qualificator, nedum in vita R. P. Lupi, in qua libellum inseruit, cui titulus: *Brevis Relatio eorum, quæ Deputati Theologicæ Facultatis Lovaniensis egerunt, & obtinuerunt apud S. Sedem Apostolicam*; sed & in Epistola ad D. van Vianen, datâ die 21. Novembris 1682. *Illud pro certò affirmare possum, me quoque audivisse, non solùm ab Illustrissimo D. Assessore S. Officii, sed etiam ab Eminentissimis Riccio, Casanate, ac de Laurea, tam Censuram quàm articulos vestræ doctrinæ Congregationi S. Officii oblatos fuisse, necnon à Theologis pro tali negotio Deputatis ab omni Censura immunes esse judicatos; quamvis S. Congregatio, justissimis de causis, illos positivo Decreto firmare noluisset.* Nempè repugnantibus ipsius legibus ac moribus, ne vellicandi & calumniandi ansam arripiant viri audaciores, & ad aliena opera corrodenda paratissimi.

CAPUT UNDECIMUM.

Non absimilis sub Innocentio XII. Censuris Belgicis approbatio data multis ostenditur.

IIs omnibus quæ hactenus pro Censurarum Belgicarum orthodoxiâ diximus, robur addunt quæ sub Innocentio XII. non ita pridem tractata sunt. Ad sacram Indicis Congregationem delatus est Tellerii liber Gallicè inscriptus, *Défense des nouveaux Chrétiens & Missionaires* &c. Inter multa de quibus apud Eminentissimos Judices accusabatur, erat illud quod adversùs Censuram Lovaniensem scripserat, editione primâ, pag. 39. & 336. tametsi deinceps in tertia editione aliquantulùm emollitum esset.

Causam cognovit sacrum Tribunal sub finem anni 1691. ac deinceps. Dedit per vices viros eruditos qui de libro referrent statâ die: primò clarissimum Abbatem Fabretti, tum dignissimum Basilicæ S. Petri Canonicum D. Palaggium, ultimò Religiosissimum Patrem Borgiam, ex Ordine S. Bernardi, S. Indicis Congregationis Qualificatorem. Hanc enim indulgentiam cum autore habuerunt Eminentissimi Judices, ut qui audito illorum uno, sententiam pro more suo ferre poterant, alios tamen causæ cognitores designarent; num fortè unus omnium esset qui librum absolveret.

Nemo

Nemo ex illis fuit, qui locum hunc de Censura Lovaniensi (ut de aliis taceam) virgâ dignum non observarit. Hos inter dignissimus Palaggius, qui gesta sub Innocentio XI. paulò curiosiùs internoverat, eam libri partem graviter perstrinxit; testes etiam ex astantibus Cardinalibus appellans, qui cum aliàs negotiis S. Officii præpositi essent, dictis fidem adderent. Recensitis enim Tellerii in Censuram Lovaniensem criminationibus, ita colligebat: *In hoc sane excusari vix potest P. le Tellier. Debuerat enim diligenter inquirere, an ita sese res haberet, antequam ipse de tali facto & doctrina judicium ferret ac falsitatis argueret. Et reverâ, ita sese res habuerat ut Deputati Lovanienses retulerunt. Scilicet quòd scriptura per ipsos exhibita, fuerit de mandato ipsius Pontificis per quatuor Theologos examinata; à quibus cùm ab omni censurâ immunis recognita fuerit porrecta scriptura, ita fuit Doctoribus Lovaniensibus per Assessorem S. Officii vocaliter declaratum: quia consuetudo non est sacro Tribunali in hujusmodi negotiis judicii dati consulentibus exemplum tradere. Errat ulteriùs P. le Tellier dum Censuram Lovaniensem contra Lessium dicit Sixti Papæ V. Mandato fuisse suppressam: quia contrarium apparet ex Litteris in formâ Brevis ad Octavium Frangipanum, qui tunc in Belgio Nuntii munere fungebatur. Auditis enim Controversiis inter Lovanienses Theologos & Jesuitas exortis, mandat Pontifex eidem Nuntio, ut statim Lovanium ad illas sedandas se conferat; cùm Pontifici solummodo*, inquit, *liceat de doctrinâ Christianâ controversias definire. Ac propterea curet, ut omnia scripta ad præfatas controversias pertinentia, sibi, id est, Nuntio tradantur, & tradita transmittantur ad ipsum Pontificem. Nec usquam apparet, vel antea vel postea Lovaniensium scripta fuisse suppressa.*

Quo audito contestati sunt qui aderant Eminentissimi Cardinales DD. Hieronymus Casanate & Brancatus de Laurea, ita planè sub Innocentio XI. contigisse omnia: Censuras Belgicas longo examine discussas, illæsas evasisse, easdemque inoffenso ac tuto pede percurri posse.

De Libro actum erat, cum ecce qui autoris causam urgebant, spoponderunt se intra menses aliquot Romæ librum emendaturos, ut eo pacto judicium effugerent. Indulsit Congregatio, partim Oratorum precibus lacessita, partim Magnatum rogatu benignè inclinata. Inscriptum publicis Congregationis tabulis in hunc modum: *Retulit pro tertia vice Pater Abbas Borgia librum Gallicâ linguâ, sub titulo:* Défense des nouveaux Chrétiens. *Cùmque Secretarius summatim retulisset vota trium Consultorum qui librum hunc examinarunt, Eminentissimi Domini post diutinam discussionem, convenerunt pro majori parte in hanc sententiam, nimirum non opus esse procedere ad hujus libri prohibitionem, dummodo tamen spatio quatuor vel quinque mensium, liber iste corrigatur Romæ.*

Elapso mense altero rogarunt Tellerii Procuratores, Generalem Ordinis Prædicatorum designari sibi qui emendationis capita præfigeret. Assensit Congregatio, prolixioribus etiam datis induciis; ita tamen ut omnia cum Magistro S. Palatii conferrentur. Provinciam suscepit Prædicatorum Generalis, invito licet repugnantique animo, ut S. Congregationi morem gereret. Dedit prolixiori scripto emendationum capita, inter quæ istud unum erat instituto nostro accommodatissimum. *Probare nequaquam possumus, quæ à pagina 336. usque ad paginam 339. prioris editionis continentur: ubi Autor adversus Censuras Lovaniensem ac Duacensem invehitur, quasi à Sixto V. notatæ essent, aut doctrinam Jansenianæ à summis Pontificibus Innocentio X. & Alexandro VII. damnatæ, germanam complecterentur: ac velut impostores traducit Deputatos Lovanienses, qui Romam sub Innocentio XI. delegati sunt. Id omne falsum penitùs arbitramur, necnon Augustinianæ atque Thomisticæ doctrinæ injurium: quemadmodum & illud quod in tertiæ editionis præfatione addidit ea de re idem autor. Certi etenim sumus Assessori S. Officii injunctum fuisse, ut eaipsa Lovaniensibus Deputatis significaret, quæ illi deinceps in sua Legationis Narratione exposuerunt.* Pag. 69.

Verùm ut innotuit litis Actoribus plura ex Generalis Prædicatorum judicio eo in libro emendanda fore, quàm ut castigata editio Romæ, ut spoponderant, curari posset, novumque propè diem damnationis judicium latum iri; ad Summum Pontificem provocarunt. Novos petierunt emendationis curatores, qui mitiùs cum illis agerent: Reverendissimum Patrem Carolum Josephum Morossum, Ordinis S. Bernardi tunc temporis Abbatem Generalem, nunc verò Episcopum Bobiensem; R. P. Thomam Granellium Ordinis S. Francisci, & Sanctæ Romanæ & Universalis Inquisitionis Qualificatorem, & R. P. Grunterium, Clericum Regularem Minorem: quos multis nominibus sibi devinctos experti fuerant. Hos, tametsi à Tellerii Procuratoribus distinctè postulatos,

tos, lubenti animo dedit Innocentius XII. Tanta erat ejus in Oratores indulgentia, benignitas, miseratio! Emendationi igitur insudarunt Religiosi Viri anno integro, non sine magnatum & amicorum stimulis. De Lovaniensi Censurâ (alia enim mitto lubens) una omnium opinio statim fuit, illam nec Baianam, nec Jansenianam, nec damnatam dici posse; licere tamen Societatis Defensori, eamdem à Sixto V. suppressam appellare. Intercessit qui tunc aliorum negotiorum occasione Romæ aderat Lovaniensis Academiæ Deputatus, D. Joannes Libertus Hennebel. De hac ipsâ meditatâ correctione conquestus est apud Summum Pontificem. Quo audito expensisque causæ momentis, sancitum fuit, ut nec *suppressa* diceretur. Sic enim Sanctitatis suæ nomine Hennebelio significavit Illustrissimus Fabronius, Memoralium Secretarius, diebus 5. & 13. Maii 1693. Cùmque rursùs ex Pontificis nutu adhuc inter se contulissent Religiosi Deputati, an meditata ab ipsis emendatio retinenda, an potiùs deserenda foret; censuerunt duo priores contra tertium, à meditatâ correctione recedendum esse, nec Societatis Apologistæ permittendum quidem, ut Lovaniensem Censuram à Sixto V. *suppressam* diceret: hancque suam definitionem Pontifici dedere die 23. Maii 1693. Idcircò ultimò tandem statutum fuit die 12. Januarii anni sequentis, ut omnibus invidiosis notis è libro expunctis, omnique semotâ verborum asperitate, id unum in Societatis gratiam Tellerianæ Apologiæ inscribi posset: *Quod verò ad Censuram attinet, S. Sedes per Apostolicum Nuntium mandavit, ut partes inter se dissidentes ab omni interea disceptatione desisterent, quoad Apostolicâ sua autoritate de eorum controversiis & disceptationibus decerneret: præsertim cùm illæ id persuasissimum habere deberent, B. Petri tantùm Successori, Pontifici Romano, licere doctrinæ Christianæ res controversas definire, alii verò nemini.*

Deputatorum judicium suum fecit sacra Indicis Congregatio, ad quam, jubente Pontifice, statutæ à Censoribus deputatis emendationes transmissæ sunt. Tellerii Librum die 23. Martii anni 1694. unanimi suffragio damnavit, donec corrigatur juxta Censuras à Sanctitatis suæ Deputatis definitas. Quamquàm nihil deinceps non moverint causæ hujus Actores, ut Decreti promulgationem impedirent: parati, ut aiebant, universa quàmprimùm emendare, quæ à Censoribus notabantur.

Quid ad hæc Censurarum Belgicarum Osores, qui eas tanquam hæreticas, Jansenianas, ab Apostolica Sede proscriptas quotidie traducunt; dum non illas tantummodò notas, è libris expungit Ecclesia Romana, sed nec *suppressas* Censuras vocarit finit? Quid, inquam, ad hæc novissimus gerro Rothomagensis jam à me non semel exagitatus, in publicis Thesibus ita de gravi supercilio definiens? *Censuræ in Lessium Lovaniensis ac Duacena statim Apostolica Autoritate reprobatæ ac suppressæ; de quibus quoties Romanam Sedem consuluere Censurarum patroni, toties grave responsum accepere, eas Romanæ Ecclesiæ displicuisse & displicere.* An sit ita profectò ut garrit, satis quæ retulimus hactenus hujusce causæ documenta in aperto ponunt.

At si quid restabat aliud in illarum orthodoxiæ confirmationem, extremum causæ huic sigillum posuit Innocentius XII in Brevi ad Academiam Lovaniensem dato die 6. Februarii 1694. Cùm enim prolixas admodùm Epistolas ad Innocentium XII. dedissent meritissimi Viri die 7. Maii 1693. quibus narratâ Censurarum Belgicarum fortunâ, expositâque singulari sub Innocentio XI. obtentâ commendatione, quam Illustrissimus Assessor significaverat, dato illorum aliàs Deputatis responso, positivam tandem hujuscemodi rerum declarationem in formâ Brevis, Censurarumque approbationem postulabant; reposuit Sanctissimus Pontifex Cœlestini verbis olim ad Episcopos Galliæ datis: *Profundiores difficilioresque partes incurrentium in materia Divinæ Gratiæ quæstionum, quas latiùs pertractarunt qui hæreticis restiterunt, sicut non audemus contemnere, ita non necesse habemus astruere.* Satis innuens positivâ quidem (ut petierant) approbatione Censuras Belgicas astruere non esse opportunum, ob incurrentes quæstiones quas obiter & accessione quadam attingunt, dum intrinsecam, quod caput est, divinæ Gratiæ efficaciam exponunt; easdem tamen idcircò contemnere non audere.

De his viderint audaciores Aristarchi, qui Censuras illas tum ob incurrentes inibi quæstiones, tum etiam fortè ob ipsum quod in eis ex instituto tractatur doctrinæ caput, usque adeò contemnunt, ut hæreticas illas atque damnatas effutiant. Celebrius est Innocentii XII. Breve Apostolicum, quàm ut ab illo in integrum referendo abstinere possim.

INNOCENTIUS PP. XII.

Dilecti Filii, Salutem. Tradidit mensibus elapsis Dilectus filius Joannes Li- "

BERTUS

„ BERTUS HENNEBEL Epistolam vestram „ datam die 7. Maii anni præteriti, in qua „ humiliter postulatis, ut hujus S. Sedis au„ toritate licitum vobis esset ac liberum con„ tinuare in tradenda doctrina Majorum ve„ strorum, quæ continetur in libro Censu„ rarum Lovaniensis & Duacensis Universi„ tatum, unà cum Apologia Universitatis „ Lovaniensis; & ab Eadem declarari do„ ctrinam de Gratia per se efficaci & de Præ„ destinatione ante prævisa merita, nullis „ hactenus emanatis Apostolicis Decretis „ damnatam & enervatam esse, eamque pro„ inde posse teneri, quousque Sancta Sedes „ ipsa aliter statuerit. Qua in re vestram er„ ga S. Petri Cathedram observantiam & „ reverentiam summoperè collaudamus. Ve„ rùm quia, ut S. Cœlestinus ad Episcopos „ Galliæ rescripsit, profundiores difficiles„ que partes incurrentium in materia Divinæ „ Gratiæ quæstionum, quas latiùs pertra„ ctarunt qui hæreticis restiterunt, sicut „ non audemus contemnere, ita non neces„ se habemus astruere; nec arbitramur op„ portunum, ut in præsens habeatur exactior „ illa de Divinis Auxiliis tractatio, quæ à „ Prædecessoribus nostris Clemente VIII. „ & Paulo V. instituta fuit, cùm ad confi„ tendum Gratiam Dei, cujus operi & digna„ tioni nihil penitùs subtrahendum est, satis „ sufficere credamus, quidquid Sedis Apo„ stolicæ scripta docuerunt: Idcircò felicis „ recordationis Pauli V. & Urbani VIII. „ Decretis inhærentes, quibus cavetur ne „ quisque audeat imprimere, vel quoquo „ modo in lucem edere Libros, Tractatus, „ Compositiones, ex professo vel incidenter, „ vel prætextu commentandi D. Thomam, „ vel quemlibet alium Doctorem, aut aliâ „ quavis occasione, vel prætextu, vel modo, „ de materiâ Divinorum Auxiliorum tractan„ tes, sine expressâ & speciali licentiâ à „ nobis obtinenda, donec ab hac S. Sede „ aliter sit ordinatum; Apostolicâ vos pri„ mùm autoritate monemus, ut sublatis con„ tentionibus, sapientiæ, quæ desursum at„ que pacifica est, vacetis; profitentes, sicut „ asseritis, doctrinam præclarissimorum Do„ ctorum Augustini & Thomæ: quorum „ ille tantæ scientiæ fuit, ut inter Magistros „ optimos etiam à nostris Prædecessoribus „ haberetur, & cujus doctrinam, secundùm „ eorumdem Prædecessorum statuta, Ro„ mana sequitur & servat Ecclesia: alter ve„ rò mirâ eruditione eamdem Dei Ecclesiam „ clarificat & sancta operatione fœcundat. „ Hos dum Universitas Vestra doctrinæ du„ ces secuta fuerit, securè pugnabit contra „ hostes orthodoxæ fidei, in Ecclesiæ glo-riam & ædificationem, excitabitque in dies „ hanc Apostolicam Sedem, ut cumulatiùs „ ei præstet paternæ Charitatis officia. Vo- „ bisque interim Apostolicam Benedictionem „ peramanter impertimur. Datum Romæ „ die 6. Februarii 1694. „

CAPUT DUODECIMUM.

Inepta recentiorum quorumdam adversùs Censurarum Belgicarum Approbationem, Romæ sub Innocentio XI. datam, strophæ, impostura refelluntur.

DAtam sub Innocentio XI. Censurarum Belgicarum approbationem, tot licet testimoniis confirmatam, ii etiamnum inficiantur, qui veritati quibuslibet argumentis firmatæ obsistere solent, dum Societatis honos in discrimen vocatur.

In arenam pro aris & focis descendit Erasmus Pilius, in libello cui titulus: *Gummari Huygens S. T. D. Lovanii Dogma de libertate sine gratiâ* &c. Is paginâ 75. scribit in hæc verba: *Dum Lovanienses Deputati peterent, ut liber continens Censuram Lovaniensem subiret examen & approbationem S. Officii, responsum eos retulisse: in S. Officio exstare Decretum contra editionem vel publicationem dicti libri.*

Inauditam falsitatem, solâ scribentis audaciâ fultam, sexcentis momentis superioribus Capitibus præoccupatam & obtritam, publico coram Notariis instrumento propulsavit nuper D. Franciscus van Vianen, Lovaniensium Deputatorum unus. Exstat illud in Actis Notarii publici, ut hìc habes.

Anno à Nativitate Domini 1688. *mensis Maii die* 10. *comparuit coram me Notario ac Testibus infra nominatis Eximius Dominus ac Magister noster Franciscus van Vianen S. T. D. ac Professor Regius, qui dixit exhibitum sibi fuisse libellum quemdam, cui titulus:* Gummari Huygens S. T. D. Lovanii, Dogma de libertate sine gratia &c. autore Erasmo Pilio; *in quo dicitur inter alia paginâ 75.* Dum Lovanienses Deputati peterent, ut liber continens Censuram Lovaniensem subiret examen & approbationem S. Officii, responsum eos retulisse: In S. Officio exstare Decretum contra editionem vel publicationem dicti libri. *Declarat autem, profitetur ac sustinet, hoc sibi (qui è Deputatis illis fuit) nunquam ab ullo fuisse responsum, nec unquam intellexisse quod responsum tale aut affine Collegarum ullus acceperit: paratus coram quocunque legitimo judice hujus Declarationis suæ fidem facere omni meliori modo*

modo & formâ, quam Judex expedire censuerit. Actum Lovanii, anno, mense & die, quibus supra: præsentibus D. Martino Lemmens & D. Sebastiano de la Deriere studiosis, ut testibus. Signatum erat: FRANCISCUS VAN VIANEN. Infra habebatur: *& me Notario, quod attestor* Ægidius Denique, *Notarius publicus.*

Impostoris hujus antesignani calumniam pleniùs ebiberunt P. de Vos, P. van Outers, & novus Apologista Christianorum & Missionariorum &c. Ut interim de cæteris taceam, risum & cachinnum movent quæ ab istorum primo proferuntur argumenta, digna sanè quæ hìc exhibeantur ad studiosæ & dolosæ imposturæ dedecus sempiternum. In primis Epistolæ cujusdam Anonimæ Lasciniam profert, quasi Româ post facti Inquisitionem missæ, in hæc verba: *Verùm putat N. quòd Deputati illi Censuram cum Justificatione obtulerint Pontifici, cum petitione approbationis; quòd quatuor constituti fuerint examinatores.... Sed cum Cardinalis N. intellexisset rem illam agi & esset informatus, jussit ex Archivio proferri Acta in negotio isto sub Sixto V. ab Octavio Calatino, magnam molem Cartharum: quibus discussis, & Cardinales, & etiam aliqui ex illis Examinatoribus judicarunt non esse progrediendum; & sic nulla facta est approbatio. Affirmat mihi N. sibi dictum à Cardinali N. à Cardinali N. & ab N. Viro in primario officio constituto, nullam approbationem esse factam, & urgendos illos qui id asserunt, ut illam exhibeant.*

Secundò quidem generis pannulum obtendit, sub data 23. Decembris 1679. *Vestra Epistola fuit remissa ad S. Officium & lecta in publica Congregatione: obstupuerunt omnes.:..... Dein post fusum discursum cum D. Assessore de hoc negotio, dixit mihi, ut vobis certificarem, illam Censuram non esse hìc approbatam, nec unquam approbandam, Deo dante.*

Deinde personati cujusdam histrionis assumentum venditat sub data 12. Septembris 1682. *Accepi vestras cum inclusis Thesibus Domini van Vianen, de falsissima approbatione Censuræ Lovaniensis & Duacensis. Ut igitur ego à Ministris S. Officii tertia etiam vice certificarer de falsitate istius imposturæ, die Jovis præteritâ* 10. *hujus, hora* 4. *Vespertina accessi Palatium S. Officii: petii audientiam ab Illustrissimo D. Assessore, & obtinui. Protuli Theses, ille accepit & legit; mox subiecit:* Quid prætendunt homines isti? *Respondi ego: Prætendunt quòd Vestra Illustrissima Dominatio die 9. Junii 1679. in Palatio Vaticano dixerit Deputatis Lovaniensibus, pro parte suæ Sanctitatis & sacræ Congregationis, approbatum fuisse libellum continentem* Censuras Universitatum Lovaniensis & Duacensis. *Ille intrepidè & minimè hæsitanter respondit: Nunquam tale quid dixi, aut dicere potui. Et mox subjunxit. Immò,* inquit, *dum peterent ut iste liber subiret examen & approbationem S. Officii, respondi eis, in S. Officio exstare Decretum contra editionem vel publicationem dicti libri. Et replicui, Illustrissime Domine, reflectat ad circumstantiam loci in Thesibus citati, nempè Palatii Vaticani. Quandonam solita fuit Vestra Illustrissima Dominatio dare suas audientias in Palatio Vaticano, ubi nec Cameram habet, nec hospitium? Respondit ille dictum Palatium non esse locum ipsius ad danda responsa; sed ea dari in ædibus seu Palatio S. Officii. Hæc ille. Hoc etiam sciendum dictum D. Assessorem non ire ad Palatium Vaticanum, vel Quirinale, nisi bis in hebdomada, nempè die Mercurii post prandium, horâ quartâ, & die Jovis mane: & non nisi raptim per Aulam & Custodiam familiæ & Satellitii Pontificii, transit in interiores Cameras, absque eo quòd ulli loquatur de rebus S. Officii, quæ secretò duntaxat dicuntur & sine arbitris. Dies autem 9. Junii anni 1679. incidit tunc in diem Veneris: qua die D. Assessor nunquam solet ire ad Palatium Pontificium, cùm non sit dies pro ipsius audientia, nisi sola dies Mercurii, ut dixi, & dies Jovis mane, quo interest Congregationi. Hæc ad confutandam illam imposturam.*

Papæ quàm authentica instrumenta! Quàm probatæ fidei Litteras! Scribunt scilicet Domini N. N. N. ad Dominos N. N. N. Qui laudantur in Epistolis Cardinales, sunt Eminentissimi Reverendissimique Domini N. N. N. Lepidam sanè Comœdiam! Ita scilicet munire se solent impostores professi: hoc se velo tegere satagunt falsarii Instrumentorum, & Epistolarum consarcinatores, ut interminatis calumniis clarissimam apertissimamque veritatem obnubilent.

Nos aliam viam inimus. Clarissimis Viris N. N. N. qui has Epistolas dedere, opponimus Innocentium. XI. Innocentium XII. Cardinalem Cibo, Christianum Lupum, Franciscum van Vianen, Illustrissimum Favoriti, Emmanuelem à Schelstrate, Josephum Sabbatini, Viros utique minimè personatos. Clarissimis Viris N. N. N. qui has Epistolas accepere, opponimus Academiam Lovaniensem, Ducem de Villahermosa Belgii Proregem, D. Tanarum Summi Pontificis tunc temporis Internuntium, ad sacras Vaticani infulas postmodum assumtum, Regis Catholici Administros, D. van Vianen, & D. Hoefflach Canonicum

nonicum Antverpiensem: viros certè minimè larvatos. Fictitiis Cardinalibus N. N. N. aliisque testibus N. N. N. in prima lasciniâ scenam agentibus, opponimus Cardinales nequaquam theatricos, Riccium, Casanate, Lauream, Capisuccum, qui hujusce negotii pars magna fuerunt: nec non Reverendissimum Patrem Antoninum Cloche Ordinis Prædicatorum Generalem, & Clarissimum Abbatem Palaggium, Canonicum S. Petri in Vaticano; non in angulis scriptisque privatis, sed solemniter in sacra Indicis Congregatione, in matura negotiorum tractatione, fidem facti facientes. Addimus Censores tres ab Innocentio XII. ad Tellerianæ Apologiæ examen deputatos. Hinc judicent Viri omnium gentium eruditi, uter nostrûm mereatur fidem, in facti quod expendimus veritate. Licet verò eorum quos hactenùs appellavi, jam fato cesserint aliqui, fuerunt tamen ante me pluries appellati, dum viverent, partim à Belgicarum Censurarum Apologistâ D. Gerio, partim à D. Joanne Hennebellio anno 1688. die 6. Maii in solennibus Thesibus Historico-Theologicis, Lovanii contra Erasmum Pilium publicè defensatis: nec se falsò in testes adduci conquesti sunt Romanæ Curiæ Principes aliique Viri Clarissimi.

Cæterùm quia simia semper simia, mentiturque iniquitas sibi, vel invita; nequivit Epistolarum consarcinator, licet industrius, sermonem ita componere, quin falsitatis per sese revinceretur.

1. In priori lasciniâ datos, postulantibus Deputatis, Censurarum Examinatores narrat; Rem maturè in Congregatione tractatam dicit; Conquisita Lovaniensis causæ regesta; Cardinales ac Theologos deputatos sententiam dicentes insinuat. In ultima verò, S. Officii Assessorem Deputatos Censurarum examen enixè rogantes illicò repulisse significat, ob commentitium Sixti V. Decretum jam dudum emissum. Sed & utrique narrationi repugnat novus Christianorum Apologista, qui Lovanienses Deputatos præfractè postulasse supponit, ut Sixti V. Decretum rescinderetur: de quo tamen illos postremò dumtaxat monitos narrant Epistolarum venditores, quasi illud primùm ignorassent ii aut certè dissimulassent.

2. In altero pannulo scribit personatus homo, sibi ab Assessore injunctum „ ut *certificaret illam Censuram non esse approbatam, nec unquam approbandam, Deo dante.* Quàm bellè sacræ Congregationis legibus ista quadrant! Quasi verò privatis quibusdam atque ipsis controversæ litis actoribus provinciam demandare soleat, ut partibus significetur quid rei sit, quid statutum, quid definitum?

3. In postremo assumento Sancti Officii Assessorem stipitem nobis exhibet larvatus histrio: qui scilicet D. Francisci van Vianen lectis Thesibus, nesciat quid sibi velit ille, & à Ludione doceri debeat, Thesium autorem contendere, sibi suisque collegis ab Assessore significatam verbo tenus Censurarum approbationem: quasi id tota Thesis apertè non astruat, ac lectoris oculos mentemque non protinùs feriat.

4. Si ita excanduit Assessor, ubi Ludione suffragatore cognovit prætensam Thesium imposturam, cur nihil in autorem movit, nihil scripto dedit, ut aperta audacia retunderetur? Tametsi enim authenticis documentis probari non soleant libri ad sacram Congregationem delati, quantumvis orthodoxi judicentur; authenticis tamen Decretis autorum audacia retundi solet, qui proscriptam doctrinam recudunt, erroresque suos Ecclesiæ autoritate damnatos, probatos mentiuntur.

5. Rabulam nullius planè cerebri se prodit ultimæ Epistolæ venditator, dum facti repugnantiam ex circumstantiis loci ac temporis ostendere nititur. Audientias, inquit, in Palatio Vaticano dare non solet Illustrissimus Assessor. Ecquis unquam scripsit datum ab Assessore Deputatis responsum in solito audientiæ loco? Certè ut erat illud pressum atque brevissimum, aliâ occasione ac loco dari commodè potuit. At, inquit, bis tantùm in hebdomada Palatium Apostolicum adire solet Illustrissimus Assessor, diebus scilicet Mercurii & Jovis. Quasi verò nulla dari possit occasio extra designatos sibi pro publico munere dies, Palatium Apostolicum adeundi? Verùm, subjungit, dum Palatium Apostolicum adit, raptim tendit ad interiores cameras, & propter frequens summi Pontificis satellitium de rebus S. Officii, quæ secretò dumtaxat dicuntur, neminem potest alloqui. Proh Superi, quæ garrulitas! Itane raptim tendit, quin vel ab amico salutari, vel à clariori Viro conveniri, vel à quovis alio urbanitatis aut necessitatis officio interrogari commodè possit, & humanitatis obsequiis respondere? Summi Pontificis satellitium itane viros quoslibet Pontificiam Aulam adeuntes obsident? Itane quoquò pergant, insequitur, jungit latera, pendet auribus, ut in amplissimo Palatio Vaticano, ne verbum quidem pri-

vatim ac in secessu promi possit? Apage nugas.

Unicum superest, quo tueri se solent desperatæ causæ patroni, Decretum scilicet Urbani VIII. anno 1631. datum, quo nullam Romanæ Curiæ Decretis sive Responsis fidem præstandam declarat, nisi sigillo Congregationis Cardinalium, atque Præfecti aut Secretarii chirographo munita prodeant. At quis non intelligat vel mediocriter sapiens, id de Decretis ac Responsis scripto datis intelligendum; cujusmodi hac occasione nullum pro Censurarum approbatione datum, Theologi Lovanienses ultrò concedunt? Aut certè Decretis ac Responsis, quovis tandem modo datis, nullam fidem præstandam sanxit Urbanus, ut in judicio juridicum robur obtineant, & ut religiosum obsequium à fidelibus extorqueant, nisi authentico scripto consignata proferantur. Ceterùm nisi summum Pontificem hoc Decreto naturæ principiis vim intulisse, rationisque nativum pondus excussisse, quis velit, Decretis Responsisque Congregationum, sigillo licet & subscriptione minimè munitis, humanæ saltem historiæ fidem nec detraxit, nec detrahere potuit, cùm testium locupletissimorum testimoniis aliisque gravissimis momentis genuina comprobantur, cúmque iis de rebus agitur, in quibus juxta Congregationum leges voce tenus responderi solet.

CAPUT DECIMUM TERTIUM.

Liber Concordiæ Ludovici Molinæ majorum in Hispaniâ discordiarum fomitem subministrat, ob contemtam S. Augustini autoritatem atque doctrinam.

NOndum erant omninò Belgii sedata dissidia, cùm nova in Hispaniâ excitata sunt. Post repressam anno 1581. P. Prudentii de Montemajor audacem velitationem, nihil ibi ultra tentatum scimus, ad annum usque 1588. quo Ludovicus Molina Eborensis Academiæ Professor, primusque è Societate S. Thomæ Commentator, meditatam ab annis circiter triginta novam liberi arbitrii cum Divina Gratia CONCORDIAM vulgare cœpit.

Proscriptis non ita pridem ab Eminentissimo Cardinali Gaspare Quiroga, Archiepiscopo Toletano, ac supremo fidei Quæsitore, plerisque dogmatibus, quibus lucubrationes suas Molina resperserat, vetitas merces aliò comportare ac venditare compulsus est. Latæ Censuræ hujus testem proferrem E. Cardinalem Baronium in supra laudato M S. Codice, ubi Moliniana dogmata ab Archiepiscopo Toletano prædamnata testatur, antequam liber ejus in Lusitania ederetur; adjungerem Henricum Henriques Jesuitam, qui Molinam districtâ ab Inquisitore Castellæ Censurâ nequaquam territum insectatur; nisi fatentem reum haberemus. *In Censura anni 1594* Is enim passim in Appendice CONCORDIÆ Censuram datam agnoscit. Ac licet ab ea expedire se utcunque nitatur, succumbit tamen sæpiùs & ad derisorias vanasque excusationes confugit. Sic pag. 12. variis Patrum testimoniis adductis, quibus propositionem quamdam de Scientia futurorum confirmare satagit, addit: *Æquumne est contendere, ut propter propositionem unam, de cujus veritate in Regno Castellæ est dubitatum, damnetur tot Doctorum & gravissimorum Patrum sententia?* &c. Sic pag. 14. de Prædefinitionibus divinæ voluntatis disserens præter S. Officii Castellæ voluntatem: *Id*, inquit, *præstare possumus sine ullo inobediendi periculo, maximè cùm illius Tribunalis mandata nos hic nequaquam obligent.* Sic pag. 32. derisoriè scribit: *Esto S. Officium Regni Castellæ Concilium Universale esset quod errare non posset &c.* Ac paulò infra, cùm omnia de divinis auxiliis à se tradita ex Concilii Tridentini definitionibus ad amussim depromta dixisset, subjungit: *Cujus rei magis habenda est ratio? Propositionumne quas objectionum autor asserit S. Officium Castellæ doceri prohibuisse, eo quod eas magis examinari velit; an Concilii Tridentini definitionum?*

In Lusitania itaque sedem fixit Ludovicus Molina, ac post diutinam suorum dogmatum meditationem, opportunam jaciendæ aleæ occasionem arripuit. Supremi Lusitaniæ Inquisitoris Officium nuper auspicatus erat, immaturâ satis ætate, Cardinalis Albertus, Archidux Austriæ, Rodulphi II. Imperatoris Frater; qui quam à Matre arctissimam in Societatem devotionem ebiberat, summâ cum Francisci Borgia, antea Societatis Generalis, parentibus, necessitudine ac conjunctione coluerat.

Non defuturum sibi tanti Mæcenatis tutelam existimans Ludovicus Molina, CONCORDIAM suam Liberi Arbitrii cum Gratiæ donis prælo maturavit. Cúmque nihil in Lusitania publicis typis edi soleat citra Inquisitionis Generalis licentiam, eam, ut moris est, sub unius Bartholomæi Ferreiræ, soliti Censoris, approbatione obtinuit. Futuros etiam eventus emunctæ naris

naris homo prospiciens, rebus suis providâ urbanitate consuluit: librum suum officiosâ nuncupatione Generali Inquisitori consecravit, eumque sibi patronum devinxit, quem futurum sibi judicem præsentiebat.

Vix absoluta erat editio ac necdum vænalis prostabat, cùm FF. Prædicatores, injectâ suscitati Pelagianismi accusatione, publicationi ejus intercesserunt. Multa in Autorem objecit Dominicus Bannes, atque illud potissimùm, quòd proscripta non ita pridem à Generali Castellæ Inquisitione dogmata recuderet. Advocatus Molina ut objecta dilueret, iis responsis fidem suam liberare tentavit, quæ postmodùm ab ipso in Appendicem redacta, in celeberrimis Auxiliorum Congregationibus uti Pelagiana damnata sunt: objectam Inquisitionis Castellæ damnationem derisit, quòd judicii indeficientiam instar Concilii Generalis non haberet; séque legibus ejus, quandiu in Lusitaniâ versaretur, nequaquam obstrictum, inverecundè respondit.

Sustinuit responsionis audaciam Principum gratia. Molinæ causam apud Inquisitorem filium, jam satis ad gratiam propensum, promovit Serenissima Augusta Maria, Societatis obsequiis devotissima; protexit potentissima Borgiadum familia, quasi hujus honor cum Societatis jacturâ periclitari videretur. Nec solùm Inquisitoris animum ardentissimæ preces commoverunt, sed & dignitatis ac proprii nominis ratio. Timuit scilicet, ne si lati à Generali Castellæ Inquisitore judicii rationem haberet aliquam, ejus se legibus obligatum fateretur, cui tot natalium ac dignitatum titulis longè superior habebatur. Datâ etiam semel typorum veniâ, susceptâque libri officiosâ nuncupatione, ab impenso patrocinio retrocedere, atque (ut vulgò dicitur) Rubicone transmisso pedem referre, pudor fuit. Quare nullâ novâ juris tentatâ formâ, tanquam nihil obesset quominùs curata editio publicam prodiret in lucem; Molinam ejusque librum propriæ fortunæ permisit. Ne autem supremus Castellæ fidei Quæsitor contemtam Censuram suam gravè ferens, in Molinæ librum inquireret, ubi primùm intra jurisdictionis suæ fines circumferretur, fulmen avertendum curavit petitâ ad libri publicationem Castellanæ & Aragoniæ Curiæ licentiâ, quam, ut moris est, sub data jam Bartholomæi Ferreiræ approbatione impetravit.

Justitias judicare nolim. Viderint æqui rerum æstimatores, eáne dicendi agendique ratio præscriptis juris formulis justò respondeat. Nihil tamen æquè festivum est, quàm quod Molina cæterique deinceps Societatis Theologi de obtenta Lusitanæ Inquisitionis imprimendi licentiâ jactitarunt. Hanc superbo trium Conciliorum, Castellæ, Arragoniæ, Lusitaniæ, nomine celebrat Molina in Appendice: cæteri passim judicii contradictorii titulo magnificant: sic enim Viri boni amplificare res suas solent. At quantùm aberret à vero superba jactantia, perspiciet quisquis rem paulò attentiùs consideraverit. Quæ etenim Lusitanæ Inquisitionis Curiæque Castellanæ & Arragoniæ imprimendi licentia jactitatur, sub unius dumtaxat publici Censoris approbatione cæterorum librorum sorte concessa est. Nec post Prædicatorum intercessionem alios ad examen deputatos Censores scimus; quorum certè si quæ suffragia fuissent, ea cum Bartholomæi Ferreiræ Censurâ Libro suo Molina præmisisset. Sic ut tota tandem Molinianæ CONCORDIÆ approbatio, tot titulis magnificè prædicata, in unius Censoris suffragio hæreat, qui ante delatas querimonias subscriptionem rogatus, nihilque tunc temporis suspicatus mali, incircumspectè annuit; aut etiam fortè (ut sæpiùs inter amicos usu venit) nullâ libri præmissâ lectione subscripsit. Fucum itaque facit personatus Societatis Actor, in supplici Monitione Archiepiscopo Remensi factâ, illuditque petulantiùs, dum eam Bartholomæi Ferreiræ Ordinis Prædicatorum approbationem, plus æquò magnificans, ita scribit: *Dum Molinæ Liber à nonnullis Ordinis Prædicatorum Patribus ad Inquisitionis Lusitanæ Judices delatus est, à R. P. Bartholomæo Ferreira, qui Supremo Inquisitori à Consiliis erat absolutus est, & ab eo non sine laude approbatus.* Quasi verò post Prædicatorum expostulationem injectam, suum ille Molinianæ Concordiæ suffragium dederit, atque ipso etiam Inquisitionis accedente consilio. Ita ludunt illuduntque nugaces, ut sua magnificent arrogantiùs; cùm contra potiùs ea qualiscumque approbatio Ferreiræ, ante subortos turbines extorta sit, quo tempore nulla adhuc suberat mali suspicio, nulla querela, quæ supinum ac desidem Censorem excitaret, ut intenderet animos. Prudentiùs sanè de ea Ferreiræ approbatione pronunciat Henricus Henriques è Societate, in sua contra Molinam Censurâ, de qua prolixior nobis sermo erit: *Liber*, inquit, *de* CONCORDIA *approbatus solùm fuit in forma communi à F. Bartholomæo Ferreira, cui commissum est:* & *quod ille cursim non adver-*

Molina in Edit. Ulyssip. p. 34. Valentia. Arrubal. Ripalda. Henao. Orthega. Autor libelli famosi contra Archiep. Remens.

tit,

tit, potuit ab aliis maturè Librum legentibus animadverti Censurâ dignum.

Sunt quidem è Societate nonnulli qui Bartholomæo Ferreiræ, Joannem de las Cuentas, Castellanæ provinciæ Ordinis Prædicatorum Provincialem, Molinæ approbatorem adjungunt, eoque pacto subsidiarias copias augent. Id avidè ex suorum suffragio confestim arripuit personatus iste Societatis Monitor: *Molinæ liber* ait ille, *plenè absolutus est suffragio Joannis de las Cuentas Dominicani, qui subinde Episcopus fuit Abulensis, & qui tunc temporis Cardinali Duci Alberto à Confessionibus erat.* Verùm anilem fabulam non exsufflant modò præsentis Historiæ documenta, Molinianæ CONCORDIÆ exemplaria universa, à quibus hæc approbatio procul abest, cæterique passim Societatis scriptores, qui unicum Ferreiram Molinæ approbatorem venditare solent; sed ipsa maximè facti repugnantia, palàm apertéque revincit: adeò ut mirari omninò subeat, stultum adeò putidumque figmentum in cujuspiam animum venire potuisse. Ille etenim Joannes de las Cuentas, Castellanæ Provinciæ Provincialis, ac Serenissimi Principis Archiducis Cardinalis Alberti Confessarius, eorum fuit unus qui Molinæ ipsi litem moverunt, ejusque Librum, dato sacræ Inquisitioni Generali & Apostolicæ Sedis Nuntio prolixo libello, pessimæ fidei ac suscitati Pelagianismi postularunt. Exstat etiamnum libelli hujus autographum Romæ inter instrumenta ad Congregationem de Auxiliis spectantia, de quibus paulò infra dicemus, sub hoc titulo: *Apologia FF. Prædicatorum in Provincia Hispaniæ S. Theologiæ Professorum, adversùs quasdam novas assertiones cujusdam Doctoris Ludovici Molinæ nuncupati, Theologi de Societate Jesu, quas defendit in suo Libro, cui titulum inscripsit*, CONCORDIA liberi Arbitrii cum Gratiæ donis &c. *& adversùs alios ejusdem novæ doctrinæ sectatores ac defensores de eadem Societate.* Visitur etiamnum ibi ac distinctè legitur Joannis de las Cuentas chirographum ordine sexto in hunc modum: *F. Joannes de las Cuentas Magister & quondam Provincialis, ac Serenissimo Principi Cardinali Duci Austriæ à Confessionibus.* Hunc ergo nobis, si Superis placet, Molinæ approbatorem venditent Moliniani, ut de Prædicatorum suffragio sibi plaudant, quos adversarios adeò solertes & experrectos experti sunt.

Ripalda. Paul. Leonard.

UT ut est, librum suum de CONCORDIA liberi Arbitrii cum Gratiæ donis, intra breve tempus variis typis edi curavit Ludovicus Molina, ut doctrinam suam latè diffunderet. Post consummatam anno 1588. Vlisipponensem editionem, additamque sequenti anno suæ defensionis Appendicem; alteram Lugduni edi curavit anno 1593. tertiam Venetiis ad calcem Commentariorum suorum in primam S. Thomæ partem anno 1594. quartam demum Antverpiæ anno 1595. In Veneta editione multa è libro CONCORDIÆ detraxit, quæ primæ parti inseruit. In Antverpiensi verò nonnullas Disputationes adjecit, multa licet expunxerit contra communem Theologorum doctrinam asserta. In singulis porrò editionibus Disputationum invertit ordinem. Ex quo factum observat Thomas de Lemos, ut dum in Congregationibus Molinæ locum juxta unius editionis fidem impugnatores ejus afferrent, editionem alteram additionibus & ordine diversam defensores illius exhiberent, ubi & difficulter inveniebatur, ac sæpius aliter legebatur.

Tract. 6. de P. Molin. cap. 1.

Statim atque prodiit Molinæ Liber, inventæ Scientiæ-mediæ famam adeò communiter apud suos obtinuit, ut ipsius etiam vocarentur nomine quotquot eam tuebantur; donec hanc illi gloriam invidens Petrus Fonseca gravissimam litem moverit. Et quidem hanc ille Eboræ suis tradiderat Auditoribus anno circiter 1560. quos inter cùm esset Molina, suam ex eo fecit primusque dedit in lucem. Quo excitatus Fonseca, spoliatum suo se honore vidit, & stomachatus discipulo quidquid in novo invento gloriæ erat, repetere voluit. Quare Metaphysicam suam edens, rem uti acta erat exposuit, seque illius Autorem professus est. Verùm serò laudem sibi quæsivit bonus homo; cùm Molinæ liber toto jam orbe volitaret, eoque Scientiæ-mediæ inventoris titulo ubique celebraretur. Molinæ tamen condonandum existimaverim. Ita quippè Scientiam-mediam à Fonseca susceptam, ut informem viri fœtum, lambendo formavit ac fovendo vestivit, ornatamque dedit in lucem, ut suo planè jure usus videatur, dum quem aluerat, vestiverat, ornaverat fœtum, sibi demum arrogavit, ejusque defensoribus nomen dedit.

Lib. 6. cap. 2. q. 4.

Foret hîc de hujus Autoris periculosis opinionibus disserendum, nisi quo loco de Congregationibus ad illarum damnationem celebratis dicturi sumus, actum reagere cogeremur. Dicam interim, quod ab ullo negari vix potest, Molinæ præcipuum institutum fuisse, novam de divina Gratia Theologiam inducere, tritas Majorum vias

vias occludere, ignotos ac salebrosos calles aperire, séque demùm in Augustinum, cæterosque Pelagianismi debellatores ambitiosiùs efferre.

Ea de re sibimetipsi gratulatur ac plaudit vanus homo post explicatos novos minervæ suæ conatus: *Nos*, inquit, *pro nostra tenuitate rationem totam conciliandi libertatem Arbitrii cum divina Gratia, Præscientia & Prædestinatione tradidimus, sequentibus principiis, ex quibus ea deduximus, quæque variis locis tradidimus, inniti judicavimus. Quæ si data explicataque semper fuissent, fortè neque Pelagiana hæresis fuisset exorta, neque ex Augustini opinione concertationibusque cum Pelagianis tot fideles fuissent turbati ad Pelagianosque defecissent; facileque reliquiæ illæ Pelagianorum in Gallia, quarum in Epistolis Prosperi & Hilarii fit mentio, fuissent exstinctæ, ut patet ex iis in quibus homines illos cum Catholicis convenisse & ab illis dissensisse, eadem Epistolæ testantur: concertationes denique inter Catholicos fuissent compositæ..... Longior fui in hac Disputatione, quàm optaram: quia tamen res est magni momenti ac valde lubrica, & hæc nostra ratio conciliandi Libertatem Arbitrii cum divina Prædestinatione, à nemine quem viderim huc usque tradita; ideo satius hæc duxi paulò fusiùs explicare: ne fortè eorum pressior explicatio efficeret, quominus mens nostra ab his qui minus ingenio pollent perciperetur.*

Augustinum, veluti tenebris nescio quibus immersum, festivè ac petulanter excipit nova luce perfusus homo, 1. p. q. 23. art. 4. disp. 1. memb. 6. ubi cum statuisset, vocationem ad Gratiam ex consideratione usus liberi Arbitrii factam esse, ut rigorem atque duritiem, ut ait, Prædestinationis omninò gratuitæ emolliret, hominumque animos plenè sedaret, de Sancto Augustino ita subjungit: *Interea vero sub ea caligine D. Augustinus hoc non attendit*, eam scilicet Prædestinationis duritiem amovendam: quam si S. Doctor, ut ipse quidem autumat, observasset, vocationem ex præscientia usus liberi Arbitrii factam esse, sine dubio pronunciasset. Tum demum injectâ dubitatione, an gratuitam planè vocationem Sanctissimi Doctores Augustinus & Thomas reipsa docuerint, difficultatem audaciâ perrumpit: *Esto*, inquit, *hi duo Patres in eam sententiam inclinassent, salva eorum reverentia, quæ illis debetur maxima, quoad illud secundum admittenda non esset. Neque enim miror opinionem illam, eo pacto intellectam, à multis duram nimis indignamque divina clementiâ judicari.* Quod iterum de D. Thoma cæterisque communiter Theologis apertè pronunciat: *Salva*, inquit, *reverentia quæ D. Thomæ debetur magna, non miror, si communior Scholasticorum sententia, præsertim eo modo intellecta, quo verba D. Thomæ hoc loco ad tertium sonare videntur, à multis dura nimis, indignaque divina bonitate & clementia judicetur.*

Fuere quidem qui Societatem priora illa in Augustinum totamque Ecclesiam contumeliosa verba è posterioribus Molinæ editionibus expunxisse dicerent. Id Vincentius Baronius admodùm exaggeravit, suique nominis autoritate traxit incautos. Verùm afflictæ sibi fraternæ charitati intercessere, nec sine stomacho, Ferrerius, Gabriel Henao cæterique plures Societatis Athletæ. Gratulor quidem si veritatis studio tacta est intercessio, nihil quippè usquam expunctum observo; at si probandæ vanitatis animo, condoleo miseris. Veniâ tamen aliquâ dignus est Baronius, qui prævios assertionis suæ testes habuit Theologos Salmanticenses, apud quos ita legimus: *Adversum sibi Augustinum ingenuè fassus est primus ille, ut ipse credit, Scientiæ-mediæ Patronus Molina, in suâ primâ* CONCORDIA *Ulisippone typis mandatâ: quamvis postea experimento cernens, quantùm inde suæ sententiæ præjudicium sequeretur, id in Lugdunensi impressione subticuerit.* Quo loco non absimiliter seductus est Franciscus Macedo Ordinis Minorum Theologus eximius, Collatione 12. diff. 1. lect. ultima: *Id tamen observandum*, inquit, *tantam fuisse erga Augustinum Societatis reverentiam, ut jusserit Molinæ* CONCORDIAM, *quæ primis typis Ulisippone cusa fuerat, recognosci ab eo, & quæ minùs de Augustino honorificè scripserat auferri; & novitatem quam jactabat suæ doctrinæ ad antiquum Patrum & Scholasticorum sensum, ac in primis Augustini reduci, ut in secundis typis apparet. Quod ante me Salmanticenses in suo illo excellenti de Scientia-media tractatu observarunt.* Editionem Lugdunensem appellant Theologi Salmanticenses; quam verò, non indicant. Certè nullam ibi vivente Molinâ curatam novi, nisi quæ ex officina Bussonii anno 1593. prodiit: at hæc, uti & altera apud Prostium anno 1622. curata, eamdem cum Ulisipponensi lectionem retinent: adeò ut planè nesciam unde illa Salmanticensium aberratio fluxerit.

Baron. in Apolog. Ord. Præd. 2. part. lib. 4. §. 3.
Gonet disp. 6. de Scien. med. art. 5. §. 7.
Paulus Fasseau in authen. exauth.
Ferrer. in post. Resp. ad object. Vin.
Gabriel Henao de Scient. med. prob.

De Scient. Dei tract. 3. disp. 10. dub. 3. § 1.

Cæterùm non æqua fuit domesticorum de inductâ novitate gloriatio. Scientiæ equidem mediæ, Molinianæ doctrinæ caput, novis revelationibus è tenebris erutam, atque ante id temporis à Theologorum nemine

mine vel per somnium quidem excogitatam ac usurpatam agnoscunt Fonseca, Vasques, Granado, Herice, Tiphanius. Cautioribus tamen Molinianæ doctrinæ defensoribus displicet sincera nimis veraque confessio; ne apud æquos æstimatores turpiter ex acie decidant. Quare Augustinum cæterosque Pelagianæ sectæ debellatores, in Molinæ partes trahere satagunt, à quibus se remotissimum jactitavit; antiquam doctrinam prædicant, quam novam autor agnovit; novoque & inaudito patrocinandi genere, Molinæ (si Superis placet) contra Molinam defensionem assumunt.

Fons. q. 6. Metaph. sect. 8. Vasq. 1. p. q. 14. disp. 69. cap. 4. Gran. tra. 5. disp. 3. sect. 2. Herice 1. p. disp. 7. cap. 10. Tiphan. lib. de Ord. cap. 24.

Quid enim, amabo, est, quod, ne Magistri confessionem sibi contrariam fateantur, obtrudere solent cautiores discipuli? Molina, inquiunt, non ignotam Augustino Scientiam-mediam, sed ab eo non usurpatam dixit: nec se rei, sed nominis inventorem asseruit. Jam itaque non inscitiæ, sed imprudentiæ ac nequitiæ reus agitur Augustinus. Si etenim Scientiam-mediam reverâ novit, ac velut expeditam concordiæ viam probavit, quâ & præscindi Pelagianismus, & præcaveri Calvinismus, fidelium etiam perturbationes, concertationes, atque à fide defectiones devitari facilè possent; næ illum, quæso, imprudentem & iniquum, qui regiâ neglectâ viâ, illam iniit unde tot in Ecclesiam mala, tot scandala, tot dissidia derivarunt? Aut quæ tanta vocis hujus energia, ut ejus unius apud veteres ignoratione subortæ hæreses, excitata dissidia, existimari meritò possint?

Ferrerius lib. 2. de Scient. med. disp. 5. cap. 14. Henao prot. 2. & Event. 19. & alii passim.

CAPUT DECIMUM QUARTUM.

Molinæ CONCORDIA *à viris in Ecclesia maximi nominis statim malè habita, ob gravissimam suscitati Pelagianismi suspicionem.*

ALterum in Molinæ CONCORDIA longè gravius vitium statim atque publicè prodiit observatum fuit: non illud quidem ex instituto meditatum, sed obliquè ex imprudenti Calvinismi impugnatione consecutum: Pelagianismi, videlicet, restitutio. Fuit illa (ut nihil interim de Congregationum Judiciis intempestivè proferam) celeberrimorum Virorum ac Societatis amicorum opinio, cùm primùm lucem aspexit.

Judicium ea de re dixit Eminentissimus Annalium Parens ad annum 490. num. 32. ubi Molinam ejusque discipulos tacito nomine carpit: *Cùm*, inquit, *Fausti sententiæ ubique ab Ecclesia Catholica fuerit contraditum, videant quanto periculo quidam ex recentioribus, dum in Novatores insurgunt, ut eos confutent, à S. Augustini sententia de Prædestinatione recedunt; cum alioquin arma non desint, quibus adversarii profligentur.*

Hoc loco indigitat Vir eruditus Molinianos, qui Molinæ sui commenta ad Semipelagianismi vindicias usurparunt. Mira res, sed interim lugenda! Quo primùm tempore prodiit Vlisippone Molinæ Concordia, eodem illo, velut ex condicto, Romæ Societatis curis Cassiani Opera prodiere, Stephani Tuccii, libri De ratione studiorum promotoris acerrimi, notis Apologeticis illustrata: quibus errores ejus ab Ecclesia prædamnatos, peregrinis expositionibus è Moliniana CONCORDIA petitis, emollire ac vindicare satagebat. Nec alio ex fonte cæteri deinceps ebibére, quotquot Cassianum, Faustum, Gennadium, editis Apologiis absolverunt; Prosperumque oscitantiæ, ac nimiæ in legendo Cassiano levitatis arguere: uti Henricus Cuickius in notis ad Cassianum, Petrus Ciaconius Toletanus, in observationibus ad eundem, Thomas Pio quæst. 23. primæ partis, Joannes Baptista Guesnai in Cassiano illustrato, Rodericus Arriaga tom. 1. in primam partem disp. 32. num. 11. Jacobus Sirmondus in Historia Prædest. cap. 3. Ludovicus Cellotius lib. 2. Hist. Gottesc. cap. 4. Gregorius Martines parte 2. quæst. 109. art. 6. dub. 3. Curiel ibidem, Christophorus Ortega tom. 2. contr. 7. disp. 3. quæst. 2. cert. 2. Adeò ut primos Molinianæ CONCORDIÆ fructus Semipelagianæ sectæ Principes pro sui liberatione reportarint.

Quantùm porrò Semipelagianis, Molinâ suffragatore, acclamatum est, tantùm Augustino ab iisdem recentioribus insultatum. Legat qui eo non prorsùs stomachatur argumento, convitiorum plaustrum, quo sanctissimum Doctorem onerarunt Molinianæ scholæ Antistites, Joannes Adamus libro Gallicè inscripto: *Calvin défait par soi-même & par les armes de S. Augustin, qu'il avoit injustement usurpées, sur les matieres de la Grace, de la Liberté & de la Predestination*: hoc est, *Calvinus destructus suismet & S. Augustini armis, quæ idem injustè usurpavit, in his quæ ad Gratiam, Libertatem & Prædestinationem attinent:* Franciscus Annatus libro præsertim 8. sui Augustini à Baianis vindicati; Stephanus Dechamps de hæresi Jansen. Joannes Martinonus, sub Antonii Moraines larvâ delitescens, in Anti-Jansenio: aliique obscuri nominis scriptores, quorum propositi-

positiones viginti duas confixit Vallisoletana Hispaniarum Inquisitio die 28. Martii anni 1650. *uti injuriosas sanctitati, pietati, & doctrinæ unius columnæ Ecclesiæ Catholicæ, qualis est gloriosus P. Augustinus.*

Explicatiùs, nec sine quodam horrore, mentem suam aperuit idem ille Annalium Parens, in Epistola ad Illustrissimum Virum Petrum de Villars Archiepiscopum Viennensem; quam integram subjicere non pigebit, utpotè summæ hac in parte auctoritatis fideique prorsùs indubiæ; quemadmodum ipsi quoque Molinæ Vindices ante dies aliquot tassi sunt in supplici Monitione Archiepiscopo Remensi data, qui hanc Baronii Epistolam in districta adversùs Molinianas assertiones Censurâ laudaverat die 15. Julii 1697. *Cardinalis Baronii judicium*, inquit Societatis Actor, *gravioris longè momenti est, nihilque occurrit, quo laudatam à Celsitudine vestra Epistolam, ei possim abjudicare.* Ita ergo Eminentissimus Baronius de Molinæ novitatibus ad Archiepiscopum Viennensem scribebat.

Exstat in MS. Card. Riccii: Apud Gonet in Apolog. Thom.

ILLUSTRISSIME ET REV. DOMINE.

„ Ignoscas si tardiùs quàm par est, ad „ Litteras Reverendissimæ Dominationis ve„ stræ rescribo, quas ut puras & orthodoxas „ in omnibus exosculatus sum; à quibus ab„ sit ut vel in minimo apice vel puncto dis„ sentiam. Tantummodo de libris Molinæ „ remanet controversia. Legi eos, sed non „ sine stomacho, cùm in illis nihil potentiùs „ agere præ se ferat, quàm S. Augustino „ adversari (licet Sanctum nunquam nomi„ net) eumque oscitantiæ redarguere, sé„ que illo in iis disputationibus vigilantiorem „ acutioremque jactare. Quis potest eum ta„ lia loquentem absque nauseâ tolerare? li„ cet ut anguis effugiat, & è manibus facilè „ elabatur; ut etsi temerarium quis inveniat, „ haud facilè possit hæresis convincere & su„ gillare. Non hujusmodi Commentatoribus „ indiget Ecclesia Dei, quæ puritate, can„ dore, nitore delectari tantummodò con„ suevit, ipsa non habens maculam neque „ rugam. Legi, inquam, eum, & ad quin„ quaginta & ampliùs notavi propositiones, „ verba, phrases, quas vel saltem affines esse „ erroribus Pelagianorum sive Semipelagia„ norum (licet ipse cautiùs intra Catholicæ „ fidei limites, vel protestando saltem, se con„ tineat) nemo puto, qui absque affectu illa „ perlegerit, negabit omninò. Quid Eccle„ sia Dei indiget hujus Molinæ libris, ut „ discat quæ à tot Sanctis Patribus, Conciliis, „ atque Decretis, jam ante tot secula didicit „ atque docuit? Quod ad ipsum D. N. Clementem Papam attinet, hoc ipsi in pro« posito est, hoc in voto, hoc denique in « decreto, ut nec latum unguem à vestigiis « Prædecessorum recedat, sed iisdem insistat « quàm firmissimè. Scit planè tot Sanctos « Pontifices, Innocentium, Sixtum, Cœle« stinum, Hormisdam, ac denique Fœlicem, « cujus sunt Canones Arausicani Concilii, « hoc professos suis scriptis esse, atque testa« tos, Romanam Ecclesiam, in iis quæ spe« ctant ad Gratiam & liberum arbitrium, se« qui semper consuevisse S. Augustinum. « Testatur equidem id tot verbis Hormisdas « suis litteris; adeò ut alio judicio opus non « sit, cum jam præjudicatum sit. Laborat « nunc in discutiendo Molinæ Volumine, de « quo vel abjiciendo, vel purgando, vel re« tinendo, adhuc sub judice lis est. Meâ si« quidem sententiâ, eo non indiget Ecclesia « Catholica, in quo vel saltem quædam au« ditui horridula essent corrigenda. Monui « Reverendos Patres meos Societatis Jesu, « ne æstimationem eorum in defensione li« brorum ejus periclitari sinant & in dis« crimen adduci. Colo ipsos omnes, Deus « scit, ut Patres, ut de illis illud usurpem: « *Opprobria exprobrantium tibi ceciderunt super me.* « At nolo prolixior esse. Vale, Pa« ter amantissime atque doctissime, lucerna « pedibus meis, cum per obscura contigerit « ambulare. De beatis Viris in Sanctorum « numerum collocandis, ad aliud tempus « servavit hoc Deus. Romæ idibus Martii, « anno Domini 1603. Vestræ Illustrissimæ « ac Reverendissimæ Dominationis Frater « & servus.

CÆSAR *Card. Baronius.*

Hujus Epistolæ fidem facit Petrus Matthæus in Historia septem annorum pacis, quam gallico idiomate anno 1604. adornavit, lib. 7. narratione 4. *Vidi*, inquit, *Epistolam, quam propriâ manu scripsit Cardinalis Baronius ad D. Petrum de Villars, alterum Galliarum Hilarium; quemque Cardinalis ille maximus Lucernam suis pedibus vocat, cùm per obscura Theologiæ ambulare contigerit: ac certè unus è doctissimis Universalis Ecclesiæ Episcopis existimatur. Ex ea porrò liquet, eum nullatenus Jesuitarum opinioni favere. Immò dolet Molinam suscitasse quæstionem Ecclesiæ Catholicæ prorsùs inutilem; ac demum ait, quòd etsi Jesuitas amet ac colat, ipsisque illatas injurias in se suscipiat, eos nihilominus admonuit, ne famam suam pro defensione Molinæ in discrimen adduci sinant.*

Gravem hujus Epistolæ occasione Illustrissimo Rhemensium Archiepiscopo litem movit novissimus Societatis Monitor, quasi

quasi qui ea Baronii verba de Ludovico Molinâ, *Licet Sanctum nunquam nominet*, præposterè reddidisset suo in Decreto Pastorali, *auquel il affecte de ne jamais donner le nom de Saint*; ut Molinam sacrilegæ in Augustinum impietatis reum ageret. Aliud longè Eminentissimi Viri sensum esse ait fervidus actor, nihilque ea loquendi ratione significatum obtendit, nisi Molinam pro sua in Augustinum reverentiâ, ab eo ex nomine appellando abstinuisse iis in locis, quibus doctrinam ejus oppugnare visus est. Cùm aliàs sacros interdum titulos sanctissimo Gratiæ Vindici deferat; atque eo etiam in loco, qui paginâ 21. Pastoralis Decreti sugillatur: *Sub ea quasi caligine* (Molinæ verba sunt quæst. 23. art. 4. & 5. disp. 1. memb. 6.) *Divus Augustinus ad hoc non attendit*. Sic suam ille ex fraternæ charitatis officio causam agit.

Verùm retinendam Illustrissimi Archipræsulis versionem, ridendumque omninò officiosi actoris interpretamentum, fatebitur quisquis Baronii verba penitiùs observarit: quibus tantùm abest, ut Molinæ in tacendo Augustini nomine, quoties illum oppugnat, reverentiam commendet, quin potiùs illum eâ præsertim de causâ duriùs excipit, quòd S. Augustinum oscitantiæ redarguerit, eóque se vigilantiorem acutioremque jactarit; quod certè tacito sanctissimi Doctoris nomine fieri nequit. Et verò, an non Augustinum ex nomine appellavit Ludovicus Molina, cum his ipsis verbis à Monitore relatis, quibus Augustinum *Divi* titulo appellatum asserit, tum quoties ea in illum ejusque doctrinam probra congessit, quæ superiori capite proferebamus? Ubinam igitur jactitata illa in Augustini nomen religiosa Molinæ reverentia? Non alius ergo quærendus Baronii sensus, quàm qui ab Illustrissimo Præsule datus est: neque succensendum alterutri, quòd ea negati Augustino sacri tituli accusatione Molinam primi petierint: hoc idem illi crimini dedit, etiam ante Baronium, Jacobus le Bossu Doctor Sorbonicus, Regalis Abbatiæ S. Dionisii propè Lutetiam Monachus Benedictinus, Congregationis Auxiliorum Consultor, in brevi compendio doctrinæ Ludovici Molinæ, quod anno 1600. mense Octobri, Romæ elaboravit. *De S. Augustino*, inquit, (*quem vix unquam Sanctum aut Divum appellat, ac sæpius ut incautum sugillat*) *impudentissimè petulantissiméque toto passim Opere loquitur. Sententias de divina Prædestinatione & Gratia efficaci, quas ab ipso ac Divo Thoma assertas ingenuè fatetur, traducit apertè ut scandalosas, divinæ justitiæ injurias, hæreticis faventes, duras, ac prorsùs à fidelium cœtibus ac scholis eliminandas; cùm ipse è contra obtrita penè omnia Pelagianorum arma recudit.*

Quod Baronius absolutè dixit, *Licet Sanctum nunquam nominet*, Bossutius aliquantulùm temperaverat: *Vix unquam*, inquit, *Sanctum aut Divum appellat*: atque id quidem accuratiùs & ad rei fidem magis. Augustinum enim, quem sexcentis plus minùs vicibus ex solo nomine appellat Ludovicus Molina, ut illum obliquè deprimat, bis tamen aut ter præter morem, ne dicam præter mentem, Sancti titulo cohonestat. Minùs tamen accuratum Molinianæ causæ patronum se gessit personatus Monitor, dum eam membri 6. lasciniam objectavit; quæ uti à prima CONCORDIÆ Molinianæ Editione Ulisipponensi procul abest, ita & à Baronio fortè observata non est. At de Clarissimo Annalium Parente Molinianæ doctrinæ Censore plus quàm satis.

Præiverat Eminentissimus Contarenus, nihil licet de personâ Molinæ distinctè cogitans, quem longo antecessit intervallo, lib. de Prædestinatione. *Orti sunt*, inquit, *qui se Lutheranorum hostes atque adversarios, Catholicæque veritatis patronos esse profitentur: qui statim atque de natura humana imbecillitate, de Arbitrii ægritudine verba apud populum fieri audiunt, Lutheranorum doctrinam esse clamant. Et cum pertinaciter Arbitrii libertatem asserere volunt, hominem paulatim extollunt, Divinam gratiam deprimunt: ipsi ex catholicis Pelagianos sese faciunt: & ne, quod in Christiana Religione caput & radix est, propagetur & latiùs diffundatur, impediunt.*

Eodem in Molinæ doctrinam animo fuisse Cardinalem Berullum testatur Guillelmus Gibieuf, in sua ad Urbanum VIII. Epistola nuncupatoria: *Hujus*, inquit, *sententiæ* (videlicet de Gratia ex se efficaci, & gratuitâ Prædestinatione) *adeò studiosus fuit, ut se à contraria alienissimum profiteretur. Etsi enim cultores quidem ejus admodum probaret; quòd tamen eâ illos mente in hujusmodi sententiam descendisse animadverteret, ut rationi humanæ gratificarentur & erga naturam liberaliores essent, nec originem illam, nec dogma inde derivatum probare unquam potuit. Quin magno animi ardore (ita enim erga gratiam & veritatem affectus semper fuit) & repudiabat ipse, & alios quoscumque occasio tulerat, abducebat.* Unde Epist. 165. profitetur se scholam D. Thomæ sequi in his maximè, quæ ad Gratiam atti-

attinent. *Non subsistentiam tantùm*, inquit, *sed & existentiam Verbi tribuis Humanitati Christi, in schola S. Thomæ, quam in hoc sequimur, & in materia Gratiæ, & in reliquis omnibus, quantùm possumus.*

CAPUT DECIMUM QUINTUM.

Molinæ CONCORDIA *Theologis è Societate primi subsellii initio displicet; & ab eis strenue confutatur, durioribusque notis afficitur.*

NEc magis Domesticis arrisit Molinæ doctrina, quandiu veritatis zelum privatis affectibus prætulerunt. Præsto est Bellarminus, è Societate Cardinalis. Sententiam de gratiæ efficaciâ ex liberi arbitrii cooperatione suspensâ, in quam tota collimat Moliniana CONCORDIA, ita sugillat lib. 1. de Gratia & lib. arb. cap. 12. *Hæc opinio aliena est omninò à sententia B. Augustini, & quantum ego existimo, à sententia etiam Scripturarum divinarum.* Quod multis sanctissimi Doctoris & variis utriusque Testamenti locis adstruit. Tum subdit: *Hæc opinio evertit omninò fundamenta Prædestinationis divinæ, quam S. Augustinus ex divinis Litteris solidissimè comprobavit.* Quod pariter multis confirmat argumentis; ostenditque demum eam quorumdam opinationem Gratiæ efficacis vocabulo insigniter abuti.

Rursùs doctrinam de gratuita Prædestinatione, quam totis viribus uti Religioni Catholicæ repugnantem oppugnat Molina, hacce conceptissimâ eliquatissimaque propositione stabilit Eminentissimus Theologus, lib. 2. de Gratia & libero arbitrio cap. 9. *Prædestinationis divinæ nulla ratio, ex parte nostri assignari potest. . . . . Diximus autem nullam rationem assignari posse, ut excludamus non solùm merita propriè dicta, sed etiam bonum usum liberi arbitrii, aut gratiæ, aut utriusque simul, à Deo prævisum; etiamsi non dicatur esse meritum, nisi de congruo, & etiamsi non dicatur vera causa, sed tantum conditio, sine qua non prædestinaretur is qui prædestinatur.* Tum subinde cap. 11. doctrinam sic à se statutam expositamque hoc elogio commendat: *Neque solùm Sancti Patres hoc affirmant, sed antiquiores & doctiores ex ipsis, quos cæteri postea secuti sunt, & ad fidem Catholicam hanc sententiam pertinere tradunt, & contrariam ad Pelagianos rejiciunt. Notabo aliqua loca, ut qui fortè contra sentiunt, intelligant ex judicio Sanctissimorum Patrum, in quàm manifesto errore versentur.* Iis porrò notatis ac recensitis, ita demùm concludit: *Itaque Sedes Apostolica, non tantùm semel, sed etiam secundò & tertiò, adversus Pelagianorum reliquias, pro defensoribus Gratiæ & Prædestinationis sententiam tulit; ut jam hæc sententia, non quorumvis Doctorum opinio, sed fides Ecclesiæ Catholicæ dici debeat: id quod in sequenti Capite adhuc apertius Deo juvante monstrabitur.* Hæc ille dum esset opinione liber. Quid verò refert, si dum Societatem universam, jactâ semel aleâ, Molinæ negotio implicitam vidit, ne se planè degenerem demonstraret, hærere ac titubare visus est, librosque suos Germanorum, ut scribunt aliqui, interpolationi permisit? Qua de re sermo redibit. *Lib. 2. Cap. 1.*

Festivum verò ac lepidum est, quod nuperus Societatis Monitor in libello famoso adversus Remensem Archiepiscopum disseminato, reponit: Nihil ab eo de divinæ Prædestinationis dogmate Molinam suum aberrasse; sed illud ipsum non minùs dilucidè ac viriliter defendisse, quàm ipsemet Illustrissimus Archiepiscopus sua in Censura defenderit. O superi, mites animos! Quàm id falsum, quam inaniter jactitatum, tota passim divinorum Auxiliorum historia adeò dilucidè demonstrabit, ut planè otiosi foret hominis, in aperienda Molinæ mente in antecessum immorari. Quoties enim in hacce gravissima lite de gratuita Prædestinatione tractatum est, toties de mente Molinæ prolixior admodùm sermo venit; probatúmque omnino fuit, nedum illum in altera minoris momenti controversia (quæ de duplicis vocationis ordine, ad gratiam & ad gloriam, Theologos inter innoxiâ fide tractari solet) cum nonnullis aliis cespitasse, sed & in ipsa, quæ fidei summam petat, ipso judice Bellarmino. Quocirca cùm in Congregatione 65. coram Clemente VIII. habitâ, die 4. Januarii 1605. Societatis Interlocutor, ut Molinæ sententiam de Prædestinatione minimè gratuitâ in tuto poneret, & inter fidei quæstiones minimè numerandam demonstraret, ad eam quorumdam Theologorum sententiam confugisset, qui Prædestinationem ad gloriam prævisis in antecessum meritis ex gratia enatis adscribunt, aberrantem ex instituto retudit Thomas de Lemos, & utriusque quæstionis discrimen immensum aperuit; ne Molinam in fidei capite aberrantem, injectâ illa alienæ quæstionis evanida specie, absolvi sineret: *Dupliciter*, inquit ille, *potest quis asserere, electionem ad gloriam fieri ex prævisis operibus: Primò, ita quòd Deus primò decernat dare homini efficacem Gratiam, ex cujus vi & efficacia benè operetur; & deinde quod ex prævisione*

visione operum & meritorum procedentium ex efficacitate gratiæ Deus illum eligat ad gloriam: & qui sic diceret, licet malè philosopharetur constituendo in Deo priùs volitionem mediorum efficacem, quàm efficacem intentionem finis, tamen ab errore Pelagianorum inveniretur immunis: quia jam admitteret nihil habere hunc hominem, quod non procedat ab efficacia gratiæ Dei. Et hoc modo possunt aliqui Scholastici sine errore Pelagianorum procedere. Alio modo fit electio ad gloriam, ex prævisione innata libertatis, ex se sola utentis auxiliis gratiæ, & illa efficacia reddentis, ut eligatur ad gloriam. Et hæc, à quocumque dicatur, est aperta sententia Pelagianorum. Illi enim in hoc errabant dicentes, quòd electio ad gloriam non fiebat ante prævisionem innatæ libertatis hominis bene utentis ex se ipsa auxiliis gratiæ.

Hæc obiter notare libuit, ne quis Molinæ negotium facessitum existimet ob levioris momenti quæstionem, quæ citra fidei periculum inoffenso pede pro arbitrio percurri posset: nevè quis falsò putet, Augustinianæ doctrinæ Vindices minùs in ea tentanda lite obesæ naris extitisse, nec satis ea inter sese Theologiæ dogmata feliciter discrevisse.

Si quis tamen Bellarmini mentem scire avet de altera quoque Prædestinatione gratuita, quæ videlicet electionem ad gloriam ipsi etiam ad gratiam electioni præviam facit (quæ communis Thomistarum opinio est) in eam illum pedibus manibusque venisse inveniet lib. 2. supra laudato Cap. 14. ubi nonnullis Scripturarum ac Patrum testimoniis facit satis.

Domesticis Molinæ oppugnatoribus, adjungendus venit, potiori etiam jure, Benedictus Perrerius ex eadem Societate Theologus insignis, & Sacrarum Scripturarum interpres. Is Romæ degens, quo tempore in Molinam orta tempestas est, eum à suis indefensum relinqui voluit; sæpiùsque Præpositos obtestatus est, ne se totamque Societatem in ejus defensione committerent. Neque verò id mirum: erat enim Vir eruditus, doctrinæ Thomisticæ studiosissimus, qui suam de Controversis Dogmatibus sententiam scripto consignaverat, diu antequàm Molinæ CONCORDIA turbas in Hispania concitaret: quem idcircò Theologi Duacenses in sua contra Lessium Censurâ laudarant, & contra Deckerium pro Academiæ doctrinâ commendaverat Rythovius in Oratione publicè pronunciatâ, de qua nobis Capite quinto sermo fuit,

Et quidem libro 8. De communibus rerum omnium naturalium principiis Cap. 8. post confutatam Durandi sententiam, quâ Deum cum causis secundis immediatè concurrere diffitebatur, de D. Thomæ sententia ita pronunciat: *Hæc doctrina, in hoc quod ait D. Thomas, Deum actu concurrere, ad quamlibet secundarum causarum operationem, non est opinabilis, aut probabilis tantùm, sed est omnino vera, certa & indubitata, de qua fas non erat Christiano Philosopho dubitare*: quod variis Scripturæ locis ostendit. Tum demùm quæstionem alteram, à nuperis Societatis suæ Theologis de prævio, ut vocant, concursu Physico agitatam, exorsus, Thomistarum sententiam palàm amplectitur, multisque, quantùm Philosophiæ Tractatori licet, confirmat argumentis: *In eo autem*, inquit ille, *quod adjungit D. Thomas, causas secundas, & in his voluntatem nostram à Deo moveri, applicari, & determinari ad volendum, licet nonnulli dissentiant Theologi, ego tamen manibus pedibusque in eam sententiam perquàm libenter eo. Hoc enim est ingenium, hac conditio, hic nexus atque contextus moventium, & causarum per se & essentialiter subordinatarum, ut posterior non moveat, nisi mota à priori*: In ordine moventium, *inquit Aristoteles lib. 8. Physic. textu 41.* quod priùs est, magis est causa movendi quàm sequens, & movebit magis; *& in Libello de Causis, propositione primâ, dicitur*: Causam primam plùs, vehementiùs, intimiùs & inseparabiliùs concurrere ad effectus causarum secundarum, quàm ipsas causas secundas, in operationibus ipsarum, & magis esse causam effectus, quàm causas secundas. *Quemadmodum igitur in aliis causarum generibus per se subordinatis invicem, posterior causa necessariò præsupponit causalitatem priorum; veluti in formis, esse sensitivum, præsupponit vegetativum; & hoc, esse corporeum; & in materiis secunda præsupponunt primam, idemque in finibus per se subordinatis evenit: sic etiam in moventibus & efficientibus per se invicem subordinatis, posterius necessariò præsupponit primum; & prima causa causalitas prior naturâ est, quàm causalitas causæ secundæ. Quid multa? Causæ secundæ comparatione Dei, sunt tanquam instrumenta artis comparatione artificis; à quo nisi moveantur, & ex arte regantur, nec movere quidquam nec facere artificiosè aliquid possunt.* Quæ ultima Perrerii comparatio usque adeò asserendæ, quam tunc Prædicatores tuebantur sententiæ, efficax est, ut Didaco Alvaresio, ob eam in suis ad Isaïam Commentariis usurpatam, non semel in publicis congressibus coram Clemente VIII. & Paulo Lib. 3. & 4.

Paulo V. Societatis Actores negotium non sine molestiâ facessiverint.

De gratuitâ Prædestinatorum vocatione, quod alterum in Molinam tentatæ litis caput erat, sententiam dixerat Perrerius idem in suis ad Danielem Commentariis, quos Romæ eo ipso anno 1587. luci dedit, quo Censuram in Lessium distrinxit Lovaniensis Academia. In eo statuendo Dogmate totus est, lib. 3. ea Capitis 3. Danielis verba exponens: *Omnia judicia tua vera sunt*; nihil ut desiderari ultra possit. *In quatuor potissimùm rebus judicia Dei vera sunt, & humanâ ratione incomprehensibilia, in quibus nempè verissimè illud dicatur:* Judicia Dei abyssus multa. *Primò quidem in æternâ electione & reprobatione hominum, sive privatim horum aut illorum hominum, ut Jacob & Esaü; sive in commune aliquarum gentium & populorum, ut populi Gentilis & Judaici. Eóque mirabilius id accidit, quòd illam distinctionem electionis & reprobationis, non ex prævisis bonis malisve hominum factis, sed ex sola Dei voluntate primùm profectam esse, nec uno loco, nec obscuris verbis Scriptura demonstrat...... Deinde quòd alias gentes & nationes vocet ac perducat ad gratiam Evangelii, missis ad eas Concionatoribus & Doctoribus veritatis; alias verò gentes, nihilo pejores illis, despiciat & in tenebris ignorantiæ derelinquat, non mittens illis efficacia subsidia, quibus ad salutem accipiendam converterentur.* Hæc ille, quibus Molinianam Prædestinationem ex prævisis ingenitis libertatis humanæ conatibus factam, & commentitiam conferendarum gratiarum legem, eliminatam omninò vides.

Ps. 35. 7.

Nec minùs eliquatè, lib. 15. *Sortem appellat Scriptura gratiam æternæ Prædestinationis, quâ Deus sanctos elegit ad participationem æternæ gloriæ. Ea dicitur sors, quæ significat aliquid, non ex propria virtute & facultate proveniens, sed quod incerto & improviso contingit eventu, seu gratuitâ solius Dei benevolentiâ & charitate.*

Tenaciori pro veritate contra Molinam stetit animo Henricus Henriques, Theologus è Societate præstantissimus, Francisci Suarii Magister, Salmanticensis Cathedræ Moderator. Is ut erat in Patrum ac potissimùm Augustini lectione apprimè versatus, Molinæ de Augustini doctrina minùs æquè sentienti palàm se & constanter opposuit; eumque ob petulantem audaciam sæpiùs interpellavit, molestè videlicet ferens, quòd is sua se industriâ obtinuisse jactitaret, quod & Augustinus *in caligine positus non attendit*, & alii Pelagianæ sectæ minùs cauti debellatores intelligentiâ assequi nequivere. Facti fidem facit Franciscus Macedo, Ordinis sancti Francisci Theologus, multis titulis commendandus, affectu in Societatem nulli secundus, in qua & diu vixit, & ab antiquis Patribus, ut ait, multa de hac re rogando & inquirendo curiosiùs accepit.

Collat. 10. diff. 4.

Nec verbis id solùm tentavit Henriques, sed publicis scriptis: neque veritus est in suo Tractatu, De fine hominis, ingenioso quidem & erudito, Ludovicum Molinam, reprehendere anno 1593. quo suum opus prælo dedit. Loca ex eo propemodum infinita colligerem, quibus nova concellitæ sui figmenta passim oppugnat: sed eo me levarunt onere Didacus Alvares in suis Respons. lib. 1. cap. 1. Salmanticenses tract. 3. de Scientia-media disp. 10. dub. 8. Franciscus Macedo collat. 11. diff. 1. sect. 5. Joannes Baptista Gonet in Apologia Thomistarum art. 6. quos si lubet, consulere liceat.

Verùm aperta sunt hæc, & in omnium oculis posita: paulò secretiora subnectam. Enatis de CONCORDIA Molinæ in Hispaniæ Regno dissidiis longè gravissimis, unus cæteros inter ab augustissimo Generalis Inquisitionis Senatu adlectus est Henricus Henriques, qui de doctrinæ novitate sententiam diceret. Dixit verò anno 1594. adornatâ in eum duriori Censurâ, quam anno subinde 1596. Generalis fidei Quæsitor, cum aliis Virorum eruditorum Censuris benè multis, Romam misit; quarum omnium autographa, inter cætera Congregationis auxiliorum monumenta, apud Augustinienses asservantur. In hac porrò Censurâ observatis in primis minutatim, quæ in Molinæ CONCORDIA animadversione digna veniunt, ita demùm de toto opere in universum pronunciat.

Licet Autor admittendus videatur, ut apud Censores purget se de vehementi suspicione & intentione hæresis Pelagianæ, cui sæpè favet, & monitus non desistit; Liber tamen dignus est, ut omnino prohibeatur: nec enim purgari potest, cum passim infinitis locis scateat periculosis & erroneis doctrinis. Nam parat viam Antichristo, dum contra merita Christi, & gratiarum auxilia ac prædestinationem plurimum tribuit viribus naturalibus liberi arbitrii.

Illa novitate Concordiæ, quam sibi Autor arrogat, asserens etiam D. Augustinum, D. Thomam & Patres, immò & Pelagium & hæreticos, si advertissent illam, sibi fuisse consensuros, asserit sæpè absolutè impias propositiones, in quibus Lectores offendent; quamvis

vis uno aut altero loco addat limitationem quamdam, utcumque tolerabilem.

Contra sanam, firmam & receptissimam doctrinam à multis annis, & hoc tempore apud sanctissimos Theologos totius Hispaniæ, immò totius ferè Orbis, loquitur irreverenter & periculosè; nec deterretur Censura, quam novit datam S. Officii.

Blasphemè & inverecundè, more hæreticorum bellicat contra SS. Patres sapientissimos, & eas illorum sententias, quas Theologi certas & indubitatas asserunt, ait Autor esse periculosas, & esse occasionem multorum errorum, & tollere libertatem arbitrii nostri; & neque ab illis neque à Conciliis, fuisse veritatem de Prædestinatione, Gratia & libertate arbitrii, declaratam aut plane intellectam, antequam Autor hunc librum conderet. Quæ res & contra sinceram fidem, & contra bonos mores militat, & nimis periculosa est, ut hic error & hic impius mos loquendi serpat ut cancer in Hispania, & extendatur ad alios errores.

In speciali de concursu generali Dei asserit quædam nimis falsa aut temeraria. De gratia & auxiliis ita diminutè agit, ut periculosè aditum præbeat erroribus Pelagianorum, aut reliquiis illorum, qui dicuntur Semipelagiani. De quadam scientiâ Dei media, illam ita asserit necessariam (cum vix circa pauca fuerit noïa apud antiquos) ut multa hinc inferat temeraria, & contra torrentem Theologorum. De providentiâ verò Dei subtrahit multa: in quo suspectus est de fide, & plusquam temerarius. Tandem de prædestinatione Dei, etiam circa Apostolos, asserit quædam erronea, aut fortasse hæretica, contra sacras Scripturas.

Nec verò id satis. Jubente Clemente VIII. de Molinæ doctrina Censuram edidit alterâ duriorem anno 1597. cujus Autographum eodem in scrinio servatum est, cum hac Epigraphe: *De mandato SS. Clementis Papæ VIII. pro sacra Congregatione, scribebat Henricus Henriques Soc. Jesu.* Prioris jam à se ante annos tres, jubente Inquisitionis Senatu, elaboratæ Censuræ initio meminit: ac tum reliquorum virorum illustrium, quorum sententiam tacer Ordo rogaverat, judicia de Molinæ doctrinâ compendio refert. Pauca hæc ex integro opere deflorabo, quæ rei, ut opinor, conficiendæ satis erunt.

Cùm essem in Academia Salmanticensi, mandatum mihi est anno 1594. ut scriberem quæ animadverteram circa librum de Concordia liberi arbitrii, Gratiæ & Prædestinationis, Ludovici Molinæ, impressum Ulissippone anno 1588. & in Appendice per eumdem adjectâ ad eclum librum; & in Commentariis ad primam partem Divi Thomæ. Misi verò id quod observavi ad Senatum sacræ Inquisitionis Hispaniæ, designans quæstionem, disputationem, paginam, & cujusque paginæ lineam Autoris: deinde breviter addens notam Censuræ. Eadem cura commissa est Viris doctissimis in Hispania, quibus doctrina ferè tota libri visa est suscitare antiquos errores Pelagii & Semipelagianorum, de vi naturali liberi arbitrii, ut possit homo certo credere omnibus mysteriis fidei; implere omnia præcepta moralia; vitare omne peccatum mortale contra illa, & resistere omnibus tentationibus etiam difficilibus; habere dilectionem Dei super omnia, & contritionem de omnibus peccatis; idque per naturalem vim liberi arbitrii, sine ulla necessitate auxilii prævenientis: Satisque esse concursum Dei concomitantem, quem quidem explicat esse concursum causis etiam naturalibus communem; eum verò dici auxilium gratiæ, quia datur sine merito hominis: Deum non providere singula bona moralia, aut supernaturalia, nec prædestinasse homines adultos & Angelos qui salvantur, nisi quia in signo rationis Deus præscivit hunc aut illum benè usurum vi naturali arbitrii, aut etiam auxilio, & præscivit hunc ità benè utentem decessurum in gratia; decrevitque Deus illum non impedire, quin ita utatur, & decedat in gratia: & tunc dici prædestinatum. Nam si Deus, ante præcognitum eum usum arbitrii, prædestinasset aliquem, aut in tempore contulisset auxilium efficax præveniens, non relinqueretur, inquit, in homine libertas arbitrii. Quæ doctrina si à viris astutis & potentibus alicujus familiæ defendatur, afferet periculorum discrimen toti Ecclesiæ, & ruinam multis Catholicis.

Quàm ergo sese Theologi Societatis inutiliter torquent, ut Henriquesium (ex cujus editis libris in Thomisticæ doctrinæ commendationem multa petuntur) detortis ac violentis expositionibus, intra domesticæ scholæ fines opinionesque contineant! Quæ etenim, amabo, Censuris istis responsio suppetet, quibusve poterunt interpretationibus emolliri? Factum siquidem in dubium verti nequit; nec, ut antea jactitabant, penes unum, qui id retulerit, Thomam de Lemos fides est. Jam ergo, superis aspirantibus, Henriquesii Metamorphosim fortassis obtrudent. Fuit illa resarciendis rebus ultima ratio in supplici Monitione Illustrissimo Remensium Archiepiscopo nuper factâ. Henriquesium è Societate ad Prædicatorum Ordinem transvolasse, rursumque ad suos rediisse monent; eòque fortasse saltu opiniones cum veste

Paul. Leon. Gabriel Henao German. Philal.

veste mutasse. Bellum profectò, bellum nugatorum effugium! Ad inimica, ut aiunt, castra transierit Henricus Henriques: non abnuimus. At si suos illi Castellanæ Provinciæ Commentarios evolvissent, legissentque quod res est; Henriquesium nempè in Prædicatorum Ordine pauculos tantùm menses, posito Religionis tyrocinio constitisse, statimque mutato consilio, diu ante professionis tempus, rediisse ad suos; nihil sanè ex ea Metamorphosi extundi posse comperissent, ut eum hostilibus in castris militantem, duarum Censurarum autorem facerent; quas inter trium annorum intervallum effluxit: prior enim anno 1594. altera 1597. data est. Quid si Henriquesii Tractatum de ultimo fine hominis Censuris ejus addamus, inter quæ tanta est doctrinæ consensio? Majorem adhuc temporis intercapedinem observabimus, quàm ut hæc illi omnia adscribi possint brevi adeò temporis intervallo, quo hostilia signa contulisse fertur. Prodiit quippè tractatus ille anno 1593.

In Edit. 2. Front. 5. & sect. 172. Scien. med. Theol. defens.

Rursùm si Gabrieli Henao Societatis Jesu Theologo fides est, suum de ultimo fine hominis tractatum adornavit Henriques, quo nondum tempore de suo è Societate discessu cogitaverat. Censuræ quoque contra Molinam ab ipso editæ Jesuiticæ professionis fidem ipsis titulis præferunt. Ita quippè prior inscribitur: *Censura del Padre Henrique Henriques Jesuita sobre el libro del Molina.* Similiter & altera hunc titulum præfert: *De mandato SS. Clementis Papæ VIII. pro sacra Congregatione scribebat Henricus Henriques Societatis Jesu, anno 1597.* Futilis ergo ac planè ludicra est exceptio illa. Sed & hanc, quòd librum De fine hominis saltem attinet, occupavit in antecessum Franciscus Macedo Theologus præstantissimus, partium omnium studio solutus, in Collat. 11. diff. 1. sect. 5. §. 1. *Si quis objiciet*, inquit ille, *Henriques, quem constat relictâ Societate ad Prædicatorum Ordinem transiisse, quo tempore ibi fuit eam hausisse doctrinam: sciat is, eum jam antea eâ opinione imbutum esse, cum ad eos doctissimus, & multarum Litterarum Magister transiisset, nec eam à Thomistis accipere potuisse, cùm tantùm apud eos paucos menses posito ibi tyrocinio mansisset, & rursùm ad Societatem rediisset, in qua ejusdem perpetuò sententiæ autor fuit.* Quidni etiam si opiniones cum veste mutasset translatitius iste Protheus, nihil tandem reversus ad suos ad scriptorum Censurarumque retractationem vulgasset in publicum? At nullus fuit in eo error, quem seriâ retractatione aut pœnitentiâ luere opus esset.

Henrico Henriques adjungi solet Joannes Mariana, ejusdem Societatis Professor, qui pari contra Molinæ novitates zelo pronunciavit, in Opere, De regimine Societatis, quod pendentibus Congregationibus Auxiliorum edidit. Ibi quippè de inordinato novitatis amore lib. 4. cap. 4. sic habet: *Ab hoc præclaro fonte emanarunt illi turbines & procellæ, quibus nostra Societas tentavit exagitare sapientissimos Dominicanæ familiæ Theologos; quos potiùs venerari debebat, ut purioris doctrinæ Antistites, quàm sequi hesterna Ludovici Molinæ commenta. Cujus Viri libellus, ab examine Theologorum sacræ Inquisitionis, delatus fuit Romam; ubi modò liberum arbitrium acerrimè contra gratiam pro palma luctatur.* Quæ verba à Goneto magni nominis Theologo jam pridem laudata in Apologia Thomistarum art. 6. nuper Illustrissimus Remensium Archiepiscopus, in sua adversùs Molinianas assertiones Censurâ, non mediocriter extulit, ut Molinæ novitates domestico testimonio exagitaret.

Reclamat, nec sine stomacho, Societatis Actor in supplici Monitione: maleferiatum opus, vel ex integro Marianæ suppositum, vel certè à Societatis æmulis interpolatum ait, hujusque sui asserti rationem duplicem prodit. Primam, quòd Marianæ surreptus dicatur manuscriptus Codex anno 1609. vel 1610. dum, ob librum contra Monetalium Judicum Curiam editum, ab Excellentissimo Duce de Lerma teneretur carcere; nec tamen, nisi post Marianam exstinctum anno 1625. typis dari cœperit: quod apertum vel suppositionis, vel certè interpolationis est argumentum. Secundam, quòd is in libro de Morte & Immortalitate, quem in ipso Controversiarum istarum æstu elaboravit, viam adeò Thomistis adversam ineat, ut ne Molinæ quidem concedere videatur. Hoc idem brevi complexus est Alegambe in Bibliotheca Scriptorum Societatis, in Mariana: *Circumfertur*, inquit, *Hispanicè, Gallicè, Italicè, Latinè excusus discursus de erroribus in forma Gubernationis Societatis Jesu, Constans 20. capitibus, Burdigalæ per Joannem de Bordeaux 1625. in Octavo, & alibi. Sed is clam subductus à malevolo quopiam, ad conciliandam Societati invidiam extrusus in lucem est; adjectis etiam fortasse non paucis, ut pronum est existimare, ab ipsius observationibus & animo alienis.*

Nihil hìc quidquam in re tam arduâ absque novis documentis definire ausim, ne ad invidiam loqui videar. Pauca tamen,

ne officio desim, adnotabo. Ac primò quidem, res in propatulo est, Joannem Marianam virum fuisse liberioris ingenii atque indolis, qui nullo domesticarum rerum affectu, qualis Religiosos inter solet esse, tenebatur: atque idcircò ab hujusmodi libri scriptione non admodùm alienus, sed ad eam potiùs, sua satis ex indole comparatus fuisse videri potest. Hoc illum elogio celebrat Annalium Ecclesiasticorum Parens, ad annum 688. numero 3. *Veritatis amator, pietatis optimus cultor, affectu privato carens*: quo Marianam, nec turbatorem inquietum, nec novarum rerum reformationis specie molitorem, exstitisse videas, qualem illum novus Societatis Monitor, quo ejus autoritatem faciliùs elevet, nobis effingit; licèt *veri rectique amantem fuisse Marianam posteriora tempora docuisse* testetur Sotuellus in sua Bibliotheca.

Jam verò Marianæ Codex manuscriptus, nec à malevolo, uti fabulatur Alegambe, nec ab obscuri nominis Viro, uti subinnuit Societatis Monitor, subductus surreptusque est. Sed à Francisco Sola Episcopo Osmensi, Regique Hispaniarum à Secretioribus Consiliis, qui Regio nomine Codicibus ejus manus admovit, quo tempore carcere tenebatur: in quem idcircò malæ fraudis sinistra suspicio nulla cadit. Quare non erit fortassis conjectator imprudens, qui procrastinatam idcircò ad obitum usque Marianæ hujus Operis editionem dicet, ex officio charitatis in ipsum autorem; ne quid scilicet è Societate incommodi illi accideret, non ut supponi ex integro liber ille, vel alienis additamentis infarciri impunè ac tutò posset. Alegambium porrò sepositis affectibus nemo leget, qui non videat eum ex unico tuendæ Societatis studio, ita de Marianæ libello pronunciasse. Quare nec rem statuere certò audet, nec nisi evanidâ existimatione, atque etiam dubitanter fabulatur, *adjecta huic libro esse* FORTASSE *non pauca, à Marianæ observationibus & animo aliena.*

Quod ejus De Morte & Immortalitate librum attinet, is certè non in ipso Controversiarum ardore, immò solutis jam pridem Congregationibus, Coloniæ anno 1609. typis editus est. Unde lib. 3. cap. 8. expositâ utriusque scholæ, Thomisticæ nempè ac Molinianæ sententiâ, de Gratia sufficienti & efficaci, ita subdit: *Ipse Romanus Pontifex appellatus jam aliquot annos, ea Controversiâ districtus, nondum in pace litigantes posuit novo Decreto promulgato*: quibus verbis Pauli V. Rescriptum, de quo loco suo sermo erit, dubio procul indigitat; quo se opportuno tempore Decretum promulgaturum significabat Sanctissimus Pontifex. Quare si quid eo in Opere à Thomistis alienum, & Molinianis opinationibus affine nimis occurreret, quod cum altero de Societatis Regimine laudato libro minùs cohærere videretur, id varietati temporum tribuendum esset. Quis enim nesciat fuisse è Societate non paucos, qui cum primò indefensum Molinam judicio Pontificio dimitti vellent, mutatis postmodùm studiis, ubi Societatem difficili negotio implicitam experti sunt, suas illi locarint operas, & fraternæ, ut putabant, officia charitatis impenderint? Id Fuligattus lib. 3. de Vita Bellarmini capite 5. & ultimo, non obscurè innuit, ac ipse etiam probavit eventus.

Sed non est cur Societatis Actores Molinæ suo de Marianæ suffragio gratulentur, eo ipso in libro quem appellant. Pro sua enim sentiendi scribendique libertate, Molinæ perinde ac Thomistarum Castra deserit. Videas id lib. 3. cap. 8. jam à me paulò ante laudato: ubi utriusque Scholæ de Gratia sufficiente sententiam, veluti excessu quodam utrinque peccantem, ex æquo deserit, ut mediam viam ineat, quam solam tutam existimet. *Ipse Romanus Pontifex*, inquit ille, *appellatus jam aliquot annos, eâ controversiâ districtus, nondum in pace litigantes posuit novo Decreto promulgato..... Inter hæc duo præcipitia medii tutissimi vadunt, qui supra gratiam quidem sufficientem addunt efficacem, negant tamen ab illa voluntatem ulla necessitate constringi: ac potius actionem ipsam esse contendunt, liberè à voluntate elicitam, à gratia sufficiente, Deo juvante productam, non tamen sine nobis...... Hoc temperamento sanè gratiæ dignitatem tueri proclive est, cum nihil nobis in justitia studio sine Deo tribuatur; nihilque de nostra delibetur voluntate, quando ante ipsam volitionem nihil voluntati inest, per quod ad unum constringatur.*

Sicubi verò Molinianum se Mariana profitetur (ut lib. 3. cap. 6. de Divina Prædestinatione disserens) Cassianum ac Faustum Semipelagianæ sectæ Principes eâdem ac Molinam ipsum appendit trutinâ; illosque æquo jure ab errore vindicandos aggreditur. Quod haud scio plus-ne Molinianæ scholæ gratificari sit, quàm atrocem illi labem inurere. Quoties enim in hujusce gravissimæ litis tractatione, jubente Clemente VIII. disputatum est, num Molina cum Cassiano sentiret, nemo è tot Societatis Actoribus inventus est unus, qui illos

illos mutuò conſentire faſſus ſit, ne turpiter ex acie decideret: quanquam tamen conſentire illos, ſtatuti Cenſores perpetuò pronunciarint, Molinamque idcircò Semipelagianiſmo luto hærere definierint. Marianæ verba dabo, quibus objectam ſibi Caſſiani ac Fauſti Cenſuram, à Gelaſio in Concilio Romano diſtrictam, effugere ſibi putat: *Nam quod de Caſſiani & Fauſti libris opponebatur à Gelaſio eorum lectione interdictum, non puto id factum propter dogma de Prædeſtinatione, quod illis fuit cum aliis Patribus commune, quorum ſcripta is Pontifex probavit, Gregorii Nazianzeni, Baſilii, Chryſoſtomi, Hieronymi; ſed propter alia, quæ ex iis libris expuncta ſuſpicamur. Autor Trithemius Albas in Fauſto. Et video quæ à Caſſiano dicta ſunt omnia de gratia & libero arbitrio, à Viris eruditis noſtra ætate defendi, quaſi pietati conſona, neque deflexa à fidei regula ſancta.* Quæ uſque adeò inſulſa ſunt & incondita; ut à nebulone quodam, qui Molinianæ ſcholæ plus juſto gratificari vellet, Marianæ libris aſſuta ſuſpicari malim, quàm à præſtantis ingenii viro petulanter aſſerta. Quis etenim neſciat, Felicem IV. Pontificem Maximum, datis ad Cæſarium Arelatenſem Epiſtolis, Semipelagianorum ac Caſſiani in primis errores, quales etiamnum ejus in libris legere eſt, Apoſtolicâ ſententiâ condemnaſſe: ejuſque Decreta fuiſſe in Concilio Arauſicano anno 529. publicata atque recepta? Legat qui eo delectatur Argumento Canones 3. 4. 5. 6. 7. 8. eoſque cum hodiernis quoque Caſſiani Collationibus conferat, ut experiri tandem poſſit, num ea Collatoris proſcripta dogmata à ſcriptore Catholico laudari meritò poſſint, *quaſi pietati conſona, nihilque deflexa à fidei regula ſancta.* Sed de Mariana jam ſatis.

Domeſticis Molinianæ doctrinæ oppugnatoribus, qui eum ſtatim atque exorſus eſt exagitarunt, Gabrielem Vaſqueſium, alterum Ignatianæ ſcholæ Principem, Suareſio æqualem ac parem, annumerat Franciſcus Macedo Collat. 11. differ. 1. ſect. 5. §. 1. clavam ſe Moliniſmo erepturum ratus, ſi Vaſqueſium adimeret, cujus armis plurimùm tribuunt fiduntque Societatis Theologi. Rem non modò congeſtis Vaſqueſii doctrinæ principiis demonſtrandam aggreditur Vir eruditus; verùm etiam domeſticorum, ac ipſius quoque Vaſqueſii diſcipulorum, Ludovici Turriani, Salazarii Quirini, Gaſparis Hurtado, Didaci Alarçon, producto ſuffragio; quibus ille Matriti atque Compluti, dum in Societate degeret adoleſcens, fa-

[illegible]

Addit Vir meritiſſimus, Theologica[5] Vaſqueſii diſputationes, quibus identidem non nihil Moliniani fermenti reſperſum eſt, cum reliquis minùs rectè cohærens, non eſſe prorsùs germanas ac puras, ſed interpolatas ab eis, quos dolebat tantum Virum à communi Societatis ſententia receſſiſſe, quique pio quidem, ut arbitrabantur, ſed imprudenti ſtudio ducti, alienas illi ſententias aſſuerunt, nec ſatis animadverterunt, quantùm à veris germaniſque Vaſqueſii placitis diſcreparent. Sit ita necne, penès Macedum fides eſto. Teſtis nihilominus idoneus haberi poteſt, qui Societatem vix puber ingreſſus, eamdem longos admodùm annos profeſſus eſt; & dimiſſam ex neceſſitate, ſingulari ad obitum uſque affectu coluit: tantâque Vaſqueſii à Molinianis caſtris transfugæ cauſam fiduciâ egit, ut Societatem ipſam provocare veritus non ſit: *Ingenuus ſum*, ait ille ſub hujuſce Diſquiſitionis finem, *candide dico quod ſentio. Exſpecto judicium Patrum Societatis, ac in primis Complutenſium, quos vehementer amo & colo Nulli eorum ſtudio & officiis erga clariſſimum iſtum Theologum ceſſi, vel cedam. Qui me refutare voluerit, ei per me liceat. Sed multis eſt opus molitionibus, ad meas opinor conjecturas diſſipandas.*

Quid verò mirum, ſi quo tempore Moliniana CONCORDIA tantas ubique turbas excitabat, in eam etiam religioſiores Societatis Theologi declamarint, cum & diu antea ac ſtatim atque privatis in ſcholis muſſitando primos minervæ ſuæ partus effudit vanus Homo, oppoſitam doctrinam publicis Theſibus propugnarint, & pro ſchola Auguſtino-Thomiſtica uti pro aris & focis ſtrenuè decertarint? Fidem faciunt celeberrimæ Theſes anno 1589. propugnatæ in Romano Societatis Collegio, hoc titulo inſignitæ. *Theoremata ac Problemata ex ſacra Theologia univerſa à Jacobo Marchiſetto Piſaurenſi ad Ill. & Rev. DD. Evangeliſtam Palletum S. R. E. Cardinalem Cuſentinum* &c. Hæc delibamus, plura daturi in Appendice.

129. Deus ab æterno ſtatuit, voluntate "
abſoluta ſeu conſequente, non dare omni- "
bus ſupernaturalia auxilia; videlicet eis qui "
ea recepturi non ſunt. "

130. Cauſa primaria & radicalis cur ali- "
quis convertatur eſt divinum beneplacitum "
movens illum efficaciter & ſuaviter. Cauſa
autem proxima cur aliquis non convertatur, "
eſt ſua pertinacia. "

131. Stante efficaci gratiæ auxilio in "
aliquo, is poteſt diſſentire ſi velit, non in "

„ sensu composito, sed diviso; libertate antecedente, non consequente.

„ 133. Nulla causa aut ratio, aut extrinsecum motivum reperiri potest, qu...d Deum moveat ad æternum actum prædestinationis;

„ 134. Cum tamen, secundùm intelligentiæ nostræ rationem, ratio prædestinationis videatur esse dilectio prædestinati; dilectionis autem, immensa Dei bonitas & misericordia.

„ 137. Neque verò merita effectum prædestinationis subsequentia, qualia sunt bona opera nostra in gratia, sunt causa prædestinationis: si quidem non essent, nisi prædestinatio præcessisset, quæ reddit salutem prædestinatorum infallibilem, libertatem ipsorum non tollit.

„ 141. Primus effectus prædestinationis, qui est vocatio congrua, fit efficienter à solo Deo, à nobis autem cooperantibus & assentientibus divinæ vocationi: qui tamen assensus noster à Deo causatur.

„ 143. Prædestinatio secundùm totum suum esse, præsertim secundùm proprium effectum, scilicet primam gratiam, non est in nostra potestate. Est tamen in nostra potestate ut vocationi consensum præbeamus, idque non simpliciter in nostra potestate, sed supposita gratia efficaci.

„ 153. Hominibus est denegata gratia efficax ex demerito nostri capitis, primi parentis, &c.

Ante triginta ferè annos in eodem Romano Societatis Collegio defensæ fuerant *Assertiones Theologicæ ex 1. parte D. Thomæ* &c. nimirùm anno 1560. Hæc positio

„ 49. Prædestinati dicuntur ii, quos Deus ad æternam beatitudinem elegit. Reliqui verò ideò à Theologis reprobati appellantur, quod ab ea electione exclusi sunt, & ad pœnam æternam ob peccata destinati.

„ 50. Non sunt prædestinationis causa hominum merita, sed horum illa causa est. Condemnationis tamen causa sunt propria cujusque peccata. Ita in illorum salute Dei misericordia; in horum verò supplicio justitia demonstratur.

„ 51. Nec plures salvi erunt quàm prædestinati sunt (est enim electorum certus numerus) neque quisquam prædestinatorum ita Dei gratiâ tandem excidet, ut æternam salutem non assequatur.

„ 52. Non quia æterna est electorum prædestinatio, ideò sanctorum precibus, aut ipsorum prædestinatorum operibus juvari non potest. Ut enim non pendeat Dei voluntas à creaturis, illius certè executio per creaturas, ut proximè diximus, fieri solet.

Anno 1562. propugnatæ sunt in eodem Societatis Collegio Romano aliæ *Assertiones Theologicæ ex publicis Lectionibus in Epistolam ad Ephesios* &c. hæc Apostoli verba: ELEGIT NOS *ut essemus sancti*, sic ibi explicantur: Non quia sanctos futuros viderit, elegit nos Deus; sed ejus electio fecit ut sancti essemus: & quanquam gloriam benè merentibus dat, tamen merita ipse in nobis, etsi non sine nobis, suâ misericordiâ operatur, ut meritò dixerit Augustinus, Coronare Deum in nobis dona sua. "

SORTE VOCATI: Sortem vocat vel Dei voluntatem & misericordiam nobis nullis nostris meritis subvenientem: vel id significat, nos in sortem, id est, hæreditatem à Deo ascitos. "

SECUNDÙM MENSURAM DONATIONIS CHRISTI. Dat Deus hominibus gratiæ quantum vult: quanquam negandum non est majorem eò quemque accipere, quò magis dispositus est. GRATIA SALVATI ESTIS, NON EX OPERIBUS. Non nostris meritis, sed Dei gratiâ justificamur; quanquam non sine nostra cooperatione. Adjuti enim Dei gratia ad justitiam nos disponimus, eamque cùm suscipimus, non nihil agimus. "

Ex quibus Assertionibus exploratum habetur, Societatis Theologos addictissimos tunc temporis fuisse doctrinæ Augustino-Thomisticæ, cui post Molinam nuntium omnes ferè remiserunt.

De recentioribus Societatis autoribus, quibus Moliniana Commenta stomacho sunt, nil dicam hìc, ubi non Theologicam, sed Historicam illorum dumtaxat temporum tractationem habeo. Legantur, si per otium liceat, PHILIPPÆUS in suo ad Oseam Prophetam Commentario; DIONISIUS PETAVIUS tom. 1. Theolog. Dogmatum lib. 4. cap. 8. num. 9. & lib. 9. cap. 15. num. 6. TIPHANIUS lib. de Ordine, & de priori & posteriori pag. 204.

Non possum tamen silentio præterire propugnatas anno 1674. in Romano Societatis Collegio Theses, quibus vix ullæ possint esse Augustinianis sensibus magis consentaneæ. Quam in his partem habuerint, quæ consilia, Societatis Moderatores, nescio; hoc scio potuisse, illæsis Molinæ Sociorumque principiis, Augustini doctrinam inter probabilia, vel etiam probabilissima Dogmata, ab illis censeri. Excerpta ex illis Thesibus subjicio.

Extractum ex Thesibus publicè propugnatis Romæ in Collegio Romano Societatis JESU *ab* Agapito Falgatio *Anno* 1674. *Romæ Typis*

Typis hæredum Corbelletti. *Superiorum permissu.*

CONCLUSIONES THEOLOGICÆ.

Ex COLUMNA I. *De Deo Trino & uno.*

„ §. 8. Prædestinatio est præscientia & „ præparatio beneficiorum Dei, quibus cer- „ tissimè liberantur quicumque liberantur. „ Prædestinatio adultorum qui per propria „ merita supernaturalia ad Beatitudinem per- „ veniunt, est electio eorum ad gloriam, & „ coronam, & bravium legitimè certantium: „ cum quo stat, quòd eadem electio fiat à „ Deo ante prævisionem absolutam merito- „ rum. Licet reprobatio positiva formalis „ damnatorum, nec sit, nec esse possit ante „ prævisa demerita, non tamen negandum „ est quòd discrimen reprobi à prædestinato „ etiam reprobi demerita præcedat.

„ Ex COLUMNA. *De Gratiâ.*

„ §. 21. Omnes (gratiæ) conferuntur à „ Deo voluntate benevolâ & beneficâ; immò „ à tali voluntate auxilia nobis collata deno- „ minantur formaliter, Gratia. Auxilia præve- „ nientia consistunt in sanctis cogitationibus „ seu illustrationibus intellectûs & piis affe- „ ctionibus voluntatis, quas nobis, sine nobis „ moraliter & liberè concurrentibus, immit- „ tit Spiritus Sanctus, immediatè & physicè „ movens & præmovens voluntatem nostram „ ad actus bonos eliciendos, prout oportet „ ad salutem.

„ Ex §. 22. Ideóque in orationibus nostris „ non solùm à Deo debemus petere ut pos- „ simus ad ipsum converti, sed etiam ut ad „ se nostras etiam rebelles convertat volunta- „ tes, certi quòd si velit, omnipotentissimè „ & suavissimè faciet.

„ Ex §. 23. Auxilia divinæ gratiæ præ- „ venientia, non omnia sunt efficacia. Hoc „ certum est. Plurima enim sunt quibus vi- „ tio voluntatis nostræ resistimus; aliàs in- „ teriori gratiæ nunquam resisteretur, quod „ est hæreticum. Primum auxilium præve- „ niens datur ut velimus & ut faciamus, non, „ quia volumus aut facimus.

„ Ex §. 24. Illud statuimus cum D. Au- „ gustino & D. Thomâ, auxilia efficacia à „ Deo conferri secundùm efficax & absolu- „ tum Dei Decretum seu propositum salvan- „ di hominem, aut ad se convertendi, aut „ faciendi illum divinis vocationibus consen- „ tire. Hæc Dei voluntas est gratia increata, „ prima simpliciter & antecedens gratia, ab „ intrinseco efficax, per quam primò discer- „ nitur quicumque benè operatur à non ope- „ rante, & quicumque Deo consentit ab „ omni non consentiente. Admittimus ergò „ de facto à Deo prædefiniri absoluto & effi- caci Decreto simpliciter antecedenti om- „ nem nostram bonam & liberam operatio- „ nem aliquo modo conducentem ad salutem. „

CAPUT DECIMUM SEXTUM.

Privata Molinæ causa communibus votis à Societate suscipitur, adversùs FF. Prædicatorum oppugnationes.

ACcessit ad Molinæ causam elapso quinquennio Societas ipsa: nec jam privati hominis incauta velitatio fuit, sed amplissimi Ordinis studiosa contentio. Sic porrò res evenit.

Regentis officium in Collegio S. Gregorii Vallisoletani Ordinis Prædicatorum obibat R. P. Didacus Nuño anno 1594. legebatque de Infidelitate, ad decimam quæstionem Secundæ Secundæ S. Thomæ. Contigit ut datâ opportunitate, in nonnullas, hoc de argumento, Molinæ propositiones potenter declamarit, easque in publicis prælectionibus, tanquam erroneas ac scandalosas impugnaverit.

Ex scripto PP. Societ. dato Inquisit. Exstat Romæ in Bibl. Angelica vol. sig. X.

Re compertâ, judicarunt Societatis Theologi, qui eadem in Academia versabantur, universi Ordinis honorem in discrimen vocari, si Molinam ea occasione indefensum relinquerent. Præmissâ itaque deliberatione, censuerunt publicas disputationes instituendas, ubi universam Molinæ doctrinam, uti sanam ac tutam, propugnandam sibi sumerent.

Tentatum in primis fuit ut Molinæ defensio & solennior fieret, & minùs suspecta haberetur. Theses Apologeticas Serenissimo Principi Philippi secundi Hispaniarum Regis Primo-genito nuncuparunt, ad Aulæ patrocinium conciliandum, & frequentiam cœtus augendam. Clarissimum etiam virum Hieronymum de Rabanal, Doctorem Theologum ac Regium in Academia Professorem enixè rogarunt, ut publicis Thesibus præesse dignaretur; quas ex condicto defensurus erat Hieronymus Nuñes Theologiæ Candidatus, quem à mensibus aliquot Molinæ opinionibus oppleverant. Assensit incircumspectè vir humanissimus, nihil interim suspicatus: at sanioribus consiliis avocatus, promissam fidem liberavit. Alienis itaque Molinæ defensionem detrectantibus, eam Sodales assumere coacti sunt. Sedit disputationis Præses P. Antonius de Padilla: indicta dies integra 4. Martii 1594.

Primus matutinis horis descendit in arenam Didacus Nuño Ordinis Prædicatorum, ita disputationem exorsus: Hæc propositio

In Concord. q. 14. art. 13. disp. 12. §. 1. Et disp. 38. §. antequam. positio Molinæ est hæretica: *Cum æqualibus auxiliis omninò, & quantùm ad omnia, unus convertitur, alius non convertitur, unus vincit tentationem, alius succumbit.* Id hæreticum esse inficiatus est Candidatus, ejusque responsum uti probabile confirmavit Antonius de Padilla: Quia, inquit, tota propositio Molinæ supponere dumtaxat videbatur pro auxilio præveniente, cujus æqualitate suppositâ, unus aliquando convertitur, altero non converso; non pro auxilio adjuvante seu concomitante. Institit in oppositum vir eruditus, nec sic Molinam in tuto positum demonstravit: tum quòd de auxilii adjuvantis æqualitate distinctè loquatur, in hunc modum: Disp. 37. §. Illud. *Ab æquali conatu & influxu liberi arbitrii provenire potest, ut conferente Deo duobus hominibus æquale auxilium gratiæ adjuvantis, unus eorum intentiùs operetur, meliúsque se disponat ad gratiam justificantem, quàm alius: Et ut conferente eisdem inæqualia auxilia, æquè operentur, aut is interdum plus, qui minori suffultus est auxilio*: tum quòd discri- Disp. 38. §. antequam. §. hinc. §. multa. men nullum, gratiam inter prævenientem & adjuvantem, operantem & cooperantem instituat, nisi quod ex accedente liberi arbitrii consensu repetitur: adeò ut, prævenientis & operantis gratiæ æqualitate suppositâ, tota penes nativas liberi arbitrii vires stet credentis à non credente discretio.

Dum hæc aliaque multa magno animi æstu, pro instituto vir eruditus urgeret, virosque astantes judices certaminis appellaret, nullâ interim commodiori responsione, Molinæ defensoribus occurrente, reposuit nescio quo flante Aquilone, Candidatus, sancto Thomæ tacitè insultabundus: *Nunquid apud vos sunt claves sapientiæ?* Repressit impudentis audaciam cœtûs clamor: nec alia tamen objectæ difficultati data responsio.

Post Nuñum disputarunt Didacus Alvares & Hieronymus Valleso, ambo Ordinis Prædicatorum Theologiæ Professores, quorum primus ob egregia merita, ad Archiepiscopatum Tranensem postmodùm assumtus fuit, alter morum vitæque sanctitate promeruit, ut corpus ejus, venerationis ergo, propriis Illustrissimorum Ducum Francavillæi & Pastranensis humeris tumulo inferretur, ejusque virtutum ac miraculorum gesta, autoritate Apostolica & formâ juris inquirerentur. Quid Alvares suâ disputatione confecerit, nusquam lego, nisi in Dalmatii Amati narratione: ubi eum Molinæ ac Pelagii consonantiam ex Augustino demonstrasse fertur. Hieronymus Valleso, pervoluto Molinæ libro, locisque cursim indigitatis, triginta & amplius loca digito monstravit, quæ hæreseos aut erroris insimulabat, ob repugnantiam cum Synodi Tridentinæ decretis.

Res non sine astantium offensione successit. Ad disputationem non ultra serotinis horis accedendum contestatus est Didacus Nuño. Spopondit se publicas Theses mense Maio proximè futuro, contra Molinam habiturum. Viros etiam adstantes, futuros certaminis judices appellavit & invitavit.

Domum reversi FF. Prædicatores, causam ulteriùs promovendam censuerunt, nec solis Scholasticis disputationibus immorandum; sed defensata dogmata dataque responsa, ad sacros fidei Quæsitores deferenda. Re consilio definitâ, effecit pro sua pietate P. Hieronymus Valleso, ut nihil interim intempestivè, ac nisi præmisso fraternæ correctionis officio tentaretur, hujusque curam in se suscepit. Christianam provinciam sequenti die obiit Vir religiosissimus; sed conatu planè irrito. Societatis Theologos, denunciationis interminatione minimè territos, ab impenso Molinianis opinionibus patrocinio nequaquam abduxit. Quin potiùs, ii pristini propositi tenaces, doctrinam Molinæ sanam ac tutam, ejusque impugnatores vanè deceptos responderunt. Sustinuit nihilominus Vir piissimus, deditque saniori responsioni ac deliberationi dies aliquot: quibus demum absque emendatione transactis, Molinæ doctrinam sacris Vallisoleti fidei Quæsitoribus, suo sociorumque nomine detulit. Denunciationem hanc, aliasque ab Ordine Prædicatorum contra Molinæ doctrinam interjectas, livori & invidiæ vulgò tribuunt adversæ partis autores. Eas religioso laudabilique tutandæ fidei zelo veriùs adscribit Didacus Baeza Societatis Jesu, vanis licet Molinæ triumphis mentem pastus, Tom. 3. Comment. Moral. in Evang. historiam lib. 15. cap. 2. §. 7. *Laudo*, inquit, *sacrum Prædicatorum Ordinem, qui pro fide stans, ubi Ludovici Molinæ, Societatis Jesu splendidissimi Theologi*, CONCORDIAM *de libero arbitrio suspectam habuit, rem ad fidei Judicem, summum Pontificem detulit, & vel suspecta dogmata asterisco notans, coram tanto judice, alacriter pro fide pugnavit.*

Interim festinante disputationis à Didaco Nuño indictæ tempore, intercesserunt coram iisdem Quæsitoribus Jesuitæ, ne juxta datam fidem haberentur: eâ videlicet ratione, quòd delatâ ad ipsorum tribunal Molinæ causâ, eâque ad examen susceptâ, nemini privato liceret de ejus opi-

opinionibus pendente lite pronuntiare. Actores actione submovit sacer consessus. Sanxit lato Decreto Molinæ quidem opiniones, ob interjectam susceptamque delationem, hæreseos interim notari non posse, donec causa definitivo judicio eliquaretur: integrum tamen Prædicatoribus fore, indictas disputationes habere, ac propugnatas nudius tertius à Jesuitis opiniones, *uti falsas, improbabiles & indefensibiles* impugnare.

Iis itaque notis, probante sacro Tribunali, sequentes Propositiones quatuor affectæ fuerunt in publicis Thesibus, quas Præside Didaco Nuño defendit mense Maio F. Ambrosius de Santiago, in Collegio S. Gregorii Ordinis Prædicatorum. Nempè prima, *Cum eodem auxilio omnino æquali ex parte Dei, pro sola libera voluntate unus convertitur, alius non convertitur.* Secunda, *Quoniam ego sum cooperaturus, Deus scivit; ita ut ista propositio faciat sensum proprium & causalem.* Tertia, *Auxilium ad supernaturalia opera est ejusdem rationis cum illo, quod ad naturalia opera confertur.* Quarta, *Bonus usus liberi arbitrii est causa rei, quæ est integer effectus Prædestinationis.*

Accessit Molinæ causam aperto Marte defensurus P. Antonius de Padilla. Pro prima propositione fervidè disputavit. At Prædicatorum rationibus victus, eam tandem erroneam agnovit, séque ultima concertatione errores incautè defendisse confessus est. Eam porrò palinodiam, ut solenniorem redderent Patres de Oviedo & de Hormosa Ordinis Prædicatorum, publicas rei gestæ narrationes ediderunt, eâque famâ universum penè Castellæ Regnum oppleverunt. Id in injuriam accepit Antonius de Padilla: sparsum rumorem dispellere studuit, vulgatâ post menses aliquot altera narratione, quâ callidè rerum gestarum seriem obtexit ac dissimulavit. Primæ propositionis errorem se sponte confessum exposuit, nullis Prædicatorum rationibus victum. In ejus defensionem se minimè pugnasse dixit; sed eò tantùm disputationem suam collimasse, ut eam falsò Molinæ affictam ostenderet.

Verùm, tametsi hìc quæstio facti vertatur, unde integro jam seculo dissiti sumus, Padillianæ nihilominus narrationis vanitatem ac repugnantiam detegere facile erit. Illum quippè propositionem primam, adversùs Didaci Nuñi impugnationem, suis Thesibus defendisse, referunt Patres Societatis eo in scripto, ex quo penè omnia hactenus isto in capite narrata defloravimus. Rursùs in Molinæ CONCORDIA, locis supra ad marginem notatis, totidem ac etiam durioribus verbis controversa propositio legitur; nec id antea disputanti Didaco Nuño Antonius de Padilla inficiatus est. Quî itaque fieri potuit, ut eam spontè, nullisque Prædicatorum rationibus victus, erroneam fassus sit; atque etiam Molinæ falsò affictam ultimâ disputatione contenderit? Quid quòd Padillianam narrationem, à sacris Quæsitoribus proscriptam, illiusque exemplaria omnia intercipi jussa, fatentur ibidem Patres Societatis? Etsi (ut res suas emollire solent) suum tandem Antonio de Padilla restitutum exemplar adjiciant. Auget decantatæ palinodiæ fidem rerum exitus. Absolutis quippè disputationibus, Patres ipsi Societatis, eadem die ad Vesperam, Molinæ librum sacro Inquisitionis Tribunali, tanquam de hæresi suspectum detulerunt, id unum ab æquissimis Judicibus postulantes, ne Fratres Prædicatores in Censores assumerentur. *Ex Relatione Dalmatii Amati.* Hanc ab illis denuntiationem extorsit publica civium indignatio, quam speciosâ illâ in eum actione avertendam existimarunt. Juvit etiam politicæ artis industria, quâ secum ob propriam delationem mitiùs actum iri confidebant. Absit enim ut Molinam à suis re ipsa desertum & Inquisitorum judicio sponte permissum existimemus. Immò quò magis ille à potentissimis adversariis appetitus, eò magis à Sodalibus defensus est. Id Salmanticæ comprobatum. Hujus opiniones suis passim in Prælectionibus Pelagianismi insimulabat Dominicus Bannes, & quâ pollebat in Academiâ eruditionis ac pietatis famâ, multos trahebat in partes. Quid tum Molinæ defensores? Translato in accusatores crimine, ut Pelagianismi Censuram averterent, Calvinismi notam objiciebant. Sincerior hic Ripaldæ confessio, quàm ut res vocetur in dubium: *Bannes, inquit, & plerique ejus discipuli, in publicis disputationibus privatisque sermonibus, cœperunt notare illam sententiam (nempè Molinæ) ut Pelagianam; nostri è contra, ut notam Pelagianismi evitarent, objiciebant opposita notam Calvinismi.* *Ripald. tom. 2. disp. 113. sect. 9. n. 53.*

CAPUT DECIMUM SEPTIMUM.

Litem adversus Molinam apud Generalem Hispaniarum Inquisitionem instruunt FF. Prædicatores: quam tandem ferendo judicio maturam, Romam advocat Clemens VIII. Societatis precibus lacessitus, partibus interim de Divinæ Gratiæ quæstionibus indicto silentio.

Controversiam ad Regni Castellæ supremam Inquisitionem Bannesius detulit,

tulit; nec tamen à censuris & injuriis temperatum. Timuit qui sacro Tribunali præerat Cardinalis Gaspard de Quiroga, Archiepiscopus Toletanus, ne apertum in schisma controversia prorumperet, datisque Clementi VIII. potentissimis Epistolis universam rerum seriem aperuit. Nec interim Viri Aulici defuerunt, qui ut Societati infaustum eventum metuenti plus æquo gratificarentur, sinistrâ de Patribus Prædicatoribus opinione sanctissimi Pontificis animum occuparunt; quam difficulter, ac nonnisi rebus maturè discussis, tandem deposuit. Hos inter numerandus venit Cardinalis de Castro, qui die 20. Maii 1594. Beatissimo Patri duriorem in illos Epistolam dedit, cujus autographum in Augustiniensium Archivio servatum est. Accersendus Alphonsus de Moscoso Episcopus Legionensis, qui amariores in illos Epistolas Romam scripsit die 14. Julii; quarum subinde vanitas Clementi VIII. rebus per sese discussis, satis patuit.

Rescripsit Beatissimus Pater quod interim ad continendos animos ac præcavenda pericula congruum videbatur. Dato sub Julii initium ad eundem Cardinalem supremum Fidei Quæsitorem Brevi Apostolico, tria sanxit. Primò, ut contendentibus Sanctitatis suæ nomine prohiberet, ne in publicis disputationibus, ubi simul convenirent, de controversis divinæ Gratiæ dogmatibus agerent cum alterutrius morsu opinionis, donec dissidium Ecclesia judicasset. Secundò, ut utriusque partis Provincialibus injungeret, eruditissimos utriusque Ordinis Theologos designari, qui scholæ suæ de Divina Gratia, prædestinatione, scientiâ, voluntate, sententiam exponerent; eamque solidioribus sacrarum Scripturarum & Ecclesiasticæ traditionis momentis confirmarent; sua etiam de Molinæ opinionibus judicia scripto traderent. Tertiò, ut Hispaniæ Academias, Episcopos, Theologos, quorum major erat eruditionis fama, hoc de argumento consuleret; ac de iis præsertim, quæ tum in Molinæ libris Prædicatores, tum in Bannesii scriptis Jesuitæ censurâ notabant.

Hæc eadem Camillo Cajetano, Patriarchæ Alexandrino, in Curia Matritensi Nuntio Apostolico, mandavit sanctissimus Pontifex, jussitque ut mutuâ cum Generali Quæsitore consensione in eam sopiendi dissidii curam intenderet.

Apostolica mandata utriusque Ordinis Provincialibus denuntiavit Camillus Cajetanus die 15. Augusti 1594. ut pro officii parte jussa complerent, tum silentium, indictis conditionibus, subditis imperando, tum eruditos Theologos ad domesticæ scholæ dogmata exponenda ac confirmanda præficiendo. Silentium illi subditis indixere mense Septembri, publicâ voluntatis Pontificiæ significatione. Pro delegandis verò Theologis domesticæ doctrinæ interpretibus, uti deliberatione, ita & tempore opus fuit.

Mense Septembri supremus Regni Castellæ Inquisitor Brevis Pontificii transumtum ad inferiores ditionis suæ Quæsitores transmisit, additis etiam mandatis, ut in eos severiùs animadverterent, qui contra jussa Apostolica, nec ab intempestivis disputationibus, nec à censuris temperarent. Scripsit quoque ad Academias, Episcopos, ac celebriores Hispaniæ Theologos, sententiam de controversis dogmatibus rogans.

His auditis, Matritum impigrè venit Ludovicus Molina, doctrinæ suæ rationem coram supremæ Inquisitionis concilio redditurus. Non illi potentum gratia defuit. Versabatur quippè in Regia Matritensi curia Serenissimus Princeps Albertus Archidux Austriæ, nuper Cardinali de Quiroga nonagesimum ætatis annum agenti, pro sustinendis Archiepiscopatus Toletani oneribus, Coadjutor datus, qui causam ejus non affectu tantùm, sed & proprii commodi ratione promovit. Datâ enim jam pridem CONCORDIAM edendi veniâ, ejusque solenni nuncupatione grato animo susceptâ, propriam cum Molinæ jacturâ existimationem verti judicabat. *Pegna in Relat.*

Cessit nihilominus æquitati favor. Libellum Inquisitori generali dedit Ludovicus Molina, quo Dominici Bannes & Francisci Zumelii propositiones benè multas, censurâ, ut ajebat, dignas, sacro Tribunali deferebat, rogans ne se contra Bannesium, præcipuum intentatæ sibi litis actorem, odio aut recriminatione, sed uno veritatis studio, duci crederet. Exstat ea contra meritissimos Theologos expostulatio in Angelica Augustiniensium Bibliotheca; incipit in hunc modum: *Non dolore aliquo animi commotus, quòd mea doctrina sit à R. P. Bannes antea reprehensa, & ad hoc sanctum Tribunal delata &c.* Ita scilicet vir acutus, accusati in Actoris personam transferre satagebat. Verùm experientissimo Judici verba dare difficile fuit. Respondit Æquissimus senex, injectâ contra Bannesium & Zumelium accusatione nequaquam rebus ejus consultum esse, priusque causam ipsius dirimendam, *Pegna in Relat. Ripal. tom. 2. disp. 113.*

quàm

quàm in aliorum doctrinam inquirendum.

Molina, hoc audito responso, malè de rebus suis ominari cœpit: at interveniente supremi Quæsitoris morte, die Novembris 19. anni 1594. paululùm exortus est. Fortè etiam refecit animos speciosa præsumtio, quâ Archiducem Albertum, demortui in Archiepiscopatu Toletano successorem, eidem (ut moris erat) in supremi Inquisitoris officio successurum, sperabat, seque eum Judicem habiturum, quem hactenùs patronum expertus erat. Verùm res aliter cessit.

Interea vacante supremi Inquisitoris officio, mense Decembri suas Theologi Societatis sacro Tribunali lucubrationes obtulere, quibus juxta Summi Pontificis voluntatem, scholæ suæ de divina Gratia doctrinam exposuerant. Nec multo post, alterum Breve Apostolicum Cardinali de Quiroga inscriptum pervenit, quo lata jam pridem de divina Gratia temerè disputandi prohibitio renovabatur: atque insuper cautum erat, ne quid hoc de argumento, alióve affini, in sacris Pulpitis, scholis, ac libris, ullo pacto haberetur. Apostolica jussa Camillus Cajetanus sacerque Inquisitionis consessus implevere: donec D. Hieronymus Manriques, Episcopus Abulensis, in generalis Quæsitoris munus die 6. Maii anni 1595. ingressus, ardentiorem operi manum admovit.

Cùm primùm illum novâ dignitate auctum Molina novit, de rebus suis cum ipso cœpit agere. At, significante æquissimo Judice, CONCORDIÆ librum non qualiscunque damnationis, sed & ultricis flammæ discrimen agere, sibi aliter consulendum judicavit. Claudium Aquavivam Societatis Præpositum generalem datis Epistolis enixè rogavit, ut autoritatem suam omnem ac gratiam impenderet, ad Inquisitionis generalis judicium præripiendum, omnique conatu adniteretur causam illam coram Summo Pontifice Romam asciri.

Non possum, quin hic recentiores hujus Historiæ depravatores duriùs excipiam, qui non solùm ista dissimulant, verùm etiam Patres Prædicatores in Castellana Inquisitione prædamnatos, aut sibi de imminenti damnatione metuentes, causam Romam transtulisse audacter effutiunt, nullis nedum suffragantibus documentis, sed facti evidentiâ palàm apertéque repugnante. Sic fabulam divendit Joannes Martines de Ripalda S. J. *Supremus sacræ Inquisitionis Senatus Censuram Molinæ commi-* *Tom. 2. disp. 113. sect. 9.* *sit maximis Hispaniæ Theologis; deque ea re Academias Complutensem & Seguntinam consuluit; ac tandem post annum integrum, in favorem Molinæ sententiam protulit..... Interim asseclæ Dominici Bannes, non acquiescentes judicio Hispanorum, ad supremum Romanæ Inquisitionis Tribunal appellarunt, misso in sollicitationem causæ legato sui Ordinis, qui prolixum in doctrinam Molinæ scriptum Cardinali Alexandrino dicatum obtulit, omniáque in Hispania gesta occuluit.* Sic verò Christophorus Ortega S. J. *Regius ille Castellæ Senatus ab Academiis & doctis quibusque Religionum Magistris de ea controversia judicium exigebat. Interim autem per eosdem Dominicanos (quos non satis apud Castellæ Inquisitionem & Academias de causæ exitu confidentes Lusitanæ Inquisitionis & Academiarum antedicta judicia reddiderant) rem totam ad Clementem VIII. & Urbem, in qua sacri Palatii è Sodalitio suo Magistri summa super his autoritas erat, detulerunt. Quo effectum est, ut eorum industriâ Clemens VIII. ad se causam avocarerit &c.* *Tom. 1. Contr. 3. disp. 1. q. 4. cer. 3.*

Vanam putidamque fabellam, solâ dicentium dicacitate fultam, revincit Coronelli Secretarii Congregationum autoritas, eâ in Narratione, quam non privato, sed totius Congregationis nomine, de rebus antea gestis habuit coram Paulo V. die 14. Septembris anno 1605. in solenni Congregatione. Ubi non Prædicatores, sed Jesuitas, causam advocari curasse narrat; atque ita non illos, sed istos, de infausto sibi exitu metuisse supponit: *Interim*, inquit, *dum hæc in Hispania aguntur, Romæ apud felicis recordationis Clementem Papam VIII. instant Patres Societatis, ut causam ad se advocet, & quid de exorta controversia tenendum sit definiat, parati ejus obtemperare decretis; quod sancta Romana Sedes omnium Ecclesiarum Magistra & salutaris disciplinæ directrix sit, ad quam provocare religio est. Annuit illorum precibus Sanctissimus Pontifex, causam ad se advocat* &c. Proferant superioris fidei testimonium, qui pro causæ studio rem aliter gestam volunt, & ultrò dabimus manus,

Accedit Illustrissimi D. Francisci Pegnæ Rotæ Romanæ Decani, rerum istarum testis locupletissimi, suffragium, in Relatione de hujus controversiæ exordiis & progressu: *Aviendo*, inquit, *entendido Molina, que su causa se apretava mucho en España, por la grave censura, que contra su libro avia en la Enquisicion. Cerniendo lo que verisimilmente podia suceder, de que su libro fuesse prohibido, y quemado, por que assi se*

se lo avia asemado el Inquisidor general: luego lo aviso à Roma, donde por obra y negociacion de su General, su Santidad avoco à se esta causa, ordenando à la Inquisicion general, que no la concluyesse, ni diesse sentencia. Quod Latinè ita redditur: *Cum intellexisset Molina, causam suam in Hispania vehementer urgeri ob gravem censuram, quæ jam in Inquisitione contra librum ejus parata erat, præcavens quod verisimiliter contingere poterat, videlicet librum suum prohibitum & igne traditum iri (sic enim ipsi Inquisitor Generalis denuntiaverat) statim Romam scripsit, quò Generalis ipsius arte & industriâ Sanctitas sua causam ad se advocaret, præcipiens Inquisitioni generali, ne eam finiret aut sententiam ferret.*

Quanquam tamen antiqua scrinia obscuráve monumenta scrutari necesse non fuit ad falsitatem revincendam, quam ex propriæ narrationis repugnantiâ dissipatam autores ipsi vidissent, nisi eos domesticæ causæ studium nimiùm occupasset. Quid enim est, quòd datam à supremo Castellæ Senatu contra Prædicatores pro Molina sententiam, narrat Ripalda: eamdem verò non reipsa latam, sed ne ferretur, valdè à Prædicatoribus suspicatum, effutit Ortega; dum ab illis Romam supponitur appellatum? Quid quòd juxta Academiarum Complutensis & Seguntinæ judicia, jam contra Prædicatores ab Inquisitore pronuntiatum, antequam appellaretur, ait unus; eadem verò Academiarum judicia, fuisse etiam tunc exspectata supponit alter? Certè fœderatos mendaces, non sui tantùm, sed & sociorum oportuit esse memores. At nec se sui memorem Ripalda præbuit, dum earum Academiarum consultationem pro firmando Inquisitionis judicio venditat, quas non nisi post interpositam appellationem, advocatamque causam, consultationi respondisse, nec Molinæ adeò favisse, certissimum est. *Vide cap. 29.*

Post interpositam igitur à Jesuitis, sibi de infausto eventu metuentibus, appellationem, fato cessit Hieronymus Manriques, die 1. Septembris ejusdem anni, expletis in Inquisitoris generalis officio mensibus circiter quatuor. Eoque tristissimarum rerum concursu, Hispaniæ Provinciæ Prædicatores Angelicæ adversùs Molinam doctrinæ expositionem ac defensionem absolvêre, quam sub Apologiæ nomine, sacro Congregationis Tribunali, ac Nuntio Apostolico tradiderunt die 20 Novembris 1595.

Mox arreptâ demortui Quæsitoris generalis occasione, Clementem VIII. ad interpositam appellationem suscipiendam adduxit Societatis Generalis. Quapropter transmisso die 10. Januarii 1596. ad supremam Castellæ Inquisitionem Brevi Apostolico vetuit Sanctissimus, ne sententiam diceret, aut quidquam ea in re definiret. Autoritatem ejus, non in iis tantùm, quæ jure Ordinario Apostolicæ Sedi reservantur, sed & in iis quæ in solito Inquisitorum foro vertuntur, ademit. Jussit ut Academiarum, Episcoporum, ac Theologorum Censuræ, nec non Prædicatorum ac Jesuitarum lucubrationes, utriusque sententiæ interpretes, Romam quantociùs mitterentur; ubi per sese causam finire meditabatur. Addidit novas in eos interminationes, qui de divina Gratiâ, affinibusque quæstionibus, in scholis, pulpitis, editisve libris agerent, donec aliter foret ab Apostolica Sede definitum.

Petrus Portocarrerius Episcopus Conchensis, Hieronymo Manriquesio suffectus die 7. Junii, Pontificiæ voluntatis jussa exsecutus est. Universa intentatæ atque instructæ litis documenta, conquisitas Academiarum, Episcoporum ac Theologorum censuras, Prædicatorum ac Jesuitarum lucubrationes, propriis autorum subscriptionibus munitas, Romam transmisit, die 9. Octobris anni 1596. per Illustrissimum D. Joannem de Hante Cajetanum Episcopum. Epistolas etiam addidit singularis partium contendentium obedientiæ, earumque in Apostolicam Sedem venerationis & observantiæ testes.

Jam sese ad causam coram summo Pontifice strenuè promovendam accinxerant partis utriusque Procuratores. Iter Romam occupaverat Didacus Alvares die 17. Septembris, à Prædicatoribus Actor delegatus: dieque 7. Novembris feliciter appulit. Huic non nisi longo post tempore, atque ex occasione, socius datus est Thomas de Lemos. Vir sanctitate morum & eruditionis famâ notissimus. Neapolim quippè profectus ad Generalia Ordinis Comitia, publicas de Divina Gratia Theses habuit, Cardinali Francisco de Avila nuncupatas, anno 1600. die 21. Maii, quibus tantam sibi eruditionis famam fecit, ut communibus votis dignus sit habitus, qui totius Ordinis nomine in hanc causam incumberet.

Hispanos Societatis Procuratores ad iter paratos tardavit præconcepta de Theologis suis Romæ commorantibus existimatio: qua eos ad causam urgendam sufficientissimos arbitrabantur. Istos etiam aliquantulùm commoverunt Baronii, Bellarmini, Henriquesii, Marianæ, aliorumque justa consilia, qui Molinam indefensum, Eccle- *Fulig. lib. 3. de vita Bellar. cap. 5. & ult.*

Ecclesiæ Romanæ judicio permittendum sentiebant. At vincente demùm majoris partis ac præsertim Præpositi Generalis opinione, qui jactâ jam pridem aleâ indecoram Societati retrocessionem judicavit, prima interim litis inquisitio, ipsis pro parte procurantibus, facta est; donec elapso biennio, die 29. Novembris 1598. Christophorus Cobos, & Ferdinandus de Bastida, ac postea Joannes de Salas, Theologi è Societate doctissimi Romam attigere, Gregorio de Valentia, Benedicto Justiniani, Michaeli Vasques, Bartholomæo Peres, ac Petro Arrubali, pro Societatis causâ certantibus, eruditionem suam & operam addituri.

CAPUT DECIMUM OCTAVUM.

Scriptorum utriusque partis Romam ab Inquisitore Generali transmissorum, plenior & uberior enarratio.

POstulat instituti Operis ratio, ut de Scriptis à generali Castellæ Quæsitore Romam jubente Pontifice transmissis, paulò fusiùs & explicatiùs disseramus; ne eorum ignoratione contingeret, ea minus facilè percipi, quæ de latis Romæ judiciis suo ordine referemus.

Exceptis itaque mandatis Pontificiis de exponendâ per selectos Theologos utriusque partis sententiâ circa dogmata controversa, diligentem operi manum Provinciales admoverunt. Præivere nihilominùs Prædicatoribus Jesuitæ, nec unam alteramve, pro sui defensione, lucubrationem obtulere, sed plures, variarum scilicet Provinciarum in ejusdem causæ patrocinium conspirantium. Exstant earum omnium originalia in Bibliothecâ Angelicâ, sub hoc titulo: *Qualificaciones de los Religiosos de la Compañia, sobre la Gracia sufficiente y eficaz.*

Expositionem ac defensionem inprimis obtulere Castellanæ Provinciæ Patres, quam, jubentibus Præpositis, Antonius de Padilla & Franciscus Suares distinctis tractatibus seorsim elaborarunt. Prioris titulus est: *Tractatus de efficacia Gratiæ & motionis divinæ circa actus humanos, in quadraginta quatuor lectiones divisus.* Alterius titulus ita habet: *Tractatus de Concursu & efficaci auxilio Dei, ad actus liberi arbitrii necessario, in quatuor libros distributus.* In iis toti sunt Autores in impugnandâ intrinsecâ divinæ Gratiæ efficaciâ: at de Molina ejusque CONCORDIA ex instituto nihil habent, perinde ac si ejus occasione Controversia mota non esset, deque ejus sententiâ dicere jussi non fuissent. Quia verò Tractatus illi prolixiores erant, ut à Judicibus commodè legi possent, horum breve compendium collatis studiis edidere, sub hoc titulo: *Brevis resolutio eorum quæ latiùs disseruntur in controversia Patris Antonii de Padilla, & in Tractatu P. Francisci Suares, De concursu & efficaci auxilio Dei, ad actus liberi arbitrii necessario, circa quod tota fere controversia sita est.* Subscripsere in primis Autores, tum ejusdem Societatis suffragatores in hunc modum.

Antonius de Padilla *Professor Theologiæ.*
Franciscus Suares *Professor Theologiæ.*
Antonius de Rueda *Theologiæ Professor.*
Christophorus Cobos *Theologiæ Professor.*
Joannes de Salas *Theologiæ Professor.*
Prudentius à Montemajor *Theologiæ Prof.*
Gaspar de Mena *Professor Scripturæ sacræ.*
Rodericus Arias.
Franciscus de Galarça.
Joannes de Funes *Theologiæ Professor.*
Emanuel de Resas *Theologiæ Professor.*
G. H. de Ormasas.
Ludovicus Muno.
Gaspar Morus *Professor Theologiæ.*
Ferdinandus de la Cerda *Rector Metinensis & Professor Theologiæ.*
Franciscus de Solorzano.
Franciscus Labata *Rector Abulensis.*
Joannes à Montemajor *Prof. Theologiæ.*
Rodericus Cabredo.

Accessere Provinciæ Toletanæ Patres die 10. Decembris 1594. edito tractatu, sub hoc titulo: *An necessaria sit talis Gratia præveniens, cui homo resistere non possit?* Subscripsere ut sequitur.

Ludovicus de Gusman *Rector Collegii Complutensis Societatis Jesu.*
Gabriel Vasques *Publ. Theol. Professor in Coll. Comp. Soc. Jesu.*
Ferdinandus Luzero *Theologus Soc. Jesu in Collegio Complutensi.*
Christophorus de Castro *Sac. Literarum Interpres in Coll. Compl. Soc. Jesu.*
Millianus Garsia *Theologus Societ. Jesu in Coll. Compl.*
Petrus Arrubal *Theol. Prof. in Coll. Complutensi Soc. Jesu.*
Joannes Rosos *Theologus S. J. in Coll. Comp.*
Ludovicus Turrianus *Theol. Soc. Jesu in Coll. Compl.*
Joannes Gasias *Rector Coll. Ma[illegible]tani S. J.*
F. Didacus ab Avellanedas *Doctor Soc. Jesu.*
Petrus Ribadeneira *Theologus Soc. Jesu.*
Ægidius Gonzales *Theologus Soc. Jesu.*

Joan-

Joannes de Fiquenza *Theologus Soc. Jesu in Coll. Matritensi.*
Sebastianus Alez *Theologus Soc. Jesu.*
Bartholomæus Peres de Nueros *Theologus Societ. Jesu.*
Joannes Dies *Theol. S. J. in Coll. Matritensi.*
Petrus Antonius *Theologus Soc. Jesu.*
Christophorus de Collantes *Theol. Soc. Jesu.*
Alphonsus Escudero *Theologus Soc. Jesu.*

Theologi Societatis Collegii Cordubensis suam quoque sententiam scripto tradiderunt, in qua quæstionem agitant, *De Concursu Gratiæ efficacis, respectu actuum supernaturalium liberorum.* Subscripsere
Ignatius Zañes *Theologiæ Professor.*
Luisius Alcalar *Professor sacræ Scripturæ.*
Petrus Avergas *Theologiæ Professor.*
Ferdinandus Davila *Professor Theologiæ.*
Franciscus Cluerte *Professor Theologiæ.*

Theologi Societatis Collegii Hispalensis sententiam dixere dato scripto, quo agitatur disputatio, *De necessitate Gratiæ divinæ.* Subscripsere
Melchior de Castro *Professor Theologiæ.*
Joannes de Pineda *Theologiæ Professor.*
Augustinus Lopes *Professor Theologiæ.*
Didacus Ruiz *Theologiæ Professor.*
Diego Alvares *Theologiæ Professor.*

Theologi Societatis Provinciæ Aragoniæ Opusculum obtulere sub hoc titulo: *Summaria Informacion para los Señores Inquisidores, de la doctrina que en las Escuelas se enseña, acerca del Concurso de Dios con el libre alvedrio.* In quo quidem expendunt modum, quo gratia sufficiens & efficax cum libera hominis voluntate concurrat ad actum supernaturalem eliciendum. Subscriptiones hìc nullæ exstant.

Cùm autem nihil adeò Patribus Societatis cordi foret, quàm ut ex accusatis actores evaderent; iisdem sacris fidei Quæsitoribus libellum supplicem porrexere; quo nonnullas Dominici Bannes, Francisci Zumel, Petri de Herrera, ac Didaci Nuño propositiones, erroris, ac cum Lutheranis & Calvinistis consonantiæ, inculabant. Inscriptus erat: *Sententia quorumdam Theologorum quæ videtur libertati derogare, in quantum omnes actus prædeterminari docet à Deo.*

Suas etiam Patres Prædicatores, jussis Pontificiis obsecuti, lucubrationes adornarunt, ad Thomisticæ doctrinæ explicationem ac defensionem. Præerat ea ætate Provinciæ Hispaniæ R. P. Thomas de Gusman: qui eruditiores Theologos, Dominicum Bannes, Joannem de la Fuente, Didacum de Jangues, Petrum de Herrera, Petrum de Ledesma, Christophorum Rodrigues, Didacum Alvares, Matriti congregavit, eisque provinciam illam demandavit, quam seorsim nullaque mutuò habitâ collatione, totidem editis libris implevere. Illos supremo Inquisitionis Hispaniæ Senatui statim obtulit Prædicatorum Provincialis. At ut erat nimiæ molis opus, jussit qui sacro Tribunali præerat, octo libros in unum ab Autoribus contrahi, majori Lectorum ac Judicum commodo. Paruit P. Joannes de Villafranca, P. Thomæ de Gusman in officio Provincialis proximè suffectus. Partes illas Dominico Bannesio, Petro de Herrera, Didaco Alvaresio commisit. Quatuor mensium spatio opus consummarunt: quod totius Hispaniæ Provinciæ nomine, sacro generalis Inquisitionis Tribunali, ac Nuntio Apostolico supplex obtulit P. Didacus Alvares, Matriti die 20. Novembris 1595.

Erat oblati libri titulus: *Apologia FF. Prædicatorum in Provincia Hispaniæ, sacræ Theologiæ Professorum, adversùs quasdam novas assertiones cujusdam Doctoris Ludovici Molinæ nuncupati, Theologi de Societate Jesu, quas defendit in suo libro, cui titulum inscripsit,* Concordia liberi arbitrii cum gratiæ donis &c. *& adversùs alios ejusdem novæ doctrinæ sectatores ac defensores de eadem Societate.* *Exstat origin. in arce S. Angeli, transumta verò in Bibl. Angel. & in Arch. Ord. Præd.*

Subscripserunt non solùm Autores, sed & suffragatores ejusdem Provinciæ Theologi, in hunc modum.
F. Joannes de la Fuente *Magister.*
F. Dominicus Bannes *Magister & in Univers. Salm. Publ. Theol. Prof.*
F. Petrus de Herrera *Magister & in Universit. Salm. Publ. Theol. Prof.*
F. Didacus Jangues *Magister.*
F. Petrus de Ledesma *Magister Academiæ Salm. Prof.*
F. Christophorus Rodrigues *Præsentatus.*
F. Didacus Nuño *Præsentatus ac Regens S. Gregorii Vallisol.*
F. Didacus Alvares *Præsent. ac Prof. S. Gregorii Vallisol.*
F. Petrus Ferdinandus *Magister ac Regens principalis S. Greg. Vallisol. & Philippo Principi Hispaniæ à Confessionibus.*
F. Michael Bonavides *Episcopus electus Segobiæ Philippinarum.*
F. Joannes de las Cuentas *Magister & quondam Provincialis, ac S. P. Card. Duci Austriæ à Confessionibus.*
F. Thomas de Gusman *Magister quondam Provincialis.*
F. Didacus Peradus *Mag. & Regens Abiden.*
F. Hie-

F. Hieronymus de Almonasir *Magister & in Compl. Academia sac. Bibl. Interpres emeritus.*
F. Didacus Mardones *Magister ac Prior Vallisoletanus.*
F. Franciscus Davila *Præsent. & quondam Regens S. Greg. Vallisol.*
F. Alphonsus de Luna *Magister Cathedraticus Salmant.*
F. Petrus *Præsentatus & Prior Meniæ.*
F. Hieronymus Mendoza *Præsent. ac Prior.*
F. Raphael de la Luderma *Lector Theologiæ.*
F. Raphael de la Torre *Regens S. Gregorii Vallisol.*
F. Alphonsus de Avendemo *Præsentatus ac Prædic. Generalis.*
F. Didacus Aldarete, *Prior S. Thomæ de Madrines Præd. Generalis.*
F. Felix de Plaça *Præsent. Reg. Coll. Compl.*
F. Didacus Granero *Præsentatus & Prædic. Generalis.*

Addiderunt specialem Tractatum, De intrinseca divinæ Gratiæ efficacia; nec non libellum supplicem, quo totius Apologiæ summa paucis exponitur, pessimæque fidei Molina postulatur, ob id potissimùm, quòd ex quingentis autoritatibus Scriptorum circiter nonaginta, quas in doctrinæ suæ defensionem speciali quodam scripto laudaverat, duæ tantùm sincera fide laudatæ sint: atque illæ quidem ex autoribus petitæ, quos Pelagianorum hæresi laborasse, nemo nescit.

Quid de istis Jesuitarum ac Prædicatorum lucubrationibus pronuntiarit Congregatio de Auxiliis, explicatiùs suo loco dicemus. Interim observare sat erit, quid de istarum examine Paulo V. retulerit Gregorius Coronellus totius Congregationis nomine: *Voluit Sanctissimus Pontifex* (Clemens VIII.) *ut Consultores examinarent Apologiam Patrum Prædicatorum in Hispania, contra decem capitales Propositiones Molinæ, necnon earum defensiones productas à Patribus Societatis. Censuit autem Congregatio doctrinam Patrum Prædicatorum esse sanam & Catholicam; propositiones verò Molinæ non æque vindicari à nota erroris per rationes productas à defensoribus suis, ad quas plenè responsum est.* *In Congr. habita die 24. Sept. 1605.*

Interea, quo tempore Fratres Prædicatores edendæ Apologiæ incumberent, Franciscus Zumel, jam tunc Ordinis sui Præpositus Generalis, triplicem doctrinæ suæ defensionem elaboravit, ut Molinæ, qui eum in causam vocaverat, strophis ac querelis satisfaceret. Cum autem Dominicus Bannes iisdem cum ipso accusationibus appetitus fuisset, eas Zumelii defensiones uti suas haberi voluit, ac in quocumque judicio, etiam Pontificio, doctrinæ suæ fidem facere. Romam transmissæ sunt defensiones cum subjecto Bannesii chirographo, sub hac formâ.

" Ego Fr. Dominicus Bannes Ordinis Prædicatorum, sacræ Theologiæ Salmanticæ " Professor, attentè legi has defensiones do- " ctrinæ sapientissimi Magistri F. Francisci " Zumel, Generalis Ordinis Dominæ nostræ " de Mercede ac Redemtione Captivorum, " quas ipse summâ diligentiâ, piè pro com- " muni bono meditatus composuit, ac mira " eruditione perfecit, postquam mecum " dignatus est secretò communicare. Quibus " omnibus perspectis, testor coram Deo & " Jesu Christo, dignas mihi videri, non so- " lùm propter Autoris sapientissimi autoritatem, quæ ab omnibus suspiciantur & sus- " cipiantur, sed etiam propter eximiam eru- " ditionem, & sanam ac Catholicam doctri- " nam, quæ in illis continetur. Quocirca " quamvis facile erat, ferè omnium sapien- " tissimorum Hispaniæ Theologorum sub- " scriptiones quærere & obtinere (eo quod " omnium res agitur) tamen quia Doctor " Ludovicus Molina me solum expresso " nomine, unà cum præfato sapientissimo " Magistro Zumel, carpere de quibusdam " assertionibus quas in nostris vulgò editis " libris defendimus, attentavit; ideo solus " ego subscripsi, ac pro meis defensionibus " præsentem Tractatum, ubi opus fuerit, " & in quovis sacro Tribunali, etiam Apo- " stolicæ Sedis offero. Subscripsi Salmanti- " cæ, 7. die Julii anni 1595. "
Fr. DOMINICUS BANNES. "

Extat Origin. in Bibl. Ang. vol. sig. D.

CAPUT DECIMUM NONUM.

Censurarum à generali Hispaniæ Inquisitore Romam transmissarum, aliarumque nonnullarum, distinctior enumeratio.

CEnsuræ Academiarum, Episcoporum ac Theologorum Hispaniæ, seu jubente Clemente VIII. seu rogante Inquisitore generali, datæ Romamque transmissæ, fuerunt undeviginti. Harum una Prædicatoribus perinde ac Jesuitis incommodat, quos excessu peccasse contendit; illos quidem in Calvinismum, istos in Pelagianismum prolapsos. Quatuor Molinam ab hæresi quidem vindicant, sed novitatis, audaciæ ac temeritatis passim accusant: ejusque doctrinam probabilem pronuntiant, suâ tamen Prædicatorum doctrinæ probabilitate servatâ, potiorique jure asserto. Quatuordecim Prædicatorum doctrinam

necessariò certóque tenendam definiunt; Moliniana verò dogmata, uti falsa, temeraria, scandalosa, erronea, ac etiam hæretica, respectivè proscribunt.

Omnes hìc per ordinem damus, cum brevi cujusque summario. Exstant quatuordecim priorum Censurarum authographa, uno eodemque volumine collecta, signato C. J. in secretiori Archivio Bibliothecæ Angelicæ Romanæ, inter cetera documenta Congregationis de Divinis auxiliis à Gregorio Coronello ejusdem Secretario digesta. Ceteræ in privatis Codicibus, tum authographis, tum transumtis, seu Romæ, seu alibi, prout infra notatur ad marginem. Ut hinc videas, quo pudore, qua fronte Censuras Academiæ Salmanticensis & Henriquesii, ab Illustrissimo Remensium Archiepiscopo in celebri Censurâ laudatas (ex fide Thomæ de Lemos, qui illarum in editis operibus meminit) uti fictitias ac fabulosas explodant, tum larvatus libelli famosi scriptor, tum Societatis Theologus Rothomagensis jam à me sæpiùs pro suis meritis excepti. Visuntur enim etiamnum probati Codices & Lemosium absolvunt.

b Censura, utrique parti æquè incommoda, ab Episcopo Segoviensi data fuit mense Octobri anni 1594. Duplici scripto continetur. Primum, quod die 25. elaboratum est, duas complectitur partes: in una judicat de doctrina Bannesii, in altera de doctrina Molinæ. Quoad doctrinam Bannesii, quatuor propositiones notat. Primam, De gratiâ præveniente ex se efficaci nec per consensum liberi arbitrii modificatâ, damnat ut errori in fide proximam. Secundam, De Prædeterminatione physica ad materiale peccati, damnat ut manifestum errorem in fide. Tertiam, De existentia substantiæ panis remanente in Eucharistia post consecrationem, damnat ut temerariam. Quartam, nempè, Quòd nullus in gratia existens, mereri potest majus præmium essentiale, nisi per actum intensiorem, damnat ut in fide periculosam. In altera illius Censuræ parte, novem propositiones Molinæ sugillat, ut errori Semipelagianorum affines, ac parùm in fide tutas.

Duas illas ultimas Propositiones schola Thomistica non agnoscit.

Scriptum alterum die 26. elucubratum, de solâ Molinæ doctrinâ judicat. Semipelagianismi notat sequentes propositiones. „ 1. Possumus conari ad nostram justificatio- „ nem. 2. Si facit homo quod potest solis „ suis viribus naturalibus, Deus assistet illi „ statim cum suâ gratiâ. 3. A propriâ indu- „ striâ conatúve majori vel minori liberi arbitrii provenit quòd plus vel minùs quis " lucretur. 4. Vocatio multùm pendet à no- " stro libero arbitrio. 5. Quoties liberum ar- " bitrium ex suis viribus naturalibus conatur, " tam circa ea quæ fides habet, quàm circa " dolorem de peccatis ad justificationem, à " Deo Gratia præveniens confertur. 6. Pro- " babile est, quòd sine Gratia, cum solis vi- " ribus nostri liberi arbitrii, possint vinci " tentationes quantumvis graves. 7. Natu- " raliter possumus habere propositum nun- " quam offendendi Deum. "

Concludit demum omnibus ritè pensatis, doctrinam Molinæ nullatenus tolerandam: sed jubendum, ut ipse, novâ curatâ editione libri CONCORDIÆ, sententiam mutet. Quod idem à Bannesio, circa quatuor notatas propositiones, agendum decernit. Subscripsit

Don ANDREAS PACHECO
Obispo de Segobia.

Censuræ, quæ Molinam speciosæ probabilitatis obtentu ab hæresi vindicant, suo tamen Prædicatoribus potiori jure asserto, sunt sequentes.

Censura Complutensis Academiæ, data calendis Octobris 1596. Hæc universam de Christi Gratia controversiam eo tempore agitatam, ad tria capita revocat. Primum est, *An existente æquali gratiâ vel auxilio in duobus, stare possit, ut unus eorum convertatur, & alter non?* Secundum, *An distinguantur gratia operans & cooperans, seu auxilium sufficiens & efficax, & in quo differant?* Tertium, *Quo pacto se habeat ad nostrum liberum consensum Gratia cooperans, vel auxilium efficax? Utrum habeat de se quod sit efficax, an verò dependenter ab actu nostro liberi arbitrii, & utrum prædeterminet actum nostrum liberi arbitrii, vel è contra determinetur ab illo?*

De primo capite ita pronuntiat: " Suppositâ distinctione Gratiæ habitualis & a- " ctualis (nam quælibet istarum suo modo " dividi potest, in operantem & cooperan- " tem) de actuali solùm nunc est sermo: ha- " bitualis enim non est ad propositum. Cir- " ca primum, aliud est, æquali existente om- " ni gratiâ in duobus, unus eorum potest " converti, alter non: aliud verò, æquali exi- " stente gratiâ præveniente in duobus, unus " eorum potest converti, & alter non. Mul- " tùm enim differt inter has duas proposi- " tiones. Et de prima non potest esse con- " troversia inter Catholicos, sed illa est er- " ronea, vel saltem errori proxima; quia ne- " cesse est in eo qui convertitur aut vivifica- " tur, præter vocationis gratiam, esse etiam " gratiam coadjuvantem, quæ non est in eo " qui

„ qui non convertitur. Aliàs ille qui convertitur & justificatur, discernet se ipsum per „ actum liberi arbitrii, ab eo qui non convertitur vel justificatur, contra illud Pauli 1. ad Cor. cap. 4. *Quis te discernit?*

Deinde variis expositis modis dicendi, quibus a variis Theologis vel asseritur vel negatur, *æquali existente gratiâ præveniente unum converti, non alterum*, has omnes sub probabilitate relinquit.

Quoad alterum caput, varias PP. Societatis ac Prædicatorum sententias refert, quarum nullam censurâ dignam existimat. Id tamen observatione dignissimum, quòd priorem sententiam quibusdam dumtaxat è Societate recentioribus tribuit: Ex Religiosis, inquit, Societatis Jesu quidam „ recentiores affirmant, quòd eadem Gratia „ quæ est præveniens & excitans, fiat adjuvans, cooperans & efficax, propter novum „ influxum supernaturalem ejusdem gratiæ, „ ad nostrum consensum, simul cum libero „ arbitrio." Prædicatorum verò doctrinam inter Doctores communiorem judicat. „ Alii, inquit, multi ex Dominicanis & magis communiter Doctores affirmant, ad „ hoc ut Gratia excitans fiat efficax, necessarium esse novum & distinctum auxilium „ Dei speciale, quòd propriè dicitur efficax, „ sive illud se habeat per modum principii „ activi, simul cum voluntate creatâ, ad „ nostrum consensum, ut quidam asserunt: „ sive, ut alii volunt, per hoc quod illud auxilium sit ipsamet motio actualis nostræ „ voluntatis, quatenus à Deo supernaturaliter operante dependet.

Similiter quoad tertium caput, utramque Jesuitarum ac Prædicatorum doctrinam probabilem pronuntiat. Nihilominùs, expositâ recentiorum (ut vocat) è Societate sententiâ, quâ efficaciam gratiæ ex liberi arbitrii consensu suspendunt, ita concludit. Hic modus dicendi probabilis est, „ dummodò autores istius sententiæ non asserant taliter dependere efficaciam divini „ auxilii ex nostro consensu, ut solùm ex „ majori conatu nostri liberi arbitrii, secundùm naturales vires, possit esse actus magis „ meritorius, vel dispositio ad majorem gratiam. Nam talis positio quantum ad hoc „ singularis est, & occasio errandi. Quibus verbis Molinæ jugulum peti, fatebitur quisquis eum paulò attentiùs evolverit.

Edit. Ulispon. disp. 38. §. antequam & §. hinc. & qu. 23. art. 4. & 5. disp. 1. mem. 6. §. certè & §. postremò & mem. 11. §. postremo & §. denique.

Subscripserunt Theologi in hunc modum.

Doctor Franciscus Martines.
Doctor De la Camati.
Doctor Ludovicus Montesino.
Doctor Ludovicus Detena.
Doctor Gonçales.
Doctor Innocentius Pardos.
Doctor Alvarus Villegas.
Doctor Hieronymus Ruis.

Dixi paulò fusiùs de Complutensis Academiæ Censurâ, ut hinc intelligant universi, quo jure hujus Academiæ judicium totum pro Societatis partibus stare, scripserint aliqui: quod nedum utriusque scholæ sententiam probabilem dicit, sed & iis notis Jesuitarum opiniones afficit, iisque perscriptionibus temperat, quibus eas novas ac erroris non mediocriter suspectas insinuat. Esto igitur illis adfaveat, non ita tamen ut putant aliqui. *Ripalda. Oviedo. Herice.*

Censura duorum Facultatis Seguntinæ Professorum. Data est die 14. Aprilis anno 1595. sub hoc titulo: *Censura y parecer de los Cathedraticos de Theulugia de la Universidad de Seguença.* Molinam ab errore sæpiùs vindicat, speciosæ probabilitatis titulo; quem tamen falsitatis, temeritatis & audaciæ nonnunquam accusat. Subscripsere

El Dotor Gavelan.
El Dotor Fernandus.

Censura Episcopi Placentini absque datâ. Molinam ab errore vindicare nititur, eóque plerúmque confugit, ut earum propositionum, quæ in controversiam vocantur, aliquas ipsi falsò suppositas ostendat. Hunc tamen imprudentiæ & immodestiæ sæpiùs accusat; nihilque se de veritate doctrinæ ejus dicturum interim profitetur. Subscripsit

Petrus *Episcopus Placentinus.*

Censura Ludovici Coloma Ordinis S. Augustini. Data est 24. Februarii 1595. Hispano idiomate, Molinam ab errore Pelagianorum defendit. Subscripsit

F. Luis Coloma.

Censuræ quatuordecim, quibus Prædicatorum doctrina certò tenenda definitur: Moliniana verò, uti falsa, temeraria, scandalosa, erronea, hæretica damnatur, sunt sequentes.

Censura Salmanticensis Academiæ, ceterarum totius Hispaniæ Principis, data est die 22. Junii 1595. Statuit novem propositiones Thomisticas, quas nedum Catholicas esse, & ab omnibus fidelibus recipiendas probat, sed nec aliter, secundùm doctrinam Patrum & Conciliorum, sentiendum esse demonstrat. Has inter, potiores sunt istæ quatuor: Prima, Discrimen quod " versatur, inter auxilium sufficiens & efficax, illud est, quòd auxilium sufficiens " præstat homini posse operari; auxilium " verò efficax confert homini actualiter benè " operari. Secunda, Necessariò confitendum est auxilium efficax, antecedenter se " habe- "

„ habere ad opus ordine naturæ & causalitatis. Tertia, Liberum arbitrium nequaquam „ tribuit vim auxilio efficaci, sed potiùs auxilium efficax præstat vires libero arbitrio „ ad operandum. Quarta, Non stat cum „ æquali auxilio & æquali omnino gratiâ, „ unum converti, alterum non converti. Subscripsere Viri Theologi, uti sequitur:

Ego Magister F. JOANNES DE GUEBARA *Decanus*.

Ego Mag. F. BARTHOLOMÆUS SANCTIUS.

Magister ANDREAS DE LEON.

Ego Mag. Doctor FRANCISCUS SANCIUS.

Magister DIDACUS AGUAYO.

Ego Magister DIDACUS GARCIA.

Magister PETRUS ADROYO.

Censura Episcopi Coriensis data 19. Septembris 1595. Hispano idiomate adornata est. Doctrinam Molinæ falsam, novam, singularem, arrogantem, temerariam, & periculosam pronuntiat. Singulas Censuræ partes multis argumentis demonstrat. Subscripsit

DON GARCIA DE GALARÇA *Obispo de Coria*.

Censura Episcopi Carthaginensis absque datâ, Deum scientiâ suâ, voluntate, providentiâ, nedum non imponere necessitatem rebus, verùm etiam totius libertatis fontem esse probat. Censuram à Patribus Prædicatoribus datam adversùs Molinam, tametsi in aliquibus rigorosam, approbat. Molinæ librum novâ, singulari, audaci ac periculosâ doctrinâ plenum, meritóque à sacro Tribunali prohibendum decernit; eumque de hæresi Pelagianâ suspectum, & in Sanctos Patres Augustinum, Anselmum & Thomam contumeliosum declarat. Subscripsit

OBISPO DE CARTAGENA.

Censura Episcopi Mindonensis Hispano idiomate data est, anno 1596. die 15. Junii. Principium, cui tota Molinæ doctrina innititur, videlicet, *Voluntas divina ut absolutè determinetur ad aliquem actum liberum, dependet à nostra voluntate*, temerarium judicat ac Pelagianum; immò Lutheri errori valdè germanum, qui ex absoluta prædeterminatione, exstingui liberum arbitrium effutiebat. Scientiam-mediam uti novam, veteribus Theologis ac Patribus ignotam, falsam, atque adeò damnandam judicat. Theologos monendos censet, ne ad Molinæ imitationem, contemtâ Sanctorum doctrinâ, propriis figmentis stolidè pascantur. Doctrinam Bannesii & Zumelis æquo sensu excipiendam, apud Sanctos Patres receptissimam, & à Calvini necnon Lutheri erroribus remotissimam attestatur. Subscripsit

G. EPISCOPUS MINDONENSIS.

Censura Petri de Castro, postmodùm Episcopi Lucensis, habetur Hispanico idiomate absque data. In quinque partes distribuitur. In prima damnat quatuor propositiones Molinæ, De concursu generali Dei cum causis secundis. In secunda damnat tres propositiones ejusdem, circa gratiam prævenientem. In tertia ostendit Molinam absolutè negare gratiam cooperantem, & auxilia efficacia, etsi ea verbis astruere videatur: atque in hoc Molinam damnat erroris, illumque nihil aliud moliri ait, quàm ut lectores specioso verborum fuco callidè decipiat. In quarta damnat Scientiam-mediam, nedum uti rem novam, verùm etiam ut noxiam. In quinta damnat multas Molinæ propositiones de Voluntate, Providentiâ & Prædestinatione: Molinæ librum damnandum concludit, curandumque ut doctrina ejus radicitùs evellatur; utpote quæ non minùs, atque etiam magis divinæ gratiæ adversetur, quàm Pelagiana.

Postremo loco doctrinam Bannesii ac Zumelis commendat, uti antiquæ ac communi Ecclesiæ Catholicæ doctrinæ consentaneam. Subscripsit

El Dotor PEDRO DE CASTRO.

Censura Doctoris Sierra, Burgorum Canonici, ac postmodùm Episcopi Palentini, data est die 28. Augusti anno 1595. Censet omnino novam ac temerariam Molinæ doctrinam, circa concordiam liberi arbitrii cum Gratiæ donis. Probat æquitatem Censuræ contra ejusdem propositiones viginti duas. Librum tandem damnandum concludit, quod vix in eo pagina occurrat, ubi liberi arbitrii vires ultra modum non amplificet ac divinæ Gratiæ detrahat. Subscripsit

El Dotor SIERRA.

Censura Michaelis Salon Ordinis S. Augustini datam non præfert; Hispanicè scripta est; universam Molinæ doctrinam in propositiones quadraginta septem distribuit, ac distinctis censuris notat. Illas novas, erroneas, periculosas, malè sonantes, temerarias pronuntiat. Subscripsit

F. MICHAEL SALON *Ord. S. August.*

Censuræ duæ Henrici Henriques è Societate Jesu, de quibus jam antea diximus. Prima data est anno 1594. mandante sacræ Inquisitionis Generalis Hispaniæ Senatu. Altera data est anno 1597. mandante Clemente VIII. Pontifice Maximo. In prima minutatim observat quidquid in Molinæ

Exstat in Bibl. Aug. & in Archiv. Ord. Præd. vol. sig. R.

næ CONCORDIA animadversione dignum occurrit, tum de toto Libro in universum pronunciat. In altera, statutis propositionibus sexdecim, totam controversiam definit: intrinsecam divinæ Gratiæ efficaciam multis probat.

In Bibl. Ang. vol. fig. K. Censura Episcopi Sitiæ & Hierapetræ in Candia. Tota est contra sententiam Molinæ de Gratia efficaci ex congruitate, ac Scientiam-mediam. Gratiam ex naturâ suâ efficacem, & in physica prædeterminatione sitam, permultis S. Augustini aliorumque Patrum ac summorum Pontificum testimoniis, nervosè confirmat.

Exstat cum aliis in Archiv. Ord. Præd. vol. fig. R. Censura Francisci de Lamata, Decani Ecclesiæ Cæsaraugustanæ, directa est ad Cardinalem Baronium, à quo sententiam rogatus fuerat, Clemente VIII. Pontifice summo jubente. Stylo admodùm eloquenti & erudito elaborata est. Intrinsecam divinæ Gratiæ efficaciam tanta eruditione, quanta perspicuitate defendit. Subscripsit

FRANCISCUS DE LAMATA.

Exstat Orig. in Bibl. Ang. vol. fig. D. Censura Francisci Zumel Magistri Generalis Ord. Beatæ Mariæ de Mercede, data est mense Julio 1595. ex divinis Scripturis, Conciliis, Patribus, ac summorum Pontificum definitionibus, Catholicam veritatem adversùs Molinæ novitates defendit: humani arbitrii libertatem, cum gratia per se efficaci ac prædeterminante propugnat.

Exstat Orig. in Bibl. Card. Ricci. Censura Sylvestri Losii, Clerici Regularis S. Pauli decollati, propositiones viginti septem, uti totidem Catholicas assertiones, omni argumentorum genere probat; ac Molinam contra totidem fidei capita peccasse colligit & demonstrat.

Exstat in Archiv. Ord. Præd. vol. fig. R. Censura Francisci de Rada, Procuratoris Generalis Ord. S. Francisci, data Clementi VIII. antequam ab ipso inter Congregationum Censores adscriberetur, Gratiæ physicè Prædeterminantis necessitatem probat, eamque cum libero hominis arbitrio mirè conciliat.

Exstat in Bibl. Ang. vol. fig. N. Censura Leonardi Coquæi Doctoris Theologi Parisiensis, Ordinis S. Augustini, posteriùs data est. Inscribitur, *Pro veritate contra Scientiam-mediam*. Hinc quid contineat, satis intelliges.

Exstat in Archiv. Ord. Præd. vol. fig. T. Censura Joannis Carthagena Ord. FF. Minorum ad R. P. Thomam de Lemos directa, quem acerrimum fidei propugnatorem, & Pelagianæ hæreseos acerbissimum flagellum appellat, tota est ut ostendat omnes actus liberos humanæ voluntatis prædefiniri ac prædeterminari à Deo, efficaci & absoluta voluntate. Qua in re miram Angelicæ & Scoticæ scholæ consonantiam ostendit.

Præmissas Censuras (nonnullis, quæ postea tantùm latæ sunt, dumtaxat exceptis) necnon partis utriusque Apologeticas lucubrationes (de quibus superiori capite diximus) Romam transmisit Petrus Portocarrerius Conchensis Episcopus, ac supremus Hispaniarum Inquisitor, idibus Octobris anno 1596. Unà cum subjectâ ad summum Pontificem Clementem VIII. Epistolâ.

BEATISSIME PATER.

Exstat Origin. in Bibl. Angel. vol. fig. E. F. « Quod de controversiis inter Ordinis Prædicatorum Fratres & Societatis Jesu Regulares Clericos, de divino auxilio sufficienti & efficaci, superiori anno ad nos Sanctitas Vestra scripsit, ut utrique parti silentium imponeremus, id jam & Prædecessores nostri, Gaspar Cardinalis Toletanus & Hieronymus Abulensis fecerant. Quod verò ad eorum sensus de tota quæstione perspiciendos, caussasque ac rationes cognoscendas atque colligendas, simulque aliorum doctrinâ præstantium, minimèque suspectorum sententias exquirendas attinebat: id (quoniam breviùs confici non potuit) nunc & utriusque partis, & Universitatum, virorumque Theologiea Facultate magis insignium scriptis, cujusmodi ad nos delata sunt, ad Sanctitatem vestram transmittendis, præstamus. Illud tamen à nobis utrique, ut Beatitudini Vestræ proponeremus, enixè contenderunt: Paratos quidem se, ut Ecclesiæ filios decet, Apostolicæ Sedis definitionem quamvis exspectare, eique se planè totos addicere; posse etiam ab hac quæstione ex professo disputandâ abstinere; posse denique assensionem omnem suspendere ac cohibere: Si verò ea decisio (quod maximè verentur) multo tempore differatur, quomodo se interea, vel sine gravi suo periculo, vel absque Theologicarum disputationum maximo detrimento, gerant, non posse prorsùs conspicere: Esse enim quæstiones plurimas easque gravissimas, non solùm cùm de Dei gratia aut Arbitrii libertate, aut de Justificatione, sed etiam cùm de Providentia, de Prædestinatione, de Scientia Dei, aliisque innumeris rebus disceptatur; in quibus aut hærere ipsos, aut nusquam progredi necesse sit, aut quominùs hanc ipsam quæstionem attingant, atque alterutrâ dicendi ratione nitantur, aut niti certè videantur, vitare atque effugere, sine mutuâ inter se, aut aliorum etiam offensione, neutiquam possint. In his quomodo versari in prælectionibus & disputationibus sine sua auditorumque fraude queant, rationem sibi

præ-

„ præscribi, finesque intra quos se contineant, à Sanctitate Vestra præfigi, id se „ quàm humillimè precari. Atque hoc se suo „ quique nomine, neque tamen sua ipsorum „ tantum, sed universorum omninò Theologorum, qui scholasticam tractant disciplinam, causâ postulare. Hoc quanti esse „ debeat, Sanctitas Vestra pro cœlesti suâ „ sapientiâ optimè judicabit, deque eo pro „ paterna charitate, pastoralique officio, pro „ ut magis expediet, gregi suo providebit. „ Nos verò Deum optimum maximum assiduè orabimus, ut Sanctitatem Vestram „ Ecclesiæ suæ diutissimè servet incolumem. „ Matriti idibus Octobris 1596.

SANCTITATIS VESTRÆ,

Humillissimus servus

P. EPISCOPUS CONCHENSIS.

CAPUT VIGESIMUM.

Nova Prædicatores inter ac Jesuitas dissidia, indicti silentii occasione, suboriuntur.

QUod, animis motibusque componendis, utrique parti silentium indixerat Sanctissimus Pontifex, majoris discordiæ ac contentionis occasio fuit. Nec multo post, anno videlicet 1595. Poetæ dictum infeliciter comprobatum est:

Sanando fieri quædam majora videmus
Vulnera, quæ meliùs non tetigisse fuit.

Seu enim intra præscriptos indicti silentii fines contineri aliqui nollent, seu alio de argumento disputantes, in vetitas divinæ gratiæ quæstiones necessariis consecutionibus laberentur, seu tandem exasperati jam pridem animi aliis de rebus, absque adversæ partis offensione nullatenus agere possent, res eò dissensionum rixarumque devenere, ut Philippi II. Hispaniarum Regis (qui jam multa pro fovenda inter eos pace anno superiori sanciverat) ad extrema tentanda remedia, religionem concitarint.

Ex Relat. FF. Præd. in Archiv. Ord. Rebus itaque cum R. P. Didaco Yepes Confessario suo maturè collatis, R. P. Joannem de Villafranca Prædicatorum Provinciæ Hispaniæ Provincialem, & R. P. Garciam de Alarçon Provinciæ Castellæ Societatis Jesu Visitatorem, Matritum acciri jussit; quibus cùm primùm advenissent, Epistolam scripsit in hæc verba.

VENERABILES AC RELIGIOSI PATRES.

Ex Hispano, Latinè datur. „ Vobis ante dies aliquot, uti nostis, scribi „ jussi atque Matritum advocari; ut nonnulla vobis aperirem, quæ ad Dei obsequium & Ordinum vestrorum utilitatem „ plurimùm attinent. Quid verò specialiter rei esset, declarandum distuli, donec vos illuc venisse contigisset. Ne igitur nimiâ rerum agendarum procrastinatione fallatur tempus, convenietis Fratrem Didacum Yepes Confessorem meum, ipsique in omnibus quæ vobis nomine meo significaverit, integram præstabitis fidem. Siquidem ad bonum pacemque inter utrumque Ordinem statuendam unicè conferunt. Datum Aranjues die 15. Martii 1596. „

EGO REX,

Demandato Regis Domini mei

HIERONIMUS HAZOL.

Confessorem convenere Religiosi Patres die 19. quibus ille posthabitis interlocutionibus, sequens Regiæ voluntatis Edictum significavit; quod suâ illorumque subscriptione in obsequii & obedientiæ fidem muniri voluit.

Ex Hispano, Latinè redditur. „ Considerans Philippus Rex Dominus noster gravia mala & scandala, quæ ex mutuis Patrum Prædicatorum ac Jesuitarum concertationibus oriuntur, propter doctrinam in scholis ab utrisque doceri ac propugnari solitam, desiderausque omnes dissidii occasiones, quæ in scholis ac pulpitis occurrere possent, amovere; cum jam experimento comprobarit ea desideratam pacem minimè promovisse, quæ anno elapso utriusque Ordinis Superioribus injunxerat, nova remedia tentanda judicavit, monens ac jubens sequentia statuta accuratè servari. „

„ 1. Ut Ordinum Superiores, Collegiis & Universitatibus suis Lectores præficiant doctrinæ S. Thomæ optimè affectos; quique mutuas simultates nec foveant nec antea foverint. Si verò sic recens præfecti eas rursùs excitent, amoveantur atque etiam castigentur, juxta præscriptas in Societate aut Ordine Prædicatorum Constitutiones. „

„ 2. Ut, donec aliter sua Majestas disposuerit, ad Theses & actus publicos utriusque Ordinis Professores mutuò non accedant: idque ipsis strictè præcipitur. „

„ 3. Ut in actibus, lectionibus, privatisque colloquiis, nemo alterius partis doctrinam, ut erroneam aut hæreticam sugillet, ejusque defensores notet. Immò potiùs, quavis datâ occasione, benè inter se dicant, ac fraternam charitatem observent; in aliis autem gravioris momenti ad suam Sanctitatem recurrant. „

His auditis articulis, optarunt Prædicatorum ac Jesuitarum Superiores quartum adjici Edicto Regio, in hunc modum.

„ 4. Ut utriusque Ordinis Superiores subditis

» ditis suis sub pœna excommunicationis in-» jungant, ut quisquis apud se scripta habue-» rit, in quibus nonnulla habeantur ad pri-» vatorum alterutrius Religionis mores spe-» ctantia, ea intra dies octo à notitia man-» dati Superioris sui, comburant; ne ad a-» lienas manus pervenire possint: neque dein-» ceps hujusmodi scripta edantur. Immò » potiùs uniuscujusque Religionis Præposi-» ti, alterius Ordinis Prælatos admoneant » de defectibus sibi notis, aliisque omnibus » quæ pacem interturbare possent, quò eos » castigare valeant; qui verò injuriâ affecti » fuerint, satisfactionem acceptam habeant.

Præmissis statutis subscripsère: F. Didacus Yepes Regi à confessionibus: Joannes de Villa-Franca, Provincialis Hispaniæ Ordinis Prædicatorum: Franciscus Pereda Socius: Garcia de Alarçon Visitator Provinciæ Castellæ Societatis Jesu: Joannes Garcia Socius. Nec multo post directis transmissoriis Epistolis, suos ad illorum observantiam subditos invitarunt: Societatis quidem Visitator die 15. Aprilis, Provincialis verò Prædicatorum die 28. Junii 1596.

Scient. med. Theol. def. prot. 2. n. 97. *Miranda hic obiter Gabrielis Henao S. J. summa scribendi dicendique libertas: qui primum Regii decreti articulum proponente ac rogante Societatis Visitatore statutum refert; quem tamen, antequam Conventus ille haberetur, Regia autoritate cum secundo simul ac tertio definitum fuisse perspicuum est. Sed & illud ludicrum magis, quòd propositam ab eo fraudulentam conditionem, uti propensæ in S. Thomæ doctrinam ac pacem voluntatis argumentum jactitet. Quintum enim pacis articulum, ab eo propositum dicit: » Sequi & profiteri doctrinam S. Thomæ, » ut illam loquuntur ac profitentur Thomi-» stæ, cum libertate declarandi & interpre-» tandi illam, sicut illi aut gravis quisque » autor declarat & interpretatur: non con-» querendo aut indignam rem ducendo, si » quis audierit eam aliter declarari, quàm » hic proprius Magister, cui quisque insue-» vit, illam declarare solitus fuerit. Cùm » enim inter Thomistas graves & doctos, » antiquos & recentiores, manifestè cerna-» tur ingens diversitas, immò contrarietas » opinionum, quarum quique tamen auto-» rem S. Thomam faciunt, obscuriora ejus » quædam loca in suam sententiam inter-» pretando, quid est quòd cuipiam hodie » vetetur, eodem jure uti; præsertim si » quando interpretationis suæ rationem du-*Subdola clausula.* » cat ex aliqua posterioris ætate S. Thomæ » Concilii definitione, cui se quàmmaximè accommodare omnis semper Theologia « debet; cum in confesso sit, antiquas veri- « tates novis œcumenicarum Synodorum de- « finitionibus magis magisque in dies evolvi, « & conspicuas fieri solere." Quis illum, amabo, germanum S. Thomæ discipulum dixerit, qui mentem ejus ex uniuscujusque, prout libuerit, autoris interpretatione venari velit? Quisve illum sincerum pacis actorem existimaverit, qui obliquo subdoloque circuitu partis alterius sententiam, uti Concilio Tridentino repugnantem, in ipsis pacis conditionibus accusare molitur? Absit.

Et quidem non firma diuturnave pax fuit, nec eo Catholici Regis Edicto extincta fuere, sed consopita diffidia. Quia quæ jam per sese Jesuitæ tentare non poterant, interpositâ amicorum personâ machinabantur. Devotos scilicet & amicos ad Fratrum Prædicatorum publicos actus submittebant, qui de licitis quæstionibus subdolè disputantes, eos vel invitos artificiosis consecutionibus ad vetitas divinæ gratiæ difficultates subdolè pertrahebant: quibus si illi, ne silentio victi viderentur, vel verbo reponerent, à Jesuitis totius comœdiæ secretis actoribus, uti Decretorum Apostolicorum violatores, coram sacris fidei Quæsitoribus traducebantur. Quam quidem sibi machinatam fraudem coram Philippo II. expostularunt Prædicatores; Rectoremque Societatis Valentiæ *Vide scriptum Hieronymi de la Nuza, de quo paulò infra.* accusarunt, quòd admotâ laternâ, non jam uti Diogenes sapientem de die quæsisset, sed de nocte dementem, qui has ipsis insidias moliretur.

Verùm nec id satis. Eam in universo Arragoniæ Regno tempestatem sequenti anno commoverunt, qua facilè Prædicatores demersi fuissent, nisi eos Superiores nacti essent, qui rem totam virili pectore ad suprema Tribunalia detulere. Hujus ista occasio fuit. Cum soli Provinciæ Hispaniæ seu Castellanæ Conventus Ordinis Prædicatorum, Molinam ejusque defensores in jus vocassent, dissimulantibus aut certè nihil tentantibus aliis, qui ad Arragoniæ Provinciam attinebant; mitiùs cum istis, quàm cum prioribus actum est, dum ad componendos interim partium motus, silentium de divinæ gratiæ quæstionibus indixerat summus Pontifex. Nec enim æquitas postulabat, ut partium ferrent onera, qui nullam in lite partem sustinebant. Etsi ergo, quo tempore P. Thomas de Gusman primum summi Pontificis Edictum (quo dumtaxat cavebatur, ne cum alterius opinionis morsu de divinæ gratiæ quæ-

quæstionibus ageretur) in Provincia Hispaniæ significaverat, hoc idem P. Joannes Vincentius Arragoniæ Provincialis, intra ditionis suæ fines pronuntiasset; cetera tamen Edicta, quibus quæcumque hoc de argumento tractatio interdicebatur, nusquam ibi vel denuntiata vel publicata fuerant.

Quare hujus Regni Prædicatores, intra constitutos sibi primo Pontificis Decreto limites unicè defixi, ab alterius quidem opinionis morsu temperabant, nec tamen à publicis disputationibus abstinebant. Id Jesuitis in causa fuit, ut eos ad Nuntium Apostolicum, sacrosque fidei Quæsitores, velut Pontificiorum Decretorum prævaricatores traducerent, stricti absolutique silentii legibus subjiciendos. Utque expostulationem suam speciosioribus titulis obducerent, illos variarum accusationum plaustris onerarunt. " 1. Quòd de divinæ gratiæ auxiliis publicè legentes, gravissima scandala concitassent: 2. Quòd solis Jesuitis prohibitam hujus argumenti tractationem asseruissent. 3. Quòd non illum erga Societatem honestatis ac benevolentiæ animum gererent, quem inter utriusque Ordinis viros servandum edixerat Catholicus Rex: 4. Quòd sacræ Inquisitionis leges Pontificiâ autoritate sancitas, temerè violassent 5. Quòd nedum doctrinam ipsorum, verùm etiam religiosa statuta, de correctione fraternâ, iniquo animo vellicarent.

Hæc aliaque multa, non Inquisitorum tantùm Nuntiique Apostolici auribus insusurrabant, sed & arreptâ visitationis occasione, quam in Hispaniæ Provinciis obibat Hippolitus Maria Beccaria, Ordinis Prædicatoum Magister Generalis, illum in filios ejus iisdem expostulationibus commoverunt. Res demum eò perducta, ut Nuntii Apostolici, supremi fidei Quæsitoris, necnon Magistri Generalis Edicto, de divina gratiâ omninò disputandi facultas Provinciæ Arragoniæ interdicta sit.

Indicti silentii Decretum repugnanti animo excepere Prædicatores Arragoniæ, quòd occultis Jesuitarum corrivationibus suspicabantur extortum; ne publicis de divina gratia lectionibus Molinianas novitates impeterent, quibus illi discipulos & amicos, distributis clanculum quaternionibus inficiebant. Paruere nihilominùs obsequentissimè, sed intimum animi sensum rescripto significarunt. Exstat etiamnum ea de re Conventus Valentini Responsum, ad Magistrum Generalem Ordinis transmissum, sub data 25. Aprilis 1597. Notarii publici fide firmatum.

Causam ardentiori animo urgendam suscepit Hieronymus Baptista de la Nuza, hujus tunc Provinciæ caput, emunctæ naris homo, ac non multo post, pro egregiis meritis ad Albarascinensem Episcopatum assumtus: cujus etiam, ob egregia heroicarum virtutum merita, Canonicam Apotheosim, omnium Arragoniæ Regni Ordines ab Innocentio XI. postularunt. Is Philippo II. Hispaniarum Regi ac sacris fidei Quæsitoribus libellos supplices obtulit, quibus transmissi decreti periculum, illatam Ordini Prædicatorum injuriam, obliquas Societatis artes, ejusque expostulationum falsitates, amariori stylo detegebat.

Hæc instrumenta, Notarii publici fide munita, in generali Ordinis Prædicatorum Archivio, unà cum Conventus Valentini Responso, cernere licet. Ex quibus, oblatum Philippo II. libellum supplicem, quo cetera continentur universa, dumtaxat in Appendice dabimus: nec illum injucundum lectori futurum existimamus.

CAPUT VIGESIMUM PRIMUM.

Delatis Romam FF. Prædicatorum expostulationibus, servandi silentii statuta temperantur: at novâ admissâ fraude, nova lis intentatur.

Viso Hieronymi de la Nuza libello supplici, respondit Catholicus Rex, rem apud summum Pontificem urgendam, qui servandi silentii legem edixerat; se tamen alia curaturum, quæ proprii juris & autoritatis essent. Idem Generales Arragoniæ Quæsitores respondisse, tametsi nusquam legam, ipsa tamen rei ratio satis postulat.

Fuit ergo alia tentanda via. Accessit intereà ad Arragoniæ Provinciæ causam Provincia Hispaniensis, communique supplicatione indicti silentii statuta, à summo Pontifice temperari postularunt. Oblatum non ita pridem eo fine Philippo II. libellum supplicem contraxit ac Latinè reddidit Dominicus Bannes, suâque subscriptione munivit, die 28. Octobris 1597. ut Clementi VIII. ab Eminentissimo Cardinale Alexandrino porrigeretur: quem ad illud universo Ordini præstandum officium, Epistolis efficacissimis rogaverat Præpositus Generalis.

Ex Relat. 2. Pegna, & ex Henao S.J. de scien. med. sect. 175.

Supplicationibus annuit sanctissimus Pontifex. De divinæ gratiæ auxiliis, donec aliter sanciretur, scribendi docendique veniam fecit utrique parti: iis nihilominus

nus perscriptionibus, quibus FF. Prædicatorum scholam assertæ veritatis prærogativâ superiorem significavit. Illis etenim veniam dedit de divina gratia legendi juxta S. Thomæ mentem, uti hactenus egerant: Jesuitis è contra, non ut hactenus egerant, sed ea solummodo lege, ut sanam & catholicam doctrinam tuerentur. Unde eos in erroris saltem suspicionem venisse non obscurè colligas.

Pontificia mandata, Sanctitatis suæ nomine ad Nuntium Apostolicum transmissa per Cardinalem à S. Severina, subjicere placuit in fidei argumentum.

PERILLUSTRIS AC REV^MS. DOMINE.

Exstat in Collect. Cornelii, Pegnæ & Lemosii.

" Novit Dominatio Vestra ortum Theologos inter Ordinis Prædicatorum & Societatis in Hispaniæ Regno diffidium, circa materiam de auxiliis divinæ gratiæ & eorum efficaciâ, super doctrinâ S. Thomæ. Novit pariter prohibitionem ab ea Inquisitione generali, de mandato sanctissimi Domini nostri, factam utrique parti, ne usque ad novam suæ Sanctitatis ordinationem, hoc de argumento tractaretur. Jam verò intelliget qualiter ob urgentem instantiam, quæ apud Beatitudinem suam fit, ad supradictæ prohibitionis moderationem (cum fieri non possit quominùs hoc de argumento in Cathedris sæpiùs agatur) Sanctitati suæ placuit, eam ad novum usque mandatum seu declarationem, temperare. Quapropter injunxit mihi ut ad Vestram Dominationem scriberem, sicuti per præsentes facio: quò prædictis Ordinis Prædicatorum Patribus significet, Sanctitatem suam, factam prohibitionem moderando, eis facultatem concedere, ut liberè possint de materia auxiliorum divinæ gratiæ & eorum efficacia, conformiter ad doctrinam S. Thomæ legere ac disputare, ut antea fecerunt: & pariter Patribus Societatis, ut possint & ipsi legere & disputare de eadem materiâ, docendo nihilominus semper sanam & catholicam doctrinam. *Faccia intendere a i detti Padri dell' Ordine de Predicatori, che sua Santità moderando la prohibitione fatta, concede loro facoltà, che possano liberamente, circa la materia de Auxilii divina gratia & eorum efficacia, conforme à la dottrina di S. Thomaso, leggere è disputare, come hanno fatto per il passato. E similmente à i Padri della Compagnia, che possano ancora essi, leggere è disputare, della medesima materia, insegnando però sana è Cattolica dottrina.* Ita tamen quòd utraque pars hoc de argumento dumtaxat agat in scholis & disputationibus, non tamen in concionibus & pulpitis; & abstineant à contentionibus, novitatibus & qualificationibus, vel censurâ aut notâ alterius opinionis, séque religiosè contineant intra debitæ modestiæ limites; quemadmodum existimo utramque partem à suis Superioribus admonitum iri; ut norint quo pacto ea in re se gerere debeant. Id autem muneris à prædicta Inquisitione generali præstari, necessum erit. Istam ipsam ordinationem ac voluntatem Sanctitatis suæ significabit Dominatio vestra D. Episcopo Cordubensi, supremo Inquisitori. Cumque nihil aliud impræsentiarum occurrat, Dominationem Vestram ex corde saluto, Deum orans, ut ejus justa desideria compleat. Datum Romæ die 26. Februarii 1598.

D. V. Perillustri ac Reverendissimæ
Quasi Frater ad officia "

CARD. A S. SEVERINA.

Hoc idem Prædicatores inter & Jesuitas servatum discrimen observavit Petrus de Ledesma, & ex Literis Cardinalis Madrucii à se inspectis confirmavit. *Clemens VIII.* inquit, *pro sui animi nobilitate benignitateque, tum verò propter doctrinæ utilitatem & necessitatem, Theologis concessit de hac materia disputare: taliter ut illi qui sunt ex Ordine Prædicatorum, ut veri discipuli D. Thomæ suam doctrinam & sententiam sequantur sine aliqua limitatione: illi verò qui sunt ex Societate Jesu, qui Angelici Doctoris doctrinam, saltem in hac parte non sequuntur, & cum quibus est controversia, concessit ut istam materiam in lucem proferant taliter, quòd sanam & Catholicam doctrinam in omnibus doceant. Et hoc constat ex literis testimonialibus cujusdam Illustrissimi Cardinalis Madrucii, quas ego vidi.* *In Præfat. Tract. de Auxil.*

In hujus tamen mandati Apostolici significatione Inquisitores Hispani Sanctissimi mentem violarunt. Theologos Ordinis Prædicatorum & Societatis promiscuè confuderunt, eâ inter illos suppressâ distinctionis notâ, quam verbis luculentissimis Cardinalis S. Severinæ significaverat. Clausulam etiam, quæ concessam dumtaxat ad tempus licentiam, donec aliter sanciretur, indicabat, resciderunt. Dolóne, an oscitantiâ id evenerit, judicet qui corda novit. Hinc saltem intelligent universi, quantum plerique Patribus Societatis in hujusce causæ tractatione gratificati sint: hincque æqui rerum æstimatores agnoscent, non gratiæ, non favori, non patrocinio, ut garriunt aliqui, sed uni victrici veritati tribuendum, quòd in ea tandem FF. Prædicatores superiores exstiterint.

Significationis litteras ab Inquisitoribus Vallisoletanis ad Prædicatorum Provincialem Salmanticam die 5. Maii directas, cum mandato Pontificio Româ transmisso conferre sufficit, ad interpolationis fraudem detegendam. Sunt illæ tenoris sequentis.

ADMODUM REVERENDE PATER.

» Per Litteras hujus S. Officii sæpiùs » injunctum est Superioribus Religionis Paternitatis Vestræ, ut prohiberent subditis » suis, ne in lectionibus aut quovis alio modo agerent aut disputarent de divinæ » gratiæ Auxiliis & eorum efficacia, infligendo graves transgressoribus pœnas: » idque in exsecutionem ordinationis à sanctissimo Domino Nostro factæ per Breve » ad D. Inquisitorem generalem transmissum. » Et quia nunc Sanctitas sua, ob justas religiosasque rationes, eam prohibitionem » temperare voluit, id vobis significandum » judicavit; ut statim atque Paternitas vestra » hanc epistolam exceperit, quo modo ea » prohibitio denuntiata est, nunc quoque » significet omnibus, quatenus Sanctitas » sua pia de causa factam olim inhibitionem » temperans, concedit ipsis facultatem, ut » possint utrique liberè legere & disputare » de præfata materia de Auxiliis divinæ gratiæ & eorum efficacia, ut ante fiebat: » ea nihilominus lege, ut sanam semper & » Catholicam doctrinam propugnent. *Se les » notifique à hora à todos que su Santitad, les » concede facultad, paraque libremente puedan » los unos y los otros, leer y disputar la dicha » materia, De Auxiliis divinæ gratiæ & eorum » efficaciâ, como antes se hazia, conque siempre enseñen sana y Catholica doctrina.* Quòd » quidem utrique, & quilibet illorum, in » scholis & disputationibus, necnon in con- » cionibus tractent, servatâ semper religiosâ » modestiâ; & quòd abstineant à contentionibus, novitatibus, qualificationibus, censuris, & notis opinionis contrariæ. Quòd » quidem omne ita fieri & impleri curent, » certi quòd quicumque mandatum istud » formamve ejus aut modum prætergredien- » tur, severè punientur. Paternitas Vestra » curabit id omne ad amussim observari, ac » de hujus epistolæ receptione faciet nobis fidem. Vale.

» *Licenciatus* ALPHONSUS GAITAR
» *de mandato S. Officii.*
» *Doctor* IGNATIUS DE SALCEDO.
» P. LOPES DE ALEGRIA, *Secret.*

Non absimiles ab aliis Inquisitoribus ad Reverendos Patres Ludovicum de Gusman & Christophorum de Ribera, Provinciarum Toletanæ & Castellanæ Provinciales, transmissæ fuerant die Martii 15. hincque adducor ut credam, non à privatis Inquisitoribus fraudem admissam, sed à supremo, qui cæteris omnibus significationis formulam præscripserat. Nec ea de re subinde dubitatum est.

Ut ut est, eam mandatorum Apostolicorum violationem in rem suam Jesuitæ verterunt, seu errorem ipsi nescirent, seu nescire simularent. Theses in Molinianæ doctrinæ defensionem, Salmanticæ, Vallisoleti confestim publicæ disputationi dederunt. Lucubrationes etiam suas, quadriennali silentio meditatas, in primam D. Thomæ partem arrepta occasione vulgavit Gabriel Vasques, quas Petro Portocarrerio Inquisitori generali, ac Societati jam pridem devincto, nuncupavit ad conciliandam suis opinionibus autoritatem. Ea enim arte Jesuitas tunc maximè usos observat Franciscus Pegna: libros suos Inquisitoribus consecrabant, iisdem à Confessionibus esse ambiebant, ut incautam plebem speciosis titulis illuderent. At non iis se capi retibus prudentiores sustinebant. Unde & Sixtum V. Cardinali Montalto roganti ut Jesuitam ad Confessiones assumeret, respondisse fertur: *Non Jesuitis Pontifices, sed Pontificibus Jesuitas confiteri debere.*

In Relat. anni 1602 die 10. Junii.

Lib. 6. vita ejus.

Nonnulli etiam ceteris audaciores, exceptâ illâ de divinæ gratiæ auxiliis disputandi licentiâ, triumphum sibi cecinerunt; quasi scriptis utriusque partis jam Romæ discussis, judicatisque controversiis, utriusque scholæ assertiones æquo jure probabiles dictæ fuissent. Nec illius dumtaxat ætatis imprudentum fuit vana præsumtio. Idem recentioribus nonnullis, ac præsertim Paulo Leonardo & Christophoro Ortegæ garrire placuit, quos non falsitatis tantùm, sed & apertæ repugnantiæ revincere facile est.

Leon. 1. p. sec. 8. Orte. tom. 1. Cont. 3. disp. 1. q. 4. sex. 3.

1. Quia de concessa disputandi licentiâ, non secundùm vitiata Hispanorum Inquisitorum mandata, sed juxta transmissum Româ Decretum, judicandum venit, ex quo tantùm abest ut in Molinianæ doctrinæ gratiam extundi aliquid possit, quin potiùs eam in gravissimam erroris suspicionem venisse, satis evincitur.

2. Quia interjecta Romano mandato clausula, hanc utrique parti veniam dumtaxat ad tempus datam insinuat; donec videlicet rebus definitis aliter sanciretur. Quæ res causam hactenus injudicatam ostendit.

3. Quia facultatem illam, non ob agnitam utriusque partis doctrinæ probabilitatem,

litatem, sed ob urgentem hoc de argumento tractandi necessitatem, instantesque supplicationes Apostolicæ Sedi factas, concessam esse testatur Cardinalis S. Severinæ in epistola Summi Pontificis nomine scriptâ.

4. Quia ea disputandi licentia die Februarii 26. anno 1598. prodiit: quo tempore vix Molinianæ CONCORDIÆ judicium Romani Censores auspicati fuerant: de scriptis verò Prædicatorum ac Jesuitarum examinandis necdum planè cogitaverant, *Vide lib. 2.*

5. Demum, quia impacta Molinianæ doctrinæ Pelagianismi ac Semipelagianismi nota (cùm primùm Romæ discuti cœpit) ex Congregationum Actis originalibus sequenti libro referendis clarius patet, quàm ut levi illo ad tempus dato solatio tegi aut deliniri possit. Hinc potiùs prudentes omnes intelligent, quàm ridendi Molinæ vindices, qui cum Romanas Congregationes pro eo pronuntiasse ex illarum Actis demonstrare non possint, obliquas illas argutias studiosè congerunt, superbè magnificant; ut si non possint eruditis, imperitis admodùm fucum faciant.

Ex Relat. 2. Pegna & Alva. Injuriam sibi ab Hispanis Inquisitoribus illatam, mandatorum Apostolicorum violationem, necnon temerarias Jesuitarum ovantium voces, ad Romanam Curiam Prædicatores detulere. Rem totam, litteris ad F. Didacum Alvares directis, exposuere Provinciæ Hispaniæ Provincialis, ejusdemque in Curia Matritensi Procurator Generalis, die 13. Maii. Instrumenta etiam Notariorum fide firmata transmiserunt; ut coram Apostolica Sede causam urgeret.

Ferrariam abierat Summus Pontifex, quo tempore Romam litteræ pervenerunt. Quamobrem ad sacram Generalis Inquisitionis Congregationem rem deferre coactus est. Collatis igitur consiliis cum RR. PP. Francisco Davila & Alberto de Fragagliola S. Officii Commissario, sequentem libellum supplicem die 23. Julii Eminentissimis Cardinalibus Madrucio, Dezæ, Pinello, Sfondrato, Generalibus Inquisitoribus obtulit.

ILLUSTRISSIMI ET REVERENDISSIMI DOMINI.

Exstat in Coll. Pegna. „ Cum Sanctissimus Dominus noster justissimis de causis prohibuisset, ne Hispaniæ Theologi Ordinis FF. Prædicatorum „ & Societatis Jesu legerent, disputarent, seu „ prædicarent aliquid circa efficaciam vel „ inefficaciam Auxilii divini &c. Postea multorum supplicationibus inclinatus, prædictam prohibitionem, datis litteris ad " suum Nuntium in Curiâ Regiâ commorantem, quas Illustrissimus & Reverendissimus Dominus Cardinalis S. Severinæ, " de ordine Sanctissimi scripsit, his verbis " censuit moderandam: *La Santità sua si è contentata di moderarla, sino ad altro suo ordine o dichiaratione. Et a questo effetto ha ordinato che io scriva à V. S. come fò con la presente, che ella faccia intendere à i detti Padri dell'Ordine de Predicatori, que Su Santità, moderando la prohibitione fatta, concede faccolta, che possano liberamente, circa la materia de Auxiliis divinæ gratiæ & eorum efficacia, conforme a la dottrina di S. Thomaso; leggere, e disputare come hanno fatto per il passato. E similmente à i Padri della detta Compagnia, que possano ancora essi leggere e disputare della medesima materia, insegnando però sempre sana e Cattolica dottrina.* "

Hanc autem moderationem Inquisitores Vallisoletani notificarunt in civitate " Salmanticensi quinta die Maii anni 1598. " sub hoc tenore verborum à lingua Hispana in Latinam verso de verbo ad verbum: " ut patet ex transumto ejusdem notificationis, per Notarium, qui easdem litteras " notificavit scripto, & manu propriâ subscripto, quod Illustrissimis Dominationibus Vestris exhibemus. Sanctitas sua moderando prædictam prohibitionem concedit facultatem, ut liberè possint, tam " Prædicatores quam Jesuitæ, legere & disputare prædictam materiam, de Auxiliis " divinæ gratiæ & eorum efficacia, sicut antea fiebat, ea tamen conditione, ut semper doceant sanam & Catholicam doctrinam. "

Ex quibus transumtis manifestè patet, " Theologis Ordinis Prædicatorum, in notificatione injuriam irrogari. Tum quia " nulla fit mentio in notificatione illorum " verborum, *sino ad altro suo ordine ò dichiaratione*: ex quorum verborum subtractione tota Hispania intellexit hanc esse ultimam hujus causæ definitionem: & quòd " Sanctissimus Dominus noster pares nos fecerit, tam Prædicatores, quàm Jesuitas; " & æqualiter probabilem judicaverit utriusque partis doctrinam. Tum etiam quia " Sanctissimus Dominus Noster gratiam fecit Theologis Ordinis Prædicatorum, explicans in moderatione prædicta, quòd liberè possint legere & disputare præfatam " materiam, juxta doctrinam D. Thomæ; " sicut hactenus fecerunt: quod Patribus Jesuitis non similiter concessum est, ut liberè possint legere & disputare de efficacia auxiliorum divinæ gratiæ; non enim "

» dicitur illis, *Sicut huc usque fecerunt*, sed hac » adjectâ conditione, *Dum tamen doceant semper sanam & Catholicam doctrinam.* Inquisitores autem in notificatione pares illos » Prædicatoribus fecerunt, omnia moderationis verba confundentes, & eadem verba utrisque adaptantes, ut patet ex verbis notificationis. Unde factum est, ut statim notificatis supradictis litteris, Patres » Jesuitæ in suo Collegio S. Lucæ Salmanticensi die 7. Junii anni 1598. materiam » de Auxiliis divinæ gratiæ, non exspectantes aliam Sanctissimi Domini Nostri definitionem, sententiam Molinæ, quæ adhuc sub judicio Inquisitionis est, in Conclusionibus publicis tanquam probabilem » disputandam proposuerint. Unde in disputatione exortum est inter Doctores Universitatis Salmanticensis & illos scandalum. » Ne igitur doctrina nova tanquam cancer » serpat, supplicamus, & Vestras Dominationes obtestamur, ut de præsentaneo remedio providere dignentur.

Ex Relat. Pegnæ & Alvar. Expostulationis æquitatem probarunt Eminentissimi Cardinales: etenim patet ipsa per sese, ac solâ duorum Instrumentorum collatione demonstratur. Respondit nihilominus Cardinalis Madrucius, nihil inconsulto Summo Pontifice, Generali Hispaniarum Inquisitori aut Nuntio Apostolico præcipi posse. Addidit Sfondratus rem cautè tractandam; consulendum Inquisitorum honori; cavendumque ne ex Regis Catholici voluntate (sic enim rumor erat) Pontificia mandata sub ea formâ publicassent. Quare fecit Summi Pontificis absentia, ut nihil in Hispanos Inquisitores sanciretur, justaque in illos expostulatio diuturnâ procrastinatione evanuerit. Nec defuere consopiendæ querimoniæ, politicæ rationes. Durum quippe videbatur in ipsos Inquisitores inquirere. Ac licet Mandatorum Apostolicorum apertâ & indignâ interpolatione deliquissent, occultandus potiùs quàm castigandus error visus est; quem edendâ (ut sperabant) propediem controversiæ definitione abundè resartum iri existimabant.

Cæterùm non ea Romæ fuit Jesuitarum fortuna, quâm in Hispania suffragantibus commodis Quæsitoribus obtinuerant: nec ipsis eò loci profuit officiosa concessæ disputandi licentiæ depravatio, ad Molinianæ doctrinæ defensionem. Bernardi Claraevallensis digna sententia tunc maximè valuit: *Res plena æquitate & laude digna, ut de mendacio nemo lucretur, præsertim apud sanctam & summam Sedem.* (*Epist. 180.*) Cùm enim (ut in datæ licentiæ possessionem venirent) Theses de divina gratiâ juxta Molinæ mentem propugnandas parassent, easque pro more S. Palatii Apostolici Pro-Magistro, ad obtinendam Typorum veniam, tradidissent; is de quorumdam S. Officii Cardinalium consilio intercessit; exhibitisque Cardinalis S. Severinæ literis, aliud plane à Summo Pontifice sancitum ostendit, quàm quod Hispani Quæsitores supposuerant.

Verùm nec ob id quievere viri boni; sed in Sacri Palatii Pro-Magistrum coram ipsis Cardinalibus expostularunt, dato sequenti libello supplici.

ILLUSTRISSIMI ET REVERENDISSIMI DOMINI.

" Cum proximè elapsis mensibus Sanctitas Sua sustulerit prohibitionem antea " factam, ne disputaretur & scriberetur super materia de Auxiliis, licentiamque concesserit Patribus S. Dominici & Societatis " Jesu, ut suam quilibet defendere sententiam possent, ut primùm, nullâ tamen oppositæ sententiæ impactâ censurâ: nunc " tamen dum Patres Societatis typis mandarunt Theses, ad publicas ipsorum Collegii disputationes, easque Magistro Sacri " Palatii tradiderunt, eâ formâ, quæ in adjuncta hic scriptura comparet; prædictus " Sacri Palatii Magister eas admittere recusavit, prout ipsi juxta prædictam licentiam propositæ fuerant. Quare prædicti " Patres Societatis Illustrissimas Dominationes Vestras enixè rogant, ut quàm primò super prædictis provideant, quatenus " ad disputationes progredi possint, juxta " Sanctitatis Suæ licentiam: præsertim verò " cum quispiam Ordinis Prædicatorum Religiosus Theses cum suis opinionibus, nullo " objecto ipsi impedimento, typis ediderit. " (*Exstat in Collect. Coronelli.*)

Cautiores fuerunt Eminentissimi Principes, quàm ut fucum sibi fieri paterentur, aut in Supplicum vota descenderent. Non enim latebat eos, quibus conditionibus datam Societati facultatem Pontifex temperasset; quanquàm eas libellus ille supplex callidè dissimulasset.

Secundam itaque repulsam passi Jesuitæ novas artes apud Summum Pontificem Ferrariæ tentarunt: sed & tertiò spe dejecti, causâ ceciderunt. Magistro S. Palatii Ferrariæ consistenti, alterique vices ejus Romæ gerenti cautum fuit, ne oblatas à Patribus Societatis Theses typis mandari sinerent; aut alias ullas ab eis, nisi juxta Doctoris Angelici mentem, propugnari

pugnari permitterent. Rem totam ita refert clarissimus Pegna.

In Relat. 3. ad Inquis. Gener.

* *Magna voluptate perfusi ex iis quæ in Hispaniâ gesta fuerant, ubi Molinæ opiniones non secùs ac antea tueri cœperant; idem quoque Romæ attentare moliti sunt. Verùm S. Palatii Apostolici Magister (habito cum nonnullis Cardinalibus Inquisitoribus Generalibus secreto consilio) Molinianas Theses admittere noluit, nec nisi Thomisticas propugnari sivit. Cùm verò, datis Ferrariam litteris, liberam propugnandi Molinismi veniam rogassent, repulsam secundò passi sunt. Quin etiam Magistro S. Palatii, Ferrariæ in Curia Pontificia comitatu degenti, alterique vices ejus Romæ gerenti cautum est, ne ullas hoc de argumento Theses edi sineret, nisi secundùm Angelici Doctoris mentem.*

Mirum verò est quot interim Romæ turbas agerent. Catholicum Regem Molinianis partibus addictum conclamabant; quòd, eo volente, Pontificia mandata (sic enim fama erat) suavi illo temperamento condita, vulgata essent, quo Jesuiticæ Scholæ partes æquâ cum Prædicatoribus trutinâ pendebantur. Non enim id à Rege prudentissimo, alio consilio factum jactitabant, nisi quòd Molinæ doctrinam, æquis cum Thomisticâ ponderibus libratam probatamque, à subditis haberi vellet. Sed erant illa callidæ gentis terriculamenta, quibus Romanæ aures tundebantur, non movebantur. Quapropter lis illa magna, quæ tot in hanc diem torsit ingenia, volente Pontifice jam pridem instructa, novis studiis tractata est.

* Hallandose muy contentos de lo que en España se avia ordenado, adonde avian buelto à leer, como antes las opiniones de Molina, pretendieron gazer lo mismo en Roma. Mas el Maestro del sacro Palacio (precediendo secreta consultacion con algunos de los Cardenales del Sancto Officio) no les quiso passar semejantes conclusiones: y si bien an disputado algunas, an sido conforme à la opinion de Sancto Thomas, y no de otra manera. Y pretendiendo alcançar su intento por via de Ferrara, adonde escrivieron sobre esto; se les dio tanbien la respuesta negativa; y se ordenò al dicho Maestro del sacro Palacio en Roma y en Ferrara, que no dexasse imprimir Conclusiones, sobre estas materias, si no conforme à la opinion de sancto Thomas tan solamente.

FINIS LIBRI PRIMI.



HISTORIÆ CONGREGATIONUM DE AUXILIIS DIVINÆ GRATIÆ

LIBER SECUNDUS.

Quo quadruplex Causæ cognitio, in Romanis Congregationibus ab anno 1597. ad annum 1602. habita describitur.

CAPUT PRIMUM.

Romæ Litem instruit F. Didacus Alvares, Prædicatorum Hispaniæ Procurator. Primi in Societatis defensionem prodeunt Robertus Bellarminus & Petrus Arrubal. De Bellarmino opportuna digressio.

JAM Romam à die 7. Novembris anni 1596. feliciter attigerat Didacus Alvares, Prædicatorum Hispaniæ Procurator, ac etiam tunc scripta à supremo fidei Quæsitore transmissa desiderabantur, cùm ille morarum impatiens, coram Clemente VIII. solemniter expostulavit. Contra Molinæ CONCORDIAM, ejusque in primam D. Thomæ partem Commentarios, libellum supplicem obtulit mense Junio anni 1597. rogans ut, donec desiderata Hispaniæ instrumenta afferrentur, horum interim librorum examini selecti Censores incumberent: quò visis tandem partium documentis, res citiùs conficeretur. Sic porrò supplicavit.

Ex 2. Relat. Pegnæ & Alvar.

BEATISSIME PATER.

"Exortâ Hispaniæ magnâ controversiâ & differentiâ inter Theologos Ordinis Prædicatorum ex una parte, & multos Theologos Societatis Jesu ex altera, circa quasdam novas assertiones Ludovici Molinæ de eadem Societate; quas defendit in sua CONCORDIA liberi arbitrii, & prima parte quæst. 14. & 23. Vestra Beatitudo, matura consideratione, volens in hujusmodi controversiis de opportuno remedio providere, Inquisitoribus supremi Senatûs Regni Hispaniæ præcepit anno Domini 1594. ut librum prædictum CONCORDIÆ examinarent, & censuram propositionum quæ in illo continentur, circa efficaciam Auxilii divini, ab omnibus Uni-

» Universitatibus & Doctoribus Theologis » ejusdem Provinciæ requirerent, ut judicium circa hujusmodi propositiones Vestra Sanctitas proferret, atque bono fidei » & paci Universalis Ecclesiæ, paternâ pietate consuleret. Quod & per Inquisitores » Hispaniæ fuit statim, ut par erat, executioni mandatum. Sed quoniam ipse Ludovicus Molina in sua CONCORDIA liberi » arbitrii, non tantùm circa efficaciam Auxilii Divini, sed etiam circa Prædestinationem, circa scientiam Dei, & Providentiam, & circa alias potissimas Theologiæ materias, multa docet temeraria » & erronea, propter quæ libellus ille à multis viris doctissimis & piis perniciosus in » Ecclesia reputatur; & multi sectatores & » defensores Molinæ conantur ejus propositiones tueri, varios libros imprimendo, » & eas publicè docendo, non solùm in disputationibus & lectionibus, sed aliquando etiam in concionibus publicis, non sine magno scandalo & perturbatione totius Christianæ Reipublicæ; unde & libellus ille in Hispania denunciatus est apud » rectissimum Inquisitionis Tribunal: quorum omnium fidelissimum testimonium » perhibebit Illustrissimus Cardinalis Davila, qui in supremo Inquisitionis Tribunali Regni Hispaniæ aderat, quando hæc » causa ad idem Tribunal delata fuit, & ibi » pertractata: Ad pedes Sanctitatis Vestræ » devoluti humiliter petimus, ut si inventus » fuerit perniciosus, prohibeatur, simul cum » his quæ Autor docet prædictis quæst. 14. » & 23. ubi eadem repetit & docet, quæ » in libro CONCORDIÆ, & multò pejora. » Manifestum namque periculum ex dilatione ipsa, in hac parte imminere videmus, » atque experientiâ quotidianâ conspicimus. » Siquidem Juniores Theologi, qui juventutis animositate, nova quæque curiosa in » mysterio tam difficili ad intelligendum, » facilè amplectuntur, cum magna postea » difficultate (si semel venenum alicujus falsæ doctrinæ imbiberint) veram & antiquam » liberi arbitrii cum gratiæ donis concordiam sustinebunt. Atque Deus Opt. Max. » per Jesum Christum Dominum Nostrum, » ad omnium errorum exterminationem, ad » fidelis populi salutem, atque ad sui nominis gloriam, Vestram Sanctitatem incolumem servet.

Brevem etiam Prædicatorum Apologiæ summam secundis curis elaboratam obtulit Alvaresius Michaeli Bonello Cardinali Alexandrino, Ordinis Protectori, qui eam hoc ipso mense Summo Pontifici dedit. Quid Pontifex ipse suscepto scripto deliberarit, insinuat Gabriel Henao Theologus Societatis. Apologiæ summam Roberto Bellarmino tradidit, qui eam statim multis impugnavit, id potissimùm in Prædicatoribus improbans, quòd Societatis opiniones maximè, ut aiebat, controversas, novitatis incircumspectè damnassent. In eamdem sequenti anno calamum acuit Petrus Arrubal: cujus elucubratio marginalibus Alvaresii notis & observationibus confutata legitur in Angelicâ Augustiniensium Bibliothecâ. *De Scient. med. prot. 3. n. 98. & 99.*

Hæc duo obiter notare libuit, ut ex domestico Societatis Scriptore revinceretur Pauli Leonardi & Ripaldæ incauta dicacitas, quâ primam hujus causæ cognitionem, inscius Patribus Societatis, Romæ factam effutiunt. Quo etenim pacto instructam Romæ quæstionem ignorasse dicendi sunt, qui prima ipsa adversæ partis instrumenta, statim atque oblata sunt judici, obtinuerunt, inspexerunt, impugnarunt? Quanquam etsi ea confutandæ fabulæ momenta minimè suppeterent, ipsa per sese abundè sufficeret justa præsumtio, quâ nec summum Pontificem præscriptas juris formulas adeò ignorasse aut neglexisse credendum est, ut litem inauditâ parte instrui voluisset, nec Jesuitæ adeò supini ac desides exstitisse putandi sunt, ut in causa, qua universi Ordinis honor vertebatur, interjectam per semetipsos appellationem persequi, & partis adversæ motus observare neglexerint. *Paul. Leon. 1. p. sect. 4. n. 18. Ripald. disp. 113. sect. 9.*

Non deerit interim qui hìc vehementer addubitet, qua demum fieri forte potuerit, ut Bellarminus, qui pro Augustiniana ac Thomisticâ doctrinâ jam pridem in scholis, editisque libris decertaverat, Molinamque judicio Ecclesiæ dimittendum existimaverat, in illius nihilominus defensionem adeò fervidè venerit, cùm primùm Societatem universam huic negotio implicitam vidit. Verùm dubitationem excutiet omnem, quisquis ad Societatis leges attenderit, quibus præcipitur singulis, ut in opinionum delectu communi Societatis judicio pareant. Ita quippè in statutis Cap. 3. inter Interrogationes recipiendis faciendas: *Interrogetur, An habuerit vel habeat conceptus aliquos vel opiniones ab iis differentes, quæ communiùs ab Ecclesia & Doctoribus in eadem approbatis tenentur. Et si quando hujusmodi opiniones animum subierint, num paratus sit ad judicium suum submittendum, sentiendumque ut fuerit constitutum in Societate de hujusmodi sentire oportere.* Et in 3. Constitutionum parte cap. 1. lit. O. *Nova opiniones admittendæ non sunt. Et si quis aliquid*

senti-

senuret, quod discreparet ab eo quod Ecclesia & ejus Doctores communiter sentiunt, suum sensum definitioni ipsius Societatis debet subjicere. (Alii definitioni Ecclesiæ veritatis Magistræ, potiùs quàm Societatis, subjiciendum sensum statuissent) *In opinionibus etiam in quibus Catholici Doctores variant inter se vel contrarii sunt, ut conformitas etiam in Societate sit, curandum est.* Quid mirum ergo, si professionis suæ memor Bellarminus, Societatis Molinianas opiniones communi studio vindicantis judicium propriæ sententiæ, in exteriori saltem causæ tractatione, prætulerit? Nec verò mirandum magis, quòd suum etiam Molinianæ causæ patrocinium ad Purpuram assumtus impenderit. Fecit id non contracta solùm ex prioribus officiis obligatio, sed & ipsa professionis religio: secundùm quam Jesuitæ ad Ecclesiasticas dignitates Joan. de Lugo in Resp. Moral. dub. 7. n. 8. assumti, Præpositi Generalis monita sequi tenentur ex simplici voto, cujus eum tenacissimum fuisse traditur.

Cæterùm an in hujusce controversiæ tractatione eò usque protenderit Bellarmini in Societatem affectus, ut non sua tantùm officia illi devoverit, sed & pristinas de divinâ gratiâ opiniones exuerit, ac Molinianas ebiberit, non ita facilè quis definiet. Dicam ipse quid potissimùm observarim.

Ante annum 1585. quo Lessius & Hamelius Lovanii novare cœperunt, Augustiniana ibidem dogmata tradiderat ac defenderat Bellarminus. Fidem rei faciunt Germ. Philal. num. 25. Henao de Scient. med. sect. 175. Theologi Lovanienses in celebri Censura, ac ipsi etiam Theologi Societatis. Factum nequaquam inficiatus est Lessius, dum Academiæ Censuræ respondit, sed Bellarminum, rebus accuratiùs expensis, palinodiam decantasse contendit. Lessium malæ fidei postularunt Lovanienses in suæ Censuræ defensione: palinodiam gratis assertam, nulloque momento probatam, pernegarunt. Non eam tamen vir bonus productis instrumentis confirmavit, fidemve suam liberavit, dum Academiæ secundò respondit: sic ut falsitatis convictus non immeritò credi possit, ac debeat.

Suppetias tamen desperatæ Lessii causæ nuper attulit Gabriel Henao. Librum in Sect. 75. Lessii defensionem, pendente Lovaniensi dissidio, à Bellarmino editum, & in Romanis Societatis scriniis asservatum effutiit. Felices nos! si sacrum illud Cereris arcanum penetrare fas esset; alienæ fortassis minervæ partum Eminentissimo Theologo suppositum agnosceremus. At dicat interim, amabo, subsidiarius miles, cur librum hunc in suæ liberationem fidei non exhibuit Lessius, à Theologis Lovaniensibus lacessitus, putidæque imposturæ postulatus? Cur non eum Societatis Theologi anno 1601. dum de Bellarmini sententiâ adeò in Congregationibus agebatur, in medium protulerunt? At servabatur tempori maturandus.

Consopito deinde Lovaniensi dissidio, de edendis Bellarmini lucubrationibus in Germania actum est an. 1589 Displicuere Germanis Societatis editoribus nonnullæ hujus opiniones, quas propterea liberè sustulerunt & immutarunt. Interpolatorum audaciam ne carpere cogerentur Jacobus Fuligattus & Sylvester à Petrâ-sanctâ, Bellarmini modestiam (quasi id æquo tulisset animo) commendare maluerunt. *Quando volumina,* inquiunt, *Controversiarum disposita erant, ut in lucem edi possent, non modò æquanimiter (sicut ipsemet deinde Benedicto Justiniano testatus est) sed cum hilaritate etiam passus est, à Patribus Societatis in Germania, quoad pauculas opiniones immutari, in spem fructus inter hæreticos uberioris.* Quibus etiam ultimis verbis satis innuunt, immutationem hanc in quæstionibus ad gratiam per se efficacem spectantibus inductam esse; quam hæreticorum erroribus favere nimis, eorumque obesse conversioni, Sodalium suorum more tacitè significant. In Vita Bellarm. lib. 2. cap. 5.

Prodierunt ergo tunc primùm Ingolstadienses Controversiarum editiones, iis immutationibus vitiatæ, annis 1587. 1588. 1590. quibus non multò post consensit per omnia Lugdunensis anno 1593. Doctrinam de Gratia per se efficaci ac prædeterminante iis elogiis commendatam ibi legimus: lib. 1. de Gratia & lib. arb. cap. 12. *Hæc opinio videtur mihi esse aut omninò eadem cum errore Calvini & Lutheranorum, aut parum ab illa distare &c.* lib. 4. cap. 14. *Sententia quæ ponit Prædeterminationem istam in voluntate, non videtur posse distingui à sententiâ hæreticorum negantium liberum arbitrium, quoad voces.* Verùm quod mendacibus sæpiùs evenit, ut sui satis memores non sint, id istis interpolatoribus accidit, dum sententiam uti hæreticam his in locis sugillatam, alibi uti Thomisticam, probabiliorem, divinisque Scripturis ac rationi consentaneam profitentur. Ita quippè iisdem in editionibus legimus, lib. 4. cap. 11. *Observandum, posse quatuor modis voluntatem à Deo inclinari ad aliquid appetendum, vel fugiendum. Primò efficienter & physicè, immediatè illam movendo & determinando ad unum. Nam si potest ipsa se deter-*

determinare, cur non possit etiam Deus eam determinare? Secundò efficaciter quidem, sed mediante aliquâ formâ, quam imprimit in voluntate. Nam infundendo Gratiam & Virtutes, per eam inclinat voluntatem ad bonas actiones. Et hos modos notavit D. Thomas quæst. 22. de Verit. art. 8. Et eodem lib. 4. cap. 16. *Altera ratio conciliandi libertatem cum cooperatione divinâ, & fortasse etiam probabilior, est juxta sententiam D. Thomæ, qui docet cooperationem divinam ita concurrere cum causis secundis, etiam liberis, ut non solùm eis dederit & conservet virtutes operatrices, sed etiam eas moveat & applicet ad opus, ut cognosci potest ex* 1. *parte quæst.* 105. *art.* 5. 3. *contra gentes cap.* 70. *& quæst.* 3. *de potentia art.* 7. *Quæ sententia videtur valdè consentanea, tum Scripturæ quæ dicit nos in Deo esse, vivere & moveri, Actuum* 17. *tum etiam rationi & ordini quem habet causa prima cum secundis.*

Nec verò liberalem illam Germanorum Editorum audaciam adeò æquanimiter tulit Bellarminus, uti vitæ ipsius Scriptores obtendunt. Controversias suas anno 1596. recognoscens, novisque typis Ingolstadiensibus mandans, lectores initio monuit, nolle se omninò ut priores Editiones pro suis agnoscerentur. Nec multò post, intemperantem illam de Thomisticis opinionibus censuram (quæ cum Lutheranis erroribus conferuntur) ex lib. 4. cap. 14. expungi voluit, novâ Venetiis editione curatâ anno 1599. Typographos etiam præmissâ admonitione rogavit, ut juxta hujus unius exemplaris fidem sua deinceps Opera recuderent. Mirari subit eandem ipsam Censuram ex lib. 1. cap. 12. non fuisse simul expunctam. At licet id casu accidisse pateat (quippè amborum locorum eadem est ratio) fassus est aliunde vir ingenuus. Unde cum in Congregationibus anni 1601. duo illa Bellarmini loca ex primis editionibus protulissent Gregorius de Valentia & Christophorus Cobos, in defensionem propositionis decimæ quintæ Molinianæ; ita, nemine reclamante, responderunt Didacus Alvares & Thomas de Lemos: *Ad ea quæ adducuntur ex Illustrissimo Bellarmino, dicimus primò illum in impressione Venetiis factâ, re meliùs consideratâ, expunxisse prædictam censuram, ex lib.* 4. *citato. Ex inadvertentiâ verò non eam abstulit ex alio loco adducto, ex libro* 1. *de Gratia & libero arbitrio cap.* 12. *ut ipse Illustrissimus alteri Illustrissimo Cardinali significavit*: nimirum Asculano, qui id palàm contestatus est, ut notatur in margine.

In scripto dato die 26. Martii.

Emendationem editionis Venetæ ali deinceps expresserunt: nimirùm altera Veneta 1602. Parisiensis 1608. Colonienses duæ, annorum 1605. & 1620. in quibus omnibus mox indigitatas emendationes, necnon relatas à nobis lib. 1. cap. 15. Molinianæ sententiæ censuras cernere licet.

Quæ cum ita sint, Bellarminum Societatis novitates ebibisse, ac vindicata primùm Augustiniana dogmata exuisse, figmentum est. Tametsi, ut erat in Societatem benè affectus, sua illi officia in Molinianæ causæ tractatione non denegarit.

Accedunt locupletissima Societatis Scriptorum testimonia, quibus Bellarminum ad mortem usque eadem in sententiâ, de divinæ Gratiæ auxiliis, perstitisse, nec pro variâ fortunâ temporum variè sensisse testantur. Sic Philippus Alegambe & Nathanael Sotuellus in Bibliotheca Societatis de Bellarmino moriente: *Postquam*, inquiunt, *Sacramentis munitus est, mandavit Patri Andreæ Eudæmon-Joanni intimo suo, ut testaretur litteris se per Dei misericordiam in Ecclesia Catholica atque in fide decedere, quam ad eam diem & sincerè coluisset animo, & suis voluminibus defendisset. Ac ne de divinis quidem auxiliis aliter morientem sentire, vel unquam sensisse, quàm in Controversiarum libris docuisset.* Sic Daniel Bartoli lib. 2. de Vita Bellarmini cap. 16. & Jacobus Fuligattus cap. 41. idem explicatiùs attestantur; ac ipsum ultimæ voluntatis instrumentum decem testium fide munitum exhibent, in quo hæc instituto nostro accommodatissima legere licet. *Di piu che in quello che tocca la materia de Auxiliis divinæ Gratiæ, ch'oggi si controverte tra la Compagnie altri Cattolici ratifica e tiene per vero, quanto egli ha scritto nelle sue Controversie; ne ha mai mutato opinione.*

Ex quibus non modò colligimus Bellarminum nusquam de divinæ Gratiæ auxiliis mutasse sententiam, verùm etiam ei semper institisse & adhæsisse, quæ Lessianis & Molinianis novitatibus adversetur. Cùm enim Lessius ipse cæterique Societatis Scriptores ultro concedant Bellarminum hujusmodi sententiam Lovanii publicè docuisse; necesse profectò est, ut eandem ad mortem usque tenuerit, idque omne alienâ manu vitiatum reputetur, quod in ejus controversiis cæterisve lucubrationibus, eidem contrarium reperiri fortè contingeret. Aliàs nec ejusdem semper opinionis tenax vir Eminentissimus exstitisset; nec contestata solenniter morientis denunciatio veritate niteretur: *Ne ha mai mutato opinione.* Quæ sanè ratio eò mihi visa est efficacior, quòd ipsi etiam prælaudati

Lessius in Resp. ad Cens. Lov. Germ. Philal. in anth. cont. Præd. phys. n. 15. *Henao de Scien. med. fol.* 175.

dati

dati adversæ doctrinæ vindices non aliter Bellarminum suas demum in partes venisse supponant, quàm decantatâ, post habitas Lovanii prælectiones, palinodiâ.

Viderint ergo emunctioris criterii Theologi, quid de Bellarmini librorum recognitione, sub ejus nomine Coloniensibus anni 1620. editionibus assutâ, sentiendum. In hac enim contra gratiam ex se efficacem in physica prædeterminatione sitam acriter declamatur; eaque confirmantur ac recuduntur universa, quæ ex controversiarum suarum lib. 4. cap. 14. post priorum editorum violationem, expungi jusserat; quæque in capite 12. libri 1. per oblivionem dumtaxat inemendata remansisse declaraverat: gratia congruæ vocationis novis accersitis copiis defenditur: solennis etiam controversiarum locus, ubi efficiens ac physica voluntatis motio uti S. Thomæ sententia data fuerat, speciosæ interpretationis obtentu mutilatur. Certè vel morientem Bellarminum mendacem fateri necessum est, vel audaciori cuipiam Aristarcho ea recognitio tribuenda venit: qui cum sibi satis autoritatis & gratiæ non experiretur, ut tanti viri libros censoriâ virgulâ notaret, ejusdem mentitus est nomen, maluitque sibi sub alieno titulo credi, quàm se sub vero ac proprio exsibilari. Quid enim de alieni recognitoris audaciâ suspicari non licet, dum tantam in Germanis editoribus experti sumus? Nec fortè vana fides erit, si quemadmodum in audaces editores protestatus est Bellarminus, ita & illum contra recognitorem protestatum fuisse credamus, dum sententiæ nusquam mutatæ fidem fecit moriturus. Ut quid enim tam solennis illa, tam contestata declaratio imminente obitu facta, nisi eam suppositæ sibi alienæ doctrinæ sensus extorsisset?

Placuit hìc de Bellarmino dicere paulò fusiùs, ne dum illum in Molinianæ causæ tractatione, sua Societati officia exhibentem proferemus, in eandem sententiam conspirasse quis putet. Fuerunt illa devoti animi justa tributa, quibus se parenti dilectissimæ, pro domesticis aris decertanti, vectigalem dedit. Quanquam tamen pacatis demum temporibus, ea ipsa summo sibi fœnore, magnoque Molinæ damno restitui voluit: dum Societatis Præpositum, ad Molinianum de efficacia gratiæ systema è domesticis scholis solenni Decreto eliminandum adduxit. Sed & suus ea de re dicendi locus occurret. *Lib. 4. cap. 26.*

CAPUT SECUNDUM.

Primum libri Molinæ examen edicit Pontifex, selectis Censoribus constitutis. Priorum Conventuum acta breviter recensentur.

OBlatam sibi Prædicatorum Apologiam summo studio perlegit sanctissimus Pontifex; omniaque causæ merita seriò perpendit, antequam rei cognitores delegaret, ne in arduo difficilique negotio subita ac repentina consilia cepisse videretur. Exactis itaque mensibus quinque primam Congregationem instituit, deditque experientissimos causæ cognitores, sub initium Novembris anni 1597. qui Molinæ librum seorsum per sese in primis expenderent, nullâ scriptorum utriusque partis spectatâ ratione; tum subinde pro instituendâ censurâ mutuò conferrent. Fuerunt illi.

D. F. PROPERTIUS RESTA DE CAPPELLIS, *Episcopus Geruntinensis & Cariatensis.*

D. F. JULIUS SANCTUTIUS A MONTE FILATRANO, *Episcopus Agathensis.*

D. LELIUS LANDUS SUESSANUS, *Episcopus Neritonensis* seu *Nardinensis.*

F. HENRICUS SYLVIUS, *Vicarius Apostolicus Ordinis Carmelitarum.*

F. FRANCISCUS BRUSUS, *Procurator generalis Ordinis S. Francisci.*

F. JOANNES BAPTISTA PLUMBINUS, *Procurator generalis Ordinis S. Augustini.*

F. GREGORIUS NUNNIUS CORONELLUS, *ejusdem Ordinis Doctor Theologus.*

D. LUDOVICUS DE CREIL, *Doctor Sorbonicus.*

In quorum numerum paulò post cooptati sunt,

F. JACOBUS LE BOSSU, *Ordinis S. Benedicti, Doctor Sorbonicus.*

F. JOANNES ANTONIUS BOVIUS, *Regens Collegii Romani Carmelitarum, qui Vicario suo Generali, aliò ob publica Ordinis munia avocato, suffectus est.*

Præfecit selectæ Congregationi Eminentissimos Cardinales LUDOVICUM MADRUTIUM Episcopum Tridentinum, & POMPEIUM ARIGONIUM; quibus arbitris & auspicibus Episcopi ac Theologi statis diebus sententiam dicturi convenirent. Conquisitum S. Pontificis delectum nemo non probaverit eruditus. Quis enim hasce controversias, cæteris olim in Concilio Tridentino definitis affines, aut accuratiùs introspicere, aut dirimere feliciùs potuit Ludovico Madrucio, quem eodem in Con-

Concilio sedentem, ejusque condendis Decretis allaborantem, universus Orbis demiratus erat? Nec minùs tales erectæ Congregationis Præsides constitutos probare, gratoque animo excipere Jesuitæ debuerunt: primus enim Societatem universam summo semper affectu & existimatione coluit; egregiaque benevolentiæ argumenta, missis ad Concilium Tridentinum Theologis ejus exhibuit. Alter positis magno ære in Archiepiscopatu Beneventano Collegiis, Societatem illuc advocavit, paternoque affectu fovit.

Pallav. in hist. Conc. Trid. lib. 15. cap. 6. n. 4. lib. 19. cap. 13. n. 4. lib. 20. cap. 3. n. 1. Orland. lib. 6. hist. Soc. n. 19.

Post privatam itaque libri Molinæ lectionem cœperunt meritissimi Censores simul coram Præsidentibus Cardinalibus convenire die 2. Januarii 1598. ut in commune de Molinæ censurâ conferrent. Quid iis in Conventibus seu Congregationibus gestum, deliberatum, definitumve sit, non alio ex fonte quam ex ipsis Secretarii Actis originalibus petam. Exstant illa in Angelica Augustiniensium Bibliotheca, Secretarii ipsius manu exarata, sub hoc titulo: ACTA *Congregationis instituta à S. D. N. Clemente Papa VIII. ad examinandam doctrinam Ludovici Molinæ, de Concordia liberi arbitrii cum gratiæ donis &c. collecta à F. Gregorio Nunnio Coronel, Lusitano, Ordinis S. Augustini Professore, & ejusdem Congregationis Secretario; & relata coram Illustrissimis & Reverendissimis DD. Cardinalibus ac Reverendis Episcopis, necnon Reverendis Patribus Theologis deputatis, ab eisque approbata.* Ex quibus utpote prolixioribus, pauca hæc compendio defloravimus.

Die 2. mensis Januarii 1598. convenerunt coram Illustrissimis Cardinalibus deputati Censores. Exposuit Præses præcipuus Cardinalis Madrutius Clementis VIII. voluntatem in eo positam, ut semoto omnis contentionis studio, notarent quidquid in CONCORDIA Ludovici Molinæ censurâ dignum animadverterent; eaque in futuris Congregationibus, quovis odii vel amoris affectu posthabito, summa religione ac fide referrent. Huic mandato cùm se obediturus spopondissent, præmissâ consultatione, è re propositâ fore censuerunt, ut primùm inquireretur quis Ludovico Molinæ propositus scopus exstitisset, quæve illum ad scribendum ratio compulisset. Se etenim de ejus doctrina judicium facilè laturos existimarunt, cujus in scribendo consilium explorassent. His ita constitutis soluta est prima Congregatio.

Die 9. mensis Januarii 1598. habita est secunda Congregatio, in qua actum de Molinæ scopo & instituto. Conclusum est istud unicum exstitisse Molinæ consilium: *Novam quamdam concordiam à se primum excogitatam tradere; quod nondum explicata penitus, & abunde reddita ratio integra conciliandi libertatem arbitrii cum divina gratia, præscientia, & prædestinatione, sibi visa fuisset.*

Ita Conc. q. 23. art. 4. & 5. disp. 1. mem. ult. §. licet.

Conclusum etiam illum hanc novam concordiam adeò certam habuisse, ut non dubitarit asserere, *Si ea data explicataque fuisset semper, quod neque Pelagiana hæresis fuisset exorta, neque Lutherani tam impudenter arbitrii nostri libertatem negassent, obtendentes cum gratia, præscientia & prædestinatione, cohærere non posse: neque ex Augustini opinione, concertationibusque cum Pelagianis, tot fideles fuissent turbati, & ad Pelagianos defecissent: facilè etiam reliquiæ illæ Pelagianorum in Gallia fuissent exstinctæ.*

Ubi supra §. credens & §. pro nostra.

Die 16. mensis Januarii 1598. celebrata est tertia Congregatio. Actum de Molinianæ Concordiæ principiis investigandis. Convenit inter Consultores, eam quatuor hisce principiis inniti.

Primum principium, ac fundamentum " novæ hujus Concordiæ, est modus quidam " influendi divinitùs, tam per concursum ge- " neralem ad actus liberi arbitrii naturales, " quàm per auxilia particularia ad actus su- " pernaturales; quem explicat diffuso ser- " mone, dicens talem Dei concursum non " esse influxum Dei in causas secundas, il- " las ad agendum moventis, sed cum causis " in earum effectus. "

In Conc. qu. 14. art. 13. disp. 26. in Edit. Antverpiensi. In Veneta habetur ad 1. part. qu. 14. art. 13. disp.

Secundum principium est, legitima seu " potiùs orthodoxa (sic enim ille inquit) " explicatio de modo doni perseverantiæ. " Ad quod necessarium esse docet ex parte " arbitrii adulti, ut is pro sua libertate ita " sit cum divinis auxiliis cooperaturus, ut " perseveret: quod in potestate ejus est col- " locatum; aliter enim voluntas conferendi " talia auxilia non habuisset rationem vo- " luntatis conferendi donum perseverantiæ. " Et ex his duobus principiis libertatem " arbitrii cum gratia conciliat. "

5. 6. 7. In Conc q. 14. a. 13. disp. 14. & 17.

Tertium principium est, præscientia " media inter scientiam Dei liberam & me- " rè naturalem; quâ, ut ille docet, ante actum " liberum suæ voluntatis cognoscit Deus, " quid in unoquoque rerum ordine per arbi- " trium creatum esset futurum ex hypothesi " quod &c. Atque ex hoc principio liberta- " tem creati arbitrii cum divina præscientiâ " cohærere dicit. "

In Conc. Edit. Antv. & Ulisip q. 23. a. 4. & 5. disp. 1. mem. 1. In Veneta non habetur nisi in Comm. ad 1. par. q. 23. a. 4.

Quartum principium est, dupliciter posse " nos loqui de Prædestinatione, in communi, " & in particulari. Et in communi quidem, " præter divinam voluntatem, nullam assi- " gnari

In Conc. Edit.

Ulis. & Antver. q. 23. a. 4. & 5. disp. 1. m. 1. In Veneta non habetur nisi in Comme. in 1. par. q. 23. a. 4. & 5.

„ gnari posse prædestinationis causam ex parte prædestinati, apertè docet. In particulari verò dicit dari rationem prædestinationis, bonum usum liberi arbitrii futurum. Unde colligit, non aliam esse difficultatem in concilianda libertate arbitrii nostri cum divina prædestinatione, quàm in eadem ipsa concilianda cum divina præscientia.

Die 23. Januarii 1598. habita est quarta Congregatio. Hìc agi cœptum est de variis Molinæ propositionibus, ad primum Concordiæ principium revocatis. Ac in primis agitata quæstio est: *Utrum concursus Dei generalis sit influens in causas secundas, an potius cum causis, in earum effectus? Et quænam sit Ludovici Molinæ de hac re sententia?*

Ex variis Molinæ locis ostensum est, Deum (juxta mentem ejus) cum causis in effectus influere, non in causas. Definitum verò, *Ludovici Molinæ opinionem non esse amplectendam.*

Die 30. mensis Januarii 1598. quinta Congregatio habita est. Actum de Molinæ sententia circa vires liberi arbitrii cum solo concursu Dei generali.

In primis ea Molinæ loca proposita sunt, quibus contendit necessariam non esse, immò verò humanæ libertati nocere præmotionem & applicationem per concursum Dei generalem, ut liberum arbitrium operetur benè moraliter, aut etiam se ad Gratiam suscipiendam disponat. Ac de iis ita pronunciatum est: *Hæc doctrina longè aberrat à veritate.*

Tum alia ad trutinam vocata sunt, de actibus ad Justificationem adulti necessariis, puta credendi, sperandi, diligendi, ac pœnitendi, quibus asserit hominem per liberum arbitrium cum solo concursu generali Dei, actus illos omnes elicere posse quoad eorum substantiam, licet non quales ad Justificationem sunt necessarii. De iis demum ita definitum: *Molinæ sententia Catholicæ veritati parum est consentanea; & cum Pelagii errore, qui liberum arbitrium ponebat esse causam assensus fidei, maximè convenit.*

Demum ea in medium adducta fuere, quibus propugnat habitum fidei supernaturalem non esse necessarium ad superandam intellectus duritiem, aut ad faciendum ut assensus ex parte credentis sit certus; sed solùm ad eos actus eliciendos, ut fini supernaturali sunt accommodati. De illis subinde ita conclusum: *Universam hanc doctrinam rejiciendam esse putamus.*

Die 6. mensis Februarii anni 1598. celebrata est sexta Congregatio ad varia Molinæ loca expendenda, de actibus diligendi ac pœnitendi.

1. Iis deductis quibus hominem naturæ viribus Deum, quoad substantiam actus, super omnia diligere posse contendit; ita sancitum est: *Censemus præfatas propositiones, quibus Molina sustinet hominem viribus naturæ posse diligere Deum super omnia, quoad substantiam actus, esse Pelagianas, vel de Pelagianorum reliquiis. Et idcirco retinentes sanctissimas Conciliorum definitiones, & Patrum sententias ac doctrinam religiosè venerantes, illas omninò improbandas & rejiciendas esse existimamus.*

2. Expensis Molinæ locis, de viribus liberi arbitrii ad eliciendum dolorem de peccatis cum proposito non peccandi, discussoque ejusdem principio, de faciente quod in se est; sic definitum fuit: *Molinæ hac de re sententia non parum à communi & Catholica doctrina discedit.*

3. Discussis aliis de victoriâ tentationum ex solis naturæ viribus, ita sancitum est: *Molinæ sententia, quæ sustinet posse hominem per vires suæ naturæ cum solo auxilio generali, resistere gravibus tentationibus, &c. non solùm est contra communem Theologorum scholam, verùm etiam adversatur Patrum vetustissimorum doctrinæ, Conciliorum ac summorum Pontificum decretis, & apertis sacræ Scripturæ testimoniis.*

Die 13. mensis Februarii 1598. celebrata est Congregatio septima. In judicium vocata est Molinæ doctrina de viribus liberi arbitrii cum solo concursu generali ad actus supernaturales fidei, spei, & charitatis.

Ponderatis locis eò spectantibus in hanc sententiam itum est: *Molina cum asserit posse hominem cum solo concursu generali, per habitus infusos fidei, spei, & charitatis producere actus supernaturales, quoties voluerit, adversatur Theologorum scholæ, Patrum doctrinæ, & Conciliorum decretis, atque summorum Pontificum definitionibus.*

Die 20. mensis Februarii 1598. habita est Congregatio octava. Hìc de altero Molinæ principio tractari cœpit, ac potissimùm de dono perseverantiæ.

1. Ad limam vocatis Molinæ contextibus, ubi docet communem esse Doctorum sententiam, hominem in statu innocentiæ per dona supernaturalia fidei, spei & charitatis, potuisse cum communi auxilio Dei operari salutem suam, vitamque æternam promereri, absque aliis auxiliis specialibus; hac censura novus dogmatistes

stes inuritur: *In hoc primo capite præbet se Molina injurium in Doctores.*

2. Famosam Molinæ sententiam discusserunt, qua dicit: *Cum auxilio cum quo unus usque ad finem perseverat, potest, si velit, non perseverare: cum auxilio quod Deus confert, præstove est conferre ei qui non perseverat, potest perseverare, perque eum stat quod non perseveret*: eamque hoc stigmate inusserunt: *Hæc discrepant à communi & Catholica doctrina.*

3. Examinatis Molinæ locis de duobus æqualiter vocatis ad fidem, quorum unus convertitur, altero non converso; iisque relatis, quibus de æqualitate auxilii adjuvantis, loqui convincitur, pronunciarunt adversam doctrinam *sui Catholicam veritatem à Patribus traditam, & à Concilio Arausicano definitam esse.*

Die 27. mensis Februarii 1598. habita est Congregatio nona ad expendendam Molinæ doctrinam de gratia efficaci.

Expensis locis illis, quibus Gratiam ex se efficacem in physica Prædeterminatione sitam inficiatur, uti & re & nomine periculosam, fideique maximè noxiam; ita demùm definitum statutumque fuit.

» Cùm Deus dicatur convertere cor nostrum ad se, & vertere voluntatem nostram, trahereque arbitrium nostrum ab infidelitate ad fidem, à malo in bonum; cumque dicatur efficere nos orare, & implere mandata sua, ut ex sacris Scripturis ostendimus; cum etiam similiter dicatur Lucæ 14. compellere rebelles voluntates, & trahere peccatores ad se, quod est plusquàm ducere & determinare; & Ecclesia etiam dicat, preces fundens ad Deum prò nobis, *Oblationibus nostris, Domine, placare suscepti, & ad te nostras etiam rebelles compelle propitius voluntates, per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum*; dicatur denique sua divinâ gratiâ actuali, & efficaci auxilio gratuito præmovere nos: sine dubio prædeterminat arbitrium nostrum ad eligendum medium saluti nostræ consentaneum, ad credendum, ad pœnitendum, ad rectè agendum; non quidem determinando illud, neque vertendo, aut trahendo ipsum tractione aliqua violentâ, necessariâ, & coactivâ, aut vertendo ipsum ad unum determinatione necessariâ ad unum factâ, sicut fit à natura aut à brutis, ex judicio naturæ infixo & indito, sine ulla radice contingentiæ aut libertatis, sicut bruta determinat; sed dicitur prædeterminare & præmovere determinatione & præmotione liberâ, non secus ac ipse homo se efficienter & liberè determinat ad unum quod vult vel amat, seu ad unam operationem circa medium quod eligit. Unde cum homo se determinet ad hoc, illa ipsius determinatio à Deo est efficienter, tanquam à primo determinante libero, eam volente in tempore facere, prædeliberando de illa, salvâ semper ejus libertate, juxta modum a nobis expositum. «

Cum igitur hæc omnia dicantur à Deo fieri apud sanctos Patres, in sacris Literis, & sacro-sanctis Conciliis, immò etiam apud sanctam Catholicam Ecclesiam, quæ, ut diximus postulat ab Sponso suo, ut nostras etiam rebelles voluntates ad se compellat per efficacem ipsius gratiam, cujus vim & virtutem optimè exprimit verbum, *compellere*: sequitur profectò, quòd nec per hæc læditur libertas humani arbitrii, sed potiùs roboratur & perficitur; neque etiam per verbum, *determinare efficienter*. Quòd si Ecclesia non abhorruit verbum *compellere*, si nec Patres, nec Concilia, nec sacræ Literæ abhorruerunt istos terminos, *vertere arbitrium nostrum, trahere, creari in operibus bonis*, quod majus aliquid indicare videtur; sequitur quòd nec Theologis timendum sit uti verbis *præmovendi & prædeterminandi reali & physicâ aliqua actione circa voluntatem nostram*, cum de actuali gratia divina habetur sermo. Sed quemadmodum ab omnibus creditur voluntatem nostram, quando elicit medium conversionis suæ, se determinare, Deo priùs ipsam præmovente per gratiam efficacem, & convertendo aut trahendo eam ad se: ita etiam omninò concedendum est, propriè & catholicè dici, quòd Deus illam convertit & prædeterminat & trahit, ut ipsa sub tali præmotione se determinet: atque adeò voluntatem humanam converti & trahi divinitùs, conversione, determinatione & tractione, liberâ quidem, sed verâ, reali & physicâ, quâ certè cordis nostri duritia primitùs aufertur, innotescit quod latebat, & suave fit quod non delectabat; quod gratiæ munus est, & effectus. «

Die 6. mensis Martii 1598. habita est Congregatio decima. Actum de tertio Molinianæ Concordiæ principio, nimirum de Scientia-media.

Vocatis ad examen permultis Molinæ locis, quibus Scientiam-mediam defendit ac probat: iis etiam recensitis, quibus ejusdem necessitatem vindicare satagit; quòd res non sint in æternitate physicè præsentes; nec sit scientia Dei futurorum causa: sic demum in eandem animadvertêre Censores æquissimi.

 His

„ His omnibus æquè perpensis, cum ex „ Scientia-media à Molina excogitata se- „ quatur, Dei præscientiam futurorum con- „ tingentium, maximè tamen eorum quæ „ à libera causa proficiscentur, ab ipsis even- „ tibus desumi; & præterea Dei scientiam, „ etiam adjuncta voluntate, afferat conse- „ quenter idem Molina non esse causam re- „ rum, neque etiam esse certam & infallibi- „ lem præscientiam, quam Deus habet de „ futuris contingentibus; & sine ista me- „ dia præscientia tam prisci Patres, quàm „ Theologi Doctores, libertatem arbitrii „ cum gratia divina, præscientia & præde- „ stinatione conciliandi rationem, ex dupli- „ ci illa scientia dumtaxat desumserint; & „ absurda illa, quæ consequuntur istam Scien- „ tiam-mediam, sint graviora, quàm ut ca- „ tholicè possint tolerari: sanum fore vel e- „ tiam necessarium arbitramur, strictè præ- „ cipi, ne deinceps hac de re aliter in scho- „ lis, aut extra scholas, loqui liceat, vel do- „ cere, aut sentire, quàm juxta sanam & „ antiquam Theologorum doctrinam, Pa- „ trum sententias, & usitatissimum sacræ „ Scripturæ modum &c.

Die 13. mensis Martii 1598. undecima Congregatio habita est. Actum de quarto Molinianæ Concordiæ principio, divina scilicet Prædestinatione.

Adductis Molinæ locis, ubi Prædestinationem ad gloriam post prævisa merita propugnat, illis etiam expensis, quibus non omnes effectus (v. g. interfectiones, suffocationes ex casu, pœnas justorum, à Deo præordinatos ac provisos fuisse contendit, ita pronuntiatum est, & in integram Molinæ CONCORDIAM lata sententia.

„ Cum S. Augustini de gratuita Prædesti- „ natione doctrina à Patribus ad Patres quasi „ per manus tradita, ab Ecclesia non semel „ tantùm, sed secundò & tertiò fuerit ap- „ probata; & hanc Molina contumeliosè re- „ jiciat, nec salvâ fide sustineri posse affir- „ met; atque omnia illa quatuor Principia, „ ex quibus universam rationem conciliandi „ arbitrii libertatem cum Gratiæ donis, „ Præscientiâ & prædestinatione deduxit, „ sint expresè contra S. Thomam, S. Au- „ gustinum, & cæteros Patres; multa etiam „ contineant, quæ haud obscurè adversari „ videntur divinis Scripturis, & sacris Con- „ ciliis; aliqua etiam expresè tradita à Cas- „ siano & Fausto, contra quæ Augustinus, „ Prosper, Fulgentius, & Catholici Docto- „ res fortiter sese opponentes, gloriosè di- „ micarunt: salvo semper Sanctæ Sedis A- „ postolicæ judicio, cui universa hæc à no- bis scripta, & quoquo modo asserta reli- „ giosè submittimus: Censemus è re Catho- „ lica esse, ut liber qui inscribitur: CONCORDIA LIBERI ARBITRII CUM GRATIÆ „ DONIS &c. compositus à Ludovico Mo- „ lina, & ejusdem doctrina omninò prohi- „ beatur. Atque idem etiam censemus de „ Commentariis ejus in primam partem D. „ Thomæ, quousque saltem à viris ad hoc „ munus deputatis expurgentur à novis opi- „ nionibus, quæ veterum Theologorum, „ potissimùm verò S. Thomæ, & Patrum „ doctrinæ adversari videbuntur. „

Solutis Congressibus post lata Censorum judicia, de variis Molinæ locis ad certa ipsius principia revocatis, quibus tota superstruitur novæ CONCORDIÆ doctrina; mandante Censorum Collegio, Gregorius Coronellus sacri Consessus Secretarius, distinctum omnium illorum Molinianæ CONCORDIÆ locorum indicem adornavit, quem Clementi VIII. Pontifici Maximo dedit: ut, quasi objecto speculo, Molinianæ doctrinæ seriem integram Sanctitatis suæ oculis exhiberet. Exstat elucubratio hæc eodem in Codice, quo superiorum Congregationum Acta. Integram illam in Appendice dabimus.

CAPUT TERTIUM.

Resumuntur primi examinis Congregationes: lata judicia recognoscuntur: scripta ex Hispania Romam transmissa examinantur.

QUo tempore superiores Congregationes habebantur, eruditorum consilium de controversis quæstionibus explorabat Sanctissimus Pontifex. Nonnullorum etiam Consultorum lucubrationes hoc de argumento adornatas sedulò perlegebat, ne quid inconsultò temeréque sanciretur. Religiosum illum inquirendæ veritatis zelum auxit Calvinistarum & Lutheranorum audacia; qui auditis Catholicorum dissidiis in spem novam erigebantur; dataque Molinæ dexterâ, consilio licet absimili, excisam intrinsecâ Gratiæ efficaciâ libertatem audaciùs propugnabant. Nec aliunde eruditissimum Pontificem latebat, illud olim de Societatis doctrina fuisse Lovaniensis Academiæ judicium: *A Pelagio non satis procul abscedit; Lutheri verò & Calvini, & reliquorum nostra tempestatis hæreticorum sententiam, dum ab ea videri vult quàm longissimè recedere, potentiùsque debellare, magis imprudens stabilit atque confirmat.* *In Censura contra Lessium ad Assert. 3.*

Rei igitur gravitatem expertus, causam matu-

maturiori judicio dirimendam judicavit. Quare superiorum Congregationum judicia secundis curis recognosci, sententiamque ab omnibus Censoribus scripto ferri, ac Congregationis Secretario consignari jussit; id enim perpauci hactenus egerant. Scripta etiam à generali Hispaniarum Inquisitore Romam transmissa, hoc est Prædicatorum ac Jesuitarum instrumenta, nec non Episcoporum ac Theologorum Hispanorum Censuras, examinari voluit: quò maturiùs expenderetur, an Molinæ principia, propositionesque ad illa redactæ, ab erroris nota vindicari possent.

His ita provisis, versùs Ferrariam pro Ducatus recuperatione iter arripuit Clemens VIII. die 14. Aprilis 1598. Potentissimum etiam causæ suæ patronum amisit Prædicatorum Ordo, Cardinalem Michaëlem Bonellum, præcipiti morte sublatum, dum sese ad faciendum Summo Pontifici comitatum piis ad septem Urbis Ecclesias supplicationibus accingeret.

Ab Aulæ itaque strepitu semoti, jussisque Pontificiis obsecuti suas deputati Censores Congregationes resumserunt, uno excepto Carmelitarum Vicario Generali, cujus locum Antonius Bovius jam pridem occupaverat. Convenerunt coram Eminentissimis Præsidentibus ad diem usque Novembris 22. cujuslibet hebdomadæ sextâ feriâ. Is in illis Conventibus servatus est ordo. Primùm superiorum Congregationum judicia recognoverunt ac confirmarunt. Tum datis sigillatim ab unoquoque privatis scriptis seu suffragiis, de Molinæ doctrina, de Prædicatorum ac Jesuitarum Apologiis ac Defensionibus, de Censuris Episcoporum ac Theologorum Hispaniæ, sententiam dixere.

Quid de novis illis Instrumentis pronunciatum sit, compendio retulit Secretarius: *Ut*, inquit, *maturiùs expenderetur, an prædicta Principia (Molinæ) vel propositiones ad illa redacta, vindicari possent à notâ erroris, voluit Sanctissimus Pontifex, ut Consultores examinarent Apologiam Patrum Prædicatorum in Hispania, contra decem capitales propositiones Molinæ, necnon earum defensiones productas à Patribus Societatis. Censuit autem Congregatio doctrinam Patrum Prædicatorum esse sanam & Catholicam: propositiones verò Molinæ non æquè vendicari à nota erroris per rationes productas à defensoribus suis, ad quas plenè responsum fuit. Expensis deinde scriptis Episcoporum & Universitatum, quæ Romam misit supremus Hispaniæ Inquisitor ad Sedem Apostolicam, apparuit ex pluribus illorum judicium Congregationis non rigorosum, sed mitissimum fuisse; atque adeò persistendum in Censura prout in Actis.*

In Actis Congr. 14. Septemb. 1605.

Ego verò, pro uberiori veritatis confirmatione, suffragiorum à Censoribus datorum indicem ac summam adjiciam. Iis enim tota continetur ac stat primi hujus examinis recognitio. Exstant illa in Angelica Augustiniensium Bibliotheca, propriâ autorum manu scripta. Quibus etiam nonnulla interseruntur alia, ab iisdem autoribus priùs edita, & superioribus Congregationibus oblata.

Episcopus Agathensis dedit in variis Congregationibus novem suffragia seu scripta. Septem prioribus Molinæ propositiones supra observatas, damnat ut temerarias, erroneas ac Pelagianas respectivè. Duobus postremis judicium fert de Censuris Episcoporum ac Theologorum Hispaniæ. Salmanticensem, aliasque datas ab Episcopo Mindonensi, Doctore Sierra, & Petro de Castro, per omnia capita probat. Censuram Michaelis Salon confirmat, laudatque magnoperè, quòd 47. Molinæ propositiones, uti erroneas, temerarias, scandalosas, malè sonantes, piarum aurium offensivas, notaverit: in hoc tamen improbat, quòd cum Molina mitiùs agendum, solâ propositionum deletione, putarit; quæstionemque de Gratiâ per se efficaci solius esse nominis affirmarit. Censuram Episcopi Carthaginensis in eo probat, quòd Bannesium & Zumelium ab erroribus Calvini toto cœlo distare ostenderit; in hoc improbat, quòd eorumdem Bannesii & Zumelii Censuras, adversùs Molinam datas, duriores appellarit. Censuram Episcopi Segoviensis in iis probat, quibus doctrinam Molinæ malè-tutam in fide & gravissimis periculis circumseptam dixerat; in aliis quibus eandem emollire, Bannesiumque ac Zumelem damnare studuerat, improbat. Censuras verò Complutensem, Seguntinam, & Episcopi Placentini omninò rejicit.

Episcopus Neritonensis dedit scripta seu suffragia septem. Sex prioribus, Molinæ doctrinam ad varias propositiones revocatam, Pelagianismi notat. Septimo, judicat de Censuris ex Hispania missis, Complutensem damnat, Salmantinam & Mindonensem probat: Carthaginensem etiam, ob ostensam præsertim discrepantiam Bannesium & Zumelium inter & Calvinum. De Segoviensi & Complutensi * perinde sentit ac Episcopus Agathensis. Aliarum Censurarum summam refert, nihilque pronunciat.

* *f. Placentina.*

Episco-

Episcopus Cariatensis dedit scripta duodecim. Decem prioribus nervosissimè agit contra Molinæ dogmata, de Scientia-media, de Gratia sufficienti & efficaci, de Congruitate, de Prædestinatione: Gratiamque ex se efficacem multis probat, ut Catholicum dogma certâ fide tenendum. Duobus postremis scriptis, pronuntiat pro Censuris Michaelis Salon & Petri de Castro, quas maximè commendat: nisi quòd quæstionem de Gratia efficaci solius nominis esse non existimat.

R. P. Franciscus Brusus dedit quinque scripta. In primo sententiam Molinæ de Deo & Causa secunda partialiter concurrentibus, in bonum sensum probabiliter reduci posse putat. In modo tamen loquendi Molinam castigandum existimat. In secundo, sententiam Molinæ de gratiâ ex consensu liberi arbitrii efficaci, ut erroneam rejicit. In tertio, ejusdem Molinæ propositiones de viribus liberi arbitrii in justificatione damnat ac reprobat, ut erroneas. In quarto, ejusdem Molinæ propositiones de Scientia-media, falsas, temerarias, & erroneas existimat. In quinto, propositiones de Prædestinatione, uti falsas ac temerarias explodit; & aliquas in sensu rigoroso erroneas pronunciat. De Censuris nihil habet.

R. P. Joannes Baptista Plumbinus dedit sex suffragia. In primo scripto doctrinam Molinæ brevi analysi expositam, de viribus liberi arbitrii, & de gratiæ efficacia ab humano consensu pendente, declarat temerariam, blasphemam, erroneam, & hæresi proximam. In secundo, sententiam Molinæ de concursu Dei cum causis secundis damnat velut erroneam, hæresim sapientem, piarum aurium offensivam, temerariam & scandalosam. In tertio scripto prosequitur idem argumentum; ac tres alias ejusdem propositiones erroris accusat. 1. Scilicet, " quòd concursus Dei " generalis non est influxus Dei in causam " secundam, quasi illa priùs à Deo mota agat, " & producat suum effectum; sed est in- " fluxus immediatè cum causâ secunda in il- " lius actionem naturalem & effectum. 2. " Quòd Deus per concursum generalem non " est causa totalis effectus. 3. Quòd concur- " sus Dei in actibus supernaturalibus fidei, " spei & charitatis, non est in liberum arbi- " trium, quasi illo priùs motum; sed est " solùm influxus in actus ipsius, unà cum " libero arbitrio." In quarto scripto damnat Molinæ doctrinam de concursu Dei indifferenti & determinabili per actum voluntatis, seu ad naturalia, seu ad supernaturalia. In quinto & sexto defendit Censuras in præcedentibus Congregationibus sancitas adversùs novas Molinæ defensorum objectiones. De Censuris nihil habet.

R. P. Gregorius Nunnius Coronellus dedit scripta septemdecim. In primo, sententiam Molinæ de concursu Dei cum causis & non in causas, damnat ut falsam & temerariam.

In secundo expendit profundiùs quatuor Concordiæ Molinianæ principia, ejusque propositiones duodecim, ut Pelagianismum sapientes sugillat.

In tertio idem prosequitur, & alias ejusdem propositiones septem, ut expressè Pelagianas notat.

In quarto idem prosequitur, & duas propositiones alias de efficacia gratiæ, notat ut falsas, temerarias, erroneas & ad Pelagianismum accedentes.

In quinto idem prosequitur; sexque Propositiones de Scientia-media, tanquam fidei repugnantes explodit.

In sexto expendit tredecim propositiones Molinæ, de Prædestinatione, quas uti temerarias & erroneas damnat.

In septimo judicium fert de Apologia FF. Prædicatorum Hispaniæ; quam per omnia ut Catholicam probat, unâ cum alio ipsorum scripto, de gratia efficaci.

In octavo, defendit præcedentes Censuras suas contra defensorum Molinæ objectiones.

In nono, Censuram Academiæ Salmanticensis per omnia probat.

In decimo, Censuram Complutensem maximè improbat, quòd plerasque propositiones Molinæ uti probabiles admittat, ac sub opinione relinquendas judicet. Eam tamen approbat, quòd fateatur efficaciam divini auxilii à consensu nostro ita dependere non posse, ut ex solo majori conatu liberi arbitrii actus magis meritorius esse possit.

In undecimo, Censuram duorum Professorum Facultatis Seguntinæ magnopere improbat; illosque Molinâ turpiùs errasse ostendit.

In duodecimo, Censuram Episcopi Placentini Censurâ dignam pronuntiat.

In decimo-tertio, Censuram Episcopi Segoviensis probat ex parte, quòd nempè sex Molinæ propositiones Semipelagianismi notet: in cæteris, quibus Molinam ab errore vindicare nititur, vehementer exagitat.

In decimo quarto, Censuram Episcopi Mindonensis confirmat.

In

In decimo quinto, Censuram Michaëlis Salon commendat; quòd Propositiones Molinæ quadraginta septem tanquam temerarias, scandalosas, piarum aurium offensivas, erroneas, proscripserit.

In decimo sexto, Censuram Doctoris Sierræ confirmat.

In decimo septimo, Censuram Episcopi Carthaginensis per omnia probat.

R. P. Antonius Bovius dedit scripta septem. In quibus omnibus Molinæ propositiones ab errore vindicat, easque saltem uti probabiles defendere nititur. *De scriptis ex Hispania à Generali Inquisitore transmissis, nihil omninò habet.

Cæterùm illud observatione dignissimum occurrit, Cardinalem Madrutium hujusce Censoris suffragium pro doctrina Molinæ quam ex Patribus probare tentaverat, scripto nervosissimo confutasse; quod etiamnum exstat inter ejus adversaria, pag. 50. & sequentibus, propriâ Eminentissimi Viri manu scriptum.

R. P. Jacobus le Bossu dedit suffragia decem. In his omnibus Prædicatorum Apologiam adversùs Molinam ex Congregationis mandato examinandam sibi sumit. Unde & Molinæ propositiones in ea sugillatas ac notatas expendit. In primo, eas ad examen vocat quæ sunt de gratia efficaci. In secundo, eas examinat quas Molina veluti CONCORDIÆ suæ fundamenta commentus est. In tertio, eas expendit quæ de actibus ad justificationem pertinentibus agunt. In quarto, quæstionem tractat, an æqualibus existentibus Auxiliis, unus aliquando convertatur, non alter? In quinto, agit de propositionibus Molinæ circa Contritionem & Attritionem. In sexto, agit de concursu Dei cum causis secundis. In septimo, quærit de sententia Molinæ, quare & quomodo Deus non sit causa peccati. In octavo, adversùs Scientiam-Mediam disputat. In nono, tractat de causa reprobationis & liberi arbitrii. His in scriptis Molinam temeritatis, impudentiæ, erroris, & hæresis passim sugillat ac convincit.

D. Ludovicus de Creil dedit scripta undecim. In primo scripto agit de sententia Molinæ statuentis concursum Dei non esse in causam, sed in ejus actionem & effectum. Prima fronte Autoris hujus conclusionem nulla Censurâ dignam existimat, sed solùm procedendi ac probandi modum. Ad finem tamen ejusdem scripti ait se (re posteà melius intellectâ) existimare, non abs re Molinæ doctrinam à quibusdam Pelagianismi suspectam haberi; quòd se posterioribus scriptis meliùs scrutaturum pollicetur.

In secundo, expendit sententiam Molinæ de Gratia per consensum efficaci, quam damnat ut temerariam, schismaticam, ac Pelagianis faventem.

In tertio, idem pertractat argumentum, agendo contra Molinam de auxilio sufficienti & efficaci; quem à Catholica veritate defecisse probat: cui propterea ex adverso opponit octo Catholicas Propositiones, à FF. Prædicatoribus in Apologia propugnatas.

In quarto, differit de Scientia-Media, ut à Molina defenditur. Scriptum hoc ita concludit: *Doctrinam hanc de Scientia-Media, non solùm ut novam & commentitiam, confusam, obscuram, pugnantia continentem, inutilem, & SS. Patribus injuriosam, jactantia & arrogantia plenam, ad dissensiones inter Catholicos excitandas, potiùs quàm componendas, aditum patefacientem, à Catholicorum Doctorum stilo alienam, malè sapientem, & periculosam, omninò explodendam & exstinguendam sentio.* Subjungit subinde varias, in hoc astruendo figmento, Molinæ antilogias: quarum illa potissima est, quòd primò Scientiam-Mediam ut novam jactitet, cujus ignoratione Pelagiana hæresis adoleverit, & Calviniana suborta sit; postmodum verò contendat, Patres unanimi consensu eandem re ipsa comprobasse.

In quinto, tractat de Prædestinatione gratuita contra Molinam: concludit sententiam ejus erroneam esse; oppositam verò non opinionem esse, sed fidem Ecclesiæ.

In sexto, nervosè confutat allata à Jesuitis argumenta, ut Molinæ doctrinam adversus FF. Prædicatorum Censuras tuerentur.

In septimo, Censuram Episcopi Carthaginensis, quoad doctrinæ substantiam probat: improbat quòd Molinæ propositiones mitiùs notet, quodque existimet doctrinam Bannesii, etsi veram, ex œconomiâ tamen, ob circumstantias temporum, ad evitandam simplicium offensionem, prædicari publicè non debere. Certè fuerat ille Semipelagianorum de S. Augustini doctrina præconceptus timor.

In octavo, Censuram Episcopi Segoviensis in hoc probat, quòd Molinam in prædicatione liberi arbitrii excessisse scripserit; in hoc improbat, quòd Bannesium ex opposito in prædicatione Gratiæ metas prætergressum affirmarit. Censuram Salmanticensem magnoperè commendat, eamque sufficere ait ad Molinam

M &

& Episcopum Segoviensem revincendos.

In nono, Complutensem Censuram carpit, ut humanæ prudentiæ nixam in utraque sententia veluti probabili admittendâ. Censuram Professorum Academiæ Seguntinæ & Episcopi Placentini rejicit. Censuris Doctoris Sierræ, & Episcopi Mindonensis subscribit. Ægrè tamen excipit, quòd Episcopus ille de Zumelis & Bannesii concordia differens ac veluti Catholicam probans, illam tamen rectè *inventam* appellet. Displicet *inventi* nomen, licet recto sensu usurpatum, dicendumque vult *explicatam*.

In decimo, rursus de Censurâ Episcopi Segoviensis agit. Impugnat quòd dixerit mitiùs agendum cum Molina.

In undecimo, Censuris Petri de Castro & Michaëlis Salon subscribit. Conqueritur tamen priorem nonnullis in locis Molinam non satis urgere; posteriorem verò, erroneas Molinæ propositiones è libro solùm expungendas judicasse.

R. P. Henricus Sylvius, tametsi huic primi examinis recognitioni (in qua tandem communi calculo Molinæ Censura definita est) non interfuerit, nihilque propterea ad causæ eliquationem valeant ipsius suffragia in antecessum data, ex quo partes ejus in alterum translatæ fuerunt: ne quid tamen integritati ac sinceritati desit, addam ipsius quoque suffragia tempore primi examinis Congregationi data.

Fuerunt illa numero quinque. In iis Molinæ patrocinatur; cujus opiniones in judicium vocatas, ut probabiles judicat, aut certè ab erroris notâ immunes. Molinam tamen, veluti SS. Augustino & Thomæ contrarium, temerarium, & arrogantem accusat. Sic enim de illo pronuntiat, „ ad finem scripti secundi: "In hoc, quod „ in priori parte suæ Assertionis Molina dicit, *Certitudinem Prædestinationis non posse desumi ex efficacia ipsorum auxiliorum*, „ ipsemet in capite ultimo suæ CONCORDIÆ „ fatetur se hoc asserere contra doctrinam „ SS. Augustini & Thomæ, & aliorum „ communem. Quare non video quomodo „ possit excusari à nota temeritatis. Poterat „ enim doctrinam suam, qualiscumque sit, „ de ratione conciliandi liberum arbitrium „ cum gratiæ donis, ex parte præscientiæ „ in medium proferre, & Ecclesiæ judicio „ subjicere. Nulla tamen ratione debuit eam „ rejicere, tanquam insufficientem, quam „ S. Augustinus, D. Thomas & schola Theologorum hactenus sufficientem existimavit.

Et ad finem quarti scripti de Molina pariter ita scribit: "Modus loquendi quo utitur quæst. 14. art. 8. dum dicit, *Alios periculosè admodum hallucinatos circa præscientiam divinam*; *quòd non attenderint quod ipse dixit ibidem*. Et disp. 17. *Periculosè hallucinari, qui triplicem scientiam non constituunt*: quod & alibi passim facit in refellendis aliorum sententiis: videtur mihi satis arrogans & temerarius, præsertim si aspiciamus ea quæ dixit in CONCORDIA, membro ultimo. Nam præterquam quod nimis sibi placet, non utitur eâ modestiâ quæ decet Theologum & Catholicum & religiosum. Nec redolet eximiam illam animi demissionem, quâ mirificè sunt clari S. Thomas & omnes alii antiqui & gravissimi Theologi in aliorum sententiis referendis & refellendis. Quamvis hoc vitium videtur potiùs esse temporis, quàm hominis." Hæc ultima verba non satis capio. Quasi verò sint quædam statuta tempora, quibus temeritas & arrogantia sint Christiano Theologo licitæ!

CAPUT QUARTUM.

Post varios Jesuitarum motus, Censura totius Congregationis nomine, à Secretario editur: Cujus promulgationem, novo petito mutuæ collationis examine, iidem ipsi divertunt.

HÆc dum interim primi examinis recognitio fieret, Jesuitæ in excubiis positi Censorum motus observabant; ut quam in partem inclinabant, præsentirent. Ubi verò res non ex nutu cadere, sed in Molinæ damnationem verti cognoverunt, pristinâ confidentiâ dejecti compositionis conditiones solliciti quæsiere. Ferrariam ad Episcopum Foroliviensem, Clementis VIII. Theologum, epistolas dedere, suam ut autoritatem & gratiam apud Sanctissimum interponeret; quò unicuique litigantium parti dogmata sua probabilitatis jure tueri liceret. Respondit prudentissimus Præsul, nequaquam sibi conditionem probari: quin potiùs iniquum planè videri, ut qui Prædicatorum doctrinam Calvinismi sæpiùs accusaverant, eam tandem, ineundæ pacis obtentu, uti probabilem permitti postularent. Quare spectandum addidit institutæ Congregationis judicium; ut probatis utriusque doctrinæ meritis, quid posset utrique parti permitti dignosceretur. *Pegna in Rel. 3. ad Gener. Inqu.*

Rejectis itaque pacis conditionibus, bellum novis conatibus instaurarunt. Prolixum opus adversùs physicam Prædeterminationem edidere Michaël Vasques de Padilla, &

& Bartholomæus Peres summo Pontifici exhibendum. Multa ex Scripturis, Conciliis, Patribus, antiquioribus Theologis, ac potissimùm ex Concilii Tridentini secretioribus Actis congessere, ut liberum arbitrium quavis gratiâ motum & excitatum, posse dissentire si velit, ostenderent. Id nusquam à se negatum, quin potiùs perpetuò stabilitum, responderunt Prædicatores. Novos velites derisere; dignos sanè qui in aëra certarent, in quos propterea illud Poëtæ meritò caderet: *Et magnâ peragunt sedulitate nihil.*

Theologicis lucubrationibus Principum gratiam addiderunt. Commendatitias epistolas ad Romanæ Curiæ Principes, undequaque emendicarunt: ut quod juris æquitate non poterant, favoribus obtinerent. Mariam Augustam Imperatricem, sibi jam dudum devotissimam, implanarunt: quæ Literas ad Clementem VIII. die 14. Novembris 1598. potentissimas dedit, quibus Sanctitati suæ causam Ludovici Molinæ instantissimè commendabat. Alias eadem ipsa urgentissimas addidit die 2. Decembris ad Eminentissimos Cardinales Aldobrandinum, Madrutium, S. Severinæ, necnon Ducem de Sessa, Regis Catholici Oratorem, ut Societatis causæ gratificarentur. Nec minùs efficaces ad Clementem VIII. dedit epistolas filius ejus Albertus Archidux Austriæ, die 26. Aprilis anni proximè sequentis, quibus datam jam pridem Molinæ approbationem in Lusitanæ Inquisitionis Senatu significabat, gratiamque eo præsertim titulo rogabat, quòd sui ipsius honor hac in causa in discrimen vocari videretur. Has machinas Curiæ Romanæ gratiam aucupaturi Jesuitæ tentabant, mulierculasque Theologicis concertationibus immittebant; cum jam è contra omnia pro FF. Prædicatoribus ex gratiâ facta fuisse, lepidè conquerantur.

Paul Leon. 1. p. sect. 7. Ortega cont. 3. de decre. disp. 144. cert. 3.

Annot. de Scien. Med. Ripal. disp. 113. sect. 13.

Sub ea circiter tempora, die scilicet 29. Novembris 1598. novi Molinæ defensores Hispani, suppetias laturi Romam appulere, Christophorus Cobos & Ferdinandus de Bastida, ac paulò post Joannes Salas, plurimis contra Bannesium lucubrationibus & scriptis onusti. Statim pro viribus eniti cœperunt, ut injectâ contra Bannesium, de singularibus quibusdam assertis ab ipsâ scholâ suâ minimè probatis, accusatione, res aliò diverterent. At intempestivi accusatores serâ expostulatione dejecti sunt. Jam scilicet, die mensis ejusdem 22. ultimo consessu habito, primi examinis recognitionem absolverant selecti Censores; Molinæque Censuram omnium nomine instruendam commiserant Congregationis Secretario: quam tandem in solemni Congregatione lectam & approbatam, uno Antonio Bovio dumtaxat excepto, confirmarunt die 12. Martii 1599. Quoniam verò, inquit Secretarius in Actis, „omnes uno excepto ejusdem erant sententiæ; placuit omnibus, ut assumerentur quidem singulorum scripta, ut sarta tecta conservarentur; unus tamen omnium nomine, censuram in librum CONCORDIÆ Patris Molinæ componeret; quò faciliùs omnium Actorum Sanctissimus certior fieret. Elegerunt ad hoc munus obeundum communi omnium consensu F. Gregorium Lusitanum, Doctorem Theologum ex Ordine S. Augustini, Congregationis Secretarium. Quod & approbavit bonæ memoriæ Cardinalis Madrutius. Completum fuit opus illud, & coram Congregatione relatum, ab omnibus uno excepto approbatum, die 12. Martii anno Domini 1599. „

Ripal. disp. 113. sect. 9. & 12.

Servatur hujus Censuræ exemplar originale in Angelica Augustiniensium Bibliotheca: Opus ære dignum. Complectitur ipsa Congregationum Acta, earumque de Molinæ principiis propositionibusque ad illa redactis judicia, innumeris Scripturarum, Conciliorum ac Patrum, præsertim verò SS. Augustini & Thomæ testimoniis confirmata.

Tantus hujusce latæ Censuræ rumor in Hispania volitavit, ut rem ultimo judicio eliquatam crederent universi: donec Cardinalis Bellarminus datis ad P. Antonium de Padilla literis die 18. Augusti, causam adhuc sub summi Pontificis judicio stare testatus esset.

Non morabor hìc studiosas hujus Historiæ depravatorum aberrationes; qui ut Censuræ in hocce primo examine latæ robur & autoritatem imminuant, nugas loquuntur: ita quippe futiles sunt & ineptæ, ut ipsa sui vanitate dissipentur. Quid etenim? "Censores, inquiunt, iniquo in Societatem animo fuerunt, occultis inimicitiis ac simultatibus occupati, adversæ partis gratiâ circumventi, nec satis pro argumenti dignitate periti." Ita scilicet respondent Petrus à S. Joseph, Paulus Leonardus, Martinus de Ripalda, Germanus Philaletes. Sunt illa jamdudum nota miserorum cruda solatia; ut causâ dejecti, culpam omnem in Judicum iniquitatem aut ignorantiam transferre soleant. At nulla horum apud æquos æstimatores habetur ratio, donec vagæ & indiscretæ criminationis capita probentur. Stat enim de Judicibus

Pet. à S. Jos. in just. Conc. diss. 4. sect. 4. Paul. Leon. 1. p. sect. 4. Ripal. disp. 113. sect. 9. & sect. 13. Germ. Phil. cap. 3. §. 2.

dicibus ab Apostolica Sede specialiter deputatis, æqua integritatis ac sufficientiæ præsumtio cui tot illæ volaticæ querulorum oblocutiones officere nequeunt. Cùm potissimum tanta de iis apud sanctissimum Pontificem existimatio fuerit, ut novis ejusdem causæ instructis examinibus, alsisque subindè judicibus paulatim additis, horum tamen nemo unquam amotus fuerit.

Addunt viri queruli, " Non satis hoc „ in examine temporis insumtum : utpote „ quod die 2. Januarii cœptum est, die vero „ 13. Martii consummatum." Verùm non advertunt, duobus antehac mensibus designatos fuisse Censores, qui ante Conventuum celebrationem, in privata Molinæ lectione ac meditatione totum illud tempus impenderant. Quanquam nec in iis dumtaxat undecim prioribus Congregationibus stat primum illud examen, sed & in ipsa maximè earumdem Congregationum recognitione, quâ demum absolutâ, totius venerandi Ordinis nomine Censura edita est. Adeo ut non duorum aut trium mensium, sed unius & amplius anni cognitio dicenda sit.

Tandem omni pudoris sensu deposito, plures in ferenda Censura Molinæ adfavisse volunt ineptiarum audacissimi Venditores, qui non historias scribere, sed fabulas garrire gestiunt. Hos ad Secretarii Acta mittere sufficit : ubi nisi se propriis perspicilis falli velint, ista legent : *Quoniam verò omnes, uno excepto, ejusdem erant sententiæ &c.* ut supra.

Hæc pro fabulis confutandis obiter dicta velim : jam historicam narrationem resumo.

Ex Carem. in Relat. Actor. 24. Sept. 1605. Cum primùm Patribus Societatis innotuit, Episcopos ac Theologos Consultores, post primi examinis recognitionem, edendæ Censuræ provinciam Secretario commisisse, nihil sibi cunctandum existimarunt, ut imminens capiti fulmen averterent. Verebantur, nec immeritò, ne ob instantes Regis Catholici preces Clementi VIII. Ferrariâ Romam reverso, per ejus Oratorem oblatas, definitionem causæ maturaret, datamque Censuram Pontificiâ autoritate confirmaret. Quapropter specioso quæsito diverticulo Sanctitati ejus supplicarunt, ut antequam Judicium Congregationis prodiret in publicum, sibi coram arbitris tantùm cum FF. Prædicatoribus conferre liceret; nam fortè semoto juris strepitu, ad concordiam mutuis colloquiis „ revocarentur." Fieri etenim posse, inquie- „ bant, ut solo explicandi modo differrent, re ipsa verò dogmatibus convenirent : quo " casu concordia facilè iniretur, dimissis dam- " natisque privatis quibusvis autoribus, si " quæ fortè perversa docuissent ". Addide- " runt rem observatione dignissimam: Se scilicet nec de Molina agere, nec doctrinam ejus tueri, sed de Gratiæ dumtaxat efficacia differere velle.

Votis annuit Sanctissimus Pontifex, concessitque novum examen pacificæ collationis. Arbitrum dedit Eminentissimum Cardinalem Madrutium; cui non multo post addidit Cardinales Asculanum & Bellarminum; illum quidem ex Ordine Prædicatorum, istum è Societate non ita pridem assumtum.

Iis arbitris convenerunt Prædicatores & Jesuitæ à die 22. Februarii 1599. usque ad 16. Maii. Tum usque ad anni finem scriptis ultrò citròque datis, utriusque Scholæ sensus de Divinâ Gratiâ explicarunt. Prædicatorum causam iis in Congressibus sustinuerunt, Hippolitus Maria Beccaria Magister Ordinis, & Procurator Generalis, cum duobus Theologis, F. Didaco Alvares & Raphaële à Ripa : Societatis causam egerunt Claudius Aquaviva Præpositus generalis, & Michaël Vasques, cum duobus Theologis, Christophoro Cobos & Petro Arrubal.

Futurum sperabat Beatissimus Pater, ut sepositis disputationum contentionibus, ad doctrinæ concordiam revocarentur. At res longè aliter cessit. Tot enim mutuis collationibus & scriptis hinc inde datis solùm innotuit, quid utrique hoc de argumento sentirent, nec tamen ulla inita concordia est.

J. Martinem de Ripalda hoc maximè loco mirari licet : qui ut omnem subdolæ machinationis suspicionem in hujusce collationis petitione à suis amoveat, illam non Societatis precibus extortam, sed à Summo Pontifice propriâ sponte indictam significat. *Disp. 113. sect. 10. n. 64.* Hujusmodi Scriptoribus figmenta sua, contra fidem Actorum, venditantibus, credat quisquis sibi palàm illudi volet. *Cum Patres Societatis*, inquit è contra Secretarius, *cognovissent rem esse pene absolutam, tantùmque exspectari Apostolicam definitionem, & Censuræ confirmationem, apud Sanctissimum Pontificem egerunt, ut antequam Censura in Vulgus prodiret, permitteret, ut absentibus Censoribus, cum Patribus Prædicatoribus, præsentibus arbitris, suam conferrent sententiam &c.*

Quæ fuerint Societatis consilia, novum istud mutuæ collationis examen postulantis, probavit eventus. Primum illudque potissimum fuit, ut interim tempus duceret,

ceret, lataeque Censurae promulgationem studiosâ procrastinatione declinaret. Alterum, ut consopitâ Molinae causâ controversiae statum inverteret; & Praedicatores, si fieri posset, in jus vocaret. Taedebat scilicet Molinae Vindices accusatorum personam sustinere; eamque, tentatis in adversarios accusationibus, immutare moliebantur. Hinc de Molinâ silendum, & de solâ Gratiae efficaciâ differendum rogabant: nùm forte mutuam vicem rependere, & injectâ in Praedicatores accusatione, actores evadere possent. Id in primis congressibus, quorum historiam sequenti capite dabimus, potissimùm comprobatum est. At prudentiores fuere Praedicatores, quàm ut sibi fucum fieri paterentur. Qui licet de divinae gratiae efficacia differere non renuerent, Molinae tamen causam, cujus occasione mota lis erat, praetermissam omninò noluerunt. Noverant etenim Molinam iis in capitibus praedamnatum, quae toti erant Societati communia: illumque propterea nusquam à Societate dimissum iri (uti nec re ipsâ dimissus est) quidquid tandem viri industrii fictè adpromitterent. Nec magis latebat eos, Jesuitas quo tempore in congressibus Molinae partes deserere velle simulabant, easdem occultè apud Summum Pontificem promovere tentasse, exhibitis Sanctitati Suae Novatoris hujus Epistolis è Civitate Conchensi datis die 20. Septembris anni superioris; quibus doctrinam suam, sanam, irreprehensibilem, sacrisque Conciliis ac Patribus maximè consonam affirmabat. Quibus tamen uno verbo responsum erat; non ex subobscuris Epistolis, sed ex libris, de Molinianae doctrinae sensu fore judicandum.

Henao de Scien. med. prot. 2.

Verùm nihil unquam in haccе mutui colloquii tractatione obliquas Societatis artes probavit magis, quàm quae adversùs Praedicatorum doctrinam scripta clanculùm ediderunt, ut translatâ in actores ipsos accusatione, controversiae litis statum inverterent. Scriptum anno 1599. compofuere, sub hoc titulo, *Confutatio cujusdam sententiae falsae, de efficacitate Divinae Gratiae:* in quo tacitis tum scholae, tum Autorum nominibus, sententiam de Gratia per se efficaci, larvatè omninò ac fraudulenter expositam decem capitibus, ut erroneam & haereticam impugnabant. Subscripserant in hunc modum: *Nos infra scripti, Theologi Societatis Jesu Romae existimamus sententiam initio hujus scripti positam, & in eodem scripto confutatam; multipliciter repugnare doctrinae sanae; neque esse in Ecclesia tolerandam.*

Exstat in Coll. Coron. Lemo. & Pegna.

MICHAEL VASQUES.
PETRUS ARRUBAL.
BENEDICTUS PERERIUS.
MUTIUS VITELLESCUS.
CHRISTOPHORUS COBOS.
BERNARDINUS ROSIGNOLIUS.
BARTHOLOMEUS PERES.
JOANNES AZORIUS.
GREGORIUS DE VALENTIA.
BENEDICTUS JUSTINIANUS.

Erat haec, uti obtendebant, solemnis Scholae Thomisticae accusatio ad supremum Ecclesiae tribunal propè diem deferenda. Cui quidem ut robur & autoritatem adjicerent, variarum obscuri nominis Academiarum, (in quibus & ipsi tunc maximè dominabantur) Ingolstadiensis scilicet, Graecensis, Dilinganae, Vuirceburgensis, Moguntinae, Mussipontanae, Trevirensis, & Viennensis subscriptiones extorserunt; privatâ quidem industriâ, nec sine numeratae pecuniae suspicione. Hanc tamen cautionem subscriptionibus suis addiderunt Academiae; " Ut sicut relata & confutata " eo scripto sententia, nudè omninò, nul " lisque vel Autoribus vel Defensoribus desi- " gnatis, exponebatur; ita & nudam illam " improbarent, *prout hic referebatur & refu-* " *tabatur.*" Noverant enim non absimili Pelagianorum arte olim delusos Pontifices; metuebantque, ne quemadmodum illi haereticos sub dolosis expostulationibus absolverant, Catholicos ipsi eadem fraude damnarent.

Hanc Jesuitarum lucubrationem, jubente Summo Pontifice, examinavit Cardinalis Madrutius; qui ut olim in Concilio Tridentino sederat, dignus prae ceteris litis hujus arbiter habebatur. Judicium suum notis marginalibus exposuit, quas inter alios ipsius Codices manuscriptos videre est in Angelica Augustiniensium Bibliotheca. Observat in primis Vir Eminentissimus, Patres Societatis Praedicatorum doctrinam adulterasse, Physicam Praedeterminationem longè aliter exposuisse, quàm à Bannesio caeterisque Thomistis exponatur ac propugnetur, illorum sensa in multis captiosè retulisse, multaque innuisse à Praedicatorum mente remotissima. Tùm tertium scripti hujus paragraphum expendens, ubi ex Concilii Tridentini decretis, Thomistarum & Calvinistarum consonantiam demonstrare Jesuitae satagebant, ostendit novos illos Angelicae scholae Osores, à germano Concilii sensu, toto coelo aberrasse, omniaque in alienum sensum praeposterè detorsisse.

Non obstuit tamen tanti viri Censura, quo-

quominus istud idem scriptum anno 1606. coram Paulo V. iterùm proferrent, uti probatissimum Molinianæ causæ instrumentum. At nec tunc quidem feliciorem sortem habuit. Ad examen per deputatos Censores denuò vocatum est. Censuerunt Viri Judices captiosum illud ac fallax omninò esse, ad extorquenda imprudentum suffragia dexterè compositum; Scholæ Thomisticæ doctrinam alienis planè coloribus adumbrare; nec idcircò mirandum, si tot ei Viri Theologi subscripsissent. Hoc ergo Censuras inter discrimen immensum à Romanis Judicibus statutum est: nempe, quæ vel jubente Pontifice, vel Hispaniarum Generali Quæsitore rogante, ab Academiis, Episcopis, ac Theologis datæ fuerant, summo in pretio habebantur; utpote quæ secundùm juris formulas, & à Viris ab ipso causæ Judice selectis ac partium studio solutis, adornatæ censerentur. Quæ verò parte altera rogitante, movente, supplicante, ac per secretas machinationes & artes urgente, latæ sunt, parvi ac veriùs nihili habebantur. Ex quibus profectò videas, quàm improbo titulo, eo de Academiarum istarum suffragio occultis Societatis artibus extorto, glorietur Theologus Rothomagensis in Thesibus, cujus nulla apud Romanos Judices ratio est habita.

Lib. 4. cap. 15.

Cæterùm, quod præsentis instituti est, tot illæ machinationes ac strophæ plus æquo probant, eo dumtaxat fine novum illud mutuæ collationis examen à Societate postulatum esse, ut & latæ sententiæ promulgationem averteret, & controversiæ statum novâ in Actores ipsos injectâ accusatione, immutaret. An verò votis facta responderint, subjecta ipsius collationis acta ostendunt; non illa quidem à Secretario Coronello adornata, qui uti conventibus istis non interfuit, ita nec acta conscripsit; sed ex Cardinalis Madrutii, qui conventuum Arbiter sedit, Originalibus manuscriptis aliisque documentis, summâ fide petita.

Dabunt porro veniam eruditi, si hujusce collationis Acta paulò fusiùs proferamus. Voluit hoc tuendæ veritatis necessitas adversùs inauditas Ripaldæ depravationes: qui licet ubique plurimum insolescat, in hac potissimùm historiæ parte audaciùs in Prædicatores effunditur, suisque gratificatur ac plaudit. Prædicatores temerè sugillat, quòd de Gratia per se efficaci statim tractare noluerint, omissâ Molinæ causâ. Eosdem domesticam de Gratia physicè prædeterminante sententiam propalare noluisse ait; peregrinas quæstiones, neglectis germanis, tractandas dedisse; circuitus, diverticula, morasque tentasse; conventus istos, probatâ Jesuitarum confessione, solvere voluisse: Jesuitas è contra, bona in omnibus fide egisse; sensusque suos illicò, clarè, dilucidè, sine strophis & artibus explicasse. Quo pudore, quâ fronte, quâ veri specie, tot illa ineruditis venditavit, boni quique judicabunt.

Lib. 5. disp. 113. sect. 10. 11.

CAPUT QUINTUM.

Priora novi hujus Examinis, seu veriùs collationis Acta breviter recensentur. Quid sex prioribus Congregationibus tractatum, pro aperiendâ utriusque Scholæ sententiâ.

PRima Congregatio, eademque prima Collatio partium, die 22. Februarii 1599. celebrata est. Convenerunt coram Cardinali Ludovico Madrutio utriusque partis selecti viri. Ex Ordine Prædicatorum Reverendissimus P. Generalis, cum Procuratore Generali, nec non P. M. Didacus Alvares, & P. M. Raphaël à Ripa: ex Societate verò Reverendus P. Præpositus Generalis, cum Reverendo P. Michaële Vasques, necnon Christophorus Cobos, & Petrus Arrubal. Summi Pontificis mentem brevi sermone exposuit Cardinalis Madrutius; dolorem ex enatis auctisque in dies controversiis præconceptum; ardentissimum componendæ pacis studium; antiquæ doctrinæ sanciendæ desiderium. Addidit duriorum remediorum interminationem, nisi amicâ collatione, dissidia in causâ fidei suborta componerentur. Tum demùm Generali Ordinis Prædicatorum innuit, ut diceret.

Respondit Reverendissimus Pater, nihil sibi totique Ordini suo cum universa Societate, sed cum Ludovico Molinâ, ejusque doctrinæ defensoribus; contra quos Hispaniæ Provincia coram Inquisitoribus expostulaverat: nec se quidem satis existimare, Societatem universam unius hujus Viri doctrinæ mancipari, eamve ex condicto tueri velle. Illius examen institui rogavit, an posset aliquo probabilitatis jure defendi: seque totumque Ordinem suum judicio obsecuturum spopondit. Subjunxit, Prædicatores tenendæ S. Thomæ doctrinæ adstrictos, nullam cum Societate concordiam habituros, nisi eandem illam tueri omninò vellent.

Reposuit Societatis Generalis, privatam Molinæ causam à suis minimè defendi, sed

ſed deputatorum Cenſorum judicio permitti; inquirendum maximè, an auxilium Divinæ gratiæ phyſicè vel moraliter prædeterminaret voluntatem; aliàs fruſtra Molinæ Librum damnatum iri; univerſam demum Societatem S. Thomæ doctrinam per omnia tueri velle ac defendere.

Dixit tertio loco Procurator Generalis Ordinis Prædicatorum, litem contra Molinæ Librum ejuſque defenſores inſtructam eſſe; fruſtraque tot illa diverticula tentari, ad Controverſiæ ſtatum immutandum.

Subjunxit P. Michael Vaſques, controverſiam in hoc ſtare: *An auxilium efficax Divinæ Gratiæ phyſicum eſſet, taliterque voluntatem prædeterminaret, ut non maneret in libero arbitrio facultas ſive potentia ad reſiſtendum motioni divinæ, ſi vellet?*

Id oppidò falſum conteſtatus eſt Alvareſius: cùm nemo unquam ſublatam reſiſtendi potentiam in Schola Thomiſtica propugnaſſet. Addidit Molinam, cujus occaſione mota lis erat, nullum planè auxilium efficax admiſiſſe, quod à Deo ipſo independenter à liberi arbitrii cooperatione, efficaciam obtineret, idque propterea tanquam controverſiæ caput primò eliquandum eſſe: tum ſubinde diſcutiendum, phyſicane, an moralis efficacia illa dicenda veniat. Siquidem doctrinæ ratio poſtulabat, ut priùs an res ipſa ſit, quàm qualis ſit, inquireretur.

Ultimo loco dixit Chriſtophorus Cobos, in Prædicatoribus æquè ac in Molina propoſitiones Cenſurâ dignas obſervari; ac propterea in utroſque æquo jure agendum.

Collationem abſolvit Cardinalis Madrutius. Juſſit utriuſque Ordinis Generali, ut ad proximè futuram Congregationem ſequenti hebdomadâ celebrandam, eas de Divinæ Gratiæ efficaciâ propoſitiones afferret, quas uti certas haberet; quò mutuâ collatione detegi poſſet, quâ potiſſimùm parte diſſentirent.

Die 28. Februarii 1599. ad ſecundam Congregationem, eamdemque ſecundam collationem partium convenerunt apud Cardinalem Madrutium prælaudati Patres.

R. P. Generalis Ordinis Prædicatorum ſex Molinæ propoſitiones expoſuit; quibus cæteræ planè omnes ab Hiſpaniæ Provincia Inquiſitioni delatæ, veluti fundamentis nitebantur. Has Ordinis ſui Theologis erroneas videri dixit. Tum converſo ſermone ad Patres Societatis, " Videant, inquit, Patres Jeſuitæ qui hìc adſunt, an eas veluti probabiles admittant, in totum, aut in partem, nec ne. Quia ſi eis cenſura noſtra bona videtur, convenimus, & in communi omnium conſenſu doctrina P. Molinæ cenſurabitur. Si verò quædam ex prædictis propoſitionibus eis defendi poſſe videntur, mentem ſuam aperiant; quia parati veniunt Patres Ordinis mei hìc præſentes ad eas argumentis impugnandas. Ex ſolutionibus verò quas Patres Jeſuitæ adhibebunt, & ex inſtantiis quas deputati Ordinis mei facient, conſtabit veritas aut falſitas, & periculum doctrinæ Patris Ludovici Molinæ. Et ſic implebitur ſuæ Sanctitatis deſiderium, quo flagrat ad utriuſque Religionis concordiam". Subjunxit, Theologos ſuos totius Ordinis nomine in hiſce collationibus reſpondere non poſſe; ſententiam tamen uti privatos viros interim prolaturos, donec Provinciarum ſuffragia excepiſſet, ſicut Patres Societatis exceperant.

De hiſce Molinæ propoſitionibus ſententiam dicere detrectarunt Societatis Theologi; ejuſque cauſam dimiſſam omninò voluerunt.

Reſponderunt Prædicatores, litem in Molinam dumtaxat, ejuſve defenſores inſtructam eſſe.

Subjunxit Societatis Præpoſitus, propoſitiones æquè cenſurâ dignas in Banneſio, à ſuis jam pridem notatas fuiſſe; paratumque ſe de Molinæ doctrinâ ſententiam dicere, cùm primùm de iis ſententiam ipſi dixiſſent.

Reſpondit Prædicatorum Generalis, Molinam contra Banneſium ex invidia dumtaxat expoſtulaſſe; dum ſe ab illo ejuſque diſcipulis coram fidei Quæſitoribus accuſatum audivit; adeoque finiendam priùs Molinæ cauſam, quæ non modò ſub Judice pendebat, ſed & ſecreto judicio prædamnata erat; quàm de Banneſio, præpoſterâ accuſatione petito ageretur.

Addidit ejuſdem Ordinis Procurator, Prædicatores contra Molinam Actores jam pridem ſtetiſſe; accuſationem ab Eccleſiâ receptam eſſe, ac tractari cœptam; nullaque prorſus jura ferre, ut eâ necdum judicatâ, reciprocæ atque, ut ita dicam, recriminatoriæ accuſationis capita judicarentur. Subjunxit demum eas meras eſſe Jeſuitarum artes, quibus & moras nectere, & Molinæ in jus vocati conditionem immutare ſatagebant.

Ultimò tandem definitum eſt, Cardinalem Madrutium contentiones illas Summo Pontifici relatûrum; ut quid facto eſſet opus, utrique parti præſcriberet.

Die 4. Martii 1599. habita eſt Congregatio tertia Cardinalium Inquiſitorum generalium,

neralium coram Sanctissimo. Retulit Cardinalis Madrutius quæ in superioribus Congregationibus contigissent. Dedit Beatissimus Pater duos alios collationis Arbitros, Cardinales Bernerium & Bellarminum, qui unà cum Madrutio colloquii capita præfigerent; eaque perpendi jussit, quæ contra Molinam, in Apologia Prædicatorum Hispaniæ, objecta fuerant.

His ita constitutis, Cardinalis Madrutius ex ea FF. Prædicatorum Apologiâ octo propositiones desumsit, utrique parti proponendas; ut & Molinæ doctrina discuteretur, & quid utraque pars de gratia sentiret, aperiretur. Has Cardinalibus Asculano & Bellarmino tradi jussit ambo-rum Ordinum Generalibus communicandas; ut responsa sua ad proximè futuram Congregationem pararent.

QUÆSTIO I.

„ Utrùm ante bonum usum liberi arbitrii, „ quem ex innata libertate homo habiturus „ est, ut disponatur ad justificationem, aut „ ad vitam æternam perveniat, ponenda sit „ in Deo Prædestinatio & præscientia?

QUÆSTIO II.

„ Utrùm si ponatur talis Prædestinatio „ vel Præscientia, nulla homini libertas arbi- „ trii relinquatur in actionibus quibus ad „ justificationem disponitur, aut ad vitam „ æternam?

QUÆSTIO III.

„ Utrùm Divina prædefinitio & Præde- „ stinatio sit efficiens, mediantibus efficaci- „ bus Divinæ Gratiæ auxiliis, de se & ut „ sunt à Deo, actuum humanorum qui ad „ justificationem sunt necessarii?

QUÆSTIO IV.

„ Utrùm aliqua auxilia sint de se efficacia „ ad efficiendum quod liberum arbitrium „ consentiat: an verò ab ipso libero arbitrio, „ pro sua solâ & innata libertate, hujusmo- „ di auxilia gratiæ efficacia vel inefficacia „ reddantur?

QUÆSTIO V.

„ Utrùm Divina Prædestinatio sit diminuta, „ in effectibus seu mediis necessariis „ ad justificationem & salutem?

QUÆSTIO VI.

„ Utrùm Prædestinatio se efficienter ex- „ tendat, tamquam ad effectum, ad illum „ bonum usum liberi arbitrii quem homo „ prædestinatus habet, dum auxiliis præ- „ venientis Gratiæ se applicat, illis benè uten- „ do?

QUÆSTIO VII.

„ An potiùs talis usus sit dumtaxat præ- „ scitus à Deo, non autem prædestinatus „ aut prædefinitus?

QUÆSTIO VIII.

Utrùm talis usus præscitus sit ratio Prædestinationis? “

Die 29. Martii 1599. ad quartam Congregationem, quæ tertia partium collatio fuit, convenerunt coram tribus Arbitris, utriusque Ordinis Generales, ac Theologi. Protinùs arrepto proponendi jure Cardinalis Bellarminus sex Quæstiones agitandas obtulit ab iis longè diversas, quæ ad ambas partes nudiustertiùs transmissæ fuerant; voluitque ad illas omnino responderi.

QUÆSTIO I.

An sit necessaria intrinseca Dei & phy- “ sica Prædeterminatio, ut liberum hominis “ arbitrium operationem liberam moraliter “ bonam eliciat? “

QUÆSTIO II.

An similiter, cùm liberum hominis ar- “ bitrium actionem moraliter malam efficit, “ physicè prædeterminetur à Deo ad ejus “ realem & specificam entitatem? “

QUÆSTIO III.

An Gratia præveniens, à sufficienti di- “ stincta, à se sola sit efficax, ejusque effi- “ cacia posita sit in physica voluntatis Præ- “ determinatione, cui humana voluntas in “ sensu composito dissentire non possit: an “ verò in interiori & congruâ Dei vocatione, “ præsertim ex S. Augustini sententia? “

QUÆSTIO IV.

An Gratia sufficiens sit auxilium Dei “ extrinsecum, an potiùs homini intrinse- “ cum & completè sufficiens ex parte “ actus primi antecedentis, sine alia physica “ Prædeterminatione? “

QUÆSTIO V.

An Deus non solùm cognoscat infallibi- “ liter omnia, & contingentia quæ futura “ sunt; sed etiam quæ futura essent, his il- “ lisve positis conditionibus. “

QUÆSTIO VI.

An in potentia formaliter liberâ neces- “ saria sit indifferentia, quæ positis omnibus “ prærequisitis, ex parte principii antece- “ dentis, possit in sensu composito non ope- “ rari aut aliter operari?

Statim atque novas quæstiones proponi Prædicatores audierunt, iis silentio prætermissis ad quam jussu Cardinalis Madrutii responsionem paraverant, sinistrum aliquid suspicati sunt, totumque illud à Cardinali Bellarmino concordi Jesuitarum voluntate tentatum existimarunt; ut misso Molinianæ doctrinæ examine, nova lis moveretur, in qua non jam actores Prædicatores essent, sed pari cum Jesuitis conditione, in jus vocarentur. Hæc mutuæ Bellarminum inter & Jesuitas concordiæ sus-

suspicio in constantem ac certam fidem evasit, dum dato Prædicatoribus earumdem Propositionum exemplari, Madrutio innuenti ut & aliud exemplar Jesuitis traderetur, responderunt imprudentes se jam illarum exemplar in sinu ferre. Id scilicet argumento fuit, quæstiones illas à Bellarmino & Jesuitis ex condicto in antecessum aptatas esse, ut & novam litem instruerent, & Prædicatores improvisos extemporaneis responsionibus implicarent.

Excanduit, manifestatâ Jesuitarum arte, Cardinalis Bernerius. Noluit Prædicatorum Generalis intempestivis Bellarmini quæstionibus ex tempore responderi; sed iis potiùs quas ante dies aliquot, antiquitatis ac Præfecturæ jure, Cardinalis Madrutius utrisque Theologis Responsa sua paraturis dari jusserat. Noluit neglectâ Molinæ causâ novam instrui litem, quâ Prædicatores & Jesuitæ æqua sorte de doctrina contenderent; quanquam & illam ordine suo subindè tractari ac definiri minimè detrectaret.

Instarunt Jesuitæ ut ad Bellarmini quæstiones Prædicatores responderent; seque postmodùm ad eas responsuros quas Madrutius paulò ante transmiserat. His auditis, auctæ hinc inde coitiones, nec sine murmure soluta collatio est.

Die 15. Aprilis anni 1599. habita est Congregatio quinta Cardinalium Inquisitorum generalium, coram Clemente VIII. Superioris Congregationis difficultates retulit Cardinalis Madrutius. Sanxit Sanctissimus Pontifex agendum summo jure, ad Molinæ causam eliquandam, missisque quæstionibus à Cardinali Bellarmino propositis, adigendos Jesuitas ut ad eas responderent, quas Cardinalis Madrutius designaverat.

Sanctissimi voluntatem sequenti die Partibus denuntiavit Cardinalis ille, jussitque ut ad octo quæstiones nuperrimè transmissas scripto responderent. Pontificiis jussis quantociùs obtemperarunt, sequentibus responsionibus scripto datis.

Responsiones FF. Prædicatorum ad 8. Quæstiones Cardinalis Madrutii.

„ AD I. Respondetur, ante bonum usum „ liberi arbitrii, quem ex innata liber- „ tate arbitrii, efficaciter tamen à Deo gra- „ tuito auxilio ad hoc excitati & moti, „ homo habiturus est, ut disponatur ad ju- „ stificationem, & ad vitam æternam per- „ veniat, omnino ponenda est in Deo præ- „ destinatio ac præscientia.

Ad II. Resp. His in Deo positis, per- " fectissimè in homine relinquitur libertas ar- " bitrii in actionibus quibus ad justificatio- " nem disponitur, aut ad vitam æternam " pervenit; cùm etiam ex Divina Præde- " stinatione libertas arbitrii maximè perfi- " ciatur. "

Ad III. Resp. Divina prædefinitio & " prædestinatio est efficiens causa huma- " norum actuum qui sunt ad Justificatio- " nem necessarii, mediantibus efficacibus " Divinæ Gratiæ auxiliis, quæ de se & ut " sunt à Deo, salvâ penitus dictorum hu- " manorum actuum libertate, efficacia sunt. "

Ad IV. Resp. Divina hæc auxilia ita " à se, & ut sunt à Deo, efficaciam habent " ad efficiendum quod liberum arbitrium, " integrâ ipsius manente libertate, consen- " tiat, ut nulla ratione ab ipso libero arbi- " trio, pro sua innatâ libertate illam trahat. " Ex libertate tamen arbitrii est, quòd ali- " qua Divinæ Gratiæ auxilia effectum non " sortiantur. "

Ad V. Resp. Divina prædestinatio cau- " sa perfectissima est effectuum seu medio- " rum, quæ necessaria sunt ad Justificatio- " nem & salutem. "

Ad VI. Resp. Divina prædestinatio ad " illum bonum usum, tanquam ad suum ef- " fectum proprium, se extendit. "

Ad VII. Resp. Nedum talis bonus usus " à Deo est præscitus, sed etiam prædesti- " natus atque prædefinitus. "

Ad VIII. Resp. Cùm talis bonus usus " sit Divinæ prædestinationis effectus, ip- " sius ratio esse non potest. "

Responsiones PP. Societatis ad easdem 8. Quæstiones Cardinalis Madrutii.

AD I. Resp. Ponenda est in Deo præ- " destinatio & præscientia ante bo- " num usum liberi arbitrii, quem etsi prin- " cipaliter & potissimùm homo habiturus " est, tamen quando liberè concurrit (quod " negari non potest) certum est minùs præ- " cipuè ex innatâ libertate operari ut dis- " ponatur ad justificationem, aut ad vitam " æternam perveniat. "

Ad II. Resp. Si ponatur talis præscien- " tia & prædestinatio, homini libertas ar- " bitrii ad prædictas actiones relinquitur: " nec de hoc dubitari potest. "

Ad III. Resp. Divina prædestinatio est " causa efficiens actuum humanorum qui " ad justificationem sunt necessarii, medianti- " bus Divinæ Gratiæ auxiliis, efficacibus qui- " dem ut sunt à Deo, atque ita de se, ut non " excludatur respectus ad liberum arbitrium. "

» Ad IV. Resp. Aliqua auxilia Gratiæ » sunt prædicto modo de se efficacia ad efficiendum ut liberum arbitrium consentiat. Et quamvis à libero arbitrio pro sola sua & innata libertate interdum non efficacia reddantur; tamen sicut à se solis, & sine aliquo respectu ad liberum arbitrium efficacia non sunt, ità nec à sola & innatâ libertate efficacia sunt; sed potissimùm à Deo & ex se, minùs verò præcipuè ex respectu ad liberum arbitrium, quem gratia, ut voluntati congrua, comprehendit.

» Ad V. Resp. Non est diminuta, sed perfectissima.

» Ad VI. Resp. Sine dubio se extendit.

» Ad VII. Resp. Non modo est præscitus, sed etiam prædestinatus.

» Ad VIII. Resp. Talis bonus usus præscitus non est ratio prædestinationis.

Die 23. Aprilis 1599. habita est Congregatio sexta Cardinalium Inquisitorum Generalium coram Clemente VIII. Exhibuit Cardinalis Madrutius datas sibi utriusque Partis responsiones. Cùm autem in septimæ quæstionis expositione Jesuitæ dixissent, bonum usum liberi arbitrii non modò præscitum, sed & prædestinatum esse; nec tamen de ejusdem prædefinitione quidquam addidissent, jussit Beatissimus Pater ut huic etiam difficultati satisfacerent.

De hoc igitur à Cardinali Madrutio sequenti die interrogati, ita scripto responderunt

PP. Societatis.

» Si vox prædefinitionis in quæstionibus nobis propositis, pro Divina Prædestinatione accipiatur, uti accipi videtur; quæ de Divina Prædestinatione diximus, intelligenda erant de Divina prædefinitione, videlicet eam esse efficientem causam actuum humanorum qui ad justificationem sunt necessarii, & boni usus liberi arbitrii ex prædestinatione ortum habentis. Si verò prædefinitio accipiatur pro physicâ prædeterminatione voluntatis ad illos actus; quemadmodum hanc physicam prædeterminationem censemus à divinis literis, à Sacris Conciliis, à Sanctis Patribus, ac præsertim à S. Augustino, ab antiquis Scholasticis, à Philosophis, ac potissimùm à S. Thoma, atque à sacra doctrina esse prorsùs alienam; ita de physica prædefinitione, idem omnino existimamus.

Interrogati subindè FF. Prædicatores, qua ratione particulam illam *Prædefinitus* addidissent, in hunc modum responderunt.

PP. Prædicatores.

Cùm vox Prædefinitionis voci Prædestinationis in propositis quæstionibus adjecta fuisset, eam respondentes jure addendam putavimus, ut non modò efficax Dei Prædestinatio hominem in vitam æternam ordinans & perducens significaretur, sed etiam media efficacia quibus homo ille vitam ipsam consequitur, prædefinita ante præcognitum nostrum arbitrii bonum usum futurum ostenderentur. Utrum verò media hæc ita prædefinita, sint tantùm ex parte objecti, quæ aliqui moralia appellant; an etiam interiùs à Deo immissa, & ex parte potentiæ, quæ nonnulli physica dicunt, stabilitâ priùs efficaciâ Gratiæ in ratione causæ moventis, nullatenus à liberi arbitrii consensu dependente, sensum nostrum, cùm nobis fuerit demandatum, manifestabimus: quem ostendemus consentaneum omninò sacris Literis, Patribus, ac potissimùm Sanctis Augustino & Thomæ. «

Præter hæc, nonnulla Prædicatores animadverterunt in Patrum Societatis Responsionibus. Cùm enim ad partem adversam scripta vicissim transmissa fuissent, nihil quidem Jesuitæ in Prædicatorum Responsionibus minùs explicatum observarunt; sed isti è contra eorum Responsiones sequenti Censurâ notarunt.

Censura FF. Prædicatorum circa Responsiones Patrum Societatis.

CIRCA I. Fatemur, ponendam esse in Deo Præscientiam & Prædestinationem ante bonum usum liberi arbitrii, respectu actuum quibus homo disponitur ad justificationem, aut ad vitam æternam pervenit: & talem bonum usum homo habet ex efficaci auxilio Gratiæ; & ad ipsum liberè omninò concurrit, ut causa secunda & proxima, mota efficienter à prima. «

CIRCA II. Acceptamus ipsam, addentes ex Divinâ Prædestinatione arbitrii humani libertatem mirum in modum perfici. «

CIRCA III. Advertimus, quòd quandò dicitur, auxilia Gratiæ esse quidem efficacia ut sunt à Deo, atque ita de se, ut non excludatur respectus ad liberum arbitrium; hoc potest dupliciter intelligi: Primò, ut auxilium de se efficax includat respectum ad consensum futurum nostri arbitrii, tanquam causæ efficientis ad suum effectum; & in isto sensu verissimum est: Secundò, ita ut auxilium de se efficax includat respectum ad talem consensum, tanquam ad aliquid, à quo pendeat efficacia auxilii, ad movendum ipsum liberum arbitrium;

„ bitrium; & sic falsum esse existimamus.
„ Circa IV. In eo quod dicunt, esse „ aliqua auxilia gratiæ de se efficacia ad „ efficiendum ut liberum arbitrium consen„ tiat, convenimus, modo circa præceden„ tem propositionem explicato. In eo verò „ quod asserunt, aliqua auxilia gratiæ à „ libero arbitrio, pro sua solâ & innata liber„ tate, interdum reddi inefficacia; si sermo „ fiat de auxiliis gratiæ sufficientis, propriè „ loquendo dicimus minimè reddi ineffica„ cia, sed ex libero arbitrio ponente obicem „ fit, ut non consequatur effectum illum, „ ad quem in genere suo disponebat. At si „ loquamur de auxiliis efficacibus, quibus „ movetur homo à Deo in instanti justifi„ cationis; dicimus hæc duo simul vera esse „ non posse, quod v. g. Spiritus Sanctus „ aliquem moveat ad actum charitatis & „ contritionis, & quod ipse in tales actus li„ berè non exeat. Ac subinde nunquam con„ tingit, quòd homo reddat inefficax auxi„ lium, quod de se, & ut venit à Deo, est „ efficax. Quod verò demum dicunt, de „ respectu illo gratiæ efficacis ad liberum „ arbitrium, satis circa tertiam propositio„ nem diximus.

CAPUT SEXTUM.

Quid septimâ & octavâ Congregatione, ac deinceps scripto tractatum, ad emungendam è Patribus Societatis scholæ suæ sententiam.

Die 6. Maii 1599. habita est Congregatio septima Cardinalium Inquisitorum Generalium, coram Clemente VIII. Exposuit Cardinalis Madrutius novas Censuras, seu observationes FF. Prædicatorum super Jesuitarum Responsionibus. Præcepit sanctissimus Pontifex, ut Societatis Theologi mentem suam clariùs aperirent; quò tandem dignosceretur, quibus in capitibus circa datas responsiones utrique differrent, aut convenirent.

Eam Clementis VIII. voluntatem utrique parti denunciavit Cardinalis Madrutius, transmisso sequenti scripto.

Scriptum Cardinalis Madrutii.

„ Primò, liberum arbitrium ad actus qui„ bus ad justificationem disponitur, & in „ vitam æternam pervenit, concurrit ex in„ natâ libertate, ut causa secunda & proxi„ ma mota à primo efficacis gratiæ auxi„ lio.

„ Secundò, auxilia gratiæ divinæ effica„ cia, ut sunt à Deo & ex se, includunt res„ pectum ad consensum futurum liberi arbitrii tanquam causæ efficientis ad suum « effectum, non verò tanquam ad aliquid « ex quo pendeat efficacia auxilii ad moven- « dum ipsum liberum arbitrium. «

Tertiò, auxilia gratiæ sufficientia in « hoc sensu redduntur à libero arbitrio in- « efficacia, quòd ponente homine obicem « per liberum arbitrium, non consequuntur « illum effectum ad quem in suo genere dis- « ponebant; nunquam tamen quod reddat « inefficacia illa auxilia, quibus movetur à « Deo in instanti justificationis, cum ex se « & ut veniunt à Deo sint efficacia. «

Hæc videntur in Patrum Prædicatorum « secundis Responsionibus asserta: circa quæ « non constat, in quibus Patres Societatis « consentiant, vel dissentiant. Unde illum « fuit expedire, ut sensus & sententia utriul- « que partis, per partium congressum dis- « cutiatur. «

Die 16. Maii 1599. ad octavam Congregationem, quæ quarta Partium collatio fuit, convenerunt coram Cardinalibus Arbitris, utriusque Ordinis Viri, absente tamen Societatis Generali. Interrogati Jesuitæ, An in tribus mox designatis articulis cum Prædicatoribus convenirent, sequentes propositiones unà cum illis admiserunt: quas propterea ab uno utriusque Ordinis Theologo, scripto excipi jussit Cardinalis Madrutius.

Propositiones ab utraque parte admissæ.

Prima. "Fatemur auxilium prævenien- « tis gratiæ efficacis, per quod Deus facit « ut homo convertatur & piè operetur. «

Secunda. " Hoc auxilium est donum « Dei particulare distinctum à sufficiente. «

Tertia. Est intrinsecum tam intellectui « quàm voluntati, consistens in utriusque « excitatione atque inspiratione, illumina- « tione intellectus, atque motione volun- « tatis. «

Quarta. Est supernaturale & interiùs « immissum à Deo. «

Quinta. Non solùm se tenet ex parte « objecti, sed etiam ex parte potentiæ. «

Sexta. Fatemur hanc motionem esse « realem, & antecedentem applicationem « voluntatis, moventem & inclinantem vo- « luntatem ad aliquem actum determina- « tum. «

Septima. Posito auxilio prævenientis « gratiæ efficacis, infallibiliter homo con- « vertitur. «

His summâ utriusque Partis consensione admissis, ne sub speciosis gratiæ efficacis & infallibiliter moventis nominibus, aliqua lateret æquivocatio (siquidem grandia illa nomina Molinæ non displicuerant, qui &

 effica-

efficaciam ex arbitrii consensu, & infallibilitatem ex Scientiæ-Mediæ directione suspenderat) quærendum videbatur, An efficacia illa tota esset à Deo, an partim à libero arbitrio; verùm instantibus Jesuitis, agendum fuit de modo quo efficaciam illam & infallibilitatem Gratia sortitur. Propugnarunt Prædicatores, *Quòd Deus non solùm moraliter, sed etiam ut causa prima supernaturalis, per tale auxilium prædeterminat physice, seu propriè efficienter, voluntatem ad actus supernaturales, juxta modum ipsius voluntatis: & quod posito tali auxilio efficaci ex parte Dei, infallibiliter sequitur operatio libera humani arbitrii.* Nec tamen unquam adduci Jesuitæ potuerunt, ut hac in parte propriam mentem aperirent. Quare cùm statuissent Domini Cardinales, rem per otium scripto eliquandam, collatio soluta est.

Die mensis ejusdem 20. ut eo Dominorum Cardinalium statuto obsequerentur Patres Societatis, sequens scriptum Card. Madrutio tradiderunt.

Scriptum Patrum Societatis circa modum efficaciæ divinæ gratiæ.

» SEquentes propositiones, quibus Patres » Prædicatores ad primam quæstionem » de efficacia divinæ gratiæ respondent, à » nostra sententia discrepare putamus.

» Prima. Efficacia auxilii prævenientis » consistit in qualitate, seu motione, quæ » physicè prædeterminat voluntatem ad con» sensum.

» Secunda. Hæc motio seu qualitas talis » est, ut cum ejus entitate liberæ volunta» tis dissensus conjungi non possit.

» Tertia. Præter vitales excitationes & » inspirationes, quibus Deus intellectum illu» minat, ac voluntatem inclinando ac per» suadendo movet, quæ ad vocationem re» vocantur; necessaria est alia motio physica » & non vitalis, quæ à solo Deo fit, & di» stincta est à gratia concomitante, in qua » posita est per se efficacia divini auxilii; » non verò per se in Dei vocatione, & vi» talibus illis excitationibus quæ ad eam » revocantur.

» Quarta. Hæc physica motio ac præde» terminatio necessaria est, cùm propter in» differentiam liberi arbitrii hominis, tùm » propter subordinationem causæ secundæ, » quæ operari non potest, nisi sit efficaciter » à prima determinata.

» Quinta. Eadem motio physica præde» terminans, est ultimum actus primi com» plementum, ad usum gratiæ sufficientis prorsus necessarium; quod tamen Deus, « ante omnem operum prævisionem omni« bus illis vult denegare, quibus illud reipsa « non confert. «

Has propositiones plerosque Patres Præ« dicatores affirmare existimamus: has verò « non affirmandas putamus. «

Die ejusdem 21. suam Prædicatores sententiam hoc de argumento proposuerunt, oblato sequenti scripto.

Scriptum FF. Prædicatorum circa modum efficaciæ divinæ gratiæ.

PRimò. Efficacia divinæ gratiæ ad « actus supernaturales moventis, non con« sistit in sola motione se tenente ex parte « proponentis objectum per modum suaden« tis, quæ ab aliquibus dicitur motio mo« ralis; sed potissimè in motione intrinseca « & reali, se tenente ex parte potentiæ, per « modum agentis seu perficientis; quæ ab « aliis dicitur motio physica, seu ad modum « causæ physicæ, cum qua salvatur perfectè « arbitrii nostri libertas. Et hæc efficacia « nullam ex parte hominis exspectat aut sup« ponit congruitatem, sed omnem cum om« nibus circumstantiis causat. Et hanc sen« tentiam arbitramur consonam sacris Literis, « Conciliis ac Patribus, potissimùm SS. Au« gustino & Thomæ. «

Secundò. Efficacia hæc pendet ab æ« terno & absoluto Dei voluntatis decreto, « prædeterminantis in particulari, ante præ« visionem boni usus liberi arbitrii futuri, « actus illos quibus homo ad Deum conver« titur, justificatur, & ad vitam æternam « pervenit. «

Tertiò. Æternum hoc atque absolutum « suæ voluntatis decretum Deus exsecutio« ni mandat in tempore, dum per auxilium « efficax seu realem influxum in voluntate « receptum, ipsam voluntatem tanquam pri« ma causa determinat, juxta modum suæ « naturæ, ut liberè, infallibiliter tamen, se« ipsam tanquam causa secunda & proxima « determinet ad operandum, & operetur. «

Quartò. Hoc itaque modo determinata « voluntas, non manet omninò indifferens « ad actum, licet plenissimè quoad poten« tiam. Unde, stante prædictâ Dei efficaci « motione, implicat in sensu composito « quòd voluntas dissentiat, licet semper pos« sit, si velit, dissentire. «

Duobus illis Scriptis ad partem adversam vicissim transmissis à Cardinali Madrutio, nihil in Prædicatorum doctrinæ expositione minùs explicatum invenerunt Jesuitæ. At non ita Prædicatores de Jesui-

tarum

tarum Scripto judicarunt: contra quod sic in oppositum expostulavere.

Petitio FF. Prædicatorum.

„ Cùm ab Ill. & Rev. DD. Cardinalibus, „ in ultima Congregatione demandatum fue„ rit Patribus Societatis & Nobis, ut circa „ efficaciam divinæ gratiæ, ejusque modum, „ quid utraque Pars sentiret, per proposi„ tiones explicaret: Nos, ut par est, obe„ dientes sensum nostrum claris apertisque „ propositionibus affirmativis patefecimus. „ Quare petimus ut etiam Patres Societatis „ pari modo per propositiones affirmativas „ sententiam suam circa efficaciam & effi„ caciæ modum clarè & distinctè explicent. „ Nam in ultimis propositionibus quas at„ tulerunt, non quid ipsi sentiant dicunt, „ sed quid non sentiant.

Novis itaque Cardinalis Madrutii jussis obsecuti Jesuitæ post tot illos circuitus, sequentes propositiones aliquantulum explicatiores porrexerunt die 28. Maii 1599.

Scriptum Jesuitarum.

„ Cùm in proximè præcedenti Congre„ gatione, omnium consensu constituta es„ sent nonnulla, quæ circa efficaciam gra„ tiæ prævenientis apertissima sunt, nec ta„ men circa modum determinationis volun„ tatis per eandem gratiam, & distinctio„ nem auxilii efficacis & sufficientis, con„ stitisset qua in re esset dissentio; Ill. Car„ dinalis Madrutius utrique Parti præcepit, „ ut proponeret ea in quibus unaquæque „ putaret esse discrepantiam; ut tandem ex „ responsionibus utriusque Partis dissentio „ constaret.

„ Idcircò nos ex libris, scriptis, ac the„ sibus in Hispania & Romæ editis, colle„ gimus quinque propositiones, in quibus „ PP. Prædicatores à nostra sententia discre„ pare putamus; ad quas cupimus ut ipsi „ respondeant, an scilicet aut omninò aut „ aliqua ex parte eas pro suis agnoscant, „ an è contra rejiciant. Nos enim eadem „ ratione ad eas respondebimus, quæ fue„ runt nobis tanquam nostræ propositæ. „ Atque ita de his in quibus dissentimus fa„ ciliùs constabit: neque necesse erit in ipso „ congressu tempus consumere in elicien„ dis ex scriptis utriusque sententiæ propo„ sitionibus, de quibus inter nos minimè „ convenire videtur.

Propositiones quibus circa primam quæstionem, de efficacia gratiæ, nostra sententia continetur.

„ Prima. Ad pietatis opera, quibus ho„ mo disponitur ad justificationem, ne- cessarium est auxilium prævenientis gra- „ tiæ efficacis; per quod Deus facit ut ho- „ mo convertatur, & piè operetur. Quod „ quidem auxilium est internum, à Deo „ immissum, voluntatique & intellectui in- „ trinsecum, & donum peculiare distinctum „ à sufficienti auxilio: nec se tenet solùm „ ex parte objecti, sed etiam ex parte po- „ tentiæ. „

Secunda. Efficacia hujus auxilii non „ consistit in qualitate aut motione quæ „ physicè prædeterminet hominis volunta- „ tem ad consensum, aut quæ talis sit na- „ turæ, ut cùm ejus entitate voluntatis „ dissensus conjungi non possit: sed consistit „ in supernaturalibus & congruis Dei ex- „ citationibus & inspirationibus, quæ ad „ vocationem debent revocari, quibus Deus „ intellectum illuminat, & voluntatem in- „ clinando & persuadendo movet, ea ratio- „ ne qua videt ei congruere ut vocantem „ non respuat. „

Tertia. Unde hæc efficacia prævenien- „ tis gratiæ, præter entitatem & vim su- „ pernaturalem quam à Deo accipit, ne- „ cessariò etiam requirit, ut tribuatur in il- „ lis circumstantiis, in quibus præcognoscit „ Deus ita aptari & congruere voluntati, „ ut si per eam præmoveatur, sit infallibi- „ liter præstitura consensum. „

Quarta. Præter hanc gratiam præve- „ nientem efficacem, quæ in prædictis vi- „ talibus Dei motionibus consistit, nulla alia, „ nec propter indifferentiam voluntatis, nec „ propter subordinationem causæ secundæ ad „ primam, requiritur motio physica distincta „ à concomitante, quæ sit ultimum actus „ primi complementum, ad usum gratiæ „ sufficientis. Est tamen necessaria gratia con- „ comitans Dei adjuvantis & cooperantis, „ qua unà cum libero arbitrio piam actio- „ nem eliciat, & simul cum Deo, ut cau- „ sâ tamen præcipuâ, ejus determinationem „ efficiat. „

Quinta. Procedit autem auxilium effi- „ cax ab æterno & absoluto Dei volunta- „ tis decreto, quo illos actus quibus homo „ convertitur, in particulari voluit ante præ- „ visionem boni usus absolutè futuri; non ta- „ men ante cognitionem boni usus præco- „ gniti futuri sub hac conditione, Si libe- „ rum arbitrium tali gratiâ talibus circum- „ stantiis moveretur. Quod æternum decre- „ tum Deus exsecutioni mandat in tempore, „ non quidem per aliquam motionem quæ „ physicè voluntatem prædeterminet, sed per „ vitales illas inspirationes & motiones volun- „ tati congruas, ut consentiat, & per gratiam „ concomitantem, modo supra exposito. „

CAPUT SEPTIMUM

De Jesuitis, quasi in domestica schola doctrinâ exponendâ minus sinceris, Prædicatores expostulant, dato scripto: cui illi scripto admodùm aculeato reponunt.

NEcdùm illam Societatis doctrinæ expositionem absolutissimam judicarunt FF. Prædicatores, in qua potissimùm controversiæ caput silentio prætermissum videbant: num scilicet tota efficacia Gratiæ à Deo foret; an verò partim à libero arbitrio, ut à causa illius efficiente, penderet? Sed nec Jesuitas in Cardinalis Madrutii jussis exponendis ac referendis satis veraces, nec in agendi ratione satis sinceros, comprobarunt. Quapropter rursus in eos expostularunt die 8. Junii 1599. brevique præmissâ superiorum Collationum historiâ, detectisque circulationibus & artibus postularunt, ut ad quæsita sincerè ac plenè Congregationi satisfacerent.

Expostulatio FF. Prædicatorum hæc fuit.

„ Negotio illo, quod PP. Prædicatores „ Provinciæ Castellæ, catholicæ doctrinæ „ retinendæ studio ac zelo commoti, agebant „ in Hispania adversùs multa contenta in Li„ bris P. Ludovici de Molina Societatis Je„ su, potissimùm in libro de CONCORDIA „ *Gratiæ & liberi arbitrii*, quæ veram sanam„ que doctrinam minimè redolere putave„ rant, ad hanc Sanctam Sedem devoluto, „ ejusdem Sanctæ Sedis judicium ac defini„ tionem cupiebamus. Quemadmodum in „ consimilibus, quæ ad ipsam tot annorum „ cursu denunciari contigit, judicare ipsa ac „ definire tantâ sui ipsius Majestate tanto„ que Christi fidelium fructu consuevit, ut „ ab ea, quæ Veritatis est Columna & om„ nium Magistra, disceremus nos, discerent „ omnes, an in præfati Molinæ doctrina „ quidpiam reperiretur, quod rejiciendum „ esset, necne?

„ Verumtamen à Sanctissimo D. N. hu„ jus rei causâ coram Ill. D. Cardinali Ma„ drutio, unà cum aliquibus Patribus So„ cietatis convenire jussi, quatenus discute„ retur, An una illorum & nostra circa „ Gratiæ efficaciam esse posset sententia; in „ prima Congregatione, quæ fuit 22. Fe„ bruarii hujus anni 1599. nobis priùs semel „ & iterum professis, non totius Prædica„ toriæ Familiæ nomine (cujus generalia „ studia & Theologi alii præcipui temporis „ opportunitate concessâ fuissent consulendi) „ sed tantùm Theologiæ Professorum qui „ in Urbe essemus, congressibus illis inter- esse; adjicientibus ac sæpè iterantibus, nec " nobis nec Fratribus Provinciæ Castellæ, " (quod hactenus intelleximus) quidquam " prorsùs negotii esse cum Societate vel " cum ejusdem Patribus, sed cum Scriptis " dumtaxat nominati Patris Molinæ, & cum " iis qui ea tueri vellent, quatenus solùm ea " in re se ipsius defensores gererent: Res" pondit Ill. Cardinalis Madrutius S. D. N. " voluntatem eò spectare, ut videretur, An " inter Patres Societatis & nos aliqua in " his quæ controverti videbantur esse pos" set consensio; scire perinde eumdem San" ctissimum, quid de Molinæ doctrinâ facto " esset opus; jamque negotium illius vel ab" solutum, vel propè diem absolvendum. " Quibus addebat R. P. Generalis, nec se " nec Patres illos suos, Molinam in omni" bus tuendum suscipere; multa enim in illo " legi quæ nec sibi placerent. Cumque mul" ta hinc inde dicerentur, fine Congregatio" ni imposito, spes aliqua elucere videba" tur ut brevi tempore constare posset, " quid consensionis, quidve dissensionis, inter " utramque Partem versaretur. Indictâ se" quenti Congregatione, primâ quadrage" simæ dominicâ, ultimâ Februarii, co" ram eodem Illustrissimo, his quæ in prio" ri dixeramus tunc etiam à nobis repeti" tis, quæ proinde toto hujus tractationis " cursu tanquam notissima haberentur, ob" tulimus quasdam propositiones quæ de " Gratiæ efficaciâ materiam omnino absol" vebant: quibus Patres Societatis dicerent, " an eas ut suas omnino, vel partim, vel nul" latenùs agnoscerent. Ita enim facilè nobis " suadebamus pium S. D. N. animum vo" ti compotem futurum; cum circa ea quæ " potissimùm controverterentur statim vi" dere esset, an convenirемus, necne? Con" trà, Patres Societatis viæ huic facillimæ " & expeditissimæ manus neutiquam dare " voluerunt; ut videlicet sensum suum nun" quam aperiendo (quod illis studium per" petuum hac in re hucusque fuisse res ipsa " docere videtur) negotium longiùs fortasse " produceretur; sed occultâ aliqua ratione " moti, aliqua proponere moliebantur quæ " punctum efficaciæ Gratiæ minimè attin" gebant. Quare, longâ concertatione de me" thodo procedendi habita, re infectâ termi" nata fuit Congregatio. "

Deinceps 29. Martii, rursus vocati co" ram Ill. D. D. Cardinalibus Madrutio, " Asculano, & Bellarmino (his duobus à " Sanctissimo D. N. conjudicibus eidem Ill. " Madrutio adjunctis) agentibus ipsis Ill. " ut convenientior adhiberetur modus, quo " voti compos Sanctissimus fieret; videretur " sci-

scilicet; an concordes in præfatâ materiâ esse possemus (siquidem sententiam nostram requirebat Pontifex & uti consultores in hoc negotio vocabat) Respondimus nos, quòd ubi causa Molinæ non agebatur, qualecunque obsequium nostrum Summo ipsi Pontifici exhibituri eramus. Quæstiones ab ipsis Ill. proponendas postulavimus, quibus libenter respondissemus. Leguntur interim nonnullæ quæstiones, quas vix considerantes, cùm ex multiplici capite non ab ipsis Ill. sed à Patribus Societatis formatas dignoſceremus, illis responsum dare abnuimus; cum ea proponere quæ definienda essent, non ad præfatos Patres, sed ad Cardinales Illustrissimos attineat.

Cùm itaque Ill. Madrutius octo propositiones ex Apologia FF. Prædicatorum Provinciæ Castellæ sapientissimè excerpsisset, in quibus primaria puncta de Gratiæ efficacia ac divina Prædestinatione contineri videbat; nos nec verbo quidem mutato, sed ipsis, formam propositionum referentibus, in quæstionum modum ejusdem Ill. assensu dumtaxat redactis, ut nos eramus responsuri, ita exspectabamus quoque Patres Societatis responsuros; tanquam quæstionibus ab Ill. Madrutio propositis. Ipsis verò non respondentibus, sed suas quasdam quæstiones in medium afferentibus, tandem demandatum illis fuit, ut quid de quæstionibus illis sentirent, enunciarent.

Quo facto; cum eorum verba varium possent admittere sensum, nos, ut quid demum absolutè sentirent aliquando innotesceret (ita enim debitam Sanctissimo obedientiam & optatam huic rei expeditionem parari videbamus) statim duplicem illorum verborum sensum aperuimus, & altero repudiato, alteri adhærentes, sperabamus citò fore, ut quem ipsi eligerent dignoſceremus. Aliter ipsis aliò spectantibus visum est, hac scilicet & illac circuire, liberè quid sentiant nullatenus enunciare, efficaciam Gratiæ totam à Deo nunquam ingenuè fateri. Ita demùm aliis ultrò citròque scriptiunculis traditis, indictâ Congregatione dominicâ ante Ascensionem 16. Maii, cum tres inter alias Ill. Madrutius circa jam oblata quæsita delegisset propositiones, in quibus minimè constabat, an esset inter nos consensio, efficaciâ ex parte Dei totâ se tenente adhuc non stabilitâ; totis pedibus transivere ipsi ad difficultatem de modo ejusdem efficaciæ, à quo etiam longiùs citissimè abeuntes, ad prædeterminationem Dei respectu nostræ voluntatis, ac de ejusdem voluntatis sub tali prædestinatione libertate, latissimus trium horarum sermo hinc inde habitus est. In quo tamen, nec verbo quidem, quid de his quæ discutiebantur ipsis aperire volentibus, ea una mens, id unum consilii propositum erat; ut à nobis aliquid vel raptim extorquere possent.

Quapropter cum neutrius Partis sensum omnino Ill. certum haberent, jusserunt ut utrique sententiam nostram circa ea præcipuè quæ tunc fuere agitata; sincerè scriptis traderemus. Quid multa? Nos; ut par erat, per sex propositiones, quid circa efficaciam Gratiæ, quid circa ejusdem modum; quid circa divinam voluntatis nostræ prædeterminationem; & ejusdem voluntatis determinationem, ac plenam in his libertatem sustineamus, manifestissimè aperuimus. Patres verò Societatis, ut nunquam sciri possit quid sentiant, non sensum suum; sed nonnulla quæ plerique, ut putant; FF. Prædicatores affirmant; in quinque propositionibus dederunt. Hæc autem quid ad mandatum Ill. Dominorum Cardinalium? Quo factum est, ut re cognitâ, impositum eis fuerit, ut quid sentirent manifestare deberent. Quod cum faciunt, seu facere parant; proemium præmittunt, in quo minùs rectè dicunt Ill. Madrutium utrique Parti præcepisse, ut ea proponeret in quibus putaretur esse discrepantia; cum solùm, quid utraque Pars sentiret, manifestari demandaverit, ut à nobis superiùs dicebatur. Eapropter, cùm ejusdem Ill. Mandatum, secùs ac factum fuerit acceperint; ex quo deinceps illationis notâ utentes, quæ priùs attulerant non inconsultò allegata suadere laborent; id gratis ab ipsis effectum, non obscurè dignoſcitur.

Dicunt profectò se ex libris, scriptis, ac thesibus in Hispaniâ & Romæ editis, quinque illas collegisse propositiones, quibus cupiunt nos responsum dare. At professi forsitan sumus nos tueri quæ FF. quisque Prædicatorum legat, scribat, dictet, & literariis congressibus exponat? Et quando id profiteremur; quid hæc faciunt ad rem de qua modò agitur? Si cupiunt sensum nostrum, an non eum claris verbis manifestavimus? Quorsum igitur aliunde ex scriptis, libris, thesibus inquirunt? Quod tamen facientes, non nostram, sed aliorum mentem indagant; quod utique in re est extra rem agere. Illi siquidem plerique, ita ab ipsis existimati FF. Prædicatores, rationem de se ipsis reddent, si quando eos vocari contigerit. Qui enim

ut

ut Sanctissimo D. N. morem geramus, actibus istis ut Consultores interfuimus, erimus fortasse ab ipsis examinandi?

Mirari quoque satis non possumus in eo quod adjiciunt, se eadem ratione ad eas propositiones responsuros, quæ fuerint ipsis tanquam suæ propositæ; cùm nos in secunda Congregatione quasdam propositiones, ex libris & scriptis Patrum Societatis, Molinæ præcipuè, excerptas, & quas publicè iidem Societatis Patres defensarunt, quæ negotii summam de quo agitur plenissimè absolvebant, obtulissemus, summo studio cum ipsis agentes ut dicerent, an tanquam suas, vel omninò vel aliqua ex parte agnoscerent, an è contra rejicerent; verè intelligentes nullam faciliorem expeditioremque adesse viam, (quod modò & ipsi fatentur) quâ optatum à Sanctissimo finem assequeremur: qui tamen id omninò tunc recusantes, nobis constantissimè adversati fuere, sæpiùs dicentes, pacem, quam ipsi ex se, & ut Sanctissimo obedirent tantopere cupiebant, hac viâ minimè adfuturam.

At reverâ eorum conatus, studia, industriam totam eò tendere credimus, ut eundem Molinam cujus se partes agere à principio negarunt, cujusque nomen ad tempus silent, ad extremum omninò, si possunt, defendant. Jam enim ipsorum unus in postrema illa Congregatione sub die 16. Maii dixit, post rerum aliquarum discussionem ad Molinam se postea redituros, in ejusque sensu patefaciendo laboraturos: ita ut, cùm nullius causa in præsenti tractari dicatur & credatur, cernere demum sit, quæ omnia Patres Societatis moliti sunt, unius Molinæ defendendi causâ egisse. Sed quid hæc ad nos, qui nullius modò causam agimus, qui nullum impugnamus, sed tantummodo uti consultores, ab Ill. nomine Sanctissimi vocati, quid in hac materiâ sentiamus, ingenuè, sincerè, & liberè dicimus?

Jam verò cum nos & propositionibus illis, circa quas congressum mutuum habendum demandaverat Ill. Cardinalis Madrutius, & his etiam de quibus tunc voce tenus actum fuit, ejusdem Illustrissimi mandato cumulatè satisfecerimus; Patres verò Societatis quinque suis ultimis propositionibus non plenè explicaverint, An tota Gratiæ efficacia à Deo veniat, an potiùs partim etiam pendeat à libero arbitrio tanquam à causa ipsius efficiente; in quo semper hujus negotii partem consistere diximus: quid circa hanc & præfatas duas propositiones sentiant, illis dicendum videtur. *f. Add. præcipuam.*

Hæc dixisse voluimus, ne nobismetipsis deesse videremur: quippe quibus sincerè incedentibus & tanquam Consultoribus una obedientiâ ductis, sententiam nostram dicentibus, nulliusque causam agentibus, aliquid unquam detrimenti accideret; cùm multa artificiosè adeò à Patribus istis in dies fieri cernamus.

Eadem ipsâ die 8. Junii 1599. Card. Madrutius eam FF. Prædicatorum expostulationem ad Patres Societatis transmisit, unà cum infrascripto mandato.

Mandatum Cardinalis Madrutii.

Cùm superiori mense tres Propositiones fuerint proposita, ad hoc ut appareret in quibus Patres Societatis à secundis PP. Prædicatorum responsionibus dissiderent: & congressu mutuo habito, occasione dictarum propositionum, quæ postea à Patribus Societatis exhibitæ fuerunt, plures moveantur difficultates & quæstiones; & Patres Prædicatores prætendant nullatenus ad ulteriora progredi, nisi priùs stabilito & sufficienter discusso dogmate de gratia efficacia, nullatenus dependente à liberi arbitrii consensu in ratione causæ moventis; Ideò Patribus Societatis injungitur, ad illas tres propositiones ita respondere, ut clara & integra possit haberi ipsorum resolutio, ad hoc ut difficultate illâ superatâ, favente Deo, ad ulteriora progredi possimus.

Eâ FF. Prædicatorum expostulatione vehementer exasperati Jesuitæ amariori stilo responderunt; ut omnem à se doli & artis suspicionem amoverent, totamque procrastinationis culpam in Actores ipsos injicerent. Quâ in re unicè occupati mandatum Cardinalis Madrutii lepidâ circulatione declinarunt, nihilque novi protulere, quo suam de efficacia gratiæ à solo Deo pendente mentem aperirent.

Responsio Patrum Societatis fuit hæc.

Optandum quidem erat ut tempus, quod scribendis narrationibus & libellis non adeo utiliter insumimus, & in disceptationibus de eligendâ controversiâ, potiùs in veritate indaganda, & re ipsa excutiendâ utiliùs insumeremus. Sed quoniam placuit Reverendis Patribus in libello oblato hactenus gesta, quasi historiam texendo, invertere contra nos, quos de artificiis & fugâ congressionis manifestè accusant; cùm contrà votis omnibus ac etiam actis illud spectaverimus, ut sine anfractibus & diverticulis rem ipsam attingentes, de eo reverâ ageremus in quo tota controversia est: nempe in quo efficacia gratiæ posita sit, quid ipsa sit, quòve à sufficienti distinguatur. Deinde suo ordine, à quo sit. Nobis etiam necessarium fuit breviter hoc scripto

„ scripto respondere : quo tamen non ad „ singula dicere, aut omnia confutare mens „ fuit, sed tantùm selectis quibusdam capi- „ tibus, quibus res præcipuè comprehendi „ videbatur, modestè & dilucidè, ut potui- „ mus, satisfacere conati sumus.

„ Circa primum quod dicunt de Censura „ Molinæ, nihil addendum videtur ad ea, „ quæ Ill. Card. Madrutius in Congregatio- „ ne non semel Patribus ipsis respondit, vi- „ delicet jam non agi de negotio Molinæ, „ nec congressum hunc ideo à sanctissimo „ Domino fuisse indictum; Censuram hujus „ Libri demandatam esse Censoribus, quan- „ do & quomodo visum fuerit expedire; „ Sanctitatem suam mandaturam quod con- „ venire judicaret; sed in hac Congregatione „ illud agendum esse, ut cum apparuerit „ quid ad efficaciam gratiæ utrique sentire- „ mus, ageretur de concordia, & ex dispu- „ tatione appareret in quibus conveniremus „ & in quibus dissentiremus. Cumque res- „ pondissent (quod in hoc scripto iterum „ asserunt) nihil prorsus negotii ipsis esse „ cum Patribus Societatis, sed cum scriptis „ dumtaxat Molinæ, & cum his qui tueri „ illa vellent; idem Ill. Dominus respondit, „ Negari non posse, inter Patres earundem „ Religionum verè esse hanc controversiam; „ quod ex literis Sanctitatis suæ ad Tribunal „ Inquisitionis Hispaniæ & Nuntium A- „ postolicum datis satis constat. Nec ipsi „ ignorant Oratorem Catholici Regis jussu „ suæ Majestatis egisse cum Sanctissimo, ut „ ad tollenda scandala, quæ in Hispania orie- „ bantur & majora oriri poterant, Sanctitas „ sua remedium adhiberet.

„ Ad id quod dicitur, Patrem Generalem „ Societatis dixisse, nec se nec suos in omni- „ bus Molinam tuendum suscipere, verissi- „ mum est. Cùm enim manifestissimè appa- „ reret, omnem conatum illorum Patrum „ eò tendere, ut de Molinæ tantùm pro- „ positionibus ageretur; & urgerent nos, „ an eam doctrinam tanquam Societatis re- „ ciperemus : responsum est, aliam esse „ controversiam, nec nos velle tanquam Re- „ ligionis, aut præcipuorum Doctorum do- „ ctrinam defendere omnes modos loquendi, „ & illationes Molinæ. Sed ubi inter nos „ constitisset de principali controversiâ, fore „ ut facilè appareret in quibus Molina à cæ- „ terorum doctrina discederet. Quod autem „ ad controversiam inter Bannem & Moli- „ nam spectat, diversa est & inter particu- „ lares Doctores; nec ea solùm continet, „ quæ ad controversiam generalem perti- „ nent, de qua nunc agitur. Et ut nos pa- „ rati sumus quidquid judicabitur non benè dictum esse à Molina, corrigere; ita spe- “ ramus nihil in illo reperiri quod sanæ do- “ ctrinæ repugnet, & quod non facilè pos- “ sit ab iis quæ adversùs illum objiciuntur, “ vindicari. “

Ad secundum quod dicunt de illis pro- “ positionibus, quæ absolvebant, ut ipsi “ dicunt, omnino materiam de efficacia gra- “ tiæ, duo satis erit respondere. Alterum, “ illas propositiones non solùm non absolvere “ totam materiam de efficacia gratiæ, sed “ ne attingere quidem difficultatem, quæ “ præcipuè est controversa. Secundum, il- “ las propositiones ferè excerptas esse ex “ Censuris ipsorum Patrum contra Molinam, “ & eos id agere, ut tandem res tota devol- “ veretur ad quæstiones Molinæ : quod alie- “ num erat à mente Sanctissimi, & institutâ “ Congregatione. Proinde non ut negotium “ produceretur, sed ut compendio quàm “ citissimè absolveretur, quæstiones extra- “ neas & à suscepto negotio alienas devitan- “ das arbitrabamur. “

Quod autem optaverimus semper, ut “ ad rem propiùs accedentes, punctum dif- “ ficultatis de efficacia gratiæ examinaremus, “ non multis verbis opus est, cùm omnia “ gesta sint coram Ill. Madrutio : nec tan- “ tùm verbis, sed scriptis & rebus ipsis vo- “ luntatem nostram, & desiderium rem per- “ ficiendi ostenderimus. Novit Illustrissi- “ mus quid voce dixerimus, optare nos ut “ Patres Dominicani aperirent suam senten- “ tiam, sicut & nos fecimus, & faciemus : sed “ multis modis declinabant; nunc quidem “ asserentes non posse se explicare senten- “ tiam Religionis, quia essent consulendi “ Doctores variarum Provinciarum; nunc “ se esse imparatos, nec posse ex tempore “ respondere; nunc inter nos non esse con- “ troversiam : & tandem apertè dixere, Se “ nolle suam sententiam aperire; non enim “ velle, ut ex Actoribus rei fierent, nec “ permittere ut examinarentur. Hæc autem “ coram omnibus gesta sunt, ipso Ill. Præ- “ side. Quæ cum ita sint, non est difficile “ judicare quis subterfugiat suam sententiam “ aperire. Meminerit etiam Ill. Madrutius “ (nec ipsi, ut opinamur, id negabunt) cùm “ ageretur de methodo tractandi, Patrem “ Generalem Societatis id proposuisse, vi- “ deri expeditissimam rationem fore, si utra- “ que pars brevi scripto comprehenderet di- “ lucidè & sine citationibus suam sententiam : “ deinde separatim contrariam sententiam “ quam improbabat : tertiò rationes, qui- “ bus contrariam minimè probaret. Id cùm “ Illustrissimo placuisset, sequenti Congre- “ gatione tria hæc scripta detulimus; & cum “

 Patres

„ Patres Prædicatores idem facere plurimis „ difficultatibus detrectarent, nos promtissimè illa Illustrissimo exhibuimus; addentes tamen & orantes, ne illis darentur nostra, si sua exhibere recusarent.

„ Quod verò sæpiùs inculcant Patres, se esse vocatos ut Consultores; vocentur quidem ita, si placet, modò tamen de sua, non de aliena sententia quæstio sit. Nam cum Illustrissimus velit ut videamus in quibus consentiamus & dissentiamus, ut inter nos possit esse consensio; hoc fieri non potest, nisi propria opinio proferatur. Sed cavent diligenter, ne rei sint vel examinentur. Nos autem facilè nostram sententiam proferimus, ut illa examinetur; & rationibus atque autoritatibus agatur, ut constet quid verius sit, magisque consonum sacris Conciliis & doctrinæ SS. Patrum.

„ Quod verò dicunt, quæstiones nonnullas propositas, formatas à nobis, ac proinde se respondere noluisse; cùm ea proponere quæ definienda essent, non ad Patres, sed ad Cardinales attineat: Respondemus nos, ut qui rei exitum brevem & pacificam expeditionem intuebamur, proposuisse illas quæstiones, quibus si responderetur, facilè de re tota judicium fieri potuisset; paratos ut semper diximus idem præstare, respondentes quæstionibus, quas ipsi proponere voluissent. Neque hoc mirum videri debet: nam cum agatur, ut id constet, in quo sit difficultas & controversia inter nos, id non potest ab aliis quàm ab ipsis partibus proponi: ab ipsis tamen Illustrissimis propositæ fuerunt, tanquam de quibus esset suscipienda disputatio. Sed rejectæ fuerunt à Patribus Dominicanis hoc nomine, ut ipsi apertè dixerunt, quia nimis strictè rem attingebant. Quod an sit hominum qui rem propiùs attingere velint, Illustrissimi ut prudentes judicabunt.

„ Est autem verum quod dicunt, primùm nos propositionibus illis non respondisse: sed non respondendi, ea tantùm & quidem justa causa fuit, quòd æquum non videbatur, cogi nos illorum propositionibus respondere, nisi ipsi etiam responderent nostris, quæ ad rem ipsam propiùs accedebant. Quare postea quam polliciti sunt, se deinde iis, quæ à nobis proponebantur satisfacturos, omnibus eorum propositionibus cumulatè satisfecimus.

„ Variis autem sensibus, quos in nostris responsionibus distinxerunt, necessarium non duximus scripto respondere: tum quia satis per se ipsæ datæ erant responsiones nostræ, & satis apparebat, quem sensum facerent; tum quia non deerat ratio suspicandi, tot ultrò citróque missas responsiones eò spectare, ut res longiùs differretur. Satius ergo duximus ab Illustrissimo Madrutio petere (quod instanter fecimus) ut Congregatio quàm primùm haberetur, in qua faciliùs ac meliùs quid utrimque dubium esset, aperiretur; & præcisis plurimis quæ nimis remota & omnino superflua videbantur, statim ad rem ipsam veniretur. Ex quo apparet utrum esset nobis alia mens, quàm ut quamprimùm res tota perageretur. Ill. Madrutius jussit nos scribere rationes, quas ad hoc afferebamus: scripsimus; probavit; Congregationem indixit; tres ad nos propositiones misit, ut in ea Congregatione constare posset, in quibus conveniremus & dissentiremus. Quid verò in ea Congregatione actum sit, dicemus puncto sexto. „

Quod verò aiunt, minùs rectè fuisse dictum, Ill. Madrutium utrique parti præcepisse, ut ea proponeret, in quibus putaretur esse discrepantia; cùm solùm manifestari demandaverit, quid utraque pars sentiret. Respondetur primò, re vera Illustrissimum id dixisse, quamvis fortè id religiosi Patres non intellexerint: sed quamvis id non dixisset expressè, apparet tamen ad finem consequendum, propter quem utriusque partis sententia exigebatur, id necessarium fuisse. Certè enim, non ob aliud id requirebatur, nisi ut examinaretur in quo conveniremus aut dissentiremus, quo posset tandem & difficultas examinari, & optata concordia obtineri. Nec id bonis Patribus grave esse debet; cum eodem scripto dixerimus, ut idem ipsi circa nostra præstarent, quod nos circa ipsorum: quo nihil æquius proponi potuit. „

Sed tanquam incommodum & alienum à subjecto negotio improbant, nos aliquot propositiones è Thesibus & scriptis Theologorum aliquot illius Religionis excerptas proposuisse; *Ac si (inquiunt) professi essemus nos tueri, quæ FF. quisque Prædicatorum legat, scribat, dictet, & literariis congressibus exponat: & quando id profiteremur, quid faciunt hæc ad rem de qua modo agitur?* Respondemus, multum per omnem modum, immò quidquid agitur extra hoc, nihil ad rem de qua modò agitur. Quasi verò aliud agatur, quàm ut inter Theologos Hispanos Ordinis Prædicatorum & Societatis nostræ, de proposita controversia, & appareat dissentio, & curetur consensus. Et certè qui hoc infirmant, totam Sanctissimi jussionem, Illustrissimorum

„ simorum Cardinalium diligentiam, eorumque præscripta deludunt & enervant. Quorsum enim isti Conventus? Quorsum disputationes, si Patres isti qui Romæ sunt, nolunt examinari doctrinam suorum Theologorum in Hispania, cum quibus tamen esse controversiam, & supra probatum est apertissimè, & in Hispania plusquam notum. Quæ si est, ut manifesta est, quorum thesis vel quorum scripta adducenda erant, nisi eorum cum quibus erat controversia? Sed videlicet id agunt, ut persistant in sua prima definitione, nullam scilicet esse controversiam inter nos, se nescire quid sentiant Theologi suæ Religionis, & hujusmodi plura, quæ hominum sunt declinantium, & conatus Sanctissimi (ut diximus) quod in se est, irritos & inanes reddentium. Quòd si admittatur quod dicunt, ut illi Theologi & Prædicatores, qui ista dicunt, reddant pro se rationem, quid frustra convenimus?

„ Cæterùm quod dicunt, se satis mirari non posse, dum offerimus responsuros nos propositionibus ab ipsis Patribus proponendis, tanquam nostris; cùm iis quas proposuerunt in secunda Congregatione respondere recusaverimus: jam supra responsum est, cùm diximus, illas omnes propositiones excerptas esse ex Censuris contra Molinam; neque ad hoc utilem esse quæstionem: quia verissimum erat, quod & ipsi referunt, pacem quæ inter nos optabatur, hac viâ minimè adfuturam. Quibus tamen postea respondimus.

„ Illud verò, quod humiliter, & bonâ cum veniâ tantorum Patrum dictum volumus, non potest non grave videri, quòd de intentione agatur; ubi dicunt gravissimis verbis, nostros conatus, studia, industriam totam, eò tendere, ut Molinam defendamus; cujus defendendi si ea fuisset mens, expeditissima erat via si propositionibus ipsis propositis responderemus, easque tueremur. Quare cum de iis agere noluissemus, id potissimum agebamus, ut contra, omissis disceptationibus de Molina, rem ipsam de qua erat controversia, attingeremus.

„ Postremò quod dicunt se cumulatè satisfecisse, & tribus propositionibus circa quas congressum habendum Illustrissimus demandaverat, & iis etiam de quibus tunc voce tenus actum fuit, hoc certè non apparet, quomodo fieri potuerit.

„ Postquam enim coram Illustrissimis convenimus, de prima propositione disputari cœptum est: & quoniam circa illam quædam scripseramus, in quibus putabamus eos à nobis non dissensuros, legimus & obtulimus describenda, v. g. dari auxilium efficax, præveniens, supernaturale, intrinsecum, tenens se non solùm ex parte objecti, sed etiam ex parte potentiæ, distinctum à sufficienti. Quibus auditis R. P. Generalis S. Dominici, Si, inquit, Molina hæc omnia concessisset, nihil planè habuissent Patres nostri in Hispaniâ quod in eo reprehenderet. Quod ultrò dabat, nos libenter accepimus, respondimusque gaudere nos, nihil contra Molinam illos habituros, si ostenderimus (quod suo loco facillimum erit) omnes illas propositiones disertis verbis à Molina concedi. Deinde ulteriùs progressa est disputatio, quæ eò spectabat, ut eliceretur quid tandem illud esset, quo auxilium efficax differret à sufficienti? Et quoniam Patres Dominicani nihil interrogabant, illud proposuimus: Utrum ratio auxilii efficacis consisteret in physica Prædeterminatione voluntatis, ut hactenus docuerunt. Dum huic propositioni respondent, tres fere horæ elabuntur: nec tamen ex eorum dictis quidquam certi colligi potuit, in quo vel à nobis differrent, vel inter se convenirent. Non enim omnes videbantur velle admittere physicam hanc Prædeterminationem, & eorum qui eam admittebant, unus affirmabat eâ tolli aliquam indifferentiam, alius negabat. Nobis autem propositum non erat, illis interrogationibus aut eos examinare, aut contra eorum dicta argumentari, sed solùm ex eorum verbis sensum aliquem colligere, aut certo aliquid statuere, de quo deinde disputare possemus. Quare cum in iis quæ ad primam eorum propositionem attinebant, (quæ erat, An sit & quid sit gratia efficax) ipsi inter se non convenirent, progredi non potuimus ad reliquas propositiones discutiendas, in quibus agebatur de causa efficaciæ, An esset tota à Deo, necne. Quod si toto congregationis tempore nihil de gratiæ efficacia, in quo sita sit, à nobis percontari voluerunt, non est perfectò cur conquerantur, nos nihil illis respondisse. Et cum ipsimet consenserint, ut disputaretur, an efficacia Gratiæ posita sit in Prædeterminatione, & ratione illius distinguatur ab auxiliorum sufficientia; cur dicunt nos totis pedibus transivisse ad difficultatem de modo efficaciæ & ab ea longiùs citissimè abeuntes, ad Prædeterminationem confugisse; cùm tamen ut dictum est, communi consensu de ea agi cœptum sit, tanquam de difficultate è re ipsa natâ, & aptissimâ ad distinguendum auxilium efficax à sufficiente.

„ Quod autem addunt, eam nobis unam „ mentem, id unum consilium propositum „ fuisse, ut ab illis aliquid vel raptim extor„ quere possemus: qua ratione dici possit, „ non videmus; siquidem non una aut altera propositio illis excidit, quæ meritò notari potuisset v.g. ad motionem gratiæ efficacis voluntatem se habere passivè, sed „ liberè; & aliæ nihil hâc meliores: quas „ tamen omnes nos non animadverti, ac liberè transire passi sumus.

„ Putamus autem, quod attinet ad efficaciam Gratiæ, & respectum ad liberum „ arbitrium, nos satis dilucidè respondisse, „ cùm scripto responderemus quartæ propositioni, ex octo propositis; in qua diximus, auxilia Gratiæ prævenientis esse efficacia potissimùm à Deo & ex se; minùs „ verò præcipuè, ex respectu ad liberum „ arbitrium, quem gratia ut voluntati congrua comprehendit. Quòd si aliquid amplius declarari desiderant, petant, & libentissimè faciemus, quod illis faciendum esset, „ circa physicam prædeterminationem; an „ in ea posita sit efficacia gratiæ: in quo est „ tota controversia. Nam plures aliæ quæstiones, vel ad rem non pertinent, vel ab „ hac unâ pendent; ita ut hac constitutâ, „ facilè cæteræ omnes judicentur.

„ Hæc autem sunt nostra artificia, nostræque molitiones, quibus per circuitus & „ anfractus quærimus subterfugere. Sed utinam satanæ astutiæ non essent hac in re „ magis omnibus pertimescendæ. Is enim ut „ pacis inimicus, dissentionum & scandalorum autor & seminator, id unum molitur, „ ut cum Ecclesiæ detrimento & hæreticorum gaudio, inter has duas Religiones contentiones & æmulationes perseverent, & „ sub specie doctrinæ & zeli scandala oriantur. Cujus conatibus absit ut nos cooperemur. Curat enim, ut quasi exasperatis „ animis, vel ex desperatione consequendæ „ unionis, vel ex amaritudine dictorum, & „ timore majoris dissentionis, res tota dissolvatur; ut eò relabamur tandem, ut Bannes Molinam, Molina Bannem, & cæteri cæteros carpant & accusent. Quod an „ sit ex mente Sanctissimi, & pro Dei gloriâ, prudentia Illustrissimorum facilè viderit. Nos certè pro bono pacis, cum veritas indagatur, nec rei dici nec examinari „ refugimus: scientes Apostolum dixisse, paratos nos semper esse debere ad satisfactionem omni poscenti nos rationem, de „ ea quæ in nobis est, fide. Et si quid minùs clarè hactenùs diximus (quod non putamus) iterum & sæpiùs voce & scripto „ explicare parati sumus, ut ad rem citiùs veniamus; modò simul curramus ad veritatem investigandam, ad gloriam & laudem Sancti Spiritus, qui est Spiritus veritatis & pacis. "

CAPUT OCTAVUM.

In emungenda Societatis Theologorum sententiâ diu allaborat Cardinalis Madrutius; Partis utriusque scriptiones excipit; ac demum absoluto mutuæ collationis examine, morti occumbit.

Societatis responsum indignè tulit Cardinalis Madrutius; quòd quæstionibus de divinæ Gratiæ efficacia, sibi ante dies aliquot designatis, studiosè dimissis, peregrina diverticula quæritassent, ut omnem à se machinationis suspicionem averterent, & in Prædicatores regererent culpam omnem. Quare ne ulla deinceps tergiversandi eis causa suppeteret, quæstiones alteras & pauciores numero, & sensu explicatiores, tum illis, tum etiam Prædicatoribus dedit, ut suam de modo efficaciæ mentem distinctiùs & eliquatiùs aperirent.

I. An tota efficacia auxilii prævenientis Gratiæ sit à Deo, tanquam à sola, totali, & propriè efficienti causa: atque ita tale auxilium dicatur & sit verè & complete efficax de se, & ut est præcisè à Deo?

II. An potiùs ista efficacia sit à Deo, & à consensu liberi arbitrii, tanquam à duabus causis propriè efficientibus? Et consequenter, an in liberi arbitrii potestate situm sit, prævenientis gratiæ auxilia reddere propriè efficacia, vel inefficacia?

III. Denique, an posito auxilio prævenientis gratiæ, verè & propriè efficaci, stet simul cum illo actualis dissensus liberi arbitrii?

Iis extemplo Prædicatores hac ipsa die responderunt, brevi atque explicatissimo rescripto, ut nihil in eorum internoscendâ sententiâ desiderari ultra posset. Fuerunt hæc illorum responsa Cardinali Madrutio scripto tradita.

Ad Quæstiones propositas ab Ill. D. Respondemus, sicut jam sæpe clarè & resolutè satisfecimus, hoc modo videlicet.

Ad I.^um Tota efficacia auxilii prævenientis divina Gratia, quæ facit ut nostrum arbitrium ab eadem excitatum liberè consentiat, est à Deo tanquam à sola, totali, & propriè efficienti causa. Atque ita hujusmodi auxilium divinum dicitur & est verè efficax de se, & ut propriè est à Deo.

Ad II. Quare, efficacia hac non est à Deo, & à consensu liberi arbitrii, tanquam à duabus causis propriè efficientibus. Siquidem consensus

sensus ille liberi arbitrii tantum abest ut causa sit vere efficiens efficaciæ divini auxilii, quin potius est ipsius effectus. Et quamvis possit liberum arbitrium auxiliis divinæ Gratiæ efficacibus obicem ponere; si tamen ipsis de facto excitetur, ea nunquam reddet inefficacia: quemadmodum neque efficacia reddet aliquando ea auxilia quæ, ut veniunt à Deo, efficaciam secum non ferant.

Ad III. Posito tali auxilio prævenientis gratiæ verè & propriè efficaci, nunquam stat cum illo actualis dissensus liberi arbitrii; quamvis semper liberum arbitrium possit dissentire, si velit.

Trahendis moris ac diverticulis pro more suo quæritandis assueti Jesuitæ, transacto dumtaxat mense ad hæc tria interrogata responderunt, die 5. Augusti 1599. scripto aliquantulum prolixiori. Hoc ipsum Prædicatores, quibus ex Cardinali Madrutii jussu datum est, nonnullis observationibus confutarunt; quas vicissim Societatis Theologi novis annotationibus impugnarunt die 17. Novembris. Has rursus novis annotationibus elaboratis Prædicatores vellicare aggressi sunt, die 12. Februarii anni sequentis 1600. quibus cum Societatis Theologi denuò respondissent; Prædicatoribus ultimo conatu reponentibus, mutua partium collatio soluta est, nullâ tamen eas inter initâ concordiâ. Quid utrique sentirent in aperto fuit; nemo tamen in alterius sententiam venit, aut pristinos sensus exuit: quod eventurum dubio procul ominati erant quotquot ambarum partium in domesticis servandis finibus studium noverant.

Tot illa ultrò citróque data Rescripta, ne lectorem plus nimiò defatigemus, in Appendicem remisimus, ubi, si per otium licet, legi commodiùs poterunt.

Intereà consummato mutuæ collationis examine, quod ad nectendas interim moras effugiendumque judicium Ignatianæ partis Actores tanto studio efflagitaverant, nihil nisi Pontificiæ Constitutionis sigillum desiderabatur, qua definiti jam pridem Censorum examinis sententia sanciretur. Hanc Catholicus Rex efficacissimis Epistolis ab Oratore suo die 16. Aprilis Clementi VIII. datis, maturari postulaverat: hanc viri omnes boni ardentissimis votis efflagitabant: hanc Ecclesia ipsa, intestino bello discissa, non tam voce quàm gemitu deprecari videbatur, cùm Eminentissimus Cardinalis Madrutius, hujusce causæ sequester, intempestivâ morte sublatus est die 20. Aprilis 1600. quo tempore Actorum omnium seriem Summo Pontifici relaturus erat.

Non hæc una virorum literatorum jactura fuit. Quem illi & veritatis vindicem & musarum Mæcenatem lugebant, hunc parentem pauperes deplorabant; quos & statis diebus commensales excipiebat, & effusissimâ omnium penè censuum largitione solabatur.

Codices suos, diuturno studio, dum esset collationis Arbiter, elaboratos, propriaque manu descriptos, Summo Pontifici moriens tradi jussit, suæ de controversis quæstionibus mentis interpretes. Illos summâ animi voluptate perlegit Beatissimus Pater, tantique fecit ac probavit, una ut omnium fama fuerit, hac illum lectione potissimùm incitatum ad Molinæ damnationem pronuntiandam.

Reum me in Rempublicam litterariam facerem, si cùm eos non semel evolverim, nihil horum proferrem in publicum; quo tanti Viri sententia de controversis quæstionibus detegi possit. Faciet id statuendæ ac firmandæ veritati non minimum. Facessent inanes illæ Ripaldæ aliorumque fabulæ, qui Prædicatorum de physica prædeterminatione doctrinam, hoc in congressu non patulis auribus exceptam, Societatisque sententiam sine fuco, sine arte à Theologis ejus expositam, effutiunt. Evanescent tritæ illæ obmurmurantium voces, quibus gratiam ex se & ab intrinseco efficacem, in Calvinianis & Lutheranis à Concilio Tridentino prædamnatam oblaterant. Quis etenim Concilii Tridentini mentem feliciùs ebiberat, acutiùs internoverat tanto Viro, qui & Tridentinus Episcopus, & S. R. E. Cardinalis, in eodem Judex & Arbiter sederat? Quis eo in Societatem (nisi ubi veritatis tuendæ studium oberat) propensior, qui Theologos ejus, maximis in Concilio Tridentino benevolentiæ significationibus foverat, Orlandino ipso Teste: qui ea stirpe oriundus erat, quæ Societatem unicè diligeret; eóque demum Patruo fuerat institutus, quem Patronum ubique munificentissimum Jesuitæ experti sunt? *In Hist. Soci. lib. 6. n. 19.*

Ex iis porrò codicibus, qui toti in Thomisticæ Scholæ gratiam, adversùs Societatis doctrinam adornati sunt, pauca seligam in Appendicem referenda, ex quibus velut ex ungue leonem discere liceat. Qui plura volet, fontem attingat. Exstant in Angelica Augustiniensium Bibliotheca, integro eoque spisso fasciculo alligati, propriâ Eminentissimi Viri manu exarati, cum hac præmissa Gregorii Coronelli epigraphe: *Hæc omnia scripta spectant ad causam controversiæ exortæ inter Patres Dominicanos, & Patres Societatis: ex quibus facilè potest*

potest constare, quod fuerit hac de re judicium Ill. & Rev. D. Ludovici Madrutii S. R. E. Cardinalis.

CAPUT NONUM.

Mortuo Cardinali Madrutio, Summum Pontificem à ferenda sententia deterrere moliuntur Jesuitæ. Stat nihilominus in incœpto: tertium causæ hujus examen, seu veriùs novam primi examinis recognitionem edicit.

Ex Actis Secret. & 5. Relat. Peg.

QUam Patres Societatis in mutuo congressu fidem dederant, Molinam indefensum Censorum judicio dimittendi, hanc defuncto Madrutio protinùs violarunt. Vix Catholici Regis supplicationes Clementi VIII. per Ducem de Sessa Oratorem ejus oblatas, quibus Apostolicam definitionem maturari rogaverat, internoverunt; cùm protinùs novas machinas sollicitè tentarunt, ut Sanctitatem Suam à proposito dimoverent. Libellum supplicem obtulere die 22. Aprilis, quo Molinæ doctrinam, uti S. Augustino consonam, cæteris Theologis communem, ab Academia Complutensi probatam, ac debellandis Calvinistis & Lutheranis accommodatissimam prædicabant. Autorem per sese audiendum, consulendas totius Orbis Academias, quin etiam Concilium generale indicendum, atque interim utriusque partis doctrinam tanquam probabilem permittendam postulabant. Aliàs timendum innuebant, ne Pontificiam definitionem Academiæ parvi facerent, novoque discrimine Ecclesia committeretur.

Hanc finiendæ litis expeditissimam viam obtendebant, quâ nulla unquam, vel majoribus difficultatibus circumsepta, vel diuturnioribus dilationibus involuta fuit. Quare non eam modò despexit Summus Pontifex; sed & ipsa die sequenti delegatos Molinæ Censores asciri jussit, qui secum de finiendâ controversiâ mutuò conferrent.

Actum ea de re trium & amplius horarum spatio: ac tandem superiorum Congregationum gestis compendio narratis, lectisque Catholici Regis Epistolis, quibus causæ definitionem urgebat, quatuor statuit Beatissimus Pontifex. Primò, ut maturiori examine Censuram à Secretario, totius Congregationis nomine, adornatam recognoscerent. Secundò, ut Molinæ propositiones, in Censura notatas, cum ejusdem propriis verbis conferrent; ne quid illis vel detraheretur vel adderetur. Tertiò, ut eam semel recognitam, in breviorem subinde formam, distinctis propositionibus contraherent. Quartò demum, ut illam (si pristino judicio standum decernerent) propriis nominibus firmatam sibi traderent. Subjunxit, atque etiam tertiò contestatus est, se causam omnino Pontificiâ autoritate definire velle: quòd scilicet res summi momenti, & ad Catholicam Fidem attinens ageretur.

Priorum etiam Censorum numero adscripsit P. Hippolitum Masserium Lucensem Episcopum Montis-Pelusii, quem servandi silentii juramento adstrinxit. Ac ne hujusce examinis curam omnem apud Censores deponere videretur, Censuram à Secretario jam pridem instructam, per juratum Inquisitionis Scribam sibi quamprimùm transcribi voluit, ut eam ipse per sese legeret & expenderet.

Vix dici queat, quantâ bonos omnes lætitiâ affecerit religiosa illa Clementis VIII. voluntas; quam nec vani terrores frangere, nec speciosæ adversariorum artes deludere potuerunt. Accessit totius Ordinis nomine gratias acturus Prædicatorum Generalis die 24. Aprilis. Spopondit Ordinem suum, futuræ definitionis exspectatione suspensum, id omne lubenti pronoque excepturum animo, quod Pontificiâ autoritate sanciret.

Obsequii fidem pergratam habuit Sanctissimus Pater, respònditque eandem se in Jesuitis vehementer desiderare. Tum familiari sermone habito, præconceptum ex oblatâ sibi nuper Societatis supplicatione dolorem significavit; jussitque ut illam quantocitiùs à quodam è suis Theologis confutari curaret. *Si vede assai chiaramente*, inquit, *che li Padri Jesuiti voglino tirar questo negotio alla lunga, volendo far mi temere un gran fracasso, se io fo publicare la Censura del Molina, sensa haver inteso le loro difese. E per tanto, sono già due anni, che li sentiamo ogni giorno.*

Sat clare perspectû habetur, Patres Jesuitas velle huic negotio moras injicere, conantes timorem mihi incutere de magnis turbis inde orituris, si Censuram adversùs Molinam in publicû emittam ante auditas omnes illorum Apologias; cum tamen jam per duos integros annos illos quotidie audierimus.

Prolixam itaque hujus supplicationis confutationem elucubravit Didacus Alvares, Clementi VIII. à Generali Ordinis Procuratore die 11. Maii traditam: quâ & diffusæ artes, & vani terrores abundè depulsi fuissent, nisi meditandis ac quærendis diverticulis indefessi Jesuitæ, alterum superiori die scriptum obtulissent, quo rem totam novis difficultatibus implicarunt.

Certè sicubi unquàm, hic maximè artem mirari licet, ad sublinienda imprudentium ora dexterè compositam. Scriptum sic auspicabantur: *Sententia quam Theologi Societatis consonam esse existimant cum doctrinâ Concilii Tridentini, S. Augustini, S. Thomæ*

Exstat in Collc. Coronelli, Pegnæ & Lemosii.

Thomæ ac Doctorum antiquorum, continetur his quatuor propositionibus, quæ in hoc scripto subjicientur. Quæ sententia licet S°. D°. N°. constare possit ex scriptis ab Hispaniâ transmissis, quam sit in illis Universitatibus recepta, & à doctissimis Prælatis approbata: nihilominus ex Thesibus impressis, aliisque authenticis testimoniis, quæ apud nos exstant, hæc extraximus. Ex quibus patet, in omnibus ferè Universitatibus & Religionibus viros insignes eidem sententiæ, non solum ut probabili & securæ, sed etiam ut veræ & certæ subscribere, eamque tum Superiorum suarum Religionum, tum ipsarum Universitatum licentiâ, & publicè defendere & prælo mandare. Quatuor itaque propositiones distinguebant, quibus stat Molinæ ac Societatis doctrinæ summa: variasque Thesium lacinias consuebant, quibus earum propositionum singulæ à privatis variorum Ordinum Theologis defensatæ fuerant.

Datum est Prædicatoribus, ut responderent. Satisfecerunt duplici scripto. Primo quidem quatuor propositiones, quibus doctrinam suam compendio expresserant Jesuitæ, S. Augustino, D. Thomæ, necnon Conciliis Africanis adversùs Pelagianos celebratis contrarias demonstrarunt. Altero porrecti à Jesuitis scripti fallaciam multiplici capite detexerunt.

In Miscell. Lem.

I. Quòd incredibili audaciâ Summum Pontificem ad Hispaniensium Academiarum & Episcoporum Censuras auscultandas provocassent, quasi Societatis doctrinæ favissent; cùm illam è contra adeò severè damnassent, ut Congregationis Romanæ judicium earum comparatione mitissimum videretur.

II. Quòd multò pauciores essent quatuor propositionum defensores, quàm in oblato scripto fingebantur. Quia iidem penè uniuscujusque propositionis vindices afferebantur, iidemque quater laudati ac nominati recurrebant: sic ut unus omnino eodemque in theatro quadruplicem scenam ageret.

III. Quòd recentium dumtaxat Theologorum essent theses illæ, atque ab eo solummodò tempore in Hispania propugnatæ, quo post violationem mandatorum Apostolicorum ab Inquisitoribus Hispaniæ tentatam, Molinæ doctrina uti probabilis admissa putabatur. Quo casu delusi Theogi ejus in partes incautè venerunt, à quibus (si fraudem nosse licuisset) quàm longissimè recessissent.

IV. Quòd earum thesium defensores omnes privati viri forent, eorumque benè multi ab Academiis Ordinibusve quorum Religiosi erant, improbati fuissent. Et quidem nonnullæ Toleti ac Salmanticæ propugnatæ afferebantur, ubi Molinianæ doctrinæ capita benè multa ab Archiepiscopo & Academiâ non ita pridèm damnata fuerant. Aliæ à quibusdam Carmelitanis excalceatis, Religiosisque Minimis defensatæ addebantur, apud quos communi Ordinis assensu S. Thomæ doctrina, uti à FF. Prædicatoribus propugnatur in præcepto est.

V. Loco addi poterat (si id tunc temporis scire licuisset) theses illas non tam defensorum voluntati, quàm Jesuitarum industriæ tribuendas; quippe qui Religiosos quavis arte poterant, inescabant, ad Molinianas opiniones ebibendas ac propugnandas. Ita deinceps Inquisitioni Generali significavit Franciscus Pegna, Rotæ Romanæ Decanus die 12. Januarii 1602. *Effreni omnino licentiâ, in omnibus penè Hispaniæ partibus defenditur Molinismus. Omni quo possunt studio adnituntur Molinæ fautores, ut ejus opiniones ebibant, defendantque omnium Ordinum Professores, quos sua in studia modis omnibus pertrahunt: utque suas hîc opiniones ostentent, theses in sui gratiam à variis propugnatas, Romæ disseminant.* Corre *tambien muy arrienda suelta, el defenderse la opinion de Molina, en todas las partes de essos Reynos. Procuran con diligencia sus fautores, que la defiendan en todos los Conventos de todas las Religiones, que ellos puedan atraer à su devocion. Y para calificar su opinion, muestran en Roma las Conclusiones, que tales y tales defendieron en su favor.* Quanquàm & elumbe admodum est, ex aliorum Thesibus petitum argumentum, quas benè multi adversùs Magistrorum suorum institutiones, ad ingenii ostentationem, potiùs quàm ad veritatis confirmationem propugnare solent.

Depulsis ergo hac duplici responsione novis artibus, aliam agendi rationem iniere. Dimisso Clemente VIII. cujus mentem frangere nequiverant, vim suam omnem ad flectendos Censorum animos converterunt. Salmanticæ potissimùm tentatum est. Cum enim Romanos Censores hujus Academiæ decretis, quibus Societatis novitates proscripserat, plurimùm detulisse cernerent, vulnus ea parte curandum existimarunt.

Tractari quidem illud potuit, non sanari: quippe non ii erant Salmanticensis Academiæ Theologi, qui Censuras suas rescindere vel temperare ullatenus vellent. Commendatitias dumtaxat Epistolas à privatis aliquibus extorserunt; qui Societatis

ac Molinæ causam Censoribus commendarent, aut eam ab amicis juvari rogarent.

Exstant Epistolæ illæ in Archivio domus Professæ Romæ: & apud Paul. Lohn. 1. p. sec. 10. & 11.

Primi ad Ordinis sui Procuratorem, in Romana Curia constitutum, scripsere Monachi Benedictini Salmanticenses, die 31. Julii, ut Molinianæ causæ patrocinaretur: tum ob impensa sibi à Societate beneficia, tum ob contractam ejusdem urgendæ causæ obligationem. Cùm enim Societatis opiniones, uti S. Anselmi placita publicis thesibus non ita pridem propugnassent, in causæ communionem necessariò veniebant. Ad eundem hac ipsa die scripsit etiam Hieronymus Marton, Abbas Vallisoletanus ejusdem Ordinis, parique studio Molinæ causam, suo apud Romanæ curiæ magnates patrocinio juvandam commendavit.

Non absimili modo Augustinus Antolines Ordinis S. Augustini, Joanni Baptistæ Plumbino è Censoribus deputatis uni, datis die 12. Augusti efficacissimis Epistolis ad impendenda Societati officia institit. Gregorium Coronellum Congregationis Secretarium literis pariter rogavit, ut si ei Summus Pontifex Censuram Molinæ committeret, eidem tùm ipsius merito, tum sui gratiâ adfaveret.

Die etiam Septembris 28. Joannes Marquesius Augustinianus, Joanni Baptistæ Plumbino per Epistolas supplicavit, ut non Molinæ tantùm, sed & Vasquesio gratificaretur, si propositiones ejus aliquas ad Sedem Apostolicam deferri contingeret: tum quòd sibi doctrina ejus Augustiniana videretur, tum quòd ei multis nominibus Augustiniensis Ordo obstrictus esset.

Ejusdem causæ patrocinium ardentiori zelo suscepit Joannes Garcia Coronellus die 17. Octobris in suis ad præfatum Plumbinum Epistolis. Non enim eum ad ferendam Societati opem dumtaxat rogavit, sed & in physicam prædeterminationem acriori stilo declamavit, quam à suis & à FF. Minoribus impugnatam passim asseruit.

Tot illæ familiarium & amicorum preces Plumbini constantiam violarunt, & ad decantandam palinodiam adduxerunt. Effectumque est, ut qui in primo examine Molinæ doctrinam Pelagianismi damnaverat, eandem in examinibus hoc anno alteroque sequenti habitis, uti probabilem sæpiùs defenderit. Quanquàm tamen sanioribus subinde consiliis avocatus, in pristinam sententiam redierit, Molinæque damnationi subscripserit.

CAPUT DECIMUM.

Novas compositionis conditiones rogant Jesuitæ: quibus rejectis, alias artes meditantur.

Censuræ recognitioni jam à mensibus quatuor incumbebant selecti Consultores, ac propè erat ut eam absolverent, cùm Jesuitæ, infaustum exitum metuentes, novas compositionis conditiones quæsiere.

Achillem Gagliardum, virum quidem minùs eruditum, sed in gerendis negotiis acrem, tacitè submiserunt, qui compositionem privato nomine rogare fingeret: ne si res minùs prosperè succederet, Societatis honor in discrimen adduceretur. Has ille ineundæ concordiæ conditiones obtulit. Primò, ut propositiones nonnullæ ab utraque parte ultrò admissæ, mutuo consensu definirentur: secundò, ut iisdem semel constitutis, nonnulla quoad quæstiones utrimque controversas servandæ charitatis ac pacis capita sancirentur.

Propositiones mutuo consensu definiendas proposuit numero undecim; sunt porrò sequentes.

"Exstant hæc instrumenta in Biblio. Aug. vol. sig. H.

"I. Deus habet distinctam ac perfectam providentiam omnium actuum liberi arbitrii, & ad singulos in particulari effectivè & immediatè concurrit.

"II. Voluntas creata indiget auxilio adjuvante, ut accipiat supernaturalem virtutem operandi, & unà cum illo actum supernaturalem eliciat.

"III. Indiget etiam auxilio prævenientе, ut per illud excitetur & disponatur ad eosdem actus eliciendos: idque non solùm extrinsecè per objecti repræsentationem, sed intrinsecè illuminando intellectum, & inclinando voluntatem ad consensum.

"IV. Hoc prævenientis gratiæ auxilium datur pro solo beneplacito divinæ voluntatis: unde efficitur ut initium fidei & justificationis à solo Deo sumatur, nullo modo à nostro libero arbitrio.

"V. Præter hoc requiritur supernaturalis Dei concursus, quo unà cum libero arbitrio, tanquam prima & principalis causa, liberam ejus determinationem & consensum immediatè efficiat.

"VI. Auxilium divinum aliud est sufficiens, quo homo potest converti; aliud efficax, quo facit Deus ut infallibiliter convertatur. Per hoc in divinis Scripturis dicitur homo *trahi*, *præparari voluntas à*

» *Domino, Deum operari in nobis velle & per-*
» *ficere* : & secundùm D. Augustinum *à*
» *nullo duro corde respuitur : ex nolente volen-*
» *tem facit : ac per illud ex humana voluntate*
» *facit Deus quod vult.* Et hæc omnia salvâ
» atque illæsâ humanâ libertate fiunt.
» VII. Auxilium hoc efficax provenit ex
» intentione Dei efficaci, & proposito abso-
» luto convertendi hominem: & ex solo di-
» vino beneplacito datur, aliter non : absque
» ullâ causâ, quæ sit in hominis potestate.
» VIII. Ab æterno prædefinivit Deus,
» absoluto decreto ac beneplacito suæ volun-
» tatis, gratiæ consensuros: & hi tantùm in-
» fallibiliter salvi erunt, alii non.
» IX. Prædestinationis nulla datur causa
» ex parte humanæ voluntatis.
» X. Per Prædestinationem præparantur
» gratis media omnia efficacia ad salutem :
» per eam discernuntur electi à reprobis, ut
» propterea non habeat ullus in quo glorie-
» tur; nec sit volentis neque currentis, sed
» Dei miserentis; certus sit electorum nu-
» merus ab ea constitutus ; nullus præter
» prædestinatos sit salvandus ; & ad judicio-
» rum divinorum altitudinem sit referendus,
» quòd hic salvetur, alius non.
» XI. Liberum arbitrium, quacumque gra-
» tiâ motum & excitatum, potest si velit
» consentire & dissentire.

Pacis & unionis capita protulit octo sequentia.

» I. Cùm de modo efficaciæ divinæ gra-
» tiæ sit controversia, quousque certi aliquid
» à Sede Apostolica decernatur, liceat uni-
» cuique sentire quod voluerit.
» II. Utriusque partis sententia permitta-
» tur.
» III. Tollatur omnis censura hæresis vel
» erroris, sive Pelagianismi sive Calvinismi;
» tum omnis injuria ac offensa utrinque illa-
» ta; & hoc quidem quoad libros impressos:
» in posterùm verò in iis quæ scribentur,
» omninò prohibeantur.
» IV. Liceat singulis impugnare senten-
» tiam alterius validioribus quibus poterit
» argumentis; iisque non solùm petitis à ra-
» tione, qua humana libertas probetur non
» salvari, vel contra, gratiæ efficaciam tolli,
» & similibus; sed & ab autoritate divinæ
» Scripturæ, Augustini, B. Thomæ, &
» aliorum Doctorum. Hoc enim passim fit
» in aliis Theologiæ dogmatibus summâ cum
» pace fidelium, multùmque valet ad verita-
» tis inquisitionem, affertque decus & splen-
» dorem maximum ipsi Ecclesiæ Catholicæ.
» V. Nulla sententia defendatur nomine
» totius Ordinis, vel D. Dominici, vel
» Societatis; sed detur locus unicuique sen-
» tiendi pro libito.

VI. Modi quidam loquendi sive scri- «
bendi utrinque, qui non tam benè sonare «
videntur, & facilè possent sensum non adeo «
pium habere, jussu Superiorum quàm pri- «
mùm emendentur ab Autoribus. «
VII. Generales Ordinum, & potissimè «
D. Dominici & Societatis, his omnibus ex- «
pressum consensum præbeant; curentque «
diligenter, ut ab omnibus serventur. «
VIII. Ut Sanctissimus eos convocare «
dignetur : & omnia suâ autoritate com- «
munire; post pedis osculum, omnes sup- «
plices exorent. Idque per totum orbem «
publicetur. «

Ad Cardinalem Bernerium Episcopum Asculanum missus est Gagliardus, ea de re tracturus. At obfuit Eminentissimi Viri ægritudo, ne tam citò cum ipso conferret. Interea verò Prædicatores oblatas compositionis conditiones respuerunt; callidamque Oratoris industriam, oblato Pontifici scripto dissiparunt, in hæc verba.

Cùm omnes undecim conclusiones, si- «
ve propositiones, quas legimus in Scripto «
R. Patris, nihil novi afferant, præter illa «
quæ Patres Societatis in Congregationibus «
& in scriptis suis concesserunt : sicut illa «
visa sunt nobis, quamvis vera, non suffi- «
cere ut satisfaciant iis quæ de efficacia auxi- «
lii prævenientis gratiæ tradunt Scripturæ, «
Concilia, & Sancti, præcipuè Augusti- «
nus & Thomas : ita modò in eadem sen- «
tentia persistentes credimus (sub Censura «
Sedis Apostolicæ) aliquid amplius esse «
tribuendum prædictæ gratiæ efficaci, quod «
sequentibus declaramus propositionibus. «
I. *Propositio.* Deus auxilio efficaci præ- «
venientis gratiæ activè propriè facit, ut «
piè operemur; & operatur in nobis libe- «
rum actum, quo in ipsum convertimur, «
quamvis non sine nobis, simul tempore «
consentientibus, & cooperantibus. «
II. Efficacia prædicti auxilii tota est à «
Deo, & nullomodo dependet ex libero «
consensu nostri arbitrii, quovis modo à «
Deo præcogniti. Quia potiùs talis consen- «
sus est effectus ejusdem auxilii, in genere «
causæ efficientis, verè & propriè. «
III. Quamvis hæc duo sint simul com- «
possibilia; homo movetur à Deo prædi- «
cto auxilio ut convertatur, & iste homo «
potest non converti : hæc tamen duo sunt «
simul incompossibilia; iste homo movetur «
à Deo prædicto auxilio ut convertatur, «
& iste homo non convertitur, sed resi- «
stit. «
IV. Unde cum efficacia prædicti auxi- «
lii simul stat actualis usus nostræ liber- «
tatis. «

» His constitutis utriusque partis consen» su, videtur expedire ut in aliis, in quibus » varia sentiunt Patres Prædicatores & Je» suitæ, sive quoad substantiam, sive quoad » modum loquendi, exspectarent omnes » Censuram Congregationis: & quæ San» ctitas sua decreverit ab omnibus esse reci» pienda, humiliter recipiantur, sicut de» cet; & quæ decreverit esse rejicienda, ab » omnibus rejiciantur: & juxta illa corri» gantur libri utriusque partis jam impressi; » & de cætero nullus audeat consimilia de» fendere, aut typis mandare.

» In his verò quæ judicaverit esse in hac » parte probabilia, unusquisque in suo sensu » semper abundet.

» Illud verò quod dicitur in secundo pun» cto, quòd videlicet utriusque partis sen» tentia permittatur, advertimus quòd si hæc » petunt Patres Societatis, jam videntur » sentire, in sententia Prædicatorum, circa » efficaciam gratiæ, nullum esse periculum » Calvinismi. Non enim est credendum de » piis Patribus, quòd peterent nostram sen» tentiam tolerari, si existimarent aliquem » errorem continere. Patres autem Prædica» tores, cùm sentiant adhuc in sententiâ ad» versâ esse magnum periculum Pelagianis» mi, nullo modo possunt convenire in hoc, » quod utraque sententia permittatur.

» Nullo modo videtur convenire, quòd » una pars non possit inter legendum & » scribendum damnare sententiam opposi» tam, vel aliam censuram tribuere, quam » ex definitis ab Ecclesia credit mereri talem » sententiam.

Consiliis itaque suis repugnantes Prædicatores expertus Gagliardus, summum Pontificem secretioribus Epistolis convenit, exploraturus num supremam autoritatem ad eorum vincendas difficultates, interponere vellet. Non enim aliter eas superandas existimabat. Scripsit igitur in hunc modum, transmissis simul tentatæ compositionis articulis.

BEATISSIME PATER.

» Illustrissimi Cardinalis Asculani ægritu» do ad hæc usque tempora obstitit, quo» minus ea de re tractarem, quam mihi Bea» titudo Vestra cum ipso gerendam com» miserat. Interea, tametsi aliqua cum Pa» tribus Prædicatoribus supersit difficultas » quam ille vincere satagit, duo ista scripta » ad Beatitudinis Vestræ pedes mittenda ju» dicavi, quæ modum complectuntur, pro » componenda adeo periculosa tantisque » scandalis ac malis obnoxia controversia, à » me propositum. Horum unum prædictum » modum complectitur; alterum prædicti modi rationes Beatitudini Vestræ proponit, ostenditque quantùm expediat. Ill. « Cardinalis verbo referet quæ ad Prædicatores attinet, cum quibus coram ipso locutus sum, ac sæpius etiam agere pergam, « quantâ confidentiâ ac pace fieri poterit. «

Si congruum judicaret Beatitudo Ve- « stra alteram etiam sententiam proponere, « quæ inter controversias media staret; ipsi « ego significo eam quam ipse propugno hu- « jusmodi esse. Quia & aufert prædeterminationem, ut magis in tuto ponat dogma « de libero arbitrio, & efficaciæ divinæ plus « tribuit quàm ei tribuant Patres nostri, juxta « doctrinam claram SS. Augustini & Tho- « mæ. Siquidem videtur mihi hanc esse do- « ctrinam antiquam, ac Patres Dominica- « nos, uti & nostros, nova addidisse, & ab « aliis minimè tradita; atque ex ea novitate « contentiones enatas. «

Paratus sum ad pedes Sanctitatis Vestræ, « ac quo libuerit modo rationem reddere hu- « jusce meæ opinionis, & duorum istorum « scriptorum. Jam tribus vicibus de ea opi- « nione cum Patribus nostris contuli, solvi- « que difficultates omnes ab ipsis propositas, « multaque cum pace & unione. Eos etiam « paratos inveni ad admittendam doctrinam « meam, eamque simul cum altera publi- « candam relinquere. Eosdem paratos agno- « vi ad utrumque propositæ compositionis « scriptum admittendum. In Patribus Præ- « dicatoribus dumtaxat repugnantiam ali- « quam invenio, quæ facilè Ill. Cardinalis « Asculani prudentiâ, ac potissimè Sancti- « tatis Vestræ autoritate superari poterit, ut « ad finem perducatur negotium istud toto « Orbe maximum. Hanc Beatitudini Vestræ « gratiam, multosque ad obsequium suum « annos largiatur Deus. Ex domo nostrâ die « 20. Augusti 1600. «

Beatitudinis Vestræ pedibus provolutus
ACHILLES GAGLIARDI.

Verùm evanuerunt tot illa Gagliardi studiosa consilia, intercedentibus Prædicatoribus, ne compositio iis conditionibus iniretur. Hinc tamen intelligere est, quàm parùm Jesuitæ propriæ causæ meritis fiderent, qui Prædicatorum doctrinam, quam Calvinismi sæpiùs sugillaverant, permitti tandem postulabant, & à propria sententia (quam novam ac SS. Augustino & Thomæ apertè repugnantem fatebantur) discedere non detractabant, ad nova Gagliardi placita ebibenda. Cùm è contra Prædicatores compositiones quascumque ingredi nollent, mediasque pacis vias à partibus oblatas constanti animo repudiarent.

Feli-

Feliciorem exitum non obtinuit tentata sub idem tempus à Francisco Arriva, Ordinis Minorum, utriusque Scholæ concordia. Extat hujus Autoris Opusculum eo fine elucubratum, & Clementi VIII. traditum: unde jejunam exilemque Viri Minervam dignoscere liceat. Duo quippe principia supponebat, ex quibus se omnia facilè compositurum confidebat. 1. Scilicet distinguebat Deum, *quatenus per auxilium gratiæ & voluntatem increatam fortiter attingit effectum, & fortiter operatur in ordine suo independenter à tempore: & quatenus suaviter disponit & suaviter operatur per auxilium gratiæ, & per voluntatem creatam in ordine nostro dependenter à tempore.* 2. Distinguebat gratiam, *quatenus est instrumentum æternæ illius voluntatis Dei; & quatenus secundum se & propriam naturam attenditur.* Tum subinterebat solam Prædicatores inter ac Jesuitas terminorum ac vocum controversiam intercedere.

In Bibl. Aug. & in Miscel. Lemos.

Perinde etenim verum ac falsum esse contendebat, quòd auxilium cui homo consentit, sit de se & infallibiliter efficax: quod sit efficax independenter à consentientis arbitrio: quod sit efficax antecedenter: quòd non sit in potestate voluntatis creatæ illud reddere inefficax. Hæc siquidem omnia cum Prædicatoribus vera affirmabat, si sermo foret de actu illo æterno, quo Deus præparat, disponit, attingit fortiter voluntatis creatæ operationes: & si sermo foret de divina gratia, quatenus hujus æternæ præparationis ac dispositionis instrumentum est. Sed & illa omnia cum Jesuitis falsa contendebat, si ageretur de actu illo, quo in tempore Deus suaviter voluntatem disponit ac movet; & de gratia præcisè secundùm suam entitatem spectatâ, nullâ ad illam habitâ ratione, quatenus divinæ voluntatis est instrumentum.

Quot in capitibus à recta ratione deficiat, quamque Jesuitarum perinde ac Prædicatorum doctrinæ repugnet subdestus ille conciliationis modus, nemo non videt. Tantus tamen inerat Societati ineundæ compositionis ardor, ut illam, iis licet iniquis conditionibus, pacisci minimè detrectaret. Verùm intercessit ex opposito Thomas de Lemos propriæ causæ meritis confisus, quibus nulla unquam compositione præjudicium vel minimum inferri voluit. Clementi VIII. opusculum obtulit, inter ipsius miscellanea etiamnum asservatum, quo futilem, illusoriam, ac planè insulsam conciliationem illam ostendit.

Spe itaque compositionis ineundæ dejecti, extrema Jesuitæ tentarunt, ut doctrinæ suæ robur adderent, autoritatemque conciliarent. Prolixum ad Academias Italiæ scriptum sub mensis Septembris initium transmiserunt, quo Prædicatorum de gratiâ efficaci doctrinam, alienis planè coloribus expressam, Calvinismi & Lutheranismi damnabant; retricatisque Academiarum Germanicarum subscriptionibus, aliàs dolo extortis, Theologorum præsertim Bononiensium suffragium emendicabant.

Verùm non diu penes illos doli sui stetit usura. Machinationem detexit Inquisitor Papiensis, & transmissi scripti exemplaria universa intercipi, Romamque transferri curavit. Hæc dum primùm novit Thomas de Lemos, impactam Thomisticæ doctrinæ calumniam scripto propulsavit, multisque probavit FF. Prædicatorum doctrinam fallaciter à Jesuitis expositam esse, ut damnationis subscriptionem à Theologis Bononiensibus extorquerent. Quod idem postmodùm Romanis Censoribus visum fuit, dum jubente summo Pontifice, eam Thomisticæ doctrinæ expositionem, anno 1606. examinarunt. Quocirca recurret ista de re dicendi locus.

Exstat in Miscel. vol. sig. A.

Lib. 4. cap. 15.

CAPUT UNDECIMUM.

Tertium causæ hujus examen, seu secundam primi examinis recognitionem absolvunt selecti Censores, summoque Pontifici tradunt. Intercedunt Jesuitæ, noviumque examen postulant.

DUm hæc interim magnâ animorum contentione moverentur, suas selecti Censores Congregationes habebant, ut demandatam sibi novæ recognitionis provinciam exsequerentur.

Ex 5. Rel. Pe.

Convenire cœperant die 27. Aprilis apud D. Cariatensem, in demortui Cardinalis Madrutii palatio: tuncque primùm statutum ut bis qualibet hebdomadâ, diebus scilicet Jovis ac Lunæ, mutuò convenirent. Unus iste qualibet Congregatione servatus est ordo: ut primùm Censuræ, à Secretario totius venerandi Ordinis nomine jam editæ, partem legerent, ac discussis iterum Molinæ verbis recognoscerent: tum illam sic relectam recognitamque breviori formâ contraherent; variis scilicet Molinæ locis in unum dogma statuendum conspirantibus, ad unam dogmaticam propositionem speciali censurâ suâ confixam revocatis. Hinc nonaginta circiter Molinæ loca in Censurâ prolixiori notata,

tata, ad viginti propositiones hæreticas, erroneas, temerarias, periculosas, ad quas firmandas statuendasque collimabant, compendio redacta sunt, suâ cuique adjunctâ Censurâ.

Censuræ recognitionem, ejusdemque compendium absolvêre die 30. Augusti; die verò 9. Septembris Molinæ damnationi subscripsere. Episcoporum nemo dissensit. E Theologis dissensere duo, nempè Antonius Bovius, qui Molinæ doctrinam uti probabilem semper habuit; & Joannes Baptista Plumbinus, qui commendatitiis amicorum literis (ut vidimus) circumventus palinodiam decantavit. *Ex repetita lectione*, inquit Secretarius, *& inspectione codicis constitit omnibus Consultoribus Molinæ sententias fuisse fideliter & candidè relatas, & æque condemnatas. Quibus denuò visis & diligenter consideratis, cùm censuissent persistendum in Censurâ, subscripserunt omnes, excepto P. Procuratore S. Augustini, qui priùs Molinæ doctrinam Pelagianismi condemnaverat, & P. Regente Collegii Carmelitarum, qui semper judicavit illam esse probabilem.*

Ad summum Pontificem admissi Censores die 12. Octobris demandatæ sibi provinciæ rationem retulere. Molinæ Censuram eorundem subscriptionibus munitam, ejusdemque Summarium, quod in Appendice ex integro dabimus, non modò grato excepit animo Beatissimus Pater; sed & unà cum ipsis hoc de argumento, uti privatus Theologus, conferre voluit. Mirari tunc maximè fuit eximiam humanitatem singulari eruditione conjunctam; qua & Apostolicæ dignitatis verticem demitteret, & reconditiora divinæ gratiæ mysteria reseraret. Egit trium & ampliùs horarum spatio de intrinsecâ divinæ gratiæ efficaciâ, quam divinarum Scripturarum, sacrorum Conciliorum, nec non S. Augustini ac D. Thomæ locupletissimis testimoniis confirmavit. Maximam etiam contra Molinam animi offensionem ostendit, tum ob conculcatam SS. Patrum, veterumque Theologorum autoritatem, tum ob invectam summo Ecclesiæ Catholicæ damno novitatem. Addidit, nec sine stomacho, se in sacræ Inquisitionis carceres Molinam conjecturum, si eum fortè Romam venire contingeret. Accidit autem, ut datâ singulis dicendi veniâ, multisque contra Molinæ doctrinam colloquentibus, ejusdem defensionem susceperit Antonius Bovius, & rationes aliquot eo fine protulerit. In quem converso sermone inquit Pontifex: „ Pater, omnes istæ rationes meræ nugæ „ sunt: & hæc responsa, quæ affers, eædem „ sunt ineptiæ quas jam in Suarezio observavimus. *Padre tutte queste ragioni sono castronerie, è quelle risposte che date sono l'istesse minchionerie che habiamo già osservato nel Suares.*

Iis summa animi voluptate exceptis, Hispaniarum Regis Orator postridie Pontificem adiit, Catholicæ Majestatis nomine gratias habiturus, ac pro Apostolica definitione supplicaturus. Reposuit Beatissimus Pater, rem se quantocitiùs more Rotali cogniturum, ut Pontificiam definitionem maturaret.

Ardens illa Clementis VIII. sollicitudo Christophorum Cobos & Petrum Arrubal minimè latuerunt: quique infausto præteritarum rerum eventu jam pridem turbati fuerant, hoc ultimo telo petiti perierunt ab animo. Fore hactenus existimaverant, ut à ferendo judicio Censores avocarentur, veriti ne Molinæ damnationi supremum Hispaniæ Consilium intercederet, uti sæpiùs Congregationis Secretario ipsimet insusurraverant. At ubi rem nequaquam ex nutu cadere cognoverunt, Matritum iter arripuere, Hispaniarum Regis patrocinium rogaturi. Consilium hocce imminensque inde periculum Pontifici detexit Franciscus Pegna Rotæ Romanæ Auditor, cui mentem suam Cobos valedicturus imprudenter aperuerat. *In trivatis Pegna Commen.* Confestim hac ipsa die (quæ fuit 21. Octobris) eademque horâ, Andream Spinosa Apostolici Cubiculi Præfectum ad Societatis Generalem Sanctissimus delegavit, cui autoritate Apostolica præciperet, ut Christophoro Cobos & Petro Arrubali itinere interdiceret; aut certè illos, si casu jam discessissent, viam redire compelleret. Pontificia mandata, à Præposito suo transmissa, Genuæ excepere solliciti viatores, statimque vestigia relegerunt. Romam se retulit Christophorus Cobos die 23. Novembris: retrò stetit Petrus Arrubal, fraternæ charitatis officia laico itineris Socio periclitanti exhibiturus.

Nec satis habuerat Clarissimus Pegna virorum audacium consilia detexisse, Curiam etiam Matritensem efficacissimis Epistolis occupaverat, ne quid inde sinistrum accideret. Literas ad supremæ Inquisitionis Consilium, ad Cardinalem de Guevara, necnon ad Regis Catholici Confessorem dederat die 17. Octobris, quarum hæc erant potissima capita. *Extant in ejus Comm.* 1. Quæcumque superioribus diebus circa controversiam de auxiliis accidissent, brevì recensebat. 2. Monebat, ut typorum veniam Scriptoribus,

bus, novarum opinionum defensoribus, denegarent; ne latiùs diffusus error Apostolica definitione propè diem edendâ difficiliùs tolleretur. 3. Ut in disputationibus lectionibusque publicis, neglectâ S. Thomæ doctrinâ, suas cuique opiniones in vulgus mittere minimè liceret. Quo circa Episcoporum & Inquisitorum zelum obtestabatur, quòd effræni illa novandi licentiâ nascentem Lutheranorum hæresim vires obtinuisse, notum esset. 4. Ut à Catholici Regis Oratore indesinenter apud summum Pontificem urgeri curarent pro Apostolica definitione maturandâ: ne dolosâ Societatis procrastinatione tot hactenus adhibita studia evanescerent, judicesque tædio solverentur. 5. Ut Fratres Prædicatores Theologicas Salmanticensis Academiæ cathedras dimittere non paterentur: immò Petrum de Ledesma, ac Petrum de Herrera, qui jam iis se sponte abdicaverant, ad easdem resumendas adigerent. Aliter enim germanam S. Thomæ doctrinam, ea potissimùm ætate necessariam, è Theologicis Academiis eliminandam ominabatur. 6. Demùm ex infaustis nuntiis Matritum ac Romam nuper allatis, de disseminatis per Jesuitas in Insulis Philippinarum novitatibus, significat quanti periculi sit, eos perversis opinionibus infici, quibus juventutis institutio committitur.

Romæ etiam apud Eminentissimos Cardinales Borghesium præsertim, Asculanum & Arrigonium, causam hanc studiosè promovebat Clarissimus Vir, parumque abfuit, quin quo tempore Urbem rediit Christophorus Cobos, lis ultimò finita esset. Verùm cum post probatam Molinianæ doctrinæ Censuram, experiri voluisset pacis amantissimus Pontifex, num Jesuitæ ipsâ rerum evidentiâ permoti, erroris damnationi suffragarentur, res novis difficultatibus involuta est. Convenerunt etenim, eo jubente, Prædicatores ac Jesuitæ diebus 21. & 22. Novembris, coram selectis Arbitris Cardinalibus Bellarmino & Asculano, necnon Petro Lombardo Archiepiscopo Armachano, & Offrido de Offridis Episcopo Melfetensi, de recipienda probandaque Censura deliberaturi: at conatus planè irritus fuit. Probantibus quippè Dominicanis, Jesuitæ dissensere. Frustra etiam illos ad meliora consilia revocare studuit Illustrissimus Armachanus, elucubrato contra Molinam eruditissimo Opusculo. Pro suis enim stetit ex opposito Bellarminus; cujus etiamnum responsionem in scriniis domus Professæ Romanæ cernere est.

Henao de Scien. med. sec. 175.

Sed nec id satis. Solutis conventibus Romanam Curiam clamoribus impleverunt, Molinam summâ injuriâ damnatum; Societatis doctrinam, aut à Censoribus minus intellectam, aut odio proscriptam; seque necdum plenè pro diluendis accusationibus auditos palàm ac publicè querebantur. Tres libellos supplices intra quinque dies summo Pontifici porrexerunt. Primum obtulit Præpositus Generalis, quo propositiones tredecim Molinæ in Censura falsò adscriptas exponebat. Alterum dedit Benedictus Justiniani, quo & multa Molinæ afficta, & multa perperam notata significabat; addebatque nihil in ejus libris assertum esse, quod probabilitatis jure defendi non posset. Tertium porrexit Christophorus Cobos Ludovici Molinæ nomine, quo per sese audiri postulabat: aliàs jura omnia legesque conculcatum iri clamitabat, secundùm quas Catholici, præsertim Theologi, nonnisi auditi damnari possunt.

Tot illis expostulationibus summi Pontificis animum exacerbarunt, quibus nihil nisi tempus ducere, morasque trahere conabantur. Quis etenim ignoret, Molinam anno ferme integro sanum ac vegetum huic suæ supplicationi supervixisse; nec tamen Romam iter arripuisse, ut audiri per sese posset? Quisve nesciat scriptorem satis pro sanciendo in eum judicio auditum censeri, dum ejus liber biennio evolutus & mutuò collati contextus, & datæ sensuum expositiones examinatæ & discussæ Apologiæ supponuntur?

Ut ut est, maluit Sanctissimus Pater Societati ex abundanti gratificari, quàm queribundas Jesuitarum voces, nullo licet jure fultas, audire. Dedit quartum examen, tum facti, tum juris, anni proximè sequenti 1601. instituendum: quo prior Censura, seu potiùs viginti propositiones fundamentales ex ea deductæ, quibus damnatæ Molinianæ doctrinæ summa stabat, rursùs expenderentur. Ea lege, ut in Congregationem, coram Censoribus, duo Societatis Theologi, uti Molinæ Procuratores, totidemque Prædicatores, uti Actores admitterentur: ut faciliùs & Molinæ doctrina, & sensus, & institutum, mutuâ accusatione ac defensione detegi posset.

Timuit aliquandiu Catholici Regis Orator, ne ea in Societatem indulgentia novaque Pontificii judicii dilatio sinistrum quidpiam Hispaniæ, eo intestino bello discissæ, protenderet. Timendi rationes Clementi VIII. die 16. Decembris aperuit: Literas etiam sibi nuper ea de causâ transmissas ostendit. Verùm fecit animos rei

 quam

quam primùm absolvendæ majorique fructu conficiendæ suscepta promissio.

CAPUT DUODECIMUM.

Quartum examen edicit Clemens VIII. Quæstionem aliò divertere Censoresque delinire nititur Card. Bellarminus.

Ex actis Coron. & Diario Pegnæ.

PRomissis religiosissimè stetit Clemens VIII. Quam cadente superiori anno, Catholici Regis Oratori fidem dederat rei diligentissimè conficiendæ, hanc ineunte anno 1601. implere cœpit. Primis causæ hujus cognitoribus (quibus non ita pridem Hippolytum Masserium addiderat) Joannem de Rada, & Hieronymum Palanterium adjunxit, qui Francisci Brusi locum occuparent. Quare eo jubente sederunt quarti hujus examinis judices numero undecim.

F. Propertius Resta de Capellis Ord. S. Francisci, Episcopus Cariatensis & Geruntinensis.

F. Julius Sanctutius de Monte Filatrano, Episcopus Agathensis, Ord. S. Francisci.

D. Lælius Suessanus, Episcopus Neritonensis seu Nardinensis.

F. Hippolytus Masserius Ord. Servorum, Episcopus Montis Pelusii.

F. Joannes de Rada Procurator Generalis Ord. S. Francisci de Observantia, ac postmodùm Archiepiscopus Tranensis.

F. Hieronymus Palanterius, Ord. Conventualium S. Francisci, Serenissimæ Reipublicæ Venetorum Theologus.

F. Joannes Baptista Plumbinus Procurator Generalis Ord. S. Augustini.

F. Gregorius Nunnius Coronellus, Ord. S. Augustini Congreg. Secretarius.

F. Joannes Antonius Bovius Ord. Carmel. Regens apud Transpontinam.

F. Jacobus le Bossu Ord. S. Benedicti Doctor Sorbonicus.

D. Ludovicus de Creil Doctor Sorbonicus.

Hos unà cum Cardinalibus Bernerio & Bellarmino, die Januarii 23. Sanctissimus asciri jussit, iisque verbis compellavit: *Censuras vestras biennio & amplius elaboratas ac recognitas Jesuitæ probare nolunt: multa Molinæ afficta conqueruntur: nihilque ab illo assertum dicunt, quod Pelagianismi notari meritò possit.* Tum Antonium Bovium digito demonstrans: *Regens quoque Carmelitarum,* inquit, *prolixam mihi nudius-tertius Molinæ defensionem exhibuit, quâ nihil in ejus* CONCORDIA *fidei repugnans scriptum obtendit. Rem itaque præsentibus Prædicatoribus ac Jesuitis iterum expendi volo; ac diligentiùs inquiri, quibus in capitibus Molina Pelagianis ac Semipelagianis assentiatur.*

Fecit hoc Consultoribus ac præsertim Episcopis stomachum. Provinciam hanc jam dudum impletam responderunt: ter & ampliùs evolutam Molinæ CONCORDIAM, contextus mutuò collatos, varios sensus diligentissimè conquisitos, Pelagianismi ac Semipelagianismi fibras omnes penitiùs introspectas, Jesuitarum denique defensiones auditas, & accuratiùs expensas significarunt. Stetit nihilominùs in proposito Sanctissimus Pater: nec quidquam inconsultum intentatumque voluit, quo & Molinæ famam liberare, & Societatis clamores compescere posset.

Nec satis ipsi fuit, quartum istud examen edicere: omnem etiam agendi tractandique rationem Congregationi præscripsit. Duos è Prædicatoribus, totidemque è Societate Theologos, pro utriusque Ordinis arbitrio seligendos, in Congregationem statis diebus advocari voluit; utriusque partis merita defensuros, antequam Censores ipsi de confirmandis rescindendisve pristinis Censuris soli decernerent. Viginti Molinæ propositiones, specialesque unius cujusque Censuras denuò recognoscendas, diebus ante Congregationem aliquot utriusque partis Theologis tradi jussit; sua ut responsa scripto pararent, & apud Secretarium deponerent. Ea quoque Theologorum Responsa mutuò communicari voluit; quò novis etiam animadversionibus pro libito reponere possent: uti re vera Prædicatores reposuere.

Verùm nec novâ illâ Clementis VIII. in Societatem indulgentiâ Molinam liberandum ominabatur Bellarminus: immò potiùs apertæ cum Pelagianis consonantiæ revincendum illum præsentiebat. Quapropter rem aliò divertere studuit; Summoque Pontifici consonantiam illam potissimùm investigandam Consultoribus demandanti, cauté reposuit, Pelagium multifariàm intelligi posse. Verbum non sine offensione excepit Pontifex: *Ergone,* inquit, *Pelagium ipsum tueri velis?* Cumque tantisper subticuisset, subjunxit: *Pelagii mentem non nisi ex Augustino, Hieronymo, Prospero, Hilario ac Fulgentio peti volumus. Cæterùm rem quantocitiùs definire statuimus, ac si opus sit Concilium convocabimus.* Nihil ad hæc Bellarminus; sed disputationes saltem Prædicatores inter & Jesuitas in Congregationibus habendas subinnuit. Cui Pontifex: *Non ita certè: res quippe protende-*

Ex actis Coron. & Diario Pegnæ.

retur

retur in immensum. Ac tandem ad Consultores qui Molinæ propositiones Pelagianas magis in medium proferre cœperant, converso sermone, *Satis est*, inquit; *de hisce mutuò in Congregationibus conferetis: Ipsi verò causam more Rotali discutiemus & controversiæ finem dabimus.*

Ex Relat. Crell. & Bossutii. Displicuere Bellarmino duriora Clementis VIII. responsa, nec tamen post elisa consilia cecidit animo; sed quam in flectendâ Pontificis mente frustra impenderat operam, in deliniendis Censorum animis locandam existimavit. Oblatam igitur tentandæ rei occasionem quàm primùm arripuit, officiosas Clarissimorum Virorum Crellii & Bossutii salutationes domi excipiens. Tunc quippè, post effusas urbanitatis & benevolentiæ significationes, de Molina ejusque Censuris sermonem instituit. Mirùm quàm redundanti oratione dixerit! Eò tamen redierunt omnia, ut è Religiosis Censoribus aliquos, livore potiùs quàm charitate ductos innueret. Fecit una urbanitatis ratio, ut omnes Molinæ condemnatores eadem accusatione non implicaret; ne scilicet officiosis salutatoribus insultare videretur. Iis quippe indiciis præconceptam de aliquibus suspicionem confirmavit, quæ in omnes perinde conjecisset, nisi præsentibus convitiari pudor fuisset.

Suspicionem enim suam è quadruplici capite deduxit Eminentissimus Vir. 1. Quòd Molinam ob impugnatam gratuitam Prædestinationem damnassent, cæteris intactis Autoribus qui idem cum ipso sensissent. 2. Quòd nonnulla eidem affinxissent à quibus remotissimus erat: ut, gratiam efficacem non modò rejici posse, sed re ipsâ rejici aliquando. 3. Quòd multò plures propositiones Congregatio damnasset, quàm quæ à primis delatoribus, Hispanisque Censoribus in judicium vocatæ essent. 4. Quòd ex quadraginta circiter Molinæ locis, Pelagianismi damnatis, triginta & ampliùs demere liceret, quibus nihil cum Pelagio commune foret.

Verùm nec rete accipitri tenditur, neque milvio. Reposuerunt doctissimi Viri nihil à se livore vel invidiâ gestum contra Molinam: idemque se de cæteris collegis religiosè sentire. Congregationem de Molina dumtaxat, non de cæteris, sententiam dixisse, tum quòd hujus unius sibi esset demandatum examen, tum quòd ipse cæteris pejùs de Prædestinatione sensisset: eamque uti obionam & injuriam sententiam sugillasset, quam veluti Ecclesiæ Catholicæ fidem ipsa tua Ill. Dominatio commendaverat.

Pergebant Viri Theologi ad alias criminationes diluendas, cùm Eminentissimus Cardinalis eos hamum nequaquam vorasse perspiciens, sermonem abrupit; non esse inquiens disputandi locum. Tum arrepto diverticulo, illos blandè est adhortatus, ut de Societatis famâ piè solliciti, Molinam qua majori possent indulgentiâ ac lenitate tractarent, serióque perpenderent, quanto cum Societatis dedecore, triumphum ex hujus Autoris damnatione, Prædicatores acturi essent. Eos demum interrogavit, num pro tuenda veritate satis fore judicarent, si expunctis quæstionibus controversis, Molinæ liber novis typis ederetur, nullo adversus Autorem lato judicio?

Responderunt, id de Molinæ in primam partem commentariis utcumque tentari posse; de Concordia, minimè: cùm tota damnatis propositionibus penè coalesceret, iisque dumtaxat niteretur fundamentis, quæ ex judicio Congregationis, Pelagiana & Semipelagiana probata fuerant. His auditis despondit animo Bellarminus: idque unum ardentissimis precibus emungere studuit, ut in propositionum damnatione, Molinæ saltem nomini parceretur. Sic quippe & Societatis honorem in tuto positum, & errorem abundè proscriptum iri, contendebat. At nec id quidem obtinuit: quòd non in suâ, sed in unius Summi Pontificis potestate positum, Viri clarissimi reposuerunt.

Talibus erat in Societatem affectibus occupatus Vir aliàs eruditus: necdum hominem ex homine exuerat doctrina, nec pietas: dignusque, omnium assensu, causæ hujus arbiter habitus esset, nisi domesticis rationibus totus addictus, Molinæ partes publicis commodis prætulisset.

CAPUT DECIMUM TERTIUM.

Quartum examen ineunt selecti Judices, pro Censuris jam antea latis recognoscendis. Quid, tribus prioribus Congregationibus actum.

Post suscepta Summi Pontificis mandata, cœperunt designati Censores convenire die 25. Januarii 1601. Quarti hujus examinis Congregationum gesta duplici volumine comprehendit Gregorius Coronellus, earundem Secretarius. Primò Congregationum historiam ab ipsomet adornatam, necnon decreta ad Censurarum confirmationem edita, ac propriis Censorum chirographis munita, complexus est, sub titulo: *Judicium Congregationis, ad*

ad Clementem VIII. persistendi in Censura. Exstat originale in Angelica Augustiniensium Bibliotheca, sub signo ✠ Secundò, Prædicatorum ac Jesuitarum scripta, circa viginti propositiones ad istud examen denuo vocatas tradita, propriáque Autorum manu firmata collegit. Exstat & istud Originale in eadem Bibliotheca, signatum T. I. sub hoc titulo: *Responsiones Patrum Prædicatorum & Societatis ad viginti propositiones Pelagianismi notatas à Congregatione ad hoc munus instituta à S. D. N. Papa Clemente VIII. & Observationes quædam, ad Responsiones Patrum Societatis Congregationi expendendæ, à Patribus Prædicatoribus exhibendæ &c.*

Ex hoc duplici fonte, universa compendio derivabimus, quæ de hujusce quarti examinis Congregationibus proferemus. Si quæ obiter ex Lemosii, Bossutii, ac Pegnæ Diariis peti contigerit, non nisi seorsim & indigitatis Autoribus fiet; ne Secretarii Narrationes, quæ supremam hac in parte humanæ historiæ fidem obtinent, promiscuâ externarum relationum admistione, turbentur.

In his porro triginta septem Congregationum actibus observare licet; duos dumtaxat ex undecim Censoribus, Molinæ adfavisse, Bovium scilicet ac Plumbinum. Illum quidem Societatis discipulum, qui vocatas in judicium opiniones eorum in scholis ebiberat: Istum, Amicorum (ut vidimus) literis ad palinodiam adductum; nec tamen Molinæ in omnibus consentientem, qui & in eum aliquotiès pronuntiavit, & à Congregationibus ex industriâ sæpius abfuit. Hincque probabunt viri æqui ac boni, quæ sit hujus historiæ corruptoribus danda fides; dum adversùs Actuum omnium fidem Episcopum Nardinensem, Gregorium Coronellum, Jacobum le Bossu, Ludovicum de Creil, Molinæ patronis annumerant.

Pet. à S. Jos. in su. Conc. dis. 4. sec. 4. Paul. Leon. 1. p. sec. 9. Ortega Cont. 3. dis. 1. qu. 4. Cer. 3.

Die 25. Januarii 1601. habita est prima Congregatio apud Rev. D. Episcopum Cariatensem. Interfuerunt cum Consultoribus Prædicatores ac Jesuitæ: quibus, rogante sacro consessu, Sanctissimi mentem aperuit Episcopus Cariatensis.

Hanc in eo positam dixit Vir Illustrissimus, ut missis partium disputationibus, notatæ jam pridem 20. Molinæ propositiones, unà cum distinctis uniuscujusque Censuris, ipsis in antecessum traderentur: quò suas quique ex officio vel defensiones vel accusationes, Congregationi proferendas parare possent.

Data amborum Ordinum Generalibus optio est, quos mallent è suis, seu Hispanos seu Italos seligendi: quibus illud officii publico nomine obeundi committerent. Ac post præmissas mutuæ urbanitatis significationes, penes Prædicatorum Generalem stetit arbitrium. Is selegit Hispanos: deditque F. Didacum Alvares, Regentem Collegii S. Mariæ super Minervam, & F. Thomam de Lemos Præsentatum. Societatis verò Præpositus delegavit Christophorum Cobos & Petrum Arrubal.

Post emissum ab eis sincerè respondendi ac servandi silentii juramentum, primam & alteram è viginti Molinæ propositionibus, earumque Censuras, ad novum examen vocandas proposuit Secretarius: quas altiori voce primùm lectas, Jesuitis ac Prædicatoribus scripto dedit; ut suas in futuram Congregationem responsiones pararent.

Die 29. Januarii 1601. apud D. Cariatensem secunda Congregatio celebrata est. Accesserunt è Prædicatoribus Didacus Alvares & Thomas de Lemos; è Societate Christophorus Cobos & Petrus Arrubal. Agendum fuerat de duabus Molinæ propositionibus superiori Congregatione propositis: at interrogati Jesuitæ, quid de ipsis earumque Censuris judicarent, responderunt se de Pelagianorum erroribus disputaturos accessisse, nec satis temporis habuisse, ut ad interrogata satisfacerent: quapropter inducias rogarunt, & obtinuerunt.

Quæsito subinde Prædicatorum judicio; Congregationis Decreta, quibus propositiones illas Pelagianismi damnaverat, exceperunt, multisque capitibus comprobarunt. Cæterùm in quærenda Pelagianorum mente, non admodùm immorandum dixere; quam ex Augustino, Hieronymo, Hilario, Fulgentio, Prospero dignoscere facilè foret; dum de singulis Molinæ propositionibus sigillatim ageretur.

Addit ad hæc clarissimus Pegna, Coronellum auditâ illâ de Pelagianorum erroribus primùm expendendis altercatione, sacrum Consessum seriò monuisse, id unum ex Sanctissimi jussu discutiendum occurrere: Num notatæ viginti propositiones ex Molina fideliter ac verè petitæ, debitisque Censuris confixæ fuissent: quæ duo dùm suo ordine tractarentur, Pelagiani errorés abundè discuti possent. Quo audito, cæteri omnes assensere, ipsique etiam Jesuitæ quieverunt. *In Diario.*

Die 1. Februarii 1601. apud D. Cariatensem tertia Congregatio habita fuit, præsenti-

sentibus Prædicatoribus ac Jesuitis, ut de prima alteraque propositione Molinæ ageretur. Erant porrò propositiones illæ duæ, unà cum illarum Censuris, quibus jam tertiò in examine confixæ fuerant, his verbis conceptæ.

Prima Propositio.

» Concursus Dei generalis non est influxus » Dei in causam secundam, quasi illa prius » ab eo mota agat & producat suum effe- » ctum; sed est influxus immediatè cum cau- » sa in illius actionem..... & effectum..... » Influxus verò ille, quo causæ applicentur, » & moveantur ad agendum, est commen- » titius, & minimè necessarius... multum- » que præjudicat libertati arbitrii nostri..... » Deus enim & liberum arbitrium habent se » tanquam duæ causæ partiales.

» Asseritur formaliter à P. Molina in sua » CONCORDIA quæst. 14. art. 13. disp. 26. » §. *Dicendum*, in editione Antverpiensi disp. » 27. & in Commentario ad primam partem » Divi Thomæ eadem quæst. disp. 6. & 7. » §. *Item*. §. *Præterea*, atque etiam §. *Adde*, » & §. *Attende*.

Censura.

» Inspecto P. Molinæ scopo, & quod si- » militer philosophatur de concursu gratiæ » coadjuvantis, quem dicit non esse imme- » diatum concursum in liberum arbitrium » ut in causam, quasi priùs eo concursu mo- » tum, ac à Deo ad agendum applicatum, » tales actus eliceret (scilicet fidei, spei, & » dilectionis supernaturalis) sed esse influxum » Dei immediatum in actus ipsos, unà cum » libero arbitrio; idque propter rationes, » quibus id ipsum docuit disp. 25. & sequent. » de concursu universali ad effectus natura- » les; perpensâ etiam potissimâ ratione, quâ » ductus discessit à communi doctrinâ, ne » scilicet tolleretur arbitrii nostri libertas; » videtur non discedere à semitis Pelagii, qui » ut gratiam divinam tolleret, idem jecit fun- » damentum, suamque assertionem eadem ra- » tione probare nitebatur, ne scilicet tollere- » tur arbitrii libertas, ut videre licet apud S. » Hieronymum in Epistola ad Ctesiphontem.

» *Secunda Propositio.*

» Potest homo per vires naturæ, cum » solo concursu generali Dei assentiri myste- » riis supernaturalibus sibi propositis & ex- » plicatis (qualia sunt Deum esse Trinum in » Personis, Christum esse Deum; & similia) » tanquam à Deo revelatis, actu merè natu- » rali..... Homini tamen sic assentienti su- » pernaturalibus mysteriis Deus, ex certa » lege à se cum Filio suo statutâ, gratiam » conferet, auxiliave quibus illa credat ut » oportet ad salutem.

Hanc propositionem docet Molina in " sua CONCORDIA quæst. 14. art. 13. disp. 7. " §. *Ut ergo*, & §. *Paria affirmant*: nec non " disp. 10. & 11. "

Censura.

Dominus Cardinalis Bellarminus lib. 6. " de gratia & libero arbitrio cap. 1. §. *His* " *igitur*, inquirit, Utrum qui prædicatorem au- " dit, aut doctrinam à Deo revelatam per " se legit, & habet congruentem persuasio- " nem miraculorum, aut alterius testimonii, " quo res quæ credenda proponitur, efficia- " tur credibilis, possit eam rem credere sine " speciali revelatione divina? Cui quæstio- " ni satisfacit inquiens: *Fuit unus ex erroribus* " *Pelagianorum, posse hominem credere sine spe-* " *ciali gratia Dei.* Ita enim refert S. Augu- " stinus multis in locis, sed præcipuè in Epi- " stola 106. ad Paulinum; & 107. ad Vi- " talem. In eodem errore etiam ante hære- " sim Pelagianam exortam fuisse Ticonium, " refert idem Augustinus lib. 3. de doctrina " Christiana cap. 33. In eodem fuisse Cassia- " num, & alios quosdam in Gallia, qui prop- " terea reliquiæ Pelagianorum dici meruе- " runt, cognosci potest ex Epistolis Pros- " peri & Hilarii ad August. & ex lib. ejusdem " Prosperi contra Collatorem. In eodem etiam " hæsisse aliquando ipsum Augustinum, testis " est ipse idem in lib. de prædestinatione Sanct. " cap. 3. Denique hunc fuisse unum ex er- " roribus Fausti Rhegiensis Episcopi, per- " spicuum est ex libris ejus de libero arbitrio. "

Sententiam rogati Prædicatores utramque propositionem ex Molina fideliter petitam agnoverunt, & Congregationis Censuram comprobarunt; multis in eam rem productis luculentissimis argumentis, quæ recensere hìc longum esset. Non idem Jesuitis visum est. Primam propositionem, Molinæ quidem confessi sunt, sed nullâ Censurâ dignam, immò apud Theologos receptissimam affirmarunt, quorum suffragia ac nomina protulere, ut idem cum illis Molinam sensisse demonstrarent. Cumque ad S. Hieronymi locum in Censura laudatum ventum esset, quo Pelagium divinum auxilium ad singula opera negantem erroris accusaverat Sanctissimus Doctor, responderunt Patres Societatis, Pelagium erroris insimulatum ab Hieronymo justa de causâ, quòd nempè concursum etiam concomitantem pernegasset, quem è contra Molina libenter admiserat. Tunc Lemos, acceptâ dicendi veniâ, demonstravit eum ob negatum auxilium prævium re ipsâ damnatum esse: nec parum in eo probando temporis insumsit, quòd rei summam eo in capite positam intelligeret.

Q Alterius

Alterius propositionis occasione, contendentibus Patribus Societatis Bellarminum, in Censura citatum, dumtaxat negasse assensum fidei mysteriis supernaturalibus, actu merè naturali præstari posse sicut oportet, ostendit Lemos assensum pariter à Molina naturæ viribus adscriptum, re ipsa hujus generis esse; tametsi id, ad avertendam bonorum omnium indignationem, inconsequenter ad sua principia negasset voce tenus. Siquidem assensum admittit firmum ex parte potentiæ & certum ex parte objecti; quæ duo ad rectum debitumque assensum constituendum abundè sufficiunt.

Absolutâ Prædicatorum ac Jesuitarum collatione, utrique responsa sua Secretario Congregationis scripto dederunt, in publicis commentariis reponenda: quibus ille vicissim tertiam & quartam Molinæ propositionem exhibuit, suas pro futuris Congregationibus responsiones paraturis.

Addunt ad hæc Clarissimus Pegna & Thomas de Lemos in suis Congregationum istarum Diariis manu scriptis, Societatis Theologos, primam secundæ propositionis partem ex Molina quidem fideliter petitam, nullâque Censurâ dignam affirmasse; cæterùm ejusdem partem alteram, minùs sincerè ab Autore Censuræ excerptam contendisse. Molina quippe, inquiebant Jesuitæ, docuit homini ex naturæ viribus facienti quod in se est, Deum ex certa lege conferre gratiam, quâ illud ut ad salutem oportet efficiat; cùm tamen in controversa propositione dumtaxat habeatur, homini per naturæ vim mysteriis revelatis assentienti concedi gratiam, qua ea credat ut ad salutem oportet. Non omnis porro (subjungebant) qui eo actu merè naturali credit, facit quod in se est; cum eum pravis fortè circumstantiis inquinet.

Verùm lectis collatisque Molinæ locis, perspectum fuit propositionem summa fide ex Ludovico Molina à Secretario Censuræ autore petitam esse atque excerptam, & Semipelagianismi jure notatam ab erudito Consultorum cœtu, cujus nomine & autoritate Censuram Coronellus ediderat, eorum demum suffragiis & Chirographis communitam, uti suo jam loco notavimus.

Ne quem verò deinceps subortus ille de laudato Molinæ contextu, scrupulus malè torqueret, aut satis extemporaneâ illa Congregationis observatione excussus videri posset, ita difficultatem à Jesuitis objectam eliquarunt Prædicatores in suis ad illorum responsiones observationibus, quas secundis curis elaborarunt, & Consultoribus tradiderunt: *Ex locis adductis in Censura ejusdem secunda propositionis, & ex toto contextu ex quo deducta fuit talis propositio, constat manifestè, Molinam non complexivè, sed divisivè locutum fuisse, tam de fide, quàm de operibus. Undè sententia ejus fuit, quòd facienti quod in se est, ut credat rebus fidei, Deus infallibiliter dat fidem: & similiter quòd facienti quod in se est, ut doleat de peccatis, Deus infallibiliter dat dolorem de illis, prout ad salutem oportet. De quo justè damnatur in Censura. Quod si assentitur rebus fidei actu mere naturali, apponendo illas nullas circumstantias à Patribus in suo proposito relatas; quamvis tunc non detur ei fides, nihil ad rem: neque enim de illo actu cum talibus circumstantiis loquebatur Molina, ut per hoc illum excusare velint.* Sed & toto passim scripto demonstrarunt, Molinam nihilominùs Pelagianismi damnandum fore, si propositionem suam iis præscriptionibus temperasset, quas ipsi fraterna charitas supponebat: eamque gratiæ conferendæ legem humanæ naturæ conatibus, inter figmenta putidissima reponendam. Qua de re plura dicam, hìc Congregatione quinta, & infra lib. tertio.

CAPUT DECIMUM QUARTUM.

Quid Congregationibus quartâ, quintâ & sextâ pertractatum, in hocce quarto examine.

Die 3. Februarii 1601. apud D. Cariatensem habita est Congregatio quarta. Soli Consultores interfuere. Actum de Jesuitarum responsionibus nudiustertiùs Congregationi datis, quibus primam & alteram Molinæ propositionem tueri tentaverant. Verùm, absentibus Antonio Bovio & Ludovico Crellio, in alteram Congregationem definitio dilata est.

Die 5. Februarii 1601. apud D. Cariatensem quinta Congregatio celebrata fuit; ad quam Prædicatores ac Jesuitæ vocati sunt. De tertia & quarta propositione censurisque in eas jam antea districtis, hic agi cœptum. Sic porro illæ se habebant.

Tertia Propositio.

“ Hominibus, qui ad filiorum Dei dignitatem nondum pervenerunt, eatenus facta “ est potestas, ut Filii Dei fiant, quatenus “ si quantum in se est conentur, præstò illis “ aderit Deus, ut fidem & gratiam consequantur, neque desiderio suo fraudentur. “ Quod si conantibus ex suis naturalibus, “ facientibusque quod in se est, vel ut fidem ample-

„ amplectantur, vel ut de peccatis doleant, „ Deus non est semper præsto per auxilia & „ gratiam prævenientem, ut actus sint quales ad salutem oportet, quanam ratione verum erit, Deum velle omnes homines salvos fieri, eaque ratione acceptum coram eo esse, ut obsecrationes, postulationes, orationes, & gratiarum actiones, pro omnibus hominibus fiant, ut eo loco Paulus docet. Cum itaque Deus sua scientia prævideat, quinam ex his qui audituri sunt Evangelium, conaturi sint ex suis naturalibus ad assensum eliciendum, ut teneantur, & qui non; sane ut à peccato non excusentur, qui assensum fidei supernaturalem non elicuerint, satis est Deum suo auxilio & gratiâ præstò esse, ad præveniendum in eodem instanti quoscumque præviderit ex suis naturalibus ad assensum conaturos. Hæc propositio asseritur formaliter à P. Molina in sua CONCORDIA quæst. 14. art. 13. disput. 10. & 11.

Censura

„ Hanc propositionem dicit D. Cardinalis Bellarminus lib. 2. de gratia & lib. arb. cap. 1. §. *Prima sententia*, fuisse Pelagianorum & eorum qui in Gallia Pelagianis favebant, Cassiani & Fausti. Idque revera ita esse constat ex S. Augustino lib. primo ad Bonifacium contra duas Epistolas Pelagianorum cap. 19. & Epistola 107. ad Vitalem. Sensum etiam illius sententiæ Joan. cap. 1. *Dedit illis potestatem filios Dei fieri*, quem Molina docuit, ait idem D. Cardinalis cap. 3. ejusdem lib. §. *Tertium*, fuisse Pelagianorum & Semipelagianorum, quem etiam refert S. Prosper in Epist. ad S. Augustinum, & impugnat S. Augustinus lib. de dono perseverantiæ cap. 8. lib. 1. ad Bonifacium contra duas Epistolas Pelagianorum cap. 3. & lib. 4. contra Julianum Pelagianum cap. 8. totam hanc propositionem Molinæ impugnat, tanquam fidei & divinis Scripturis omninò contrariam.

Quarta Propositio.

„ Potest ex solis suis naturalibus homo efficere, ut actu merè naturali revelatis assentiatur. Præterea postquam edoctus fuerit, supernaturalem assensum esse ad salutem necessarium, potest optare ita credere, atque etiam conari, ex dono & auxilio Dei supernaturali assentiri. Denique potest petere, ut auxilium illud sibi donetur, & ad illud recipiendum satagere se disponere.

„ Ita docet Molina in sua CONCORDIA quæst. 14. art. 13. disp. 9. statim in principio. Idem docet disp. 43. §. *Accipe*, in impressione Antverpiensi disp. 45.

Censura.

D. Cardinalis Bellarminus lib. 2. de gratia & lib. arb. cap. 1. §. *Prima sententia*, dicit hanc sententiam esse Pelagianam & de reliquiis Pelagianorum. Idem asserit S. Prosper in Epist. ad S. Augustinum, & lib. contra Collat. cap. 4. & Epist. ad Ruffinum paulò post principium. Denique S. Augustinus lib. 4. contra Julian. Pelagian. cap. 8. eandem sententiam impugnat tanquam fidei adversam. "

Suas ad tertiam & quartam propositionem responsiones scripto dederunt Prædicatores: qui & illas à Molina verè assertas & à Congregatione debitâ Censurâ confixas agnoverunt. Mox dicere jussi, ostendit Thomas de Lemos, propositiones illas, uti & secundam superioribus diebus examinatam, eò planè collimare, ut justificationis initium naturæ viribus adscriberetur. Subjunxit multisque probavit Molinam his in capitibus, quovis licet defensorum ejus adhibito temperamento, nequaquam ab hæresi liberatum iri: cui & sensus & scopus & verba cum Semipelagianis communia erant. Tum demum in memoriam revocatis, quæ nuper de concomitanti gratiæ adjutorio à Pelagianis admisso demonstraverat, conclusit nihil hoc in capite Molinam à Pelagio distare: quippè qui divinæ gratiæ auxilium ob bonum liberi arbitrii usum concedi, ambo perinde contenderent.

His dictis commoti Patres Societatis vehementer instarunt, ut quæ dixerat Pater Lemos scripto traderet. Cumque id se facturum spopondisset ille, nequaquam tamen quievere: *Sed magis clamoribus* (ut Secretarii verbis utar) *& artuum ac totius corporis immodicâ agitatione instabant, ut protinus illa omnia quæ dixerat, scriberet: nec aliter se ad propositiones responsuros, vel ad ulteriora progredi ullo modo permissuros.*

Jussit Congregationis Præses Thomæ de Lemos Patribus Societatis satisfacere. Paruit ille, interiusque cubiculum subiit, dicta sua scripto daturus. Interea innuentibus Patribus Societatis, Molinæ sententiam de Dei cum causis, non in causas, naturali concursu proscribi non posse, nisi gravissimis autoribus idem cum illo sentientibus perinde damnatis: respondit Præses, sibi totique Congregationi Molinæ dumtaxat examen demandatum esse, seque de cæteris acturos, si horum sibi causam committi contingeret.

Mox interiori cubiculo progressus Thomas de Lemos, scriptum legit ac dedit sub hac verborum formâ.

Addo etiam ego F. Thomas de Lemos, præter ista (hoc est quæ jam scripto Congregationi dederat) *quòd P. Molina in omnibus istis tribus propositionibus, duabus nempè hujus Congregationis, & in secunda propositione Congregationis præteritæ, ad eundem finem ordinat omnes illas, videlicet ut det initium justificationis ex nobis, non complexivè, sed etiam divisivè. Et quamvis complexivè loqueretur, adhuc daret initium justificationis ex nobis. Unde in verbis, sensu & intentione, non recedit à sententia Pelagianorum. Siquidem iisdem utitur argumentis, fundamentis, & iisdem explicationibus Scripturæ sanctæ, quibus illi utebantur. Præterea, quia negatum fuit in præterita Congregatione Pelagium esse reprehensum à S. Hieronymo, eo quod negavit auxilium, seu concursum in causam, sed quia negavit influxum immediatum in operationem: addo, inquam, quòd apud S. Patrem Augustinum lib. 1. contra duas Epistolas Pelagianorum cap. 19. constat quod Pelagius posuit gratiæ adjutorium concomitans, sive subsequens immediate in ipso opere, quod incipit homo ex viribus naturæ: quod etiam videtur dicere idem S. P. Augustinus lib. 1. contra duas Epistolas Pelag. cap. 8. & Molina eodem modo explicat motus gratiæ prævenientis disp. 43. §.* Accipe. *Die 5. Februarii, F. Thomas de Lemos, Præsentatus.*

Protinus conclamarunt Patres Societatis: *Non dicit duo in Scriptura, quæ voce protulit: nam voce dixit gratiam à Pelagio admissam, scripto verò dicit adjutorium gratiæ. Secundò etiam omisit quod priùs asseruerat, Molinam affirmasse quòd propter bonum usum liberi arbitrii Deus det auxilium gratiæ.*

Testes quoad primum appellavit Thomas de Lemos, quotquot Censores aderant: Num inter loquendum adjutorii vocabulum usurpasset. Alterum verò omissum fassus est, sed consultò: quòd illud jam iisdem planè verbis, scripto suo Congregationi dato consignasset: productisque in medium instrumentis, res ita constitit.

Tunc ne peregrinam doctrinam Molinæ affictam crederent aliqui, legit Didacus Alvares ea Concordiæ loca, quibus ob bonum liberi arbitrii usum, auxilium gratiæ concedi propugnat. Id ultro fassi sunt Jesuitæ; Molinam tamen ob id Censurâ dignum negarunt; cum de liberi arbitrii usu ex gratia profectò loqueretur. Oppositum ex triplici capite probavit Lemos: nec nisi ad unum, & quidem sublestè satis, responderunt illi. Sed ad alteram quæstionem declinantes, se contra Prædicatorum asserta probaturos dixerunt; Pelagium gratiæ cooperantis seu concomitantis auxilium non admisisse, atque ob id unum damnatum esse, *quòd negaverit omnem gratiam supernaturalem intrinsecam; nec aliam agnoverit præter liberum arbitrium, & legem atque doctrinam forinsecùs insonantem.*

Hac de re cùm invicem disceptarent; Jesuitas gratiam cooperantem in internis suasionibus constituentes, easque à Pelagio nusquam admissas fuisse propugnantes, interpellavit Episcopus Neritonensis. *Non potest*, inquit, *negari esse certum apud S. Augustinum in libro de gratia Christi, Pelagium agnovisse internas Dei revelationes & suasiones; sed an ficte, an verò ex animo eas agnoverit, S. Augustinus non indagavit. Quippe cui cum Pelagio quæstio erat, non de istis revelationibus interioribus & suasionibus, quibus Deus moraliter tantùm movet, sed de gratia præoperante, quæ verè & realiter voluntatem movet, & ex nolente volentem facit, ut millies clamat S. Augustinus contra Pelagium & ejus sectatores.* Atque ita desiit disputatio.

Postmodùm jubente Congregationis Capite, ut tertiæ & quartæ propositioni (de quibus Prædicatores abundè dixerant) Jesuitæ satisfacerent; responderunt ea se resumere velle, quæ die prima Februarii minùs cumulatè dixissent. Prolixiora itaque scripta legerunt, quibus primam alteramque propositionem, Theologorum testimoniis ac rationibus astruere nitebantur.

Absolutâ lectione, *Subterfugitis*, inquit Lemos, *punctum difficultatis maximæ. Quoniam Molina dixit, Deum ex certa lege conferre auxilia gratiæ homini sic credenti: idcirco nos instamus, quòd ponat initium salutis ex nobis & ex bono naturæ.* Id uspiam à Molina dictum, subdubitanter negavit Cobos: tum producto per Thomam de Lemos testimonio, fassus est, benignâque interpretatione emollire voluit. At molestiùs in oppositum urgente Prædicatore, hæc una Jesuitarum responsio fuit: *Precamur*, inquit Consultores alloquens, *Dominationes Vestras, ut patienter ferant tarditatem nostram in respondendo ad propositas nobis aliàs propositiones. Non enim possumus, quod maximè optaremus, ita facilè colligere quæ expendenda nobis videntur, pro defensione Viri Catholici & pii, in judicium vocati: tum propter ægram valetudinem Patris Cobos, qui ferè semper dolore capitis torquetur: tum etiam quia Pater Arrubal, cum sit publicus Professor, oportet ut oneri sibi imposito satisfaciat.*

Injecit ad hæc Thomas de Lemos affectatæ dilationis accusationem; quam cum illi

illi eluere vellent, partim exaggeratâ rei difficultate, quæ ultra Prædicatorum voluntatem diutiùs expendi deberet, partim alienis negotiis, quibus ipsi detinerentur, abundantiùs jactitatis; reposuit D. Cariatensis, ut & ipsi attenderent, Illustrissimos Episcopos graviora negotia sepoluisse, propriisque desertis Ecclesiis in hujus unius Congregationis curam intendere. Quare nec nimium fore, si & illi, cæteris sepositis curis, huic uni incumberent; suasque ad tertiam & quartam propositionem, responsiones quantociùs afferrent.

Die 8. Februarii 1601. convenerunt apud D. Cariatensem, cum Dominis Consultoribus, Prædicatores ac Jesuitæ, ad sextam Congregationem habendam.

Præmissâ oratione, monuit Illustrissimus Præses, aliàs à S. D. N. vetitum fuisse, ne in hisce conventibus disputationes instituerentur. Quapropter utrique parti prohibuit, ne suas de Propositionibus ac Censuris judicia contentiosè proferrent: neve quisquam injussus loqueretur, aut loquentem interpellaret.

Prædicatoribus subinde innuit, ut si quid ultra de tertia & quarta propositione dicendum occurreret, in medium adducerent. Quibus nihil ultra desiderantibus, Jesuitis dicendi venia data est.

Dixit itaque Christophorus Cobos de tertiâ propositione, quam & Molinæ falsus est; & Censurâ injustè notatam asseruit. De quartâ nihil habuit, concessi sibi temporis brevitatem causatus. Quapropter judices rogavit, ut semel tantùm in hebdomada Congregationes haberentur. Responsum, ea de re deliberatum iri: atque interim quinta & sexta propositio, appositâ cuique Censurâ utrisque Patribus data fuit, suas ad diem duodecimam responsiones paraturis.

CAPUT DECIMUM QUINTUM.

Quid à septima quarti hujus examinis Congregatione, ad undecimam usque, tractatum ac definitum.

Die 12. Februarii 1601. apud D. Cariatensem Congregatio septima celebrata est. Actum in primis inter Consultores de Patrum Societatis supplicatione nuper oblatâ. Statutum est unicam deinceps qualibet hebdomadâ, pro partibus audiendis, Congregationem celebratum iri, die Lunæ: alteram tamen die Jovis habendam, cui soli Consultores pro examinandis partium responsionibus interessent.

Vocatis denique utrisque Patribus, accessit loco Christophori Cobos, Gregorius de Valentia. Is sincerè respondendi servandique silentii Sacramentum emissurus, nusquam adduci potuit ut debitâ formâ juraret. *Juro*, inquit, *quod alii jurarunt*: nec aliud unquam ab illo obtineri fas fuit: quantumcunque ea loquendi ratio apertâ æquivocatione laboraret.

De quarta propositione in Molinæ defensionem copiosè dixit Petrus Arrubal.

Tum ad quintam & sextam jubente Præside properarunt Prædicatores. Ita verò se habebant illæ, hisque Censuris jam ante notatæ fuerant.

Quinta Propositio.

Deus sine ulla intermissione ad ostium cordis nostri stat, paratus semper conatus nostros adjuvare, desideransque ingressum; non tamen sine intermissione pulsat specialibus auxiliis, sed sæpe, non solùm quando apta occasio se offert, sed etiam quando torpens ac pigrum liberum arbitrium prospicit.

Ita docet Molina in sua CONCORDIA quæst. 14. art. 13. disp. 10. §. 1. *Circa finem.*

Censura.

Hæc propositio videtur asserta contra expressam definitionem Concilii Arausicani II. can. 4. & 6. Fuit etiam tradita à Cassiano, ut apparet apud S. Prosperum lib. contra Collat. cap. 16. Ita Faustus Rhegiensis lib. 1. de grat. cap. 7. quam impugnat S. Prosper loco citato, & S. Augustinus lib. 2. ad Simplician. quæst. 2. Quam etiam D. Cardinalis Bellarminus agnoscit fuisse Cassiani & Fausti errorem, lib. 6. de grat. & lib. arb. cap. 8. §. *Hac igitur.*

Sexta Propositio.

Licet auxilium supernaturale gratiæ non sit simpliciter necessarium, ut liberum arbitrium assentiatur actu merè naturali iis quæ fides docet, sed solùm, ut assentiatur prout oportet ad salutem, nihilominus quàm sæpissimè non solùm confert, ut assensus eliciatur, qualis oportet, sed etiam ut simpliciter eliciatur; eo quòd liberum arbitrium, neque supernaturalem, neque naturalem assensum tunc eliceret, nisi divinitùs illustraretur intellectus, & supernaturaliter voluntas excitaretur, alliceretur, & suaviter ad assensum traheretur..... Atque hoc innuunt simul Scripturæ sacræ, quæ docent fidem donum Dei esse, ad eamque homines tractu & impulsu Spiritus Sancti perduci. Ita docet Molina in sua CONCORDIA quæst. 14. art. 13. disp. 7. §. *Illud tamen.*

Censura.

» Apparet ex his propositionibus, quàm consequenter Molina loquatur, insistendo semper vestigiis Cassiani, à cujus doctrina nequaquam discedere judicabitur, si tam Cassianus, quàm S. Prosper attentè legatur, contra Collat. cap. 38.

Ad eas ergo, jubente Præside Prædicatores properarunt: *Qui*, ut Secretarii verbis utar, *debitâ submissione solitaque modestiâ responderunt*; easque & à Molina verè assertas, & à Congregatione debitâ Censurâ confixas professi sunt.

Molinæ contra Prædicatores defensionem arripuit Gregorius de Valentia, breviùs quidem solito, *Sed ita leviter*, inquit Secretarius, *& debilibus rationibus curavit excusare Molinam ab errore, ut potiùs visus sit confirmasse Censuram, quàm evacuasse illius fundamenta.* Tantâ tamen audaciâ Prædicatores ad concertationes provocavit, ut inanes clamores vanosque tumultus, Consultorum autoritate sedari necesse fuerit.

Suas utrique Theologi responsiones scripto reliquerunt; septimâque & octavâ propositione cum utriusque Censurâ de manu Secretarii susceptâ, recessere.

Interea de ferendo judicio inter Consultores agi cœpit; quæve forent in instituendo examine servandæ rationes statuerunt. Harum potissima fuit, ut clarissimus Bossutius propositionum defensiones, clariori quâ posset methodo digestas, ad sacrum consessum statis diebus referret & exponeret: universi tamen studium ac laborem ad earum examen impenderent. Ob id enim propositionum controversarum scriptorumque partis utriusque transumta singulis tradebantur, ut omnia per otium meditarentur, ac vota pararent.

In Diariis. Addunt ad hæc clarissimus Pegna & Thomas de Lemos, Episcopum Cariatensem Congregationi retulisse, quo pacto Societatis Præpositus apud ipsum superiori die conquestus esset, impletum non iri Sanctissimi voluntatem (qua Pelagianorum & Molinæ CONCORDIAM expendi jusserat) nisi de illorum erroribus in antecessum ageretur: eundemque Illustrissimum Præsulem Jesuitis præcepisse, ut Præposito suo significarent; nec Sanctissimi mentem religiosiùs impleri, nec Pelagianorum ac Molinæ consonantiam feliciùs detegi posse, quàm si Concordiam illam in cujuslibet propositionis examine, pro more suo Congregatio sigillatim expenderet.

Die 15. Februarii 1601. octavum Conventum egerunt soli Consultores apud D. Cariatensem, ad primæ propositionis ejusque defensionum examen. Factâ relatione per doctissimum D. Bossutium, rebusque per quatuor fermè horas maturè discussis, *Omnes*, inquit Secretarius, *uno Carmelitâ excepto, censuerunt persistendum esse in Censurâ factâ in dictam propositionem.* Plumbino dumtaxat scrupulum movit Pelagianismi nota huic propositioni impacta; tametsi propositionem ipsam, uti falsam & totius Theologicæ ac Philosophicæ scholæ principiis repugnantem condemnaverit: *Plumbinus* (verba sunt Secretarii) *asserebat propositionem falsam esse omninò, & contra universam scholam Philosophicam & Theologicam, secundum quam sæpiùs clamabat, concedendum esse necessariò intimam Dei motionem in causas secundas, nedum in effectus: præmovereque Deum & prædeterminare voluntatem nostram physicè & realiter ad actus bonos, tam naturales, quàm supernaturales. Non tamen se audere simpliciter subscribere Censuræ, quòd scilicet non discederet à semitis Pelagianorum.*

Instrumentum confirmationis Censuræ in hunc modum editum est, & à Consultoribus consignatum.

Adsit Spiritus Sancti Gratia.

« In nomine D. N. Jesu Christi: Amen. Anno salutis 1601. die verò 15. mensis Februarii, quæ fuit dies Jovis, habita fuit Congregatio apud Rev. D. Cariatensem ad expendendas responsiones & defensiones, quas Patres Jesuitæ obtulerunt sacræ Congregationi ad excusandam primam propositionem P. Molinæ. *Exstat in Actis Coronelli cum aliis sequentibus.*

« Expensis defensionibus & responsionibus Patrum Jesuitarum, post longam discussionem sacra Congregatio censuit, non esse discedendum à sententia, sed potiùs persistendum in Censura primæ propositionis.

« Ita est F. Propertius Resta Episcopus Geruntinensis & Cariatensis.

« Ita est ego F. Julius Episcopus S. Agathæ Gothorum.

« Ita est ego Lælius Landus Episcopus Neritonensis.

« F. Hyppolitus Episcopus Montis Pelusii confirmo.

« Ita est F. Hieronymus Palantierus Franciscanus Conventualis.

« Ita est ego F. Joannes de Rada Ord. S. Francisci de Observantia Generalis Procurator.

« Prima propositio Congregationi nostræ adducta adversùs Molinam non placet in illo quod docet, nempè influxum Dei generalem non agere in causam secundam.

Ego

„ Ego F. Joannes Baptista de Plumbino, ut
„ supra sentio.

„ Ita est ego F. Gregorius Nunnius Coronel Secretarius.

„ Ego F. Joannes Antonius Bovius Carmelita, in prima hac propositione nihil
„ agnosco quod sanæ doctrinæ contradicat.

„ Ita est ego F. Jacobus le Bossu Benedictinus Doctor Sorbonicus.

„ Ita est ego Ludovicus de Creil Sorbonæ Parisiensis Doctor.

Die 19. Februarii 1601. convenerunt ad nonam Congregationem, unà cum meritissimis Consultoribus amborum Ordinum Theologi. De septima & octava propositione, censurisque quibus jam ante confixæ sunt, agi cœptum est. Sic verò habebant.

Septima Propositio.

„ Quoniam facienti quod in se est, Deus non denegat gratiam, Christusque nobis promeruit auxilia non solùm, quæ conantibus nobis ex nostris naturalibus efficere quod in nobis est, præstò essent, ac prævenirent, ut sic illo eodem conatu eliceremus dispositionem supernaturalem ad gratiam, sed etiam quibus sæpè excitarèmur omninò: indè est, quòd quoties quis paratus fuerit ad conandum ex timore, efficiendumque totum quod potest, circa detestanda peccata commissa, & cavenda in posterum omnia lethalia, præveniatur à Deo affectu donoque timoris supernaturalis, & eliciat attritionem supernaturalem, qualis cum sacramento est necessaria, ut peccata deleantur.

„ Ita docet Molina in sua CONCORDIA quæst. 14. art. 13. disp. 14. mem. 5. §. *Post hanc*, & §. *Illud tamen*.

Censura.

„ Non recedit Molina à doctrina Cassiani, quem apparet Doctorem habuisse in scribenda ista sua CONCORDIA liberi arbitrii cum divina gratia, tum ex locis citatis in Censuris aliarum propositionum; tum etiam ex Cassiano Collat. 13. cap. 8., & in eodem libro S. Prosperi contra Collat. cap. 3. §. *Qui cum in nobis*; quæ cum S. Prosper ibi dicit non posse ad sensum Catholicum reduci, ostendit apertè, universam hanc doctrinam Molinæ sinistrè traditam esse; nec nos posse catholicè illam interpretari, cum expressè doceat, posse hominem ex viribus naturalibus conari ad detestanda peccata commissa; quem conatum infallibiliter consequatur auxilium gratiæ divinæ, affectusque & donum timoris supernaturalis, utpotè ex certa lege à Deo Patre cum Christo filio suo constituta. Quem errorem impugnat S. Prosper lib. cit. cap. 7. 8. 16. & sæpè alias, item S. Augustinus lib. 2. ad Bonif. cap. 10. „

Octava Propositio.

„ Eo modo Deus suâ sapientiâ leges, quibus vitam spiritualem atque ejus incrementum conferret, accommodavit, ut, sicut per gratiam hominis naturam ex se liberam perficiebat, ita etiam ante receptionem gratiæ, & in ipsa gratiæ receptione, ac postea in augmento illius, suum locum libero relinqueret arbitrio, quatenus ita ipse autor esset omnium bonorum, omniaque ei accepta referrentur, ut nihilominus libero arbitrio propria laus, & industria servaretur. „

„ Hæc Molina in sua CONCORDIA quæst. 14. art. 13. disp. 9. §. *Ut qua*, & disp. 12. §. *Primo*, & §. *Sensus*. „

Censura.

„ Sanè tanto studio P. Molina evehit liberi arbitrii vires, ut illud videatur constituere integrum, non læsum per peccatum originale; & tanta aviditate exposcit proprium conatum, & propriam industriam, cui præstò existat auxilium gratiæ, ut conversio laudi ipsimet peccatori tribuatur: quasi verò nullius laudis esset, si conatus ille & industria gratiæ divinæ adjutorio præveniretur: ut illi objici posse putemus, quod S. Prosper Cassiano objecit lib. contra Collat. cap. 36. Exigua conclusione penè totum Pelagianum dogma confirmas. Videatur etiam cap. 38. & definit. 11. „

Dixit ergo Didacus Alvares de septima & octava propositione, quas & à Molinâ propugnatas, & à Congregatione meritò confixas asseruit. Judicium scripto reliquit in Congregationis commentariis reponendum.

Pro Molina fusiori sermone peroravit Gregorius de Valentia. Primò quidem universim, doctrinæ ejus orthodoxiam ex Academiarum approbatione commendavit: tum propositiones septimam & octavam, quas è Molina verè petitas fassus est, uti maximè Catholicas defendit: *De iu tam multa dixit extra causam* (Secretarii verbis utor, ne ad invidiam loqui videar) *ut omnes mirarentur hominis ingenium. Nam exorsus explicare secundùm Concilium Tridentinum, quodnam esset justificationis initium, & unde sumendum, tam multa involvit, tantaque subtilitate, vel potius sagacitate & calliditate, ut verborum fuco, & affectatis quibusdam admirationibus ostendere videretur, similiter Molinam de exordio justificationis fuisse philosophatum; cum tamen longe aliter sese*

sese res haberet. Proferebat quasdam Molinæ sententias, ambiguas illas quidem, sed quæ facilè possent explicari ad bonum sensum, quamvis & in illis æquè expensis aliquid veneni lateat: quæ Molinæ mentem aperiunt, silentio obvolvit. S. Augustini, S. Prosperi & Conciliorum sententias apertissimas, ex quibus Semipelagianorum & Molinæ errores redarguuntur, ad suffugium quo Molinam protegere constituerat, oculis, risu, gestu, corporis motu, & multo verborum apparatu retorquere conabatur. Ita sanè, ut non tam Molinam excusare, quàm Sanctorum & Conciliorum doctrinam obscurare videretur.

Post causæ actionem Prædicatores risu & cachinnis illusit Petrus Arrubal, quasi qui Molinæ mentem præposterè attigissent: eosque ad reponendum provocavit Gregorius de Valentia.

Jubente itaque sacro Consessu duo subjunxit Didacus Alvares. 1. Perperam Prædicatoribus exprobratum, quòd susceptam à Molina liberi arbitrii defensionem molestè tulissent, quam & ipsi, servatis gratiæ juribus, æquiori zelo susciperent. 2. Propriam homini laudem atque industriam ab ipsis eo sensu servari, quòd ille re vera operetur & agat, non quòd nativis per sese viribus adnitatur. Ceterum cùm nonnulla Molinæ loca, quibus voluntatis naturalia desideria à Deo ex certa lege adjuvari docet, emollire tentasset Petrus Arrubal, ac naturale pro necessario usurpatum respondisset; instarunt Lemos & Alvaresius, nec sic quidem Molinam in tuto positum iri, quippe qui justificationis initium, eo etiam pacto in sola natura reponeret.

Dicentem Alvaresium non semel interpellare tentavit Gregorius de Valentia: at silere jussus, ad finem usque sustinuit. Tunc collatis cum Arrubale studiis atque viribus, Prædicatorum responsa confutaturus, superiora dicta recudit. *Primùm G. de Valentia,* inquit Secretarius, *postea Arrubal, eademmet cæperunt iterato sermone referre; quæ non nihil tædii auditoribus pepererunt.* Demum indicto silentio, datisque propositionibus nonâ ac decimâ, utrique Theologi recessere; nec multò post Congregatio soluta est.

Die 21. Februarii 1601. Consultorum Conventus decimus apud D. Cariatensem habitus est; ut de secunda Molinæ propositione, ejusque defensionibus judicarent.

Exposuit in primis Joannes de Rada Jesuitas nonnullis Romanæ Curiæ Principibus insusurrasse, nec se satis in Congregationibus audiri, nec suas ab omnibus Consultoribus responsiones expendi. Hujusce inanis querelæ occasionem, edito decreto præciderunt sapientissimi Patres. Prædicatoribus ac Jesuitis perinde jussum fuit, ut tot deinceps responsionum suarum exemplaria deferrent, quot Consultores aderant: suaque secum scripta communicarent; quò quisque pro libito reponere posset.

Auditâ deinde doctissimi Bossutii relatione, Societatisque defensionibus per horas quinque discussis; omnes, Plumbino & Bovio dumtaxat exceptis, pro pristinæ Censuræ confirmatione pronuntiarunt. Id verò in Plumbini suffragio lepidum fuit, quòd eo maximè tenderit, *ut de propositione ferretur judicium, abstrahendo illam ab omni consideratione doctrinæ & scopi Molinæ; & absque eo quod ad aliquam aliam circumstantiam vel partem alteram propositionis referretur.*

Festivam illam de dogmaticis quæstionibus censendi rationem molestè tulit Gregorius Coronellus, viroque dignam ostendit, qui reo, posthabitâ quacunque juris normâ, gratificari velit.

Decretum sub hac formâ instructum ac Censorum subscriptione munitum fuit.

« Die Jovis 22. Februarii 1601. habita fuit Congregatio apud R. D. Cariatensem, in qua discussæ fuerant propositio secunda P. Molinæ, & defensiones, quas Patres Jesuitæ obtulerunt sacræ Congregationi ad eandem propositionem. Quibus expensis & consideratis, decretum fuit persistendum esse in Censura, exceptis tamen RR. PP. Procuratore Generali S. Augustini, & Regente Collegii Carmelitarum, qui quoniam peculiariter censuerunt, explicabunt sensum suum subscribendo.

« Ita est F. Propertius Resta Episcopus Geruntinensis & Cariatensis.

« Ita est ego F. Julius Sanctutius Episcopus S. Agathæ Gothorum.

« Ita est ego Lælius Landus Episcopus Neritonensis.

« F. Hipolytus Episcopus Montis-Pelusii confirmo.

« Ita est F. Hieronymus Palantierus Franciscanus Conventualis.

« Hanc propositionem secundam non absolutè assero esse Pelagianam, sed in ordine ad septimam dico esse Semipelagianam. Ego F. Joannes de Rada Ordinis S. Francisci Procurator Generalis.

« Propositionem secundam non esse Pelagianam neque Semipelagianam sentio Ego F. Joannes Baptista de Plumbino Ordinis Eremitarum S. Augustini, salvo semper meliori ac saniori judicio atque censura.

Ego

„ Ego F. Gregorius Nunnius Coronel Secretarius persisto in Censura.

„ Ego F. Joannes Antonius Bovius Carmelita secundam hanc propositionem quoad omnes sui partes censeo in fide tutam, & à pluribus gravissimis Scholasticis doceri: ut fusiùs explicavi in secundo nostro Scripto parte prima.

„ Ego F. Jacobus le Bossu Benedictinus & Doctor Sorbonicus persisto in Censura.

„ Et ego Ludovicus de Creil Sorbonæ Parisiensis Doctor.

CAPUT DECIMUM-SEXTUM.

Quid ab Undecima quarti hujus Examinis Congregatione ad Decimam-quintam tractatum ac definitum.

DIe 26. Februarii 1601. Congregatio undecima celebrata est apud D. Cariatensem, ad quam amborum Ordinum Theologi perinde ac Consultores accessere. Tractatum hìc primò de Nona ac Decima propositione Molinæ, Censurisque in eas jam ante districtis. His verbis expressæ erant.

Nona Propositio.

„ Vocatio Dei interna ad fidem, interior excitatio fidelis ad pœnitentiam, per gratiam prævenientem, immò & illustrationem, & auxilia quibus justificati à Deo adjuvantur, tum ut majora Spiritus incrementa percipiant, tum ne tentationibus succumbant... pendent quàm maximè à libero arbitrio ejus qui vocatur & excitatur; tum quia potuit accedere aut non accedere ad audiendum vel legendum verbum Dei, unde notitias compararet, quibus Deus se inserere & ad fidem vocare solet; tum etiam quia, postquam accessit, potuit divertere aliò cogitationem, neque intendere iis quæ credenda proponebantur; tum denique quia potuit accedere, vel animo addiscendi atque amplectendi quod verum bonumque esse judicaret, vel animo irridendi aut impugnandi quæ dicerentur. Est enim rationi valde consentaneum, ut illum potiùs misericorditer vocet & adjuvet Deus, qui paratus obedire veritati illamque amplecti, quàm eum, qui sinistrâ intentione ad audiendum accedit.

„ Hæc propositio desumta est ex CONCORDIA Molinæ quæst. 14. art. 13. disp. 9. §. *Patet tertio*, & §. *Quod hac*, ubi illam copiosiùs docet, quàm à nobis fuerit proposita.

Censura.

„ Hæc sententia P. Molinæ ita est Cassiani doctrinæ consona, ut S. Prosper lib. contra Collat. cap. 9. dixerit illam ab Ecclesia expugnatam fuisse: Quam ipse, à S. Augustino apprimè edoctus, impugnavit tam cap. 8. quàm etiam 13. ejusdem lib. Est etiam contra definitionem Concilii Arausicani II. can. 4. Quo fit, ut D. Cardinalis Bellar. lib. 6. de gratia & libero arbitrio cap. 9. §. *Hac igitur*, dixerit: *Scribunt Calvinus & Kemnitius communem Scholasticorum sententiam esse, ante gratiam præcedere in homine quædam bona desideria, quamvis debilia. Sed hæc non Scholasticorum, sed Cassiani & Fausti sententia fuit, quam S. Thomas & S. Bonaventura, Gregorius Ariminensis, Joannes Capreolus & alii Doctores Scholastici repudiant atque refellunt.* Cujus oppositum dicit non solùm ex Scripturis, sed etiam ex Pontificum scriptis & Conciliorum decretis copiosè probari. “

Decima Propositio.

Potest homo solis viribus naturalibus liberi arbitrii & concursu generali Dei, elicere actum absolutum merè naturalem dilectionis Dei super omnia, qui ad justificationem nequaquam sufficiat, & pari ratione propositum absolutum..... placendi Deo in omnibus, servandique mandata omnia naturalia, obligantia sub culpa lethali; tametsi & hunc & quemcumque alium actum virtutis moralis, multo faciliùs & promtiùs potuerit elicere homo naturæ integræ, quàm modò possit homo naturæ corruptæ. “

Ita docet Molina in sua CONCORDIA quæst. 14. art. 13. per totam disputationem 14. sed videatur mem. 3. §. *Duo quædam*, & §. *Secundum est*; & disp. 19. mem. 6. §. *Fortè mirabitur* in edit. Antverp. Est autem semper memoriâ tenendum, quòd Molina non semel docuit, facienti quod in se est, Deum ex certa lege gratiam conferre. “

Censura.

Hæc fuit sententia Cassiani quam impugnat S. Prosper lib. contra Collat. cap. 27. & 30. Et lib. de Ingratis significat, relabi in eorum errorem, qui negabant per peccatum originale fuisse læsum & vulneratum liberum arbitrium, Pelagianos intelligens. Eandem impugnat S. Augustinus lib. 2. ad Bonif. contra duas Epistolas Pelagian. cap. 8. & 10. & alibi; quam etiam condemnat Concilium Milevitanum can. 4. Arausicanum II. can. 25. & Tridentin. sess. 6. cap. 6. Hinc D. Cardinalis Bellarm. lib. 6. de grat. & lib. arb. cap. 7. impugnat hanc Molinæ propositionem ex Scripturis divinis, & decretis Conciliorum, & do-

„ ctrina S. Augustini, probatque ex illa col-
„ ligi potissimùm errores Pelagii.

De Nona ac Decima propositione sententiam rogati Prædicatores, utramque & ex Molina petitam, & justè damnatam agnoverunt: totidemque Congregationi sententiæ suæ transumta dedere, quot judices aderant.

Postmodùm, acceptâ dicendi veniâ, Molinæ causam egit Gregorius de Valentia: *Qui silentium manu indicens, gravi quodam sermone aliqua proposuit, contumeliosè magis quàm Theologicè.* Propositiones nulla Censurâ dignas asseruit, *venustè quidem, sed minùs eruditè. Cumque per horam dixisset*, inquit Secretarius, *hoc unum constitit apud Censores, illum non tam Molinæ, quàm totius Societatis doctrinam à Semipelagianismo excusare voluisse. Sæpe enim & sæpius dixit*: Hæc cum Molinâ & nos dicimus, nec ille aut nos Pelagiani vel Semipelagiani sumus. *Ita autem Semipelagianorum dogmata proponebat, ut cùm conaretur Molinæ assertiones ostendere esse ab illis longè diversas, cum illis procul dubio maximè convenire significaret. Quod cùm omnes observassent, & alii aliis nutu quodam indicare viderentur; nullus tamen fuit, qui verbo mentem aperiret.*

Valentiam excepit Petrus Arrubal. Ambas propositiones apud Theologos esse receptissimas affirmavit: Molinamque à Cassiano remotissimum probaturus, utrumque perinde suscipere ac venerari visus est.

Instarunt in oppositum Prædicatores, & intimam Molinæ & Cassiani consonantiam ostenderunt. Verùm cùm Molinam defensorum suorum diverticulis excusatum non iri dixisset Lemos; inurbanè sermonem abrupit Gregorius de Valentia: *Vide*, inquit, *quid dicas Pater. Nos hic non agimus de excusatione Molinæ, sed de sensu & sententia propositionum illius, quas vos Pelagianismi notâ cum magna injuria inuritis.* Resumto nihilominus sermone, institutum prosecutus est: eoque demùm absolvente, adeò diffusè reposuerunt Patres Societatis (tametsi nonnisi *cavillationes, frivola, nulliusque ponderis objecta recuderent*) ut Lemosio ad dicendum assurgenti, silentium ob temporis angustias indictum sit: *Quod ii non ægre tulisse visi sunt*: ait Secretarius.

Defensionum suarum transumta singulis Consultoribus offerre neglexerunt Jesuitæ; quanquam id non ita pridem ipsorum occasione sancitum esset. Rogati sunt à Secretario, ut non præsentes modò, sed & omnes hactenus elucubratas quantociùs afferrent; ne deinceps Consultoribus, quasi examinandæ causæ minùs intentis, obloquendi ansam arriperent: ac tandem receptis propositionibus Undecimâ & Duodecimâ, adjunctis utriusque Censuris, recessere.

In diem primam Martii Congregatio indicta fuerat, ac re ipsa apud D. Cariatensem convenerunt Consultores. Cæterùm absentibus Episcopo Neritonensi, R. P. Plumbino & Palanterio, in diem octavam prorogata est.

Die 8. Martii 1601 duodecima Congregatio fuit, ubi tertiam Molinæ propositionem, ejusque Defensorum momenta eruditissimi Consultores examinarunt. Re publicis suffragiis in judicium vocatâ, & expensâ; auditâque Clarissimi Bossutii expositione, in eam sententiam itum est: *Molinæ propositionem esse Pelagianam, & formaliter assertam à Pelagianis; impugnatam verò & expugnatam à S. Augustino, locis citatis in Censura.*

Dissensere dumtaxat Plumbinus & Bovius: quorum primus septimo loco dicens pro Molinæ defensione, *Etiamsi scriptas haberet rationes, quas paraverat, præ oculis, vix unam proferre potuit, quæ speciem aliquam haberet probabilitatis*, inquit Secretarius. *Immò tam confusè dixit, toties sibi contradixit, ut vix explicaverit cui sententiæ adhæreret.* Cùmque inter dicendum ter aut quater professus esset Molinam à Pelagianismo excusatum non iri, si conatus illi & pia desideria, quæ ponit, aliquem ordinem vel respectum haberent ad primam gratiam, vel aliquo modo voluntatem disponerent ad illam recipiendam; Coronellus arreptâ occasione multis ostendit, usque adeò conatus illos à Molina assertos ad primam gratiam positivè disponere; ut juxta ipsius principia, quantitas Gratiæ conatûs quantitati respondeat.

Bovii suffragium non minùs singulare fuit. Ut Molinam ab hæresi vindicaret, duos ordines gratiæ distinxit: *Quorum alter contineret gratias quasdam, ut ægritudines, prædicationes, bona exempla &c. Alter verò gratiæ dona secundùm entitatem.* Quibus suppositis, ait Molinam admittere conatus dispositivos, ante gratiam, secundùm entitatem; supponere tamen gratias alias, educationem videlicet bonam inter viros pios, horum monita & exhortationes, casus asperos, &c. Quasi verò hæc eadem Semipelagiani non admisissent!

Ut ut est, duobus illis dumtaxat exceptis in tertiæ propositionis damnationem conspirarunt universi, edito sequenti Decreto.

Die Jovis 8. Martii 1601. habita fuit „
Congregatio apud D. Cariatensem: in qua „

„ expensæ sunt tam rationes Censuræ factæ „ in tertiam propositionem Molinæ, quàm „ etiam defensiones Patrum Jesuitarum Con- „ gregationi exhibitæ, ad illam excusandam „ à Pelagianismo & Semipelagianismo. Et „ expensis omnibus ritéque consideratis, ex- „ ceptis P. Procuratore S. Augustini & P. „ Regente Collegii Carmelitarum, omnes „ censuerunt persistendum in Censura facta.

„ Ita est F. Propertius Resta Episcopus „ Geruntinensis & Cariatensis.

„ Ita est ego F. Julius Episcopus S. Aga- „ thæ Gothorum.

„ Ita est ego Lælius Landus Episcopus „ Neritonensis.

„ F. Hippolytus Episcopus Montis-Pelu- „ sii confirmo.

„ Ita est F. Hieronymus Palantierus Fran- „ ciscanus Conventualis.

„ Ita est F. Joannes de Rada Ord. S. Fran- „ cisci Procurator Generalis.

„ Ita est F. Gregorius Nunnius Coronel „ Secretarius.

„ Ita est F. Jacobus le Bossu Benedicti- „ nus & Doctor Sorbonicus.

„ Ita est Ludovicus de Creil Doctor Sor- „ bonæ Parisiensis.

„ Circa tertiam propositionem non existi- „ mo esse de reliquiis Pelagii, neque ejus „ fautorum: cùm in ea non sit sermo de co- „ natu, petitione, vel desiderio, prout „ oportet, nimirum proportionato ad justi- „ ficationem, sed de imperfecto & impro- „ portionato, quod nullo modo & per se „ disponit ad gratiam prævenientem, ut „ latè ostenditur in nostris particularibus „ Censuris. Ego F. Joannes Baptista à Plum- „ bino Ordinis Eremitarum S. Augustini „ Procurator Generalis.

„ Ego F. Joannes Antonius Bovius Car- „ melita censeo tertiam hanc propositionem „ esse catholicam & probabilem. Ut enim „ ostendi in posteriori nostro Scripto parte „ primâ, illi ipsi conatus sunt effectus præ- „ destinationis, & ex gratia.

Die 12. Martii 1601. apud D. Cariatensem decimam-tertiam Congregationem celebraturi convenerunt Censores ac Theologi. Actum de propositionibus Undecima & Duodecima, illarumque censuris, his verbis expressis.

Undecima Propositio.

„ Negari non potest complurium esse „ Scholasticorum sententiam, liberum no- „ strum arbitrium cum solo concursu ge- „ nerali Dei, elicere posse non solùm actum „ attritionis naturalem, id est, dolorem de „ peccatis ex Dei timore, cum proposito „ ampliùs non peccandi lethaliter; sed etiam actum contritionis naturalem, qui idem “ propositum non peccandi ampliùs lethali- “ ter includat. “

Ita docet Molina in sua CONCORDIA “ quæst. 14. art. 13. disp. 14. mem. 1. in “ principio, & mem. eodem §. *Ratio.* Hujus “ assertionis rationem assignat, quâ aperit, “ quas putet vires liberi arbitrii, & quan- “ tas esse. Fuisse autem hanc propositionem “ assertam à Molina, non tantùm disputa- “ tionis gratiâ, liquet ex tota disp. 14. ma- “ ximè post additum §. illum *Forte mirabitur*, “ quem addidit in editione Antverp. & ex “ disp. 19. & 20. Est autem advertendum, “ quod mem. 5. adjunxit, & copiosiùs tra- “ diderat disp. 10. quoties quis paratus fue- “ rit ad conandum ex timore &c. quibus in- “ super addendum est, quòd formaliter do- “ cuit disp. 8. fidelem in peccato constitu- “ tum, quod neque fidei, neque spei re- “ pugnet, ut ex fide atque spe in Deum “ ita doleat (hoc est, ut ad salutem oportet, “ ad quod illud *ita* refertur) non indigere alio “ auxilio particulari præter concursum “ habituum fidei & spei, qui in eo reman- “ serunt. Et disp. 14. mem. 3. magis expli- “ cat quale existimet remansisse arbitrium “ nostrum post peccatum. “

Censura.

Si quæ Cassianus docuit, ut refert S. “ Prosper lib. contra Collat. cap. 8. 17. & 22. “ cum superioribus conferantur, & quæ Hi- “ larius in Epist. ad S. Augustinum de erro- “ ribus Massiliensium scribit, expendantur; “ apparebit Molinam ex illis conflasse asser- “ tionem suam & ejus rationem: quam non “ parum accedere ad Pelagianum dogma “ significavit S. Prosper lib. de Ingratis cap. “ 4. & 5. & ad Capitula Gallorum respons. 6. “ Et lib. contra Collat. cap. 8. 22. & 23. ita “ Cassiani sententiam evertit, ut Molinæ “ propositionem expugnasse etiam videatur, “ quam adversari doctrinæ Concilii Tridenti- “ ni, haud obscurè colligitur ex sess. 14. cap. 4. “

Duodecima Propositio.

Interim dum judicium rationis non ab- “ sorbetur..... in arbitrio humano, spectato “ in statu naturæ lapsæ, sunt vires sine speciali “ auxilio Dei..... ad non consentiendum in “ quocumque temporis momento, cuicum- “ que gravi vehementiorique tentationi, & “ ad superandam quamcumque magnam dif- “ ficultatem, quam pro servanda in eo solo “ instanti lege naturali necesse sit vincere, “ etiamsi ea de causa mors sit toleranda; ita “ ut si consentiat, peccet, eo quod, secluso “ quocumque alio majori auxilio, in potestate “ ipsius, tametsi non sine ingenti difficulta- “ te, positum est non transgredi tunc legem. “

„ Hanc propositionem esse ex propria
„ sententia Molinæ, constat ex disp. 19. & 20.
„ potissimùm post additum §. *Fortè mirabitur*
„ supra citatum.

Censura.

„ Quantum hæc propositio accedat ad Pe-
„ lagianismum & Semipelagianismum, facilè
„ apparet ex verbis Pelagii adductis à S. Au-
„ gustino lib. de grat. Christi, cap. 27. &
„ 28. & ex Cassiani sententia relatâ à S.
„ Prospero lib. contra Collat. cap. 22. & ex
„ iis quæ Faustus docuit lib. de grat. & lib.
„ arb. cap. 10. quos impugnarunt & expu-
„ gnarunt S. Augustinus loco citato, & S.
„ Prosper cap. 33. & cap. 35.

Prædicatores eas pro more suo ex Molina fideliter petitas, & à Congregatione jure damnatas propugnarunt: suumque de illis judicium singulis Censoribus scripto dederunt.

Pro Undecima propositione dixit Gregorius de Valentia. Hanc à Molina quidem assertam fassus est, sed à Congregatione minùs æquè confixam asseruit. Aiebat enim, Molinam loqui de actu contritionis merè naturali, qui sit extra totam latitudinem ordinis gratiæ, & insufficiente ad salutem. Item, de actu planè imperfecto & inefficaci, qui scilicet non habeat annexam observationem mandatorum. Tertiò, in absentia objectorum atque occasionum peccandi. Quartò, de homine jam fideli. Denique, tot adhibitis moderationibus seu limitationibus, non aliter Molinam censuisse defendi posse hanc Theologorum sententiam, nisi tanquam probabilem. Addidit illum nequidem Semipelagianismi damnandum fuisse, tametsi sententiam illam, tot circumscriptionibus temperatam, uti certam propugnasset, quæ ex Concilio Tridentino plurimisque Theologis eruebatur.

Cæterùm Congregationem audacter falsi postulavit, quod hancce propositionem falsò Molinæ affinxisset: *Fidelis in peccato constitutus, quod neque fidei neque spei repugnet, ut ex fide atque spe in Deum ita doleat* (*hoc est ut ad salutem oportet, ad quod illud ita refertur*) *non indigere alio auxilio particulari præter concursum habituum fidei & spei, qui in eo remanserunt.* Verùm producto Molinæ contextu disp. 8. Congregationis fidem asseruit Secretarius; nihilque prorsùs Molinæ affictum ostendit. Siluit ad hæc Gregorius de Valentia: cùmque Illustrissimos Episcopos commoveri cerneret, depositâ audaciâ, nudatoque capite inquit: *Precor vos, Rev. Domini, ignoscite mihi, si quod verbum aliquando elapsum sit, quod videatur offensivum. Non enim id ex animo, sed celeritate dicendi, & in significatione honesta & latina illud sumi cupimus.*

Dixit subinde Thomas de Lemos, ut Valentiæ momenta confutaret, doctrinæque Molinianæ virus, semotâ larvâ, detegeret. Atque interim secum Jesuitæ mussitantes, Molinæ sensum plus satis in aperto positum significabant: quin & Arrubal conjectis in Secretarium oculis, vultu ac gestu annuebat.

Reposuerunt nihilominùs secundò: tum ut ex Theologorum testimoniis evincerent, hominem justum ad eliciendos actus fidei & spei non indigere alio auxilio speciali, præter habituum concursum: tum ut undecimam Molinæ propositionem, supra laudatis limitationibus temperatam, à Semipelagianismo vindicarent.

Ad duodecimam propositionem tandem venit Petrus Arrubal, quam à Molina non absolutè quidem admissam, sed ut probabilem dumtaxat judicatam observavit. Hanc porrò nonnullis expositionibus cohonestatam à Semipelagianismo vindicare conatus est.

Vindiciis ejus satisfecerunt Didacus Alvares & Thomas de Lemos; qui adhibita utrique propositioni temperamenta, partim contra Molinæ sensum afficta, partim ad eluendam hæresis notam insufficientia, demonstrarunt.

Scripta sua Secretario dedere Patres Societatis, suæ in afferendis pro numero Consultorum exemplaribus negligentiæ veniam rogantes. Congregationi quoque supplicarunt, ne sua de Molinæ propositionibus judicia ferrent, donec de singulis ipsi dixissent. Responsum illis est: Mirum sanè videri, quòd qui vindicias suas non satis à Consultoribus expendi conquerebantur, easdem ipsis offerre negligerent: Congregationem nihil præcipitanter & immaturè facturam esse; tantoque consilio causam istam hactenus pertractasse, nihil ut amplius ab illa desiderari posse videretur.

Demùm instante nocte & ad quatuor horas protractâ Congregatione, propositiones Decimam-tertiam & Decimam-quartam ipsis perinde ac Prædicatoribus dedit Secretarius, unà cum utriusque Censuris: ut parandis responsionibus incumberent.

Die 15. Martii 1601. ad Quartæ propositionis ejusque defensionum examen convenerunt Domini Consultores in Episcopi Cariatensis palatio. Abfuit D. Crellius, qui servato subscribendi jure, excusatum se voluit.

Societatis vindicias, ad quatuor capita redactas

ductas exposuit D. le Bossu, eisque cumulate satisfecit. Quoniam verò Molinæ sensum in hacce Quarta propositione minùs fideliter expressum fuisse, defensores ejus obtenderant, eam quoque facti quæstionem pariter eliquavit, sensumque autoris summâ fide relatum, collatis locis ostendit.

Post maturum examen, quo singuli prolixo sermone suum de præfata propositione judicium exposuere, omnes, duobus dumtaxat exceptis, damnationi consensere. Decretum sub hac forma editum est.

" Die Jovis 15. Martii 1601. habita fuit " Congregatio apud D. Cariatensem, in qua " primùm examinatæ sunt rationes Patrum " Jesuitarum ad quartam propositionem: " quibus diligenter expensis, & maturè con- " sideratis, exceptis RR. PP. Procuratore " Ordinis S. Augustini, & Regente Collegii " Carmelitarum, cæteri omnes censuerunt " persistendum in Censura facta in quartam " propositionem, & ita subscripserunt.

" Ita est F. Propertius Resta Episcopus " Geruntinensis & Cariatensis.

" Ita est ego F. Julius Episcopus S. Aga- " thæ Gothorum.

" Ita est ego Lælius Landus Episcopus " Nemtonensis.

" D. Hippolytus Episcopus Montis-Pe- " lusii confirmo.

" Ita est F. Hieronymus Palantierus Fran- " ciscanus.

" Ita est ego F. Joannes de Rada Ord. " S. Francisci Procurator Generalis.

" Ita est F. Gregorius Nunnius Coronel " Secretarius.

" Ita est F. Jacobus le Bossu Benedictinus " Doctor Sorbonicus.

" Ita est Ludovicus de Creil Sorbonæ " Parisiensis Doctor.

" Propositio hæc quarta, cum non dicat " conatum naturalem esse aliquomodo cau- " sam, propter quam Deus præstet auxilia " gratiæ, sed id potiùs apertè neget, non " video quod sit Semipelagiana. Ego F. " Joannes Baptista à Plumbino Ord. Eremi- " tarum S. Augustini Procurator Generalis.

" Ego F. Joannes Antonius Bovius, quar- " tam hanc propositionem, sicut superiores, " nullâ censurâ dignam censeo. "

CAPUT DECIMUM-SEPTIMUM.

Quid a Decima-quinta quarti hujus examinis Congregatione ad Decimam-nonam, tractatum ac definitum.

Die 19. Martii 1601. Congregatio decima quinta apud D. Cariatensem habita est: cui cum menussimis Consultoribus amborum Ordinum Theologi interfuerunt. Arrubalis loco venit Christophorus Cobos.

Actum de Decima-tertia & Decima-quarta Molinæ propositionibus, earumque Censuris. Sic illæ habebant.

Decima-tertia Propositio.

Nulli adulto Deus denegat auxilium, quod ad perseverandum sit satis. Præterea " cum auxilio, quocum unus usque in fi- " nem vitæ perseverat, potest, si velit, non " perseverare. Et cum auxilio, quod Deus " confert, præstove est conferre ei qui non " perseverat, potest perseverare, per eum- " que stat, quod non perseveret. Quò fit, " ut ad donum perseverantiæ duo sint neces- " saria: unum ex parte Dei, videlicet ut ea " auxilia conferre statuerit, cum quibus præ- " videbat adultum pro sua libertate perseve- " raturum; alterum ex parte arbitrii adulti, " tanquam conditio, sine qua voluntas con- " ferendi talia auxilia non habuisset rationem " voluntatis conferendi donum perseveran- " tiæ, nempè ut adultus pro sua libertate ita " sit cooperaturus cum eis, ut perseveret: " quod in potestate ipsius est collocatum. " Quare non ita intelligendum est donum " perseverantiæ esse à Deo, quasi per illud " potestatem auferat ad non perseverandum, " aut quasi per Deum stet, quo minùs is per- " severet, qui in peccatum labitur. "

Ita habet Molina in sua CONCORDIA " quæst. 23. art. 4. & 5. disp. 1. memb. ult. " §. *Secundum est.* "

Censura.

Hæc quæ dicitur à Molina legitima, seu " potiùs orthodoxa de modo doni perseve- " rantiæ explicatio, non videtur aliena ab illa, " quam Massilienses asserebant contra S. Au- " gust. doctrinam, ut videre licet apud S. Hi- " larium in Epistola ad S. Augustinum, qui " illam impugnavit & expugnavit toto lib. " De dono perseverantiæ, sed potissimùm cap. " 6. 7. 8. & 9. Et supersedendo aliis, Molinæ " adversatur doctrina Concilii Trident. sess. 6. " cap. 13. & ejusdem definitio can. 22. "

Decima-quarta Propositio.

Triplicem scientiam oportet distinguamus in Deo, nisi periculosè in conciliandа " libertate arbitrii nostri & contingentiâ re- " rum cum divina præscientiâ, hallucinari " velimus &c. Unam merè naturalem; al- " teram merè liberam &c. tertiam denique " mediam scientiam, quâm ex altissima & in- " scrutabili comprehensione cujusque liberi " arbitrii, in sua essentia intuitus est, quid pro " sua innata libertate, si in hoc, vel illo, " vel etiam infinitis rerum ordinibus colloca- " retur, acturum esset; cum tamen posset, " si "

» si vellet, facere re ipsa oppositum, ut ex dictis disp. 47. & 48. manifestum est.

» Ita docet Molina in CONCORDIA quæst. 14. art. 13. disp. 50. §. *Triplicem*, in impressione Antverp. disp. 52. in Veneta in Comment. ad primam partem, eadem quæst. & art. disp. 17. Videre etiam oportet longissimam illam disputationem, quam addit post primam editionem in Antverp. & disp. 53. in Comment. 18.

Censura.

» Hæc propositio & doctrina de scientia media & ejus necessitate, videtur eadem cum illa, quam Massilienses excogitarunt ad exterminandam gratiam effectricem bonæ voluntatis, & ad tribuendum libero arbitrio quod gratiæ subtraherent, ne illud læderent; & ad assignandam causam infallibilitatis effectus, ut videre est in Epist. S. Prosperi & Hilarii ad S. August. Quòd Molinam similiter ob eandem rationem evincere contendisse, facilè apparet in sua CONCORDIA quæst. 23. art. 4. & 5. disp. 1. memb. 9. §. *Secunda Conclusio* in impress. Antver. mem. 12. in comment. ad primam partem mem. 11., ubi ita fatetur, adultum prædestinatum certò, hoc est, absque ulla Dei deceptione, vitam æternam consecuturum, ut tamen certitudo non sit ex parte mediorum, effectusque prædestinationis, sed ex parte divinæ præscientiæ, qua Deus altitudine &c. Unde facilè ostendit Concordiam liberi arbitrii cum præscientia & prædestinatione. Cum autem in materia prædestinationis & gratiæ S. Augustinus semper exploserit omnem præscientiæ rationem, quæ antecedat decretum divinæ voluntatis, potissimùm verò lib. de prædestinatione Sanctorum cap. 9. 18. & 19. & alibi, expugnata sanè videtur ab eodem S. Augustino hæc de scientia media doctrina, cum Massiliensium errore.

De iis paulò fusiùs dixit Didacus Alvares. Priorem à Molina, locis in Censura laudatis, aliisque benè multis assertam demonstravit, ut speciale perseverantiæ donum funditùs everteret: tum eam digna censurâ notatam ostendit. Posteriorem non modò ex Molina fideliter petitam, sed & totius ipsius CONCORDIÆ basim appellavit. De qua cùm tot hactenus in Hispaniâ ac Romæ lucubrationes à Prædicatoribus editæ fuissent; non erat cur plura subjungeret. Quapropter Congregationis Censuræ subscribens, ab aliis proferendis abstinuit.

De Decima-tertia Molinæ propositione longè aliter sensit Gregorius de Valentia: quippè qui eam in octo partes distribuit, quas uti totidem fidei dogmata propugnavit. *Dixit autem per duas horas*, inquit Secretarius, *cum inordinato corporis motu, nunc stando, nunc sedendo, jam manus complicando, jam utraque palmâ mensam, immò etiam pectus percutiendo, quantùm vix credi poterit. Ac tandem siluit; quin ad scopum Molinæ sensumque prædictæ propositionis probandum accederet.* Adversùs Congregationem acriùs declamavit, quòd priora propositionis verba perturbatè retulisset. Cùm enim juxta Molinæ textum legendum foret, *Cum auxilio, cum quo unus usque in finem vitæ perseverat, potest si velit non perseverare*: ita referebantur: *Cum auxilio cum quo unus usque in finem perseverare potest, si velit non perseverabit.*

Pro Decima-quarta propositione pugnavit Christophorus Cobos. Hanc Academiarum & Theologorum Societatis autoritate confirmavit: ac subinde, *difficultatem subterfugiens se contulit ad explicandos errores Massiliensium, ita tamen ut de re controversa ne verbum quidem diceret.*

Auditis Molinæ Defensoribus, stetit Congregationis Secretarius, vitioque Amanuensis accidisse monuit, ut priora decimæ-tertiæ propositionis verba perturbata fuissent. Subjunxit, tantò audaciorem videri Valentiæ declamationem, quantò certiùs esset, ex ea etiam verborum perturbatione Molinæ sensum nullatenùs excidisse. Illum enim de potestate consequenti, ipsique actui conjunctâ locutum fuisse, manifestum est: cùm præsertim alibi conceptissimis verbis affirmet: *Cum auxiliis ex parte Dei, cum quibus unus justificatur & salvatur, alius pro sua libertate nec justificatur, nec salvatur: & è converso.* In Conc. q. 23. art. 4. & 5. disp. 1. mem. 11. §. Postremò.

Non acquievit Gregorius de Valentia, sed interpolationem Congregationis vitio factam contestatus est. Audaciam ultra ferre non potuit Congregationis Præses. *Pater*, inquit, *non decet sanctam istam Congregationem toties iniquitatis & injustitiæ accusare: quod tu cum sæpius feceris, oportet ut verba temperes & respondeas ad propositiones sine verbis contumeliosis.* Respondit ille, id sibi ex studio vindicandi Molinam excidisse, seque tamen singulos Congregationis Consultores impensè venerari.

Sedato ergo tumultu, dixit Didacus Alvares: qui controversiâ ad legitimum statum revocatâ, Valentiæ suffugia occupavit. Ostenditque *efficacibus argumentis*, Molinam à vera & orthodoxa doctrina, de efficacia gratiæ & dono perseverantiæ, quàm longissimè aberrasse; eamque prorsus perseverantiæ rationem docuisse, quam Semi-

Semipelagiani de Pelagianæ hæresis fonte tradiderant.

Alvaresium excepit Thomas de Lemos. Utrumque Molinæ defensorem acriùs exagitavit, versutias illorum detexit; productisque libris, mutilata SS. Augustini, Prosperi, & Hilarii testimonia restituit: *Adeo ut*, inquit Secretarius, *omnes facilè conspicerent Prædicatores de Jesuitis triumphum reportasse.*

Dum suas vitiandis Patrum testimoniis astutias detegi cerneret Christophorus Cobos, ridebat risu Sardonico. Singula etiam in tabellas referebat Gregorius de Valentia, quò faciliùs ea subinde confutaret. Verùm res illi aliter cessit: *Dicturus enim ad objecta, nihil penitùs quod ad rem spectaret in medium adduxit, verbose magis, quàm Theologice agendo.* Verba sunt Secretarii.

Rogavit sub finem Congregationis Gregorius de Valentia, ut quæ hinc inde afferebantur, more scholastico proponerentur. Respondit Secretarius, quascumque disputationes à Summo Pontifice vetitas esse. Eo autem idem importuniùs efflagitante, clamavit Lemos: *Concedantur à Reverendissimis DD. disputationes; & disputemus per duos annos; quia ego non refugio illas.* Nihil tamen pro voto concessum est; sed datis propositionibus Decimâ quintâ & Decimâ sextâ, utrique dimissi sunt.

Die 22. Martii 1601. conventum decimum sextum, ad quintæ propositionis ejusque defensionum examen, celebrarunt DD. Consultores. Abfuit Palanterius, qui servato subscriptionis jure, absentiæ suæ rationes literis exposuit.

Molinæ Defensorum responsiones, in quinque capita distributas, exposuit D. Bossutius, nihilque omnium prætermisit, quæ in rei gratiam adduci posse viderentur. Maturo consilio, collatisque suffragiis, causa agitata est: ac tandem universi, Plumbino & Bovio dumtaxat exceptis, in pristinæ Censuræ confirmationem conspirarunt.

Admirationem non minimam concitavit Plumbini suffragium; qui ut Molinam à Semipelagianismo vindicaret, Semipelagianum errorem, uti Concilii Tridentini dogma vindicavit: *Gratia datur secundùm uniuscujusque naturalem dispositionem propriam.* Verùm cespitationis & oscitantiæ monitus, id à se dictum pernegavit, nec sine stomacho, & excitato tumultu: eòque confugit, ut Molinam de dispositione & præparatione per gratiam extrinsecam locutum propugnaret.

Effugium hoc suffragio suo confutavit Coronellus. Qui cum rationes in Molinæ defensionem adductas, Viro Theologo indignas appellasset: eo se dicterio petitos Plumbinus & Bovius putavere: tantosque tumultus concitarunt, ut vix Præsidentis autoritati sedari potuerint.

De Sexta propositione, post auditas Societatis vindicias à D. Bossutio expositas, agi cœpit. Verùm subortâ difficultate circa Molinæ sensum, quam instante nocte eliquare non licuit, in alteram Congregationem dilata definitio est. Interim quintæ propositionis Censura sequenti decreto confirmata est.

« Die 22. Martii 1601. habita fuit Congregatio apud D. Cariatensem, in qua interfuerunt omnes Censores, excepto R. P. M. Palanterio, qui à Summo Domino vocatus misit excusationem, & promisit se subscripturum, prout jam statuerat, examinatis à se diligenter tam propositionibus, quàm defensionibus Patrum Jesuitarum. Igitur expensis propositione Quinta Molinæ & ejus Censurâ, necnon responsionibus Patrum Jesuitarum ad Censuram præfatæ propositionis, omnes (exceptis RR. PP. Procuratore S. Augustini, & Regente Collegii Carmelitarum) censuerunt persistendum in Censura.

« Ita est F. Propertius Resta Episcopus Geruntinensis & Cariatensis.

« Ita est F. Julius Sanctutius Episcopus S. Agathæ Gothorum.

« Ita est F. Joannes de Rada Procurator Ord. S. Francisci.

« Ita est ego Lælius Landus Episcopus Neritonensis.

« F. Hippolytus Episcopus Montis-Pelusii confirmo.

« Ita est F. Hieronymus Palanterius Franciscanus Conventualis.

« Ita est F. Gregorius Nunnius Coronel Secretarius.

« Ita est F. Jacobus le Bossu Benedictinus Doctor Sorbonicus in Facultate Parisiensi.

« Ita est Ludovicus de Creil Doctor Sorbonæ Parisiensis.

« Hæc quinta propositio, cùm non asserat, immò sæpissimè neget, Deum opitulari, aut præstò esse conantibus naturaliter, hoc ipsum non præstari propter ejusmodi conatus, aut desiderii naturalis intuitu; Judico quòd non sit Semipelagiana. Ego F. Joannes Baptista de Plumbino, Ord. Eremitarum S. Augustini Procurator Generalis.

« Ego F. Antonius Bovius Carmelita censeo quintam hanc propositionem in fide tutam

tutam, & in schola probabilem.

Die 26. Martii 1601. apud D. Cariatensem Consultores unà cum amborum Ordinum Theologis convenere, de propositionibus Decimâ-quintâ & Decimâ-sextâ Congregationem habituri.

Decima quinta Propositio.

„ Non video, præter auxilium particulare gratiæ prævenientis, & concursum Dei generalem, necessarium esse auxilium aliud particulare gratiæ, ut liberum arbitrium aliquem illorum actuum possit elicere: (credendi scilicet, sperandi, & pœnitendi ut oportet) etenim illa tria unam integram & sufficientem causam illorum complere videntur, ut disp. præcedenti satis à nobis explicatum est. Quare, esto, Deus quodcumque aliud particulare auxilium denegaret, ex illis solis sequeretur effectus. Neque Concilium Tridentinum &c. Ita docet Molina quæst. 14. art. 13. disp. 37. §. *Verum.*

Censura.

„ Molina cùm præter gratiam prævenientem, sive excitantem, non requirit aliam potentiorem gratiam ad eliciendos actus supernaturales fidei, spei, & pœnitentiæ, non videtur discedere à semitis Pelagii, quem eandem gratiam, quam Molina ponit, concessisse, facilè possumus colligere ex lib. S. August. de gratia Christi, potissimùm verò cap. 7. & 10. & 14. & sæpè aliàs: maximè cum Molina disp. 42. §. *Quoad primum* respectu actuum deliberatorum gratiam prævenientem solam constituat, ad evehendos ad ordinem supernaturalem actus voluntatis & intellectus, elicitos ex facultate naturæ.

Decima sexta Propositio.

„ Falsum omninò videtur, & discrepans à dictis Patrum, & Concilio Tridentino locis citatis, asserere, gratiam coadjuvantem distinctam esse à gratia præveniente, & excitante. Illa enim eadem gratia, quæ liberum arbitrium prævenit, & excitat ad actus, quibus se ad justificationem disponit, dicitur cooperans, si liberum arbitrium cum ea consentiat, atque simul pro sua libertate influat.

„ Ita docet Molina in sua CONCORDIA quæst. 14. art. 13. disp. 39. §. *Deinde* & disp. 40. §. *Ex dictis. Ex dictis*, inquit, *intelligitur facile unam & eandem numero gratiam, quatenus excitat, allicit & invitat arbitrium nostrum ad actus credendi, sperandi, diligendi, aut pœnitendi, appellari prævenientem, ac excitantem gratiam, eaque consideratione prævenire arbitrium nostrum ad ejusmodi actus: quatenus vero consentiente jam nostro arbitrio & cooperante, actus ad quos illa invitat & allicit, ipsa quoque novo influxu & actione cooperatur eosdem actus, appellari adjuvantem & cooperantem gratiam.*

Censura.

Dum Molina docet, in eo gratiam adjuvantem consistere, quòd consentiente jam nostro arbitrio, & cooperante actus, ad quos illud invitaverat quatenus præveniens & excitans erat, ipsa quoque novo influxu cooperatur eosdem actus, satis ostendit se non præviam, sed comitem tantùm concedere gratiam adjuvantem. In quo non parum obscurare conatur illam Christi gratiam, de qua S. August. disputat, quam nobis divinæ Scripturæ commendant, & quam Apostolus prædicat operari in nobis & velle & perficere: maximè verò cum disp. 37. §. *Quod si quis*, asserat, se non putare concursum illum, quantum est ex se, esse alterius rationis ab eo quo Deus concurrit ad effectus merè naturales, neque ab illo habere actus illos, quòd sint supernaturales, sicut neque id habent ab influxu liberi arbitrii. Quò fit, ut hæc Molinæ propositio cum Massiliensium errore coincidat, de quibus S. Prosper scribit ad S. August. *Nec considerant se gratiam Dei, quam comitem non præviam humanorum volunt esse meritorum, etiam illis voluntatibus subdere, quas ab ea secundùm suam phantasiam non negant esse præventas.* Eandem sententiam Joannes Maxentius in respons. ad Epist. Hormisdæ Papæ inter errores Fausti connumerat. Quod idem Faustus docet lib. 1. de lib. arb. cap. 5. & 7. Quem errorem illos de fonte Pelagianæ hæresis hausisse colligi potest ex lib. 1. S. August. contra duas Epistolas Pelagian. cap. 18. & 19. & ex lib. 2. cap. 10.

Quam nuper sacro Consessui fraudis accusationem objecerat Gregorius de Valentia, ob decimæ tertiæ propositionis interpolationem, productis aliis Codicibus manuscriptis dissipavit Coronellus. Ubique enim Molinæ verba summâ fide ac religione proferebantur: adeò ut uni Amanuensi, qui datum Jesuitis Codicem descripserat, levior aberratio adscribi posset. Maluit tamen ille sensuum testimonio negare fidem, quam objectam Congregationi fraudis suspicionem deponere. Immò & petulantiam addidit pertinaciæ, quam dissimulare necesse fuit, ne quid pejus accideret.

His itaque transactis ad Decimam-quintam & Decimam-sextam propositionem respondit Didacus Alvares, quas ex Molina fideliter excerptas, & verè Semipelagianas ostendit. Suum de illis judicium scripto

to reliquit, propriâ ac Lemosii subscriptione munitum: totque illius transumta dedit, quot singulis Consultoribus ac Jesuitis abundè sufficerent.

Dixit deinde Gregorius de Valentia. Rogavit in primis, ut quo jure Molinam invidioso Pelagiani nomine cæteri traducebant, ita sibi adversarios ejus errantes in fide appellare liceret: cùm eam præsertim de gratia efficaci doctrinam tuerentur, quam à Calvinistarum hæresi nihilo discrepantem existimaret. Tum, non expectato responso, inquit Decimam-quintam propositionem à Molina quidem defendi, sed omni eandem Censurâ vacare.

Subjunxit peculiare illud auxilium à Molina passim impugnatum, quod in prævia ac per se efficaci motione situm volunt Prædicatores, a Calvinistarum hæresi minimè differre; gratiam sufficientem cum efficaci promiscuè confundere; libertatem in homine, meritum in justo, in peccatore demeritum, penitùs exstinguere; iis demùm inniti principiis, quibus Deus malorum autor longè magis quàm diabolus vindicatur.

Ad tres circiter horas sermonem protraxit, *Contumeliosè magis, quàm Theologicè*, inquit Secretarius: ac tandem nimiæ in dicendo prolixitatis, suæque in parandis ad propositionem alteram responsionibus negligentiæ rogavit veniam. Congregationi etiam supplicavit, ut alternis dumtaxat hebdomadibus congressus cum Prædicatoribus haberentur; nullusque in eis adversæ partis argumentis ex tempore responderetur; aut saltem id scholasticâ disputatione conficeretur. Responsum fuit, Congregationem iis de rebus alterâ die deliberaturam; disputationes tamen inconsulto Summo Pontifice concedi non posse.

Intercesserunt Prædicatores, ne prolixiores induciæ concederentur: quòd illas nonnisi declinandi judicii animo Jesuitæ postularent, maximumque ex Apostolicæ definitionis procrastinatione damnum Ecclesiæ Catholicæ immineret. Tum ad confutandas Valentiæ responsiones converso sermone, *Molinam à Pelagio & Semipelagianis nihilo differre demonstrarunt.*

Contextum sibi nodum disrumpere maluit Christophorus Cobos, quàm dissolvere. Quapropter causatus temporis angustias in alteram Congregationem distulit responsionem.

Audacior Valentia descendit in arenam, sed conatu planè irrito: *Ad objecta enim responsurus*, inquit Secretarius, *multa congessit, multa repetito sermone produxit: & dum vellet Molinæ sententiam, de præparatione & conatu ad gratiam prævenientem, ab errore excusare, & illam ad Concilii Tridentini doctrinam adaptare; tam lubricè versatus est in utriusque explicatione, ut non videretur magis catholicè, quàm Molina locutus.*

Nullæ hac in Congregatione, pro futuri congressus argumento, propositiones datæ fuere: quia Decimæ-sextæ propositionis examen, supplicantibus Jesuitis, in diem alteram dilatum est. Valentiæ dumtaxat exprobravit Secretarius, quòd cùm Molinæ vindicias non satis pro rei dignitate à Censoribus expendi quereretur, eas tamen scripto dare continuò negligeret.

Die 29. Martii 1601. ad Congregationem Decimam-octavam Consultores convenere apud D. Cariatensem.

Relatum in primis fuit de Valentiæ supplicatione. Ad indulgentiam inclinarunt universi, quantùm salvo jure licuit. Novæ tamen induciæ negatæ sunt: tum quòd Societati jam satis hac in parte gratificati fuissent, dum geminos congressus, qualibet hebdomadâ fieri solitos, ad unicum redegerunt: tum quòd *ex multis & evidentibus argumentis constaret, prædictos Patres subterfugientes judicium, quærere dilationes.* Res intra subjecto Decreto sancita est.

His ita constitutis de Sexta propositione tractatum fuit, de qua cùm jam Episcopi superiori Congregatione dixissent, totus dicendi locus cæteris Consultoribus datus est.

De ea perinde ac de Quinta judicium tulit Palanterius, ut superioris absentiæ damnum resarciret. Utramque Semipelagianam judicavit.

Tres hujus propositionis partes distinxit Joannes de Rada: Primam, *Auxilium supernaturale non esse simpliciter necessarium, ut liberum arbitrium assentiatur actu merè naturali iis quæ fides docet:* Secundam, *Auxilium supernaturale conferre, ut assensus eliciatur sicut oportet:* Tertiam, *Auxilium supernaturale quàm sæpissimè conferre ut assensus simpliciter eliciatur.* Primam partem, in ordine ad Septimam propositionem censuit Semipelagianam; alias verò Censurâ vacare.

Cæteri omnes (exceptis Plumbino & Bovio, qui Molinæ adstaverunt) tres illas hujusce propositionis partes, tum inter se, tum ad autoris loca, ex quibus petitæ sunt, contulere. Censueruntque Molinæ institutum illud ipsum esse, quod in superiori Congregatione exposuerat Coronellus, *Quòd quemadmodùm constituerat duos ordines vocandorum, respectu gratiæ prævenientis,*

nientis, in ordine ad actus voluntatis, quorum aliqui gratiâ divinâ prævenirentur, cæteri proprio conatu & voluntatis affectu gratiam prævenirent: ita etiam in ordine ad actus intellectus, credendi scilicet ex vi naturæ, duos ordines constituebat; ita ut communiter omnes ex viribus naturalibus credere possint mysteria revelata, tanquam à Deo revelata; quibus infallibiliter datur gratia, ut eundem assensum eliciant prout oportet: aliqui tamen præveniantur à Deo gratiâ præveniente etiam ad eliciendum assensum fidei naturalem. Quare propositionem absolutè Pelagianam pronunciarunt, hoc pacto.

„ Die Jovis 29. Martii 1601. habita fuit Congregatio apud D. Cariatensem; interfuerunt omnes Consultores. In hac Congregatione primùm propositum fuit nomine Patrum Jesuitarum, ut prorogaretur tempus ad respondendum singulis propositionibus sibi datis, quòd spatium unius hebdomadæ non sit satis ad expendendam rei difficultatem: secundùm, ut replicæ vel omninò omittantur, vel fiant more scholæ.

„ Decretum fuit ut non prorogaretur tempus, sed singulis hebdomadibus utrique Patres responderent ad binas propositiones, prout factum est à principio. Præterea, ut ad evitandas animi contentiones, omnino omitterentur replicæ, sed scripturæ alterutri parti communicarentur, & qui vellent aliquid amplius addere, scripto facerent, quod tenerentur omnibus D. D. Consultoribus communicare. Et in hoc una omnium fuit sententia.

„ His peractis lecta fuit denuò Sexta propositio unà cum Censura; & post maturam consultationem propositionis, & rationum quas protulerunt defensores Molinæ, omnes censuerunt persistendum in Censura, excepto R. P. Rada, qui primam partem propositionis dixit eâdem Censurâ dignam, quâ dixit notandam Secundam propositionem: quatenus scilicet Molina sensit, posse hominem assentiri revelatis à Deo actu naturali ex viribus naturæ. Quoad cætera quæ continet præfata propositio Sexta, censuit nullâ Censurâ dignam. RR. Patres Procurator Ord. S. Augustini, & Regens Collegii Carmelitarum dixerunt, Molinæ propositionem non esse dignam Censurâ. R. P. M. Pallantier dixit etiam de Quinta propositione, & censuit persistendum in Censura facta in illam à Congregatione.

„ Ita est F. Propertius Resta Episcopus Geruntinensis & Cariatensis.

„ Ita est F. Julius Sanctutius Episcopus S. Agathæ Gothorum.

Ita est Lælius Landus Episcopus Neritonensis. «

F. Hyppolitus Episcopus Montis-Pelusii confirmo. «

Ita est F. Hieronymus Palantierus Franciscanus Conventualis. «

F. Joannes de Rada Ord. S. Francisci Procurator Generalis. «

Ego F. Joannes Baptista de Plumbino, Ord. Eremitarum S. Augustini Procurator Generalis censeo ut supra. «

Ita est F. Gregorius Nunnius Coronel Secretarius. «

Ita est F. Joannes Antonius Bovius Carmelita. «

Ita est F. Jacobus le Bossu Benedictinus & Doctor Theologiæ Parisiensis. «

Ita est ego Ludovicus de Creil Sorbonæ Parisiensis Doctor. «

CAPUT DECIMUM-OCTAVUM.

Quid à Decima-nona quarti hujus examinis Congregatione, ad Vigesimam-tertiam tractatum ac definitum.

DIe 2. Aprilis 1601. Consultores omnes cum Prædicatoribus ac Jesuitis ad Congregationem Decimam-nonam convenere apud D. Cariatensem. Decretum, ad Patrum Societatis postulata nudius tertius editum, utrique parti significavit Illustrissimus Præses. Tum Jesuitis præcepit, ut suam de propositione Decima-sexta mentem aperirent. Vindicias suas de scripto recitarunt: quibus propositionem hanc ex Molinâ fideliter petitam confessi sunt, sed Censurâ minimè dignam pronuntiarunt. Quo exitu causam egerint, narrat Secretarius: *Dum autem*, inquit, *Molinæ sensum & doctrinam de gratia adjuvante explicaret Christophorus Cobos, tam multa involvit, & proposuit asseri à Molina, ut incautos facilè potuisset decipere, eisque persuadere, tam ipsos quàm Molinam Catholicè locutos fuisse de gratia adjuvante. Verùm cùm nec Molina, neque Defensores sanam doctrinam tenere videantur, etiam in illis adumbratis imaginibus constantes non perseverabant. Nunc enim asserebant gratiam adjuvantem esse omninò præviam & physice præoperantem, ac prorsus antecedentem consensum nostrum. Mox quasi sui obliti, hoc ipsum interpretabantur de gratia præveniente sive excitante ad actus indeliberatos. Hoc dum rursus cohonestare molirentur, sententias quasdam ex diversis aliis disputationibus Molinæ proferebant, quæ vel ad rem præsentem nihil faciebant, vel contrarium omnino ejus quod probare intendebant, signi-*

significare videbantur. Adeò certè, ut sæpiùs cogerentur novum alium Molinam loquentem inducere; & neque adhuc sub nova forma, veterem Molinam ab errore vindicare poterant, etiam quàm multis fictis, & vane, atque inhabiliter excogitatis distinctionibus. Quibus adhibitis, & ad Molinæ sententiam adaptatis, proculdubiò doctrinam de gratia adjuvante, prout à Molina traditam & intellectam dicebant, chimæram quandam existimares.

Christophorum Cobos diuturniori recitatione defatigatum, suscepto Codice levavit Gregorius de Valentia. Qui ut dictis robur conciliaret, inordinatos pro more suo corporis motus addebat.

Defensionum suarum exemplaria Secretario dederunt; à quo tam ipsi quàm Prædicatores propositiones Decimam-septimam & Decimam-octavam accepere, ut suas in alteram Congregationem responsiones pararent.

Die 5. Aprilis 1601. Vigesima Congregatio ab universis Consultoribus apud D. Cariatensem celebrata est. Septimam Molinæ propositionem in judicium vocarunt. Auditâ doctissimi Bossutii relatione, discussisque maturâ deliberatione vindiciis à Societate datis, in pristinæ Censuræ suæ confirmationem conspirarunt universi: seu quòd Semipelagiana foret propositio, seu quòd totius Molinianæ doctrinæ fundamentum esset.

Dissenserunt nihilominus Plumbinus & Bovius: quorum primus Molinæ causam actutus, Semipelagianos errores uti Catholica dogmata ita audacter venditavit, ut cæterorum cachinnos excitaverit; quod cùm ille deprehendisset, eos palàm clamores edidit ac tumultus, quos nec amicorum gratiâ, nec Episcoporum autoritate, compescere facile fuit.

Decretum sub hac formâ editum est.

„ Die Jovis 5. Aprilis 1601. habita fuit „ Congregatio apud D. Cariatensem. Interfuerunt omnes Consultores, excepto D. „ Agathensi, qui negotiis impeditus interesse non potuit: sed significavit se in Censurâ aliàs factâ in Septimam propositionem Molinæ persistere. Igitur expensis „ rationibus, quibus Patres Jesuitæ conabantur Molinæ propositionem Septimam à „ Censura vindicare, censuerunt omnes, non „ obstantibus ex adverso adductis, persistendum in Censura aliàs facta in prædictam „ propositionem; exceptis RR. PP. Procuratore Ord. S. Augustini, & Regente „ Collegii Carmelitarum: qui duo dixerunt, „ propositionem istam Septimam non esse „ dignam aliquâ Censurâ.

Ita est F. Propertius Resta Episcopus Geruntinensis & Cariatensis. "

Ita est ego F. Julius Sanctutius Episcopus S. Agathæ Gothorum. "

F. Hippolytus Episcopus Montis-Pelusii confirmo. "

Ita est F. Hieronymus Palanterius Franciscanus Conventualis. "

Ita est ego F. Joannes de Rada Ord. S. Francisci Procurator Generalis. "

Hæc Septima propositio maximè dissidet ab errore Pelagiano & Semipelagiano: cùm semper Molinæ doctrina neget causam meritoriam, non solùm condignam, sed etiam congruentem. Ego F. Joannes Baptista de Plumbino Ord. Eremitarum S. Augustini, ut supra censeo, salvâ semper Ecclesiæ correctione. "

Ego F. Gregorius Nunnius Coronel Secretarius persisto in Censura. "

Ita est ego F. Joannes Antonius Bovius Carmelita. "

Approbo Censuram ego F. Jacobus le Bossu Benedictinus, & Sorbonæ Parisiensis Doctor. "

Et ego Ludovicus de Creil Sorbonæ Parisiensis Doctor persisto in Censura. "

Die 9. Aprilis 1601. Congregationem Vigesimam primam in D. Cariatensis ædibus habuerunt DD. Consultores; ad quam amborum Ordinum Theologi accesserunt. Ad propositiones Decimam-septimam & Decimam-octavam, illarumque Censuras ventum est. Sic porrò se habent.

Decima-septima Propositio.

Nonnulli ita hanc sententiam defendunt, " ut duplex auxilium divinum constituant, " quoddam efficax; & quoddam sufficiens, " veruntamen inefficax. Quòd verò auxilium efficax sit aut inefficax, censent " nulla ratione tribuendum esse libero arbitrio, quasi ex eo auxilium quodcunque, " sive magnum, sive parvum, efficax aut " inefficax sit: quòd, cùm arbitrium pro " sua libertate possit consentire & non consentire, cooperari cum illo & non cooperari; si consentiat & cooperetur ut potest, efficiat illud efficax: si verò non consentiat, neque cooperetur, ut etiam potest, " reddat illud inefficax; sed ipsi auxilio, sive " Deo efficaciter aut inefficaciter per illud " moventi, tribuendum esse quod liberum " arbitrium consentiat, aut non consentiat; " ita ut quoties Deus moverit per auxilium, " quod ex modo divinæ motionis, atque ex " Deo ipso habet quod sit efficax, liberum " arbitrium consentiet coopetabiturque ad " salutem: quòd si moverit per auxilium " quod ab eo non habet ut sit efficax, li- "

„ berum arbitrium non consentiet, neque „ cooperabitur ad salutem. Certè non dubitarem sententiam hanc hoc ultimo modo „ explicatam errorem in fide appellare. Etenim eâ datâ, non video qua ratione libertas „ arbitrii nostri salva possit consistere.

„ Ita docet Molina in sua CONCORDIA „ quæst. 23. art. 4. & 5. disp. 1. mem. 6. §. „ *Nonnulli* & §. *Certè*. Et quæst. 14. art. 13. „ disp. 40. §. *Antequam*, inquit: Quo fit ut „ divisio sufficientis auxilii in efficax & inefficax, nostrâ sententiâ ab effectu, qui simul à libertate arbitrii pendet, sumatur; „ illudque auxilium sufficiens, sivè majus, „ sive minus in se sit, efficax dicatur, cum „ quo arbitrium pro sua libertate convertitur: cùm tamen nihil eo auxilio impediente, potuerit non converti. Alioquin „ tale auxilium sufficiens non esset ad conversionem. In eadem sententia persistit §. „ *Hinc quinto loco*, & quæst. 23. art. 4. & 5. & „ disp. 1. mem. 9. §. *Postremò*, & alibi; unde „ colligit memb. 9. §. *Postremò*: cum auxiliis „ ex parte Dei, cum quibus unus justificatur „ & salvatur, alius pro sua libertate nec justificatur, nec salvatur, & è contrario, &c.

Censura.

„ Hæc propositio & doctrina P. Molinæ, „ quatenus docet, efficaciam auxilii divini „ pendere ab effectu, & libertate arbitrii „ humani, non autem ab ipso auxilio, prout „ à Deo venit, & ex modo motionis divinæ, videtur tradi à Semipelagianis, ut „ licet videre in Epistolis S. Hilarii ad S. August. Asseritur autem à Molina contra expressam sententiam D. Augustini lib. de „ corrept. & grat. cap. 12. quam confirmat „ contra Semipelagianos, lib. de prædest. „ Sanct. cap. 2. & 20. & sæpè aliàs in eodem „ lib. & lib. de dono perseverantiæ cap. 5. 6. „ 7. 9. 11. 13. 14. 19. 20. 21. 22. Ex quibus locis apparet, perstitisse semper S. Augustinum in sententia quam docuerat lib. „ de corrept. & gratia citato.

Decima-octava Propositio.

„ Si arbitrium nostrum ab efficacia aut „ inefficacia auxilii divini habeat quòd consentiat aut non consentiat Deo vocanti, „ & cooperetur aut non cooperetur ad salutem, perseveretque aut non perseveret „ in gratia, certè non ab innata & propria „ libertate id pendet, sed à qualitate auxilii „ & motionis divinæ, atque adeò neque est „ quòd illi cedat in laudem & meritum; „ quin potiùs perit omninò libertas arbitrii „ ad salutem.

„ Ita docet Molina in CONCORDIA quæst. „ 23. art. 4. & 5. disp. 1. memb. 6. §. *Certè*, „ §. *Præterea*, §. *Item*.

Censura.

Eadem argumentatione utebantur Pelagiani, ut videre est apud S. August. lib. " de corrept. & grat. cap. 3. 4. 6. quos ita " in eodem lib. S. Doctor impugnavit & " expugnavit, ut rationem & argumentationem istam, quâ Molina suam sententiam " confirmare conabatur, nullius prorsùs momenti esse ostenderit; & propositionem " ipsam, tanquam divinis oraculis contrariam, " efficaciter redarguerit locis citatis, & capite etiam 6. 7. & 8. "

De propositionibus ergo Decima-septima & Decimâ-octavâ, jubente Ill. Præside, dixerunt Prædicatores. Priorem in tres partes distributam, Semipelagianam secundùm omnes pronuntiavit Didacus Alvares, multisque Conciliorum ac Patrum momentis ostendit. Alteram cum Massiliensium erroribus collatam, ab hæreseos Pelagianæ debellatoribus obtritam affirmavit Thomas de Lemos, Molinámque nonnisi obsoleta veterum hæreticorum arma recudisse defendit.

Varia Responsionum suarum exemplaria Secretario obtulere: qui ea non modò Consultoribus dedit, sed & Patribus Societatis, ut iis pro arbitrio reponerent.

Dicturus ordine suo Gregorius de Valentia, tarditatis suæ veniam rogavit, quòd ad priorem tantùm propositionem paratus accederet. Hanc itaque Molinæ fassus est; sed adulterato scriptoris sensu, eandem uti catholicam & orthodoxam vindicavit: *Quoniam verò*, inquit Secretarius, *præfatam propositionem, sub terminis & sensu à Molina assertam, videbat se tutò defendere non posse; Molinam à Molina divisit, & extra proprios limites & metas constituit; ut si posset, illum quem loquentem vix agnosceres, multo verborum fuco ab errore excusaret.* Tum, in oppositam sententiam de gratia per se efficaci à Molina impugnatam converso sermone, eam à Calvinistarum & Lutheranorum errore nihilo differre contendit; Stapletonii, Suaresii, Ruardi Tapperi, Pighii, Abulensis, Carthagenæ, Bellarmini, Vasquesii, aliorumque Germaniæ Theologorum suffragiis in hunc finem magnificentiùs jactitatis. Censuram Congregationis veluti Calvinianam ac Lutheranam traduxit. Cumque Augustinum in Molinæ partes trahere vellet, *Corrupit ejus autoritates non minùs impudenter, quàm temerè plura alia asseruit.* Secretarii verba sunt.

His dictis, Responsionum exemplaria petiit Secretarius: quæ cùm illi non attulissent, ea se die Jovis proximâ transmissuros

ros spoponderunt. Hos ille subridens increpavit: *Profectò*, inquit, *mirum est, quòd Reverentia sua clamet millies, quòd Molina non auditur; & nunc nunc idipsum vos omnes etiam clametis apud Principes; & nihilominus non possumus à vobis impetrare exemplaria, ut expendamus vestras rationes.*

Acriorem audaciæ suæ Censuram tulit Gregorius de Valentia: quòd non Prædicatores modò, sed & Censores ipsos Lutheranismi notasset, minusque modestè dicendo se gessisset. Rem se Summo Pontifici relaturum minatus est D. Cariatensis, nisi indignam viro Religioso petulantiam deponeret: *Pater*, addidit D. Agathensis, *in multiloquio non deest peccatum, & aliquando mortale.* Animadversionem iniquo animo tulit Valentia, tantasque turbas excitavit, ut propositiones Decimam-nonam & Vigesimam, pro futuri Congressus argumento, festinanter dare, receptuique canere necesse fuerit.

Dimissis Prædicatoribus ac Jesuitis, aliquantulum substiterunt Consultores: *Omnesque mirabantur hominis temeritatem, in corrumpendis quibusvis Scripturis, & impudentiam in loquendo:* inquiunt Secretarii Acta.

Die 12. Aprilis 1601. ad Octavæ propositionis examen convenerant DD. Consultores: sed absentibus D. Agathensi & P. de Rada, in sequentem hebdomadam dilatum est.

Datâ interim occasione, exposuit Ill. Cariatensis, sibi Summum Pontificem significasse, quo pacto de sacra Congregatione Patres Societatis expostulassent: quòd ab ea, ut aiebant, duriùs exciperentur, nec sibi Prædicatorum observationes contra Molinæ vindicias elucubratæ traderentur.

Habitâ deliberatione sancitum fuit, ut sequenti die Summum Pontificem adirent Ill. Episcopi, facti veritatem exposituri. 1. Prædicatorum de Molinæ propositionibus earumque Censuris judicia Patribus Societatis tradita fuisse; eorundem verò in Molinæ vindicias observationes eis datas non esse, consentiente ac probante Gregorio de Valentia. 2. Multùm abesse, ut à Congregatione malè habiti sint Jesuitæ: *Cùm potius illi & insolenter & impudenter sæpè se gesserint, & contumeliis totam Congregationem affecerint.* 3. Nihil eos tot artibus meditari, quàm ut studiosâ procrastinatione Judices tædio solverent, & controversiæ definitionem declinarent. Cujus rei invictissima argumenta suppetebant, petitæ scilicet frequentissimè ad respondendum induciæ, supplicationes pro moderanda Congregationum frequentiâ sæpiùs oblatæ, affectata in afferendis vindiciarum transumtis negligentia, intermissæ ac tandem prorsus neglectæ, ad geminas Molinæ propositiones, singulis hebdomadibus responsiones.

Hanc sibi demandatam provinciam Ill. Præsules obierunt. Quapropter ad Summi Pontificis audientiam sequenti die admissi, singula retulere quæ ex Congregationis Decreto sancita fuerant. Intimum doloris sensum indicavit Beatissimus Pater: nonnulla tamen præter juris ordinem Jesuitis concedi voluit, ne vel minima conquerendi ansa suppeteret: *Ut vobis*, inquit, *verum fatear, adeò me isti perturbant, ut penè mentis errore ex perturbatione me afficiant. Ac propterea, si vobis videtur, poteritis illis concedere Observationes Patrum Prædicatorum in suas Defensiones, quas postulant.* Urgentibus porrò Ill. Episcopis, nihil Jesuitas ea arte moliri, quàm ut studiosâ dilatione judicium averterent, respondit Pontifex, Se officio non defuturum, ubi primùm illi Congregationes absolvissent.

Die 16. Aprilis 1601. Vigesimæ-secundæ Congregationi interfuere cum Consultoribus Prædicatores ac Jesuitæ.

Ad propositionem Decimam-octavam respondit Christophorus Cobos: quam & ex Molina legitimè petitam, & à Pelagianismo remotissimam defendit. In gratiam ex se efficacem impotentiùs declamavit, auxiliumque meræ possibilitatis constituit; quo scilicet semel posito, ex unâ arbitrii libertate peccatoris conversio suspenderetur. Cæterum cùm hujus auxilii infallibilitatem in prædestinatis ex Scientiæ-Mediæ directione repeteret, eoque fine S. Augustini testimonium proferret, *Si quispiam horum perit, fallitur Deus: sed nemo illorum perit, quia non fallitur Deus:* hæsit medio itinere vir astutus. Tunc indignatus Neritonensis Episcopus, " Prosequere, inquit, S. Augustini sententiam: addit enim: *Si quispiam eorum perit, vitio humano vincitur Deus: sed nullus eorum perit, quia nulla re vincitur Deus.* Quò ostenderet, non ex sola præscientia, sed ex Dei potestate esse, ut electorum nullus pereat. "

Quæsivit Cobos diverticula ut effugeret, at infeliciter satis: tuncque maximè valuit Poetæ dictum, *Incidit in Scyllam cupiens vitare Charybdim.* Cum enim eam auxilii divini invincibilitatem ex ejusdem respectu ad Scientiam-Mediam, & ad con-

sensum liberi arbitrii repetendam assereret, interrogavit Joannes de Rada, Utrum auxilium divinum liberi arbitrii consensum, ut effectum respiceret, an ut causam? Substitit ad hæc Christophorus Cobos. Socio laboranti suppetias tulit Gregorius de Valentia: *Nodumque fuco potiùs quàm Theologica ratione dissolvere conatus est.*

Post hæc, de propositione Decima-nona ejusque Censurâ dixit Didacus Alvares. Sic porrò illæ se habent.

Decima-nona Propositio.

„ Si Deus ita prædefinivit omnes actus „ non malos arbitrii creati, ut ad eos mo„ vere & determinare statuerit arbitrium per „ concursum ex se efficacem, sine quo ar„ bitrium non potest illos elicere, & quo „ posito non potest eos non elicere; mani„ festè periit arbitrii libertas explicata ad eos „ omnes actus, &c.

„ Ita docet Molina in Comment. ad 1. par„ tem S. Thomæ, quæst. 14. art. 13. disp. „ 18. mem. 2. §. *Hoc posito*, & in CONCOR„ DIA in edit. Antverp.

Censura.

„ Hæc propositio, prout intelligitur & as„ seritur à Molina, non videtur aliena ab „ illa Pelagianorum & Semipelagianorum „ sententia, qua calumniabantur S. Augu„ stinum sub prædestinationis nomine, fata„ lem induxisse necessitatem, & appellatio„ ne gratiæ bonos voluisse fieri homines fa„ tali necessitate: quod videre licet apud „ S. August. lib. contra duas Epistolas Pela„ gianorum cap. 5. & lib. 4. contra Julianum „ Pelagian. cap. 8. & apud S. Prosperum & „ S. Hilarium in Epist. ad S. Augustinum, „ qui ita illorum temeritatem redarguit, ut „ contra sententiam Molinæ aperte osten„ derit & docuerit, per gratiam Dei ex se „ efficacem non destrui, sed firmari liberum „ hominis arbitrium. Ita tradit multis in lo„ cis S. Augustinus, sed potissimùm lib. de „ corrept. & grat. cap. 11. 12. & 14. & lib. de „ grat. & lib. arb. cap. 20. Epist. 105. ad Six„ tum: quam sententiam confirmavit in lib. „ de prædest. Sanctorum, & de dono perse„ verantiæ, editis contra Semipelagianos.

Propositionem hanc & à Molina locis citatis assertam, & debitâ Censurâ notatam agnovit Alvares. Multa in gratiæ per se efficacis defensionem habuit; ex quibus Molinæ propositionem, Pelagianis perinde ac Lutheranis patrocinari demonstravit: iis quidem, quatenus gratiam ex se efficacem impugnat: istis, quatenus libertatem humanam gratiæ ex se efficacis energiâ penitùs excidere profitetur.

Ad Vigesimam tandem ejusque Censuram venit Thomas de Lemos. Ita verò expressæ erant.

Vigesima Propositio.

Sumtâ in particulari prædestinatione cujusque adulti, quæ re ipsa jam ex æternitate fuit in Deo, sanè sicut præcedente conclusione ostensum est, rationem, sive conditionem, sine qua in Deo non fuisset præscientia, esse, quòd adultus ipse pro sua libertate ita sit cooperaturus per suum arbitrium, ut ad vitam æternam perveniat; sic etiam ab hoc ipso, simili modo, fuit dependens, quòd reliquum quod eadem prædestinatio includit, vel sortiretur rationem prædestinationis, vel retineret solùm rationem providentiæ circa illum in Beatitudinem. "

Ita docet Molina, CONCORDIÆ quæst. 23. art. 4. & 5. disp. 1. memb. 11. §. *Octava concl.* & §. *Sit nona concl.* In comment. mem. 2. ubi aliqua addidit. Vide etiam §. *Postremò* §. *Illud addendum*, & §. *Illud etiam*, & ante hos præcedentes vide §. *Ut quæ hactenus.* Nec prætereundum quod docuit §. *Secunda conclusio*, & mem. 6. §. *His ita confutatis.* In aliis editionibus multa addidit. Denique vide quæst. 22. art. 4 §. *Illud etiam*, & quæst. 23. art. 4. mem. 10. §. *Hac ergo conclusione*, & mem. ult. §. *Quartum.* "

Censura.

Ex locis prællegatis non obscurè constat, secundùm doctrinam Molinæ, prædestinationem adultorum fuisse secundùm præscientiam boni usus liberi arbitrii eorum, habuisseque Deum rationem illius, in eis prædestinandis. Quæ sententia fuit Semipelagianorum, contra S. Augustini de gratuita Dei prædestinatione doctrinam, ut refert S. Prosper in Epist. ad eundem S. August. Quòd si quæ Molina docet locis citatis, conferantur cum iis, quæ Semipelagiani dicebant, & S. Prosper refert, apparebit Molinam, & in sensu, & in verbis cum illis consentire. In eundem errorem lapsum fuisse Faustum Regiensem, constat ex ejusdem lib. de grat. & lib. arb. cap. 4. & lib. 2. cap. 3. & 6. quem Molina in quæst. 23. art. 4. disp. 1. mem. 11. in fine, cum SS. PP. Athanasio & Chrysostomo, & aliis connumerat, & dicit posse ad concordiam cum S. Augustino reduci; cùm tamen non potuerit ignorare illius libros fuisse tanquam apocriphos condemnatos à Sede Apostolica. Itaque præfatam propositionem impugnat S. August. in lib. *De prædest. Sanct.*, & *De dono persever.* tanquam contrariam sacris Scripturis & fidei catholicæ. Quos libros probat S. Prosper lib. *Contra collat. cap.* "

41.

» 41. & 42. fuisse approbatos à Cœlestino » Papa: quod etiam à S. Leone & Gelasio » Summis Pontificibus factum fuisse com» pertum est. Adest etiam testimonium Hor» misdæ Papæ tom. primo Epist. decreta» lium Epist. 67. Quamobrem D. Cardinalis » Bellarminus lib. 2. de grat. & lib. arbit. » dicit,& efficaciter probat,sententiam S. Au» gust. de gratuita prædestinatione, quam » Molina contumeliosè impugnat, non quo» rumvis Doctorum opinionem, sed fidem » Catholicæ Ecclesiæ dici debere.

Hanc propositionem Vigesimam non à Molina dumtaxat assertam, verùm etiam potissimum ipsius CONCORDIÆ scopum ostendit Thomas de Lemos. Gratuitam prædestinationem ad gloriam, uti Catholicæ fidei dogma propugnavit. Ac demum varia Molinæ loca percurrit, ubi de divina prædestinatione minùs dignè sentiret: suaque ac Socii responsa scripto reliquit.

Dicentem indignè tulit Gregorius de Valentia; minacique vultu, contraria se futuro congressu ostensurum spopondit. Congregationi interim supplicavit, ut vel ad sua responsa Prædicatores minimè reponerent, vel sibi saltem prolixiores induciæ concederentur. Assensi sunt Prædicatores; modò ne serâ procrastinatione res in cassum abiret, causæque judicium evanesceret.

CAPUT DECIMUM-NONUM.

Quid à Vigesima-tertia quarti hujus examinis Congregatione, ad Vigesimam octavam tractatum ac definitum.

DIe 26. Aprilis 1601. Vigesimam-tertiam Congregationem in palatio Episcopi Cariatensis celebrarunt D. Consultores.

Octavæ propositionis examen institutum est. Vindicias Societatis, in ejus defensionem datas, retulit & exposuit D. le Bossu. Totæ illæ in asserendâ humani arbitrii libertate versabantur; quasi ob vindicatam hominis libertatem Molinæ intentata lis esset. Reconditiorem itaque scriptoris sensum detegere necesse fuit: variisque collatis testimoniis, compertum est, ex Molinæ sententiâ, propriam libero arbitrio industriam eo sensu servari, quòd ad divinæ gratiæ susceptionem nativis conatibus adniteretur.

In Octavæ igitur propositionis damnationem consenserunt universi. Solus tunc Plumbinus dissensit; quem deinceps, habitâ subscribendi occasione, Antonius Bovius imitatus est, qui tunc à congressu aberat.

Instrumentum sub hac formâ prodiit.

Die Jovis 26. Aprilis 1601. habita fuit « Congregatio, apud D. Cariatensem. In- « terfuerunt autem omnes Consultores, ex- « cepto P. Regente Collegii Carmelitarum. « Expensâ verò propositione Octavâ Moli- « næ, unà cum Censurâ in illam aliàs factâ: « consideratis etiam Defensionibus Patrum « Jesuitarum, omnes excepto R. P. Procu- « ratore Ordinis Sancti Augustini, censue- « runt persistendum in Censura, non ob- « stantibus ex adverso adductis à Defensori- « bus. «

Ita est F. Propertius Resta Episcopus « Geruntinensis & Cariatensis, manu propriâ. «

Ita est F. Lælius Landus Suessanus E- « piscopus Neritonensis. «

Ita est F. Julius Sanctutius Episcopus « S. Agathæ Gothorum. «

F. Hippolytus Episcopus Montis-Pe- « lusii confirmo. «

Ita est F. Hieronymus Palanterius Fran- « ciscanus Conventualis. «

F. Joannes de Rada Ord. S. Francisci « Procurator Generalis. «

Propositio hæc Octava, stantibus sen- « sibus adductis tum à Molina, tum à suis « Defensoribus, & in meis Censuris, est alie- « na ab errore Pelagiano. F. Joannes Baptista « à Plumbino, ut supra. «

Persisto in Censurâ, ut in Decreto dici- « tur. Ego F. Gregorius Nunnius Coronel « Secretarius. «

Ego F. Jacobus le Bossu, Benedictinus « & Doctor Sorbonicus, persisto in Censura. «

Et ego Ludovicus de Creil Sorbonæ « Parisiensis Doctor. «

Ego F. Joannes Antonius Bovius Octa- « vam hanc propositionem, sicut & supe- « riores, cum quibus convenit, tutam in « fide & nulla Censurâ dignam censeo. Et « ita subscripsi in Congregatione habitâ die « 4. Maii 1601. «

Edito Decreto, exposuit Secretarius congruum omninò videri, ut qui ex meritissimis Censoribus initio hujus examinis (anno scilicet 1598.) non adfuerant, suas in Molinæ doctrinam lucubrationes sibi traderent, in publicis Congregationis Commentariis reponendas. Subjunxit, Plumbinum ultima scriptâ, quibus priora retractaverat, pari ratione afferre debere.

Probavit sacer Consessus consilium Secretarii. Uni tamen Plumbino displicuit: qui post quæsitas aliquantulùm excusationes, ægrè tandem sua Congregationi scripta se traditurum promisit. Cæteri in Congregationem tardiùs admissi prolixiorem Censuram à Secretario Censorum nomine ador-

natam amplexi, uti suam haberi voluerunt.

Die 30. Aprilis 1601. Vigesima-quarta Congregatio apud D. Cariatensem, præsentibus Ordinum Theologis, celebrata est. Eo absente ac febribus detento, Præsidis partes egit D. Episcopus Agathensis.

Propositionis Decimæ-nonæ defensionem suscepit Gregorius de Valentia. Molinam à Pelagianis ea in parte remotissimum dixit: quòd illi quamlibet æternam prædestinationem, quasi humanæ libertati noxiam pernegassent; iste eam dumtaxat inficiatus esset, quæ Decreto ex se efficaci niteretur, qualem cum Lutheranis & Calvinianis Prædicatores asserebant. Lutherum, Wicleffum, Melanctonium, cum Bannesio, Herrera, Lemosio, aliisque Thomisticæ scholæ Professoribus contulit. Quocirca *Majorem*, inquit Secretarius, *calliditatem ostendit, quàm deceret virum Theologum; & minorem fidelitatem, quàm par esset in re tanti momenti.*

Absolutâ Oratione, responsionum transumta petiit Secretarius: inducias ad futuram usque Congregationem rogavit Valentia, satis inquiens sibi temporis non fuisse, ut illa transcriberet: atque ita cum Socio dimissus est.

Tum sacro Consessui exposuit Secretarius, Summum Pontificem desiderasse, ut Prædicatorum Observationes in Jesuitarum Vindicias eisdem ipsis (si ita congruum videretur) traderentur. Re in deliberationem vocatâ, sancitum est, Illustrissimos Episcopos Agathensem & Neritonensem Summum Pontificem adituros, qui & vanas Jesuitarum de Congregatione querimonias dissiparent, & imminens ex definitionis dilatione periculum demonstrarent; ac propterea Jesuitis omninò præcipiendum innuerent, ut si quid Prædicatorum Observationibus reponendum haberent, id quantocitiùs conficerent.

Pontificem Illustrissimi Præsules adierunt, quem cum alloqui non potuerint, universa Pontificii Cubiculi Præfecto significarunt, qui ea se Sanctissimo relaturum spopondit.

Die 4. Maii 1601. ob periculosissimam Domini Cariatensis ægritudinem, in ædibus Episcopi Agathensis Congregatio Vigesima-quinta habita est.

Nona Molinæ propositio ad examen venit. Defensorum rationes ad quatuor capita revocatas exposuit D. le Bossu; Autoris sensum summâ fide in edita Censurâ expressum ostendit; Molinam ejusque defensores à Cassiani figmento (quo virtutum semina singulis animabus beneficio Creatoris naturaliter impressa commentus est) non satis alienos demonstravit.

Tum collatis suffragiis, rebusque maturè discussis, propositionem Nonam uti Pelagianam, atque ab ejus Defensoribus frustra ab hæresi vindicatam, proscripserunt. Dissensere more suo Plumbinus & Bovius: quorum primus, Molinæ licet addictus, nonnulla è libro CONCORDIÆ verba expungenda judicavit; quibus lectores offendi facilè possent. Alter, tametsi propositionem Molinianam, Censurâ liberam senserit; defensorum nihilominus diverticula, quibus eam tueri tentaverant, tanquam Apostolicæ doctrinæ contraria reprobavit. Contenderant enim Molinæ vindices, liberi arbitrii conatus ad prævenientis gratiæ susceptionem, absque errore admitti posse; modò rationem meriti non haberent, sed occasionis; ob quam divinâ gratiâ minùs indignus evadit aliquis. *E contra*, inquit Antonius Bovius, *quidquid ex parte liberi arbitrii constituitur in ordine ad gratiam prævenientem, sive habeat rationem meriti, sive occasionis, propter quam homo aliquis minus ineptum & minus indignum se præbeat, ut potius illi, quàm alteri Deus opituletur, satis erit ut dictum Apostoli,* Quis te discernit? *non habeat veritatem in omnibus: quod dici non potest.*

Hæc in causa fuere cur eorum integra vota scripto dari sibi postulaverit Secretarius, ut in Congregationis commentarios referrentur. Renuit aliquantulum Plumbinus: at jussus tandem assensit, eaque se cum Antonio Bovio propè diem allaturum spopondit.

Interim Joanni de Rada, Summum Pontificem ad gerenda Ordinis sui negotia aditururo, sacer consessus injunxit, *Ut Sanctissimo Domino referret omnia quæ acta erant in Congregatione, & Sanctissimum precaretur, nomine totius Congregationis, ut occasiones, quas Patres Jesuitæ quærebant, protrahendi in infinitum negotium istud, pro ipsius negotii magnitudine, & periculi quod toti Ecclesiæ imminebat, omninò vitaret.*

Sequenti Decreto Nonæ propositionis Censura confirmata est.

" Die Veneris 4. Maii 1601. habitâ fuit Congregatio apud D. Agathensem, eò quòd D. Cariatensis graviter ægrotaret. Interfuerunt autem DD. Consultores, ad examinandam Nonam propositionem Molinæ, & ejus Censuram, atque Defensiones Patrum Jesuitarum ad illam adhibitas: quibus omnibus expensis & examinatis, censuerunt omnes, exceptis RR. PP. Procuratore

» curatore Ordinis S. Augustini, & Regente
» Collegii Carmelitarum, persistendum in
» Censurâ alias tacta in propositionem No-
» nam Molinæ.
» Ita est ego F. Julius Sanctutius Epis-
» copus S. Agathæ Gothorum.
» Ita est ego Lælius Landus Suessanus
» Episcopus Neritonensis.
» F. Hippolytus Episcopus Montis-Pelu-
» sii confirmo.
» Ita est F. Hieronymus Palanterius Fran-
» ciscanus Conventualis.
» F. Joannes de Rada Ord. S. Francisci
» Procurator Generalis.
» F. Gregorius Nunnius Coronel Secre-
» tarius ita censeo.
» Ego F. Jacobus le Bossu Benedictinus
» & Doctor Sorbonicus ita censeo.
» Et ego Ludovicus de Creil Sorbonæ
» Parisiensis Doctor.
» Ego F. Joannes Baptista Plumbinus Ord.
» Eremitarum S. Augustini.
» Ita est F. Joannes Antonius Bovius Car-
» melita.

Die 7. Maii 1601. defuncto superiori die Episcopo Cariatensi, apud D. Agathensem DD. Consultores cum amborum Ordinum Theologis convenere, Congregationem Vigesimam-sextam celebraturi.

Vigesimæ propositionis vindicias de scripto recitavit Gregorius de Valentia. Hanc nedum à Pelagianorum errore remotissimam, verùm etiam SS. Augustini & Thomæ, necnon nobilium Theologorum sententiæ consonam asseruit. Quæ duo dum videretur ostendere, *Tam multa*, inquit Secretarius, *involvit, ut nec veram prædestinationis rationem explicaverit, nec Molinæ sententiam aperuerit.* Dixit per duas horas, suæque demum prolixitatis rogavit veniam, & recessit.

Consistentibus Consultoribus, Tusculum apud Summum Pontificem Legatio decreta est: ut nuntiato Episcopi Cariatensis obitu, alterum Congregationis Præsidem dari supplicarent. Infaustum Nuntium amaro excepit animo Sanctissimus Pater: demortui loco suffecit Episcopum Agathensem, cui antiquitatis jure assertus erat.

Die 10. Maii 1601. apud D. Agathensem Vigesima-septima Congregatio fuit. Non accessit D. Crellius, servato in alteram diem subscribendi jure.

Actum de Decima Molinæ propositione, cujus defensiones Congregationi datas exposuit D. le Bossu. Germanum Autoris sensum, à defensoribus sinistrè detortum ostendit: citatos in ejus gratiam Autores, longè aliter locutos demonstravit.

Singuli, Plumbino & Bovio dumtaxat exceptis, propositionem quidem Semipelagianam, oblatas verò Societatis defensiones dolosas & fraudulentas pronuntiarunt. Fraudem singulari, inter alia, exemplo detexit Episcopus Montis-Pelusii; dum aperto Soti libro, Pelagianorum objectionem ab ipsomet propositam & confutatam, uti germanam Soti doctrinam, à defensoribus citatam ostendit.

Dixit præ cæteris abundè Joannes de Rada; multaque de dilectione Dei ac læsæ naturæ viribus doctè disseruit, quæ Plumbinus confutanda sibi sumsit: verùm & ipse vicissim à Coronello confutatus, tanto rationum pondere prægravatus est, ut fasces sponte submiserit.

Plumbini partes in se suscepit Antonius Bovius: Deique amorem naturalem, naturæ corruptæ viribus parem probaturus, cæteros Censores offendit. Argumento enim ex viribus naturæ puræ desumto, dubitari non posse ait, esse in homine easdem vires ad operandum naturalia, quas habuisset homo in puris naturalibus & in natura integra conditus. Quo audito sermonem abrupit Neritonensis Episcopus: *Quis poterit*, inquit, *se continere hæc audiens? Erras manifestè in re gravissima.* Nec tamen ob id despondit animo Carmelita, sed resumto sermone persecutus est institutum: *Versamur*, ait, *in rebus fidei: abstrahamus à rationibus Philosophicis ac Metaphysicis. Quodnam exstat Decretum Concilii, aut quæ Sedis Apostolicæ definitio, quæ fateri præcipiatur & credere, liberum hominis arbitrium ad opera moralia extenuatum adeò esse, ut illa sine speciali auxilio gratiæ efficere non possit? Certè nullum tale Decretum habemus, maximè verò de dilectione Dei naturali.* Quapropter propositionem Decimam à Censura liberam judicavit.

Decretum his verbis expressum est.

Die 10. Maii 1601. habita fuit Congre- «
gatio, cui (vitâ functo D. Cariatensi, cu- «
jus anima requiescat in pace) de ordine «
Sanctissimi præfuit D. Agathensis. In hac «
Congregatione interfuerunt omnes Con- «
sultores, excepto D. de Creil, qui pio «
operi intentus non potuit interesse; misit «
tamen excusationem suam, & petiit ut, «
servato jure suo ad subscribendum propo- «
sitionis Decimæ Censuræ, quam ipse con- «
sideraverat, & expenderat responsiones «
Patrum defensorum, ut proximè futurâ «
Congregatione se explicaturum dixit, pro- «
cederetur ad examen illius. Igitur expen- «
sâ propositione Decima Molinæ, & Cen- «

 surâ

» surâ in illam, necnon rationibus à PP. Je-
» suitis in defensionem præfatæ propositio-
» nis productis, post maturam consultatio-
» nem, censuerunt omnes (exceptis RR.
» PP. Procuratore Ord. S. Augustini, & Re-
» gente Collegii Carmelitarum, qui dixerunt
» præfatam propositionem posse defendi si-
» ne ulla Pelagianismi vel Semipelagianismi
» notâ) persistendum in Censura. Et ita sub-
» scripserunt.

» Ita est ego F. Julius Episcopus S. Aga-
» thæ Gothorum.

» Ita est ego Lælius Landus Episcopus
» Neritonensis.

» F. Hippolytus Episcopus Montis-Pe-
» lusii confirmo.

» Ita est F. Hieronymus Episcopus Palan-
» terius Franciscanus Convent.

» Ita est ego F. Joannes de Rada Ord.
» S. Francisci Regularis observantiæ Procu-
» rator Generalis, * censeo ut supra.

» Et ego F. Joannes Antonius Bovius Car-
» melita.

» Ita est ego F. Gregorius Nunnius Co-
» ronel Secretarius.

» Ita est ego F. Jacobus le Bossu Doctor
» Sorbonicus.

» Ego Ludovicus de Creil, expensâ Pa-
» trum Societatis responsione declaravi ante
» Congregationem, me persistere in Cen-
» sura propositionis Decimæ. Ob id die de-
» cima-septima subscripsi.

* Videtur hic deesse error Scribæ: *Ego F. Joannes Baptista Plumbinus Ord. Erem. S. Aug. Procur. Gen.*

CAPUT VIGESIMUM.

Quid à Vigesima-octava Congregatione ad Trigesimam-secundam tractatum ac definitum.

Die 17. Maii 1601. apud D. Agathensem, pro Vigesima-octava Congregatione sederunt meritissimi Consultores.

De Undecima propositione judicatum fuit. Ejus à Societate datas vindicias sacro Consessui proposuit D. le Bossu: *De singulis capitibus*, inquit Secretarius, *dixit sigillatim, ostenditque aliqua esse omnino ridicula, & alia contra expressam Molinæ intentionem & mentem: autoritates adductas in confirmationem propositionis de qua agebatur, vel diminute relatas, vel falsos Doctores allegatos; alios verò contra propriam sententiam vitratos in opinionem Molinæ.*

Ad suffragia subinde ventum est. Propositionis damnationi omnes, Plumbino & Bovio dumtaxat exceptis, subscripsere. *DD. Agathensis, Neritonensis, & Montis-Pelusii*, subjungit idem Secretarius, *brevi oratione dixerunt, dubitari non posse de errore propositionis, neque de æquitate Censuræ: nihilominus se expendisse quam diligentissimè rationes PP. Defensorum: ex quibus nihil aliud potuerunt colligere, quàm minorem fidelitatem in citandis Doctoribus, quàm par esset in re adeo gravi, & rationes nonnullas indignas quæ à Viris Theologis impugnentur seriò. Ac propterea censuerunt Censuram persistere in suo robore, neque æquum esse ab illa discedere.*

Alii longè fusiùs de subjecto argumento dixerunt, præsertim verò Coronellus: qui variis scripturarum ac Patrum momentis ostendit, corruptæ naturæ vires longè debiliores esse quàm puræ, donaque naturalia, quoad substantiam quidem, non quoad modum, in Angelis primoque Parente remansisse, demonstravit.

Clarissimus Crellius ultimo loco sententiam dixit: ridensque admissum à PP. Jesuitis solœcismum, inquit: *Assentior Patribus Defensoribus. Ecce enim dicunt, propositionem agnoscimus traditam à Molina:* NEC NULLUM *continere errorem Pelagianorum vel Semipelagianorum putamus. Ergo secundùm Defensores aliquem continet errorem: quia duæ negationes affirmant. Neque puto* (addidit) *hunc fuisse lapsum Scriptoris, sed instinctu Spiritus Sancti factum: adeo est absurda Molinæ propositio?*

Decreto in hunc modum subscripserunt Universi.

Die Jovis 17. Maii 1601. habita fuit «
Congregatio apud D. Agathensem, cui «
interfuerunt omnes Consultores. In hac «
autem Congregatione expensa fuit pro- «
positio Undecima Molinæ. Perpensis au- «
tem omnibus rationibus à Patribus Jesui- «
tis in defensionem dictæ propositionis «
adductis, censuerunt omnes (exceptis RR. «
PP. Procuratore Ordinis S. Augustini, & «
Regente Collegii Carmelitarum) persi- «
stendum in Censura. D. autem de Creil «
subscripsit utriusque propositionis præce- «
dentis & præsentis Censuræ. Elapsum est «
autem in expendendis prædictis, quatuor «
horarum & eò ampliùs spatium. «

Ita est ego F. Julius Episcopus S. Aga- «
thæ Gothorum. «

Ita est ego Lælius Landus Episcopus «
Neritonensis. «

F. Hippolytus Episcopus Montis-Pelusii «
confirmo. «

Ita est F. Hieronymus Palanterius Fran- «
ciscanus Conventualis. «

Ita est ego F. Joannes Baptista Plumbi- «
nus Ord. Eremitarum S. Augustini Pro- «
curator Generalis. «

Ita est F. Joannes de Rada Ord. S. Fran- «
cisci Procurator Generalis. «

Ita

» Ita est F. Gregorius Nunnius Coronel » Secretarius.

» Ita est ego F. Joannes Antonius Bovius » Carmelita.

» Ita est ego F. Jacobus le Bossu Doctor » Sorbonicus & Benedictinus.

» Ita est ego Ludovicus de Creil Sorbo- » næ Parisiensis Doctor.

Die 24. Maii 1601. apud Episcopum Agathensem, ad Congregationem Vigesimam-nonam convenere Consultores. Abfuit Joannes de Rada ægritudine detentus: suam tamen de propositione Duodecima sententiam scripto misit, qua standum in Censurâ judicabat, dataque opportunitate se subscripturum promittebat. Absuerunt pariter Plumbinus & Bovius, qui suum de eadem propositione judicium sequenti Congregatione laturos spoponderunt.

De Duodecima igitur propositione actum est. Societatis defensiones pro more retulit & exposuit D. le Bossu: reque per omnium vota diligentiùs ac maturiùs expensâ, sequenti damnationis Decreto subscripsere.

In Diario. Addit ad hæc Clarissimus Regna, famam fuisse, Plumbinum & Bovium à Congregatione consultò abstinuisse: quòd adeo obsona foret Molinæ propositio, ut nullâ possit veritatis specie cohonestari.

» Die Jovis 24. Maii 1601. habita fuit » Congregatio apud D. Agathensem, ad » examinandam propositionem Duodecimam » Molinæ, & Censuram in illam; nec non » ad rationes, à PP. Jesuitis productas pro » Molina, expendendas: quibus omnibus » maturè discussis, censuerunt Domini, non » obstantibus ex adverso productis à Patri- » bus defensoribus, persistendum in Censu- » ra. P. Rada scripsit ad Congregationem, » se propter ægram valetudinem non potuisse » interesse: suam tamen sententiam explica- » vit, dicens se persistere in Censurâ, eique » subscribere. R. P. Procurator S. Augusti- » ni & Regens Carmelitarum, qui non in- » terfuerunt, in futura Congregatione judi- » cium proferent de hac Duodecima pro- » positione.

» Ita est ego F. Julius Sanctutius Episco- » pus S. Agathæ Gothorum.

» Ita est ego Lælius Landus Episcopus » Neritonensis.

» F. Hippolytus Episcopus Montis-Pelu- » sii confirmo.

» Ita est F. Hieronymus Palanterius Fran- » ciscanus Conventualis.

» Ita est F. Gregorius Nunnius Coronel » Secretarius.

» Ita est F. Jacobus le Bossu Benedictinus » Doctor Sorbonicus.

Ita est Ludovicus de Creil Sorbonæ Parisiensis Doctor. «

Ita est ego F. Joannes de Rada Ordinis S. Francisci Procurator Generalis. «

Propositionem hanc, quam probabilem judicat Molina, alienam esse ab errore tam Pelagiano quàm Semipelagiano censeo ego F. Joannes Baptista Plumbinus Ord. Eremitarum S. Augustini Procurator Generalis. «

Ego F. Joannes Antonius Bovius Carmelita censeo, in hac Duodecima propositione, prout sustinetur à Molina, nihil esse quod adversetur Catholicæ veritati. «

Die 1. Junii 1601. apud Episcopum Agathensem Trigesimam Congregationem habuerunt meritissimi Consultores. «

Defensiones Decimæ-tertiæ propositionis in judicium vocatæ, à Societate datas retulit D. le Bossu. *Fraudes ac fallaces dicendi modos detexit, quibus utebantur Defensores, ut veritatem occultarent*, inquit Secretarius. Singuli deinceps prolixiùs de propositione dixerunt: ac demum collatis suffragiis, damnationis sententiam, Plumbino ac Bovio demtis pronuntiarunt.

Sicubi unquam, hic maximè Plumbini suffragium mirari fuit. Cœpit in primis adversùs Jesuitas declamare, qui ob trajectam in Censura scribæ vitio voculam unam, Congregationi fraudis crimen imposuissent; cum unus idemque sensus undecumque rediret. Subjunxit eam sibi semper Molinæ sententiam displicuisse: *cum quo auxilio unus perseverat, potest non perseverare; & è contra.* Addidit nihilominus eodem planè jure, Decimam-tertiam Molinæ propositionem ab errore vindicari posse, quo Decimam-tertiam Cassiani Collationem Doctores aliqui vindicarunt. Gloriosum sanè Ludovico Molinæ judicium! Id interim ut ostenderet, tot implicavit & involvit absurda, ut vix essent apud posteros fidem habitura, nisi propriis Secretarii verbis referrentur: *Id ut ostenderet*, inquit ille, *proposuit necessario confitendam esse gratiam efficacem secundùm suam entitatem præcisè: & hanc prædeterminare voluntatem nostram, ad bonum velle: atque in hoc omnino se tenere, ut sæpè dixerat, contra Molinam; vanamque esse doctrinam de Scientia-media. Interim tamen Molinam verè dixisse, & secundùm doctrinam S. Augustini, quòd Deus dat gratiam prævenientem, per quam dat homini posse, & constituitur in actu primo. Deinde homo operatur, & simul gratia cooperans cum illo, quam alia schola comitem appellat: & sic hominem istum habere gratiam sufficientem & efficacem. Et eodem mo-*

do

do sentiendum esse de dono perseverantiæ: quòd postquam homo constitutus est in actu primo, per gratiam quæ dat posse perseverare, homo ipse perseverat, si vult. Quem sensum dixit esse Catholicum: & hoc esse donum perseverantiæ, ex hipothesi quod Deus per Scientiam-mediam prævideret hominem cum tali gratiæ auxilio perseveraturum.

Hujus suffragii repugnantiam & ineptiam ostendit Secretarius, dum ordine suo sententiam dixit. Quòd cum ille molestiùs ferret, & in convitia erumperet: *Pater Reverende*, inquit iste, *oportet ut habeas verba prius ad limam, quàm ad linguam, & maturè consideres quæ dicturus es. Non enim quæ asseris possunt consistere: & quò te doctiorem prædicas (quem ego doctissimum agnosco) eò magis cogendus esses ad loquendum consequenter. Non enim decet Virum doctissimum, ut Molinam defendat, propriæ sententiæ contradicere.*

Decretum fuit ut sequitur.

„ Die Veneris 1. Junii 1601. habita fuit „ Congregatio apud D. Agathensem, & in„ terfuerunt omnes Consultores, ad expen„ dendas responsiones PP. Jesuitarum ad De„ cimam-tertiam propositionem Molinæ & „ Censurarum in illam: quibus omnibus di„ ligenter discussis non obstantibus, censue„ runt omnes persistendum in Censura. Ex„ ceptis RR. PP. Procuratore Ordinis S. „ Augustini & Regente Collegii Carmeli„ tarum, qui dixerunt, præfatam propositio„ nem Decimam-tertiam Molinæ nullo mo„ dò esse Pelagianam vel Semipelagianam.

„ F. Julius Episcopus S. Agathæ Gotho„ rum.

„ Ita est ego Lælius Landus Episcopus „ Neritonensis.

„ Ita est Episcopus Montis-Pelusii con„ firmo.

„ Ita est F. Hieronymus Palantierus Con„ ventualis.

„ Ita est F. Joannes de Rada Ord. S. Fran„ cisci Procurator Generalis.

„ Ita est F. Gregorius Nunnius Coronel „ Secretarius.

„ Ita est ut supra ego F. Baptista Plum„ binus Ord. Eremitarum S. Augustini Pro„ curator Generalis.

„ Ita est F. Joannes Antonius Bovius Car„ melita.

„ Ita est F. Jacobus le Bossu Benedictinus „ & Doctor Sorbonicus.

„ Ita est Ludovicus de Creil Sorbonæ Pa„ risiensis Doctor.

Die 7. Junii 1601. Congregatio trigesima-prima apud D. Agathensem celebrata est, ad Decimæ-quartæ propositionis examen. Huic se negavit Joannes Baptista Plumbinus, misso per Epistolas voto suo, quo Molinæ de Scientia-media doctrinam, verissimam & à Semipelagianismo remotissimam judicabat, servato in diem alteram subscribendi jure. Absentiæ porrò excusationem rogavit, quòd de gravissimis Ordinis sui negotiis cum Summo Pontifice agendum ipsi foret. Quanquam tamen die mensis ejusdem 14. (quo Congregatio habenda erat, sed ob Secretarii ægritudinem dilata est) in acta publica referri jusserunt DD. Consultores, compertum fuisse, P. Plumbinum illâ die neque Sanctissimum adiisse, neque ullum cum illo pertractandum Ordinis sui negotium habuisse; sed id finxisse, quòd eum puderet illam Molinæ propositionem de Scientiâ-media, quam usque ad præcedentem Congregationem Semipelagianam pronuntiaverat, jam tanquam Catholicam approbare: *Certè*, subjungit Secretarius, *cum Epistola non erubescat, ut dicitur, maluit scripto quàm viva voce illam amplecti, ne contra proprium sensum dicens, aliis ludibrio esset.*

Ut ut est, propositæ de more Societatis vindiciæ à D. Bossutio, atque à Consultoribus diligentissimè discussæ, ad eluendam Semipelagianismi notam, insufficientes habitæ sunt.

Decretum sequenti formâ prodiit.

Die Jovis 7. Junii 1601. habita fuit Con- „ gregatio apud D. Agathensem ad exami- „ nandam propositionem Decimam-quartam „ Molinæ, & ad expendendas defensiones „ adductas à PP. Jesuitis pro illa. Cui inter- „ fuerunt omnes Consultores, excepto P. „ Procuratore Ord. S. Augustini, qui scrip- „ to misit ad Congregationem suam senten- „ tiam de prædicta propositione. Igitur om- „ nibus quorum meminit Censura, & pro- „ ductis ex adverso à dictis Patribus, dili- „ genter ventilatis & discussis, conclusum „ fuit, ut persisteretur in Censura: excep- „ tis RR. PP. Regente Collegii Carmelita- „ rum, qui censuit esse verissimam proposi- „ tionem Molinæ; & Procuratore S. Au- „ gustini, qui scripto dixit Decimam-quar- „ tam propositionem, de scientiâ futurorum „ contingentium conditionalium, quam Me- „ diam vocat Molina, salvo semper meliori „ judicio, esse Catholicam & verissimam: „ ac proinde nullo pacto accedere ad labem „ Pelagianam, neque Semipelagianam. Et „ sic subscripserunt. „

F. Julius Episcopus S. Agathæ Gotho- „ rum. „

Ego Lælius Landus Episcopus Neri- „ tonensis. „

F. Hip-

F. Hippolytus Episcopus Montis-Pelusii confirmo.

Ita est F. Hieronymus Palantierus Franciscanus Conventualis.

Ita est ego F. Joannes de Rada Ord. S. Francisci Procurator Generalis.

Ita est F. Gregorius Nunnius Coronel Secretarius.

Ita est F. Joannes Antonius Bovius Carmelita.

Ita est F. Jacobus le Bossu Benedictinus, Doctor Sorbonicus.

Ita est Ludovicus de Creil Sorbonæ Parisiensis Doctor.

Ita est F. Joannes Baptista Plumbinus Ord. Eremitarum. S. Augustini Procurator Generalis. Die 22.

CAPUT VIGESIMUM-PRIMUM.

Quid à Trigesima-secundâ quarti hujus examinis Congregatione, ad ultimam usque definitum.

DIe 22. Junii 1601. ad trigesimam-secundam Congregationem in Episcopi Agathensis Palatio convenere DD. Consultores pro Decimæ-quintæ propositionis examine. Absentiæ suæ rogavit veniam Antonius Bovius, misso scripto quo propositionem censurâ liberam pronuntiabat, & subscribendi jus reservabat.

Propositis à D. Bossutio Jesuitarum vindiciis, dixerunt singuli per ordinem, ac in decisis standum judicarunt. Propositioni pro more favit Joannes Baptista Plumbinus, quam à Semipelagianismo remotissimam defendit. Qua in re *tam lubricè versatus est & ambiguè, ut nec pro Molina, nec contra illum aliquid concludere videretur:* si actis fides est.

Decretum est in hunc modum.

Die Veneris 22. Junii 1601. habita fuit Congregatio apud D. Agathensem, ad expendendas rationes à Patribus Defensoribus productas, pro Decima-quinta propositione Molinæ. Interfuerunt autem omnes Consultores, excepto P. Regente Collegii Carmelitarum, qui scripto misso ad Congregationem, judicium tulit de prædicta propositione & Censurâ in eam. Igitur post longam hujus rei discussionem, & consultationem, censuerunt omnes persistendum in Censura, non obstantibus ex adverso productis, ab iis qui Molinam ab erroris nomine vindicare conabantur: exceptis RR. PP. Procuratore S. Augustini, & Regente Collegii Carmelitarum, qui tenent prædictam propositionem nullum continere errorem Pelagianorum vel Semipelagianorum, aut aliquid quod adversetur Catholicæ veritati. Et ita subscripserunt.

Ita est ego F. Julius Episcopus S. Agathæ Gothorum.

Ita est ego Lælius Landus Episcopus Neritonensis.

F. Hippolytus Episcopus Montis-Pelusii.

Ita est F. Hieronymus Palantierus Franciscanus Conventualis.

Ita est ego F. Joannes de Rada Ordinis S. Francisci Procurator Generalis.

Ita est ego F. Joannes Baptista Plumbinus Ord. Eremitarum S. Augustini Procurator Generalis.

Ita est ego F. Gregorius Nunnius Coronel Secretarius.

Ita est ego F. Jacobus le Bossu Benedictinus & Doctor Sorbonicus.

Ita est ego Ludovicus de Creil Sorbonæ Parisiensis Doctor.

Ita est ego F. Joannes Antonius Bovius Carmelita.

Die 27. Junii 1601. Apud D. Agathensem pro trigesima-tertia Congregatione sederunt DD. Consultores. In judicium venit Decima-sexta propositio: cujus defensiones à Patribus Societatis elucubratas exposuit pro officio suo D. le Bossu.

Contra propositionem pronuntiarunt universi, si Plumbinum ac Bovium excipias. Quanquam & illi ea in votis suis de Molinæ doctrina & Massiliensium erroribus fassi sunt, undè propositionis damnationem æquiori jure colligeres, quàm defensionem. Prior enim, inquiunt Secretarii Acta, ingenuè fatebatur, *Molinam unicum tantùm constituere auxilium divinum, necessarium ad justificationem impii: neque agnovisse distinctionem gratiæ in sufficientem & efficacem.* Alter advertit Semipelagianorum errorem tribus in capitibus positum: 1. *Quia ponebant conatum liberi arbitrii præcedere gratiam prævenientem.* 2. *Quia dicebant gratiam adjuvantem esse comitem, non præviam.* 3. *Quia hujus gratiæ efficaciam dicebant pendere à consensu liberi arbitrii.*

Decretum hoc modo.

Die Mercurii 27. Junii 1601. habita fuit Congregatio apud D. Agathensem, cui interfuerunt omnes Consultores. Expensis autem, repetita lectione, propositione Decimâ-sextâ Molinæ, & Censurâ Congregationis in illam, necnon diligenter consideratis rationibus productis ex adverso à Patribus Jesuitis in defensionem prædictæ propositionis; illis non obstan-

„ tibus censuerunt omnes persistendum in
„ Censura: exceptis RR. PP. Procuratore
„ Ordinis S. Augustini, & Regente Collegii Carmelitarum, qui dixerunt prædictam
„ propositionem non continere aliquem errorem Pelagianorum vel Semipelagianorum. Et ita subscripserunt.
„ Ita est F. Julius Episcopus S. Agathæ Gothorum.
„ Ita est Lælius Landus Episcopus Neritonensis.
„ F. Hippolytus Episcopus Montis-Pelusii confirmo.
„ Ita est F. Hieronymus Palantierus Franciscanus Conventualis.
„ Ita est F. Joannes de Rada Procurator Generalis.
„ Ita est ego F. Joannes Baptista Plumbinus Ord. Eremitarum S. Augustini Procurator Generalis.
„ Ita est ego F. Gregorius Nunnius Coronel Secretarius.
„ Ita est ego F. Joannes Antonius Bovius Carmelita.
„ Ita est F. Jacobus le Bossu Benedictinus Doctor Sorbonicus.
„ * Ita est ego Ludovicus de Creil Sorbonæ Parisiensis Doctor.

Die 5. Julii 1601. Congregationem trigesimam-quartam in D. Agathensis ædibus habuerunt DD. Consultores. Sub virga fuit Decima-septima propositio. Post auditas vindicias ac maturo criterio examinatas, solitis Molinæ Vindicibus demtis, in damnationis sententiam venerunt omnes. Quanquam tamen Plumbinus non omninò Molinam absolvit: quem enim à Pelagianorum hæresi liberavit, eundem errare censuit in illatione quam facit: *Si gratia efficax est ex vi divinæ motionis, tollitur libertas arbitrii.* Quod quanti momenti sit, nemo non videt: etsi in Decreti subscriptione id ipsum dissimulaverit Plumbinus; cæteris facti veritatem attestantibus.

Sequenti Decreto definita res est.

„ Die Jovis 5. Julii 1601. habita fuit Congregatio apud D. Agathensem. Interfuerunt autem omnes Consultores. In hac Congregatione expensæ fuerunt Defensorum Molinæ rationes, productæ pro Decima-septima propositione. Quibus diligenter discussis, repetita etiam inspectione præfatæ propositionis, & locorum quorum Censura in illam meminit, censuerunt omnes, non obstantibus ex adverso productis, persistendum in Censurâ: exceptis RR. PP. Procuratore Ord. S. Augustini, qui censuit Molinam quidem errare in illatione quam facit, Si gratia efficax est ex vi divinæ motionis, tollitur libertas arbitrii: nihilominus tamen propositionem ipsam Decimam-septimam Molinæ nullum errorem continere Pelagianum vel Semipelagianum: & Regente Collegii Carmelitarum, qui dixit in illa propositione nihil contineri, quod fidei Catholicæ adversetur. Et ita subscripserunt. “
Ita est F. Julius Episcopus S. Agathæ Gothorum. “
Ita est ego Lælius Landus Episcopus Neritonensis. “
F. Hippolytus Episcopus Montis-Pelusii. “
Ita est F. Hieronymus Palantierus Franciscanus Conventualis. “
Ita est ego F. Joannes de Rada Ord. S. Francisci Procurator Generalis. “
Ego F. Joannes Baptista Plumbinus Ord. Eremitarum S. Augustini Procurator Generalis, hanc totam Decimam-septimam propositionem esse probabilem censeo. “
Ita est prout dicitur in Decreto, & persisto in Censurâ, F. Gregorius Nunnius Coronel Secretarius. “
Ita est F. Joannes Antonius Bovius Carmelita. “
Ita est ut dicitur in Decreto, ego F. Jacobus le Bossu Benedictinus & Doctor Sorbonicus. “
Ita est prout in Decreto, ego Ludovicus de Creil Sorbonæ Parisiensis Doctor. “

Die 12. Julii 1601. apud D. Agathensem Trigesimum-quintum Conventum egere DD. Consultores. Defuit Joannes de Rada, qui missis Epistolis sententiam se proximâ Congregatione dicturum significavit. Ad trutinam venit Decima-octava propositio. Relatis ac ponderatis Societatis momentis, quibus eam à Semipelagianismo liberare tentaverat, damnationis sententia lata est. Dissenserunt Augustiniensium Procurator, & Carmelitarum Regens.

Decretum ita instructum est.

Die Jovis 12. Julii 1601. habita fuit Congregatio apud D. S. Agathæ Gothorum. Interfuerunt autem omnes Consultores, excepto P. Magistro Rada, qui gravi negotio Ordinis sui impeditus interesse non potuit, sed promisit scripto suo misso ad Congregationem, in proximè futura Congregatione se dicturum quidquid de hac Decima-octava & Decimâ-nonâ propositione sentiat. Igitur repetita inspectione propositionis Decimæ-octavæ Molinæ & Censuræ in illam, expensis etiam Defensorum rationibus pro illa productis, “
censue-

» censuerunt omnes persistendum in Censu-
» ra: exceptis RR. PP. Procuratore Or-
» dinis S. Augustini, & Regente Collegii
» Carmelitarum, qui dixerunt prædictam
» propositionem non accedere ad errorem Pe-
» lagianorum vel Semipelagianorum. Et ita
» subscripserunt.
» Ita est F. Julius Episcopus S. Agathæ
» Gothorum.
» Ita est Lælius Landus Episcopus Ne-
» ritonensis.
» F. Hippolytus Episcopus Montis-Pe-
» lusii confirmo.
» Ita est F. Hieronymus Palantierus Fran-
» ciscanus Conventualis.
» Ita est ego F. Joannes Baptista Plum-
» binus Procurator Generalis Ordinis S. Au-
» gustini.
» Ita est ego F. Gregorius Nunnius Co-
» ronel Secretarius.
» Ita est F. Joannes Antonius Bovius Car-
» melita.
» Ita est F. Jacobus le Bossu Benedicti-
» nus & Doctor Sorbonicus.
» Ita est ego Ludovicus de Creil Sorbo-
» næ Parisiensis Doctor.
» Subscribo die 19. mensis Julii in Con-
» gregatione Censuræ hujus Decimæ-octa-
» væ propositionis, ego F. Joannes de Ra-
» da Procurator Generalis Ordinis S. Fran-
» cisci.

Die 19. Julii 1601. apud D. Agathensem Trigesima-sexta Congregatio fuit. Huic se negavit Augustiniensium Procurator, nec nisi absoluto conventu excusationem per Epistolas misit. Retulit pro more D. le Bossu propositionis Decimæ-nonæ vindicias à Defensoribus datas. Has universus Ordo diligenter expendit, & ad eluendam Semipelagianismi Censuram elumbes omnino judicavit. Unicus pro Molina stetit Antonius Bovius.

De hac perinde ac de precedenti propositione dixit Joannes de Rada. Hæsit aliquandiu, an Molinæ de æterna bonorum actuum prædefinitione doctrinam hæreseos damnaturus esset; tametsi eam uti falsam ac periculosam damnare non dubitaret. Re tamen maturiùs introspectâ, auditisque cæterorum votis, Censuræ absque restrictione subscripsit.

Decretum prodiit in hunc modum.

» Die Jovis 19. Julii 1601. habita fuit
» Congregatio apud D. S. Agathæ Gotho-
» rum. Interfuerunt autem omnes Consul-
» tores, excepto P. Procuratore Ord. S. Au-
» gustini, qui nullâ missâ excusatione ad
» Congregationem, abfuit. In hac Con-
» gregatione discussæ fuerunt propositio De-
cima-nona Molinæ, Censura in illam, nec- «
non rationes à PP. Jesuitis productæ pro «
prælatâ propositione. Post longam autem «
& diligentem horum discussionem censue- «
runt omnes persistendum in Censura: ex- «
cepto R. P. Collegii Carmelitarum. «
Deinde propter rationes sufficientes, Do- «
mini prorogarunt futuram Congregatio- «
nem, usque ad diem trigesimam-primam «
hujus mensis. Et ita subscripserunt omnes. «
Ita est ego F. Julius Episcopus S. Aga- «
thæ Gothorum. «
Ita est ego Lælius Landus Episcopus «
Neritonensis. «
F. Hippolytus Episcopus Montis-Pelu- «
sii confirmo. «
Ita est F. Hieronymus Palantierus Fran- «
ciscanus Conventualis. «
Ita est ego F. Joannes de Rada Ord. S. «
Francisci Procurator Generalis. «
Ita est ego F. Gregorius Nunnius Co- «
ronel Secretarius. «
Ita est ego F. Joannes Antonius Bovius «
Carmelita. «
Ita est ego F. Jacobus le Bossu Benedi- «
ctinus Doctor Sorbonicus. «
Ita est ego Ludovicus de Creil Doctor «
Sorbonæ Parisiensis. «

Die 31. Julii 1601. apud D. Agathensem Congregationem Trigesimam-septimam habuerunt DD. Consultores, ad Vigesimæ propositionis examen. Per interpositam personam absentiæ suæ veniam petiit Augustiniensium Procurator.

Patrum Jesuitarum responsiones apologeticas exposuit D. le Bossu, æmulisque suffragiis difficultas agitata est. Demum pristinæ Censuræ subscribendum censuerunt omnes: Bovio dumtaxat excepto.

Addit ad hæc D. Pegna. Observatum *In Diario.* fuit Antonium Bovium in hac Congregatione remissiùs, tepidiùs, immò verò frigidiùs Molinæ causam egisse, nec aliquid dixisse quod esset alicujus momenti: quod ipsum in aliquot præcedentibus Congregationibus jam contigerat: ut re vera nonnulli Consultores opinarentur, nullam aliam ob causam ipsum adhuc his opinionibus hærere, quam quòd esset discipulus Jesuitarum.

Decretum sequens edidere.

Die Martis 31. Julii 1601. habita fuit «
Congregatio apud D. S. Agathæ Gotho- «
rum. Interfuerunt omnes Consultores, ex- «
cepto Procuratore Ordinis S. Augustini. «
In hac Congregatione repetita lectione pro- «
positionis Vigesimæ & Censuræ in illam; «
post diligentem utriusque discussionem, «
non obstantibus ex adverso productis à PP. «
Jesui-

„ Jesuitis pro prædicta propositione, quæ attentè examinata fuerunt, censuerunt omnes, persistendum esse in Censura: excepto R. P. Regente Collegii Carmelitarum. Censuram autem tam in hanc Vigesimam propositionem, quàm in præcedentes alias Molinæ propositiones Congregatio submissè judicio & determinationi S. D. N. Clementis Papæ VIII. submittit.

Post absolutam actionem præcedentis Congregationis, P. Procurator Ord. S. Augustini misit suam excusationem; ante hanc autem Congregationem, comparuit quidam qui ejus excusavit absentiam. Et ita absoluta est præsens actio, ad laudem & gloriam Omnipotentis Dei Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.

Ita est F. Julius Sanctutius Episcopus S. Agathæ Gothorum.

Ita est ego Lælius Landus Episcopus Neritonensis.

D. Hippolytus Episcopus Montis-Pelusii.

Ita est F. Hieronymus Palantierus Franciscanus Conventualis.

Ita est F. Joannes de Rada Ord. S. Francisci Procurator Generalis.

Ita est ego F. Gregorius Nunnius Coronel Secretarius.

Ita est ego F. Joannes Antonius Bovius Carmelita.

Ita est ego F. Jacobus le Bossu Benedictinus & Doctor Sorbonicus.

Ita est ego Ludovicus de Creil Doctor Sorbonæ Parisiensis.

CAPUT VIGESIMUM-SECUNDUM.

Quarti examinis Decreta, cæteraque Congregationis Instrumenta disponunt, Summoque Pontifici tradunt DD. Consultores.

Ex Diario Pegnæ.

NEcdum erant hujus examinis absoluta judicia, cùm de ordinandis Congregationis Instrumentis cogitarunt Censores æquissimi. Ea de re apud Joannem de Rada die 3. Julii deliberaturi convenerant; communibusque votis provinciam illam Patri Secretario ac D. Bossutio demandaverant. Is eis fuerat præscriptus ordo. Ut primùm Viginti Molinæ propositiones, cum adjunctâ singulis speciali Censurâ, politiori caractere describi curarent. Deinde Congregationis Decreta in Censurarum confirmationem recens edita, cum Consultorum subscriptionibus: tum demùm Societatis vindicias ad cujuslibet propositionis defensionem oblatas cum Congregationis responsis apponerent.

Dum in eam curam post absolutas Congregationes potissimùm intenderent, intellexit Sanctissimus Pontifex absolutum Congregationis examen. Censores rerum seriem exploraturus acciri jussit: eosque die 6. Augusti ad audientiam admissos interrogavit, quid tandem in Congregationibus definitum, quid statutum? Numve in unam sententiam conspirassent universi? Præmissâ gestorum narratione, respondit Episcopus Agathensis, lata Decreta cæteraque instrumenta, per Deputatos Viros ordinari, solosque Plumbinum ac Bovium à cæteris dissensisse. Reposuit Beatissimus Pater, *Agite quod determinastis, & quod vestrarum est partium, ut nos quoque facere possimus quod nostra est autoritatis.* Moxque ad Carmelitam converso sermone, adversùs Scientiam-mediam per duas & ampliùs horas disputavit, firmamque ferendæ damnationis voluntatem aperuit.

Fate quelle che avete determinato, e quelle che appartiene à voi: accio noi possiamo fare quelle che appartiene alla nostra autorità.

Injunctum sibi opus sub finem mensis Octobris consummarunt Coronellus & Bossutius, cæterosque Censores ad illius recognitionem invitarunt. Verùm suborta dubitatione, num ii quoque vocandi forent, qui à communi sententiâ dissenserant, Pontificem consulere necesse fuit. Hos ille advocari vetuit; ne, quod prodiderant hactenus, nunc etiam Congregationis secretum evulgarent. Aperuit etiam hac occasione Sanctissimus Pater, quàm altè de gratia efficaci sentiret, quàm feliciter Augustini mentem attigisset: cujus lectioni ut per otium incumberet, Tusculum sæpè secesserat.

Semotis igitur Plumbino & Bovio, ad ordinatorum instrumentorum recognitionem convenere ad diem usque Novembris decimam. Sub Censuræ finem communibus votis additum est: *Plures quidem alias propositiones à Molina assertas meritò potuisse acri Censurâ coerceri; eas tamen consultò fuisse omissas; quia non omnino ad hanc de gratia & prædestinatione materiam pertinerent.* Statutum hìc etiam fuit, absentes saltem interrogandos esse, num tandem Collegis assentiri, ac Censuris subscribere vellent. Verùm iis recusantibus, Decretis politiori caractere exaratis cæteri subscripsere die mensis ejusdem vigesima-nonâ.

Novam igitur Censuram, aliaque Congregationis documenta, die quinta sequentis Clementi VIII. tradiderunt. Qui in eam Scriptorum congeriem statim intuens, inquit: *Hæc videntur mihi valdè prolixa. Si ad ea perficienda annus vobis necessarius fuit, mihi certè ad ea perlegenda annus non sufficiet.*

Mi pare molto longo. Se voi sete stato un'anno di farlo, a me non basta un'anno per legerlo.

Pro-

prolixitatis, quam sola Jesuitarum objectionibus satisfaciendi necessitas induxerat, rogarunt veniam: etsi non omnia minutatim Sanctitati suæ legenda innuerent: quam & ingenii felicitas & singularis eruditio, tanto onere liberare meritò posset.

Supplicavit omnium nomine Agathensis Episcopus, ut rem quantocitiùs Pontificia autoritate definiret; ne indefessa Societatis arte, proscripta Molinæ doctrina latiùs serperet. Subjunxit Clarissimus Bossutius, Academiam Parisiensem Apostolici judicii exspectatione suspensam, ab examinandis divinæ gratiæ controversiis temperasse; tametsi Jesuitæ, Parisiis non secùs ac Romæ, studiosa machinatione suas singulis opiniones insusurrare molirentur. Periculum sensit ac doluit optimus Pater: illisque rursùs instantibus, ut hæc nova Congregationis judicia Molinæ Vindicibus minimè traderet, ne novas circulationes ac moras intentarent, respondit gemebundus: *Quid agemus? cum isti etiam nunc dicant se non esse auditos.*

Come faremo; poiche essi dicono anche adesso che non sono stati sentiti?

Obstupuere quotquot aderant Consultores, parumque abfuit quin aperta indignatione solverentur. Jesuitas ad nauseam usque & scripto & verbo auditos, Molinæ vindicias toto pene anno discussas, CONCORDIÆ loca diligentissimè recognita, judicium demum præsentibus ac etiam perorantibus partibus constitutum, conclamarunt: nihilque propterea causæ esse, cur nugacem prorsùs & absonam expostulationem exciperet.

Nec certè eâ se moveri significavit infracti animi Pontifex: quin potiùs pristini propositi tenax, rem sese absolutâ Actorum lectione definiturum spopondit: atque ita soluta collatio est.

Interea quæ secretò tractata fuerant, publicâ famâ ferebantur. Atque ut in vagis rumoribus summa cuique inest sentiendi libertas, non defuere qui Censuræ prolixitatem in malum omen acciperent. Verebantur enim, ne vel nimio lectionis onere solveretur Pontifex, vel ob id saltem causæ definitionem procrastinare cogeretur. Suam ea de re Congregationis Præsidi mentem aperuit Franciscus Pegna Rotæ Romanæ Decanus: cui cum ille non omninò ex tempore satisfecisset, hanc eadem ipsa die dedit Epistolam, qua gestorum omnium seriem ac rationem exposuit. Placuit eam ex integro subjungere: quòd Molinæ Defensorum artes in vitiandis SS. Patrum ac Theologorum testimoniis aperiat, eáque omnia brevi complectatur, quæ fusiùs à Secretario in Congregationis Acta relata sunt.

PERILLUSTRIS AC REVERENDISSIME DOMINE.

Exstat Originalis in Pegnæ Collect. Ex Italico Latinè datur.

Hac meâ præsenti Epistolâ Perillustri ac Reverendissimæ Dominationi Vestræ significandum judicavi paulò distinctiùs ac prolixiùs, quàm hodie ex occasione verbo fecerim, quid in negotio nobis à S. D. N. imposito contigerit. Dicam igitur Censuram à Congregatione editam viginti Molinæ propositiones complecti, quæ hujus autoris cum Pelagianis ac Semipelagianis consonantiam breviter exponunt. Sub finem additum est brevissimum Congregationis nostræ Decretum Consultorum subscriptione munitum, quo decernitur, quid circa Molinæ causam facto sit opus

Censuræ liber, qui prima fronte S.D.N. paulò prolixior visus est, prædictæ Congregationis responsiones ad Patrum Jesuitarum vindicias complectitur. Quoniam verò nimiùm illi prolixiores fuerant, ob nimiam laudatorum autorum copiam, cavillationes plurimas, sophismata, insolitásque Molinianæ sententiæ expositiones; ad sufficientem rerum omnium expositionem, res majori brevitate confici non potuit, quàm quæ à Congregatione adhibita fuit. *E perche in dette loro risposte sono stati molto longhi, con copia di molti Dottori, e molte cavillationi, e sofismi, e extraordinarii sensi del Molina: per sodisfar a pieno ad ogni cosa, non si è possuto usare brevità più di quella si è osservata.* Quapropter si Congregatio aliter fecisset, non cumulatè satisfecisset Suæ Sanctitatis voluntati, magnamque propriæ famæ jacturam fecisset.

Huic etiam prolixiori libro præfatio præmittitur, in qua id omne compendio enarratur, quod in ipso libro fusè continetur, indigitando autores omnes uti ab ipsis laudati fuere, truncati, & contra propriam illorum mentem; nec sine cavillis præposterè assutis, quibus prædicti defensores utuntur. Quapropter iis aliisque momentis facilè dijudicari potest, quàm vanè defatigati sint ad ejus defensionem, qui tam justè damnari meretur.

Istud scribendum judicavi, ut iis cumulatè satisfacerem, quibus hodiernâ luce verbo satisfacere non licuit. Noverit ac certò credat Perillustris ac Reverendissima Dominatio Vestra, lucubrationes summo studio elaboratas esse, non sine singulari divinæ gratiæ ope. Et quidem prænovit Congregatio librum Censuræ prolixiorem habitum iri: hanc nihilominus prolixitatem necessariam censuit, ad uberiorem objectionum omnium confutationem: tan-

V tamque

„ tamque eâ in re diligentiam adhibuit, quantam quis prudenter desiderare possit aut debeat.

„ Decretum Censuræ Viginti propositionum Pelagianarum subjectum, statuit librum Molinæ ejusque doctrinam, utpote Pelagianam ac Semipelagianam, damnandam esse; Molinæ quoque commentarios in primam partem interdicendos, donec ea omnia ab eis expuncta fuerint, quæ ad istud argumentum attinent.

„ Plurimam salutem dico, meque totum ad officia offero. Datum in domo mea die 11. Decembris 1601.

„ Perillustris ac Reverendissimæ Dominationis Vestræ servus obsequentissimus, *Julius Sylvius Sanctutius Episcopus S. Agathæ.*

Romam sub idem tempus pervenit mortis Ludovici Molinæ nuntius. Observatum ab omnibus fuit, illum Matriti eo ipso mense Octobri obiisse, quo Censuram ejus Romani Censores absolverant. Hæc de illo scripsit Pater Oieda Societatis in Curia Matritensi Procurator Generalis: *Vocatus ad Curiam Regiam e Civitate Conchensi, ex qua recesserat mense Septembri, paulo postquam adventasset incidit in gravem febrim. Mox acciti Medici omnem curam & medicinam opportune adhibuerunt: sed ægritudine invalescente memoriam omnium rerum humanarum amisit. Sed nec librorum nec scriptorum suorum est recordatus, nec libri de* CONCORDIA *liberi arbitrii cum gratiæ donis: quasi ipse non fuisset, qui tot propterea tumultus in Ecclesia excitasset. Itaque cùm nulla medicamenta profuissent, post aliquot dies obiit.*

CAPUT VIGESIMUM-TERTIUM.

Causæ definitionem per Epistolas & administros urget Catholicus Rex: Promittit Pontifex.

CUm hæc Romæ indefesso studio gererentur, majores in Hispania tumultus implacabili æmulatione fovebantur. Philippus III. paternæ virtutis hæres, florentissimi Regni exordia in componendis partium animis impendit. Verùm crescente in dies contentionum pertinaciâ, impendentia toti Regno ac ipsi etiam Ecclesiæ Catholicæ damna Pontificiâ dumtaxat definitione averti posse judicavit. Ad Excellentissimum Ducem de Sessa, Oratorem suum in Curia Romana constitutum, sequentem Epistolam dedit; qua extremum causæ judicium omni sollicitudine urgendum imperabat.

" Dux de Sessa & Vaena consobrine. Ob dilatum Sedis Apostolicæ judicium, de controversiis Prædicatores inter ac Jesuitas divinæ Gratiæ quæstionibus, grave Ecclesiæ Catholicæ periculum imminet. Utrique enim suas in dies opiniones tenaciùs ebibunt, ac devotorum animis inserunt. Cùm ergo ad Christi Vicarium pertineat imminentia inde pericula opportunè præcavere, nostrique officii sit, pro filialis observantiæ religione eadem ipsi in memoriam revocare; idcircò per præsentes literas injungo, ut hæc Sanctitati Suæ nomine meo significes; quatenus controversiam, attentâ urgenti necessitate, brevi definiat. Addes me ad ista significanda officii dumtaxat ac debiti religione moveri. Curabis ne ultra definitio protrahatur: quæ verò in posterum accident, rescribes sedulò. Datum Lermis die 3. Maii 1601. EGO REX. " *Ex Hispano Latinè datur.*

D. P. Franqueza.

Egit secundùm mandata Regia dignissimus Orator. Piam Catholici Regis sollicitudinem, imminensque periculum exposuit die 12. Junii, qua ad Clementis VIII. colloquium admissus est. Hæreseos Lutheranæ exemplum præ oculis posuit, quam serâ remedii dilatione vires obtinuisse nemo nescit. Additque longè gravius periculum oriturum, si fortè Jesuitas in errore versari contingeret, quòd ubique penè juventutis institutioni præficerentur. Consilium probavit Sanctissimus Pontifex, aitque nihil sese nisi deputatorum Censorum judicium pro ferendâ definitione desiderare. Unicâ tamen difficultate cruciabatur, quam post dies aliquot Francisco Pegnæ, Rotæ Romanæ Decano, secretò detexit: ne videlicet Jesuitæ Apostolicæ definitioni subesse detrectarent. *Die 7. Aug.* Quòd sanè ex tumultuantis Societatis querelis ac minis suspicari facilè erat.

Fecit ei animos Vir clarissimus. Non defuturam Catholici Regis autoritatem pollicitus est, quâ perduelles ad officium revocarentur. Hæreses sectatorum numero, fautorum autoritate, locorum diffusione majores, feliciter repressas ostendit. Nec verendum addidit, ne non satis discussam causam effutirent aliqui, quam & in Belgicis Hispanicisque Academiis, jam pridem discussam, & in Romanis Congregationibus triennio agitatam universus Orbis agnosceret. Tum ejus pedibus provolutus, deformatam opinionum novitatibus Hispaniensis Ecclesiæ faciem exposuit, obnixè rogans, ut præsenti remedio subveniret. Respondit, se in id unum incumbere

cumbere, nec defuturam supremi numinis providentiam.

Verùm cùm elapsis mensibus aliquot, in Hispaniam pervenisset rumor, suas meritissimos Censores Congregationes absolvisse, necdum tamen definitionem Apostolicam evulgari, institit secundò Rex Catholicus novarum morarum impatiens. Movit Religiosissimi Principis zelum mali incrementum ac medicinæ dilatio, quam hactenus præsentissimam fore putaverat. Scripsit porrò Oratori suo in hæc verba.

Ex Hispano Latinè datur.

„ Dux de Sessa & Vaena consobrine, meis „ à Consiliis, & Orator. Urget in dies necessitas Apostolicæ definitionis in causa divinorum auxiliorum, qua Prædicatorum Ordinis Religiosi cum Societate committuntur. Tantumque ex judicii dilatione periculum oriri posset, ut Religionis officio ducar injungere, uti & per præsentes injungo, quatenus istud Sanctitati Suæ nomine meo significes, & quàm majori poteris studio instes ac roges, subortas inter eos dissentiones Apostolica definitione componi: ne, summâ Dei injuriâ, graviora ex diuturniori dilatione pericula sobolescant. Quapropter ea omnia Sanctitatis Suæ ac Sedis Apostolicæ autoritate vitari velim. Eoque fine necessariam omnem curam impendes, donec extremo judicio causa definiatur. Sanctitatis Suæ responsionis facias mihi fidem: id enim mihi maximè cordi est. Datum Vallisoleti die 30. Septembris 1601. Ego Rex.

D. P. Franqueza.

Accendit Oratoris zelum secunda eodem de argumento Regis Epistola. Pontificem die 10. Decembris adiit, omnique conatu pro Apostolica definitione supplicavit. Monuit autem non adeò ea in re pertimescendam Societatem, cùm in unius Molinæ defensionem non conspirarent universi, sed mutuo secum schismate scinderentur. Arrisit summo Pontifici verbum. Regi Catholico rescribi jussit, Se non modò per interpositas personas, sed per sese causæ hujus examini quàm diligentissimè incumbere, ac de ferendo judicio omninò deliberasse.

Institit adhuc semel & iterum intra mensem sollicitus Orator: eademque illi ferendæ propè diem sententiæ fides data est. Nec verò apud Pontificem tantùm egit, sed & apud eos omnes, qui vel autoritate vel gratiâ, aliquid in rem publicam conferre possent. Anselmo de Monopoli Concionatori disertissimo, ac paulò post pro egregiis meritis ad Purpuram assumto, Catholici Regis Epistolas legi curavit; ut & Hispaniæ periculum disceret & pia apud Pontificem officia, datâ opportunitate exhiberet. Erat ille Clementi VIII. intimus à Consiliis, Franciscanorum strictioris instituti, quos ex acuminato capitis integumento, Capucinos vocant, Procurator Generalis, qui & firmum finiendæ causæ propositum jam ante didicerat, & scripta ad internoscendam Augustini mentem ab ipsa Sanctitate Sua elucubrata sæpiùs observaverat. Horum Francisco Pegnæ fidem fecit, promisitque rem sese pro Viribus curaturum. Addidit summo cum stuporis sensu: * *Hi Jesuitæ in ista se pericula projecerunt per superbiam suam, & quia alios Religiosos ac Doctores floccifaciunt, hac præconcepta opinione, alios omnes indoctos esse & ignaros.*

Ex Epist. Pegnæ ad Gasp. de Cord.

Promissis stetit absque mora Vir meritissimus. Cùm enim in Ecclesia Romana tunc temporis moris esset, ut erroris alicujus imminente damnatione, adversùs eundem conciones in Palatio Apostolico haberentur, multique jubente Pontifice, de humani arbitrii infirmitate ac de divinæ Gratiæ efficaciâ ex sacro suggestu jam ante dixissent, dixit & ipse ordine suo, tanta sermonis efficaciâ, ut omnium penè lacrymas excusserit. Moxque ad Eminentissimos Cardinales converso sermone, aurea D. Bernardi verba in eos contulit, laudabili ac planè Apostolica libertate; *Ad vos specialiter spectat tollere scandala de Regno Dei, surgentes succidere spinas, sedare querelas. Sic enim præcepit Moyses cum montem subiit*: Habetis, *inquiens*, Aaron & Hur vobiscum: si quid natum fuerit quæstionis, referetis ad ipsos. *Illum loquor Moysem, qui venit per aquam, & non in aqua solùm, sed & in aqua & sanguine; & ideo plusquam Moyses, quia & in sanguine venit. Et quia pro Hur & Aaron stat zelus & autoritas Romana Ecclesia super populum Dei, ad ipsam meritò referimus, non quæstiones, sed læsiones fidei, & injurias Christi, Patrum probra atque contemtus, præsentium scandala, pericula posterorum. Irridetur simplicium fides, eviscerantur arcana Dei, quæstiones de altissimis rebus temerariè ventilantur, insultatur Patribus, quòd eas magis sopiendas quàm solvendas censuerint...... Et si judicatis me justè moveri, movemini & vos: ac, ne frustra moveamini, agite pro loco quem tenetis, pro dignitate qua polletis, pro potestate quam accepistis, quomodo qui ascen-* Epist. 188.

* Li Jesuiti per la sua superbia, e per estimar un niente gli altri Religiosi e Dottori, sono cascati in questi inconvenienti, persuadendosi che tutti gli altri siano ignoranti.

dit ad Cœlos descendat usque ad Inferos.

Tot illa imminentis Apostolicæ definitionis argumenta, certamque sereni judicii voluntatem nova demonstratione comprobavit Sanctissimus Pontifex. Societatis Præpositum die 31. Decembris vocavit, & aperto ferendæ damnationis proposito monuit, ut Molinam indefensum dimitteret. Hæsit ad hæc Vir acutus: interim tamen lepida circulatione respondit, nonnulla sibi in Molinæ CONCORDIA minimè probari, Societatisque Theologos quandam pro ejus emendatione Censuram edidisse, quam Sanctitas Sua legere posset. Negavit Pontifex, non ultra inquiens congerenda scripta, quorum jam satis prolixitate ac numero premebatur.

Id sibi ab ipso Summo Pontifice die 12. Januarii affirmatum testatus est Dux de Sessâ; seque tantam hac ultima occasione finiendæ causæ voluntatem in illo probasse, ut nulla deinceps ea de re dubitatio superesse posset.

Paul. Leon. de sci. med. pag. 72. Auge. Phila. in exe. schol. append. ad Camer. Annat. de sci. med. disp. 4. Ortega. tom. 1. cont. 3. disp. 1. q. 4. ar. 3.

Quæ cum ita sint, dicant, amabo, recentiores hujus historiæ depravatores, quo ex tripode revelatum acceperint, Clementem VIII. nusquam de ferenda Molinæ damnatione deliberasse, eumque nequidem ut privatum Doctorem in Prædicatorum sententiam propendisse? Certè (ut nihil hic de subsequentium annorum historia præmaturè dicam) sola quæ scripsimus hactenus præsentis examinis acta revincendæ fabulatorum dicacitati abundè sufficerent, nisi turpiùs domesticorum autoritate revincerentur. Eos maximè falsi postulant Fuligattus & Petra-Sancta, Societatis scriptores, lib. 7. de Vita Bellarmini c. 2.: dum ejus cum Cardinali de Monte-alto colloquium, de Auxiliorum Controversiâ, hoc anno 1601. in Sacello S. Marcelli habitum referunt. Dicenti quippè Cardinali Montaltio, posse & velle Summum Pontificem de hac controversia pronuntiare; Bellarminum respondisse scribunt: *Posse & velle non inficior; pronuntio tamen fore ut non definiat.* Immò usque adeo scriptores illi Clementem VIII. ad ferendam tunc temporis damnationem propensum agnoscunt, ut Bellarmini dictum ceu propheticum habuerint, quòd rem ab omni veri specie remotissimam prænuntiasset, & litis hujus exitum, contra aperta causæ præjudicia, cognovisset.

Desudant sub tantæ autoritatis pondere hujus historiæ corruptores; maluntque Bellarminum Prophetiæ titulo defraudare, quàm in hujus litis decisionem propensum Pontificem confiteri. Id etenim Bellarminum non prophetico Spiritu perfusum dixisse volunt; quasi contra manifesta causæ præjudicia, litis exitum prædixisset, sed justâ causæ confidentiâ ductum: quòd scilicet Pontificem in ferendis judiciis infallibilem, nihil contra veritatem à Societate vindicatam decernere posse, certissimè nosset.

Absit ut de cœlesti Bellarmini lumine disputare, aut Saülem alterum inter Prophetas adscribere velim. Hæc mihi dumtaxat ad revincendam dicacitatem verba sufficiant, quibus nihil à novellis Apologistis responderi video: *Posse*, inquit Bellarminus, *& velle non inficior.* Hinc quippè de Pontificis voluntate satis constat. Quid verò illum eo anno à ferendo judicio retardarit: felixne violandæ veritatis impotentia, an partis alterius callida dexteritas; quæ sequuntur capitula satis produnt.

CAPUT VIGESIMUM-QUARTUM.

Prima, pro impedienda Definitione Jesuitarum ars. Periculosiora Molinæ Dogmata tenaciùs aperto Marte propugnant atque disseminant, ut orituri schismatis metum Clementi VIII. incutiant, si contrarium decernat.

NOn uno probatum erat experimento, Clementem VIII. ad ferendam licet damnationem sponte propensum, hoc tamen maximè scrupulo laborasse, ne si minùs religiosè Definitionem Jesuitæ susciperent, fatale quidpiam enasceretur. Verebatur Sanctissimus Pontifex, ne Viri toto orbe diffusi, Potentum gratiâ & autoritate fulti; ubique penè juventutis institutioni præpositi, grave quoddam Ecclesiæ damnum afferrent, nisi Pontificiæ damnationi lubentissimè parerent. Nec verò suæ illum imminentis periculi metum arcano cordis sinu continuit, aut solis Consultoribus communicavit; sed Catholici Regis Oratori & Francisco Pegnæ in solemnibus colloquiis aperuit: ut Religiosissimi Principis zelum in perduelles, si qui fortè occurrerent, coercendos excitarent.

Ex Pegna Diario ejusdemque Collect.

Tot illa timidæ in speciem indolis argumenta Societatis animum erexere. Pontificem timore vincendum existimarunt, quem ratione superare non possent. Nec satis habuerunt eum identidem clamoribus, querelis, ac minis convenisse; sed audaciori molitione à suscepto consilio deterrere tentarunt. Molinæ etenim partes, majori quàm ante hac studio suscepere, quo præsertim

sertim tempore notum erat, illum novo Romanorum Censorum judicio damnatum esse; ac de ferenda sententia jam satis Romae deliberatum, ut publicâ illâ significatione dignosceret Pontifex, non eam esse Societatem, quae Molinam indefensum dimittere vellet; timendumque quàm maximè orituri schismatis periculum, si quid in eum decerni contingeret.

Res in amplissimo Salmanticae Theatro tentata est. Theses Theologicas Cardinali Bellarmino nuncupatas publicae disputationi dedere die 4. Novembris, quibus ad dissipandos, ut aiebant, Romanae Censurae rumores, non ea dumtaxat Molinae dogmata propugnarunt, quae mitiori virguiâ digna viderentur; sed & illa praesertim quae severiori erroris & haeresis censurâ damnata fuerant.

Ita quippè Conclusione 1. habebatur. „ Quamvis post primum nostri parentis peccatum, homo supernaturalibus donis spoliatus remanserit, posset nihilominus in natura lapsa, sine aliquo auxilio speciali Dei excedente limites naturae, quod & nunc etiam quilibet in mortali potest, peccata omnia contra legem naturalem divisivè vitare, cuilibet vehementi tentationi ad hujusmodi peccatum pro quolibet momento resistere. Immò & Deum ipsum posset viribus naturae super omnia diligere, & actum contritionis naturalis, cum proposito ampliùs non peccandi letaliter producere. Eisdem etiam naturae viribus potest quilibet, cum solo concursu generali Dei, Mysteriis supernaturalibus sibi propositis actu merè naturali assentiri, specie distincto ab actu fidei divinae.

„ Ita Conclusione 2. Assentienti actu merè naturali, Deus ex certa lege cum Christo Domino factâ, gratiam auxiliave conferret, quibus ut oportet ad salutem & gratiam justificantem credat.

„ Ita Conclusione 4. Gratia efficax nihil superaddit gratiae sufficienti, praeter denominationem quandam ab effectu, ut infallibiliter liberè producendo.

„ Ita Conclusione 6. Donum perseverantiae in hoc consistit, quod ea Deus auxilia conferat adulto, cum quibus illum pro sua libertate cum gratia perseveraturum, Scientiâ sua mediâ, qua omnia futura etiam conditionata certò & infallibiliter cognoscit, praevideat. Unde ipsa adulti futura cooperatio usque ad finem cum praedictis auxiliis, tanquam conditio complet praedictam voluntatem divinam, in ratione volentis donum perseverantiae conferre.

Theses illas Romam transmisit Franciscus Zumel Ord. Redemtionis Praepositus Generalis, nonnullis additis observationibus marginalibus, quibus proposita dogmata, Bellarmino cujus nomini dicabantur, planè contraria demonstrabat. Excanduit ad intempestivum rei nuntium Dux de Sessa. Pontificem impiger adiit die 19. Januarii 1602. novisque Jesuitarum molitionibus expositis, pro Apostolico judicio denuò supplicavit; quo solo fraenari posset Novatorum audacia. Pegnam etiam ad Audientiam admitti petiit, ex quo universa cumulatiùs accipere posset.

Accessit iste statâ die vigesima secunda: transmissas Sanctitati Suae Theses obtulit: quas cùm ille legisset ex integro, obstupuit: nec tamen despondit animo: *Tutte queste*, inquit, *son propositioni del Molina!* Mox è sella surgens coepit de propositis assertionibus deambulando disserere. *Isti dicunt*, inquit, *quòd ex certâ lege constituta inter Patrem & Filium, facienti quod in se est Deus dat gratiam: ergo in potestate hominis est habere gratiam, quoties fecerit quod in se est: ergo gratia non est gratia, cùm detur quia volo, seu quia facio quod in me est. Di questo non si puol fugire. A dunque al libero arbitrio si deve attribuire la giustificatione: il che non admette S. Augustino, ne le sacre lettere. E S. Cypriano dice: In nullo gloriandum quia nostrum nihil est. E pure quando disse questo, non negava il libero arbitrio. In oltre loro dicono (ò Molina dice) che viribus naturæ si puol superare qualsivoglia tentatione quantumque grande! Cosa tanto aliena dalla vera Theologia, quanto possa pensarsi!*

Haec aliaque multa non sine magno animi sensu disseruit doctissimus Pontifex. Ac tandem Francisco Pegnae effusis lacrymis exoranti, ut tot emergentibus periculis occurreret, respondit se pristini propositi tenacem, iis artibus minimè concuti, atque ad parandam Definitionem Apostolicam ita lectioni ac studio indulgere, ut oculorum penè usum amitteret. Jussit autem interim, ut quâ valebat in Hispaniis autoritate ac gratiâ, inauditam illam Thesium petulantiam coerceri provideret, donec ipsemet erroris caput, extremo Pontificiae autoritatis fulmine contereret.

Paruit Clarissimus Vir. Ad Generalis Inquisitionis Matritensis Consilium scripsit die Januarii 24. ut in audaces severiùs animadverterent, suoque munere diligentiùs invigilarent. Suas etiam Excellentissimus Orator addidit Epistolas ad Ill. D. Petrum Franqueza Regi Catholico à Secretis, ut juxta D. Pegnae monita ad Inqui-

quiſitionem directa cauſam urgeri ac promoveri ſatageret. Sic porrò Pegna hoc de argumento inter alia ſcripſerat.

* *Addam alterum, quod hic grave admodum, ac nimis audax omnibus viſum eſt. Ad hancce Romanam Curiam die 18. currentis allatæ ſunt Theſes nonnullæ typis editæ, à Jeſuitis Molinæ fautoribus vulgatæ ac propugnatæ in ſuo Salmanticenſi Collegio, die 4. Novembris elapſi 1601. quibus univerſas Molinæ propoſitiones tueri audent, quas integra Theologorum Congregatio, ab Apoſtolica Sede inſtituta, ſemel iterumque Pelagianas ac Semipelagianas pronunciavit: idque hoc ipſo etiam tempore, quo Sanctitas Sua admotam operi manum habet, illarumque examini etiamnum incumbit, ut ſolenne Apoſtolicæ Sedis judicium ferat. Quin immò, quod ſtupendum magis, in Hiſpaniis attentata res eſt ſub ipſis Majeſtatis Suæ oculis, quæ definitionem Apoſtolicam urget modis omnibus; ac in ipſo Salmanticæ Theatro, ubi hactenus veræ Theologiæ depoſitum, ad enatas ubivis hæreſes confutandas, religioſè ſervatum eſt. Tam inauditæ ac petulantis audaciæ facinus viſum fuit, ut intimum doloris ſenſum nemo non palàm effuderit. Si etenim id Roma totaque Italia non patitur; nec re ipſâ paucis ante diebus paſſa eſt in Capitulis Generalibus in Urbe celebratis, ſimile quidpiam attentari: nec effrenem illam licentiam Gallia ipſa permittit, ubi tolerari quodammodo poſſet; multò minùs id quiſquam in Hiſpaniis audere, aut etiam excogitare debuit. Remedium quamocitiùs adferant Dominationes veſtræ, provideantque quo par eſt animi ſenſu, certóque noverint, magnum ſe huic S. Sedi, cujus concreditam habetis autoritatem, obſequium præſtituros, gratoque admodum animo exceptum iri, quidquid ſacrum Tribunal, ad comprimendos temerarios auſus, pro ſua religione præſtiterit. Deus dominationes veſtras ſervet incolumes. Romæ 24. Januarii 1602.* FRANCISCUS PEGNA.

Audaci petulantium Theſium molitioni novos conatus addidere Jeſuitæ, ut imminentis ex Molinæ damnatione ſchiſmatis metum incuterent. Tantâ ſcilicet induſtriâ opiniones ejus per univerſam Hiſpaniam diſſeminarunt, ut lippis ac tonſoribus nota res eſſet. Non eas modò in ſcholis ac pulpitis venditabant, ſed & in ipſis ſecretioris pœnitentiæ tribunalibus. Nec Theologos tantum ac diſcipulos ſuos, verùm & ruſticam plebem, ipſaſque de trivio mulieres, divinæ gratiæ quæſtionibus opplebant; quæ veluti fanaticæ lymphatæque Prophetiſſæ, nihil niſi Molinam eructabant. Rei fidem facit Clariſſimus Pegna, qui poſt locupletiſſimam facti notitiam, à teſtibus fide digniſſimis Romæ acceptam, Generalis Inquiſitionis Conſilium admonuit, quantùm illa opiniones promovendi ratio Romanis Judicibus ſcandalo fuiſſet, quamvè periculoſam inducendi Pelagianiſmi viam aperiret.

* *Multi admodum Doctores ac Theologi* (inquit in Epiſtola ſub 20. Februarii) *qui Romam nuper pervenere, palàm profitentur, Jeſuitas tanto ardore ac ſtudio Molinæ doctrinam promovere, nedum in ſcholis ſuis, ſed & in ſacris Tribunalibus, ubi fidelium Confeſſiones excipiunt, aliiſque promiſcuè locis, ut ipſæ quoque mulierculæ de ſuſcitatis controverſiis diſſerant, iiſque ſe miſerum in modum*

* La ſegunda coſa que ha parezido aqui muy grave y muy eſorbitante, es aver llegado à eſta Corte à 18. del preſente unas Concluſiones impreſſas, que los Jeſuitas fautores de Molina publicaron y defendieron en ſu Colegio de Salamanca à 4. de Noviembre paſſado 1601. en las quales oſaron defender todas las propoſiciones de Molina, que una Congregacion entera de Theólogos ordenada de Su Santidad para eſta cauſa, en viſta è en reviſta à ſentido ſer Pelagianas y Semipelagianas: y en tiempo que Su Santidad tine pueſta la mano en ella, y actualmente la eſta viendo, para declararla. Y averſe atrevido à eſte acto tan exorbitante en Eſpaña, à viſta de Su Mageſtad, que pide la declaracion Apoſtolica: y en Salamanca, donde ſe ha ſiempre guardado como en depoſito la verdadera Theologia, para confutar las heregias, que an nacido dentro y fuera de Eſpaña. Aparezido coſa tan grave, tan inſolita y atrevida, que obliga mucho, para hazer mucho ſentimiento della. Porque no permittiendoſe en Roma, ni en toda Italia tal deſembolrura, ni averſe permitido en los Capitulos Generales de Religioſos, que ſe han celebrado en Roma, ni correrſe en Francia tan arrienda ſuelta, donde la podia mas permitir la libertad de conſciencia. Nadie avia de oſar en Eſpaña, ni aun atentar ò penſar coſa ſemejante, en materia tan grave. VV. SS. procuren el remedio con la diligencia y ſentimiento, que es razon. Y tengan por cierto que en ello ſe hara notable à eſta Santa Sede, y à Su Santidad, por cuya autoridad reſponderan. Certificando que quedara muy ſervido, y muy agradecido, por todos los officios y diligencias que hiziere eſte ſanto Tribunal, para reprimir con todo rigor tan deſatinados atravimientos. Que es todo lo que puedo por agora declarar y afirmar, Dios guarde VV. SS. de Roma à 24. de Enero 1602. FRANCISCUS PEGNA.

* Muchos Dotores y Theologos (*inquit in Epiſtola ſub 20. Februarii*) que han llegado aqui confieſſan, que ponen los Teatinos tanto cuidado, en enſeñar eſta dotrina; no ſolamente en ſu Colegios, mas tambien en los Confeſſionarios, y otros lugares que haſta las mugeres tratan deſto, y ſiguen los miſerabiles lo que las enſeñan en eſta materia, los que ponen tanto cuydado en perſuadirla. Y pues ellos no ſe eſconden ya de publicarla y enſeñarle, no ay para que hablar de aqui adelante mas en cifra. Eſta ſin duda Eſpaña en evidentiſſimo peligro de ſer Pelagiana: porque deſpues que en el año 1588. ſe emprimio el libro de Molina en Lisboa (del qual ſe han echo muchas impreſſiones) a corrido y corre por toda Eſpaña. Y particularmente ſus fautores han procurado meterlo, por todos los rincones, que han podido. Los Obiſpos y los demas Conſultores Theologos juntados para eſte efeto, por orden de Su Santidad no acaban de maravillarſe, de como ha ſido, ò es poſſible que los Obiſpos de Eſpaña, entre los quales ay muchos muy grandes Theologos, han callado, y dexado de dar voces contra tan ponçoñoſa doctrina, &c.

dum opinationibus inficiant, quas illis fervidi actores instillant. Caeterùm cum jam non in angulis delitescant, sed palàm & aperte se prodant, non est cur & nos deinceps occultè loquamur. Magno profectò ebibendi Pelagianismi discrimine periclitatur Hispania. Ab anno 1588. *quo Molinæ liber Ulissippone prodiit (cujus deinceps Editiones non paucæ curatæ sunt) per universam Hispaniam incredibili fautorum ejus ardore vulgatus est: jamque in omnibus penè angulis prostat. Episcopi caterique Theologi Consultores, Apostolica Sedis autoritate ad illius examen deputati, mirari satis nequeunt, qua demum sorte factum, ut Hispaniarum Episcopi, quos inter permulti sunt Theologi meritissimi, conticuerint, nec adversùs scabiosam adeo absonamque doctrinam publicè declamarint.*

Cæterùm nihil hæc apud Summum Pontificem valuit machinatio, quàm ut præsentioris remedii necessitatem ostenderet. Tanto enim efficaciùs grassanti malo occurrendum existimavit, quantò latiùs per universa florentissimi Regni membra diffunderetur: ne si serâ procrastinatione invalesceret, omni demum remedio superius evaderet. Sic ille Hispanorum Oratori declaravit, dum has ipsi machinationes & artes identidem referret.

CAPUT VIGESIMUM-QUINTUM

Altera, pro impedienda Definitione, Jesuitarum ars: Sylvanectensem Episcopum implanant, qui Molinismum in Academia Parisiensi florentem Pontifici mentiatur: ut Definitionem ejus, eâ in Academiâ, improbatum iri subinnuat.

Lepida hæc atque interim dolosa machinatio fuit, singulari observatione dignissima. Romæ sub anni 1601. finem versabatur Antonius Rosa, ex libera Avunculi sui abdicatione Sylvanectensium Episcopus designatus. Vir, ut fertur, turbulentus, quem tandem ob inquietam indolem & implacabiles cum Capitulo suo litigationes, in alterum Episcopatum transferre necesse fuit. Dignus sanè, pro morum cognatione, Guilielmi Rosæ successor ac Nepos, quem Clarissimus Thuanus uti rebellium ducem depingit; per viros Lutetiæ civili bello agitatæ septorum * tempore circumcursantem, ingenti armatorum Monachorum manu stipatum, crucem una manu, hastam alterâ tenentem, & à perduellionibus Maccabæum solitò dictum.

In hist. lib. 98.

* *Les Barricades.*

Hic petito aliquot dierum secessu, solita spiritualia exercitia sub Patrum Societatis curâ peregit mense Novembri. Non unius spiritualis vitæ deliciis mentem pavit novus Elisæus; sed piis Directorum jussis, extremos statuti exercitiorum temporis dies in Molinæ lectione transegit, ut in physicam prædeterminationem coram Clemente VIII. postmodum declamaret, eamque ab Academia Parisiensi prædamnatam assereret.

Paruit vir obediens, & intempestivi studii consilium subsecutis declamationibus comprobavit. Sorbonam in Molinæ gratiam pronuntiasse, palàm effutiit; physicam prædeterminationem seu hæresim proscripsisse; virosque plus minus triginta quinque, qui Licentiæ Theologicæ stadium unà cum ipso decurrerant, in Societatis doctrinam publicis Actibus consensisse. Hinc timendum subinnuebat, ne si Definitionem Apostolicam in oppositum ederet Pontifex, reluctaretur Academia, totumque florentissimum Regnum periculosiori schismate scinderetur. Tantâ verò in venditandis nugis ac fabulis confidentiâ valuit, ut non eas stolidæ plebi, aut inexpertis rerum Gallicanarum Theologis divenderet; sed coram ipso summo Pontifice, Theologisque Sorbonicis Crellio & Bossutio testaretur.

Id amariori excepit animo Clemens VIII. indignè admodum ferens, Academiam Parisiensem Sedis Apostolicæ judicium antevertisse. In facti nihilominus veritatem per Epistolas inquiri jussit. Hujus igitur nomine ad Doctissimum Duvallium, Doctorem ac Regium in Sorbona Professorem, scripsere Crellius & Bossutius die 5. Decembris: expositisque Sylvanectensis Episcopi declamationibus, facti veritatem rogarunt. Responsum sequenti mense dedit doctissimus Vir in hunc modum.

CLARISSIMI DD. AC MAGISTRI.

"Ægrè fero quempiam Romæ commorantem effutiisse, Academiam nostram aliquid in Molinæ gratiam decernere voluisse: hoc etenim falsum est, nec quidquam de hisce Quæstionibus publicè in eadem Academia agitatum fuit; aut inter Theologos nostros privatim, nisi cum summâ cautelâ disputatum. Providetur enim, ne nostri hæretici ex hujusmodi dissidiis triumphum agere velint. Æquè verò falsum est, quod idem retulit, triginta quinque Viros, qui eandem cum ipso Licentiam decurrerunt, Molinæ opinionibus assentiri. Nullus enim illorum fuit, qui aut non defenderit prædeterminationem cum

Exstat in Coll. Pegnæ. Ex Gallico idiomate Latinè datur.

„ cum SS. Auguſtino & Thoma; aut qui „ ſaltem ei contradixerit. Immò conveni ex „ eis aliquos, qui cæteris aliquantulùm emi- „ nere videntur, atque interrogavi, ſi quid „ forte privatim inter illos accidiſſet. Qui „ reſponderunt nihil ſe prorsùs egiſſe, ac „ etiam acturos, niſi quod ipſis ab Acade- „ mia univerſa juberetur. Cæterùm, quod „ mea intereſt, ego ſemper prædetermina- „ tionem admiſi, utpote ſua jura Deo opti- „ mo tribuentem, nihilque homini detra- „ hentem, ejuſve libero arbitrio, quocum „ bellè cohæret, judicio meo. Academia „ porrò noſtra Sanctitatis ſuæ judicium, non „ in hocce dumtaxat argumento, ſed & in „ cæteris omnibus exſpectabit. Providebi- „ mus verò per Syndicum noſtrum, ne in- „ terim ullus ex Baccalaureis noſtris quid- „ quam de Molinæ opinionibus ſuis in The- „ ſibus defendat. Pariſiis die 20. Januarii „ 1602. ANDREAS DUVALLIUS.

Eo Doctiſſimi Duvallii reſponſo diſſutæ Societatis artes evanuerunt, non ſine ſummo Sylvanectenſis Epiſcopi dedecore: probatumque omnibus fuit, Pariſienſem Academiam intra debitos filialis obedientiæ limites ſtetiſſe hactenus, & in Prædicatorum doctrinam, uti Auguſtinianam ac Thomiſticam, inclinare.

Suam illam in Prædicatorum doctrinam propenſionem ac voluntatem luculentiori probavit argumento Academiarum Princeps, dum Romà poſt menſes aliquot Pariſios profectus idem Epiſcopus, novum levitatis ſuæ ſpecimen dedit. Cum enim impatienti Moliniſmi defendendi prurigine laborans, Actum Reſumtæ (cujus lege Epiſcopi ſoluti erant) propugnare voluiſſet, Theſibus ſubſcribere renuit Academia, quòd contra divinæ gratiæ efficaciam militarent: parumque abfuit quin ſolenniter intercederet, niſi vitandi majoris ſcandali Religio obſuiſſet. Teſtem locupletiſſimum profero eundem Andream Duvallium, quem Brietus è Societate hoc elogio commendat, ad annum 1612. *Doctiſſimus juxta atque ſapientiſſimus Facultatis Pariſienſis Theologus: cui ſemper parem Academia illa nobilis exoptabit.* Sic verò ille in ſua ad D. Crellium Epiſtola die 22. Junii 1602.

„ D. Epiſcopus Sylvanectenſis defendit „ Actum Reſumtæ in quo Theſes aliquas „ propugnavit de gratia efficaci, ad Suare- „ ſii potiùs quàm Banneſii mentem. Theſi- „ bus ejus nec Decanus nec Syndicus ſub- „ ſcripſere: eas nihilominus abſque ſubſcrip- „ tionibus typis mandavit, inquiens ſe & E- „ piſcopum eſſe, & ſufficientiæ ac probita- „ tis ſuæ coram ſummo Pontifice teſtimonium dediſſe. Nonnulli ob ea quæ de gratia efficaci inſeruerat, Actui ſolenniter intercedere meditabantur: at continuit eos gravioris damni ac ſcandali ſuborituri periculum. Siquidem excitato murmure ſchiſmata palàm ſubſecuta fuiſſent; cum potiùs ſilentio ac contemtu res tota conſopita fuerit. Quantùm ad eruditionem, ſufficienter reſpondit; at non ſine hujus indolis oſtentatione, quam in ipſo comprobaſti. Non aderam ego, rus quippè profectus eram. Interfuerunt Epiſcopi plures, ex quibus aliqui nullo pacto probare potuerunt, quæ de Banneſii ſententia dixit, quoad Divinæ gratiæ efficaciam; eam ſcilicet falſam appellans, ineptam & abſonam, quæ cachinnum, ſi dilucidè exponatur, facilè movere poſſit. „

Non defuerunt tamen ex Societate qui ſecundam hanc Sylvanectenſis Epiſcopi molitionem, ſpecioſo velo obductam, in domeſticæ cauſæ patrocinium vertere tentarint. Theſes ejus Romam tranſmiſſas Cardinali Baronio tradidere die 23. Auguſti; iiſque diſſimulatis quæ earum occaſione contigiſſent, ſummo Pontifici tradi ſupplicarunt: ut eo argumento dignoſceret, quo applauſu Moliniana Dogmata Academia Pariſienſis exciperet. Id ægrè tulit Eminentiſſimus Princeps, tametſi rei geſtæ ſeriem necdum ſciret. Epiſcopi levitatem & audaciam deſpexit; immò in Jeſuitas converſo ſermone, illos ſeverioribus verbis habuit, quòd inauditam petulantiam probare atque etiam commendare viderentur. Verùm obſtupuit longè magis, dum integram Epiſcopi & Academiæ agendi rationem aperuit Franciſcus Pegna; cenſuitque monendum Sylvanectenſem Epiſcopum, ne ſimilia tentaret in poſterum, unde hæreticis obloquendi dabatur occaſio: Academiæ verò gratulandum pro ſua in Sedem Apoſtolicam obſervantia ſingulari, quam hac ſua agendi ratione teſtata erat.

Hinc porrò æqui rerum æſtimatores intelligent, quantâ religione ac fide judicium Apoſtolicum excepiſſent Theologi Pariſienſes, qui vel ſolâ imminentis Molinæ damnationis famâ permoti, in Clementis VIII. vota ſuâ jam ſponte veniebant. Immò jam quodammodo venerant, cùm in ea inſtruendâ damnatione, plurimam partem habuiſſent viri ex eorum gremio meritiſſimi Crellius & Boſſutius. Quorum primum, uti Mabillonius de Eccleſiaſtica antiquitate bene meritus obſervat, in itinere Italico, *Schola Sorbona ad Sedem Apoſtolicam pro Auxiliorum Congregatione delega-*

delegaverat, veluti suæ de controversis inibi quæstionibus sententiæ publicum obsidem. Quo enim adversus Molinæ novitates animo fuerint eximii illi Parisiensis Academiæ Proceres, ex datis pro Censorum officio judiciis atque suffragiis compertum arbitror.

CAPUT VIGESIMUM-SEXTUM.

Tertia pro impedienda definitione Apostolica Jesuitarum ars: Concilium Generale convocari volunt, ubi de controversis dogmatibus judicetur. Pontificem à S. Augustini lectione deterrere moliuntur.

FUit hæc olim Pelagianorum astutia; qui Romanorum Pontificum definitionibus appetiti, ad Concilium generale provocarunt. *An verò*, inquit Augustinus lib. 4. ad Bonifacium cap. ult. num. 34. *Congregatione Synodi opus erat, ut aperta pertinacia damnaretur, quasi nulla hæresis aliquando sine Synodi Congregatione damnata sit? Cum potiùs rarissimæ inveniantur, propter quas damnandas necessitas talis exstiterit, multóque sint atque incomparabiliter plures, quæ ubi exstiterunt, illic improbari damnarique meruerunt; atque inde per cæteras terras devitandæ innotescere potuerunt. Verùm istorum superbia, quæ tantùm se extollit adversùs Deum, ut non in illo velit, sed potiùs in libero arbitrio gloriari, hanc etiam gloriam captare intelligitur, ut propter illos Orientis & Occidentis Synodus congregetur. Orbem quippè Catholicum quoniam, Domino eis resistente, pervertere nequeunt, saltem commovere conantur.*

Petulantior nihilominus videbatur insolens illa ad Concilium generale provocatio, quàm ut apertâ fronte erectóque supercilio à Societate tentari posset. Susurrones itaque tacitè submiserunt, qui vagum illum celebrandi Concilii rumorem disseminarent, quasi hæc una finiendæ Controversiæ via suppeteret. Eos inter audacior prodiit Hispanus quidam, nomine Roa, dignus urgendæ machinationis artifex. Vir perinde ignarus & audax, ac Societatis desertor, qui non ita pridem multiformis ingenii specimen dederat, dum ex Hispania Romam profectus, quam ibi jurisdictionem Regiam scripto defenderat, eandem novis lucubrationibus impugnavit. Sic quippè mutatur aliquibus cum Cœlo animus.

Ex Rel. Pegnæ ad Gener. Inquis. die 25. Nov. 1601.

Partam eo facinore versipellis animi famam, novæ hujus machinationis tractatione cumulavit ineptissimus sciolus. Ab anno scilicet 1599. huic se liti palàm inferre cœpit, porrecto supplici libello, quo ex viginti fidei dogmatibus adversùs Pelagianos olim assertis, universam Molinæ CONCORDIAM confutatum iri confidebat. Verùm lecto libello supplici, nihil girovago viro responsum voluit Clemens VIII. Nec tamen ille despondit animo: quin potiùs despectam neglectamque minervam rursus acuit, novâ Summo Pontifici lucubratione datâ, quâ pristinum institutum urgebat, & ad mutuum cum Prædicatoribus ac Jesuitis colloquium admitti postulabat: repulsam secunda vice passus est. Tunc despectum se sentiens, in Societatis studia rediit, non sine emuncti marsupii suspicione, suáque illi devovit officia.

Exstat in bibl. Angel. vol. sig. H.

Cœpit igitur ineptus blatero hoc potissimùm anno 1601. Concilii generalis necessitatem intimioribus insusurrare: mox sumtâ fiduciâ rumorem latiùs diffudit. Pontificem in definiendis fidei controversiis errori obnoxium, Censores pro rei dignitate minùs eruditos, institutum examen non satis maturum, palàm asseruit: unamque propterea generalis Concilii viam occurrere, quâ excitatæ controversiæ definiri possent. Non defuere qui ei amicè consulerent, ut ab audaci declamatione temperaret, ne quid incommodi suo capiti cieret: quibus ille confidentiùs respondit, hanc sibi curam à Societate commissam esse, quòd hæc una procrastinandi negotii ratio suppeteret. Nec tamen propterea sapientior evasit: quin potiùs inaudito petulantiæ genere Hispaniam versùs iter arripuit 17. Novembris, ubi rumores eosdem impunè disseminaret, eaque de re cum Episcopis Conchensi, Abulensi, & Tudensi conferret: num fortè Regi Catholico postulandi Concilii mentem suggerere vellent. Nebulonis artes detexit Sanctissimus Pontifex, eúmque ab Inquisitionis generalis Commissario detineri jussit. Quare Viterbii, à ministro executore comprehensus, in S. Officii carceres conjectus fuit. Necessaria sanè, sed interim sera nimis ingravescenti malo medicina; jam enim in Hispaniam Concilii convocandi rumor pervenerat, ac passim per Academias indefessâ Societatis industriâ ferebatur.

Id cùm primùm per Epistolas Vallisoleti ac Salmanticæ datas Roma didicit, providit ne latiùs fama serperet; potissimè verò, ne quis Regi Catholico Concilii postulandi voluntatem suggereret. Timendum quippè videbatur, ne Michaël Vasques id ei per supremum Inquisitorem, cui erat à Confessionibus, insusurrari curaret. Ad

ſupremum igitur Inquiſitionis Conſilium ea de re ſæpiùs ſcripſit Franciſcus Pegna: cujus Epiſtolæ in ſecretis ejuſdem commentariis aſſervantur. Harum una die 12. Januarii 1602. data ſic habebat: * *Pervulgatus in universâ Hiſpaniâ convocandi Concilii rumor à Molinæ fautoribus, tantâ cum aſtutiâ diſſeminatus, diabolicâ prorsùs arte augetur in dies, ac variâ de causâ...... Poſtulat Dei & Catholici Regis obſequium, ut Illuſtriſſimæ Dominationes Veſtræ, Regiis ejus Epiſtolis morem gerentes, quibus à poſtulando Concilio prorsùs abſtinet, ſolitâ prudentiâ ac ſecretâ dexteritate comprimi curent vagos illos convocandi Concilii rumores, Salmanticæ, Compluti, Valentiæ, in Regno Aragoniæ, in omnibus Academiis, ac præcipuis civitatibus, jubeantque ſubjectis Inquiſitoribus & adminiſtris, ut animos intendant, conſtituantque exploratores, qui illos diligenter obſervent, qui de convocando Concilio muſſitarint: ut detegi tandem poſſit, unde primò vox illa prodeat, quæ Romæ hac præſertim in occaſione uti ſacrilega atque nefaria reputatur.*

Paucos in officio continuit attenta illa Romanæ Curiæ ſollicitudo. Abſtinuit quidem à generalis Concilii petitione Catholicus Rex: at tantam in eo rumore diſſeminando curam poſuerant Molinæ vindices, ut non in Hiſpaniæ modò, ſed & in Urbis pervagato ſermone verſaretur. Diſſimulavit aliquandiu prudentiſſimus Pontifex inanes ſuſurronum machinationes, donec Cardinalem Bellarminum iiſdem occupatum affectibus inveniſſet. Doluit, ac meritò quidem, indeficientis judicii Pontificii vindicem priſtinos ſenſus domeſticæ cauſæ ſtudio tam facilè exuiſſe. Idcircò cum ad ſe vocatum die 20. Januarii, ſe-
In Diario. veriori animadverſione excepit: (*lavandole*, inquit Pegna, *ſobre eſte particular, muy bien la cabeza*) & oſtenſo S. Auguſtini loco ex lib. 4. ad Bonifacium, Pelagianos eaſdem olim circulationes quæſiiſſe demonſtravit, ut Pontificiæ autoritatis judicium effugerent. Reſpondit Bellarminus, nuſquam ſe negaſſe quin per ſeſe & abſque Concilio definire Pontifex poſſet; tametſi faſſus eſſet, convenientiùs fore ut Concilium haberetur. Verbum hoc ad injuriam accepit Sanctiſſimus Pontifex, repoſuitque, non ſine ſtomacho: * *Bellum profectò, ſi definiendi poteſtatem in dubium verteres! Attende ergo quid dicas: ſi magis expedit convocari Concilium, non expedit ergo controverſiam à nobis definiri.*

Ad hæc concidit animo Bellarminus, nihilque ultra reponere auſus eſt. Ac licet de Societatis doctrinâ ſermonem inſtituiſſet Pontifex, ut Pelagianos gratiam interioris inſpirationis & illuminationis non ſecùs ac Molinianos admiſiſſe oſtenderet, omnia ſilentio tulit, dilatâ in opportunum tempus reſponſione, quam per Epiſtolas tranſmiſſurus eſſet.

Interea Pegnam ad audientiam admiſit Clemens VIII. die 22. Januarii, multaque cum illo de vago convocandi Concilii rumore contulit. Jeſuitarum artes mirari ſe ait, qui ut in hujuſce controverſiæ tractatione tempus ducerent, univerſum penè orbem iis clamoribus impleverant. *Omnia audent*, in- *Idem ſibi à Clemente VIII. dictum narrat Card. Perro. in Perronianis.*
quit, *omnia audent*. Concilium generale nulla ratione convocandum addidit: quòd non tam novus damnandus error, quàm antiquus ab Eccleſia prædamnatus, proſcribendus offerretur; tametſi Synodum Oecumenicam in ipſo Germaniæ ſinu celebrare non vereretur, ſi id Eccleſiæ neceſſitas poſtularet.

Non obfuere tamen durioris illæ offenſi animi ſignificationes, quin priſtinum convocandi Concilii inſtitutum Jeſuitæ proſequerentur, ac majora etiam auderent. Novam ſcenam aperuit Bellarminus ea in Epiſtola, quam ad diluenda Clementis VIII. momenta de interioribus inſpirationibus dedit ſub finem menſis Januarii 1602. Poſtquam enim multa protuliſſet, quibus nuſquam à Pelagianis admiſſas interiores illuminationes oſtenderet (qua *Exſtat in Biblio. Ang.*
in re ſingulari ſcripto confutatus fuit) Summum Pontificem hortabatur, non modò ut Concilium convocaret, aut Chriſtiani Orbis conſuleret Academias; verùm etiam, ut à diuturniori controverſiarum quæſtionum ſtudio abſtineret. Egregium ſanè viri eruditi Conſilium! Addebat in lepidæ adhortationis confirmationem, variorum Pontificum exempla, qui vel poſthabito quovis ſtudio, ſolâ Conciliorum &

Aca-

* La fama y voz de Concilio, que con tanta aſtucia y cautela van derramando en eſſos Regnos de Eſpaña, los fautores de Molina, va incaminada con diabolico artificio à diverſos effectos......Eſtan obligados VV. SS. para ſervicio de Dios, y de Su Mageſtad, y conformandoſe à ſus Reales Cartes, en que reſpide, ni aſſoma Concilio, à procurar con toda acoſtumbrada prudencia, diligencia y ſecreto, que ceſſe eſſa voz, y pretenſion de Concilio en Salamanca, Alcala, Valencia, y Aragon, y en todas las Univerſidades, y ciudades principales: ordenando à los Inquiſidores, y Miniſtros, que eſten attentos à eſta voz, y pongan eſploradores, que entiendan e aviſen de los que deſto ablaren, para entender de quien ſale aquella voz: laqual aca tambien ſe tiene por ſacrilega, y deſcomulgada, en eſta ocaſion.

* Queſto ſaria bello che negaſte la poteſtà. Or ſu guardare bene quello che dite: ſe e più conveniente di convocare un Concilio, non ſara conveniente dichiarar noi.

Academiarum ope adhibitâ, permultos errores proscripsissent, & qui nimiâ litterarum ac Patrum lectione Ecclesiæ Catholicæ nocuissent. Joannis XXII. in propugnandâ visionis beatificæ dilatione imprudens studium opponebat; quasi Clementem VIII. non absimilis imprudentiæ ac pertinaciæ reum subinnuere vellet. Tantâ demum arte Epistolam finxerat, tantâ industriâ sublinierat, ut à publicâ Censura sibi metuens, eandem statim atque lecta foret, igni tradi supplicaverit.

Gratias Pontifici maximas, qui Bellarmini votis abnuit! Egregium monumentum posteritati servatum voluit, & in Congregationis Commentarios referri jussit. Hoc & nos lectori damus, nec injucundum fore confidimus.

BEATISSIME PATER.

Exstat in Bibl. Angel. Ex Italico idiomate Latinè datur.

Omni qua possum humilitate ac reverentiâ Sanctitatem Vestram rogo, ut Epistolam istam legere, eamque protinùs igni tradere dignetur: quippe qui eam ab altero nemine legi velim. Legerat mihi alterâ die serotinis horis Beatitudo Vestra duo S. Augustini testimonia, quibus probabatur Pelagium gratiam & illuminationem interiorem minimè negasse. Cæterùm cum certò nossem, quo ex loco petita essent, ea statim atque domum redii studiosè consului, in lib. de gratia Christi cap. 7. & 10. ac comperi S. Augustinum iis ipsis in locis ostendere Pelagium speciosis illis verbis errores suos re ipsâ tegere, nec alteram gratiam & adjutorium atque illuminationem confiteri, nisi in lege & exteriori doctrinâ positam.

(*Id multis ostendere nititur Bellarminus, ac demum ita prosequitur.*)

Interea quia semel cœpi loqui ad Dominum meum, humillimè rogo Sanctitatem Vestram, ut quantocitiùs Ecclesiam præsenti scandalo liberet, religionis unitatem stabiliat, hæreticisque dissidio nostro gaudendi occasionem eripiat. Si verò mihi liceat id Vestræ Sanctitati aperire, quod in re tanti momenti opportunius mihi visum est: oro ut attentè perpendat, susceptam à se rei judicandæ viam, & prolixiorem esse, & Vestræ Beatitudini difficiliorem. Sanctissimi Prædecessores ejus potissimam curam non impenderunt in dogmatibus ingenii acumine aut studii assiduitate penetrandis, sed in communi Ecclesiæ, maximè verò Episcoporum ac Doctorum sententiâ investigandâ. Quapropter Summi Pontifices, ab ipso D. Petro ad hæc usque tempora, consilia solitò adhibuerunt, ad fidei dogmata definienda. Addam etiam permultos Pontifices, posthabito studio, multos errores Conciliorum & Academiarum ope feliciter repressisse: cùm è contra alii benè multi, seque universamque Ecclesiam diuturno studio in discrimen adduxerint.

Exemplo est Leo X. qui non admodùm studio incubuit, ut Lutheranam hæresim condemnaret: sed Catholicarum Academiarum, ac præsertim Coloniensis & Lovaniensis Censuras probare satis habuit. Certè Paulus III. Julius III. & Pius III. non admodùm studiis insudarunt; collaborante tamen Concilio Tridentino maximi momenti veritates eliquarunt. Id ipsum testatur etiam Augustinus, Innocentium scilicet & Zozimum toto orbe Pelagianam hæresim proscripsisse cooperantibus Conciliis Africanis. E contra Joannes XXII. cum in animum induxisset sanctas animas Dei visione minimè frui, propterea quòd eam esse S. Augustini mentem existimaret, suam illam opinionem promovere conatus est: nec modò id publicæ Concilii aut Academiarum consultationi nequaquam commisit (eo quòd adversam sibi Parisiensem Academiam experiretur) verùm etiam S. Augustini testimonia huic opinioni adfaventia studiosè conquirebat; iisque, ut testatur Villanus, Ecclesiastica Beneficia concedebat, qui ea ipsi indigitabant & offerebant. Propterea pauci illum ea de re alloqui audebant, sibique ipse veritatis aditum præcludebat. Interea tamen decem & octo annorum spatio, quo Pontifex sedit, institutum sibi finem non obtinuit: quia assistens Apostolicæ Sedi supremi numinis auxilium non sivit, ut quidquam adversùs veritatem decerneret. Ubi autem diem ille extremum obiit, Catholicam veritatem juxta Doctorum assensum successor ejus definivit.

Novit etiam Beatitudo Vestra, cui se totamque Ecclesiam discrimini commiserit Sixtus V. dum juxta propriæ doctrinæ sensus, sacrorum Bibliorum emendationem aggressus est: nec satis scio an gravius unquam periculum occurrerit. Non id dico, Beatissime Pater, quasi Sanctitatem suam à studio dimovere velim; sed ut ostendam, eam agendi rationem prolixiorem esse, gravissimumque inde Ecclesiæ damnum emersurum.

Inquiet fortassis Beatitudo Vestra, quæstiones fidei controverti. Si ita res est, ad omnes planè attinet, ut inquit Nicolaus Papa, & publicæ consultationi commit-

„ tenda venit, non secretò, ac cum paucis „ pertractanda. Quia licet assensum & obedientiam præstare tenerentur, si rem per sese absque publica deliberatione decerneret; id tamen non sine Ecclesiarum & Academiarum obmurmuratione contingeret, quæ se minimè auditas fuisse quererentur. Ea saltem non est trita majorum nostrorum via, quos Sanctitas Vestra imitari magnoperè studet.

„ Cùm ergo post tantum Beatitudinis Vestræ laborem & studium, deveniendum tandem sit ad publicam consultationem Concilii Episcoporum, aut Congregationis ex variarum Academiarum Doctoribus institutæ; satiùs foret viam illam jam antea tenuisse, aut eam nunc tandem inire; quàm eo usque differre, donec ea legerit universa, quæ sibi legenda constituit: quia, uti præmonui, tantum illud Sanctitatis Vestræ studium minimè necessarium est, jamque satis legit ac studuit.

„ Rem absolvo, ac supplico Sanctitati Vestræ, ut pro eo quo in Deum & Ecclesiam amore fervet, nec non quo in hæreses & schismata fertur odio, negotium istud Deo commendet, & ad præsens exstinguendum incendium mentem adducat. Duplex dumtaxat rei conficiendæ via suppetit. 1. Ut consopiat ac toleret, indicto utrique parti silentio. Nec vero id sine exemplo est. Siquidem Concilium Tridentinum satis noverat, agitari in scholis opinionem aut errorem de Prædestinatione ex prævisis operibus, & de dilectione Dei super omnia ex viribus liberi arbitrii; aliaque id genus. Immò in ipso Concilio versabantur Pighius, Catharinus, Turrianus & alii, qui eam opinionem propugnabant. Placuit nihilominus Concilio ad eas controversias minimè descendere; isto potissimùm tempore, quo iis hæreticis petitur Ecclesia, qui liberum arbitrium plus æquo deprimunt & evertunt. 2. Ut Concilium Episcoporum cogat: aut, si id minùs placet, Romam ex universis Catholicis Academiis selectos aliquos Theologos vocet; vel iis saltem Controversiæ capita, & lucubrationes hinc inde elaboratas scripto communicet: quò demum hujusmodi præmissa deliberatione, quæstiones Autore Spiritu Sancto Beatitudo Vestra decernat.

„ Cæterum quandiu res controvertitur omni cordis affectu obtestor, ut illorum ora comprimat, qui palàm prædicant, Sanctitatem Vestram planè convictam, in unam litis partem omnino propendere, nec satis lubenter alteram audire. Si enim ita se res haberet, nemo illi mentem suam auderet aperire. Et quidem fateor Sanctitati Vestræ, me de secessu perpetuoque servando silentio cogitasse, ex quo tempore nonnulla à Sanctitate Vestra prolata duriora verba excepi adversùs scientiam futurorum conditionatorum, quæ in scholis juxta sacras Scripturas ac Patres doceri solet. Si porrò ipse ego animo deficio ac secedo, ne ipsam offendam, tametsi totus illi devotus sim, ac præsentibus quæstionibus triginta & amplius annos insumserim; quid, quæso, de cæteris cogitandum? Meum non est judicare, quo pacto iis ora præcludi debeant, qui talia loquuntur; id abundè novit Prudentia Vestra. «

Nimiæ interim confidentiæ rogo veniam, ac sanctissimos pedes debitâ reverentiâ deosculor. «

Beatitudinis Vestræ humillima Creatura, Servusque devotissimus, «

ROBERTUS CARD. BELLARMINUS. «

Totum id ad trahendas interim moras machinatum nemo non videt. Quot enim complectitur capita, tot effugia prodit ipsa sui vanitate dissipata. Concilium in primis cogi rogat, qui Pontificis judicium per sese indeficiens existimat. Quanquam etsi sensisset aliter, id saltem nosse potuisset, tunc non opus esse Concilio, ubi nec novus enatus est error, sed antiquus innovatus; nec nova ferenda sententia, sed pristina renovanda. Secundò, Academias & Episcopos consuli postulat, qui id jam pridem in Belgio & in Hispaniis, jubente Pontifice factum, & quidem summo Molinianæ doctrinæ damno, non ignorat. Tertiò, Pontificem à privato causæ studio subdolè deterret, qui Cardinales, Episcopos ac Theologos in examinis ac studii partem venisse certò novit. Quartò, controversiæ definitionem quantocitiùs ferri supplicat, qui prolixiores ac penè æternas ferendi judicii vias suggerit. Quintò, universos Pontifices in definiendis fidei dogmatibus Conciliorum opem solitò adhibuisse fingit, non modò repugnante Augustino, sed & semetipso dissentiente, in libro de Summi Pontificis indeficientiâ. Sexto, eam in Ecclesia opinionem de Prædestinatione tolerari ac permitti postulat, quam Ecclesiæ fidei contrariam suis in scriptis appellavit. En quibus implicantur ambagibus, qui uno partium studio occupati inconsideratè litibus immiscentur!

CAPUT VIGESIMUM-SEPTIMUM

Quarta pro impedienda definitione Jesuitarum ars: Molinæ doctrinam per Epistolas stultasque revelationes commendari curant, ut Clementem VIII. à ferendo judicio deterreant.

QUam anno superiori frustra tentaverant flectendi summi Pontificis viam, eandem pro impedienda definitione Apostolicâ novis conatibus iniere. Commendatitias Epistolas undequaque emendicarunt, ut Potentum & Amicorum gratiâ imminens capiti fulmen averterent. Constituerunt autem in primis, quid ab unoquoque pro communi Societatis voto scribendum foret. Primò scilicet Molinam absque summo Inquisitionis Lusitanæ dedecore damnari non posse: eamque propterea denuò consulendam esse. Secundò, judicium non ante ferendum, quàm audirentur Academiæ: atque illæ potissimùm, quæ in Germaniâ constitutæ essent; quasi eas frequentiores cum hæreticis concertationes, oculatiores reddidissent. Hinc quippè maxima obtinendæ dilationis spes affulgebat.

Primus itaque, pro summâ in Societatem propensione ac necessitudine, scripsit ad Clementem VIII. Joannes Borgia, ex clarissimâ Borgiadum stirpe oriundus, die 8. Junii 1601. Hic, præmissâ Ludovici Molinæ officiosâ commendatione, Pontificem à ferendâ damnationis sententiâ dehortabatur: tum ne supremus Lusitaniæ Senatus, quo favente prodierat CONCORDIÆ liber, summum honoris sui discrimen ageret: tum ne Regnum Hispaniæ, cui acceptissimus semper fuerat, offenderetur.

Non absimiles Cardinali Arrigonio dederunt Epistolas Petrus Ruiz Rector Complutensis Academiæ, & Joannes Neroni ejusdem Cancellarius, die mensis ejusdem 22. quibus potentissima officia Molinianæ causæ impendi precabantur: ne Complutensis Academia, quæ controversa dogmata suo jam calculo comprobaverat, famæ suæ jacturam faceret. Rogabant etiam, ad moras interim nectendas, ut si in propositionibus ab Academia probatis aliquid difficultatis occurreret, id sibi nuntiari provideret: seque cumulatiori scripto responsuros promittebant. *Si quid in illis propositionibus, quæ à nostris Doctoribus judicatæ sunt, ab aliquo desideretur, agat cum sua Sanctitate, ut iterum ad hanc Academiam referantur: ut rationes reddantur singulorum, & Sanctorum Scholasticorumque testimoniis confirmentur.*

Hoc idem totus Theologicus ordo per Epistolas Clementi VIII. datas rogavit die 20. Novembris: quo tempore Molinæ sententiam propè diem feriendam inaudiverant. *Jubeat Sanctitas Vestra, ut nobis propositiones, in quibus denuò lis est, committantur: illisque perspectis sedulò Vestræ Sanctitati obsequium præstabimus, & magna cum diligentiâ responsum. Quod humiliter postulamus.*

Idem Societati officium impendit Senatus ipse Lusitanæ Inquisitionis, novamque procrastinandæ litis occasionem aperuit. Datis enim Clementi VIII. efficacissimis Epistolis supplicavit, ne supremo Senatui labem inferret, pronuntiatâ adversùs Molinam damnatione: sed accusationum capita transmitteret, novasque parandæ responsionis inducias concederet. *In hujus libri periculo*, inquiebat, *Inquisitionis autoritas aliquomodo periclitatur. Supplicamus, ut jubere dignetur communicari huic Consilio objectiones, quæ ejus libri doctrinam in discrimen adducere videntur; dato nobis spatio congruo ad transmittendam satisfactionem, quæ reddi posse videtur, nihil interim contra ipsum librum statuendo.*

Accesserunt in officii partem die 7. Julii tredecim Herbipolensis Academiæ Theologi: quos inter, sex Jesuitæ (quod certè lepidum est) numerabantur & subscribebant. Hi directis ad Clementem VIII. Epistolis, Prædicatorum doctrinam ceu Calvinianam traducebant: tum se, antequam quidquam de præsenti controversia decerneretur, audiri, atque unà cum cæteris Germaniæ Academiis consuli postulabant. *Illud modò humillimè rogamus, ut hanc nostram curam & sollicitudinem, quam ad Sanctitatem Vestram referimus, & in qua præter pacem animorumque concordiam in Ecclesia conservandam aliud nihil exspectamus, clementer paternéque suscipere velit. Sique aliquando in hac controversiâ aliquid determinandum sit, Academiarum etiam Catholicarum, in locis præsertim Septentrionalibus (ubi majori studio & diligentia, ob vicinum & imminens malum discutiuntur & examinantur hæreses) audire sententias & judicia dignetur.*

In eundem sensum Idibus Augusti scripsere undecim Facultatis Moguntinæ Theologi: quos inter quinque, ac ipse etiam Decanus Academiæ, è Societate erant. *Etiam atque etiam Beatitudinem Vestram rogamus, ut Catholicarum Academiarum,*

rum, in tam ardua quæstione judicium ne sciscitari gravetur. Non quod arbitremur Sedem Apostolicam informatione earum opus habere; sed ut accuratius Doctorum Septentrionalium disputationibus (quibus assiduum in hoc genere cum hæreticis certamen est) discutiatur, an illa opinio de efficacitate gratiæ cum necessario voluntatis consensu conjunctâ, affinitatem aliquam habeat cum errore Calviniano, in Synodo Tridentinâ confosso ac damnato. Ita bellè festivi Theologi Prædicatorum doctrinam exponebant; ipsique Jesuitæ sub honesto Academiæ titulo, sententiam in eos pronuntiabant.

Tot illas commendatitias Epistolas, quibus & tempus ducere & controversiæ judicium declinare satagebant, molesto quidem, patienti tamen animo tulit sanctissimus Pontifex; donec Bavariæ Ducis aliorumque Germaniæ Principum literas exciperet, quibus ad Molinæ gratiam supplicabant. Offensionis & doloris sensum ultra continere non valuit, accitumque Generalem Societatis severiùs objurgavit, quòd summo veritatis & Ecclesiæ damno, favoris & gratiæ viam tot artibus iniissent. Rei fidem facit clarissimus Pegna. *In Diario ad diem 10 Novemb. 1601.* * *Hac occasione Pontifex Jesuitarum Generalem acciri jussit, eumque durioribus verbis habuit, ob nonnulla circa Auxiliorum controversiam emergentia. Litteras scilicet commendatitias à Duce Bavariæ, nonnullisque Septentrionalium partium Principibus obtinuerant, quibus Pontifici Maximo pro Ludovico Molina totiusque Societatis veriente lite supplicabant. Quæ vel Beatissimum Patrem duplici de causâ multùm offenderant: primùm, quòd in controversiis Catholicam fidem spectantibus humanos favores precari minimè liceat: alterum, quod de Sanctitatis suæ judicio diffidere viderentur.*

Mart. de Ripal. disp. 113. sect. 23. Annat. de Scien. med. Iis attendant Martinus de Ripalda & Franciscus Annatus, qui Prædicatores in hujus causæ tractatione magnatum gratiam implorasse, temerè atque audacter effutiunt. Videant cujus generis sint tot illæ commendatitiæ Epistolæ, tum hìc tum alibi memoratæ. Næ illos honestis de trivio mulieribus similes, quæ ne suo ab æmulis vocentur nomine, eas conviciis priores occupant. Nugaces! quos alibi *Lib. 3. cap. 14.* pleniùs exagitabo.

Accessit tunc temporis alterum longè gravius. Non illis satis fuit, terrenos Principes in Molinianæ causæ patrocinium commovisse, cœlestes etiam potestates, ac Deum ipsum in controversiæ partem advocarunt, qui pro Molina suffragium ferret. Libros hoc anno submiserunt, quorum autores cœlesti se lumine perfusos, & divina revelatione edoctos mentiebantur; ut Moliniana dogmata, veluti sacra Oracula, mortalibus eructarent. Hujus Farinæ fuit liber Parisiis anno 1601. Typis editus, sub hoc titulo: *Tractatus de Prædestinatione, in Scripturam sacram, & veram Evangelicam lucem, divinâ mediante gratiâ, ab idiota Ferdinando de las Infantas, Presbytero Cordubensi compositus, & extra omnem prætensionem, ipsi veræ luci Christo Dei filio, à quo accepit omnia, dicatus.* *Lemos in Editis tom. 1. tract. 6. cap. 2.* In cujus quidem Procemio idiotam se fingebat Autor, sed à Deo derepente per revelationem edoctum quæcunque in eo tractabantur: ac subinde in tractandis Molinianis, seu veriùs Pelagianis erroribus totus erat.

Quis Pontificem prudentissimum tam stulto aucupio deludendum existimasset? Hac tamen spe alebantur viri boni, quorum ex officinâ prodierat. Verùm res longè aliter cessit: Romam quippè delatus liber, uti apertè Pelagianus & Arianus damnatus fuit. Nec suâ in patriâ acceptior fuit Propheta novus, quò ab Ill. Præsule unà cum ipsius Censurâ transmissus est.

Alias revelationum nugas eodem fine *Lud. de Ponte Soc. J. lib. 4. c. 18.* venditarunt. Jactabant Religiosissimæ Virgini Marinæ Escobar, pro Societate damnationem metuente exoranti, apparuisse D. Dominicum, serióque jussisse, ut pro periclitante Societate ferventiùs precaretur. Eidemque obstupescenti, quòd is pro Jesuitis potiùs quàm pro Prædicatoribus orandum injungeret, reposuisse sanctissimum Patriarcham, sic ad Dei gloriam expedire. Iis fabulis ineruditam plebem alebant: Dominicum Molinistici certaminis contra filios suos Agonotheten jactitabant; ut rem contra Prædicatores in cœlis præjudicatam innuerent. Rati fortassis, eodem hamo capiendum Clementem VIII. nihilque definiturum in oppositum, ne cœleste judicium rescinderet.

Hinc veteres Semipelagianorum Apologiæ secundis curis restitutæ; novæ etiam ex

* Por este mismo tiempo, Su Santidad mando llamar al General de los Jesuitas: y se le dio una brava repreension, sobre cosas tocantes à esta materia de Auxilios. Y la ocasion fue, por que poco antes avian procurado que el Duque de Baviera y algunos Principes y Señores de aquellas partes Septentrionales escriviessen, como en efecto escrivian à Su Santidad, encomendandole mucho la causa y pretension de estos Padres, en favor de Molina. Lo qual Su Santidad avia sentido muy mal, por dos raçones: la primera, por que en causas y negocios directamente tocantes à la fee Catholica, no se confie de negociaciones humanas: la segunda, porque mostravan desconfiar del recto juycio de Su Santidad, y de la sancta Sede Apostolica.

ex integro additæ: ubi Cassianus & Faustus, repugnante licet Ecclesiæ judicio, absolvebantur; ne quid Molinæ absolvendo deesset, quos inter summa probata fuerat doctrinæ consensio. Hinc Cassiani sanctitas, reclamante Pontifice, ambitiosiùs elata; sparsæ, ad occupandam plebeculæ venerationem, ossium ejus particulæ. Hinc demum dati Summo Pontifici tractatus, porrecti libelli, quibus controversiæ compositio, ad gratiam Molinæ tractabatur: verùm irrito prorsùs & infelici conatu. Hos inter pessimâ omnium sorte habitus est Pauli Benii aliàs Jesuitæ, tunc verò Professoris Patavini libellus, mense Novembri hujus anni 1601. Clementi VIII. traditus. Cùm enim illum, elapso biennio, typis dedisset, ex Summi Pontificis jussu ac singulari Edicto damnatus est, nec multo post ultricibus flammis addictus, ob Viginti-quatuor & ampliùs propositiones Pelagianas assertas. Autor etiam illiusque Approbatores Romam vocati dignam tulerunt erroris & audaciæ Censuram.

Lemos tom. 1. tract. 5. de Error. Cassi. c. 2.

Lemos ubi supra.

CAPUT VIGESIMUM-OCTAVUM

Quinta pro declinanda definitionis autoritate Jesuitarum ars: palàm cum gregalibus suis propugnant, de fide non esse, Clementem VIII. Summum Pontificem & Petri successorem esse.

Ex Relat. Peg. ad gener. Inqui.

ID unum Societati supererat, ut post tentatas impediendæ definitionis vias ab ejus etiam autoritate sibi præcaveret, si eam Clementem VIII. ferre contingeret. Huic porrò instituto nihil accommodatius videbatur, quàm Pontificiam ipsam autoritatem in dubium vertere; ut quidquid tandem ab ea de controversis quæstionibus sanciretur, declinari facilè posset.

Abregé de l'histoire de Auxiliis.

Consilium exsecutioni demandatum est, non Romæ quidem, ut à nonnullis scriptum observo, sed in Academia Complutensi, quæ jam olim Molinæ novitatibus sponte consenserat. Theses publicæ disputationi datæ sunt, sub finem mensis Novembris, in quarum quarta Conclusione, duæ istæ propositiones habebantur. *Non est de fide hunc numero Papam, exempli gratiâ, Clementem VIII. esse verum Papam..... Major pars Patrum in Concilio, adhuc ante confirmationem Summi Pontificis, est infallibilis veritatis.* Iis subscripserant Joannes de la Camera & Alvarus Villegas, Doctores Theologi, ac Molinianæ doctrinæ defensores acerrimi. Elapsis diebus aliquot eædem illæ assertiones in Patrum Societatis Collegio propugnatæ sunt, Præside Gabriele Vasques; eo dumtaxat adhibito temperamento, quòd Clementis VIII. personam in exemplum non adduxissent: licet idem esset universalis propositionis robur ac sensus. Hinc duplici incommodo occurri posse præsumebant. Si enim adversùs Molinam pronuntiaret Clemens VIII. illicò dicturi erant, nutare judicium: cùm minimè fide constaret, eum esse legitimum Pontificem. Si verò Concilium cogeret, non admodùm erant de ejus approbatione curaturi; cùm citra Pontificis confirmationem infallibili veritate niteretur.

Petulantem illam Doctorum Complutensium molitionem accepit Clemens VIII. die 2. Martii: necdùm tamen Jesuitas in machinationis partem venisse, idemque tentasse didicit. Non illi diuturnâ consultatione opus fuit, ut id totum ad eludendum Pontificiæ definitionis robur, machinatum intelligeret: res quippe patebat ipsa per sese. Quapropter in Cardinalem de Guevara, Generalem in Hispania fidei Quæsitorem, commotus est vehementiùs, quòd nihil ad eam coercendam audaciam decrevisset, tantique momenti negotiis indormiret.

Ubi primùm rem didicere Dux de Sessa & Clarissimus Pegna, deliberarunt mutuo colloquio, si qua possent honestâ compositione Pontificis animum delinire: ejusque Nepotem Cardinalem Aldobrandinum rogarunt, ut nihil interim eâ in re decerni provideret, donec ad Sanctitatis Suæ colloquium admissi essent. Votis annuit Eminentissimus Nepos. Mox igitur ad Audientiam admissi, tria hæc suadere tentarunt. 1. Privatorum dumtaxat errorem esse, in cujus partem minimè venirent quotquot in publica autoritate constituti erant. 2. Causæ cognitionem ad Inquisitionis Hispaniensis forum remittendam; aliàs summam illi totique Regno injuriam irrogatum iri. 3. Regem demùm autoritate sua curaturum, ut digna animadversione plecterentur, quotquot admissæ petulantiæ affines essent. At cùm nec moveri Pontificem, nec satis Inquisitioni Hispaniensi confidere intellexissent, ut ei cognitionem causæ committere vellet, Regem misso cursore monuerunt.

Intereà Pontificia mandata in Hispaniam transmisit Cardinalis Aldobrandinus, quibus Romam citabantur Theologi Complutenses, qui Theses vel defendissent vel approbassent. Apostolico Nuntio rei gerendæ cura commissa est: quia sæpiùs compro-

probatum fuerat Inquisitorem generalem, cui Michaël Vasques à Confessionibus erat, omninò Societati devotum esse; multaque aliis occasionibus alto silentio dissimulasse, quæ contra sanam doctrinam Jesuitæ docuerant. Nuntius Pontificia mandata, Rege penitùs inconsulto, exsecutioni demandavit. Jussit solenni significatione Theseos Defensorem & Approbatores Romæ sisti coram Inquisitione generali: nec nisi post peractas omnes Juris solennitates, Regem per Epistolas monuit; ac stilo quidem audaciori. Scripsit enim in hæc verba ex Hispano Latinè reddita.

SACRA MAJESTAS.

Ex Hispano Latinè datur.

„ Novit dubio procul Vestra Majestas, „ Mandatum à me Salmanticæ significatum „ tribus Clericis ultrà quàm oportet sapientibus: ut coram Inquisitione Romana, „ de mandato Sanctitatis Suæ, compareant. „ Res enim disputationi data hæretica est, „ & à communi sensu abhorret; doctrinæ „ Sanctorum Patrum, Conciliorum generalium, fideique Catholicæ adversatur; „ Summi Pontificis autoritati ac Sedis Apostolicæ dignitati insultat; Orbi denique universo scandalo fuit, tum ob dogmatis falsitatem, tum maximè ob loci dignitatem, „ in quo & typis mandata & disputata thesis est. Compluti quippè, in ipso Regni „ Catholici sinu, ac sub Christianæ fidei Defensoris oculis scenam istam explicarunt. „ Debuissem quidem Majestatem Vestram „ convenire, ore longè plura dicturus, quàm „ scripto possim: confidentiùs tamen dicam „ in hisce Hispaniarum Regnis, tot Mauros „ haberi, tot versatilis ingenii Viros, tot „ demùm violatæ quondam fidei reos, ut si „ in isto præsenti discrimine dissimuletur, in „ deteriorem statum Hispania decidet, quàm „ unquam cætera Regna prolapsa fuerint. „ Hispaniam quidèm hactenùs servavit incolumem justa Inquisitionis severitas: at si „ tanti momenti res in scholis publicè ventilata, segniter ab Inquisitoribus pertractetur; nec majorem ipsi vigilantiam, diligentiam, ac providentiam adhibeant, hujuscemodi disputationibus, impressionibus, „ lectionibus, Concionibus, (attendat, quæso, Vestra Majestas) brevi profectò sentietur ultio, quam Regnis eorumque Pastoribus oscitantibus minatus est Deus. „ Cùm ea potissimùm fidei res agatur, quæ „ Romæ cæterisque mundi partibus priùs „ innotuit, quàm Hispaniarum Inquisitoribus. Id Majestati Vestræ scribendum judicavi, pro eo quo feror zelo ac desiderio, „ ad quietem Regni hujusce, ac Majestatis „ Vestræ, cujus sacram personam Deus sospitem servet. Vallisoleti 1. Maii 1602. „

Improvisam illam causæ translationem ad injuriam accepit Inquisitio generalis: utque nec animum sibi, nec zelum ad hujusmodi culpas castigandas deesse ostenderet, auditâ non absimili Jesuitarum molitione, Collegii Rectorem, necnon Gabrielem Vasques, qui Thesibus arbiter sederat, in carcerem conjici jussit. Regi verò supplicavit, ut transmissa mandata Pontificiâ autoritate rescindi, Doctorumque Complutensium causam intra Regni fines cognosci ac judicari provideret: ne summo Inquisitionis generalis Regnique dedecore judiciorum ordo inverteretur.

Descendit in supplicum preces Catholicus Rex: suo in Romanâ Curia Oratori scripsit in hæc verba.

Ex Hispano Latinè datur.

DUX DE SESSA ET VAENA, CONSOBRINE. Paucis antehac diebus Consilium generalis Inquisitionis in hisce meis Regnis constitutæ, didicit Theses aliquas in Academia Complutensi typis mandatas esse ac propugnatas, quibus propositiones nonnullæ malè sonantes insertæ fuerant. Ob eximiam venerationem & obedientiam, quâ ego meique subditi erga Sedem Apostolicam, & in ea sedentem Pontificem, Deo fàvente ducimur, necnon ob singularem meum in Sanctitatis suæ personam, affectum; Inquisitio generalis, ingenito sibi zelo in occupandis castigandisque erroribus, aliisque erroris speciem præ se ferentibus, me sciente ac volente manum admovit ad inquirendum, non in eos tantùm qui hujusmodi Theses propugnasse convicti fuerant, sed & in illos qui facti quoquo modo conscii deteguntur: ut uniquique, prout æquitas postulat, debitâ animadversione plectantur. Quapropter eos comprehendere cœpit qui, præmissa quæstione, in culpæ suspicionem venere, in duos præsertim Patres Societatis injectâ manu, qui morum gravitate ac literarum opinione noti sunt. Id non sine rumore tentatum est. Captus pariter fuit, qui Theses illas propugnaverat: aliique capiuntur in dies, prout quæstione convincuntur, atque in publicos Inquisitionis carceres conjiciuntur. Quæ res (si benè nosti) in ditionibus meis instar pœnæ gravissimæ habetur, ob eam videlicet infamiam, quam secum hujusmodi incarceratio præfert. „

Rebus porrò ita constitutis, suæ Sanctitatis Nuntius, nulla mihi datâ ratione, nonnullis Doctoribus Complutensibus Monitorium notificari jussit, quòd eadem in culpa versarentur: præcipiens ut intra præfixum tempus coram Sanctitate sua compare-

„ pareant: quæ res mihi dumtaxat post significationem innotuit. Quamquam porrò obedituri sint eâ quæ solet à subditis meis præstari diligentiâ; meo tamen officio deessem, debitæque Sanctitati suæ ac Sedi Apostolicæ venerationi, nisi tibi per Præsentes injungerem, quatenus ei nomine meo dicas, pro summo officio habiturum me, si causam illam mecum aut tecum saltem communicari juberet. Cùm certò noverit, me in eos summo jure animadversurum fuisse, ex quo primùm errorem didicissem; ob id unum, quòd ipsius Sanctitatis persona irreverenter in exemplum adducta fuisset, etsi aliunde non adeo graviter deliquissent, uti re ipsa iis in thesibus deliquisse compertum est Quantò magis læsâ jam Religione catholicâ, quæ, Deo miserente, tam altas in corde meo subditorumque voluntate radices egit? Eâ dubio procul animadversione plecterentur, quæ perinde suæ Sanctitati satisfaceret, ac illa quæ in Doctores ipsâ jubente captos exercebitur: nec à cœpto manus amoveretur, donec esset ex integro absolutum.

„ Propterea verò tardiùs Inquisitoribus res innotuit, quia mutatâ Curiæ meæ Vallisoletum pergentis statione, longiùs ab Universitate Complutensi secessit Consilium Inquisitionis. Quamquam porrò ad majorem Doctorum, qui Romam ire jussi sunt, castigationem longè magis conduceret, ut in hocce S. Officio causa cognosceretur, ubi vel ipsa sola incarceratio pœnæ loco est (luculentum sanè Hispaniæ pietatis argumentum!) id aliunde rei breviter conficiendæ necessitas exigit: hìc etenim intra unum alterumve diem quæstio facilè habebitur. Præterea cùm una eademque sit Doctorum illorum ac Jesuitarum causa, res certè incommodè cederet, si non modò diversis in tribunalibus, sed & in locis adeò dissitis Rei judicarentur.

„ Cæterùm me præ cæteris ad id efflagitandum movet Sanctitatis suæ & Apostolicæ Sedis autoritas, cui nocumento foret ea ad Romanam Curiam litis provocatio. Hæreticis quippè ansa præberetur insusurrandi in Hispaniæ Regno (quod & Apostolicæ Sedi, & Christi Vicario integram atque ab errore puram præstitit hactenus obedientiam) ac in probatissima Complutensi Academia in disputationem vocari Christi Vicarii autoritatem, ipsâ etiam Inquisitione dissimulante. Quo casu non ipsi solùm Hispaniæ, cujus honori consultum velim, gravis injuria inureretur, sed & malevolorum in Sanctam Sedem audacia petulantiùs efferretur, si eam apud nos minùs in honore haberi fingerent. Utrique autem occurritur malo, si ibi cognoscatur causa, ubi delictum admissum est. “

Sanctitatem suam nomine meo moneas, ut hæc ingenitâ sibi prudentiâ & zelo perpendat. Si enim ad supplicationes meas pari mecum affectu attenderit, spero fore ut causam Hispaniarum Inquisitioni committi jubeat, suspensâ Doctorum Complutensium citatione, qui Romam ire jussi sunt. Eóque pacto quibusvis incommodis superiùs observatis, aliisque benè multis citra dubium obventuris occurret. In hunc finem Cursorem istum delego, quem ubi Sanctitas sua responderit, quemadmodum de ipsius prudentiâ benè spero, denuò delegabis. “

Transmitto pariter Epistolæ Nuntii Apostolici transumtum, qua rem mihi executioni jam demandatam significavit; ut noveris quæ verba quosve terminos usurpet Administer ille. Pro ea qua in Sanctitatem suam veneratione feror, non respondi eo animi sensu quem postulabat scriptum hujusmodi Regi Catholico datum, quem Deus pro immensa Clementiâ, Regnis nulli religione secundis præfecit. Hæc omnia Beatissimo Patri sumtâ opportunitate significabis. Datum Aranjues die 8. Maii 1602. Ego Rex. “

D. Petrus Franqueza.

CAPUT VIGESIMUM-NONUM.

Clemens VIII. Regis Catholici precibus inclinatus, causam Doctorum Complutensium ac Jesuitarum, qui contra Pontificiam autoritatem attentaverant ad Hispaniensem Inquisitionem transmittit. Hac verò Pontificem turpiter ludit.

Quid acceptis Catholici Regis Epistolis ab ejus Administris tractatum gestumque sit, ut secundùm Majestatis suæ vota Jesuitarum ac Theologorum Complutensium causa ad Hispaniensem Inquisitionem transmitteretur, non alio potest luculentiori documento constare, quàm ex ipsa Excellentissimi Oratoris Relatione, quâ gestorum omnium seriem Regi suo retulit, die 11. Junii 1602. Placuit eam ex Hispano idiomate Latinè redditam subjungere ad uberiorem historiæ fidem.

Relatio ad Regem Hispaniæ, cum adjunctis Rescriptis transmissa die 11. Junii 1602. ab Ipsius in Romanâ Curiâ Oratore.

Die 25. Maii 1602. Romam pervenit “ Majestatis suæ Cursor, literas sub die men- “

sis

„ sis ejusdem octavâ datas afferens, occasio„ ne Monitorii, quod Sanctitatis suæ Nun„ tius nonnullis Doctoribus Complutensibus „ denuntiaverat, ut coram Sanctitate sua se „ sisterent.

„ Protinùs die 26. habitâ cum Cardinali de „ Avila & Auditore Pegnâ deliberatione, „ quid facto esset opus, post maturam col„ lationem unà cum Duce de Sessa, statu„ tum est, Pegnam Sanctitatem suam priùs „ aditurum, quàm eam Dux de Sessa allo„ queretur; ac juxta juris terminos & S. Of„ ficii formulas ostensurum, quàm justè Ca„ tholicus Rex postularet, ut illorum Do„ ctorum causa in Hispaniâ cognosceretur, „ unà cum cæterorum Doctorum lite, qui „ ab Inquisitione capti fuerant.

„ Die 27. (siquidem res anteà tentari non „ potuit) ad Sanctitatis suæ audientiam ad„ mitti petiit Auditor Pegna. At chiragrâ „ laborante Summo Pontifice ad Cardinalem „ Aldobrandinum commonendum missus „ est: cui suæ Majestatis Epistolam, unà cum „ Apostolici Nuntii Monitorio ac literarum „ transumto dedit. Inclinatum se præbuit „ Ill. Cardinalis ad officia apud Sanctitatem „ suam præstanda, juxta Catholicæ Majesta„ tis vota.

„ Die 31. Maii Pegnam ad colloquium „ vocavit Sanctissimus Pater. Is ad illud ad„ missus, rei gestæ seriem, qualis in Episto„ la Regia continetur, exposuit: ac demùm „ suæ Majestatis nomine supplicavit, ut non „ obstante Monitorii publicatione, causa „ Doctorum Complutensium, perinde in „ Hispaniâ cognosceretur, ac Jesuitarum, „ qui ab Inquisitione capti fuerant. Quàm „ efficacissimè & nervosissimè potuit San„ ctitati suæ demonstravit, quàm molestè „ ferret Catholicus Rex, extra ditionem „ suam subditos castigari, qui verbo vel fa„ cto Sedem Apostolicam aut sedentem in „ eâ Pontificem offendissent: qua in re pro„ priæ Coronæ honorem in discrimen vocari „ existimabat; quandoquidem hæretici cæ„ terique malevoli lætitiæ ansam inde erant „ arrepturi, ac etiam fortè dicturi, Hispa„ niarum Regem non attendere, ut illatas „ Apostolicæ Sedi injurias Inquisitores pro „ officio castigent: si ad hujusmodi delicta „ coercenda reos extra ipsius Regna dedu„ ci necessum esset.

„ Præter rationes expositas in ipsa suæ Ma„ jestatis Epistola (quam alia occasione pru„ dentissimè scriptam asseruit Sanctissimus „ Pater) sequentes etiam addidit.

„ 1. Quòd cùm jam satis delicti commu„ nio inter Doctores illos ac Religiosos car„ cere detentos innotuisset, incongruum videretur solemni illa ad Curiam Romanam « provocatione eas obmurmurationes auge« re, quas Patres illi occasione controversiæ « Divinorum Auxiliorum disseminabant. «

2. Quòd si in controversis propositio« nibus alterius cujuscunque Pontificis per« sonam in exemplum vocassent, non ita pe« riculosum ac durum videretur eos Romam « vocari, ibique plecti: at cùm ipsam præ« sentis Pontificis personam exempli loco « posuerint, non deerunt qui pœnam quan« tumvis levissimam vindictæ motu infli« ctam garriant, si eam Romæ decerni at« que infligi contigerit. «

3. Quod cùm sua Majestas Inquisitori« bus Apostolicis Romanæ Sedis Administris « præcepisset, ut summo jure in delinquen« tes animadverterent, judicium ad ipsos re« mitti congruebat, cùm potissimùm pœ« nas addere posset Summus Pontifex, si « officio suo Inquisitores ipsi deessent. «

His attentè ac benignissimè auditis res« pondit Sanctitas Sua, nusquam se vel Ca« tholici Regis famam obscurare, vel S. Of« ficii autoritatem imminuere voluisse; quam « potiùs quavis data occasione fovere atque « augere satageret: quamquàm attentâ In« quisitorum Hispaniensium oscitantiâ, reos « Romam advocasset ad occultas machinatio« nes detegendas, quarum in suspicionem « facilè venerat. «

Addidit cruciari se vehementiùs ob emer« gentia in dies pericula ex opinionum no« vitate enata, quas in rebus Theologicis « & ad Catholicam Religionem spectantibus « Patres Societatis per universum Orbem « palàm atque apertè disseminabant. Earum « nonnullas attigit; quas inter ea fuit quæ « mense mox elapso Florentiæ contigit. Ubi « Jesuitarum unus prædicavit Confessionem « Sacramentalem per Epistolas edi posse: in « quem propterea à S. Officii Commissario « summo jure animadverti jusserat. «

Subjunxit, se molestissimè ferre immo« deratam Patrum illorum licentiam in scho« lis ac pulpitis. Ubi posthabita SS. Pa« trum ac Doctorum Ecclesiæ, maximè Au« gustini & Thomæ, quacumque ratione, « pro libito docent, atque adversùs illos scri« bunt ac sentiunt, nedùm in materia Præ« destinationis & Gratiæ, sed & in aliis benè « multis. «

Quantùm attinet ad D. Thomam, ait « se illis sæpiùs præcepisse, ut illum schola« rum Magistrum haberent; quod & illi se « facturos spoponderant. Quamquam tamen « oppositum planè agerent, nihilque aliud « in suis ad illum Commentariis molirentur, « quàm ut eum oppugnarent, aut arreptâ «

ex

„ ex quocunque verbulo malè detorto occasione, fanaticas suas opiniones confirmarent. Innuit autem id totum ex ipsorum superbiâ ortum facilè conjici: qua scilicet præ cæteris omnibus, atque ipsis etiam Ecclesiæ Doctoribus haberi volunt. Qua de re illos jam dudum objurgaverat in privata quadam adhortatione, quam ad eos in proprio Palatio annis elapsis habuerat, dum Romæ Congregationem generalem celebrarunt.

„ Ostendit velle se omninò, ut textus S. Thomæ legatur, inquirendo dumtaxat arcanam ipsius mentem, missâ tantâ Commentariorum farragine, quos paucis ab hinc annis Patres Societatis ediderunt; in quibus nihil nisi Doctorem illum impugnare ipsiusque famæ detrahere tentant.

„ Significavit, eos in hac potissimùm Auxiliorum controversiâ, uti multis in occasionibus comprobatum est, vehementiùs obcæcari. Quocirca Sanctitati Suæ, paucis ante diebus, septem circiter folia tradiderant, ubi infinita S. Augustini loca ad Molinæ defensionem extorta atque infideliter citata notabantur, in quibus vel nihil ad institutum, aut certè omninò oppositum habet S. Doctor. Quod nonnisi procrastinandi, defatigandi, ac deludendi intentione tentatum est.

„ Se porrò graviùs offensum demonstravit summâ illâ sollicitudine & astutiâ, qua ad institutum finem obtinendum continuò machinabantur, præsertim in Hispania, ubi famam & autoritatem obtinuerant. Idque causæ esse, cur grave quoddam periculum oriturum vereretur. Iis etenim artibus & astutiis sua promovebant, auram humanam ac propriam utilitatem captabant, non sine animarum detrimento, utpote qui non tantùm in speculativis, sed & in moralibus (quod quidem bis repetiit) perversè sentirent; quam ob causam Sanctitatis Suæ indignationem concitassent.

„ A Viris fide dignis didicisse se ait, summo in discrimine versari Hispaniam, & quidem jam ab aliquot annis. Quippè cùm Lindanus (qui Gregorii XIII. temporibus ex Hispania ad hancce Curiam reversus est, quique in Polemicis adversus hæreticos Controversiis apprimè versatus erat) interrogatus, quid sibi de Hispaniæ Provinciis videretur, respondit Viris gravibus, ac præsertim Cardinali Baronio, qui tunc in minoribus constitutus erat, Pelagianam hæresim in eas sensim introduci: innuitque Sanctissimus Auditori Pegnæ, ut Baronium ipsum interrogaret, facti veritatem probaturus.

Iis de causis moveri se ait ad remedium omni sollicitudine adhibendum: summoque affectu desiderare, ut in Hispania, nobilissimâ Ecclesiæ Catholicæ parte, Inquisitores invigilarent, summoque jure in tot doctrinæ novitates animadverterent, quò tandem eum in statum doctrina reduceretur, in quo ante Patrum istorum eorumque sequacium innovationes, constituta erat; velleque se ea de re Regem Catholicum per Epistolas admonere, ob singularem quo in eum affectu ducitur. Si enim quæ Religionis sunt, eo pede pergant, nullam sibi securitatem & pacem in suis ditionibus adpromittere poterit. “

Tandem ad Doctorum Complutensium molitionem deveniens, inquit, ea se potissimùm ratione eos Romam citari jussisse, coram Inquisitione generali, quod explorare vellet, num ea thesium machinatio negotiis Romæ tractatis affinis esset. Quia cùm Patres illi Concilii generalis convocationem, ad præsentium controversiarum definitionem, omninò necessariam, ubique passim in Hispaniâ & Italiâ conclamassent, eoque clamore universum Orbem perturbassent, suspicari meritò poterat, illos hujusmodi thesibus vias parasse, ad Apostolicam definitionem, à Sua Majestate Catholica tam ardenter efflagitatam, eludendam. Idcircò summâ cautelâ literæ intercipiendæ videbantur, ut pactiones omnes atque machinationes detegi possent. “

His dictis ad Sanctitatis Suæ pedes provolutus D. Pegna, gratias plurimas retulit pro eximiâ sollicitudine, quâ Catholicam fidem in Hispaniis fovere ac promovere meditabatur; promisitque id se Regi Catholico relaturum, ut & Ipse grates rependeret. “

Quod Inquisitores Hispanienses attinet, subjunxit Pegna, illos curam omnem & industriam adhibituros, qualem à Romanis Inquisitoribus præsumere ac sperare meritò posset. Sic enim totius Senatus nomine Licentiatus Zamora ultimis suis Epistolis contestatus erat. Ideò autem, inquit, in hacce Auxiliorum controversiâ ita blandè se gesserant, quia Sedes Apostolica, erga quam singulari veneratione ducebantur, causam illam ad sese jam pridem advocaverat; postea verò licentiam dederat, ut eo de argumento rursùs in scholis ageretur: quamquam Sanctitatis Suæ mandata, sinistrâ, sed interim inculpatâ interpretatione, excepta fuissent. Cæterùm eos in posterum majori sollicitudine processuros, tum agnitâ Sanctitatis Suæ voluntate, tùm perspectis periculis consecutis: nec dubi-

„ tandum omninò, quin eam omnem sollici-
„ tudinem & curam Inquisitores adhibituri
„ sint, quæ damnis resarciendis abundè suf-
„ ficiet.

„ Reposuit Sanctissimus Pontifex: Faxit
„ Deus ut ita se gerant, noverintque quò
„ tendant propositiones illæ duæ Compluti
„ propugnatæ.

„ Attendens D. Pegna Sanctitatem suam
„ ita confidenter secum agere, arreptâ occa-
„ sione, inquit: Consilium Inquisitionis His-
„ paniæ sæpiùs per Epistolas monui non-
„ nullis de rebus: ob venerationem nihilo-
„ minus, quâ erga Sanctitatis Vestræ per-
„ sonam & autoritatem feror, nusquam no-
„ men ejus interposui, aut eam cum Inqui-
„ sitoribus obligare ausus sum. Id si mihi in
„ præsentiarum permiserit, jam ipsius no-
„ mine scribam, ut Vestram ipsis mentem
„ aperiam. Hoc quippè plurimùm profu-
„ turum existimo.

„ Hanc illi veniam fecit Beatissimus Pa-
„ ter, datâ larga benedictione.

„ Colloquium humili petitione absolvit,
„ ut expectatam ab universo Orbe defini-
„ tionem Apostolicam maturaret, Regisque
„ Catholici votis satisfaceret.

„ Ad utrumque respondit Sanctitas Sua.
„ Ad primum inquit, se in id unum incum-
„ bere; librosque ac quaterniones eo de ar-
„ gumento elaboratos, & super viciniori ta-
„ bula apertos, digito ostendit. Ad alterum
„ ait, se Duci de Sessa in primâ audientiâ
„ mentem suam aperturum.

„ Quare die 8. Junii ad audientiam San-
„ ctitatis Suæ admissus fuit, in qua post præ-
„ missum iisdem de rebus utilo colloquium,
„ extremam sententiam obtinuit: nimirum
„ ut Doctores Camera & Villegas in His-
„ pania remanerent, illius Inquisitionis judi-
„ cium excepturi, promeritasque delicto
„ pœnas daturi: ea nihilominus lege, ut San-
„ ctitati Suæ rescriberentur, quæcunque
„ eâ in causâ tractarentur & agerentur.

Spe sua turpiter delusus est optimus Pon-tifex. Magnificis Oratoris & Pegnæ promissis, Regio licet nomine datis, Inquisitionis Hispaniensis facta minimè responderunt. Necdum enim in Hispaniam scripta pervenerant, cùm Generalis Inquisitor, precibus undequaque lacessitus, immò ab ipso Rege per transmissam schedulam rogatus, Jesuitas carcere detentos libertate donavit, nullâ delicti solutâ pœnâ.

Pe Relat. Pegnæ ad Consil. Inquis. Vix dici queat, quàm offenso & exulcerato animo insperatæ rei nuntium exceperit Clemens VIII. Pegnam è vestigio vocari jussit, iisque verbis est allocutus: *Regis tui nomine sæpius spopondisti, Hispanos Inquisitores officio ac debito non defuturos. Ecce quo pacto promissis facta respondeant. Jam jam carcere soluti sunt Jesuitæ Complutenses, in quos tam specioso justitiæ zelo manus injecerant. Istud sane est quod mihi Lindanus ominatus erat, rem scilicet totam in fumum abituram. Id Jesuitarum arte machinatum minimè dubito, utpotè qui à Rege Catholico schedulam commendatitiam extorserunt, secundùm quam in libertatem asserti sunt. Inquisitorum erat delicti gravitatem Regi ostendere: at maluerunt officio, Religioni, propriæque famæ deesse, quàm humano favori. Hæc ab eis gesta non miror, cùm etiam didicerim Viros aliàs in hæresim prolapsos numeratâ pecuniâ ad Inquisitionis Hispaniensis ministerium admissos esse: quorum aliqui supra octo millia ducatuum aureorum numerarunt.*

Eo sermone adeò perculsus est Clarissimus Pegna, ut eum penè verba defecerint. Respondit subdubitando, nihil se aut Excellentissimum Ducem ea de re per Epistolas accepisse, nec se satis capere posse, qua sorte, post absolutissimas Regis Epistolas, Inquisitores Hispani Jesuitas carcere solvissent, ac ipse etiam Rex pro eorum solutione supplicasset. At officiosam excusationem retudit Pontifex, qui totius rei gestæ seriem ex Nuntii sui literis certò noverat: *Utinam*, inquit, *quæ certissima novi, falsa forent.*

Nova consilia meditabatur Romana Curia, ut & novatorum audaciam, & fautorum petulantiam cohiberet, nisi Regem ipsum incautè circumventum, & præsenti negotio implicitum vidisset. Dilatâ igitur in opportunum tempus delinquentium pœnâ, studium omne in errorum damnationem convertit. Geminas propositiones ad Romanæ Inquisitionis judicium remisit; ubi post diuturnum examen velut erroneæ, schismaticæ, scandalosæ, proscriptæ sunt, die 20. Julii 1602. Selectos etiam Romanæ Curiæ Theologos delegavit, qui varias Complutensis Academiæ theses, ab Apostolico Nuntio Romam transmissas, examinarent. In quibus duæ præsertim propositiones, die 23. Julii notatæ sunt, quæ totius fidei Catholicæ fundamentum Sedisque Apostolicæ autoritatem subvertere videbantur. Prior erat: *Revelatio Mysteriorum fidei facta Ecclesiæ, non est necessarium medium, ut certò & infallibiliter cognoscantur; sed prudentialis notitia sufficit.* Altera erat: *Successio Petri Apostoli in Episcopatu Romano, jure divino non constat; etsi probabilissimum sit, Christum præcepisse Petro eam fieri.*

Hinc viderint omnes quàm deformata esset

esset ætate illa Complutensis Academiæ facies, ob eas solummodo novitates, quarum defensionem incautè susceperat: ad malum enim malæ res se agglutinant. Noverint quoque probati Judices, quo loco haberi debeat impensum ab ea Molinianis opinionibus patrocinium; quod tantis machinationibus & erroribus obducere necesse fuit.

Eamdem-ne, an affinem alteram historiam enarraverit Petrus Matthæus, satis nescio: dum libro 7. historiæ septem annorum pacis, Narratione 4. ita scribit: *Jesuita quidam quæstionem movit admodum audacem, in universa Ecclesia Catholica, ac Roma periculosissimam: videlicet non esse fidei dogma, Clementem VIII. esse verum ac legitimum successorem S. Petri. Is in carcerem conjectus fuit; ac nisi Hispaniarum Orator operam & industriam interposuisset, deterius ei aliquid contigisset.* Idem referunt Alexander Ziliolus, lib. 3. Historiarum memorabilium; & Clarissimus Thuanus lib. 31. Historiæ sui temporis. Certè si historiam alteram, alicubi aut fortassis etiam Romæ habitam narrant, benè est. At si eandem retulere, in eo saltem aberrarunt, quòd Hispaniarum Oratorem pro Rei liberatione operam & industriam interposuisse dixerint; cum suas ille dumtaxat posuerit operas, ut in Hispaniarum Inquisitione causa tractaretur, non ut Rei carcere solverentur.

CAPUT TRIGESIMUM.

Nova Prædicatores intèr & Jesuitas de Pontificia autoritate lis oritur. Isti propositiones Compluti propugnatas, contrariis thesibus retractant; sed fictè.

DUm componendis Jesuitarum negotiis incumberet Catholici Regis Orator, novam illi Prædicatoribus litem intentabant. Bannesium impugnatæ Pontificiæ autoritatis reum egit Michaël Vasques de Padilla: quasi qui propugnatam à Jesuitis Complutensibus propositionem suis primùm Commentariis defendisset. Coram Inquisitione Matritensi & Nuntio Apostolico primùm expostulavit: sed actione submotus, ad Cardinalem Baronium scripsit die 7. Maii; transmissâque lasciniâ, ubi eundem errorem ab eo traditum præsumebat, vehementiùs querebatur, minùs æquè secùm agi, cùm ovantibus ac ridentibus Prædicatoribus Jesuitæ detinerentur. Idcircò Eminentissimi Viri apud Clementem VIII. officia, totius Societatis nomine precabatur; ut omni personarm delectu ac discrimine remoto, æquè in quoslibet delinquentes animadverti provideret. Admodùm, inquit in Epistola suâ, mihi displicuit, quòd in nostratum aliquo ea inventa fuerit propositio, quæ meritò Sanctitatis Suæ aures offendit: videlicet non esse de fide hunc numero hominem esse Summum Pontificem: quamquam tamen Patres illi Complutenses Sanctitatis Suæ personam in exemplum non citaverint, uti Doctores illi, quorum propositiones Romam transmissæ fuerunt. Ea in parte Sanctitatem Suam dumtaxat Societas rogat, ut Nuntio suo aut Inquisitionis Consilio, æquo jure cum omnibus agi, jubeat. Quandoquidem Patres Prædicatores & alii, longè ante nostros Compluti ac Salmanticæ hujus propositionis autores fuere; præsertim Magister Bannes, cujus verba ad Illustrissimam Dominationem Vestram transmitto, sperans fore ut remedium afferri curet. Non enim æquum existimabit Illustrissima Dominatio Vestra, tam disparem reorum sortem accidisse; ut aliis ridentibus & ovantibus, cæteri carcere detineantur; cùm potissimùm Bannes & sui, hanc primùm in Hispanias doctrinam invexerint, nihilque in eos actum gestumve sit, post solennem denuntiationem coram Inquisitione generali & Nuntio Apostolico factam. Doctrinam minimè probo, optarem etiam nullum è Societate esse, qui eam non apertè damnaret: at cùm perversa doctrina sit, in defensores æquo jure animadvertendum est, ne quibusdam ridentibus & ovantibus, cæteri castigentur.

Ex Comment. ad 22. q. 1. a. 10. dub. 2. ad 2. argum.

Extat Orig. in Arch. Præd.

Integrum Bannesii locum consuluit Eminentissimus Cardinalis, priusquam ea de re cum Clemente VIII. conferret. Non illi diuturna meditatione opus fuit, ut autorem illum à Jesuitarum assertione remotissimum probaret. Illi enim simpliciter & absolutè propugnaverant, non esse de fide hanc determinatam personam esse Summum Pontificem: Bannesius autem eo ipso in loco, ad quem æmuli provocabant, dumtaxat docet, *Id non esse de fide per se primò & immediatè revelatum*: cæteroquin non negat *id esse de fide per se secundò*, ut scholastici loquuntur. Undè concludit, illum qui id inficiaretur, nedum de hæresi suspectum, sed ut hæreticum meritò damnatum iri: *Nihilominus*, inquit, *omnibus supradictis nonobstantibus, valde temerarium esset & scandalosum, si postquam Ecclesia acceptavit aliquem ut Summum Pontificem, negaret aliquis illum esse Summum Pontificem verum, nisi ostenderet illum non esse baptizatum,*

tum, aut non esse Virum. Alioquin non solùm esset vehementer suspectus de hæresi, sed etiam ut hæreticus meritò puniretur.

Ea igitur adhibitâ provisione, qua orthodoxus Bannesii sensus in aperto positus fuit, non ultra adeundum Pontificem judicavit, quòd Vasquesii supplicatio facti veritate minimè niteretur. Censuit etiam Vir æquissimus, bono animo ferendum, si quid fortè Bannesius minùs conditu meò loci docuisset. Quippè qui nullam unquam sinistræ in Pontificem voluntatis suspicionem dederat, eoque rerum statu constitutus non erat, ut irritandi judicii Pontificii animo, quidquam ab illo scriptum credi posset; uti de Jesuitis suspicari facilè erat.

Cæterùm Clemens VIII. rei gestæ aliunde conscius, Bannesii Commentarios afferri voluit, ut ejus sensum per sese expenderet. Vidit itaque, legit, ac probavit extremam controversæ difficultatis resolutionem. Elapsisque diebus aliquot, Baronium suo nomine moneri jussit, ne Vasquesium responsione dignaretur. Suspicio etenim non levis erat, illum hanc Epistolam Eminentissimo Viro dedisse, ut officiosam aliquam responsionem extorqueret, quam gregalibus & amicis ad jactantiam ostentaret. Factum ita retulit Clarissimus Pegna in sua ad Hispaniensem Inquisitionem Epistola, die 11. Junii. * *Porrò cùm ea Epistola eo consilio data fuisset, ut Summum Pontificem commoverent, aliquodve præfati Cardinalis responsum extorquerent, quod in Hispaniis ostentarent, eâque arte irrogatæ saltem injuriæ suspicionem ingenerarent; illico monitus est Cardinalis, quid rei esset opus, ut periculum fugeret. Suæ etiam Sanctitatis nomine jussus fuit, ne quidquam rescriberet. Bannesii porrò locus, ubi asserta propositionis sensum aperit, Pontifici exhibitus est; qui ultimam autoris definitionem gratam habuit.*

Litis exitum cùm primùm excepit Dominicus Bannes, quasi partâ victoriâ triumphavit. Solennes Disputationes ad Pontificiæ autoritatis defensionem habuit, adversùs Complutensium aberrationes: ubi Commentariorum suorum doctrinam aliquantulum explicatiorem, veluti probatum erroris antidotum dedit. Theses eo Præside defendit Salmanticæ F. Ambrosius de S. Stephano die 2. Julii, in quarum tertiâ assertione sic legebatur: *Hunc singularem hominem v. g. Clementem VIII. esse verè Christi Vicarium, tametsi non per se primò & immediatè infusa fide credat, tamen per se secundò tam firmum assensum efficit, ut qui id negaverit, vel in dubium practicè verterit, non solùm ut valde temerarius & scandalosus, sed ut suspectus de hæresi, immò ut errans contra fidem meritò puniretur.* Tota penè convenit Salmanticensis Academia, adfuit Pontificis Nuntius, Episcopus, plurimaque Principum ac nobilium multitudo, magnâ concertationis exspectatione suspensa. At Disputationi se negarunt Patres Societatis, ne graviori periculo committerentur, si Sociorum partes tueri vellent. Tanta enim indictæ Disputationi famam fecerat Bannesii nomen, rerumque Compluti gestarum recens memoria, ut nisi retractationem intra paucos dies se daturos promisissent, publicæ indignationis sensus non evasissent.

Bannesii zelo obsecundavit Franciscus Zumel, Ordinis Redemtionis Præpositus Generalis, edito tractatu, *De inconcussa Clementis VIII. Papæ electione, & certitudine infallibili ipsius Pontificatus*: quem cùm anno sequenti legisset idem Pontifex, tanti fecit, ut dato Brevi Apostolico, die decima Martii, summam illi eruditionem ac pietatem gratulatus sit, quibus *quorumdam hominum novitates amantium parùm consideratas, ne quid graviùs diceret, opiniones confutaverat, & veritatem in re pergravi asseruerat.*

Quid hoc in discrimine Jesuitæ? Solenni palinodiâ consulendum sibi judicarunt: ea nihilominùs arte, ut adversarios simul talione morderent, novique criminis reos agerent. Solennes Disputationes indixere Vallisoleti die 10. Julii. Respondit Alphonsus Martines: Arbiter sedit Michael Vasques de Padilla. In ultima verò thesium Conclusione, in extremam de summi Pontificis certitudine & indeficientiâ opinionem abeuntes, Bannesium obliquè petebant; quasi qui nimis jejunè hoc de argumento sensisset: *Ecclesiæ caput*, inquiebant, *esse Romanum Pontificem pro tempore existentem, nunc verò S. D. N. Clementem VIII. affirmamus: quem & de fide est errare non posse, in iis quæ ad universalis Ecclesiæ fidem & mores pertinent. Et, de fide simpliciter esse & immediatè, (quod alii vocant per se primò) verum Petri successorem, & legitimum Christi Vicarium, sustinemus. Hoc enim magis pium & rationi & fidei consonùm est. Neque verò satisfieri censemus ab iis qui di-* centes

* Y porque esta carta venia encaminada para indignar à Su Sanctidad, y sacar alguna respuesta del dicho Cardenal, para poderla mostrar en España, y con ella engendrar alomenos sospecha de injusticia: luego se advertio al dicho Cardenal, lo que convenia, para huir este enconveniente. Y Su Sanctidad hizo advertirlo que no se metiesse en responderle. En respeto de Bañes, aquel lugar se mostro à Su Sanctidad, donde califica la proposition, y Su Sanctidad quedo satisfecho del modo conque Bañes concluie.

centes hoc esse secundariò de fide, concedunt posse illi subesse falsum: cum iis quæ quovis modo de fide sunt, nulla omninò subesse falsitas possit.

Quàm sincera, quàm ingenua fuerit retractatio probavit eventus. Sublato enim Clemente VIII. quo tempore Paulum V. finiendæ controversiæ de auxiliis paratissimum sentiebant, easdem in illum artes instaurarunt. Theses publicæ disputationi paratæ sunt Barcinone, die 4. Januarii 1606. probante ac subscribente Raphaele Gueran è Societate Jesu; in quarum septima Conclusione sic habebatur: *De fide debebamus credere Clementum VIII. fuisse ritè electum ac verum Pontificem; certitudine verò morali Paulum V. esse verum Pontificem.* Injuriæ gravitatem augebat studiosa illa Clementem inter & Paulum apposita distinctio; quasi quid in uno, quàm in altero minus esset. Sed eam distinguendi necessitatem induxerant rerum vices. Quid enim Societati à Clemente VIII. tunc temporis timendum erat, ut ejus Pontificatum in dubium vertere necesse foret? At multum erat, quod à Paulo V. pertimesceret; quem ad ferendam doctrinæ suæ damnationem, paratissimum agnoscebat. Ut ut est, palàm coràm Episcopo intercesserunt Prædicatores Barcinonenses, ne publicè defenderentur, ob irrogatam Paulo V. gravem injuriam: hincque effectum est, ut novi dissidii semina quàm primùm oppressa, vix ad Pontificis aures sub finem anni pervenerint.

Non absimile quidpiam anno 1614. tentatum est, quo tempore Rex Catholicus, ad nova sopienda dissidia, Congregationum istarum sancita judicia solemniter promulgari, denuò supplicabat. Solennes Disputationes Granatæ habuerat F. Hiacintus de Soses Ord. Prædicatorum die 16. Junii, in quibus assertionem istam propugnaverat: *De fide est per se primò, quod ille numero homo, qui modò feliciter gubernat nostram Ecclesiam, sit summus & verus Pontifex.* Extremam ille, uti vides, opinionem induerat, quam ante annos aliquot Jesuitæ Vallisoletani publicis Thesibus propugnaverant, ut Bannesii sententiam apud Theologos receptissimam vellicarent. Quidni ergo transfugam militem expansis ulnis Societas excepit? At mutatus illi erat cum annis animus, novique rerum eventus novos sensus attulerant. Displicuit jam aperta nimis atque extrema de certitudine Pontificatus opinio, quam antea studiosè defenderant: quòd videlicet eo tempore imminens aliquod Sedis Apostolicæ judicium vererentur, privatos Inquisitores occuparunt, ne Theses propugnari sinerent, suâque apud illos autoritate & gratia obtinuere, ne reipsa defenderentur. Causam ad Summi Pontificis tribunal detulit Hiacintus Soses, magnam se ex illa sua assertione gloriam reportaturum sperans. Dedit prolixas admodum Epistolas die 18. Julii, ex quibus rei gestæ seriem discimus. In eundem sensum, atque in eadem penè verba, ad Generalem in Hispaniâ fidei Quæsitorem scripsit, hac ipsa die, patrocinium in subjectos Inquisitores rogans. *Exstant in Archiv. Ord. Præd.*

Quid responsum, quidve hac occasione subinde statutum, nusquam lego. Hinc tamen æqui rerum æstimatores intelligent, Societatem eo dumtaxat fine, invidiosas illas de Pontificatus certitudine opiniones ea rerum tempestate suscitasse, ut quas verebatur Sedis Apostolicæ definitiones eluderet: nec eas interdum alio animo revocasse, quàm ut tempori serviret, & publicam bonorum omnium indignationem averteret.

Interea verò Clemens VIII. omni arte & machinatione superior, stabat in incœpto, firmumque ferendi judicii propositum tenebat; quamquam importunis Jesuitarum querelis lacessitus, novam tandem causæ cognitionem edixerit, quæ sequentis Libri Argumentum erit.

HISTO-



HISTORIÆ CONGREGATIONUM DE AUXILIIS DIVINÆ GRATIÆ

LIBER TERTIUS.

Quo Quinta Causæ cognitio ab anno 1602. ad annum 1605. coram Clemente VIII. & Eminentissimis Cardinalibus Generalibus Inquisitoribus, aliisque Censoribus deputatis, habita narratur.

CAPUT PRIMUM.

Novis Societatis precibus inclinatus Clemens VIII. Quintum Examen coram Sanctitate suâ habendum edicit.

Cum Clementem VIII. toto anno superiori tentatis artibus illatisque Pontificiæ Autoritati injuriis, minimè territum experirentur Molinæ Vindices, qui potiùs eum ad ferendam definitionem Apostolicam omninò propensum agnoscerent; tentarunt sub hujus anni principio, num illum saltem novo petito examine defatigare, novasque moras ducere possent. Varios libellos supplices mense Januario dederunt, quibus novi examinis necessitatem, attentâ præsertim priorum Censorum paucitate, suadere nitebantur. Censores etiam levitatis incusabant, quasi qui centum circiter Molinæ propositiones in primo Examine notassent, in cæteris verò non nisi viginti confixissent. Eaque arte Molinam ex parte absolutum innuebant.

Criminationis hujus, quam nonnulli etiam Scriptores temerè refricarunt, vanitatem dignoscet, quisquis Censuras omnes mutuò contulerit. Nulla enim Molinæ propositio in priori Examine damnata est, quæ in posterioribus admissa sit. Sed varia dumtaxat Concordiæ loca, in eosdem errores statuendos conspirantia, ad certas dogma- *Ripald. tom. 2. disp. 113.*

dogmaticas propositiones redacta sunt. Unde effectum est, ut centum plus minus Autoris hujus contextus in prima censurâ notati, ad viginti propositiones, ad quas firmandas statuendasque collimabant, compendio revocati sunt; uti pleniùs suo loco diximus. *Lib. 2. Cap. 11.*

Observatione digniora sunt, quæ libellis suis supplicibus exposuere Gregorius de Valentia & Ferdinandus Bastida. Prior enim memoratis Romanorum Censorum judiciis, superioribus annis adversùm Molinæ CONCORDIAM pronuntiatis, tria sibi sumebat demonstranda. 1. Res in quæstionem vocatas dubias esse, & inter Theologos controversas. 2. Non congruere, ut præsens Controversia definiretur. 3. Necessarium videri, ut Molinæ loquendi modi nova in editione castigarentur: *Jussu Sanctitatis Vestræ*, inquiebat, *deputentur aliqui Theologi, qui additis in modo loquendi Molinæ, aut detractis iis quæ opportuna videbuntur, ad tollendam omnem offensionem, parent novam librorum Molinæ editionem; cui præmittatur Præfatio, ex qua lectoribus constet, eam solam editionem in posterum habendam pro consentaneâ menti Autoris ipsius: ut ex iis quæ de sua sententia & mente ante mortem per varias occasiones exposuit, intelligi potest.* Ex quibus obiter dignoscere est, quantum propriæ causæ meritis diffiderent, qui nec Controversiam finiri volebant, nec Molinam inemendatum dimittendum fatebantur. *Henao de Scien. med. prot. 1.*

Alter disseminatos adversùs Societatem rumores dissipandos aggrediebatur. 1. erat, De nimiâ in Molinâ vindicando pertinaciâ. 2. De novis in dies oblatis petitionibus. 3. De imprudenti & indiscreto rerum suarum studio & affectu. 4. De audaciori Censorum Romanorum despicatione. 5. De quæsitis & affectatis dilationibus. 6. De suscitatis ex inobedientiâ rumoribus ac querelis. 7. De contemtâ SS. Patrum ac præsertim Augustini autoritate. Quapropter suo totiusque Societatis nomine rogabat, ut nova causæ cognitio haberetur; in qua S. Augustini sententia de controversis opinionibus, publicâ disputatione expenderetur.

Eam publicè disputandi pruriginem anno superiori sæpiùs demonstraverant. Pro illa enim & supplicaverat Bellarminus, & instaverat Gregorius de Valentia, nimiâ reportandæ victoriæ fiduciâ tumidus. Hæsit nihilominus aliquandiu Sanctissimus Pontifex, an & novum examen edicere, & solennes disputationes aperire deberet: ex quibus non levia subortura incommoda præsentiebat. Divinam opem assiduis orationibus ac jejuniis efflagitavit; dies aliquot in secessu fundendis precibus egit; piasque supplicationes ad septem Urbis Ecclesias habuit, quas nudis etiam pedibus ingredi visus est. Post sacras illas ac religiosas provisiones, sanctissimo Pontifice verè dignas, instante Catholici Regis Oratore, rem tandem extremo judicio finiendam decrevit. Veritatem tamen novo examine limari voluit, cui ipsemet arbiter ac Judex assisteret.

Susceptum consilium Inquisitionis Romanæ Commissario, nec non Prædicatorum Generali primùm aperuit, die 31. Januarii 1602. Nec ita post, Societatis Præpositum unà cum eodem Prædicatorum Generali vocavit: quibus instituendæ publicæ disputationis, finiendæque Controversiæ consilium declaravit. Monuit quoque, ut eruditos Theologos pro arbitrio seligerent, qui coram semetipso in disputationis aleam venirent; dubiisque paulatim scripto communicandis ac transmittendis satisfacerent. *Ex Diar. Pegna.*

Eminentissimos Cardinales Inquisitores Generales, in Universa Republicâ Christianâ constitutos, secum quinti hujus examinis arbitros sedere voluit: novosque Censores prioribus addidit, ne Cognitorum paucitatem Jesuitæ prætexerent. Duos etiam Secretarios designavit, qui Acta colligerent. Quapropter hoc ordine ac numero deinceps convenerunt.

PRÆSES CONGREGATIONUM.

Clemens VIII. Pontifex Maximus.

Cardinales.

Camillus Borghesius. }
Pompeius Arigonius. } *à 1. Congr. admissi.*

Dominicus Pinellus. }
Hieronymus Asculanus. }
Paulus Æmilius Sfondratus. } *à 6. Congr. vocati.*
Franciscus de Avila. }

Anna Descars de Givry. }
Ferdinandus Taberna. } *à 55. Congregat.*
Anselmus de Monopoli. }

Innocentius de Bufalo.] *à 65. Congregatione*

Jacobus Davy du Perron.] *à 67. Congregatione*

Petrus Aldobrandinus. }
Robertus Bellarminus. } *à 69. Congregat.*
Laurentius Blanchettus. }

Antonius Zapata.] *ab 82. Congregatione.*

Censores Episcopi.

Petrus Lombardus Archiepiscopus Armachanus, Hiberniæ Primas.

Lælius Suessanus Episcopus Neritonensis.

 Julius

Julius Sanctutius Episcopus S. Agathæ Gothorum.

Hippolytus Masserius Episcopus Montis Pelusii.

Basilius Pignatellus Episcopus Aquilanus.

Censores Theologi.

F. Joannes de Rada Procurator Generalis Ord. S. Francisci.

F. Anselmus de Monopoli Procurator Generalis Capucinorum, postea S. R. E. Cardinalis, qui supra.

F. Joannes Baptista Plumbinus Procurator Generalis Ord. S. Augustini.

F. Hieronymus Palanterius, S. Caroli Borromæi, ac postea Sixti V. Theologus, Ord. S. Francisci.

F. Gregorius Nunnius Coronellus Ord. S. Augustini, primus Congregationis Secretarius.

F. Anastasius Brixiensis Prior S. Pauli extra muros, Ord. S. Benedicti, secundus Congregationis Secretarius.

F. Joannes Antonius Bovius, Regens Collegii Carmelitarum.

D. Ludovicus de Creil Doctor Sorbonicus.

F. Jacobus le Bossu Doctor Sorbonicus, Ord. S. Benedicti.

Spectatores Disputationum.

F. Hieronymus Xavieres, Generalis Ord. Prædicatorum, postea S. R. E. Cardinalis.

Claudius Aquaviva Generalis Societatis.

Actores contra Molinam.

F. Didacus Alvares, Regens Conventus S. Mariæ super Minervam, postmodùm Archiepiscopus Tranensis & Salpensis.

F. Thomas de Lemos, Magister in Theologia.

Molinæ Defensores.

Gregorius de Valentia, Moderator Studiorum Collegii Romani Societatis Jesu, ad Congregationem undecimam usque.

Petrus Arrubal, ad Congregationem trigesimam primam.

Ferdinandus Bastida.

Joannes de Salas.

Primæ Disputationis argumentum die 14. Februarii ad designatos Censores Ordinumque Generales transmitti curavit Pontificii Cubiculi Præfectus, duabus hisce propositionibus expressum, sua ut Responsa atque judicia meditarentur.

1. *Quis majores vires ad bonum libero Arbitrio tribuat, an S. Augustinus, an Molina?*

2. *An in libris S. Augustini legatur, constitutam esse à Deo legem infallibilem cum Christo Filio suo; ut quoties homo solis naturæ viribus fecerit totum quod in se est, Deus illi tribuat gratiam: vel id sit de mente S. Augustini?*

Harum propositionum transumtum, susceptique à Summo Pontifice consilii nuntium Regi Catholico dedit Dux de Sessa, die 21. Februarii: ut piissimum Principem de hujusce Controversiæ definitione sollicitum exhilararet. Istud verò rescriptum ab eodem excepit.

Dux de Sessa et Vaena, Consobrine. Ex tuis ad nos transmissis Epistolis, sub data 21. Februarii, novi quid tibi Sanctitas Sua respondit, dum ipsi rursùs nomine meo pro controversiæ Auxiliorum definitione supplicasti. Susceptum ab Ea consilium summoperè probavi, quo ad integram causæ eliquationem, nova dubia (quorum transumtum transmisisti) pro futura Congregatione eruditis Theologis ac Censoribus tradi jussit. Quamquam verò minimè dubitem Sanctitatem Suam ea sollicitudine in istud opus incumbere, quam rei gravitas postulat, Eamque pro pastoralis dignitatis officio de edenda Definitione omnino deliberasse; cum tamen aperta disseminandi erroris pericula in dies enascantur, ob repugnantes Religiosorum Ordinum & Universitatum opiniones, frequentesque de Divina Gratia concertationes, idcircò iterum moneo ac jubeo, ut nomine meo quàm impensè apud Sanctitatem Suam urgeas, ut autore Spiritu-Sancto citiùs decernat, quid ea in re tenendum credendumque sit: ne diuturniori dissidio Universitates & Ordines committantur. Quo ad usque enim Controversiam hanc consopitam definitamque videam, irrequietâ sollicitudine defatigabor. Quid tibi Sanctitas Sua responderit, quidve perfecerit, rescribes sedulò. Datum Vallisoleti die 5. Aprilis 1602. Ego Rex. (*Ex Hisp. Latinè datur.*)

Petrus Franqueza.

Interea festinante disputationis tempore, tentarunt Molinæ Vindices, num possent secreta quadam machinatione Thomam de Lemos Româ pellere. Fatali scilicet præteritarum rerum usu didicerant, plùs sibi ab illo quàm à Didaco Alvaresio timendum. Quamquam enim esset uterque longè doctissimus, profundior tamen in Lemosio eruditio, magisque decocta SS. Augustini & Thomæ lectio probata fuerat. Ferrea etiam & infragilis illi vox, sermonis robur, pectus solidum, ingenium acre ac vehemens: quæ dotes, singulari præsertim eruditioni conjunctæ, quantùm in contentiosa disputatione valeant, nemo nescit. Lemosio igitur sacras à Philippo III. Infulas deferri curarunt, ut illum honoris specie in Hispa- (*Ex Epist. Leonis de Lece ad D. Marq.*)

Hispaniam agerent. At timuit ille Danaos & dona ferentes. Delatam dignitatem recusavit pari humilitate ac religione. Quo eximiæ virtutis facinore pristinâ spe delusi fervidi Actores, nova tentarunt emunctioris politicæ machinamenta. Per suppositos susurrones, propensam in Prædicatorum Ordinem voluntatem mentientes, ejusdem Generali Præposito instillarunt, præsentem controversiam tanti momenti non esse, cui viri duo eruditissimi insudare deberent: plurimamque universo Ordini eruditionis famam accessuram, si debellandis quibusvis Molinæ Vindicibus, unicum Alvaresium, velut alterum Ismaelem præficerent; cui hæc ipsa provincia ex Regentis officio aliàs incumbebat.

Hamum incautè voravit Præpositus Generalis: Thomam de Lemos in Hispaniam reverti jussit. Paruit vir obediens, jamque parabat iter, ac dato locati equi arrhabone vasa colligebat; cùm ecce insperato eventu Pontificis jussu detentus est. Ipsius enim eruditionis famâ permotus Clemens VIII. Cardinalem Millinum, in minoribus ea ætate constitutum, à quo imminentem discessum ejus acceperat, ad Ordinis Magistrum direxit, vetans ne Lemosium abire sineret, cujus in publicis disputationibus audiendi desiderio fervebat. *Marquesi. in Diario Domin. ad diem 23. August.*

Substitit igitur Lemosius secundùm Pontificis jussa, totumque penè solennium disputationum sub Clemente VIII. & Paulo V. habitarum pondus sustinuit. Ejus enim loco semel dumtaxat & iterum, infirmitatis occasione, suffectus est Didacus Alvares, eique aliquandiù socius adjunctus fuit, quo tempore Magister Ordinis Regni Neapolitani Visitationem obiturus, Româ secesserat. *In 1. & 48. Congr.*

Die 19. Martii in diem crastinam indicta est prima Congregatio. Quid in ea cæterisve tractatum gestumque sit, capite septimo ac deinceps ex Secretarii fide referemus.

CAPUT SECUNDUM.

Inceptas coram Clemente VIII. disputationes speciosis diverticulis effugere ac declinare nituntur Molinæ Vindices.

COepit ex ipsa prima hujus Examinis disputatione, tergiversandi occasio suboriri. *Ex Actis Cornelii.* Dedit ansam disputationis argumentum à Clemente VIII. propositum: *Quis majores vires ad bonum libero arbitrio tribuat, an S. Augustinus, an Molina.* Cum enim latiùs per se pateret, nullamque speciatim difficultatem attingeret, controversiam distinctiùs definire necesse fuit; ne in futuris disputationibus inutiliter certaretur. Provinciam hanc Congregationis Secretariis demandavit Sanctissimus Pontifex: præcipuas ex multis Molinæ propositionibus colligi jussit; in quibus majores libero arbitrio vires tribuere videretur, quàm re ipsa tribuerit Augustinus.

Novem inter tot alias selegerunt illi; ubi Molina contra S. Augustini mentem, libero arbitrio plus æquo tribuisse, atque de lege conferendi gratiam præposterè sensisse videbatur: quas Clementi VIII. die Martii 22. exhibuere. Has ubi legit Beatissimus Pater, noluit pro publicæ disputationis argumento antea proponi, quàm mutuo Jesuitarum assensu & arbitrio, rursus à Secretariis cum Molinæ contextu conferrentur: ne fortè inter disputandum quæstio facti suboriretur, Num integra fide ex Autore petitæ essent.

Jocus hìc mimicus & scurrilis fuit. Societatis Præpositum adierunt Secretarii, propositiones ex Molinâ petitas cum ejusdem contextu eo præsente collaturi. Eos ille ad colloquium admittere noluit, donec Gregorium de Valentia domo absentem advocasset. Is verò post diuturnam sui exspectationem subingressus, mirum quot effugia tentarit, ut Pontificia mandata effugeret! Quibus tandem interclusis ac superatis, alienis se negotiis avocatum finxit Generalis, & abscessit. Generalem suum relictis Secretariis secutus est Gregorius de Valentia, ad quos post elapsam horam reversus, collationem illam in aliud tempus differri precabatur; quòd nonnisi præmissâ maturâ consultatione perfici posset. Responderunt nihil difficultatis esse in conferendo propositionum transumto cum ipso Molinæ contextu. Nihil ad hæc Gregorius. At urgentibus Secretariis, ut effugiis studiosisque dilationibus modum ponerent, nescio quis cubiculum subiens, Gregorium de Valentia à Generali suo desideratum nuntiavit. Gratum nuntium lætus excepit, & abiit; relictis ea in cellâ Secretariis, qui se tam lepidâ scenâ ludi, plus satis obstupescebant. Sustinuerunt nihilominus horam alteram; qua demùm elapsâ, Valentiam per interpositam personam monuerunt, se pro impositi officii parte plus nimio exspectasse, jamque discedere velle. Reposuit ejus vice Præpositus Generalis, Gregorium de Valentia propositiones ex Molina petitas, eo modo & ordine disponere velle, quem congruum judicaret: ac propte-

propterea rem in diem alteram remittendam esse.

Responsum indignè tulerunt Secretarii; eaque potissimùm ratione, quòd per interpositos nuntios iis de rebus palàm agerent, quas sub silentio pertractandas Sanctissimus jusserat. Verùm cùm erumpentem indignationis sensum satis apertè prodidissent, accessit de Valentia ut suæ Præpositique Generalis inobedientiæ veniam peteret. Tum hocce scriptum, debitâ juris formâ propria subscriptione munitum, iisdem reliquit. *Quoniam Patres Secretarii de ordine Sanctissimi D. N. nobis novam aliquam rem proposuerunt: videlicet ut propositionibus ante mensem datis, & conferendis cum doctrinâ S. Augustini, adderemus quæ nobis placerent, & judicaremus spectare ad Molinæ defensionem: nos existimantes hoc postulare diligentem indagationem & maturam consultationem, petimus ut nobis aliquod temporis spatium concedatur.*

Auxit Secretariorum indignationem scripti petulantia: *Non est hoc*, inquierunt, *quod à vobis postulamus; sed ut velitis conferre nobis præsentibus propositiones, quas vobis scriptas consignavimus, cum codice Molinæ: ut si quod verbum intermissum fuerit, addatur: ne coram Sanctissimo D. N. disputandum sit, an ita vel aliter Molina suam proposuerit sententiam.* Instarunt etiam, ut secundùm Pontificis jussa res citò conficeretur, sed frustra. Id quippè unum extundi potuit, ut Collationem illam sequenti die se curaturos pollicerentur. At fefellit eos dolosa promissio. Illis quippè Gregorium de Valentia crastinâ luce adeuntibus, ut juxta promissorum fidem, collationi mutuò collaborarent, occurrit idem ille, institutumque aliò divertens, *Ego* (inquit) *non parum insudavi in ordinandis istis propositionibus, nobis aliàs à vobis exhibitis: censemus enim multa esse addenda, alia etiam omittenda, ut sensus Molinæ fiat plenus.* Subriserunt ad hæc Secretarii: *Non erat*, responderunt, *Reverende Pater, quod hunc laborem subires; cum nos à vobis nihil aliud postulaverimus, quàm ut dignaremini nobiscum inspicere, an fideliter ex codice Molinæ fuerint transsumtæ, nec ne; sumus enim parati ad corrigendum quidquid erratum fuisse videbitur.* Nihil hæc Valentiam à proposito dimoverunt: sed dato ac lecto scripto quodam, in quo multa contra Molinæ mentem & extra ejusdem institutum habebantur: *Hoc est*, inquit, *judicium nostrum de prædictis propositionibus, quod ad factum attinet.*

Omni igitur rei conficiendæ spe depositâ, Pontificem consulere necesse fuit, quid facto esset opus. Is Patrum Societatis scriptum, eaque omnia quæ vel addi vel detrahi Molinæ propositionibus postulabant, seriò perpendit: omnique posthabitâ mutilatione vel additione, jussit Molinæ assertiones proponi nudis ac simplicibus verbis Autoris. Patribus tamen Societatis liberum fecit, ea in publicis Congregationibus adducere, quæ ad illarum vindicias conducere viderentur. Addidit Sanctissimus Pater, addicendos esse Prædicatores ac Jesuitas, ut suum de præfatis Molinæ propositionibus, earumque cum S. Augustino consonantiâ vel dissonantiâ, judicium scripto darent, antequam proxima disputatio haberetur. Mandatum sub his verbis utrique parti denuntiatum est: *Patribus Generalibus Ordinis Prædicatorum & Societatis Jesu, de ordine expresso Sanctissimi D. N. Papæ Clementis VIII. ut sequentes propositiones Molinæ conferant cum doctrina S. Augustini; & scriptis consignent loca omnia ejusdem Doctoris, ex quibus illas vel impugnari, vel defendi posse putabunt.*

Novas hic circulationes & artes mirari fuit. Inducias ad deliberandum rogavit Societatis Generalis: quibus elapsis Secretario responsum postulanti reposuit Gregorius de Valentia, rem esse gravem ac difficilem, quam non ante aggressurus esset, quàm ad Sanctitatem suam scripsisset. Ac re verâ ita scripsit.

BEATISSIME PATER.

« Ex R. P. Priore S. Pauli, & postea ex nostro Patre Generali, qui idem mihi retulit, intellexi velle Sanctitatem vestram, ut antequam ad aliam disputationem de Molinæ libro deveniatur, mittamus citata loca S. Augustini. Qua in re cum magnum habeamus fundamentum dubitandi, quonam modo velit Sanctitas Vestra id à nobis fieri, propter aliqua quæ circa hoc nobis occurrunt, & quæ putamus Sanctitatem Vestram benignè auditurum, humiliter supplico Vestræ Sanctitati, ut dignetur me solitâ benignitate de hoc audire. Sanctitatis Vestræ humilissimus servus, » *Epistola Valentiæ ad Clementem VIII.*

GREGORIUS DE VALENTIA.

Epistolam die 28. Aprilis recepit ac legit Beatissimus Pater, eo ipso tempore quo Secretarii Congregationis Sanctitatem suam adierant, tum ut Societatis dilationes ac strophas referrent, tum ut traditum sibi à Patribus Prædicatoribus scriptum consignarent; qui jussis Pontificiis diligenter obsecuti, S. Augustini sententias Molinæ propositionibus oppositas attulerant. Ex ipsa hujus Epistolæ lectione novit

vit Pontifex studiosum procrastinandi consilium. Quapropter Valentiam ad rogatam audientiam admitti noluit, sed propriâ manu rescripsit in hunc modum.

Rescriptum Clementis ad Valentiam.

Volumus scire quibus in locis S. Augustini reperiantur propositiones extractæ ex libris Molinæ. Nobis autem satis nunc erit, si citentur libri vel tractatus S. Augustini, & eorum capita. Quod enim ex illis inferre volueritis, postea nobis præsentibus vivâ voce explicabitis. Neque rursus ad hæc replicetis, sed perficite quæ præcipimus.

Clemens Papa VIII.

Demissis auribus mandatum excepit Gregorius de Valentia: ac licet nihil ultra in oppositum mussitaverit, nonnisi tamen post mensem elapsum quæsitis satisfecit. Die igitur Maii vigesimâ quintâ Clementi VIII. scriptum obtulit, quo Augustini testimonia, Molinianis propositionibus, ut putabat, adsfaventia indigitabat. Mirâ arte compositum erat opus, ut Pontificem, quem affectatis dilationibus flectere nequiverant, importuno studio defatigarent. Trecenta quippè & amplius S. Augustini loca legenda ac consulenda subindicabant, tacitis omninò verbis, capitibusque dumtaxat nudè indigitatis: *Expendantur*, inquiebant, *S. Augustini loca libro tali, capite tali*; à verbis autem proferendis penitùs abstinebant. Sic ut in iis conquirendis plus temporis insumendum esset, quàm in iisdem cum doctrina Molinæ conferendis.

Laborem nihilominus non detrectavit Clemens VIII. Spissum illum S. Augustini locorum indicem per sese quàm diligentissimè contulit & expendit: ex quibus nequidem unum se reperisse, qui Molinæ patrocinaretur, in solenni postea Congregatione testatus est. Eumdem Consultoribus examinandum tradi voluit die 8. Junii; ut re maturiùs inspectâ, in futuris Congregationibus de Molinæ doctrina judicium ferrent.

Cæterùm quod Jesuitæ potissimùm instituerant, hujusmodi artibus obtinuerunt, examinis scilicet dilationem. A primâ quippè ad alteram Congregationem, quatuor penè menses effluxerunt. Nec tamen Pontifex à definiendi proposito deterrebatur: quin potiùs maturiori rerum usu Pontificii judicii necessitatem expertus, publicas in Urbe supplicationes indixit mense Julio; dum intermissas Molinisticis strophis Congregationes resumsit: ut quo tempore controversiarum examini incumbebat, cæleste lumen pro ferendo judicio impetraret.

CAPUT TERTIUM.

Novos Jesuitæ Hispani favores emendicant, ut Molinianæ doctrinæ autoritatem concilient, ejusque causam apud S. Pontificem juvari curent.

Dum Romæ trahendis moris incumberent Molinæ Vindices, nihil in Hispania non movebant, ut doctrinam ejus tum Potentum gratiâ, tum Academiarum patrocinio promoverent. Franciscum Sanctium conduxerunt, qui ipsius de Prædestinatione opiniones in Academia Vallisoletana publicè defenderet. Sua ille Societati officia non negavit: Theses Theologicas die 9. Januarii propugnandas proposuit; quas ementitâ nuncupatione sub Excellentissimi Ducis de Lerma, Supremi Hispaniarum Administri, nomine ac patrocinio vulgavit. *Ex Epist. Garciæ Guer.* Primariæ quoque Nobilitatis Viri, Religiosorumque Ordinum Professores invitati sunt; textilibus picturis ornata Aula; cincti militum agminibus aditus; ne quid deesset Molinianis Triumphis.

Verùm infausto eventu perturbata solennitas est. Theses sub falso nominis sui patrocinio tum typis editas, immò etiam distributas audivit Dux de Lerma, de quibus antea nihil vel per somnium acceperat. Novum fraudulentæ urbanitatis genus iniquo tulit animo: datisque Castellæ Præsidi mandatis, per submissos apparitores publicam thesium celebrationem interdici jussit. Earum quoque transumtum, admissæque fraudis instrumentum Romam transmisit; ut inde dignoscerent universi, quanta secum mala ferret Definitionis Apostolicæ dilatio.

Non minori contentione hoc anno 1602. insudarunt Molinæ Vindices, ut ejusdem novitates in Academiam Salmanticensem inducerent. Occasionem ex provectâ Dominici Bannesii ætate arripuerunt. Nascentem adultumque Molinismum tum publicis disputationibus, tum editis in D. Thomam Commentariis, exagitaverat Vir eruditus, eumque à florentissima Academia, in qua singulari pollebat autoritate, procul arcuerat. Auxerat eruditionis famam sanctitatis opinio; quâ S. Theresiæ affectum adeò occupaverat, ut cum Seraphica Virgo non modò ad Confessiones assumserit, sed & spirituali (sicut ipsa loquitur) incantamento, nihil nisi quod ille probaret ac vellet, velle ipsa atque probare *S. Ther. in Epist. ad P. Bannes.* ullatenus posset. Hinc orta Molinianæ Do-

ctrinæ jactura non levis, quam tandem senescente Bannesio resarcire Societas studuit. Tunc igitur in spem novam erecti, alterum primariæ ejus Cathedræ sufficiendum aggressi sunt, qui singulari in Molinam affectu ductus, doctrinam ejus in Academiam paulatim induceret. Studentes, quibus ex Academiæ legibus, jus electionis assertum est, spebus alere, lactare promissis, artibus inescare cœperunt; ut secundùm Societatis studia suffragium ferrent.

Romam pervenit tentatæ machinationis rumor: statimque per Epistolas ad Hispaniarum Inquisitionis tribunal transmissas provisum fuit, ne interveniente Bannesii obitu, imprudenti Juventuti committeretur electio: sed attentâ necessitate temporum, de Viro Thomisticæ doctrinæ studioso provideretur, autoritate Regiâ. Quanquam tamen adeò præsenti remedio necesse non fuit, quo elisa Societatis consilia evanescerent; quippè cùm diu Bannesius supervixerit, suamque ad extremum usque diem Cathedram Academicam occupaverit.

Feliciorem exitum non obtinuit altera sub idem tempus in Hispalensi Universitate tentata periclitatio. Commendatitias ad Clementem VIII. Epistolas a sex hujusce Academiæ Theologis obtinuerunt: quibus præmissâ Molinianæ doctrinæ commendatione, Summum Pontificem enixè precabantur, ut à ferendâ in eam sententiâ temperaret, donec ipsorum de ejus orthodoxiâ atque integritate judicia excepisset. "Cum verò, inquiebant, ab ista " Sede nihil non solidum, nihil non verum, " non modò constanter decerni, sed neque " tenuiter judicari possit; illud à Vestra " Sanctitate summis precibus efflagitamus, " ut antequam ad hujus controversiæ judicium ferendum accedat, velit hujus Universitatis & Theologiæ Professorum sententias, & si opus etiam videbitur, peculiarem hujus libri & omnium in illo contentorum defensionem, magno studio & labore perfectam audire, istis incorruptissimis auribus non indignam. Quam cùm primùm Vestra Sanctitas annuerit, in Urbem transmittendam curabimus. Enimverò ad rei Theologicæ, immò & ad Fidei veritatem decernendam, quod tanti negotii est, non inutile fuerit plurimorum atque nostrorum Theologorum veritatis omninò amantium placita audiisse, rationum momenta examinasse; ipsi verò controversiæ honorificum, tandem non ingratum, ut speramus, Sanctitati Vestræ; cujus verissimum judicium nunquam falletur, nunquam fallet, fallere, falli nunquam poterit. "

Exstat in Bib. Ang.

Epist. Theologorum Acad. Hisp. 1 ad Clem. VIII.

Intempestivas supplicationes nihili fecit Sanctissimus Pontifex. Lepidum quippè fuisset Romanorum Cognitorum judicia, quadriennio & ampliùs elaborata, ob emendicatam ignotorum Theologorum commendationem in irritum mittere. Quapropter ne responsione quidem eos dignari voluit: cùm præsertim post susceptam ab illis Molinianæ doctrinæ defensionem, eorum non minùs quàm Molinæ res ageretur & causa.

Non defuere nihilominus qui imprudens illud privatorum Theologorum studium cohibendum judicaverint: ne in Hispania saltem Molinismo vires adderet, iisque fortè fucum faceret, qui in hisce controversiis minùs æquè veritati essent. Egregium opus eo fine adornavit Thomas de Lemos: quo missis prolixioribus disputationibus, ex mutuâ dumtaxat principiorum & assertionum collatione, intimam Semipelagianorum & Molinistarum consonantiam demonstrabat. Ad supremam Inquisitionem Hispaniensem die 20. Februarii transmissum est, Episcopis & Academiis communicandum. Respondit dignitati operis fructus uberrimus: multi enim pristinis opinionibus abducti, tanto Molinismum ardore insectari cœpere, quantò ei in antecessum fuerant patrocinati. Uni Societati stomacho fuit; quæ jacturam illam eo graviori animo tulit, quòd ipsi tunc temporis accidisset, cum Cardinalem Bellarminum, potentissimum Molinianæ causæ patronum, Româ discedentem lugeret. Is etenim Capuanus Archiepiscopus renuntiatus die 22. Aprilis, nullis Sociorum precibus detineri potuit, quin in creditam sibi Diœcesim sedulò pergeret: ratus scilicet Pastoralis officii leges quibusvis amicitiæ titulis præponendas.

Exstat in Colle. Lemosii.

Præcipitem illum Bellarmini discessum, non religiosæ implendi officii voluntati, sed tacitæ quorundam industriæ tribuit Martinus de Ripalda: tanquàm eum, repugnante Societate, in Diœcesim remotissimam consultò egisset Clemens VIII. ne sua deinceps Molinianæ Causæ officia impenderet. Quasi verò tam indignam corrivationem de Sanctissimo Pontifice suspicari liceat; aut ea ipse eguisset astutiâ, si malo in Societatem fuisset animo? Verùm ea est Ripaldæ indoles, ut pro ingenitâ criminandi libidine, suos etiam malit virtutis merito defraudare, quàm ab exterorum accusationibus temperare. Interea Ciaconium de sui Bellarmini discessu differentem audiat; eumque non in Diœcesim ex

Disp. 113. sec. 13.

ex industriâ missum, sed sponte sua, atque ipso etiam Pontifice demirante, profectum addiscat: *Capuanus Archiepiscopus*, inquit Ciaconius, *à Pontifice renunciatus, creatusque; accepto pallio post paucos dies, Pontifice & Aula demirante, Româ ad traditam Ecclesiam excolendam, Capuam discessit.*

CAPUT QUARTUM.

Guillelmum Estium, Regium in Academia Duacensi Professorem, de variis Molinianæ Doctrinæ Capitibus consulunt Romani Censores.

INstituto igitur quinto causæ hujus examine post elisa Societatis consilia, superiori capite enarrata, diligentiorem operi manum admoverunt deputati Censores: virorumque eruditorum judicia de Controversis quæstionibus quæsiere.

Florebat ea ætate in Academia Duacensi Guillelmus Estius, singularis eruditionis ac pietatis fama spectatissimus; qui ab exortis in Belgio dissidiis, multa de controversis quæstionibus, publicis in Scholis habuerat. Fecit tanti viri nomen, ut non ejus dumtaxat judicium de Molinianâ doctrinâ rescire, verùm & ipsius hoc de argumento dictata scripta in Urbem transmitti desiderarint Romani Cognitores. Provinciam illam in se suscepit Archiepiscopus Armachanus, cui Vir maximus arctâ necessitudine conjunctus erat. Dedit ad ipsum Epistolas initio mensis Aprilis, quibus sua & Collegarum vota significabat. Rescripsit ille decimâ-nonâ Maii, suamque ac totius Academiæ Duacensis de Molinæ doctrina sententiam paucis aperuit, donec ex ipsius scriptorum lectione pleniùs innotesceret. Rescriptum porrò hujusmodi fuit.

Estii Epistola ad Archiepiscopum Armachanum.

„ ILLUSTRISSIME AC REV. DOMINE.

„ Ex quo tempore Divinæ bonitati placuit Rev. Dominationem Vestram ad istam dignitatem assumere, & cum principibus populi sui collocare, sæpè volui, ut sanè debui, per literas Dominationi Vestræ gratulari. Sed quòd ab anno superiore continui rumores adferrentur de tuo adventu in has partes, differendum putavi gratulationis officium in id tempus, quo hùc pervenisses. Nunc verò literis ab Reverendissima Dominatione Vestrâ acceptis, ex quibus eam intelligo Romæ à Sua Sanctitate detineri, vehementer gavisus sum oblatam mihi occasionem, qua debito meo satisfacerem. Gratulor igitur ex animo Dominationi Vestræ, quam ad eum gradum in Ecclesiâ suâ Dominus evexit, in qua quàmplurimis posset prodesse. Gratulor & Hiberniæ vestræ, quòd eam benignioribus oculis divina Clementia respexerit, quando Reverendissimam Dominationem Vestram illi Regno in Ecclesiastica gubernatione præfecit. Idem Dominus supplicibus votis orandus nobis est, ut quod cœpit perficiat, nostramque ac piorum omnium expectationem, de Vobis ac patria Vestrâ conceptam adimpleat.

Quod scribit Vestra Rev. Dominatio, Suam Sanctitatem nunc id agere, ut doctrina P. Ludovici Molinæ, quam tradit in sua CONCORDIA, examinetur; utque controversiæ, quæ ejus libri occasione fuerunt exortæ, terminentur, gaudeo rem illam, quæ profectò maximi in Christianâ Religione momenti est, SS. Domino Nostro cordi esse: & precor ut Deus per Spiritum suum mentem ejus illuminet, & juxta Christi Filii sui promissionem, in omnem inducat veritatem.

Quoniam verò Rev. Dominatio vestra cupit sibi submitti quædam scripta mea ad hujusmodi controversias spectantia, quamvis sciam quàm exiguum sit, quod in eo genere tenuitas mea præstare potest, parui tamen lubens, ut qui malim operam meam in juvando tanto Ecclesiæ bono supervacaneam inveniri, quàm partem ejus aliquam desiderari. Mitto igitur ea quæ in 2. Sententiarum dictavi de dogmate à Patribus definito, Gratiam non secundum merita nostra dari. Ex quibus puto manifestè posse intelligi, quàm sit alienum à Doctrinâ & mente S. Augustini, constitutam esse à Deo legem infallibilem, ut quoties homo solis naturæ viribus fecerit totum quod in se est, Deus illi tribuat gratiam. Mitto & quæ in eundem librum Sententiarum, post multa alia ad materiam de Gratia pertinentia, dictavi de efficacia Gratiæ Dei: ubi multis rationibus, quas ante sex annos ex Scriptura & Patribus collegi, Deo dante ostendere conatus sum, in quo efficacia Gratiæ Dei consistat. Ex quibus item clarè conspicitur, quantùm à Scripturis & sensu Sanctorum Patrum aberrent quidam hujus temporis Scriptores, in explicanda verâ ratione efficaciæ Gratiæ Dei, ac nominatim Ludovicus Molina in sua CONCORDIA. Qui liber ex quo prodiit, novitate doctrinæ, viros eruditissimos offendit, & Ecclesiam turbavit. Certè scio neminem esse Professorem Theologiæ hujus Universitatis, cui non illius libri doctrina summoperè displiceat. Si quid præ-

terea

terea Scriptorum meorum ad se mitti cupiat Rev. Dominatio Vestra, gratum fecerit, si id mihi significet, & per omnia obsequentem me habebit. Mitto elenchum capitum seu quæstionum quas tractavi, pertinentes aliquo modo ad rem præsentem. Ut si quid in iis sit, quod vobis subservire possit, Dominatio Vestra designet, & mitti ad se jubeat. Christus Dominus eamdem Illust. & Rev. Dominationem Vestram Ecclesiæ Suæ multis annis incolumem conservet. Duaci 19. Maii 1602. Ill. & Rev. Dominationis Vestræ servus in Christo GUILELMUS ESTIUS.

Suam idem ipse mentem explicatiùs aperuit transmissis paulò post quadraginta momentis, ex divinis Scripturis, Conciliis ac Patribus, summâ eruditione petitis, ad intrinsecam divinæ Gratiæ efficaciam demonstrandam quæ totidem suis ipse in Magistrum Sententiarum Commentariis inseruit; suaque fecit Thomas de Lemos Tomo 4. lib. 4. part. 2. tract. 4. cap. 38. Quâ occasione, secundam istam ad eundem Ill. Armachanum Epistolam dedit, unde ipsius de suscitatis controversiis judicium colligere liceat.

ILLUSTRISSIME AC REV. DOMINE.

Altera Estii Epistola ad Archiepiscopum Armachanum.

Ante duas ferè Hebdomadas misi D. Micanltio Canonico Tornacensi fasciculum quorumdam scriptorum meorum; ut ejus operâ, quam humaniter obtulerat, ad Rev. Dominationem Vestram mitteretur. Quod etsi confidam ab eo diligenter factum, quia tamen talia contingit tardiùs perferri, putavi his literis fortasse celerioribus id significandum. Alia quoque & potior mihi ratio scribendi fuit, quòd ante paucos dies, à quodam vestrate mihi exhibiti fuerint Articuli sequentes, Roma missi, ut dicebat, & istic jussu suæ Sanctitatis examinandi. 1. *In qua consistat efficacia gratiæ Dei, ut distinguitur gratia efficax ab inefficaci?* 2. *Utrum ex duobus habentibus æqualem gratiam, fieri possit ut unus assentiatur, alter verò non?* 3. *Utrum detur omnibus gratia sufficiens.* 4. *An omnibus quantum est in se conantibus, per sua naturalia, lege infallibili Deus det Auxilia supernaturalia?* 5. *Utrum Prædestinati ante prævisa merita eligantur ad gloriam?* 6. *De intellectu Capitis 9. ad Romanos de Jacob & Esau.* Quod ad hos articulos attinet, de primo & quarto tractant scripta quæ misi. De quinto tractavi in 1. Sent. ac de eodem doctè admodum agit Justificatio Lovaniensis. De sexto tractavi in Commentario illius Epistolæ. Secundus & Tertius Articuli, de quibus & ipse multa annotavi, pendent ex primo, in quo velut cardo est totius controversiæ. Ideóque mihi potissimum fuit, ut veram rationem, in qua efficacia Gratiæ Dei consistat, copiosè & quantùm arbitror soliditissimè, Deo donante, ex Scripturis & Patribus explicarem. Quod scriptum meum, ut Reverendissima pietas tua dignetur accuratè & attentè perlegere, & si operæ pretium videbitur, etiam aliis legendum communicare, vehementer cupio, non aliam ob causam, quàm ut veritas catholica, de potenti operatione gratiæ Dei per Christum, clariùs eluceat. Non dubito quin satis persuasum sit Suæ Sanctitati, in his de Gratia Dei controversiis, eos in primis audiendos, qui in oppugnanda Hæresi Pelagianâ præcipui quondam exstiterunt, Augustinum, Prosperum, Fulgentium; & firmissimè tenenda, quæ Cœlestinus Papa decrevit in Epistola ad Episcopos Galliæ, & quæ Leo Pontifex in Arausicano Concilio statuenda præscripsit. Denique inter Scholasticos præcipuè audiendum S. Thomam. Sunt qui rem tanti momenti esse putent, ut super eâ merito peterentur sententiæ Theologorum ex celebrioribus Academiis. Sed non est nostrum suggerere consilium Suæ Sanctitati. Gratum erit, si responsum merear Rev. Dominationis Vestræ, cui etiam ex nunc & deinceps omne meum obsequium devotus offero. Christus Dominus eandem Reverendissimam Dominationem Vestram gratiæ suæ donis magis magisque locupletet. Duaci 28. Maii 1602. Ill. ac Reverendissimæ Dominationis Vestræ servus in Christo GUILELMUS ESTIUS.

Tertiam addidit Epistolam prioribus non absimilem die 26. Junii: quâ missis novis lucubrationibus, de gratuitâ Prædestinatorum electione, deque Divinæ gratiæ cum humana libertate concordiâ, intimum adversùs occultos Gratiæ Christi impugnatores sensum demonstrabat.

Tertia Estii Epist. ad Archiep. Armachanum.

Cum post literas meas ad Rev. Dominationem Vestram postremò datas intellexissem, etiam has duas quæstiones, jussu Suæ Sanctitatis istic agitari, Quomodo conciliandа sit Gratia cum libero Arbitrio; & utrum Prædestinati ante prævisa merita eligantur ad Gloriam; existimavi me pleniùs satisfacturum voluntati vestræ, si etiam de iis quæstionibus, ea quæ aliquando publicè docui & dictavi, submitterem. Non quòd mea tanti sint, sed ut studium meum erga R. D. V. id à me exigentem, atque in primis erga Christi Ecclesiam, quam doleo quorundam disputationibus parùm sinceris turbari, propensiùs

» fiùs ostendam. Spero & confido Divinâ » Providentiâ id agi, dum præter opinionem » Rev. Vestra Romæ detinetur, ut per eam » vetus & orthodoxa doctrina Ecclesiæ de » Gratia Christi, contra occultos ejus adver- » sarios, apud Suam Sanctitatem defendatur. » Det ille fortitudinem & constantiam in » tuenda veritate Doctrinæ suæ, cujus cau- » sa agitur, Christus Dominus, idemque to- » tius nostræ salutis Autor: quem Reveren- » dissimæ Dominationi precor semper be- » nignum ac propitium. Duaci 26. Junii » 1602. Ill. & R. D. V. servus in Christo,

GUILIELMUS ESTIUS.

CAPUT QUINTUM.

Gregorius de Valentia S. Augustini contextum in solenni disputatione turpiter adulterat. Qua de re à Clemente VIII. graviter objurgatus, præ nimio pudore, mentis vertigine capitur, nec multo post animam agit. Hujus historia Veritas adversùs fabulatores vindicatur.

INcaluerunt solennes coram Pontifice Disputationes, quo tempore Guillelmi Estii lucubrationes in Urbem allatæ sunt. Octies jam in aleam venerat Gregorius de Valentia, S. Augustini ac Molinæ consonantiam circa liberi Arbitrii vires ostensurus. Res illi satis infeliciter cesserat, quippè qui toties Censorum judicio damnatus fuerat. Verùm pejore adhuc loco res fuit, ubi ad nonam disputationem in undecima Sessione ventum est, die 30. Septembris 1602. cœpitque agitari controversia: *An in libris S. Augustini legatur, constitutam esse à Deo legem infallibilem cum Christo Filio suo, ut quoties homo, solis naturæ viribus, fecerit totum quod in se est, Deus illi tribuat gratiam? vel sit de mente S. Augustini?* Cum enim opportuna satis Sanctissimi Patris testimonia tam absono figmento comprobando minimè suppeterent, textum ipsum in solenni disputatione, præsente ipso Ecclesiæ Capite, ac sacro Cardinalium spectante Senatu, turpiter ac studiosè vitiavit, ut invitum illum ac repugnantem Molinæ conciliaret.

Infra Cap. 8.

Inauditam petulantiam à Lemosio ex tempore revictam, minaci vultu repressit Clemens VIII. tantoque pudore audacem interpolatorem suffudit, ut mentis vertigine captus in terram corruerit; indeque per vim sublatus, Neapolimque salubrioris aeris necessitate missus, animam egerit.

Novi non paucos, qui tentatam à Gregorio de Valentia depravationem, in eo sitam existiment, quòd vitiatam ex industriâ S. Augustini Editionem curaverit, & in solenni disputatione laudaverit: cujus errorem productis è Vaticano Codicibus M. SS. instante Lemosio, detexerit summus Pontifex. Verùm rem longè aliter accidisse, ex ipsius Lemosii Diario discimus: ubi accurata hujus historiæ narratio, cum singulis adjunctis minutatìm recensita est. Hanc eo ex fonte in integrum referre lubet.

Tandem P. Valentia pro magno, ultimò induxerat S. P. Augustinum 19. lib. de Civit. Dei cap. 13. ad probandum quòd Deus det infallibili lege gratiam facienti quod in se est, ex solis naturæ viribus. Nam aperto libro sic legebat, & multa in locum expendebat: Deus ergo naturarum omnium sapientissimus Conditor, & justissimus Ordinator, « qui terrenorum ornamentorum maximum « instituit mortale genus humanum, dedit « hominibus quædam bona, huic vitæ congrua, « id est pacem temporalem, pro modulo « mortalis vitæ, in ipsa salute & incolumitate, « ac societate sui generis, & quæcunque « huic paci vel tuendæ vel recuperandæ « necessaria sunt, sicut ea quæ aptè « ac convenienter adjacent sensibus, lux ista « visibilis, auræ spirabiles, aquæ potabiles, « & quidquid ad alendum, tegendum, curandum, « ornandumque corpus congruit; « eo pacto æquissimo, ut quicunque mortalis « talibus bonis paci mortalium accommodatis « rectè usus fuerit, accipiat ampliora « atque meliora, & ipsam immortalitatis pacem. « *Sic enim in libro legebat, & expendebat illud verbum* PACTO ÆQUISSIMO: *dicens S. Augustinum apertè docere, quòd ex lege vel ex pacto Deus dabat dona gratiæ, & immortalitatem benè utenti, ex solis naturæ viribus, bonis illis temporalibus. Postquam autem finivit, F. Thomas cùm apud se librum de Civitate Dei non haberet, ex divino tamen auxilio efficaciter adjutus recordatus fuit in illo loco S. Augustini esse Verbum quoddam* (videlicet) *quod tamen P. Valentia, non legerat. Et sumtâ fiduciâ, Sanctissimo dixit:* Verba ista, Pater Beatissime, qua ratione « Pater Valentia permutaverit, & ablato S. « Augustini verbo, de suo aliud apposuerit, « non est meum judicare: Sanctitas Vestra « judicabit. Unum erit proprium aperire, « eum truncasse S. Augustini verba. Ne autem « dicant aliquando Patres, id esse ex defectu « codicis, præcipiat Sanctitas Vestra, ut « detur mihi idem numero liber, in quo ipse « legit: & in eo ostendam istum Patrem truncasse « verba S. Augustini, vel illa permutasse. «

Tunc facto signo à Sanctissimo, ut illius librum acciperem, accessi ad ipsum; qui librum manu tenens quodammodo retinebat, & abscondebat post tergum. Et arripiens ipsum quasi vi, dixi, Sanctissimus præcepit. *Quo accepto, rediens in priorem locum, in libro legebam totum contextum, quem ille legerat. Et veniens ad illa verba,* PACTO ÆQUISSIMO, *sic legebam:* "Eo pacto æquissimo, ut quicunque mortalis talibus bonis, paci mortalium accommodatis, rectè usus fuerit, accipiat ampliora atque meliora, ipsam scilicet immortalitatis pacem. *Sic enim textus habet. Quem cum legissem, dixi Sanctissimo:* (SCILICET) inquit, S. Augustinus, Beatissime Pater, (SCILICET) inquam (SCILICET) tertiò, dixit sine dubio S. Augustinus: & tamen Pater Valentia non legit (SCILICET) sed ablato verbo (SCILICET) loco ejus apposuit (ET.) Modò autem ostendam, ad quem finem verba permutavit. Nam posito verbo (SCILICET) est sensus Catholicus, ut Augustinus dicit: quia fit sensus planus: quòd Deus pacto æquissimo & ex justitia dat ampliora bona, scilicet immortalitatis pacem, benè utentibus ex divina gratia bonis temporalibus. At Pater Valentia, ablato verbo (SCILICET) explicativo priorum verborum, apposuit verbum (ET) & copulativè legit: quòd Deus pacto æquissimo dat ipsa dona gratiæ, & immortalitatis pacem, benè utentibus, ex solis naturæ viribus, bonis temporalibus. In quo volunt planè S. Augustinum, ipsissimum habere sensum Pelagianum: quia jam gratia ex pacto æquissimo & de justitia (hæc enim sonant verba illa *ex pacto æquissimo*) daretur naturæ operibus; & hoc volunt Augustino tribuere, quod perpetuò ipse in Pelagianis expugnavit: non attendentes quòd S. Augustinus dicit in libro de perfectione justitiæ, totam scripturam esse plenam his conditionibus, quæ tamen implentur spiritu gratiæ. *Insuper & legi regulam à S. Augustino traditam lib. 2. ad Bonifacium cap. 10. qua docet quòd quæ in Scripturis sacris à Deo hominibus præcipiuntur, in eisdem Scripturis sacris, à Deo dicuntur donari.*

Tunc dixit P. Valentia, dicit Augustinus, quod bene utenti temporalibus, dentur alia dona & gloria. Cui F. Thomas: "Non dicit sic litera; sed tantùm, quòd benè utenti temporalibus (ex gratiæ videlicet dono) dantur bona potiora, scilicet, scilicet, inquam pax immortalitatis: *Quod est dicere, quòd ex justitia datur gloria, benè utenti ex divinâ gratiâ bonis temporalibus, secundum illud Apostoli,* De reliquo reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die justus Judex." *Statim autem Sanctitas Sua dixit:* Ipse S. Augustinus se manifestè declarat in capite sequenti. *Et tunc protinus F. Thomas:* Et istum locum signatum habeo, Beatissime Pater; sic enim habet Augustinus prosecutus eandem materiam: *Sed ne ipso studio cognitionis, propter humanæ mentis infirmitatem, in pestem alicujus erroris incurrat, opus habet magisterio divino, cui certus obtemperet, & adjutorio, ut liber obtemperet.* Ecce manifestè, ut benè utatur temporalibus, pro ut expedit ad salutem, & ne propter infirmitatem illis utatur contra salutem animæ, opus habet magisterio & adjutorio divino. Et sic benè utenti temporalibus ex divinæ Gratiæ adjutorio, dantur meliora bona, scilicet immortalitatis pax. Quomodo ergo contra tam apertam S. Augustini mentem, volunt Patres S. Augustinum docere, quòd benè utenti temporalibus, ex solis naturæ viribus, dantur pacto æquissimo gratiæ dona, & immortalitatis pax, truncatâ literâ S. Augustini & ablato illo verbo (SCILICET) quod tamen totam literam manifestat. Ne autem etiam dicant Patres, me sicut & illos non rectè legere, sicut litera habet, præcipiat Sanctitas Vestra, ut unus ex assistentibus legat." *Tunc ipse Pontifex cum indignatione magnâ intuens ipsum Valentiam, manibus & gestu dixit:* Ho! *& post pauca cùm vellet Pater Valentia respondere, passus est tam potentem vertiginem, ut cadens in terram extra se totus jaceret: quem suus Generalis inclinatus conabatur elevare, dicens Pontifici quòd passus erat Pater Valentia vertiginem. Et sic cum alii accurrissent, simul cum Generali Societatis, illum levantes foras miserunt. Et sic finita fuit Congregatio.*

Turpior fuit Valentiæ casus, quàm ut à suis bonâ fide concedi possit, quibus nihil unquam fateri solenne est, quod in Societatis dedecus veniat. Lemosii igitur narrationem, non modo uti fabulam excipiunt, verùm etiam in eam, quasi tetram Sycophantiam debacchantur ac furunt. Acta ejus in scriptorum apocryphorum classem ab Innocentio X. amandata fabulantur: Augustini locum, ex lib. de Civit. Dei, ne quidem à Valentiâ ea in disputatione laudatum effutiunt, eamque propterea narrationem eodem loco habendam volunt, ac hostiæ veneno delibutæ, & à Bernardo Politiano Ordinis Prædicatorum Professore, Henrico Septimo Imperatori porrectæ fabellam. "Quamquam etiam, inquiunt, tanti momenti non fuisset Valentiæ lapsus, si vocabulum SCILICET, in ET quoquo modo vertisset: cùm & ali- *Paul. Leon. 1. p. sect. 9. Henao in 1. prot. n. 64. & 65.*

„ aliqua fortè S. Augustini editio occurrere „ potuerit, in qua ita legeretur.

Tam absonam, tam ineptam dicacitatem, solâ dicentium autoritate fultam, quis æquo ferat animo? Certè tametsi Lemosii Acta, cæteraque ad causam de Auxiliis spectantia, sic publicæ authentiæ non esse concedamus; ut ab alterutrâ parte pro earum quæstionum definitione laudari possint, quarum solenne judicium, & in suspenso positum, & in opportunum tempus ab Apostolica Sede dilatum est; satis tamen, opinor, in Præfatione demonstravimus, nunquam ea ab Innocentio X. in scriptorum suppositorum classem rejecta fuisse, sed humanæ saltem historiæ autoritate ac fide niti.

§. Duodecimo.

Nec verò usque adeò morosi sumus, quin eam etiam Lemosii narrationem, locupletissimis aliorum scriptorum testimoniis fulciamus: ne quis illum fabulam divendisse putet, ut Valentiæ nomini ac famæ detraheret. Nec domesticos Ordinis Prædicatorum testes, qui magno numero suppeterent, advocabimus, sed extraneos, quorum hac in parte nec suspecta fides, nec sublesta autoritas est.

Paul. Fasseau. Gonetus. Anony. in vani. Dyonis. Leo Wardinj. Baron.

Supremam in primis fidem faciunt Acta ipsa originalia Secretariorum & Amanuensium, qui disputationes coram Clemente VIII. habitas ex dicentium ore excipiebant. Quamquam enim Valentiæ ac Lemosii motus omnes, in superiori narratione descriptos, minutatim non referant: (nec enim eorum scrupulosior enarratio ad Secretariorum officium attinebat) duo tamen notant, quæ totius historiæ summam conficiunt; unde & cætera inferre liceat. 1. Augustini locum à Valentia fœdè ac studiosè interpolatum exhibent: atque ob id à Lemosio vehementer exagitatum. 2. Congregationem, supplicante Societatis Generali, à Clemente VIII. intempestivè ac præcipitanter solutam observant; ne Valentia mentis deliquium pateretur: quid hæc oleant, viderint emunctæ naris homines. "Veniam nunc, inquit Thomas „ de Lemos in Actis Secretariorum, ad au„ toritates Doctorum, quas produxit Valen„ tia in defensionem Molinæ. Etenim, ut „ hinc exordiar, primus quem ex libro 19. „ de Civit. Dei cap. 13. adduxit, longè di„ versum sensum habet ab illo quem P. Va„ lentia intendit. Nam ex ipso contextu a„ pertè constat S. Augustinum docere, Deum „ dare immortalitatis gloriam, hominibus „ benè utentibus, temporalibus bonis; id„ que Deum statuisse æquissimo pacto. In„ telligi autem volunt Patres Societatis, posse homines secundùm istam sententiam, „ ex solis suis naturalibus benè uti bonis tem„ poralibus. Quod si ita esset intelligendum, „ facilè convinceretur S. Augustinus turpiùs „ errasse, quàm Pelagiani. Nam isti conten„ debant prima dona gratiæ dari homini fa„ cienti quod in se est, ex solo bono natu„ ræ: quòd verò gloria daretur facienti quod „ in se est ex viribus naturalibus, nusquam „ dixerunt; sed adeptâ gratiâ per vigorem „ naturæ, per illam asserebant mereri glo„ riam & immortalitatem. At verò Pater Va„ lentia vult, posse hominem ex solis viri„ bus naturæ ita benè uti temporalibus bo„ nis, ut ex pacto divino consequatur glo„ riam sempiternam. Hoc igitur est, quod „ dico excedere Pelagianorum errorem. Pa„ ter Gregorius. Nos non sumus commen„ tati sententiam S. Augustini, sed illam fi„ deliter retulimus. Formalibus autem ver„ bis ait, quòd Deus benè utenti tempora„ libus, ex pacto æquissimo dabit alia ma„ jora dona & gloriam. Pater Thomas. Non „ ita inquit S. Augustinus, sed quòd homini „ benè utenti temporalibus, dona alia dabit „ Deus, scilicet ipsam immortalitatis gloriam „ &c. Tum demùm multis enarratis, quæ ad hujus S. Augustini loci, aliorumque Patrum ac Conciliorum interpretationem, reposuit Thomas de Lemos, congressus solutionem referunt in hunc modum. Quibus dictis, Pater Generalis Societatis " oravit S. D. Nostrum, ut modum & fi" nem imponeret præsenti disputationi: quo" niam Pater Gregorius de Valentia non re" ctâ valetudine utebatur; & periculum fo" ret, ne animi deliquium pateretur. Cujus " petitioni S. D. N. satisfecit, & imposito " silentio utrique Patri, absoluta est præsens " Actio post horam vigesimam. "

Infra cap. 14. Cong. XI.

Accedit Jacobi Bossutii istarum Congregationum Consultoris Diarium, ad diem 30. Septembris: ubi hæc eadem Historia prolixè satis recensetur, additurque, Viguerium pariter à Gregorio de Valentia eadem occasione vitiatum fuisse. Cùm enim Cap. 10. §. 4. dicat, *Deus convertit hominem ad se suo Auxilio speciali*: Ille è contra legebat: *Deus convertit hominem ad se sine auxilio speciali.*

Bossutius in Animadv. MSS. in Molina 25. Propos. ad not. 14. 1. p. C. 1.

Suffragatur quoque Franciscus Pegna, Rotæ Romanæ Decanus in Diario, ad Congregationem Undecimam. *In hac Congregatione*, inquit, *Valentia veritate victus, & justo Dei judicio, ut creditur, derelictus ab illius gratia, quam furore quodam arreptus impugnabat, deliquio animi correptus in terram corruebat. Inde eductus semper malè se habuit, & frequentibus capitis debilitatibus laboravit?*

ravit: & sub fine mensis Januarii 1603. Neapolim se contulit. Prænuntiaverat longo antea tempore vir quidam Catholicus, futurum ut patenti aliquo miraculo Deus hujus hominis audaciam esset cohibiturus.

Hoc ipsum paucis quidem sed efficacibus verbis, attestatur Cardinalis Perronius, cujus testimonium eò lubentiori animo excepturi sunt Patres Societatis, quod illum hac in concertatione, ob instantem Henrici IV. commendationem, Molinianæ Causæ addictum non ignorent. Sic enim ille in Perronianis, titulo de Gratia: * *In ea de divinis Auxiliis disputatione, quò se Jesuitæ verterent, resciebant. Valentia supra mortalium omnium sortem pudore suffusus hæsit: eoque demum præconcepto dolore confectus interiit.* Dicant, amabo, Valentiæ vindices, quis tantus ille tamque acerbus pudor fuerit; quo & in publica disputatione suffusus, & præ nimia amaritudine consumtus est?

Assentitur Alexander Ziliolus, testis hac in parte locupletissimus, quippè qui tanto in Societatem affectu ductus fuit, ut rei gestæ veritatem, quam negare non potuit, suavi condimento vanisque chimeris temperaverit. Sic porrò ille lib. 3. rerum memorabilium sui temporis. * *Anno 1603. celebres fuere disputationes de Divinis Auxiliis, inter Prædicatores & Jesuitas: quæ ante annos aliquot incœptæ, occasione libri Molinæ de Gratia & libero Arbitrio, magnâ tunc animorum contentione, uti recentioribus Theologis familiare est, tractabantur coram Pontifice Maximo, qui eas se definire omninò velle, declaraverat; tametsi rebus postmodùm maturiùs expensis, pro neutra parte pronunciaverit, relictâ disputantibus suas ut ante opiniones tuendi venia. Quanquam tamen communis opinio foret, eum in Dominicanorum potiùs quàm Jesuitarum sententiam propendisse, non tam ob majorem ejus cum Theologia scholastica principiis consensionem, quàm ob Gregorii de Valentia Jesuitæ Hispani percelebris infaustum eventum. Qui cum inter disputandum falsati S. Augustini testimonii convictus esset, pudore suffusus, intimoque dolore tactus, ad pedes Pontificis in apoplexim inciderat. Quod etsi minùs mirari liceat (cùm etiam Diodonus Cronus Dialecticus, in ipso scholæ suggestu, præ pudore interierit, quòd Stilponis Problema solvere nescìisset) ab adversariis tamen in suæ doctrinæ commendationem, instar miraculi jactatum erat. Verùm Paulus V. Clementis successor vetuit, ne Theologi ipsi de suscitatis controversiis publicè disputarent.* Non is ego sim, qui cum Ziliolo contendere velim, miraculóne, an secundùm naturam Valentiæ casus acciderit. Duo hæc mihi abundè sufficiunt: Augustini contextum ab illo studiosè vitiatum esse, eumque præ nimio pudore, in solenni disputatione concidisse.

Verùm quid alienis egemus testibus, cùm illam ipsam confessionem, ab iis etiam Jesuitis vis veritatis extorserit, qui istarum Congregationum Historiam, domesticæ causæ studio, audaciùs violarunt? Casum ita refert Philippus Brietus S. J. in Annalibus Mundi, seu Chronico Universali, tomo 7. ad annum 1602. *Major excitata est Controversia & difficilior, de Auxiliis Divinæ Gratiæ, inter Dominicanos atque Jesuitas, magno utrinque studiis agitata; cùm illi Molinæ opinionem ut hæreticam damnare vellent in Tribunalibus Inquisitionum, ubi illi præsident; hi Catholicam esse defenderent. Selecti ergo viri magni, qui coram Pontifice ac Cardinalibus, aliisque Judicibus, disceptarent: sed ardore tanto ac labore, ut ex iis nonnulli interierint.* Hic porrò scire velim, quos tacitè petat Brietus, quive ex disputationis ardore perierint? Nulla profectò in Lemosium aut Alvaresium, qui soli ex Prædicatoribus disputarunt, suspicio cadit: quos suo diu supervixisse triumpho, certissimum est. Ille quippè anno 1629. iste 1635. obiit. Jesuitam ergo tacito nomine indigitat. Hunc verò, quem alium, nisi Valentiam?

Ne igitur inverecundum Gabrielem Henao, qui invidiosas Ordini Prædicatorum fabu-

* Dans cette dispute *de Auxiliis*, tous les Jesuites ne savoient où ils en étoient. Valentia demeura le plus honteux homme du monde, & le plus confus: il en mourut de deplaisir.

* Del anno 1603. furono notabili le disputazioni Fra Domenicani e Giesuiti circa i divini aiuti: le quali incominciate qualche anno avanti, con l'occasione del libro scritto da Ludovico Molina Giesuita, in materia della Gratia è del libero Arbitrio, si trattavano all'hora conforme allo stile di Theologi moderni, con ostinate contese, dinanzi al Pontifice medesimo; che si era dichiarato di volerlo à quella volta diffinitivamente decidere: ancorche poi considerate meglio le cose non facesse dichiarazione, ne per una ne per l'altra parte, lasciando i disputanti e gl' altri nelle opinioni di prima. Benche da molti si credesse, che inclinasse più tosto à l'opinione de Dominicani, che à quella de Giesuiti, non tanto per parerli più conforme a i termini della Theologia scholastica, quanto per l'accidente occorso à Gregorio da Valenza famoso Giesuita Spagnuolo. Il quale convinto in disputando d'haver malamente citato un passo di S. Agostino, era da vergogna è da dolore caduto apopletico, dinanzi a suoi piedi. Il che da gl' aversarii (cosa pero di non tanta meraviglia, poi che Diodono Crono Dialetico morì in Cathedra da sdegno, di non poter risoluere il problema de Stilpone) era stato attribuito à miraculo, in favore dell' opinione loro. Ma Paulo V. successore di Clemente ordinò poi che di questa materia non si dovesse più disputare in publico e ne anco da gl' istessi Theologi.

fabulas obliquè refricans, Valentiæ lapsum eodem planè loco habendum ait, quo Henrici Septimi Imperatoris veneficium, ab Ordinis Prædicatorum Professore sacrilegè perpetratum. Absit ut tam immane propudium, Bernardo Politiano à malevolis tenebrionibus impactum, iis momentis inniteretur, quibus Valentiæ casum demonstravimus. Certè cùm impactam illam Religioso Prædicatori calumniam putidæ fabellæ loco ipsemet habeat, uti & reverâ habendam demonstrant Clementis V. Pontificis Maximi sententiæ, in ejus innocentiæ fidem latæ; solenne Principum Imperii judicium; Joannis Bohemiæ Regis, ipsiusque Henrici Septimi filii diploma; Episcoporum Mediolanensis, Januensis, Perusini, Lucensis & Argentinensis Epistolæ; Scriptorum denique omni exceptione majorum testimonia, judicent (per me licet) num tot instrumentis eversa fabella cum Valentiæ casu, tot argumentis asserto, conferri meritò possit. Iisdem Judicibus æquâ libertate pronuntiandum permitto, leviorisne momenti depravatio illa fuerit, ex qua contrarius omninò Augustini sensus reddebatur: numve ex Editionis vitio orta Valentiæ aberratio dici possit; qui aliter quàm ipsamet Editio ferret, legisse ac relegisse convictus est. Sed ad institutum revertamur.

Trit. in Chron. ad an. 1313. Cour. Vicer. in vita Henrici VII. Albert. Argen. in vita ejusdem. Spondan. ad annum 1313. Odericus Rayn. ibid. Serrarius Soc. J. lib. 5. Rer. Mogun. Baluzius in Misc. lib. 1.

In terram itaque prostratus Gregorius de Valentia, captusque mentis vertigine, foras eductus est: nec ultra deinceps ad Congregationes accessit. Demùm ingravescente malo, Neapolim ex Medicorum consilio ductus, die 25. Aprilis anni 1603. ex vulnere in disputationis acie suscepto, mortem obiit Gratiæ Molinisticæ Martyr. Manibus ejus benè precor: absit tamen ut tales colat Ecclesiâ Martyres.

Præproperæ mortis nuntium didicit Clemens VIII. quo tempore cum Cardinali Nepote suo Petro Aldobrandino, familiari colloquio tempus duceret. Conticuit aliquandiu Eminentissimus Nepos, Pontificis ea de re judicium auditurus. Tum captâ fiduciâ, tacentem illum interrogavit, quid sibi de Valentiæ animâ, quid de illius æterna sorte videretur? Cui subridens ille respondit: "Si non aliam habuit gratiam, quàm quæ ab ipso defensa est, non pervenit usque in cœlum. *Se non ha havuto altra gratia di quella che ha difesa, non sara andata in paradiso.* Jocosum quidem, sed interim notandum Pontificis dictum! Ridendo enim dicere verum, quid vetat? Non absimili festivitate ac lepore, post elapsos dies aliquot, Thomam de Lemos

Ex Epist. Leon. de Lexe ad Dom. Marchos.

per jocum circumvenit Cardinalis idem, dum in illum fortuito casu incidisset. "Pater Lemos, inquit, Pontifex vult te Irregularem declarare, quia P. Gregorium de Valentia occidisti. *Padre Lemos, il Papa vi vuole dichiarar irregolare, per che havete ammazzato il Padre Gregorio di Valenza.* Respondit eruditè, perinde ac religiosè, optimus Pater: "Non occidi ego, sed Pontifex, qui ab irregularitate immunis est. Quin immò dicamus ab illo occisum fuisse Augustinum, cum ejus propositionem à se corruptam allegarit. *Non l'ho ammazzato io, ma il Papa, quale non e capace d'irregolarità: ò pure dichiamo che egli ha ucciso S. Agostino, per haver portato falsamente la sua propositione.* Adeo scilicet apertè res erat, ut ludis palàm ac facetiis circumferretur.

CAPUT SEXTUM.

Gregorio de Valentiâ sufficitur Petrus Arrubal. Hic novis strophis Congregationes identidem intermitti curat: ac tandem aliis concedit disputandi locum.

PUblica de Valentiæ casu fama, non Urbem modò, verùm & Hispaniæ fines quantociùs peragravit: multique causam eo eventu finitam existimarunt. Accepto rei nuntio, Rex Catholicus novas nomine suo supplicationes pro Apostolica definitione fieri jussit. Suo in Romana Curia Oratori scripsit in hæc verba.

DUX DE SESSA ET VAENA, CONSOBRINE. Summa animi voluptate, ex Epistolis tuis datis die 9. Octobris, didici Sanctitatis suæ studium in expendenda Divinorum Auxiliorum Controversiâ: nec non futurarum disputationum argumenta, propriâ ipsius manu scripta, quæ Consultoribus ac Disputantibus tradi jussit. Et quidem tantæ necessitatis definitio est, tantique momenti præsentium controversiarum Judicium Apostolicum, ut nihil magis. Idcircò sanctè & religiosè in iis finiendis à Sanctissimo Patre labor impenditur. Nomine itaque meo ipsius Sanctitati significes, negotium hoc omninò urgendum esse, nec inde manum retrahendam, donec ex integro conficiatur. Immò etiam quavis data occasione, idem ipsi in memoriam voces, meque identidem moneas, quo loco res constitutæ sint. Donec enim rem planè confectam videro, irrequietâ sollicitudine crucibor. Datum in Turri Syllana die 3. Decembris 1602. EGO REX.

D. Petrus Franqueza.

Regis Epist. ad Ducem de Sessa, ex Hispano Latinè data.

Nec dum tamen causa judicio matura visa fuit. Gregorio de Valentia in Molinæ defensione successerat Petrus Arrubal, qui suas illi jam pridem devoverat operas, dum coram solis Censoribus Controversia verteretur. Aliquot hebdomadum inducias rogaverat, pro uberiori controversarum quæstionum notitiâ comparanda. Hincque effectum est, ut prima post Valentiæ casum disputatio non nisi die 18. Novembris habita sit. Hac itaque die cœpit Petrus Arrubal Generali suo ad publicos congressus comes adjungi: donec Generalis ipse, capitis vertiginem causatus, die 9. Decembris adesse desiit, aërisque salubrioris desiderio Tusculum secessit.

Ex Collat Pegna. Molinæ partes pro viribus egit novus Actor, conatu nihilominùs irrito. Tam infaustus disputationum exitus fuit, ut recurrente mense Februario anni 1603. animo planè desponderint Societatis amici ac familiares, nec ultra contendendum ac disputandum judicarint. Istud Generalem Præpositum Tusculi agentem assistentes monuerunt: qui Romam continuò reversus, Clementem VIII. adiit, rogans ne ultra concertationes haberentur; totiusque Causæ exitum Sanctitatis Suæ prudentiæ & equitati commisit. Veniam etiam Neapolim petendi postulavit, ut incommodæ valetudini aëris immutatione mederetur, Gratiæque Molinisticæ Martyri, extremum agonem agenti, justa persolveret.

Responsum in diem alteram distulit Summus Pontifex, & dilatis interim disputationibus, illum unâ cum assistentibus reverti jussit. Reversi itaque stata die, idem secundò rogarunt, pronamque in omnibus obedientiam spoponderunt. Verùm timuit prudentissimus Pontifex, ne si missis disputationibus controversiam definiret, se & minùs auditos, & minùs expensa causæ merita, Jesuitæ palàm effutirent. Id enim præteritarum rerum usus maximè verendum docuerat: cùm nec audiri se, nec momenta sua expendi, eo ipso tempore quererentur, quo tum scripto, tum verbo, qualibet hebdomadâ audiebantur. In eorum igitur vota minimè descendit: sed intermissos congressus die 14. Aprilis resumi voluit, ne qua eis novæ querimoniæ ansa suppeteret.

Obstipo capite Pontificis jussa excepit Petrus Arrubal, rursusque in arenam venit pro domesticæ causæ defensione; donec novo interveniente casu, animo concidit. Die scilicet 9. Julii 1603. Clemens VIII. eruditam lucubrationem, suæ de controversis quæstionibus sententiæ testem vulgavit, quam uti pendentis causæ præjudicium exceperunt universi. Prædicatorum sententiam de efficacia Divinæ Prædestinationis & Gratiæ ad 15. Articulos revocatam, & innumeris S. Augustini testimoniis confirmatam, complectebatur. Nihil tamen eo Scripto definiebat, sed quam in partem inclinaret, aperiebat: ut in futuris Congregationibus expenderetur, An S. Augustini mentem feliciter attigisset. Idcircò lucubrationem suam eâ subscriptione concluserat: *An ista sit doctrina S. Augustini in materia Gratiæ? Clemens Papa VIII.* *Infra cap. 8. & in Append.*

Scriptum hoc in malum omen accepere Molinæ Vindices. Viso illo præ doloris acerbitate in febrim incidit Petrus Arrubal. Bastida verò, qui Generalis vices in Congregationibus identidem egerat, eodem ac ipse vertigine agitari cœpit; adeò ut publicum in Urbe scomma, Scripti hujus Pontificii occasione, volitaret: *Dominus miscuit in medio ejus Spiritum vertiginis, & errare fecit Ægiptum in omni opere suo.* *Isaia 19.* Indictis die 21. Julii Disputationibus se negarunt, infirmitatis titulo; easque propterea ad mensem Novembrem differre necesse fuit. Atque illo etiam tempore, pristinæ licet valetudini restitutus Arrubal, interesse noluit: quòd nullam sibi defendendæ Molinianæ causæ viam superesse cerneret. * *Die 20. Julii* (inquit Illustrissimus Pegna in suis ad Regium Confessorem Epistolis) *Congregationem indixit Sanctissimus Pontifex ad diem 21. mensis ejusdem: tametsi re ipsâ habita non est, ob petitam infirmitatis causâ, à Molinæ defensoribus, excusationem. Ac re verâ quidem Pater Arrubal febri continuâ tenebatur: Bastida verò capitis vertigine laborabat. Quanquàm verò febris Arrubalem liberum reliquerit, ad Congregationem nihilominus accedere noluit; quod (ut publicâ famâ circumfertur) omninò nesciat, qua parte Molinæ causam tueri possit.*

Displicuit Hispaniarum Oratori tanta disputationum dilatio. Pontificem adiit die 30. Augusti 1603. Maturandæ definitionis necessitatem, ac imminens ex dilatione periculum efficacissimis verbis aperuit. Respondit Pontifex, se in eam curam totis viribus incumbere; à disputationibus tamen

* A los 20. de Julio, Su Santidad mando intimar la Congregacion para los 21. del mismo; aunque no se hizo, por averse escusado los Padres defensores de Molina, alegando su enfermedad. Y era assi que el P. Arrubal estava con calentura continua; y Bastida con vaidos de cabeça. Y aunque al P. Arrubal le ha dexado la calentura, nunca mas quiso volver à la Congregacion: y dicese publicamente, que es per que no vee modo seguro, para poder defender à Molina.

tamen abstinuisse, partim ob æstatis inclementiam, partim ob frequentes calamitates, quibus Societas à mensibus aliquot jactata fuerat. Ea de re Regem Catholicum per literas monuit die sequenti: * *Respondit Sanctitas Sua, se in id totis viribus incumbere. Quin etiam testem memetipsum appellavit, cui planè perspectum esset, quantam in eo posuisset operam, ac etiamnum quotidie poneret. Addidit, se miseratione commotum, ob Patris Generalis & Arrubalis ægritudinem, Congregationes aliquantulum intermisisse: maximè verò ob Gregorii de Valentia, cujus in locum Arrubal subintraverat, recentem obitum.*

Sollicitudines duplicavit Excellentissimus Orator sub legationis suæ finem. Pro diligenti Controversiæ tractatione denuò supplicavit Tusculi, mense Octobri, dum in Hispaniam recedendi veniam petiit. Nec minori zelo, eam urgendæ identidem definitionis Apostolicæ provinciam dedit Marchioni de Villena, suo in Romana legatione successori; dum Centumcellis in mutuum congressum venere: quasi id unum præ cæteris Regi Catholico cordi esset.

Interea Rex Catholicus, auditâ Congregationum intermissione, novas propriâ manu scriptas Epistolas dedit ad Clementem VIII. rogans ne ultra pendentis causæ judicium procrastinaret; quod unum Societatis in votis esse didicerat. Ita porrò scripsit.

BEATISSIME PATER.

Regis Epist. ad Clem. VIII. ex Hispano Latinè datur. „ Sæpiùs Sanctitati Vestræ nomine meo „ exposuit Dux de Sessa, quàm necesse sit, „ ut Auxiliorum controversiæ, in qua Præ„ dicatores cum Jesuitis committuntur, fi„ nem imponat. Quanquàm autem mihi ipse „ rescripserit, quàm ardenti desiderio id ve„ lit Sanctitas Vestra, quamque indefesso „ studio Congregationibus habendis allabo„ ret: cum tamen mala in dies suboriri, Ec„ clesiamque Catholicam schismatis periculo „ committi sentiam, nisi Apostolicâ defini„ tione provideatur; idcircò Sanctitatem Ve„ stram omni qua possum contentione & ar„ dore, pro rei magnitudine, deprecor, ut „ Controversiam, posthabitâ quacunque „ dilatione definiat; pacem Ecclesiæ conci„ liet; cunctosque fideles imminentis peri„ culi metu commotos soletur. Qua de re „ distinctiùs & fusiùs vobiscum aget Orator „ meus, cujus fidei cuncta committo. Deus „ pro votis Sanctitatem Vestram sospitem habeat. Datum del Pardo 24. Novemb. „ 1603. Vestræ Sanctitatis humillimus ac „ devotissimus filius, PHILIPPUS Dei Gra„ tiâ Rex Castellæ, Aragoniæ, Leonis, „ utriusque Siciliæ, Hierosolymorum, Lu„ sitaniæ, Navarræ, & Indiarum; qui ip„ sius Sanctissimos pedes ac manus deoscu„ lor. „

Novo Oratori animos dedit tam ardens Religiosissimi Principis supplicatio. Instavit & ipse diligentiùs; tametsi à decima die Novembris Congregationes resumtæ essent, aliique Athletæ Ferdinandus de Bastida & Joannes de Salas, post Arrubalis retrocessionem, pro Molinâ in aciem venissent. Quia provectior Summi Pontificis ætas, frequentibus infirmitatibus intercisa, Romanam Curiam in gravissimum imminentis ejus obitûs metum induxerat: nec alius futurus facilè sperabatur, qui æquè in hisce controversiis versatus esset.

CAPUT SEPTIMUM.

Novi Molinæ Vindices varias artes meditantur, ut Pontificiam definitionem eludant: eamque interveniente Pontificis obitu, re ipsâ effugiunt.

UBi primùm novi Molinæ vindices in ejus defensionem venere, dilationes cæterorum more quæsierunt. Ingenitum illud procrastinandi studium auxit pervulgata cujusdam Astrologi de Clementis VIII. fortunâ vaticinatio: quâ futurum illum Cardinalem, tum Romanum Pontificem, annisque duodecim regnaturum prænuntiaverat. Cum enim ineunte anno 1604. Pontificatus ejus duodecennium expleretur, summa Societati effugiendi Judicii spes effulserat; dummodo Pontificem Maximum, aliosque pendentis controversiæ Cognitores, lentâ mora detinere possent. Hìc igitur opus, hìc labor fuit, nec sine dolo tentatus. *Pet. Matt. in Hist. 7. annorum pacis lib. 7. narr. 4.*

Disputationem die 3. Decembris 1603. habendam, triduo in antecessum indixerat Clemens VIII. Hanc illi, speciosæ excusationis obtentu, differri supplicarunt. Quod ne forte Sanctitas ejus grave ferret, Nepotes illius ea ipsa die magnificis epulis exceperunt; quasi eâ dumtaxat implendæ urbanitatis necessitate Disputationi se negassent. Duas ille quæstiones, pro ejusdem Disputationis argumento identidem designa-

* Su Santidad me respondio, que à el se le dava tan grande cuydado, como es razon; y que sabia de la manera que ha trabajado, y trabajava en ello. Y que si estos dias ha dexado de continuarlo, ha sido por la compassion, que le han hecho la enfermedad del P. General y del P. Arrubal de la Compañia, que tratan deste negocio. Mayormente aviendo se muerto pocos meses ha el P. Valentia, en cuyo lugar entro este otro.

designabat: ad unicam illi consultò respondebant, ne causa expeditè conficeretur. Orationes quâ majori posset brevitate habendas jubebat; prolixitatem illi studiosiùs affectabant. Quæ res tantam Summo Pontifici dedit offensionem, ut in solenni Congressu, die 20. Januarii celebrato, palàm exclamarit: *Che volete ci amazzare con la vostra longueza?* Ut quid vultis vestrâ nos prolixitate obruere & enecare.

Verùm dum se fanaticis Astrologorum auguriis delusos experti sunt viri boni, annumque Pontificatus tertium-decimum à mensibus aliquot inchoatum viderunt, novas procrastinandi vias iniere.

Paulum Benium Eugubinum in hanc litem intulerunt, qui Clementi VIII. dirimendæ Controversiæ modos rationesque suggereret. Erat is Poëta eximius, publicus eloquentiæ Professor in Academia Patavina, qui Poëticam Aristotelis egregiis Commentariis illustravit; Poëticam Platonis ex variis ejus Dialogis collegit; variasque id genus in Homerum & Virgilium lucubrationes adornavit; quæ illum humanioribus litteris, ut publicæ professionis munus postulabat, insigniter perpolitum ostendunt. At tantùm erat à Theologicis studiis alienus, quantum ab Apostolis Musæ distant; aut à Parnasso, Porticus Salomonis. Pro ea quæ Poëtis ingenita est, quidlibet audendi potestate, librum vulgavit anno 1603. sub hoc titulo: *Qua tandem ratione dirimi possit Controversia, quæ in præsens de Efficaci Dei Auxilio & libero Arbitrio, inter nonnullos Catholicos agitatur. Ad Sanctissimum & Beatissimum Clementem VIII. Pontificem Maximum.* Fama fuit, eum non opus quidem edidisse, sed suum potiùs Editori vendidisse nomen: neque enim aut ejus ingenium, aut eloquentiam referebat. Ut ut est, si vendidit, pecuniam certè novo usuræ ac lucri genere auxit, anno evoluto. Romam quippè vocatus, gravissimam animadversionem subiit. Liber Pontificis jussu, ob recusos Pelagianos errores, damnatus, ac jussu etiam Inquisitionis Generalis flammis addictus est. Tametsi id non ita citò factum, quin ejus exemplaria quammulta Francofurtum pervenerint, ab hæreticis avidè coemta, ut suas in Ecclesiam calumnias confidentiùs instaurarent. Damnationis Edictum ad consueta Urbis compita affixum est, ut hìc habes.

Ex scripto D. Armach. in Append. & Lemosio tom. 1. tract. 6. cap. 2.

„ Edictum Magistri S. Palatii Apostolici.
„ Nos F. Joannes Maria Brisighella Magi-
„ ster S. Palatii Apostolici, Judex Ordina-
„ rius, &c.

De expresso Mandato S. D. N. Papæ " Clementis VIII. prohibemus Librum cui " titulus: *Qua tandem ratione dirimi possit* " *Controversia, quæ in præsens de Efficaci Dei* " *Auxilio & libero Arbitrio, inter nonnullos* " *Catholicos agitatur: Ad Sanctissimum & Beatissimum Clementem VIII. Pontificem Maximum, Autore Paulo Benio Eugubino, inter* " *Patavini Collegii Theologos minimo. Impressum Patavii in officina Laurentii Pasquati, anno* " 1603. Omnibusque qui illum fortè habuerint jubemus, ut quàm primùm ad " Officium nostrum afferant. Datum in Palatio Apostolico, die 15. Maii 1604. F. " Joannes Maria Brisighella qui supra, manu propria. Pro D. Paulo Spada Notario, " Stephanus Spada Substitutus. Romæ in " Typographia Rev. Cameræ Apostolicæ " 1604. "

Inter hæc, cœpit magnis studiis tentari Controversiæ compositio; cujus se sequestrum exhibuit Ferdinandus Comes, datis ad Clementem VIII. Epistolis. Oblatas conditiones audire noluit prudentissimus Pontifex, ratus eam non esse controversiarum fidei sortem, ut bona gratiâ componi valeant. Cæterùm cùm ad demerendam illius gratiam nihil se deinceps typis daturos Jesuitæ spopondissent, quod S. Thomæ doctrinæ adversaretur; eos interim hac lege stare voluit, eaque dumtaxat conditione liberam eis fecit imprimendi veniam. Decretum sub hac forma prodiit die 29. Aprilis 1604. *Lecto Memoriali Patrum Jesuitarum, Sanctissimus annuit concedi licentiam eisdem Patribus, ut libri imprimantur in Hispania & Lusitania, absque eo quod priùs mittantur revidendi ad Urbem, observatis limitationibus in Memoriali expressis. Primò ut scripta super materia Efficaciæ Gratiæ & aliis materiis jurisdictionis Ecclesiasticæ, mittantur ad Urbem antequam imprimantur. Secundò ut scripta quæ clarè sunt secundùm doctrinam D. Thomæ possint liberè imprimi: quæ verò sunt dubia, an sint secundùm doctrinam S. Thomæ, priùs mittantur ad Urbem censuranda, antequam imprimantur.*

Exstat in Coll. Lemosii.

Rejectis ergo amicæ compositionis conditionibus Causa summo jure propè diem finienda erat, nisi subortæ difficultatis scrupulus obsuisset. Clementi VIII. per interpositos amicos insusurrarunt, Pontificiam autoritatem in discrimen eo judicio adductum iri: Hispanos Apostolicæ definitioni intercessuros, si contra Societatis doctrinam aliquid decerni contingeret: non paucos, pro sua in Molinam existimatione, apertè repugnaturos: nonnullos etiam suis præjudiciis occupatos, in Prædica-

dicatorum sententiam, nullâ unquam autoritate adduci posse. *Cavi spirabant mendacia folles*, ut properantis Pontificis cursum retardarent.

Verùm artes illas diffuit Hispaniarum Orator. Matritum ea de re scripsit sub finem Junii: Regem monuit, summum Pontificem novo metu concussum, ac de ferendi judicii exitu minùs certum, animo fluctuare: verendumque quàm maximè, ne eâ Jesuitarum machinatione totus Congregationum istarum fructus evanesceret. Respondit Rex Catholicus, nihil esse quod æquâ ratione timeri posset: seque supremâ autoritate, atque etiam si opus esset districto gladio curaturum, ut Apostolicæ Definitioni parerent universi. *Su Magestad le prometia* (inquit Clarissimus Pegna) *que en todas sus Tierras, Reynos y Dominios, mandaria con puntualidad y rigor guardar su Apostolica declaracion, tomando las armas, y serviendose de la espada, si fuesse menester, contra los inobedientes.*

Promisit Sua Majestas curaturam se ut Definitio Apostolica exactè ac in rigore observetur per omnes suas Regiones, Regna ac Ditionem ac etiam, si necesse fuerit, arma sumturam ac proprio pugnaturam ense contra rebelles.

Optimo Pontifici fecit animum tanti Principis religiosa promissio. Oratorem, Regiæ voluntatis obsidem, grato animo ad audientiam excepit, die 28. Augusti 1604. spopondItque rem se quantociùs confecturum. Tam solenni pollicitationi fidem addidit die 27. Novembris, qua rursùs Oratorem ad solennem audientiam admisit. Ei quippè pro causæ definitione ardentiùs supplicanti, respondit Sanctitas Sua, "Probari sibi quam maximè supplicationem illam, remque se certissimè confecturam; atque etiam longè citiùs, quàm aliqui fortassis existimarent: *Su Santidad le respondio*, inquit idem Pegna, *que le era muy grata aquella instancia, y que lo haria y concluyria, quiça mas presto de lo que algunos pensavan.* Consilium confidentiùs aperuit Cardinali de Monopoli, sibi præ cæteris intimo ac familiari; aitque, in proposito sibi esse, Diploma Pontificium adversùs Molinianos errores, in pervigilio Pentecostes, ad primas Vesperas promulgare, ac simul Thomam de Lemos, in reportatæ Victoriæ præmium sacro Cardinalium Senatui adjungere.

Promissis respondebat sincera voluntas: at ne responderit exitus, obstitit rerum omnium Arbiter Deus; cujus inscrutabilia sunt judicia & investigabiles viæ. Congregationes solitò frequentiores habere cœperat, ad finem usque Januarii 1605. ut causa ferendo judicio maturesceret. Mox Prædicatoribus ac Jesuitis significari jusserat, ut ad proximam Congregationem, de prolixiori Scripto suo, quindecim articulis distincto, disputaturi accederent: quòd ea ultimâ concertatione, rei totius examen absolvere vellet. Verùm Jesuitis inducias pro more suo postulantibus, Congregationem distulit in mensem alterum. Fatalem heu nimium dilationem! Sed quis novit tempora vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate? Gratiæ controversias dirimere meditabatur, & ad Gloriæ requiem vocabatur. Lethali quippè morbo correptus die 14. Februarii, cogitationes suas omnes in Dei manibus condidit. Sacramenta morientibus dari solita, religiosè accersita, singulari pietate suscepit. Effusis precibus ac lacrymis divinam clementiam efflagitavit. Ac demum die 3. Martii, sub mediam noctem, mortalitatis contubernium, Pontificatu non tam diuturno quàm gloriosè gesto clarus, deseruit.

Restat ut quinti hujus examinis Congregationes, sub Clemente VIII. celebratas, distinctiùs & minutatim referamus: quæque in illis disputata, gesta, sancitaque sunt, ex Secretariorum Commentariis, quâ majori brevitate poterit, recenseamus.

CAPUT OCTAVUM.

Referuntur Quinti hujus Examinis Congregationum Acta: atque ipsa in primis Disputationum argumenta à Clemente VIII. designata.

FUerunt hoc in Examine Congregationes sexaginta-septem, præsente Clemente VIII. celebratæ: ex quibus ne vel unam reperire est, in qua secundùm Molinam, & communem Societatis doctrinam judicatum sit. E Censoribus duo duntaxat, nimirum Aquilanus Episcopus & Antonius Bovius, probabilitatis titulo Molinæ adstiterunt. Plumbinus qui partes ejus superiori examine tenuerat (si unam alteramve Congregationem exceperis) à pristinâ sententiâ discessit, & cum reliquis in damnationis sententiam venit.

Congregationum porrò hic ordo fuit. Disputationum argumenta, prout difficultatum necessitas postulabat, à Summo Pontifice designabantur, atque à Secretariis ad Consultores & Theologos, pro utraque parte disputaturos, diebus in antecessum aliquot afferebantur. Suas utrique Theologi responsiones parabant, quas statâ die in publico Congressu, de scripto recitabant. Quæcunque verò ad argumentationes urgendas, confutandas aut diluendas utrinque supererant, ex tempore atque

afflan-

afflante Minervâ, scholastico more proferebant. Postmodum dimissis Prædicatoribus & Jesuitis, residui cum Summo Pontifice & Cardinalibus Inquisitoribus Consultores de disputata difficultate judicabant. Quod ultimum ad sextam usque Congregationem dumtaxat servatum fuit. Cùm enim animadvertisset Sanctissimus Pontifex, ob Disputationum prolixitatem non satis plerumque temporis superesse, ut ex tempore pro ferendo judicio inter sese maturè dissererent Consultores; sanxit ut in posterum speciales pro ferendo judicio Congregationes haberentur, ad quas soli cum Summo Pontifice & Cardinalibus Inquisitoribus Consultores accederent.

Disp. 4. de Scien. med. Hinc obiter videas, quæ sit Francisco Annato Societatis Jesu præstanda fides, dum de gravi supercilio, quasi rerum istatum scientissimus esset, audacter pronuntiat: *Liquet Congregationes hujusmodi nequaquam habitas more judiciorum; ita ut post causam utrinque disceptatam, Censores convenirent cum Pontifice, singulorumque suffragia inquirerentur.* Immò ridendus magis, qui in hisce rebus adeò peregrinus fuit & hospes, ut rem sole clariorem, abnutivo unius Perronii silentii argumento oppugnare aggressus sit: quòd scilicet ille rerum gestarum seriem Henrico IV. sæpiùs scribens, nihil de latis judiciis scripserit. Sic enim ratiocinari solet, *Gens mentem pasta chimeris.* Errorem sodalis sui Ripaldæ lectione emendasset, si eum consulere libuisset, tom. 2. disp. 113. sect. 12. num. 124. *Finita*, inquit, *disputatione egrediebantur foras Generales cum sociis, continuoque in eadem Congregatione Censores coram Pontifice & Cardinalibus de re utrinque disserta censebant, scribente Censuram Secretario, & sub gravibus pœnis secretum omnibus præcipiente Pontifice. At post Congregationem septimam, usque ad ultimam, una cum disputatione Theologorum dissolvebatur tota Congregatio, dieque proximè sequenti Censores designati ad censuram rei die præcedenti examinatæ conveniebant.*

Sed & illud risu longè dignius, quod Annatus idem, lib. 8. sui Augustini vindicati, cap. 4. sub finem, Augustino insultabundus obtrudit; quasi non Molina suus, sed ille coram Clemente VIII. ad examen vocatus esset: *Nam quod objicere solent*, inquit ille, *Clementem VIII. jussisse tempore disputationum de Auxiliis, ut Augustini potissimùm sententia inquireretur, facile solvitur. Neque enim id præcepit eo præjudicio, quasi nefas duceret ulla in re dissentire ab Augustino, repudiatâ etiam Cælestini distinctione illa, inter propositiones quas esset & quas non esset opus adstruere. Neque idem est, velle ut disputantes Augustini sententiam inquirant, & velle omninò ut in omnibus eam sequantur.* Lepidum sanè Pontificiæ voluntatis interpretem? Non ergo, si Annato credimus, sedit hoc in judicio arbiter Augustinus ac Judex, sed ut reus judicandus venit, manumque ferulæ supposuit? Heu quàm ima summis atra dies miscuit! Ille ille Conciliorum quondam os ingeniumque, sua nunc turpiter sede dejectus, causam coram Pontifice cum Molina suppliciter dicet? Proh superi, mites animos! Num hæc Clementis VIII. mens fuerit, ex ejus præmissâ publicis disputationibus Augustinianæ doctrinæ commendatione videamus. "Quamvis, inquit ille, nemini nisi Deo rationem reddere debeam mearum actionum, dicam tamen impræsentiarum rationes, propter quas adstringere statui totam hanc disputationem ad normam doctrinæ Augustini de Gratia. Prima est quod si, teste B. Prospero, ferè initio libri contra Collatorem, viginti annorum spatio acies Catholicæ Ecclesiæ ita dimicavit pro gratia contra Pelagianos, ut tandem Augustino duce vicerit; oportet etiam ut in causa consimili eumdem ducem agnoscamus, & sequamur. Secunda est quod idem Sanctus nihil videatur prætermisisse eorum, quæ ad præsentes controversias pertinent. Hæc Tertia tandem ratio est, quòd cum multi Pontifices & Prædecessores nostri, doctrinæ S. Augustini tam acres fuerint assertores ac vindices, ut quasi hæreditario jure eam in Ecclesia relinqui voluerint, æquum non est ut patiar illam hac hæreditate privari. Hocne est, amabo, quod obtendit Annatus, noluisse Clementem, ut agitandæ controversiæ judices Augustini doctrinam *in omnibus sequerentur?* *Clemens VIII. ad Congregationem ex Auxiliis Cardinal.*

Suffragatur Clarissimus Bossutius in suis MSS. Animadversionibus in XXV. Molinæ propositiones cap. 1. ad notam I. ubi Molinæ adversùs S. Augustinum irreverentiam reprimens, oppositis encomiis nonnullis, quibus Sanctum Doctorem ornaverunt SS. Patres, sic sermonem claudit: *Ex quibus omnibus & aliis, quæ qui scribunt de hac re, proferunt in medium, satis evidens est, neminem à sententia Augustini posse discedere, qui non simul discedat ab Ecclesia totius consensu, tot tantorumque Pontificum Decretis confirmato. Hinc est quod augustæ memoriæ Papa Clemens VIII in prima Congregatione...... in hanc sententiam peroravit:* Quamvis &c. Relatisque tribus illis rationibus, propter quas universam de Auxiliis divi-

divinæ Gratiæ controversiam ad mentem S. Augustini expendi volebat Clemens, hæc subjicit: *Et ita mansit fixus in hac resolutione, ut cum sequentes Disputationes voluerit fieri more Rotali (in illo enim Romano integerrima Rota judicio causa in quibus aliquid difficultatis est, proponuntur per dubia, quasi dicas, Quæstiones antequam terminentur) singula penè dubia quæ proposuit disputanda postulabant, An articuli excerpti ex Molinæ doctrina essent apud S. Augustinum, aut secundum doctrinam & mentem illius.*

Sed audiat Annatus, si quidem illi Actorum & Consultorum verba fortasse displicent, Concellitam suum P. Sherlogum, sub Pauli Leonardi larvâ latitantem, in Apologia pro Scientia-media, parte 2. num. 39. *In disputationibus Romæ agitatis, coram Sanctitate Clementis VIII. & Pauli V. sæpè & diligenter interrogatum est, de mente S. Augustini, quòd eo spectatim in genere quæstionum exploratum esset, ab iis optima proferri, quibus tantùm divinæ Gratiæ hyperaspistes faveret. Quare anno 1602. tractatum, Quis majores vires ad bonum libero arbitrio tribuat: an Augustinus, an Molina? Continetur ille articulus septem quæstionibus: in quibus singulis, de mente Augustini disceptatur, cum Molina &c. Ex quibus liquet, altercationis penè omnem scopum fuisse, quidnam Augustinus sentiret.* Verùm quid ego hæc moror? Ipsa satis præsentis Historiæ lectione compendio res agitur.

Quinti hujus examinis Congregationum Acta duplici volumine complexus est Fr. Gregorius Coronellus, earumdem Secretarius. Primo, disputationes omnes, Censorumque usque ad decimam-quartam Congregationem, judicia comprehendit. Exstat Originale in Angelica Augustiniensium Bibliotheca, num. 1. sub hoc titulo: *Disputationes habitæ à Patribus Dominicanis & Societatis Jesu, super doctrina Molinæ de Auxiliis, habitæ coram S. D. nostro Clemente Papa VIII. ab anno 1602. usque ad annum 1605.* Altero volumine lata judicia ad finem usque complexus est. Exstat Originale in eadem Bibliotheca sub signo ✠. Ex hoc duplici volumine universa summatim atque compendio repetam, quæ de quinti hujus examinis Congregationibus dicam.

Primum Scriptum Clementis VIII.

Seu primum Disputationis Argumentum ab ipso propositum.

Die 14. Februarii 1602. Consultoribus, atque Ordinum Generalibus sequentes Articulos transmisit, pro futuræ disputationis Argumento.

Articulus primus.

Quis majores vires ad bonum libero arbitrio tribuat; an S. Augustinus, an Molina?

Articulus Secundus.

An in libris S. Augustini legatur, constitutam esse à Deo legem infallibilem, cum Christo Filio suo, ut quoties homo solis naturæ viribus fecerit totum quod in se est, Deus illi tribuat gratiam? vel id sit de mente S. Augustini?

Secundum Scriptum Clementis VIII.

Die 20. Martii absolutâ primâ Congregatione, de consilio DD. Consultorum, judicavit Clemens VIII. latiùs patere propositum Disputationis argumentum, nec facilè Molinianæ doctrinæ difficultates eliquari posse, nisi circa præmissos Articulos, speciales quædam Molinæ propositiones notarentur, de quibus minutatim in futuris Congregationibus quæreretur, An cum Augustini doctrina convenirent? Idcircò die 20. sequens Rescriptum per Secretarios Prædicatoribus, & Jesuitis tradi jussit.

« Patribus Generalibus Ord. Prædicatorum & Societatis Jesu, de ordine expresso S. D. N. Papæ Clementis VIII. jubetur, ut sequentes propositiones Molinæ conferant cum doctrinâ S. Augustini, & scripto consignent loca omnia ejusdem S. Doctoris, ex quibus illas vel impugnari vel defendi posse putabunt. »

Circa Articulum primum.

« Quis majores vires ad bonum libero arbitrio tribuat; an S. Augustinus, an Molina. »

Prima Propositio Molinæ cum S. Augustino conferenda.

« Cum solo concursu generali Dei, absque alio dono vel auxilio Gratiæ, potest homo efficere opus bonum morale, quod fini naturali hominis accommodatum, atque comparatione illius, sit verè bonum & virtutis opus: non tamen quod fini supernaturali sit accommodatum, quódque comparatione illius bonum simpliciter ac virtutis opus dici queat.

« *Ita habet q. 14. a. 13. disp. 5. & in disput. 19. m. 2. §. ult. ait*: Autores hujus sententiæ (videlicet, quòd possit homo resistere cuilibet particulari tentationi sine gratiâ Dei) consequenter affirmant, nullum esse in singulari opus bonum morale merè naturale, quod homo naturæ lapsæ cum solo concursu Dei generali non possit efficere: id quod Sotus & Ruardus expresè asse-

» asserunt. Etenim si difficillimum, quale » est mortem subire, ne mendacium proferat, Anselmi sententiâ potest præstare; » majori cum ratione poterit cætera efficere, » in quibus minor longè est difficultas.

Secunda Propositio Molinæ.

» Propositis & explicatis his, quæ credenda sunt, adhibitis insuper argumentis, » quæ afferri solent, ut homines meritò sibi » persuadeant, ea revelata esse à Deo, & jussa » credi, & denique accedente externâ vocatione ad fidem per Concionatores, aliosque Ecclesiæ ministros, in facultate liberi » arbitrii est, cum solo concursu generali » Dei, rebus propositis assentiri, tanquam » à Deo revelatis, actu tamen qui sit merè » naturalis, quique ex parte intellectus non » sit satis ad justificationem. *Disp.* 7. §. 5. » *&* *sequ.*

» *Et disput.* 8. §. Ex dictis, *inquit*: Neque » enim ob eam causam necessariò ponendus » est (habitus supernaturalis) ut intellectus » faciliter assentiatur contra intellectus duritiem, & discretè contra intellectus errores; » neque item ut actus assentiendi sit certus » & firmus certitudine & firmitate ex parte » credentis. Hæreticus namque potest firmiùs illo modo assentiri, non solùm articulis fidei, sed etiam suis erroribus, quàm » multi fidelium assentiantur per fidem infusam veritatibus Catholicis. Sed ideò necessariò constituendus est, quoniam ad illos actus eliciendos, ut fini supernaturali » sunt accomodati, & quales ad salutem sunt » necessarii &c.

Tertia Propositio Molinæ.

» Cùm quis edoctus fuerit, supernaturalem » assensum esse ad salutem necessarium, viribus naturalibus potest optare ita credere, atque etiam conari ex dono & auxilio » supernaturali assentiri: denique potest petere, ut auxilium illud sibi donetur, & » ad illud recipiendum satagere se disponere. » *Disp.* 9. hæc omnia supponit. *Expendatur* » *etiam disp.* 42. §. Quod ad primum. *&* » *disp.* 43. §. Ex dictis patet.

Quarta Propositio Molinæ.

» Licet initium fidei, quæ radix est & » fundamentum Justificationis, à Deo sit » nullis præcedentibus nostris meritis, sed » potiùs demeritis; reliquaque, quæ initium » fidei sequuntur, ordinisque sunt supernaturalis, à Deo sint; nihilque proinde habeat justus, quo à peccatore imò ab infideli discernatur, de quo ita gloriari possit, » quasi illud non acceperit; atque adeò Deus » autor sit, ut vitæ nostræ spiritualis, ita » etiam incrementi ipsius: eo tamen modo » suâ sapientiâ leges, quibus vitam spiritualem, atque ejus incrementum conferret, « accomodavit, ut sicut per gratiam, hominis naturam ex se liberam perficiebat, « ita etiam & ante receptionem gratiæ, & « in ipsa gratiæ receptione, & postea in « augmento illius, suum locum libero relinqueret arbitrio; quatenus ita ipse esset autor omnium bonorum, omniaque ei accepta referrentur, ut nihilominus libero arbitrio propria industria & laus servaretur. *Disp.* 9. §. Ut quæ. «

Quinta Propositio Molinæ.

Negari non potest complurium esse « Scholasticorum sententiam, liberum arbitrium nostrum cum solo concursu generali Dei elicere posse non solùm actum « attritionis naturalem, id est dolorem de « peccatis ex Dei timore, cum proposito « ampliùs non peccandi lethaliter; sed etiam « actum contritionis naturalem, qui idem « propositum non peccandi ampliùs lethaliter includat. *Disp.* 44. *mem.* 1. *in princ.* *&* « §. Ratio verò. «

Sexta Propositio Molinæ.

Homo solis viribus naturalibus & concursu generali Dei elicere potest actum « absolutum merè naturalem dilectionis Dei « super omnia, qui ad justificationem nequaquam sufficiat, & propositum absolutum « servandi in genere præcepta omnia, præsertim quando occasiones, & difficultates « omnes absunt; quod ad attritionem & contritionem, quoad substantiam actus, sit sufficiens. *Disp.* 14. *mem.* 3. §. Duo quædam, « *cum*, §. *seq.* *&* §. *nono disputationis* 15. «

Septima Propositio Molinæ.

An interim dum judicium rationis non « absorbetur, maneat in libero Arbitrio, cum « solo concursu generali Dei, libertas ad non « consentiendum in quocunque temporis « momento, cuicunque gravi tentationi, & « ad superandam quamcunque magnam difficultatem, quam pro servanda in eo solùm « instanti lege naturali, necesse sit vincere: « etiamsi ea de causa mors sit toleranda, ita « videlicet ut si consentiat, peccet, eò quòd « secluso quocunque alio majori auxilio, in « potestate ipsius, tametsi non sine ingenti « difficultate positum sit, non transgredi hanc « legem. *Disp.* 19. *mem.* 1. *&* *in* 2. partem « affirmantem ostendit, eamque amplectitur « *ut patet ex mem.* 6. §. Fortè mirabitur, *quem* « *addidit in Editione Antverpiensi.* «

Circa secundum Articulum: An in libris S. Augustini legatur constitutam esse « à Deo legem infallibilem cum Christo Filio suo, ut quoties homo solis naturæ viribus fecerit totum quod in se est, Deus illi « tribuat gratiam? vel id sit ex mente S. Aug. «

Circa

" Circa istum Articulum expendantur sequentes propositiones.

Prima Propositio Molinæ.

" Quotiescunque liberum arbitrium ex suis viribus naturalibus conatur præstóve est ad conandum totum id quod ex se potest, tam circa ea quæ fides habet addiscenda & amplectenda, quàm circa dolorem de peccatis ad justificationem, à Deo conferri gratiam prævenientem, auxiliave quibus id faciat ut oportet ad salutem. Non quidem quasi eo conatu dignus efficiatur talibus auxiliis, ullâve ratione ea promereatur; sed quoniam id obtinuit nobis Christus ob sua merita. Atque inter leges, quas tam ipse quàm Pater Æternus statuerunt, de auxiliis & donis, quæ nobis Christus promeruit, merè gratis conferendis, una eaque rationi maximè consentanea fuit, ut quoties ex nostris viribus naturalibus conaremur facere quod in nobis est, præstò nobis erunt auxilia gratiæ, quibus ea ut oportet ad salutem efficeremus. *Disp.* 10. *in principio, adjunctis cæteris quæ in eodem paragrapho continentur. Et disp.* 11. & §. Post hanc, *disputationis* 14. *n.* 5.

Secunda Propositio Molinæ.

" At verò quicunque sordibus lethalium peccatorum infectus conaretur ex suis naturalibus mortem pro Deo subire, efficereque pro oblata occasione quod in se est, ut formali vel virtuali suorum peccatorum pœnitentiâ veniam consequeretur: sanè cum Deus facienti quod in se est, paratus de lege ordinaria sit subvenire supernaturali auxilio, reponeretur in gratia, essetque verè martyr, non tamen solis suis viribus, sed supernaturali Dei auxilio præventus ac suffultus. *Disp.* 9. *mem.* 5. §. Ad quartum.

Tertium Scriptum Clementis VIII.

Post discussam in superioribus Congregationibus Molinæ ab Augustino dissonantiam, de ejusdem cum Cassiano Concordiâ agi voluit Clemens VIII. Idcircò quatuordecim potissima Molinæ Dogmata, cum Cassiani erroribus conferenda, designavit: quæ utriusque Ordinis Generalibus à Secretariis data sunt, die 6. Octobris 1602.

An Molina cum Cassiano conveniat in sequentibus propositionibus?

" I. Quòd homo in natura lapsâ habeat naturale judicium ad cognoscendum bonum & malum, habeatque naturalem facultatem ad utrumque amplectendum, absque hoc quod aliquam ponat distinctionem.

II. Quòd gratia illuminans vocans & excitans sufficiat ad salutem. "

III. Quòd possit homo ex sola facultate naturæ diligere Deum super omnia. "

IV. Quòd Deus exspectet nostros conatus, quódque aliquando Deus nos præveniat. "

V. Quòd Deus quodammodo occasiones quærat & exspectet, ut datio & elargitio suæ gratiæ rationabilis videatur. "

VI. Quòd homo in natura lapsa sufficientes vires habeat, ad resistendum gravibus tentationibus, & ad superanda singula difficilia. "

VII. Quòd eadem sit expositio 1. Cor. cap. 10. Cassiani & Molinæ. "

VIII. Quòd ante receptionem gratiæ servanda sit laus libero arbitrio. "

IX. Quòd ad donum perseverantiæ nihil aliud requiratur quàm gratia habitualis & auxilium sufficiens. "

X. Quòd omnia ab eo dicta de conatu liberi arbitrii, reducantur ad actus necessarios ad justificationem. "

XI. Quòd homini ex naturalibus conanti detur gratia; ita tamen ut conatus illi non sint meritorii gratiæ, nec semper necessarii. "

XII. Quòd propter bona opera naturalia detur gratia; & quòd tamen utrique eodem modo temperent hanc propositionem. "

XIII. Quòd possit homo medicum quærere, & sanitatem desiderare. "

XIV. Quòd nemo illorum velit fateri, Prædestinationem merè gratuitam aliquorum esse non omnium. "

Scripto responderunt FF. Prædicatores, die 8. mensis ejusdem. Censuerunt Molinam & Cassianum in hisce quatuordecim Articulis convenire: idque collatis utriusque testimoniis demonstrarunt. Patres verò Societatis nihil scripto dedere; sed Molinæ à Cassiano dissonantiam, in publicis disputationibus contra Prædicatorum Censuram, ostensuros se promisere.

Vide infrà in Congregationibus à 18. Novembris 1602. ad 6. Maii 1603.

Quartum Scriptum Clementis VIII.

Finitis Congregationibus de Cassiani & Molinæ consonantiâ, ad pleniorem causæ cognitionem aliæ quæstiones agitatæ sunt. Quarum argumenta jam dudum die 18. Novembris anni 1602. Summus Pontifex designaverat, propositis per Secretarios sequentibus dubiis.

I. An Concilium Tridentinum Sess. 14. cap. 4. Can. 5. obstet iis quæ de Attritione & Contritione docet Molina?

II. An ea quæ Molina docet, circa

„ actus omnes qui elici possunt à libero arbitrio, simul cum iis quæ de lege dicit, asserat in ordine & ad effectum justificationis? Et an ex iis quæ de libero arbitrio & lege affirmat, resultet immediata ac proxima vel remota præparatio ad justificationem & gratiam?

„ III. An, quòd liberum arbitrium & gratia sint duæ causæ partiales ad eundem actum perficiendum, & quòd liberum arbitrium consideratum ex se separatum à gratia nihil habeat à Deo, nisi possibilitatem illam, quam Deus tribuit ab initio libero arbitrio, sit ex sententia S. Augustini, aut ex illo colligi possit? An potiùs conveniat cum Pelagio, præsertim in loco relato à S. Augustino, lib. de Gratia Christi cap. 3. & sequenti?

QUINTUM SCRIPTUM CLEMENTIS VIII.

Huic Scripto occasionem dedit disputatio de mente Concilii Tridentini, circa primum Articulum Scripti superioris. Cùm enim Patres Societatis, ut Molinæ doctrinam de attritione ab errore vindicarent, respondissent à Patribus & Conciliis solùm damnari eos, qui dicerent posse hominem ex sola naturæ facultate efficere opera pia, hoc est ex motivo fidei & pietatis supernaturalis; Molinam verò de iis non egisse: idcircò S. D. N. antequam ad alias difficultates eliquandas pergeretur, sequentem quæstionem agitari voluit, quam per Secretarios transmisit.

„ An bona opera nostra moralia, nedum bona ex genere & objecto ac ex officio, & nedum semotâ omni malâ circumstantiâ, sed è contra vestita omnibus bonis circumstantiis, non dicantur bona, nec secundùm Deum autorem naturæ & gratiæ, nec ad pietatem pertinere; nisi sint facta ex motivo fidei & pietatis supernaturalis, quamvis facta sint suppositâ fide, & intuitu & consideratione justitiæ Dei scelera punientis & beneficiorum Dei miserentis, & tam copiosè præmiantis, & præsertim consideratione beneficii effusionis proprii Sanguinis in Cruce pro nobis?

SEXTUM SCRIPTUM CLEMENTIS VIII.

Scriptum hoc inter cætera omnia amplissimum ac celeberrimum fuit. Non dubia complectebatur, sed Assertiones quindecim, innumeris S. Augustini testimoniis confirmatas, quibus suam de controversis quæstionibus sententiam exponebat Sanctissimus Pontifex; non eo tamen fine, ut eas pro definitis à se dogmatibus traderet, sed ut tempore suo in Congregationibus expenderetur, An S. Augustini mentem feliciter attigisset. Obfuit verò præmatura atque intempestiva mors, ne eo de Scripto sub ejus Pontificatu disceptaretur: de quo idcircò sub Paulo V. dumtaxat disputatum est.

Isti erant Scripti hujus Articuli, S. Augustini testimoniis confirmati; quæ nos hic brevitatis causâ omittimus, sed in Appendice, ubi totum Clementis VIII. Scriptum ex integro damus, legi commodiùs poterunt.

I. Secundùm S. Augustinum, datur duplex adjutorium gratiæ divinæ. „

II. Duplex gratia, operans & cooperans. „

III. Gratia Dei est, quòd quis habeat suasores ad bonum. „

IV. Secundùm S. Augustinum, datur gratia efficax, immò efficacissima, nec tamen per eam læditur libertas liberi arbitrii. „

V. Hæc gratia habet suam efficaciam, ab Omnipotentia Dei & à dominio, quod summa divina Majestas habet in voluntates hominum, sicut in cætera omnia, quæ sub Cœlo sunt, secundùm S. Augustinum. „

VI. Per hanc gratiam, secundùm Augustinum, agit Deus Omnipotens, in cordibus hominum motum voluntatis eorum, faciendo ex nolentibus volentes, ex repugnantibus consentientes, ex oppugnantibus amantes. „

VII. Hanc gratiam efficacem, secundùm S. Augustinum, infundit Deus in cordibus nostris per operationem Spiritus Sancti, innumerabilibus & occultissimis modis. „

VIII. Hæc gratia Dei efficax, secreta est secundùm S. Augustinum. „

IX. Hæc gratia efficax, secundùm S. Augustinum est prævia, non pedissequa: datur enim, non quia volumus, sed ut velimus. Atque adeò per ipsam efficit Deus nedum ut operemur, sed etiam ut velimus. „

X. Effectus hujus gratiæ efficacis, secundùm S. Augustinum est certus & infallibilis. „

XI. Hæc gratia efficax, secundùm S. Augustinum, non inducit fatum, nec efficit propterea Deum acceptorem personarum, nec tollit prædicationem & correptionem, sed cum libertate humanæ voluntatis optimè consistit. „

XII. Hæc gratia efficax cur uni detur & non alteri, occultioris judicii Dei est. „

XIII. Hæc Dei gratia necessaria est ad singulos actus. „

XIV. Hæc gratia nullis meritis nostris redditur, sed gratuitâ bonitate donatur. „

Nul-

» Nullum enim nostrum bonum meritum il-
» lam antecedit.
» XV. Donum perseverantiæ est singulare
» quoddam Dei donum, non omnibus com-
» mune; per quod fit ut perseveret in bono
» quisque usque in finem.
» An ista sit doctrina S. Augustini in ma-
» teria gratiæ? CLEMENS PAPA VIII.

SEPTIMUM SCRIPTUM CLEMENTIS VIII.

Cum identidem de Molinæ mente in Congregationibus disceptaretur, eam penitius introspici voluit Clemens VIII. Idcircò sequentia dubia proposuit die 21. Julii 1603. in futurâ Congregatione agitanda.

» Quid intelligit Molina, dum dicit,
» quod in actibus elicitis ex sola facultate
» naturali, respicientibus fidem, spem &
» charitatem in Deum, Deus inserit se, &
» elevat, & facit supernaturales? An scilicet
» intelligat, quòd Deus elevat illosmet actus,
» ex sola facultate naturali factos, & faciat
» eos supernaturales? An vero quòd postha-
» bitis illis actibus ex facultate naturali, ele-
» vet potentiam ipsam, ut alios actus faciat,
» nedum naturales, sed etiam supernatura-
» les?
» Et an in hoc secundo sensu, stante do-
» ctrinâ Molinæ, hanc elevationem Deus fa-
» ciat intuitu & contemplatione actuum
» ex sola facultate elicitorum?
» Et an quid amplius tribuat Deus istis
» actibus factis, & elicitis ex sola facultate
» naturæ, quando inserit se, quia jam facti
» sunt à credente in Deum, à sperante in
» Deum, ab amante Deum super omnia?
» Et si Deus elevat potentiam, ut actus
» supernaturales novos faciat, cùm jam po-
» tentia ex facultate naturali possit credere,
» sperare, amare, dolere de peccatis, cum
» proposito & deliberatione amplius non
» peccandi, & potiùs subire mortem quàm
» offendere Deum, & in summa conteri &
» atteri propter Deum? An per istam inser-
» tionem aliquid amplius assequatur poten-
» tia, quàm ut faciliùs hæc omnia facere
» possit?
» Quid sit supernaturalitas, quam secun-
» dùm Molinam assequitur potentia, vel as-
» sequuntur actus, ex potentia naturali facti
» boni, tum ratione objecti tum officii, nul-
» la mala circumstantiâ vestiti, sed omnibus
» bonis circumstantiis; & in summa facti à
» credente in Deum, à sperante in Deum,
» ab amante Deum, à dolente illum offen-
» disse, cum deliberatione amplius illum non
» offendendi, quando Deus se illis inserit,
» & eos elevat?

OCTAVUM SCRIPTUM CLEMENTIS VIII.

Die 30. Novembris 1603. nonnulla Molinianæ doctrinæ capita, cum doctrinâ S. Augustini conferenda designavit, de vocatione hominis ad fidem; ea lege ut omnia unicâ Congregatione disputarentur. Fuerunt autem hæc.

An sit de expressa S. Augustini senten- "
tia, aut saltem de ejus mente, vel potiùs "
contraria ipsius doctrina, quòd interna "
Dei vocatio ad fidem, licet donum Dei "
sit, multum tamen pendeat à libero arbi- "
trio ejus, qui vocatur? "
Item, quòd interna excitatio fidelis ad "
pœnitentiam, quàm maximè pendeat à "
Ministris Ecclesiæ, atque à libero arbi- "
trio? "
Item, quòd dum sumus in via, semper "
in manu liberi arbitrii nostri posita sit "
nostra salus: perque nos ipsos stet, quòd "
ad Deum non convertamur? "
Item, quod Deus leges ordinarias dono- "
rum suorum adultis distribuendorum, ma- "
gna ex parte usui liberi arbitrii accomo- "
davit? "
Item, an Deus effectualiter exigat ab "
homine, ut priùs faciat quod in se est, "
antequam fidem donet? Quamvis enim "
Deus fidem non conferat propter ea quæ "
antecedunt, nihilominus tamen nisi illa "
antecedant, conferre eam non solet: ut "
dicit Molina. "

NONUM SCRIPTUM CLEMENTIS VIII.

Cum Molinæ vindices, de actibus bonis moralibus gratiam prævenientem antecedentibus, disputantes, sæpiùs ab instituto declinassent, ut Pelagiani erroris notam effugerent; difficultatem ad terminos à Patribus & Conciliis constitutos revocare necesse fuit. In hunc finem dubia sequentia die 26. Decembris anni 1603. proposuit Clemens VIII. futurarum disputationum argumenta.

Præsupposito quòd actus eliciti à libero "
arbitrio, ex facultate naturali, credendi "
in Deum, sperandi in Deum, diligendi "
Deum super omnia, pœnitendi de peccatis "
cum proposito & deliberatione ampliùs "
non peccandi, superandi nedum minores "
sed graves tentationes, vel saltem cohi- "
bendi consensum, ne gravibus tentationi- "
bus succumbat: Et quod omnes isti actus "
sint eliciti, nedum semotâ omni mala cir- "
cumstantiâ, sed vestiti omni bonâ circum- "
stantiâ, tam ratione objecti quàm officii: "
& quod sint eliciti intuitu & contempla- "
tione Omnipotentiæ Dei punientis scelera, "
&

» & præmiantis virtutes: & quod isti actus sint nedum naturales, sed etiam quoad substantiam ipsorum actuum, secundum Molinam sint supernaturales: an sint prout ad salutem oportet, suppositâ lege, quòd facienti quod in se est, Deus dat gratiam?

» Item, in quo differant motivum pietatis Christianæ, & motivum quòd actus fiant intuitu & contemplatione bonitatis & justitiæ Dei: cum ii actus fiant ex timore & amore Dei, etiam super omnia?

» Supposito quod in via Molinæ liberum arbitrium & gratia sint duæ causæ partiales, & quod liberum arbitrium separatim consideratum nihil habeat, ut possit assentiri omnibus mysteriis fidei revelatis, tanquam revelatis à Deo, & quia à Deo revelata sunt; & sic quòd possit credere, sperare, & Deum amare super omnia, atteri, conteri de peccatis commissis, cum proposito amplius non peccandi; possitque nedum minores, sed etiam graviores tentationes superare, vel saltem cohibere consensum, ne gravibus tentationibus assentiatur, Martyrium subire, & in summâ omnia bona exercere, non solùm bona ratione objecti & officii, sed quæ sunt bona ex omnibus bonis circumstantiis; & hæc omnia facere intuitu & consideratione bonitatis & justitiæ Dei præmiantis & punientis, & sic ex timore & amore Dei: à gratia autem habeat motivum, videlicet quod hæc fiant motivo pietatis Christianæ: quænam ex illis duabus causis partialibus in justificatione nostra præponderet; suppositâ præsertim lege, quod facienti quod in se est, Deus dat gratiam; ac suppositâ opinione Molinæ, quod liberum arbitrium determinat ipsam gratiam, eamque cum vult possit respuere, & vanam reddere?

Decimum Scriptum Clementis VIII.

Huic Scripto occasionem dedit principium quoddam, à Patribus Societatis in disputationibus statutum. Ut enim constituerent differentiam specificam inter actus elicitos ex motivo pietatis christianæ, & eos qui eliciuntur intuitu bonitatis & justitiæ Dei; velut principium supposuerunt, quod objectum hoc, *Deus est summe bonus & justus, & propterea summè amandus, quia magna eaque innumera in nos contulit beneficia, deditque pro nobis filium suum in mortem*, sit indifferens ad actum naturalem & supernaturalem: atque adeo si proponatur per lumen fidei supernaturalis, sit supernaturale; si verò per lumen naturalis rationis, sit naturale. Idcircò Clemens VIII. quæstionem hanc specialiter agitandam proposuit, die 11. Maii 1604.

« An, quando intellectus proponit voluntati Deum amandum & colendum, ut summè bonum & summè justum, præmiantem virtutem præmio vitæ æternæ, & propterea summè amandum, quia pro nobis & sanguinem profudit; & scelera punientem æternâ damnatione: possit dici quod proponat eum, tanquam objectum naturale tantùm, an etiam supernaturale, aut tanquam indifferens ad actum naturalem & supernaturalem?

« Et an hoc modo dicatur illud proponere, tanquam rem ad fidem pertinentem, & sic tanquam objectum fidei?

Undecimum Scriptum Clementis VIII.

Quoniam Patres Societatis, suis in responsionibus, sæpiùs Scientiæ-mediæ meminerant; peculiarem de ipsa tractationem haberi voluit Sanctissimus Pontifex; eoque fine dubium istud, die 15. Julii 1604. disputantibus proponi jussit.

« An sit sententia S. Augustini, quòd ante decretum absolutum divinæ voluntatis, detur in Deo cognitio certa & infallibilis contingibilium dependentium à causâ libera, qualem Molina per Scientiam-mediam Deo tribuit?

Duodecimum idemque ultimum Scriptum Clementis VIII.

Ne quid Scientiæ-mediæ tractationi deesset, de eadem prout enodando Prædestinationis mysterio à suis vindicibus accommodatur, agendum fuit. Eo fine duodecimum Scriptum, pro futuræ disputationis argumento, dedit Clemens VIII. sub hac formâ, die 3. Novembris 1604.

" An in præsenti disputatione, in qua tractatur, An Deus ante Decretum Prædestinationis, habeat scientiam futurorum contingibilium dependentium à causâ liberâ, statuendum sit, unicum esse decretum Dei, in quo decernat velle salvare Petrum? An verò subjiciendum sit aliud, in quo sua Divina Majestas decernat conditionaliter, velle salvare Petrum, ponendo illum in tali & tali ordine rerum, dandoque illi talia & talia auxilia, quibus si Petrus ex innatâ sua libertate consentiat, & bene utatur prædictis auxiliis salvabitur? Et an prædictus bonus usus dictorum auxiliorum, proveniat à sola innatâ libertate, an verò à Gratia Dei, qua facit ut homo bene utatur dictis auxiliis? Et quæ ex illis sit sententia S. Augustini, & Ludovici Molinæ?

CA-

CAPUT NONUM.

Quid Primâ ac Secundâ quinti hujus Examinis Congregatione disputatum, ac definitum.

DIe 20. Martii 1602. hora 15. coram Clemente VIII. Summo Pontifice, habita est prima Congregatio, præsentibus Cardinalibus DD. Camillo Burghesio, & Pompeio Arrigonio, nec non Censoribus designatis. Actum est de duobus Articulis primo Scripto contentis, ac superiori capite notatis.

Sedentibus de more DD. Cardinalibus, cæteris autem astantibus, exposuit Sanctissimus D. N. emergentium controversiarum periculum, ardensque causæ expendendæ ac judicandæ desiderium. Duos Congregationis Secretarios instituit, P. Gregorium Nunnium Coronellum Ordinis S. Augustini, & D. Anastasium Brixiensem Ord. S. Benedicti, qui earum Acta colligerent.

Dato deinde signo, subingressi sunt Generalis Ordinis Prædicatorum cum Didaco Alvares, & Generalis Societatis cum Gregorio de Valentia: ad quos Sanctissimus Pontifex hunc sermonem habuit, quo Societatis novitates acriùs impetiit.

Lemos hac die ægrotabat.

Clemens VIII. in Congregatione.

„ Hæc quæ inter vos tandiu agitata est „ Controversia, ita pertinacibus concertatio- „ nibus, in multorum aures & animos per „ universam Europam se insinuavit, & tam „ ingentes turbas in multis Academiis exci- „ tavit, ut maximum Reipublicæ Christia- „ næ periculum minitari videatur; nisi vel „ ad pacem mutuam vos ipsi deducamini, „ vel salutare remedium nos huic negotio „ adhibeamus. Etenim novis istis vestris opi- „ nationibus, vel veteribus quidem, sed se- „ pultis jam post mille ducentos annos, & „ ab Ecclesia profligatis, ita Catholicorum „ animos rursùs imbuere studuistis, ut pro- „ cul dubiò videamini pacem scindere, in- „ consutilem Domini tunicam dividere, & „ in Ecclesiam Dei Pelagii hæresim iterùm „ invehere. Quid enim aliud est, vel pror- „ sùs repudiatis, vel saltem posthabitis ve- „ tustissimis illis & sanctissimis Viris, Hie- „ ronymo, Ambrosio, Augustino, Prospe- „ ro, & aliis, qui nullis vigiliis aut labori „ pepercerunt, adversùs Pelagianos constan- „ tissimè dimicarunt, eorum artes diffuerunt, „ venenum detexerunt, falsos sensus ape- „ ruerunt, & argumentationes omnes dissol- „ verunt: quid, inquam, aliud est, post- „ habitis his sanctissimis & doctissimis Patribus, recentioribus quibusdam, vel nul- « lius vel certè exigui nominis Doctoribus, « tanquam ducibus, ad istas vestras opina- « tiones defendendas uti; quàm Ecclesiam « Dei Pelagianorum erroribus denuò infi- « cere & contaminare? Quid est hoc quod « molimini? An non dubitatis pro defensio- « ne unius Molinæ invehere in Ecclesiam « Dei Pelagii dogma? Perpendite, obsecro « vos, quàm grave periculum à vestris istis « concertationibus universo Christiano Orbi « impendeat. Nolite communi necessitati « & saluti privatas vestras rationes præferre. « Cedite Patribus, cedite Veritati. Et hoc « vos lubentibus animis facturos sperans, « è re præsenti fore duxi, universam istam « controversiam ad aliquot capita vel ar- « ticulos reducere, ex quorum discussione, « veritas Catholicæ doctrinæ facilè apparere « possit. Horum duos, de quibus hodierna « die dissеretis, vobis proposui. In qua « disputatione mementote omnes vos Ec- « clesiæ unius filios esse. Per sponsum ejus « Christum Jesum rogo vos, ut omni odio « deposito, dissidiisque propriis semotis, ita « inquirendæ & indagandæ veritati operam « navetis, ut à vero sensu Scripturarum, & « à defæcatâ S. Augustini doctrinâ, quam « & Ecclesiæ doctrinam esse nemo vestrum « ignorat, nullis invidiæ & livoris facibus « impediamini. «

Mox genuflexus Clemens VIII. atque in lacrymas effusus, brevem ad Deum precationem habuit, quam huc transcribimus ex Actis originalibus primæ Congregationis coram eodem Pontifice die 20. Martii 1602. habitæ. Eadem illa precatio reperitur in Actis Constantiensis Concilii, cujus singulis Sessionibus præmitti solebat à congregatis Patribus. Eam Pater Thomas de Lemos ad Benedictum Papam VII. velut Autorem refert, adeóque pluribus seculis Constantiensi Concilio antiquiorem putat. Immò ad seculi septimi initium retrahenda est, si, quod nonnulli conjiciunt, à quartæ Synodi Toletanæ Patribus fuit usurpata, cui Synodo præsidebat S. Isidorus Hispaliensis Archiepiscopus. Ut ut sit certum est ab optimo Pontifice Clemente VIII. recitatam esse ac deinceps ab ejus Successoribus & ab Eminentissimis sacræ fidei Inquisitoribus ad hanc usque diem sacris Congregationibus præmitti solitam velut religiosam & humilem victricis ac efficacis gratiæ confessionem, ab Apostolica Sede, à Sanctis Patribus, ab œcumenicis Ecclesiæ Synodis sancitam atque consecratam. Sic se habet: Ade- « sto nobis, quæsumus, Domine sancte Spi- «

„ ritus, peccati quidem immanitate detentis, „ sed in Nomine tuo specialiter congregatis. „ Veni ad nos, & dignare illabi cordibus nostris: doce nos quid agamus, quò gradiamur ostende, quid efficiamus operare: „ esto salus & suggestor & effector judiciorum nostrorum, qui solus cum Deo & ejus „ Filio nomen possides gloriosum. Non nos „ patiaris perturbatores justitiæ esse, qui summæ veritatis diligis æquitatem; ut in sinistrum non nos ignorantia trahat, non „ favor inflectat, non acceptio muneris vel „ personæ corrumpat; sed junge nos tibi „ efficaciter solius tuæ gratiæ dono, ut simus in te unum, & in nullo deviemus à „ vero, quatenus in Nomine tuo collecti, sic „ in cunctis teneamus cum moderamine pietatis, justitiam, ut & hìc à te in nullo dissentiat sententia nostra, & in futuro pro „ benè gestis consequamur præmia sempiterna. Per Dominum nostrum, &c.

Precatione finitâ S. Augustini doctrinam eleganti oratione commendavit, ac veluti lydium lapidem esse voluit, ad quem agitandæ controversiæ probarentur. Laudis ejus partem plurimam in eo sitam dixit, quòd quæstiones omnes à recentioribus quibusdam adversùs divinæ gratiæ necessitatem excogitatas, & ex Pelagianorum fonte petitas, feliciter occuparit, confutarit, debellarit. Ac demum ad singula veniens, innumeris S. Doctoris testimoniis, tria hæc demonstravit. 1. *Celebrem illam distinctionem, qua veteres Theologi gratiam partiti sunt, in sufficientem & adjuvantem seu efficacem, ex ejus doctrinâ desumtam esse.* 2. *Illum millies affirmare, gratiam efficacem, suam efficaciam habere ab Omnipotentia Dei.* 3. *Eundem illum tam expresse definivisse, gratiam istam efficacem prævenire hominis consensum, ut de ejus sententia dubitare nullo modo liceat.*

Absolutâ Oratione, Jesuitis præcepit, ut de propositis Articulis dicerent. Tunc Societatis causam acturus Gregorius de Valentia, præmisit instituti sui non esse, Molinam tueri in omnibus; seque doctrinam ejus defensurum, *non tanquam in omnibus magis probabilem, sed solùm ut alienam ab omni Pelagianorum vel Semipelagianorum errore.* Deinde ad primum Articulum veniens, dixit Molinam æquales vires ad bonum libero arbitrio tribuere cum S. Augustino; eandemque utriusque doctrinam esse.

Postmodum, jubente Sanctissimo, dixit pro Prædicatoribus Didacus Alvares: aitque vires longè majores à Molina, quàm ab Augustino tribui libero arbitrio. Augustinus enim, addidit, negat initium fidei esse ex nobis; Molina verò affirmat hominem ex solis viribus naturæ posse assentiri omnibus fidei mysteriis, assensu certo ac firmo, tanquam revelatis à Deo. Id uspiam à Molina dictum negavit Valentia; aut certè de assensu merè probabili intelligendum voluit. At productis ab Alvaresio nonnullis CONCORDIÆ locis, facti veritatem fassus est; sed nullum in eo Pelagianum aut Semipelagianum errorem haberi contendit. Qua de re cum multa dixisset, interloquente & contradicente Alvaresio, silere jussus est. *Disp. 8. §. Ex dictis.*

Tum nonnullis à Prædicatorum Generali propositis, quibus ex propriâ Molinæ confessione ostendit, eum aliam ab Augustino concordiæ viam iniisse; jussit Pontifex Gregorio de Valentia, ut quæ sibi suppetebant Augustini loca proferret, quibus ostenderet Molinam in illa propositione, de actu fidei ex sola facultate naturæ elicito, non majores vires tribuere libero arbitrio ad bonum, quàm Augustinus ipse tribuisset. Tunc ille, sumtâ fiduciâ, ea loca protulit, quibus S. Doctor fidem in dæmonibus esse propugnat. Quasi verò dæmonum fides vera virtus esset, aut pia quædam dispositio!

Dum ad hæc reponeret Alvaresius, diversumque Augustini ac Molinæ sensum ostensurus, eam Molinæ sententiam impeteret, qua docuit, voluntatem humanam & Deum esse duas causas partiales effectûs supernaturalis, indéque inferret, fore ut voluntas humana ex sua innata libertate & ex propriis viribus in talem effectum influeret, sermonem abrupit Generalis Societatis: *Hoc certè*, inquit, *quod Molina docuit de causis partialibus nullum habet fundamentum: est enim impertinenter dictum.* Auditâ tam sincerâ Præpositi Generalis confessione, argumentationem suam hoc dilemmate instauravit Alvaresius: *Vel ille influxus voluntatis creatæ in actum liberum est illi à Deo, vel illum habet voluntas à seipsa: si à se, ergo habeo intentum contra Molinam; quòd scilicet sine influxu gratiæ divinæ possit homo ex solis suis viribus elicere actus perfectissimos, secundùm omnem suam entitatem & substantiam: quod est omninò falsum, & contra expressam doctrinam S. Augustini. Si voluntati humanæ inest influxus ille partialis à Deo atque à gratiâ præveniente efficaci: ergo Deus per auxilium efficax præoperantis gratiæ efficit activè propriè, quòd homo adhibeat influxum ad actum liberum, ita ut influxus ille sit effectus præoperantis gratiæ, in genere causæ propriè efficientis.*

Respon-

Respondit Gregorius de Valentia: *Concedo hanc consequentiam.* Concessionem improbavit Generalis Societatis. *Efficit quidem Deus*, inquit, *quod homo habeat influxum illum in actum liberum, per gratiam efficacem prævenientem: sed efficacem gratiam intelligo moraliter tantùm causare illum influxum.* Instabat Alvaresius, ut propositio à Gregorio de Valentia concessa, à Notariis diligenter observaretur. Prædicatorum verò Generali in hoc idem insistente altiúsque clamante, Valentiam simpliciter concessisse totam argumentationem: *Quiesce*, inquit ille, *nondum fuisti vocatus in testem.* Qua de re dùm inter se disceptarent, Societatis Præpositus, petitâ veniâ, è congressu discessit.

Interea Valentia plus nimio impeditus incertusque quid ageret, ut irrevocabile verbum liberaret, converso ad Sanctissimum sermone dixit: *Beatissime Pater, ego non respondebo ad ista, quæ Pater Regens Dominicanorum instat contra nos, de gratia efficaci: quoniam complectuntur quandam opinionem, quam puto esse omninò erroneam, neque posse salvâ fide Catholicâ sustineri.* Cumque illum eâdem rursus argumentatione urgeret Alvaresius, reposuit: *Hæc non pertinent ad præsentem speculationem: opportunè aliàs agemus de modo efficacitatis divinæ gratiæ.*

Ad hæc indicto per summum Pontificem silentio, congressus solutus est.

Prædicatoribus ac Jesuitis foras dimissis sancitum fuit, ut speciales Molinæ sententiæ, cum S. Augustini doctrinâ conferendæ, pro sequentibus congressibus præfigerentur. Iisque demum vocatis præcepit Pontifex, ut deinceps ad propositas quæstiones, absque strophis & fuco breviter responderent. Illos etiam, perindè ac cæteros omnes ad eam Congregationem admissos, servandi silentii religione adstrinxit.

Die Lunæ 8. Julii 1602. habita est secunda Congregatio coram Clemente VIII. præsentibus supra notatis, nec non utriusque Ordinis Generalibus, & eorum Sociis disputaturis. Actum, An majores vires libero arbitrio tribuat Molina, quàm Augustinus, in hac propositione, quæ est prima secundi Scripti: *Cum solo concursu generali Dei, absque alio dono vel auxilio gratiæ, potest homo efficere opus bonum morale, quod fini naturali hominis accommodatum sit, atque comparatione illius sit verè bonum, ac virtutis opus: non tamen quod fini supernaturali sit accommodatum, quodque comparatione illius, bonum simpliciter ac virtutis opus dici queat.*

Congregationem prolixo sermone inchoavit Clemens VIII. "A principio, inquit, vobis proposuimus discutiendum Articulum primum, Quis majores vires tribuat libero arbitrio, an S. Augustinus, an Molina? Respondebant Patres Societates, æquales vires utrumque tribuisse liberæ nostræ voluntati. Cùm autem hac in re demonstrandâ, quam Patres Prædicatores impugnabant, multum temporis defluxisset, neque ad aliquam conclusionem deventum esset, censuimus è re præsenti fore, propositiones aliquas ex CONCORDIA Molinæ colligere, in quibus tantas vires tribuit libero arbitrio, ut illud videatur sanum constituere, contra expressam doctrinam S. Augustini & Ecclesiasticas definitiones: quas propositiones utrisque Patribus consignari fecimus, ut Prædicatores ostenderent, illas adversari S. Augustino; Socii verò citarent loca, ex quibus saltem deduceretur efficaciter, non aliter censuisse S. Augustinum. Et quidem Prædicatores paucis sententiis ex libris S. Augustini depromtis ostendebant, Molinam à S. Augustino quàm longissimè discessisse. Patres verò Societatis ingentem quandam farraginem locorum citabant, quæ diligenter inspeximus & maturè expendimus: neque invenire potuimus vel unum dumtaxat, in quo formaliter, vel virtualiter, aliquæ ex propositionibus Molinæ continerentur. Quo factum est, ut quo isti Patres magis ac magis instant, Molinam docuisse cum S. Augustino, prædictas propositiones de conatu liberi arbitrii, sine gratiæ divinæ adjutorio, ad actus qui ad justificationem requiruntur, eò durior ejus opinio nobis visa fuerit. Quod facilè volo ostendere, non quidem definiendo, sed tantummodò proponendo quæ sese mihi expendenda obtulerunt." *Clemens VIII. ad Congregationem*

Institutum hoc per mediam & amplius horam prosecutus est doctissimus Pontifex: maximamque Molinæ, à Scripturis sacris, Conciliis, SS. Patribus, ac præsertim Augustino, dissonantiam demonstravit, ac demum Gregorio de Valentia innuit ut diceret.

Dixit igitur ille: ac præmissâ distinctione duplicis ordinis actuum bonorum, contendit Molinam nativis liberi arbitrii facultatibus vires dumtaxat tribuisse eliciendi actus purè morales inferioris ordinis, sine speciali Dei auxilio; minimè verò actus pios superioris ordinis, Deo acceptabiles, ac fini supernaturali accommodatos. Indeque intulit, Molinam de assensu merè opinativo, & de fide humana intelligendum esse,

esse, dum inquit, posse hominem ex solis suis viribus naturalibus assentiri mysteriis fidei sibi propositis; minimè verò de Fide Christiana ac Theologica.

Officiosam illam Molinianæ sententiæ expositionem confutavit Pontifex, propterea quòd Molina eâ de fide loquatur, quæ spem & dilectionem comites habeat: quia docet, hujusmodi hominem in quo præexistit istud lumen fidei naturalis, posse sperare à Deo, quæ ipse revelavit & promisit, & posse Deum diligere super omnia, atque etiam conari pro eo mortem oppetere. Ergo, subjungebat, secundùm Molinam habet veram Fidem & christianam, quantùm ad entitatem, & totam suam perfectionem; quamvis non sit supernaturalis, eò quòd non præcesserit divina gratia, ex qua traheret esse supernaturale. Quod certè ab Augustino remotissimum demonstravit.

Reposuit Valentia, Molinam de certa fide nequaquam loqui, quæ veras virtutes comites habeat: quemadmodum nec vera fides est, nec certus assensus, qui ab hæretico quibusdam mysteriis præstatur: nec patientia, quâ mortem pro eorum confessione oppeteret, Dei donum dici potest.
Disp. 8. §. Ex dictis. Primam responsionis partem, quæ Molinæ contextui apertè repugnat, neglexit Pontifex; alteram sic occupavit: "Longè aliter docuit S. Augustinus: nam in libro de Patientia cap. 27. quærit, Utrum ista patientia donum Dei sit, an viribus tribuenda sit voluntatis humanæ, qua quisque ab Ecclesia separatus, non pro errore qui eum separavit, sed pro veritate Sacramenti seu verbi, quæ apud eum remansit, timore pœnarum æternarum, pœnas patitur temporales? Et resolvit negandum non esse, hoc etiam esse donum Dei. Valentia autem ad hæc confidentiùs reponente, Augustinum de hæreticis non agere, sed de schismaticis, qui piè & ex fide pia & christianâ patiuntur pro veritate Sacramenti; responsi falsitatem propulsavit: "Lege, inquit, caput 26. ex quo orta est quæstio capitis 28. & videbis S. Augustinum locutum fuisse de schismatico hæretico. Et hujus tolerantiam in supplicio, dicit esse Dei donum, ne cogamur fateri, sine adjutorio & munere Dei, in voluntate hominis posse esse aliquid boni. Neque enim hoc non est bonum, ut credat homo æterno supplicio se esse puniendum, si negaverit Christum, & pro ista fide, qualecunque supplicium perferat & contemnat humanum. Addit tamen alia esse dona filiorum Jerusalem, quæ sursum libera est, mater nostra. Hæc enim sunt hæreditaria quodammodo, in quibus sumus hæredes Dei, cohæredes autem Christi. Alia verò, quæ possunt accipere etiam filii concubinarum, quibus Judæi carnales, & schismatici vel hæretici comparantur. Quod si, ut tu putas, schismaticus iste de quo S. Augustinus ait, pateretur ex fide pia quæ per dilectionem operatur, commensuratâ cum fine supernaturali, qualem vos semper vultis intelligi, utique consequeretur dona filiorum illius Jerusalem, quæ sursùm libera est mater nostra. Non autem sic inquit S. Augustinus. . . . . "

Nihil ultrà Gregorius de Valentia; sed jussus ad propositum disputationis dubium respondit Thomas de Lemos. Ille ergo duo probanda sibi sumsit. 1. longissimè distare opinationes Molinæ, de viribus naturalibus liberi arbitrii ad bonum, à verâ & catholicâ S. Augustini Doctrinâ. 2. Loca omnia sanctissimi Doctoris, in ejus defensionem adducta, in alienum sensum detorta fuisse. Hæc dum urgeret vir eruditus, multisque ostenderet, quàm sinistrè Molinæ vindices ex nonnullis Apostoli & Augustini locis intulissent, nullum esse opus verè bonum in ordine virtutis moralis, quod homo sine speciali adjutorio præstare non posset: in ejus sententiam venit Summus Pontifex, tulitque suppetias contra Molinam. "Certè, inquit, S. Augustinus semper constans permansit in eo quod semel docuerat, virtutes non officiis, sed finibus, à vitiis discerni, & in anima post lapsum primorum parentum, solùm remansisse aliqua lineamenta extrema, unde dici possit homines etiam in ipsa impietate vitæ suæ facere aliqua legis vel sapere. Ne scilicet aliquis putaret, vim omnem naturæ & liberi arbitrii fuisse per peccatum exstinctam. Unde dicit illud qualecunque bonum, quod homo ex se facit, habere quidem quandam sui generis probitatem, hoc est, non omnia quæ ethnicus vel impius operatur, esse peccata. Velle autem hinc deducere, nullum esse opus bonum morale, quod sit verè bonum, & virtutis opus, quod homo per solas vires naturales facere non possit, mihi valdè durum videtur. "

Tum intermissum sermonem resumens Thomas de Lemos, multa ex Augustino congessit, ut ostenderet nullam sine speciali Dei dono dari posse virtutem, etiam in ordine moris; eaque in parte idem prorsùs Molinæ ac Juliani Pelagiani systema fuisse. Ad hæc responsurus Valentia, rursùs contestatus est, nolle se Molinæ sententiam,

tentiam, ut veriorem tueri, sed ut probabilem, & ab hæresi Pelagiana alienam. Respondente autem illo, controversiam Augustinum inter & Julianum olim habitam, de virtutibus Deo acceptis & fini supernaturali accommodatis, dumtaxat intelligi posse; quasi eas solas, non item morales, ex Dei dono esse contendisset S. Doctor: loquentem interpellavit Sanctissimus Pontifex. "Profectò, inquit, S. Augu-
„ stinus contra Julianum non disputabat,
„ nisi de virtutibus moralibus, quas Julianus
„ dicebat reperiri in ethnicis & impiis homi-
„ nibus. Nec potuit usque adeò desipere, ut
„ putaret fuisse in ethnicis veras virtutes fini
„ supernaturali accommodatas. Sed ideò im-
„ pugnabatur à S. Augustino, quia conten-
„ debat hominem sine gratia posse operari
„ benè moraliter propter Deum: quod simi-
„ liter asserit Molina. His dictis multa de Molinæ sensu Lemosium inter & Valentiam disputata sunt, Pontifice contra Molinam identidem interloquente, eumque Pelagianismi duriùs insimulante.

Ventum tandem est ad alteram disputationis partem: *An virtutes morales sine fide & charitate, veræ virtutes dici possint?* Affirmavit Valentia, fretus mutilato S. Thomæ testimonio; negavit Lemos, eodem illo in integrum laudato. Verùm ad alterum Doctoris Angelici locum confugiente Molinæ defensore, ex 1. 2. q. 65. a. 2. petitum; quem dimidiatum & à priori articulo, cui indivulsè conjunctus est, sejunctum laudabat; commotus Lemosius librum afferri, petiit à Summo Pontifice: eoque lecto, ostendit duorum illorum articulorum collatione, *posse in homine sine gratia esse virtutes quasdam imperfectas morales; id est quasdam inclinationes naturales ad opera aliqua de genere bonorum facienda: veras autem virtutes morales, cum sint connexæ, sine gratia haberi non posse.*

2. 2. q. 23. a. 7. in resp. & ad 2.

Altercatum subinde de Juliani & Molinæ mente, hoc in capite: ostenditque Lemosius eo usque laxitatis pervenisse Molinam, ut nullum ex Originali peccato, vulnus consecutum voluerit; Valentia nihil planè in oppositum reponente.

Pauca subjunxit Prædicatorum Generalis, doctrinæque Molinianæ singularitatem ex ipsa Molinæ confessione probavit: quippè qui fassus est, *Sententiam illam suam non reputari tutam in multis provinciis & scholis, propter antiquos Patres & Concilia, quæ ex adverso producuntur: sperat tamen in Ecclesia aliquando definiendam, vel saltem frequentiorem fore.* Nonnulla etiam de Molinæ ejusque defensorum interpretatione subjunxit, circa celebrem Apostoli locum, *Gentes quæ legem non habent*, ostenditque, nihil ex Bulla Gregorii XIII. extundi posse, quod ei vel leviter faveat.

His dictis abire jussi sunt Generales Ordinum cum Disputantibus, ut de disputatâ quæstione judicium ferretur.

Judicium Congregationis de I. Propositione.

Dimissis utrisque Patribus, voluit S. D. N. ut singuli Consultores suas proferrent sententias; & quid de principali controversiâ sentirent, liberè dicerent: An scilicet prima Molinæ propositio, de qua disceptatum fuerat, asserta esset secundùm mentem S. Augustini, vel ex ejus doctrina deduci posset, in eo sensu in quo Molina illam docuit.

Ex Act. Secretarii. In Compendio Coronelli sic: „ Hæc propositio est contra expressam doctrinam S. Aug. traditam lib. 4. contra Jul. Pelag. c. 5. Exceptis, &c.

Qua de re cùm diffuso sermone singuli dixissent, remque omnem planè cumulatéque pertractassent, diligenter expendentes tum Molinæ mentem, & germanum propositionis sensum, finemque ab illo eo loci intentum; tum etiam S. Augustini hac de re planam doctrinam, propugnatam potissimùm contra Julianum „ Pelagianum lib. 4. cap. 3. censuerunt om- „ nes communiter, Molinæ propositionem „ primam, esse omninò contrariam expressæ „ doctrinæ S. Augustini, neque excusari „ aliquo modo posse ab errore; non obstan- „ tibus ex adverso productis à Patribus So- „ cietatis scripto & voce. Communi tamen „ huic judicio non assentiebantur Dominus „ Aquilensis, & Patres Procurator Ordinis „ S. Augustini & Regens Collegii Carmeli- „ tarum: qui dixerunt prædictam Molinæ „ propositionem posse probabiliter defendi, „ neque esse contrariam doctrinæ S. Augu- „ stini. Sicque absoluta fuit præsens actio, „ propè horam decimam nonam. „

CAPUT DECIMUM.

Quid Tertiâ & Quartâ Congregatione disputatum ac definitum.

Die 9. Julii 1602. celebrata est Tertia Congregatio, coram S. D. N. Clemente VIII. Agendum fuit de Secunda Molinæ Propositione: nempè *Propositis & explicatis his quæ credenda sunt, adhibitis insuper argumentis quæ afferri solent, ut homines meritò sibi persuadeant ea revelata esse à Deo & jussa credi, & denique accedente externa vocatione ad fidem per Concionatores aliosque Ecclesiæ Ministros, in facultate liberi arbitrii est, cum solo concursu generali Dei, rebus propositis assentiri, tanquam*

quam à Deo revelatis; actu tamen qui sit merè naturalis, quique ex parte intellectus non sit satis ad justificationem.

Ac monente Sanctissimo, ut de ea Patres Societatis agerent, protinùs Præpositus Generalis dixit: *Beatissime Pater, petimus à Sanctitate vestra, ut nobis permittat aliqua addere, ad ea quæ Patres Prædicatores objecerant, contra Primam propositionem Molinæ; quoniam in hesterno congressu, non satis à nobis, hac de re dictum fuit.*

Lemosio stomacho fuit ea supplicatio. *Apparet*, exclamavit, *Beatissime Pater, quid hi Patres moliantur: solùm enim contendunt tempus terere, ne unquam ad aliquam conclusionem perveniatur.* Assensus est nihilominus optimus Pontifex, ne ullam eis querimoniæ ansam daret. *Putabam*, inquit, *satis à vobis dictum fuisse de Prima propositione: quoniam tamen adhuc vultis audiri de eadem quæstione, proferte quæ vobis superesse dicenda in favorem Molinæ, asseritis.*

Dixit igitur Gregorius de Valentia, eaque repetiit universa, quæ in ultimo congressu ex S. Thomæ 1. 2. q. 65. a. 2. proposuerat. Legem etiam à Summo Pontifice statui petiit, ut scholasticâ methodo deinceps ageretur. Ad hæc jam satis à se responsum, subjunxit semel & iterum Lemosius; sensumque Doctoris Angelici ex articulo superiori colligendum esse. Cùm autem decursu disputationis eò pervenisset, ut Molinam voce tenus peccatum originale admisisse, revera tamen pernegasse, ostenderet; surrexit Antonius Bovius, Consultorum unus, totus Molinæ partibus addictus: *Tota*, inquit, *controversia in hoc est, An Molina convincatur quod posuerit in homine ex ingenitis naturæ viribus esse posse virtutes morales, connexas, acquisitas. Si enim hoc dicat, vel per evidentem consequentiam deducatur ex illius doctrinâ, convincitur asserere, in homine non esse fomitem, & quod non sit traductum in posteros peccatum originale.* Conditionem lubens accepit Lemosius; probavitque hoc duplici argumento: *Molina ait posse hominem habere easdem virtutes, sicut potuisset si in puris naturalibus fuisset conditus: sed in tali statu procul dubio potuisset habere omnes virtutes connexas, quia fuissent illi proportionatæ, neque ullo impedimento retardaretur: Ergo & in statu naturæ lapsæ, secundùm Molinam, poterit habere omnes virtutes morales acquisitas. Præterea, Molina docet expressè, posse hominem diligere Deum super omnia ex solâ naturæ facultate: sed ista est legis plenitudo, ut ait Paulus: Ergo in illa continentur omnes virtutes naturales; sicut virtutes supernaturales consequuntur charitatem supernaturalem.*

Nihil ad primum respondit Valentia. Ad secundum autem ait, Molinam loqui de dilectione imperfecta. Tunc in Lemosii partes veniens Clemens VIII. "Si homo, " inquit, secundùm Molinam potest de facto diligere Deum super se, & præferre " illum rebus omnibus & propriæ vitæ, " ex solis suis naturalibus; quomodo dicis " illum intellexisse, hanc esse dilectionem " Dei imperfectam? Vel quomodo iste talis " cum hac dilectione, non habeat omnes " virtutes connexas? Cùm enim non possit " stare cum hujusmodi dilectione aliquod " peccatum, quia jam homo præfert Deum " cunctis rebus, quas Deo priùs præferebat, " undè erat in peccato constitutus; procul " dubio omnes virtutes habet, & pro illo tempore quo durat in hujusmodi dilectione, " erit in statu perfectæ virtutis. "

Nodum disrumpere tentavit Valentia, quem solvere non poterat. Idcircò Pontifici ait: *Beatissime Pater, precamur humillimè Sanctitatem Vestram, ut hac disputatio in aliud tempus differatur, quia pertinet ad Septimam propositionem. Et certè Molina non loquitur nisi de dilectione Dei super omnia simpliciter.* Instavit secundò Pontifex in oppositum. "Molina dicit posse hominem « habere hunc actum absolutum: Volo Deo « placere in omnibus & per omnia, & pro « illius amore sum paratus mortem oppetere. « Si actu absoluto diligit Deum plusquam « se & propriam vitam, quomodo est dilectio « ista imperfecta & inefficax? Majorem « enim dilectionem nemo habet, quàm ut « animam suam ponat quis pro amicis suis. « Ad quæ rursus Valentia: *Suo loco, Beatissime Pater, agetur de hac difficultate.* Nec aliud ab illo extundi potuit. Quare ad Secundam Molinæ Propositionem pergere, necesse fuit.

Ad eam itaque, jubente Pontifice, veniens Gregorius de Valentia, duo probanda sibi sumsit, quæ fusiùs dato jam pridem Scripto continebantur. 1. Molinam intelligendum de assensu merè opinativo, & fide humana. 2. Nihil illi cum Semipelagianis commune esse; quia hujusmodi fides à Molina naturæ viribus adscripta, nihil ad salutem valebat, nisi præcedente illustratione supernaturali in intellectu, & motione pariter supernaturali in voluntate: Contra utrumque militavit Lemos: primum adductis Molinæ locis confutavit: alterum variis ex Augustino deductis autoritatibus, falsum ostendit: *Quia*, nempè, *has excitationes constituebant Semipelagiani, & fortè Pelagius ipse illas etiam concessit;*

&

& nihilominus fuerunt damnati, quòd ponerent re ipsa initium Fidei Christianæ esse ex nobis; atque adeò cum Molina id omninò tribuat naturali hominis facultati, quod Semipelagiani illi tribuebant; non æque vindicatur à nota erroris, constituendo illas supernaturales illustrationes, quas etiam Semipelagiani admittebant.

Multa deinde congessit, ut varias Molinæ Defensorum evasiones, in prolixiori Scripto quæsitas, confutaret. Quibus festivè respondit Gregorius de Valentia: *Tam multa dicta sunt à Patre, ut illa nec memoriâ tenere, nec repetere valeam.* Lepidam responsionem derisit Lemosius, nec sine morsu: *Oportet*, inquit, *meminisse omnium, & ad omnia respondere, sicut ego ad omnia illa quæ dixisti, æque responsum dedi.* Mirùm quàm eo verbo exulceratus sit Molinæ vindex. Idcircò aculeato sermone subjunxit: *Quoniam igitur me compellis dicere, breviter respondebo, omnia à te tam copiosè disputata, nihil omninò concludere contra Molinam. Non minùs enim quam Cœlum & Terra, distant sensus Molinæ & sensus Pelagianorum & Semipelagianorum.* Id porrò ut ostenderet, antedicta resumsit: nimirùm Molinam de assensu merè opinativo fidei humanæ intelligendum esse; qui non aliam ex facultate naturæ firmitatem habeat, quàm quæ in hæreticis comprobatur. Cui quidem responso, multis licet per Secretarium adductis Molinæ testimoniis commutato, cùm tenaciùs insisteret, commotus est Pontifex: Miror, inquit, quòd dixeris Molinam solùm docuisse, posse esse in homine ex naturæ facultate firmitatem seu pertinaciam, qualis est in hæreticis. Si Molina expressè asserit, posse hominem ex solis naturæ viribus assentiri omnibus fidei mysteriis tanquam revelatis, & quia revelata sunt à Deo; quæ est ratio formalis sub qua Christianus credit: quomodo dicis illum intellexisse de pertinaciâ hæreticorum? Quid contenditis? Quid molimini? An non videtis hujusmodi novitatibus sæpè fuisse Ecclesiam perturbatam?

Reponente autem Valentiâ, id non novam, sed antiquam D. Thomæ doctrinam esse; qui in Quæstionibus disputatis docet, præter fidem supernaturalem reperiri in aliquibus naturalem firmitatem, & adhæsionem in asserendo; addidit Lemosius: *Legimus millies articulum istum, & nihil in eo continetur quod possit favere Molinæ. Non enim ait S. Thomas, quòd possit homo assentiri mysteriis fidei tanquam revelatis à Deo, & quia revelata sunt: in hoc consistit cardo totius disputationis; hoc debuisses probare ex S. Augustino, vel ex S. Thomâ.*

Fuit hic disputationis finis. Disputantibus autem egressis, de ferendo judicio deliberatum est.

Judicium Congregationis de Secunda Propositione Molinæ.

Dimissis utrisque Patribus, Prædicatoribus & Societatis, Patres Consultores tam de ipsâ propositione Molinæ in se, quàm in sensu ab Autore intento, diffuso sermone differentes, illam cum doctrina S. Augustini diligenter contulerunt. Post longam autem & exactam consultationem, censuerunt omnes, secundam Molinæ Propositionem, quæ est de actu fidei, circa mysteria divina ex sola naturæ facultate, esse omninò contrariam doctrinæ a S. Augustino contra Pelagianos & Semipelagianos traditæ. Huic tamen communi judicio non acquieverunt D. Aquilensis, qui dixit prædictam Propositionem esse secundùm doctrinam S. Augustini; & P. Procurator Ordinis S. Augustini, qui dixit Secundam istam Propositionem esse disputabilem; in modo tamen loquendi Molinam dissentire à S. Augustino; & P. Regens Carmelitarum, qui censuit Molinam in hac propositione non dissentire à S. Augustino. Hic ergo absoluta est præsens actio propè horam 18. abieruntque omnes acceptâ Benedictione à S. D. N. & Beatissimo Patre Clemente Papâ VIII.

"*Ex Actis Secretariis in Compendio suo*: Ex contentis in Propositione, & ex adjunctis, aliisque ex eodem libro consideratis convincitur, Molinam docuisse ex propria sententia, posse elici ab homine per solas naturæ vires, actum veræ fidei Christianæ quantum ad substantiam & perfectionem assensus, exceptâ solâ supernaturalitate, quæ illi actui accedit ex auxilio particulari, & inspiratione Spiritus S. vel ex concursu habitus supernaturalis: hanc autem doctrinam esse propriè & formaliter traditam à Molina contra patentissimam S. Augustini doctrinam, à Sede Apostolica approbatam, constat ex omnibus penè ejus libris & Epistolis adversùs Pelagianos & eorum reliquias editis.

Die 22. Julii 1602. coram S. D. N. celebrata fuit Congregatio Quarta. De Tertia Molinæ Propositione disputatum est. Videlicet, *Cùm quis edoctus fuerit, supernaturalem assensum ad salutem esse necessarium, viribus naturalibus potest optare ita credere, atque etiam conari ex dono & auxilio supernaturali assentiri. Deniquè potest petere, ut auxilium illud sibi donetur, & ad illud recipiendum satagere se disponere.* Hæc omnia supponit Molina in sua CONCORDIA disp. 9. Expendatur etiam in disp. 42. §. *Quo ad primum*, & in disp. 43. §. *Ex dictis patet.*

Primus ordine dixit Gregorius de Valentia: duo probanda sibi sumsit: 1. Propositionem hanc non ita evidenter ex Molina colligi. 2. Ab errore Pelagianorum omninò distare. Adversùs utrumque pugnavit Lemos. Postquàm autem multis osten-

oſtendiſſet argumentis, Pelagianos & Semipelagianos, eoſdem conatus liberi arbitrii viribus adſcripſiſſe; aliuſque reſpondiſſet, eos hæreticos de actibus & conatibus piis locutos fuiſſe; ſecùs verò Molinam: ſubjunxit Pontifex, *Mirum eſt quòd Sanctus Auguſtinus nuſquam uſus fuerit iſtâ veſtrâ diſtinctione?*

Eò tandem venit diſputatio, ut contenderent Molinæ Vindices, hominem de neceſſitate aſſenſus edoctum, poſſe optare viribus naturæ, iſtum actum fidei ſupernaturalis elicere materialiter, non formaliter ut ſupernaturalis eſt. Contra quòd iſtud argumentum ſæpiùs retorſit Lemoſius: Homo naturaliter ſecundùm Molinam poteſt optare ita credere, ſicut edoctus eſt, aſſenſum eſſe neceſſarium ad ſalutem: ſed neceſſarium eſt ad ſalutem, credere non materialiter tantùm: ſed etiam ſupernaturaliter, ſub ratione formali, hoc eſt, ut aſſenſus ſupernaturalis eſt. Ergo ſecundùm Molinam, poteſt ex ſolis viribus naturæ, elicere actum ſupernaturalem, ut oportet ad ſalutem.

Demùm ab inſtituto aliquantulùm digreſsâ oratione, bis ac etiam tertiò juſſit Clemens VIII. Molinæ Vindicibus, indicare ubinam Auguſtinus diceret, poſſe hominem naturaliter optare credere ſupernaturaliter, & poſſe deſiderare auxilium gratiæ? Eam provinciam aggreſſus Valentia, probandum ſibi ſumſit, Auguſtinum nonniſi ad opera pia gratiæ neceſſitatem contra Semipelagianos propugnaſſe; Molinam verò de iis in iſto caſu minimè locutum fuiſſe. Id ut audivit Pontifex, *Peto*, inquit, *à te, an optare credere ſupernaturaliter, an deſiderare auxilium gratiæ, & illud petere & ad illud recipiendum ſe diſponere, quæ Molina dicit poſſe præſtari per liberum arbitrium, ſint pia actiones?* Reſpondit ille, *Secundùm Auguſtinum non ſunt pia.* Ad quæ Beatiſſimus Pater: *An non ſunt actus pii, actus ordinati ad finem bonum, & boni ex omnibus circumſtantiis debitis, quique nullam habent circumſtantiam vitiantem, & quos gratia divina infallibiliter conſequitur?* Conceſſit ille pios eſſe, pietate morali, non ſupernaturali, de qua ſola (ut aiebat) contra Semipelagianos diſputaverat Auguſtinus.

Reſponſum hoc Lemoſius impetiit, eo nixus fundamento: quòd & ipſimet Pelagiani, non ſecus ac Molina, eos actus per ſeſe ſteriles faterentur, nec inter opera curationis annumerari vellent, niſi per divinam gratiam excitarentur; & tamen ob id à Patribus damnati ſint, tanquam qui initium ſalutis in nobis ponerent, piaſque re ipsâ actiones (quas tales voce fateri erubeſcebant) naturæ viribus adſcriberent. Eo argumento implicitus Molinæ Vindex, neſcio quo flante ſpiritu, propoſitionem iſtam ſponte confeſſus eſt: *Semipelagiani conſtituebant poſſe hominem ex ſe ſolo habere fidem piam chriſtianam & ſupernaturalem: & de hoc errore convicti ſunt, quia aſſerebant poſſe hominem ex ſola facultate naturæ aſſentiri revelatis ut revelatis.* Verùm cùm ſubjunctâ minori ad Molinam deſcendere vellet Lemoſius, ut parem illius ac Semipelagianorum cauſam oſtenderet, tot ſtrophis, tot diverticulis præpeditus eſt à Valentiâ, ut ſyllogiſmum efformare nequiverit, donec eâ agendi ratione exacerbati Cenſores palàm exclamarint: *Ubinam gentium auditum eſt, quòd conceſſa Majori propoſitione Syllogiſmi, non ſit proponenda Minor? In nulla diſputatione hoc unquam permiſſum eſt.* Quibus ille bellè repoſuit: *Ubi agitur de condemnanda aliqua doctrinâ, non oportet iſtis legibus adſtringi.* Ad inſtitutum nihilominùs tandem veniens Thomas de Lemos, oſtendit Molinam, chriſtianam ac piam fidem naturæ viribus tribuiſſe, æquo jure ac Semipelagianos: cùm hominem veritatibus revelatis, ut revelatæ ſunt, aſſentiri naturaliter poſſe defenderit. Nodum ſolvere tentavit Valentia, iis interpretationibus, quibus ſuperiori diſputatione Molinam liberare ſtuduerat: illum ſcilicet de aſſenſu opinativo ac fidei humanæ intelligendum ſignificans. At præcluſo jam pridem eo ſuffugio, actum reagere religio fuit. Idcirco paulò poſt diſputationi finis datus eſt, dimiſſis utriſque Diſputantibus.

In aliis Actis obſervatur, ſoluta diſputatione, Generalem Societatis, non mediocriter commotum, Valentiæ multis audientibus dixiſſe, *Deſtruxiſti Societatem, deſtruxiſti Societatem, conceſſione illius Majoris.*

Judicium Congregationis de Tertia Propoſitione.

Expensâ hac tertiâ Propoſitione Molinæ à Patribus Conſultoribus, poſt diligentem veritatis indagationem, DD. Epiſcopi primùm, deinde Patres Theologi judicium ferentes, cenſuerunt unanimi conſenſu, utramque propoſitionem adverſari expreſsè doctrinæ S. Auguſtini, & continere errorem Semipelagianorum. Ab hac tamen communi omnium Patrum Conſultorum ſententiâ deviarunt D. Epiſcopus Aquilenſis, qui dicebat illam eſſe probabilem, & non eſſe contra doctrinam S. Auguſtini; Procurator Ordinis S. Auguſtini, qui cenſuit illam ſententiam Molinæ in modo loquendi eſſe contrariam S. Auguſtino, poſſe tamen reduci ad ſenſum Catholicum; & Regens Carmelitarum, qui

“*Ex Actis Secretarii. In Compendio ſic:* “Ex locis citatis apparet Molinam formaliter docuiſſe poſſe hominem ſolis viribus naturalibus optare ſupernaturaliter credere.

„ qui dixit sententiam Molinæ, præscindendo ab ordine horum actuum, esse communem omnium scholasticorum; & non reperiri quidem apud S. Augustinum, illi tamen non adversari. Et absoluta est præsens actio horâ 17.

& auxilium gratiæ divinæ petere, atque etiam ad illud recipiendum se disponere. Hanc autem sententiam esse contra expressam doctrinam S. Augustini, & continere errorem Semipelagianorum ab Ecclesia damnatum in Concilio Arausicano II. constitit ex Can. 2. & ex innumeris pene locis S. Augustini.

CAPUT UNDECIMUM.

Quid Quinta & Sexta Congregatione disputatum & definitum.

Die 23. Julii 1602. habita est Congregatio Quinta, coram Clemente VIII. Disputatum est de Quarta Molinæ Propositione; nempe, *Eo modo Deus suâ sapientiâ leges, quibus vitam spiritualem atque ejus incrementum conferret, accommodavit, ut sicut per gratiam, hominis naturam ex se liberam perficiebat, ita etiam & ante receptionem gratiæ, & in ipsa gratiæ receptione, & postea in augmento illius, suum locum libero relinqueret arbitrio: quatenus ita ipse esset Autor omnium bonorum omniaque ei accepta referrentur, ut nihilominus libero arbitrio propria industria & laus servaretur.* Disp. 9. §. *Ut qui.*

Ex ipso Congregationis exordio, cœpit Sanctissimus Pontifex nonnulla contra Valentiam superiori disputationi adjicere: ut ostenderet, Molinam fidem revera Christianam naturæ viribus tribuisse; tametsi, Pelagianorum more, eam tam honesto vocabulo insignire erubuerit. Ostendit enim, illum fidem per dilectionem operantem nativis viribus adscripsisse; quâ nempè Deum bonis omnibus anteponat, ac pro illo mortem oppetere desideret: quæ res potissimum dilectionis argumentum est, dicente Christo: *Majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis*; Vix dici queat, quantùm hoc argumentum torserit Molinæ Vindices. Respondit Valentia, Molinam dilectionem duntaxat naturalem naturæ viribus dedisse. Societatis Præpositus, Episcopus Aquilanus & Antonius Bovius, eam fidei Christianæ definitionem (quòd nempè illa sit quæ per dilectionem operatur) ut impropriam sugillarunt. Quos cùm ex Apostoli doctrinâ fusiùs exagitasset Thomas de Lemos; ad Quartam Molinæ Propositionem, jubente Pontifice ventum est.

Joan. 15. 13.

Ejus itaque defensionem arripuit Gregorius de Valentia, multaque dixit ad propriam liberi arbitrii laudem & industriam propugnandam; aliàs enim excisum iri humanam libertatem significavit. Ambiguum Molinæ sensum variis multiplicibusque circulationibus implicavit: duo illa promiscuè ac studiosè confundens, libertatem arbitrii ejusdemque nativam industriam, laudemque nativis conatibus debitam.

Molinianæ Propositionis æquivocationem detexit Lemosius, illamque in tres partes distribuens, Pelagianum sensum aperuit, quo propriam libero arbitrio industriam & laudem servatam volebat ante gratiæ receptionem, in gratiæ receptione, ac tandem post ejusdem gratiæ receptionem. Primo quidem ante gratiæ receptionem, inquit, propriam industriam & laudem libero arbitrio Molina servari contendit; quatenus liberum arbitrium possit quodcunque bonum opus fini naturali accommodatum elicere, perindè ac si in puris naturalibus conditum esset, possitque etiam ex sola naturæ facultate assentiri omnibus fidei mysteriis, tanquam revelatis à Deo, & quia revelata sunt, assensu certo & firmo, & cui falsum subesse non possit. In receptione gratiæ propriam libero arbitrio industriam & laudem servari vult; quatenus existimat, liberum arbitrium à Deo tantùm excitatum seipsum movere & applicare per actum propriæ facultatis ad receptionem gratiæ. Post receptionem denique gratiæ, servari vult liberi arbitrii laudem atque industriam; quatenus putat in omnibus operibus meritoriis, & in perseverantia in bono usque in finem, liberum arbitrium à Deo solo excitatum ita se habere, ut & principium motus, & operis exhibitio, & perseverantia in bono, fit ex facultate naturæ, cui Deus tantùm dederit per gratiam prævenientem, seu sufficientem, posse benè operari. Tria ista capita variis Molinæ testimoniis confirmavit vir eruditus; tametsi primùm superioribus disputationibus satis eliquatum esset, ac de illo etiam à Censoribus judicatum.

Ad hæc pauca reposuit de Valentia. Molestè in primis habuit tot illas Molinæ sententias in medium adductas, ut unius Quartæ Propositionis sensus aperiretur. Secundò Molinæ propositiones emollivit; ne adeò virtuti gratiæ detrahere videretur. Demùm liberi arbitrii partes, ex doctrina Concilii Tridentini servandas probavit.

Duo priora novâ oratione confutavit Lemosius. Ad tertium paucis respondit Prædicatorum Generalis. *Concedimus nos*, inquit, *laudem deberi libero arbitrio, & in hoc omnes convenimus: sed longè dissentimus*

ab invicem in assignanda radice hujus laudis. Nos enim ideo dicimus deberi laudem libero arbitrio, quia excitatum & adjutum à Deo antecedenter, liberè consentit & operatur ex virtute divinæ gratiæ; Molina verò & ejus defensores, ideo tribuunt laudem libero arbitrio, quia excitatum & invitatum tantum à Deo, consensum præbet ex facultate & vigore naturæ: quod est Pelagianum.

Disputationi finem dedit Summus Pontifex horâ 14. utrisque Patribus dimissis.

Judicium Congregationis de 4. Propositione.

„ Cùm tam DD. Episcopi, quàm cæteri Patres, plenè cumulatèque de Quarta „Propositione Molinæ disseruissent; & S. „Augustini sententias ad præsentem con„troversiam spectantes æquè expendissent: „Molinæ etiam rationes, quibus opinionem „suam confirmare conatus est, perpondes„rassent: tandem convenerunt omnes, præ„dictam Propositionem Quartam adversari „doctrinæ S. Augustini, traditæ contra „Pelagianos & Semipelagianos. Ab illorum „tamen sententia deviarunt D. Episcopus „Aquilensis & P. Regens Collegii Carme„litarum; qui dixerunt propositionem il„lam Molinæ non esse contrariam S. Au„gustino; quamvis non expressè reperiatur „apud illum. P. Procurator verò S. Au„gustini censuit, hanc propositionem esse „omninò rejiciendam, quia in modo lo„quendi sapit errorem Pelagianorum; „quamvis adhibitis explicationibus possit „ad verum sensum reduci. Quibus consti„tutis, absoluta fuit præsens actio horâ 17.

Ex Actis secretarii, et in Compendio sic: Expensâ Molinæ doctrinâ, apparuit hanc quartam illius Propositionem esse alienam à doctrina S. Augustini, & dignam gravi censura; quoniam cum sit veluti compendium totius doctrinæ de gratia divina, quam tradidit in libro suæ Concordiæ, complectitur tres errores Semipelagianorum contra gratiam assertos, cui detrahere moliebantur, quod libero arbitrio concederent. Docebant enim, hominem absque Dei adjutorio ex sola facultate naturæ posse credere divina mysteria, desiderare, petere, & quærere Dei misericordiam. Et hoc est quod Molina dicit, ante receptionem gratiæ libero arbitrio propriam industriam & laudem servari. Deinde asserebant, gratiam divinam dari desiderantibus, credentibus, petentibus: sed tamen gratiam istam comitem esse, non præviam. Quod etiam indicavit Molina, ubi ait, servari etiam propriam industriam & laudem libero arbitrio in ipsa gratiæ receptione, ut expresse docuit pluribus in locis suæ Concordiæ. Ac tandem contendebant, impetratâ jam gratiâ, ex humana industria pendere, quòd homo perseveret usque in finem: vel ex humanâ negligentiâ oriri, ut à gratia cadat. Quod & Molina significavit, quando dixit, in augmento gratiæ servari quoque libero arbitrio propriam industriam & laudem, ut postea docuit qu. 23. art. 4. disp. 1. memb. ult. §. *Secundo*. Ex quo constat, Molinam non agnovisse perseverantiam in gratia esse singulare Dei donum, quod electis suis misericorditer concedit. Est denique præfata Molinæ Propositio absolutè contraria doctrinæ S. Augustini, quippe qui quàm sæpissimè clamat contra Pelagianos, & eorum reliquias, non posse hominem sine adjutorio gratiæ divinæ habere bonam voluntatem, non industriam, non laudem, non bonum meritum. Quid enim boni meriti habere possunt peccatores? Quam laudem, aut industriam ad bonum habebunt homines à Deo aversi, & adversi Deo, nisi liberentur per gratiam?

Die 6. mensis Augusti 1602. Habita est Congregatio Sexta cui (quemadmodum & sequentibus) unà secum interesse voluit Clemens VIII. alios Eminentissimos Cardinales Inquisitores Generales, Hieronymum Asculanum, Dominicum Pinellum, Paulum Æmilium Sfondratum, Franciscum de Avila. Actum de Quinta Molinæ Propositione; videlicet, *Negari non potest complurium esse Scholasticorum sententiam, liberum arbitrium nostrum cum solo concursu generali Dei, elicere posse non solùm actum attritionis naturalem, id est, dolorem de peccatis ex Dei timore, cum proposito ampliùs non peccandi lethaliter, sed etiam actum contritionis naturalem, qui idem propositum non peccandi ampliùs lethaliter includat.* Disp. 14. memb. 1. in principio, & §. *Ratio verò.*

Prior Molinæ causam egit Gregorius de Valentia. Præmisit in primis propositionem hanc à Molina nuspiam asseveranter traditam fuisse, etsi in illam propenderit. Tum duo probanda aggressus est: 1. Sententiam hanc permultis Theologis communem esse, quos inter recensuit S. Thomam, Soto, Cajetanum, Paludanum, Scotum & Basolis. 2. Eam ab errore quàm longissimè distare.

Stetit ex adverso Thomas de Lemos: qui Molinæ versutiam atque circuitus in periculosis opinionibus dissimulandis & obtegendis aperuit: multisque collatis contextibus ostendit, illum reipsa doctrinam illam defendisse, quam sinuosis verborum ambagibus dissimulare tentaverat. Deinde ad controversiæ caput veniens, probavit assertionem illam Pelagianam esse, Concilii Tridentini definitionibus adversam, à S. Thoma aliisque magnis Theologis reprobatam. Ejus inter argumenta potissimum istud fuit: *Ex Canone quinto Sessionis 14. Concilii Tridentini: Si quis dixerit eam contritionem, quæ paratur per discussionem, collectionem, & detestationem peccatorum, qua quis recogitat annos suos in amaritudine animæ suæ, ponderando peccatorum suorum gravitatem, multitudinem, fœditatem, amissionem æternæ beatitudinis, & æternæ damnationis incursum, cum proposito melioris vitæ, non esse verum & utilem dolorem, nec præparare ad gratiam &c. anathema sit. At Molina docet* (*disp.* 14. *mem.* 1. §. Ratio.) *præexistente maximè lumine fidei, posse hominem, in primis proprio acumine, vel alterius suggestione, considerare innumera & maxima Dei beneficia, quæ in nos contulit, & peccatorum suorum gravitatem & fœditatem, nec non propter ipsam sempiternæ felicitatis amissionem*

sionem, atque extremam miseriam, in quam aliàs incideret, nisi prius verè de illis doleat: deindè verò ex ista tam potenti consideratione, posse elicere dolorem & detestationem suorum scelerum, cum proposito cavendi in posterum omnia peccata lethalia; idque absque speciali divinæ gratiæ auxilio: sed tamen istum dolorem esse insufficientem ad salutem, & non præparare hominis voluntatem ad gratiam. Ergo doctrina Molinæ de contritione naturali, in propriis terminis ejus, est damnata in Concilio Tridentino. Quia videlicet, id ipsum quod gratiæ moventi tribuerunt Tridentini Patres, & uti præparationem ad gratiam justificationis obtinendam commendarunt, Molina naturæ viribus adscripsit, & ad gratiam justificationis minimè disponere supposuit, ne in Pelagianismum palàm incidere videretur.

Nodum ut solveret Valentia, respondit Concilium de contritione piâ & salutari; Molinam autem de contritione morali disseruisse. Quem idcircò Sanctissimus ita interpellavit: *Dicas mihi: illa contritio à Molina tot circumstantiis circumscripta, est-ne fructuosa? Placet-ne Deo? An verò est infructuosa & Deo non placet? Si est fructuosa & Deo acceptabilis, negare non poteris esse donum Dei, & ex inspiratione & adjutorio Dei elici; non autem ex solis viribus naturæ. Si non est fructuosa neque Deo placet, bene colligebat Pater Lemos, quòd Molina docuerit, ejusmodi contritionem esse insufficientem, contra decretum Concilii Tridentini.* Dicente autem illo, eam contritionem per sese fructuosam esse moraliter, conciliatâ verò gratiâ, fructuosam evadere ad salutem æternam; secundò instavit Pontifex: *Isto modo, etiam colere agros, plantare vineas, habere amicos, & alia hujusmodi opera, quæ S. Augustinus commemorat, sunt fructuosa. Sed hoc non est respondere ad interrogata. Quæro igitur à te, An illa contritio, prout à Molina circumscribitur tam multis circumstantiis, sit fructuosa, pia, & Deo acceptabilis?*

Idem ad illa respondit Valentia: hoc unum addens, contritionem à Concilio Tridentino memoratam, ideò gratiæ viribus tribui, quia spem veniæ secum adjunctam habet; qualis certè non est illa, quam Molina defendit. Responsum è vestigio impugnavit Lemosius: spem veniæ à Molina pariter, inter fructus contritionis ab ipso descriptæ recensitam ostendit, ex fine paragraphi supra memorati. Qua de re convictus Valentia, Molinam *de spe morali* non Christiana locutum, subjunxit.

Inauditum figmentum impetiit adversarius; eâ maximè ratione, quòd de spe ex fide supernaturali ortâ, toto illo paragrapho disputasset Molina; ipsamque (quod pejus est) fidem supernaturalem naturæ viribus, perinde ac Semipelagiani, tribuisset: quemadmodum in Quarta Congregatione à se demonstratum, & à Censoribus definitum fuerat.

Mirum quantùm ad illa verba excanduerint Valentia & Societatis Generalis! Inquisiere undenam rem definitam sciret? An Congregationis Acta consuluisset? *Hoc fuit hic publicè conclusum*, inquit ille, *& ideò me remitto ad Acta; ex illis constabit, concesseritne hoc Valentia, an non.* Alia subinde Molinæ loca in medium adduxit, ut Molinam de vera contritione locutum ostenderet: eaque confutavit, quæ in ejus gratiam defensores ipsius adduxerant. Quibus cùm illi multa interloquendo reposuissent, rursusque reponere vellent, subjunxit Pontifex: *Quoniam jam multum temporis defluxit, & ut video nihil de novo adducitis, sed ad eadem argumenta recurritis, sit hic hujus concertationis finis.* Atque ita disputatio, dimissâ utraque parte, soluta est.

Ex qu. 14. memb. 5. §. *Istud tamen.*

Judicium Congregationis de Quinta Propositione.

" Dimissis utrisque Patribus, post dili-
" gentem & maturam veritatis inquisitio-
" nem, cùm singuli de hac Quinta Propo-
" sitione Molinæ, diffuso sermone disseruis-
" sent; censuerunt communiter omnes DD.
" Episcopi & Patres Theologi, prædi-
" ctam propositionem in sensu & terminis
" traditam & assertam à Molina, nullo mo-
" do posse deduci ex doctrina S. Augustini,
" sed potiùs illi omninò adversari, atque
" adeò tamquàm Pelagianam esse prorsùs
" rejiciendam. Ab isto tamen communi ju-
" dicio deviarunt D. Episcopus Aquilensis
" & P. Regens Collegii Carmelitarum,
" qui dixerunt illam non adversari doctrinæ
" S. Augustini. Et sic absoluta est præsens
" actio, prope horam 18.

Ex Actis Secret. Ac in Compendio sic: Ex locis citatis, & ex memb. 3. ejusdem disp. propè finem, & ex disp. 19. memb. §. *Ad quartam*, nec non ex §. *Fortè mirabitur*, quem in edit. Antverp. addidit memb. 6. disp. 19. diligenter expensis, constitit fuisse expressam sententiam Molinæ ab ipso ex professo traditam, Quòd homo in statu naturæ lapsæ possit ex solis viribus naturalibus absque ullo gratiæ divinæ speciali adjutorio dolere de peccatis cum proposito absoluto ampliùs non peccandi letaliter, non solùm ex timore gehennæ, sed etiam ex consideratione bonitatis divinæ, & amore ipsius Dei super omnia. Quam sententiam adversari doctrinæ S. Augustini, & Ecclesiæ Catholicæ definitionibus, potissimum in Concilio Arausicano & in Tridentino editis, ex multis conclusum est.

CAPUT DUODECIMUM.

Quid Septimâ Congregatione disputatum? Quid Octava definitum?

DIe 19. Augusti 1602. coram S. D. N. Clemente VIII. habita est Congregatio Septima. De Sexta Molinæ propositione disputatum est: nimirùm, *Homo solis viribus naturalibus & concursu generali Dei, elicere potest actum absolutum, merè naturalem dilectionis Dei super omnia, qui ad justificationem nequaquam sufficiat; & propositum absolutum servandi in genere præcepta omnia, præsertim quando occasiones & difficultates omnes absunt, quod ad attritionem & contritionem, quoad substantiam actus, sit sufficiens.* Disp. 14. mem. 3. §. *Duo quædam*, cum paragrapho sequente, & §. *Novum*, disp. 15.

Congressum gravi ac prolixo sermone exorsus est Clemens VIII. quo disputantibus nimium concertationis ardorem & contentionem objecit: quasi quæ viros religiosos, in hisce præsertim fidei controversiis, minùs deceat. Patribus Societatis exprobravit, quòd post oblatam olim S. Augustini citationum farraginem, quæ ad præsens institutum nihil aut parum faciebat; cum jam de conferendâ S. Augustini & Molinæ sententiâ tractandum esset, Augustino penè dimisso, ad scholasticos Doctores disputationem convertissent. Quibus tamen diligentiùs introspectis, unicum Gregorium Ariminensem (cujus sententia jam olim ab omnibus rejecta fuit) invenerat Sanctitas Sua, qui Sextæ Molinæ Propositioni utcunque favere videretur.

Postmodùm in Sextam illam Propositionem prolixè disseruit: undè totam naturæ sanæ & corruptæ distinctionem funditùs everti demonstravit. Trimembrem dilectionis Dei distinctionem à Molina, ut Pelagianismi labem effugeret, excogitatam sudit: qua nempè dilectionem Dei distribuit in dilectionem meræ velleitatis, dum aliquis ex amoris affectu vellet Dei mandata servare; dilectionem absolutam sed inefficacem, dum scilicet aliquis verè justus successu temporis à justitia excidens, non omnia Dei mandata exsequitur, quæ priùs sincero animo & ex charitatis affectu implere decreverat; dilectionem tandem absolutam & efficacem, dum nempe opere complet quæ antea proposuerat: probavitque Molinam eo novo figmento dilectionem efficacem cum perseverantiæ dono confudisse: ac propterea inde consequens fore, nec primos Parentes in statu Innocentiæ, nec justum ullum qui in accepta justitia ad finem usque non stetit, Deum efficaciter dilexisse.

His dictis pro Molina in aciem venit Gregorius de Valentia. *Beatissime Pater*, inquit, *quæ dicta sunt à Sanctitate Vestrâ, aptissimè fuerunt producta ad explicandam hujus rei difficultatem, & etiam sunt vera secundùm probabiliores sententias. Sed tamen quæri adhuc potest, an quæ dicit Molina, saltem probabiliter possint defendi, sine nota hæresis Pelagianæ.* Id ut ostenderet, observavit, Molinam in Sexta Propositione de dilectione Dei super omnia inefficaci disseruisse: id est, subjunxit, *quæ non complectitur observantiam mandatorum, atque adeò simul stat cum peccato.*

Tunc orationem interrupit Summus Pontifex: " Animadverte, P. Valentia, " quòd Molina inter velleitatem, qua quis " ex dilectionis & amoris affectu vellet ser- " vare mandata omnia, simpliciter tamen & " absolutè id non vult; & inter voluntatem " absolutam & efficacem, qua ex eodem " affectu idem vult, & opere postea com- " plet, constituit voluntatem absolutam & " inefficacem, qua ex eodem affectu idem " vult, sed opere postea non complet. Cur " non appellavit Molina hujusmodi volun- " tatem & affectum dilectionis Dei, actum " imperfectum, seu imperfectam dilectio- " nem, ut Doctores loquuntur. Certè non " aliâ de causâ, nisi quia si illam dilectionem " dixisset esse imperfectam, facilè contra " illum evinci posset, ejusmodi dilectionem " Dei non esse super omnia. Cùm autem " Molina docet in statu naturæ corruptæ, " gratiæ & dilectionis Dei efficaciam pen- " dere ex futura observantiâ mandatorum; " ita ut libenter etiam concedat, primos Pa- " rentes ante lapsum non dilexisse Deum di- " lectione illa efficaci; procul dubio tantas " vires tribuit liberò arbitrio hominis lapsi, " quantas habuit in naturâ integrâ. Potest " enim secundùm Molinam diligere Deum " dilectione absoluta, inefficaci tamen, qua- " lem primi parentes habuerunt, antequam " peccarent. Et postea cautè asserit, solam " illam dilectionem esse efficacem, quæ ha- " bet conjunctam perseverantiam in obser- " vantia legis; ut faciliùs persuaderet, posse " hominem ex propriis suis viribus elicere " actum absolutum & perfectissimum dile- " ctionis Dei super omnia. Quòd enim hu- " jusmodi homo postea labatur in peccatum, " non tollit quominùs actus ille dilectionis " Dei super omnia absolutus, fuerit perfe- " ctissi- "

„ ctissimus actus voluntatis in suo genere :
„ & quod, in via Molinæ, gratia per quam
„ quis perseverat, non habeat efficaciam suam
„ ex dono Dei, sed potius ex futuro affectu
„ liberi arbitrii. Quæ omnia magnam in se
„ continent difficultatem, multumque di-
„ stant à doctrinâ S. Augustini. Sed tamen
„ nunc vos progredimini ad ulteriora, &
„ agite de ipsa Propositione.

Nihil ad hæc Gregorius de Valentia : sed missâ in alterum tempus hujus argumenti tractatione, ad Propositionem ipsam continuò venit : de qua duo dixit. Primum, Molinam in eam dumtaxat propendisse, non absolutè propugnasse : Secundum à Pelagianorum errore longè abesse; quia amor naturæ viribus à Pelagianis adscriptus, excludit affectum peccati mortalis; secùs verò dilectio Moliniana. Rursus hìc dicentem interpellavit Sanctissimus Pontifex : " Pater Valentia, inquit, ista
„ dilectio, quam dicis posse consistere cum
„ affectu peccati mortalis, non est actus ab-
„ solutus, sed velleitas quædam, de qua
„ non est quæstio cum Molina : sed de di-
„ lectione Dei super omnia absolutâ; quam
„ dicit posse haberi ex viribus naturæ, cum
„ proposito etiam absoluto servandi omnia
„ præcepta.

Respondit ille, dilectionem etiam absolutam à Molina naturæ viribus adscriptam, cum affectu peccati stare posse : eamque ab efficaci secernendam esse, de qua Pelagiani cum Augustino disputarunt. Quocircà multa ex Augustino protulit, ut Pelagianorum errorem in eo dumtaxat situm ostenderet, quòd amorem Dei plenæ & integræ divinorum mandatorum observantiæ conjunctum, nativis viribus parem propugnassent. Bullam Gregorii XIII. adversùs Baium velut apertam Molinianæ sententiæ definitionem laudavit; quòd in ea duplicis amoris distinctio definita sit. Ac tandem ab anno 1200. ad sua usque tempora decurrens, triginta & amplius Doctores scholasticos laudavit, qui eidem doctrinæ adstavissent.

Pugnavit pro adversâ parte Prædicatorum Generalis : qui universam Valentiæ actionem ad quatuor capita revocans, Sextam Propositionem Pelagianismi meritò insimulatam ostendit. Probavit enim in primis, Molinam in Sextæ Propositionis doctrinam, non propendisse modò, sed & reipsa eam propugnasse; argumento petito ex §. *Forte mirabitur*, quem editioni Antverpiensi addidit. Secundò probavit Doctores Scholasticos huic sententiæ non adstavisse : *Quia*, inquit, *solùm dicunt posse hominem elicere actum quemdam imperfectum, & secundum substantiam actus dilectionis Dei, qui sit velleitas quadam; atque adeò non habeat ordinem ad gratiam. Quod si quidam ex scholasticis dixerunt, posse hominem naturæ solius viribus diligere Deum naturali dilectione aut hanc dilectionem Dei naturalem esse similem dilectioni Dei supernaturali; vel dari dilectionem Dei naturalem secundùm præsentem statum; nunquam tamen docuerunt, quòd possit ex sola sua facultate, sine speciali Dei auxilio, diligere Deum super omnia. Nam ista Dei dilectio super omnia dicit modum, quem illi excludunt, admittentes solùm dilectionem Dei quoad substantiam actus.* Tertiò ostendit, multùm abesse, ut eam Molinæ doctrinam Gregorius XIII. definierit : quia licet distinctionem duplicis amoris agnoverit; de viribus tamen liberi arbitrii in amoris naturalis actibus eliciendis, nihil decrevit. Quartò ostendit, non modò huic novo dogmati Augustinum non adstavisse; verùm etiam illud idem, uti Pelagianum errorem totis viribus impugnasse. Demùm occupavit effugium, quo Valentia Molinam ab errore liberare tentaverat; nempè absolutam Dei dilectionem non censeri efficacem, nisi reipsâ omnia mandata postmodùm exsequatur, quæ priùs sincero animo & ex charitatis affectu implere posse decreverat.

In eodem effugio impugnando, non parùm temporis insumsit Thomas de Lemos; tum ob absurdas consecutiones inde derivatas; tum maximè quia actus absolutus dilectionis Dei super omnia, pro tempore quo durat, continet, in virtute & voto omnium præceptorum observantiam, ac propterea simul efficax est; quantumcunque homo deinceps à justitia excidat : ex quo intulit, Molinam efficacem Dei dilectionem super omnia naturæ viribus tribuisse, dum eis absolutam dilectionem adscripsit.

Non ob id tamen cessit Valentia; sed Molinæ principiis insistens, nullum Dei amorem efficacem esse contendit, nisi in eo qui integrâ omnium mandatorum observantia ad finem usque perseverat. Quem cùm diutius hoc de argumento audisset Pontifex, adeò in eam doctrinam commotus est, ut Lemosii partes in se sumens, disputationem ad finem usque prosecutus sit, ut novi hujusce systematis ineptiam demonstraret. *Vos dicitis*, inquit, *non habere dilectionem efficacem nisi illum, in quo viget iste actus usque ad finem vitæ : ergo nullus habet hanc dilectionem, nisi perseveret usque ad finem vitæ : igitur illud præceptum*

 non

non potest observari, nisi ab illo qui perseverat usque ad finem vitæ. Respondit Valentia: *Potest observari hoc præceptum ex parte, non ex toto.* Instavit Pontifex: *Sit homo aliquis, qui diligat Deum ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente, & ex tota virtute sua, qui perseveret in hujusmodi dilectione, per duos, vel tres, vel plures annos, & postea labatur in peccatum: iste secundùm vestram doctrinam non potest dici, quod habuerit pro tempore quo Deum dilexit, efficacem Dei dilectionem, quia non perseveravit in illa dilectione usque in finem: & tamen dilexit Deum ex toto corde suo, ex tota anima sua, ex tota mente sua, & ex tota virtute sua.* Reposuit ille: *Illa dilectio fuit efficax, quia duravit longo tempore.* Subsumsit Beatissimus Pater: *Jam ergo illa dilectio fuit efficax, pro toto illo tempore quo duravit, quamvis postea labatur in peccatum. Ergo lapsus futurus, non tollit, quominùs dilectio Dei super omnia sit efficax pro tempore quo durat.* Replicavit ille: *Dilectio illa si diu duravit, & oblatas difficultates superavit, potest dici efficax pro eo tempore, quamvis non perseveraverit usque in finem.* Instavit rursus Pontifex: *Igitur secundùm vos, illa sola erit dilectio Dei efficax, per quam homo actu superat difficultates, & resistit tentationibus. Sit itaque aliquis, qui ad Deum conversus, extra occasiones omnes constitutus, diligat Deum ex toto corde suo super omnia, & cum proposito servandi omnia præcepta, & post unum vel duos dies, vel etiam post duas vel tres horas, quibus ita Deum dilexit, moriatur: quòd iste vitam æternam consequetur, non negabis. Vel igitur iste habuit pro brevi illo tempore dilectionem efficacem, vel inefficacem. Si inefficacem, ergo sine dilectione Dei efficaci salutem sempiternam consequetur. Si efficacem, falsum igitur est, solam illam esse efficacem dilectionem Dei, quæ est super omnia quæ progressu temporis occurrunt, ita ut in occasionibus oblatis superet difficultates omnes.* Insolubili argumento frigidè respondit Valentia: *Illa dici potest dilectio efficax, quamvis brevi tempore duraverit, quia perseveravit usque in finem.*

His dictis insurrexit Lemosius, non ut quidpiam efficacissimo Pontificis argumento adjiceret, sed ut nonnulla à Molinâ asserta ostenderet, quæ priùs Valentia pernegaverat. Jam Codicem aperuerat, cùm ob elapsi temporis diuturnitatem, disputationi finem fecit Clemens VIII. jussitque ut judicium de Sexta Propositione, in diem alteram differetur; quòd non satis temporis superesset, ut tunc de illa inter sese Consultores conferre possent.

Judicium de Sexta Molinæ Propositione.

Die 20. mensis Augusti, anno 1602. hora 13. cùm priùs S. D. N. sacrum fecisset; collectis DD. Cardinalibus, Episcopis & Patribus Theologis in unum, dixit S. D. N. ut singuli Consultores, sigillatim dicerent de Sextâ Propositione Molinæ. Qui cum tam propositionem in se, quàm rationes, & Doctorum Scholasticorum sententias, quibus Molina & Defensores ejus illam ab omni erroris suspicione vindicare conati fuerant, æquè expendissent, & cum doctrinâ S. Augustini contra Pelagianos traditâ maturo judicio contulissent: post diligentem discussionem & examinationem illorum omnium, quæ pro Molinæ doctrinâ contentâ in prædicta propositione, vel producta fuerant, vel produci potuissent: censuerunt omnes, Sextam Propositionem Molinæ, neque esse secundùm doctrinam S. Augustini, neque ex illa ullo modo posse deduci, sed potiùs illi omninò adversari. Cùm tamen hujus sententiæ omnes fuissent; D. Episcopus Aquilensis, & P. Regens Collegii Carmelitarum dixerunt, sententiam Molinæ non esse contra S. Augustinum. P. verò Procurator Ordinis S. Augustini in eam sententiam descendit, ut putarit Molinam in modo saltem loquendi assentiri Pelagianis, atque adeò discedere à S. Augustini doctrina. Et absoluta fuit præsens actio, prope horam 18.

Ex Actis Secretarii. In Compendio sic: Ex doctrina S. Augustini ex professo tradita contra Pelagianos, & eorum reliquias multis in locis, & ex Conciliis Milevitano Can. 4. & Arausic. 2. Can. ult. & Trid. Sess. 6. Can. 6. & c. 7. resolvit Congregatio, non posse hominem in statu naturæ lapsæ sine speciali divinæ gratiæ adjutorio diligere Deum, neque ut auctorem naturæ, neque ut largitorem gratiæ & gloriæ, neque perfectè, neque imperfectè, & hanc sententiam S. Augustini esse doctrinam Ecclesiæ, atque ab illa omninò defecisse Molinam in hac Sexta propositione, quæ neque in propriis terminis apud S. Augustinum reperitur, neque ex illius doctrina ulla ratione deduci potest.

CAPUT DECIMUM-TERTIUM.

Quid Nonâ Congregatione disputatum? Quid Decimâ definitum?

DIe 2. Septembris 1602. habita est Nona Congregatio, coram Clemente VIII. Disputatum fuit de Septima Molinæ Propositione, seu: *An interim dum judicium rationis non absorbetur, maneat in libero arbitrio, cum solo concursu generali Dei, libertas ad non consentiendum, in quocunque temporis momento, cuicunque gravi tentationi, & ad superandam quamcunque magnam difficultatem, quam pro servanda in eo solùm instanti lege naturali, necesse sit vincere, etiamsi ea de causa mors sit toleranda; ita videlicet ut si consentiat, peccet, eò quòd secluso quocunque alio majori auxilio, in potestate ipsius*

sius, tametsi non sine ingenti difficultate, positum sit, non transgredi tunc legem. Disp. 19. memb. 1. Et in memb. 2. partem affirmantem amplectitur, ut patet etiam ex memb. 6. §. *Forte mirabitur*, quem addidit in editione Antverpiensi.

Quam superioris Disputationis initio Disputantibus objurgationem fecerat Clemens VIII. affectatæ nimiæ contentionis & rixæ, eandem illam durioribus verbis, sub istius exordio innovavit. Quosnam porro suâ illâ increpatione peteret Sanctissimus Pontifex, Prædicatores ne, an Jesuitas, an utrosque simul, plus satis ostendit, dum in eos conversus irrisoriè ait: Si tam leviter lacessiti, neque vos continetis, neque à verbis temperatis, quonam pacto nobis persuadere vultis (quæ est sententia Molinæ) posse quempiam sine auxilio Dei, quamcunque etiam gravissimam tentationem vehementissimamque difficultatem superare?

His præmissis pro Molinâ certavit Gregorius de Valentia; qui Septimam Propositionem ab errore Pelagiano vindicaturus, tria hæresis illius capita distinxit, à quibus Molinam remotissimum dixit. Primum hæresis Pelagianæ caput in eo posuit, Quòd contenderent posse hominem ex solo bono naturæ superare omnes omninò tentationes, ita ut nulla esset quam non valeret ex se sine Dei adjutorio vincere. Secundum, quòd putarent posse hominem superare etiam multas tentationes eodem tempore occurrentes & quaslibet, vel quamlibet etiam gravem & vehementem diu sine Dei gratia, ita ut non solùm multas, verùm & diuturnas posset ex se solo vincere. Tertium, quòd evincere conarentur posse hominem sine gratiâ superare omnes tentationes simul, & quamlibet, non tantùm ad vitandum peccatum, sed etiam ex fide & ex charitate, piè & meritoriè. Postmodùm ad Doctores Scholasticos gressum fecit: quos inter, viginti sex numeravit, qui Molinæ Systemati patrocinarentur.

Eam disputandi rationem improbavit Clemens VIII. "Ego, inquit, vobis proposui quasdam propositiones desumtas ex Molinæ CONCORDIA, quarum una hæc est, de superandis tentationibus ex sola facultate naturæ: & præcepi, ut de illarum veritate dissereretis secundùm mentem S. Augustini. Vos autem ad Scholasticos passim, relicto S. Augustino, recurritis; cùm tamen in sacris Conciliis, quando agitur de doctrina fidei stabiliendâ vel definiendâ, & erroribus exstirpandis, non ad Scholasticos, sed ad Patres, vel ad sacras Scripturas & ad Concilia approbata videam provocari. Nihil tamen salutari illa monitione territus Valentia, stetit in incœpto: Doctorum Scholasticorum suffragia persecutus est, ut liberi arbitrii vires, in vitandis peccatis ac superandis tentationibus extolleret. Quem idcircò Pontifex secundo interpellavit, & ad legitimos disputationis cardines reduxit: *Audi*, inquit, *quid definit Concilium Tridentinum de peccato Originali.* "Si quis non confitetur primum hominem Adam, cum mandatum Dei in paradiso fuisset transgressus, statim sanctitatem & justitiam in qua constitutus fuerat amisisse, incurrisseque per offensam prævaricationis hujusmodi, iram & indignationem Dei, atque ideò mortem, quam antea illi comminatus fuerat Deus, & cum morte captivitatem sub ejus potestate, qui mortis deinde habuit imperium, hoc est diaboli; totumque Adam per illam prævaricationis offensam, secundùm corpus & animam in deteriùs commutatum fuisse, Anathema sit."

Certè ego non video, quomodo cum veritate hujus Decreti possit consistere doctrina Molinæ. Nam Concilium definit hominem per peccatum Originale incurrisse mortem, & cum morte captivitatem sub diaboli potestate; atque secundùm corpus & animam in deteriùs fuisse commutatum. Molina verò docet in homine tantas esse vires naturæ, ut possit sine Dei auxilio assentiri omnibus fidei mysteriis, tanquam à Deo revelatis; sperare æternam beatitudinem, & quæ ab illo revelata & promissa sunt nobis; diligere Deum super omnia; habere propositum absolutum servandi omnia mandata obligantia sub culpa lethali; dolere de peccatis propter Deum; superare quamcunque gravem vehementemque tentationem, ac mortem pro Deo oppetere, ne in peccatum labatur. Dicito mihi, quomodo homo in deterius est mutatus, & sub diaboli potestate est, si hæc omnia sine Dei gratia præstare potest? Aut in quo differt homo naturæ lapsæ ab homine naturæ integræ?

Respondit Valentia, iis etiam positis quæ Molina supponit, statum naturæ integræ à statu naturæ lapsæ abundè distinctum iri: quia in statu naturæ integræ hæc omnia collectivè ac diuturno tempore, immò & per totam vitam præstare posset, secùs in statu naturæ lapsæ.

Dixit subinde Thomas de Lemos, totamque Valentiæ actionem distinctis articulis impugnavit. Ostendit in primis, Pelagianos non ob id solùm errasse, quòd vellent posse hominem omnes simul vincere tentationes; verùm etiam quòd assererent posse

posse illum aliquam gravem & vehementem tentationem solis naturæ viribus superare. Secundò, eosdem illos errasse, quòd omnes occurrentes tentationes, non quidem diu, brevi tamen tempore vinci, totamque naturæ legem naturali facultate impleri posse pûtarent: indeque intulit, Molinam duplici ex capite in Pelagianismum incidisse. Tertiò probavit, Pelagianos non eo usque desipuisse, ut victoriam tentationum naturali facultate reportatam, æternæ vitæ meritoriam palàm effutirent; cùm opera sine fide & charitate facta, fructuosa esse, atque ad regna cœlestia vitamque perducere posse pernegarent. Addidit, hoc ultimum absurdum à Pelagianis pernegatum, ex Septima Molinæ Propositione per evidentem consequentiam deduci posse: perinde ac illud ex Juliani Pelagiani systemate deduxerat Augustinus. Qui enim pro Deo legis naturalis autore moreretur, gratiam à Deo mereretur & gloriam; suppositâ præsertim Molinianâ lege, de gratiâ homini facienti quod in se est conferendâ: nihil enim plus facere potest homo, quàm pro Deo mortem oppetere. Ultimo loco ad Doctores Scholasticos pro Molina laudatos venit: ex quibus neminem Septimæ Propositioni adfavisse ostendit. Siquidem vel omnes simul tentationes ad breve tempus superari, vel earum quamlibet graviorem ex legis amore vinci posse, nemo docuerat.

Ad hæc, non pauca reposuit Gregorius de Valentia. Utque naturales liberi arbitrii vires superandis tentationibus pares ostenderet, magnam argumentorum suorum vim in eo posuit, quòd eædem liberi arbitrii vires essent in natura lapsa, quales in natura pura fuissent.

In eam sententiam, repetitis interlocutionibus, acriùs declamavit Thomas de Lemos, ex qua peccatum originale exstinctum iri contendit. Immò & eò usque devenit, ut peccatum originale à Molina reipsa negatum demonstravit, in CONCORDIA quæst. 23. art. 4. & 5. disp. 1. memb. 9. Ubi parvulos sine baptismo morientes, vitam meliorem habituros defendit, omni mentis & corporis vitio immunem, perinde ac si in puris naturalibus conditi fuissent.

Disputationi dato signo finem fecit Clemens VIII. horâ 19. judiciumque de controversa quæstione in alteram Congregationem distulit.

Judicium de Septimâ Molinæ Propositione.

Ex Actis Sarnarii. „ Die 3. mensis Septembris, Anno Domini 1602. horâ 14. Cùm priùs S. D. N. sacrum fecisset: simul atque omnes convenerunt, S. D. N. imploratâ gratiâ Spiritus Sancti, juxta morem consuetum, dixit ut agerent de Septima Propositione Molinæ, quæ est de victoriâ tentationum comparandâ ex sola facultate naturæ, sine speciali ullo Dei auxilio, & singuli quid de illa sentirent, candidè proferrent: Utrum scilicet ea quæ Molina hac de re asseruit, fuerint à S. Augustino tradita; vel ita sint secundùm ejus mentem asserta, ut illius doctrinæ non adversentur.

„ Igitur præhabitâ hac de re diligenti discussione, expensâ sententiâ Molinæ, & vero illius sensu examinato, collatâ denique prædictâ propositione secundùm mentem Molinæ sincerè intellectâ, cum certâ & patenti doctrinâ S. Augustini candide relatâ, censuerunt omnes, non obstantibus ex adverso productis à Patribus Societatis in illius defensionem, Septimam Propositionem Molinæ, prout ab illo asseritur, & in proprio illius sensu, neque esse expressè traditam à S. Augustino, neque secundùm mentem ejus, & veram atque Catholicam doctrinam, contra Pelagianos & Semipelagianos, ab illo pluribus in locis ex divinis Scripturis confirmatam; sed potiùs contra illam assertam, eique omninò contrariam. A qua sententiâ discesserunt D. Episcopus Aquilensis, & P. Regens Carmelitarum, qui sustinebant hanc Septimam Propositionem Molinæ, non esse contrariam doctrinæ S. Augustini, quamvis expressè non legatur in ejus libris. Et absoluta est præsens actio propè horam 20. "

In Compendio sic: Ex inspectione totius disp. 19. & examine doctrinæ in illa à Molina traditæ, & ex collatione illius cum sententia S. Augustini, apparet propositionem septimam Molinæ, prout ab ipso asseritur, & in proprio illius sensu, esse omninò contrariâ S. Augustino, & errori Pelagii valde cōsonam. Conclusum est autem, non posse solis naturæ viribus ullam veram tentationem superari in statu naturæ corruptæ, & hanc esse expressam doctrinam Sanctorum PP. potissimùm verò Augustini, sacrorum Conciliorum & Summorum Pontificum contra Pelagianos, & eorum reliquias assertam, & definitam, ut constat ex Synodo Palæstina relata à S. Augustino in Epist. 106. & in Epistolis Conciliorum Milevitani & Carthaginensis ad Innocentium, & ex Epistola ejusdem Innocentii ad Patres Concilii Milevitani; similiter ex Epist. Zozymi, qui Innocentio successit, cujus meminit Cœlestinus Papa in Epist. ad Gallos, c. 9. & ex eadem Epistola Cœlestini, c. 6.

CAPUT DECIMUM-QUARTUM.

Quid Undecimâ Congregatione disputatum? Quid Duodecimâ definitum?

DIe 30. Septembris 1602. habita est Undecima Congregatio coram Clemente VIII. Disputatum est de secundo dubio: *An in libris S. Augustini legatur, constitutam esse à Deo legem infallibilem cum Christo Filio suo, ut quoties homo solis naturæ viribus fecerit totum quod in se est, Deus illi tribuat gratiam: vel id sit de mente S. Augustini*

gustini? Quocirca sequens Molinæ propositio discussa est: *Quotiescunque liberum arbitrium ex suis viribus naturalibus conatur, præstòve est ad conandum totum id quod ex se potest, tam circa ea quæ fides habet addiscenda & amplectenda, quàm circa dolorem de peccatis ac justificationem, à Deo conferri gratiam prævenientem, auxiliave quibus id faciat ut oportet ad salutem: quoniam id obtinuit nobis Christus ob merita sua; atque inter leges quas tam ipse, quàm Pater Æternus statuerunt de auxiliis & donis, quæ nobis Christus promeruit, merè gratis conferendis, una eaque rationi maximè consentanea fuit, ut quoties ex nostris viribus naturaliter conaremur facere quod in nobis est, præstò nobis essent auxilia gratiæ quibus ea ut oportet ad salutem efficeremus.* Disp. 10. in prin. & disp. 11. §. *Post hanc.*

Hujus propositionis orthodoxiam defendit Gregorius de Valentia. Duo probanda sibi sumsit: 1. *Nullam in ea dari partem Pelagianam, adeò quòd singulæ illius partes contineant doctrinam Catholicam.* 2. *Nihil ex illa secundùm se totam consideratâ colligi posse, quod sit Pelagianum.* De utroque capite copiosè disseruit. Circa primum, propositionem in quatuor partes distribuit, quarum nullam Pelagianam esse voluit. 1. Erat, quòd possit homo viribus naturæ facere totum quod in se est. 2. Facienti quod in se est Deus dat gratiam. 3. Gratia hæc datur ex pacto & lege. 4. Ea lex facta est propter merita Christi. Quoad secundum, nihil ex eâ doctrinâ incommodum sequi contendit; nempè ex ea lege gratiam conferendi homini facienti quod in se est, nullo pacto sequi, gratiam ex meritis dari, vel ad illam jus acquiri, vel initium justificationis nobis adscribi, vel unum ab altero naturæ viribus discerni, vel collationis gratiæ rationem ex nobis repeti, vel salutem æternam in cujusvis manibus positam esse, vel demùm in hominis voluntatem uniuscujusque damnationem refundi.

Postmodùm varios S. Augustini locos congessit in Molinianæ doctrinæ defensionem. Hos inter palmaris fuit, qui ex libro 19. de Civitate Dei capite 13. petitus est, de quo multa capite quinto diximus. Doctores demum scholasticos magno numero laudavit, qui doceant, posse hominem facere quod in se est, ut gratiam consequantur.

Pro adversa parte peroravit Thomas de Lemos. Actionem penè omnem ad hoc argumentum revocavit, cujus singulas consecutiones probavit ex SS. Augustino & Prospero: *Si facienti quod in se est ex viribus naturæ, Deus ex certâ lege confert gratiam prævenientem: ergo in negotio salutis voluntas nostra præcedit gratiam: ergo gratia Dei est pedissequa: ergo datur ex meritis.* De Semipelagianorum sententia, circa initium bonorum operum, prolixè dixit: unamque ipsorum & Molinæ doctrinam esse demonstravit. Ad solvenda deinde S. Augustini testimonia à Molinæ defensore laudata progressus, locum ex libro 19. de Civit. Dei cap. 13. laudatum, juxta textus fidem exposuit; ne, si juxta Valentiæ interpretationem exciperetur, Augustinus Pelagianis ipsis turpiùs errasse convinceretur. Ad quæ Valentia: *Nos non sumus commentati sententiam Augustini, sed illam fideliter retulimus: formalibus autem verbis ait, quòd Deus benè utenti temporalibus, ex pacto æquissimo dabit majora dona & gloriam.* *Vide supra Cap. 5.*

Incaluit hic disputatio. *Non ita inquit S. Augustinus*, subjunxit Lemos, *sed quòd homini benè utenti temporalibus, dona alia dabit Deus, scilicet ipsam immortalitatis gloriam. Ergo intelligunt Patres isti ex sententia S. Augustini, dari ipsam immortalitatis gloriam homini facienti quod in se est sine gratia divina: quod est nimis alienum ab illius mente. Quod enim ibi asserit est, Deum ex pacto æquissimo justitiæ dare gloriam illis, qui benè usi fuerint temporalibus ex divinâ gratiâ, non autem ex solis viribus naturæ: secundùm illud Apostoli:* Reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die justus Judex; non solùm autem mihi, sed & his qui diligunt adventum ejus.

Responsum hoc probavit Pontifex. S. Augustinus, inquit, in capite sequenti "expressit mentem suam. Ait enim indigere "hominem, ut non erret in bono usu temporalium, Divino Magisterio, cui certus "obtemperet; & adjutorio, ut liber obtemperet. "

Tum institutum persecutus est Lemosius. Pervulgatum axioma, quo Valentia insigniter abusus fuerat, *Facienti quod in se est, Deus non denegat gratiam*, de homine actuali gratiâ adjuto intelligendum ostendit. Doctores etiam Scholasticos, pro Molina laudatos, exposuit, è quibus neminem huicce novo figmento patrocinatum probavit. Eorum quippè nemo docuit, Deum non consuevisse gratiam prævenientem elargiri, nisi ea naturæ opera præcesserint: nemo hominem iis naturæ conatibus, ad gratiæ receptionem præparari finxit: nemo gratiam propter opera moralia conferri deliravit: nemo legem pactumve ea in parte commentus est: nemo nativos illos conatus eò extulit, ut quispiam mortem pro

Deo oppetere possit: quæ omnia novi hujus systematis autor effutiit.

Non pauca addidit Vir eruditus, ut interjectam Valentiæ responsionem confutaret: quâ videlicet Semipelagianos ideò dumtaxat damnatos dixerat, quòd fidem piam & christianam nativis conatibus tribuissent, de qua Molina in hacce quæstione non egerat: probavitque Molinam, non secus ac Semipelagianos, verbis quidem non semel declarasse, se de fide merè naturali disputare; re ipsa verò de fide piâ atque christianâ locutum fuisse, dum docuit, propositis & explicatis fidei mysteriis omnibus, posse hominem assentiri ex sola naturali facultate, tanquam revelatis à Deo, & quia revelata sunt, actu merè naturali.

Vide supra Cap. 5.

Quibus dictis (inquiunt Acta) *Pater Generalis Societatis oravit S. D. N. ut modum & finem imponeret præsenti disputationi: quoniam Pater Gregorius de Valentia non rectâ valetudine utebatur & periculum foret, ne animi deliquium pateretur. Cui petitioni S. D. N. satisfecit, & imposito silentio utrique Patri, absoluta est præsens actio propè horam vigesimam.*

Judicium de propositione Molinæ superiùs disputata.

Ex Actis Secretarii. at in Compendio sic: Hæc Molinæ opinio secundùm proprium & genuinum ejus sensum est omninò aliena à doctrina S. Augustini, ex qua nullo modo colligi potest. Continet enim Deû ex vi legis illius à se constitutæ teneri gratiam infallibiliter dare homini conanti ex ingenitis naturæ suæ viribus vel circa fidei mysteria addiscenda, & amplectenda, vel circa dolorem de peccatis, ac justificationem ipsam: ita ut secundùm communem modum, quem Deus servat in vocandis hominibus ab infidelitate ad fidem, vel ab impietate ad pietatem, priùs sit hominis conatus, posteà verò gratia Dei subsequatur. Quo ita inducitur ratio debiti, ut merces reddatur non secundùm gratiam, sed secundùm debitum: quod est in damnatû Pelagii dogma relabi, gratiam Dei secundùm merita nostra dari. Ita enim contra Semipelagianos sæpissimè colligit S. Augustinus.

„ Die Martis prima mensis Octobris, „anno Domini 1602. horâ 14. cum priùs „S. D. N. sacrum fecisset, collectis simul „DD. Cardinalibus, Episcopis & Patribus „Consultoribus, imploratâ priùs Spiritus „Sancti gratiâ, S. D. N. præcepit ut sin„guli dicerent de secundo articulo proposi„tæ quæstionis, videlicet, An in libris S. „Augustini legatur, constitutam esse à „Deo legem infallibilem cum Christo ejus „Filio, ut quoties homo solis naturæ viri„bus fecerit totum quod in se est, Deus „illi tribuat gratiam: vel id sit de mente „S. Augustini?

„ Qua de re, cum singuli in suo ordine, „diligenti studio plenè cumulatéque disse„ruissent, expendissent etiam Molinæ opi„nionem de prædicta lege, illiusque verum „& genuinum sensum ex pluribus locis „Concordiæ ejus esse comperissent, „Deum ex vi legis à se constitutæ teneri „gratiam infallibiliter dare homini conanti „ex ingenitis naturæ suæ viribus, vel circa „fidei mysteria addiscenda & amplectenda, „vel circa dolorem de peccatis & justifica„tionem ipsam, ita ut prius sit (secundùm „communem modum, quem Deus servat „in vocandis hominibus ab infidelitate ad „fidem, vel ab impietate ad pietatem) hominis conatus, posteà verò gratia Dei“ subsequatur: perlectis deinde & diligen“ter consideratis sententiis aliquorum Do“ctorum Catholicorum, quos Patres So“cietatis produxerant in defensionem præ“dictæ propositionis: illorum denique po“tissimis rationibus maturo judicio exami“natis, convenerunt omnes prædictam Mo“linæ opinionem nusquam fuisse à S. Au“gustino expresè traditam, neque ullo“ modo posse colligi ex illius doctrina; sed“ potiùs adversari omninò illi, quam contra“ Pelagianos & Semipelagianos ex divinis“ Scripturis in suis libris sæpe comprobavit.“ Idque non obstantibus quibuscunque ex“ adverso productis, quibus ita satisfactum“ fuit, ut evidenter constiterit, tam argu“menta Defensorum Molinæ esse captiosa“ & fallacia, quàm Doctorum sententias fal“sò intercisas & corruptas ab illis fuisse al“latas. “

Huic tamen communi totius Congre“gationis judicio non consenserunt D. Epis“copus Aquilanus, qui censuit hanc Mo“linæ doctrinam non esse omninò falsam &“ improbabilem, quamvis contrariam sen“tentiam dixerit probabiliorem: Pater Pro“curator Ordinis S. Augustini, qui judica“vit non omninò esse rejiciendam prædictam“ doctrinam tanquam suspectam Pelagianis“mi, cujus umbram & speciem tantùm“ continere videbatur, sed re ipsa non esse“ formaliter Pelagianam, posseque adhibi“tis sensibus, facilè ad mentem S. Augu“stini reduci: & Pater Regens Collegii“ Carmelitarum, qui dixit Molinam in hac“ sententia non adversari ullo modo S. Au“gustino; immò illa quæ de hujusmodi“ lege docuit, esse secundùm S. Augusti“ni doctrinam tradita. “

Atque ita absoluta fuit actio hodierna“ propè horam vigesimam. “

CAPUT DECIMUM-QUINTUM.

Quid Decimâ-tertiâ Congregatione disputatum? Quid Decimâ-quartâ definitum?

Die 28. Novembris 1602. habita est Decima-tertia Congregatio, coram Clemente VIII. Agi cœpit de tertio Scripto ad utramque partem transmisso die 6. Octobris. Disputatum inprimis est de primo Scripti hujus articulo: An Molina cum Cassiano conveniat in hac propositione: *Quòd homo in naturâ lapsâ habeat naturale judicium ad cognoscendum bonum & malum, habeatque naturalem facultatem ad utrumque amplectendum, absque hoc quod aliquam*

quam ponat distinctionem? Exstat disp. 5. §. *Ea verò* in CONCORDIA.

Valentiæ loco Molinæ partes defendit Petrus Arrubal. Molinam à Cassiano in prima propositionis parte remotissimum dixit: quòd iste de cognitione piâ atque Christianâ locutus sit, eam naturæ viribus adscribens; ille de scientia ac fide, quæ nihil conferat ad salutem.

Egit pro adversa parte Thomas de Lemos: probavitque Molinam, non secus ac Cassianum, de fide & cognitione pia atque Christianâ reipsa disseruisse, idque ex ejus principiis apertè colligi: tametsi ab iis vocibus consultò abstinuerit, ut Semipelagianismi venenum obtegeret. Quid enim aliud sibi vult, dum docet, hominem propositis sibi fidei mysteriis posse naturæ viribus attentè expendere quid sibi salutique suæ magis expediat? Aut dum iisdem fidei mysteriis, quatenus à Deo revelata sunt, assensum naturaliter præstari posse contendit?

In altera propositionis parte, Molinam perinde à Cassiano remotissimum contendit Arrubal: quòd iste facultatem naturalem ad bonum pium & ad salutem ordinatum amplectendum admisisset, secùs iste. Ostendit è contra Lemosius, Cassianum nusquam apertè bonum fini supernaturali accommodatum viribus naturalibus tribuisse: sed quædam dumtaxat semina naturalia propugnasse, quæ nisi excitentur per gratiam, nihil prosunt ad salutem. Qua in re Molinam eidem errori adhæsisse demonstravit, dum pervulgatum Ecclesiastici locum, Cap. 15. *Ante hominem vita & mors, bonum & malum, quod placuerit ei dabitur illi*, de homine lapso & per gratiam non adjuto, voluit intelligendum, quasi in utrumque perinde naturæ corruptæ viribus ferri valeat.

Disputatum deinde de secundo tertii Scripti articulo, An Molina cum Cassiano conveniat, in hac propositione: *Quòd gratia illuminans, vocans & excitans sufficiat ad salutem?* Exstat apud Molinam disp. 4. §. *Ex dictis.*

Non convenire contendit Arrubal: *Quoniam*, inquit, *Cassianus non agnovit ullam gratiam præter excitantem intellectum, & legem: Molina verò dicit.* 1. *Hanc gratiam habere duos influxus, & per unum excitare intellectum, per alium voluntatem.* 2. *Dicit hanc gratiam esse vim quandam seu virtutem divinam, atque adeo voluntatem operari ex virtute illius.* 3. *Dicit, hanc gratiam esse in utraque potentia.* Hæc dum ille vehementer urgeret, gratiamque cooperantem à Molina admissam ostenderet, dixit Sanctissimus Pontifex: *Concedit quidem Molina gratiam cooperari cum voluntate; sed tamen explicat istam gratiam cooperationem esse, libero arbitrio jam consentiente & cooperante, quod per gratiam fuerat solùm excitatum & invitatum.* Hunc nodum ut solveret Molinæ vindex, circuitione usus est. Ostendit gratiam secundùm Molinam duplicem influxum habere: unum, quo excitat, allicit & invitat; eoque pacto dici præevenientem: alterum, quo cooperatur homini ad actus illos ad quos invitaverat; sicque cooperantem & adjuvantem appellari: nihilque omninò referre, an illæ gratiæ officiis, an entitate distinguantur.

Post hæc dixit Lemosius. Ostendit Cassianum gratiam illuminantem, excitantem, allicientem, & invitantem, perinde ac Molinam admisisse: illum tamen à S. Prospero nusquam habitum ut Catholicum; quòd gratiam prævenientem, quæ verè actionis & operationis sit, non agnovisset. *Quia*, inquit, *principium certum & indubitatum fuit apud S. Prosperum, gratiam illam, quæ solum illuminat, excitat, allicit, & invitat, pertinere ad legem atque doctrinam.* Tum ad Arrubalis circuitionem, qua Pontificis instantiam effugerat, deveniens: *Non video*, inquit, *cur Patres confugiant ad distinctionem constituendam, virtualem, vel formalem, inter gratiam prævenientem & cooperantem. Non enim nos agimus de distinctione reali, vel formali, vel virtuali, quia hoc non pertinet ad fidem. Quod contendimus est, concedendum omninò esse duplicem gratiam, ita ut sint duo effectus formales. Sive autem duplex illa gratia distinguatur realiter, sive formaliter tantùm, non curamus. Concedat igitur Molina gratiam propriè excitare, & verè adjuvare voluntates nostras, præbendo ei vires, non metaphoricè, sed propriè, & realiter præveniendo, & faciendo facere: & tunc erit nobis concordia & pax cum illius Concordiæ libro.*

Respondit Arrubal, Molinam negare dumtaxat voluntatem nostram à Deo prædeterminari physicè ad unum, ut in sensu composito non possit dissentire, & aliud velle: concedere tamen, Deum per gratiam suam movere voluntates nostras, reali & verâ motione internâ, non metaphoricâ tantùm. Eam confessionem minùs apertam judicavit Prædicatorum Generalis: idcircò instavit secundò: *Concedat Molina gratiam prævenientem, ut prævenientem, movere voluntates hominum, verâ, reali & physicâ motione, & erit nobis pax cum illo.* Nihil ad hæc expeditè responsum est.

 Cùm

Cùm autem acriùs urgeret Lemosius, ut ostenderet, Pelagium gratiam tandem prævenientem agnovisse, quæ internè illuminaret & suaderet; nec tamen Augustinum confessionem illam ratam habuisse, nisi gratiam etiam confiteretur, quæ verè & realiter hominem excitaret, præoperando & inducendo, & perducendo illam ad efficiendam Dei voluntatem: accurrit Societatis Generalis; & converso ad Summum Pontificem sermone, ait: *Beatissime Pater, ista quæstio non potest solvi, nisi determinando, quomodò movet gratia divina voluntatem hominis, an prædeterminando illam physicè, an verò moraliter tantùm. At verò nos non sumus parati ad respondendum de hoc dubio. Interim tamen Sanctitas Vestra determinabit, quod voluerit. Verumtamen si agendum sit de hac quæstione, priùs consulendi erunt plusquam quinquaginta ex nostris Doctoribus; qui sentiunt sententiam illam de gratia physicè prædeterminante, esse erroneam: quamvis in sensu quo illam defendunt Patres Prædicatores fortassis erit probabilis. Sed an Molina dixerit, sufficere ad salutem gratiam excitantem, (quod certè nunquam Molina dixit) de hoc est præsens controversia.*

Circuitiones illas, quibus gratiæ prævenientis naturam & efficaciam exponere detrectabant Molinæ vindices, iniquo animo tulit sacer Consessus. Illos de clariori atque expeditiori explicatione appellavit Joannes de Rada Censorum unus: *Ut intelligamus*, ait, *sententiam Patrum Societatis, dicant, an putent Deum per gratiam suam operari in voluntates hominum?* Respondit Generalis novo petito diverticulo: *Pater Lemos dicebat, Pelagianos & Semipelagianos posuisse gratiam promittentem futuræ gloriæ magnitudinem, & præmia æterna: at verò Molina concedit gratiam moventem physicè.* Instavit iterum Congregationis Secretarius: *Explicatè dicat R. P. Generalis Societatis, utrum sentiat gratiam prævenientem, ut præveniens est, operari in voluntatibus nostris, movendo eas verè & realiter ad actus deliberatos, & faciendo illas facere & operari?* Respondit ille: *Fatemur Deum per gratiam suam movere nostras voluntates, & facere eas facere; ita ut infallibiliter sequatur effectus, ad quem Deus movet illas: quomodo autem moveat, non dicimus, an hoc vel illo modo. Dicimus tamen motionem hujus gratiæ esse independentem à libero arbitrio; id est, non quod introducat virtutem in illud, sed non sine respectu ad liberum arbitrium.* Interrogavit tertiò Thomas de Lemos: *Postulamus expressiùs, an illa gratia applicet liberum arbitrium ad effectum?* Verùm surdis canebat auribus. Respondit Petrus Arrubal: *Revocatur quæstio ad aliam, de qua non est præsens controversia*: novumque sermonem instituens, peregrinam difficultatem agitavit; Num scilicet officiis solùm, an etiam entitatibus distinguerentur gratia præveniens & cooperans. Qua de re cum aliquantulum dixisset, Lemosio interloquente ac reponente; disputationi finem dixit Summus Pontifex, ferendumque judicium distulit in diem alteram.

Judicium de Propositionibus mox disputatis.

Die 19. Novembris 1602. hora 16. de " Prima & Secunda propositione, judicium " latum est, an conveniat in illis Molina " cum Cassiano? Post longam discussionem " utriusque propositionis, censuerunt DD. " Episcopi consentire omninò cum Cassiani " errore has duas propositiones; excepto " D. Episcopo Aquilano, qui censuit non " consentire cum Cassiano. Similiter Patres " Theologi, excepto Regente Carmelitarum, censuerunt convenire cum Cassiano in utraque propositione.

Ex Actis Secretarii. In Compendio sic: Hæc Conclusio (*de prima propositione agitur*) fuit expressè tradita à Cassiano Collat. 13. c. 12. ubi ait, mansisse in homine post lapsum scientiam boni quam priùs acceperat, & facultatem naturalem ad illud amplectendum, ita quidem, ut tam ad bonum quàm ad malum, prout voluerit, ex propriis suis viribus naturalibus porrigat manum suam. Quam sententiam, etsi potissimùm intellexerit de scientia, & facultate naturali ad bonum morale, ad illud etiam eam extendit, quòd ordinem habeat ad pietatem & salutem spiritualem animæ.

Quoniam vero SS. PP. Augustinus potissimùm & Prosper, videbant ex hac assertione efficaciter colligi, nullos morbos contraxisse in intellectu, sive in voluntate Adami posteritatem ex ejus peccato, illam vel hoc solo nomine constanter semper oppugnarunt, quòd cum Pelagio negare videretur, fuisse peccato originali læsum naturale bonum. Unde & illam Ecclesia condemnavit tanquam divinis Scripturis contrariam in Conc. Arausic. II. Can. 7.

Eandem prorsùs fuisse Molinæ doctrinam, constat ex disp. 5. & ex 19. memb. 2. §. *Autores*, ubi affirmat posse hominem non solùm velle, sed etiam efficere cum solo concursu generali absque alio dono, aut auxilio gratiæ, quodcunque bonum opus morale, quod comparatione finis naturalis sit verè bonum, & virtutis opus, quoniam in homine est lumen naturale ad cognoscendum, quid honestum, decens, & consentaneum sit rectæ rationi.

Hanc verò Molinæ doctrinam extendi etiam ad opera, quæ ad pietatem pertinent, constat ex propositionibus relatis, & Pelagianismi nomine notatis: quòd videlicet possit homo ex ingenitis naturæ suæ viribus credere mysteria divina certo ac firmo consensu, tanquam à Deo revelata, & quia à Deo revelata sunt: possit per naturalem facultatem sperare se obtenturum à Deo omnia illa quæ revelavit & promisit nobis: habeat insuper naturalem facultatem ad diligendum Deum super omnia cum proposito absoluto amplius non peccandi lethaliter, sed potiùs illi placendi in omnibus, & per omnia, ad dolendum de peccatis propter Deum summè dilectum, ac denique ad conandum mortem subire pro Deo: homini verò sic operanti Deum præstò esse, ex lege à se constituta, gratiæ suæ adjutorio, ut eosdem actus eliciat supernaturales, & quales ad salutem oportet. Quod nihil aliud est, quàm cum Cassiano asserere, hominem habere naturalem facultatem non solùm ad volendum, sed etiam ad perficiendum quodcunque opus veræ virtutis, & ad pietatem etiam, ac animæ salutem spectans, contra expressam PP. doctrinam, & Ecclesiæ definitionem.

Sic habet de Propositione secunda. Ex Collat. 13. c. 11 & 12. evidenter constat, Cassianum agnovisse gratiam excitantem, illuminantem & suadentem, & hanc interiorem & supernaturalem; errasse tamen, quia putabat ad reparandam & reformandam hominis

nis voluntatem illam satis esse, & nullam aliam uberiorem gratiam exigebat. Nam S. Augustinus contra Pelagium, & Cœlestinus & S. Prosper contra Cassianum & ejus sectatores, eam gratiam ex divinis Scripturis propugnabant, quæ verè facit nos velle, & operari per veram & realem motionem Dei, non autem per solam suasionem & invitationem.

Ab illa autem Cassiani sententia nequaquam deviavit Molina, quippè qui ad conversionem & justificationem hominis nullam aliam gratiam necessariam esse agnovit, nisi gratiam illuminantem, allicientem, & invitantem ad actus supernaturales fidei, spei, dilectionis, & pœnitentiæ. Ita in propriis terminis asserit disp. 37. §. *Verùm*, & in quæst. 23. art. 4. disp. 3. §. *Voluntas*, ubi, ut probaret dari causam reprobationis ex parte reprobi, statuit Deum neminem ita obdurare, ut non relinquat illi auxilia sufficientia, hoc est, excitantis gratiæ, cum quibus, si velit, possit à peccatis resurgere, & non alia majora, aut diversa, quibus, inquit, ad resurgendum non indiget: & in eadem quæst. disp. 1. memb. 9. §. *Postremò*.

Quamvis autem nonnunquam meminerit gratiæ adjuvantis, & cooperantis, non tamen se ab erroris nota vindicavit. Nam disp. 38. §. *Ex dictis*, inquit unam & eandem numero gratiam quatenus excitat, allicit, & invitat arbitrium nostrum ad actus credendi, sperandi, diligendi, & pœnitendi, appellari prævenientem & excitantem gratiam; quatenus verò, consentiente jam nostro arbitrio & cooperante, actus ad quos illa invitat & allicit, ipsa quoque novo influxu & actione cooperatur eosdem actus, appellari adjuvantem & cooperantem gratiam. Quòd nihil aliud est quàm cum Pelagianis dicere, gratiam adjuvare & cooperari nobiscum, quia nos volumus; non autem ipsam quoque efficere ut velimus. Et ob hanc rationem asseruit Molina disp. 37. §. *Deinde*, gratiam adjuvantem non esse concursum sive influxum immediatum in liberum arbitrium ut in causam, quasi priùs eo concursu motum, ac à Deo ad agendum applicatum, tales actus eliceret, sed esse influxum Dei immediatum in actus ipsos, unà cum libero arbitrio & gratia præveniente.

Collata igitur sententia Molinæ cum doctrina S. Augustini & aliorum PP. qui contra Pelagianos & Semipelagianos olim gloriosè dimicarunt, cum Sacrorum Conciliorum decretis, cum Summorum Pontificum definitionibus, & cum Sacræ Paginæ testimoniis, resolvit Congregatio, illam esse alienam à vera & Catholica doctrina, à Sede Apostolica approbata contra Pelagianorum dogmata, illique omninò adversam. Secundùm quam necessariò concedendum est, ad justificationem hominis *duplicem gratiam* requiri; *prævenientem*, sive *excitantem*, quam Theologi *sufficientem* appellant, quæ dat homini supernaturaliter posse operari, non tamen ipsum velle & operari; & *adjuvantem*, sive *efficacem*, quæ facit ut homo reipsâ velit & operetur, movendo illius voluntatem vero & reali motu antecedente ipsius consensum, non tempore, sed ordine naturæ & causalitatis.

CAPUT DECIMUM-SEXTUM.

Quid Decima-quinta Congregatione disputatum? Quid Decima-sextâ definitum?

Die 9. Decembris 1602. habita est Congregatio Decima-quinta, coram Clemente VIII. Primâ fronte disputatum est, de tertio Scripti hujus articulo; *An Molina cum Cassiano conveniat in hac propositione, Quod possit homo ex sola facultate naturæ diligere Deum super omnia?* Exstat apud Molinam disp. 14. memb. 3. §. *Duo quadam* & §. *Secundum est*.

Societatis Præpositi vices gessit Ferdinandus de Bastida, qui Petrum Arrubalem Molinæ causam defensurum comitem duxit. Is igitur, pro officii sui parte, Molinianam propositionem à Cassiani sensu remotissimam defendit ex quadruplici capite: quòd videlicet Cassianus non qualemcunque dilectionem Dei naturæ viribus adscripsisset, sed fini supernaturali accommodatam, ad justificationem disponentem, divinorum mandatorum observantiam secum ferentem, Deum demùm super omnia simpliciter amantem: secus verò Molina.

Singula prætensæ dissonantiæ capita confutavit Thomas de Lemos, idemque prorsùs Cassiani ac Molinæ systema demonstravit. Disputationem nihilominus suam instauravit Petrus Arrubal. At ubi eò pervenit, ut dilectionem validam à Cassiano naturæ viribus adscriptam contenderet (propter quod Semipelagianismi damnatus sit) à Molina autem dilectionem dumtaxat invalidam, eâ Theologiæ barbarie offensus est Pontifex: *Pater*, inquit, *tu non uteris bonis terminis, quia charitas nunquam est invalida.* Imperfectam igitur charitatem dixit; naturalem scilicet dilectionem, quæ divinorum mandatorum observantiam comitem non habeat: eamque solam à Molina nativis viribus assignatam voluit.

Obliquam interpretationem hoc argumento revicit Lemos: *Molina dicit posse hominem sine speciali Dei auxilio, diu servare totam legem: Ergo secundùm Molinam, non diu, id est, brevi tempore poterit servare totam legem sine gratia, & diligere Deum super omnia, ex tota mente &c. quod est primum & maximum mandatum.* Consecutionem dedignatus non est Molinæ Vindex: quam tamen, ut subortam indignationem comprimeret, circumscriptione quadam emollivit: *Admittimus*, inquit, *quod in instanti temporis id possit & inefficaci dilectione:* quòd ex Molinæ doctrinâ confirmavit.

Actum deinde de quarta ejusdem Scripti propositione; nimirum, *An Molina cum Cassiano conveniat, in hac assertione: Quod Deus expectet nostros conatus, quodque aliquando Deus nos præveniat.* Exstat apud Molinam disp. 10. in fine 1. parag. & disp. 9. §. *Quod hac*.

Tota hoc duplici capite stetit controversia: num secundùm Molinam conatus liberi arbitrii viribus elicitos exspectet Deus, ut prævenientem gratiam largiatur? Numve duos vocatorum ordines constituerit, quorum alii faciendo quod in se est ex solo naturæ bono, gratiam consequerentur; alii verò gratiâ prævenirentur. Negativam partem prolixâ oratione defendit Arrubal: affirmativam Thomas de Lemos. Concessit nihilominùs tandem Molinæ Vindex, argumentorum vi superatus, vocari à Deo hominem propter proprios conatus, juxta

ipſius doctrinæ principia, nec id tamen Semipelagianiſmi inculandum. *Quod verò dicit Pater*, inquit, *ſecundum Molinam vocari hominem propter proprium conatum; hoc etiam dicit S. Proſper: & S. Auguſtinus ait, quod adjuvat Deus volentem.*

Excanduit ad hæc Thomas de Lemos, converſoque ſermone ad Summum Pontificem, ait: *Beatiſſime Pater, conſiderandum & judicandum relinquo Sanctitati Veſtræ, hoc quod iſti Patres dicunt, non eſſe condemnandum quod dixit Molina, hominem vocari à Deo propter proprium conatum. Nam hoc poſito, Deus exſpectat conatus noſtros antecedentes prævenientem gratiam: quod eſt contra Concilii Arauſicani Canonem quartum, & contra illud Canticorum*, Aperi mihi Sponſa mea.

Arrubali ſuppetias tulit Ferdinandus de Baſtida, ſubtimidè tamen ac leviter: *S. Thomas*, inquit, *in Apocalypſim cap. 3. explicat illud*, Sto ad oſtium & pulſo *eodem modo quo Molina.* Quem confeſtim ſubaſperè ac durè Lemoſius excepit. *Legas attentè*, repoſuit, *S. Thomam, & videbis ſecundùm ejus ſententiam, Deum exſpectare quod ipſe dat per gratiam: Molina autem vult Deum exſpectare conatus humanæ voluntatis, ortos ex bono naturæ, ſine gratia.* Atque ita congreſſus finitus eſt.

Judicium de propoſitionibus ſuperiori Congregatione diſputatis.

„ Die 10. Decembris 1602. horâ 16. „cenſuerunt DD. Epiſcopi omnes, excep„to D. Aquilano, convenire Molinam cum „Caſſiano in Tertia & Quarta propoſitio„ne, ſcilicet de dilectione Dei ſuper om„nia, & de duplici ordine vocandorum. „Similiter cenſuerunt Patres Theologi, „excepto Procuratore S. Auguſtini; qui „dixit, quod attinet ad actus morales, „conſentire Molinam cum Caſſiano & Pe„lagio, & quantùm ad ſanitatem naturæ, „quam putavit pariter conſtituiſſe Moli„nam cum Pelagianis. Quod verò ſpectat „ad ſupernaturalia, putavit Molinam in „modo loquendi convenire cum Caſſiano, „non tamen in re & ſenſu: & ideò eſſe ſu„ſpectum etiam quoad hoc erroris. Pater „Regens Carmelitarum ſimpliciter dixit, „non convenire cum Caſſiano. Et abſoluta „fuit actio propè horam vigeſimam.

Ex Actis Secretarii. In Compendio ſic: Hæc concluſio (*id eſt tertius articulus*) etſi non expreſsè tradita fuerit in propriis terminis à Caſſiano, ſufficienter tamen deducta, & efficaciter impugnata eſt à S. Proſpero, lib. contra Collat. c. 30. ex eo quod Caſſianus dixerat Collat. 13. c. 12. manere in homine liberum ſemper arbitrium, quo gratiam Dei poſſet vel negligere, vel amare. Molinam verò expreſsè aſſeruiſſe, poſſe hominem diligere Deum ſuper omnia, conſtat ex diſp. 14. memb. 3. ut probatum eſt ſupra Propoſitione VI. adeò certè, ut quamvis dixerit hanc dilectionem eſſe inefficacem, eo quod non habeat conjunctam obſervantiam mandatorum in futurum, abſolutè tamen, & quantum ad rem ipſam, illam neque inefficacem, neque imperfectam conſtituerit, quin potiùs omnem illi efficaciam & perfectionem tribuerit: hoc ſolo excepto, quòd poſtea in exſecutione operis non impleatur. Certum eſt enim efficaciam & perfectionem actus in ſe non tolli ex eo quod poſtea non impleatur. Unde apparet, voluiſſe Molinam voluntatem humanam ita perfectè operari poſſe in ſtatu naturæ corruptæ ex ſua ſola naturali facultate, ac ſi læſa non fuiſſet peccato primorum parentum.

Et idcircò cenſuerunt omnes, exceptis D. Epiſcopo Aquilano & P. Regente Collegii Carmelitarum, hanc Concluſionem, Homo ex ſolis viribus naturæ poteſt diligere Deum ſuper omnia, eſſe Pelagianam, abſolutè prolatam, ſive illa intelligatur de dilectione Dei ut autor eſt bonorum ſupernaturalium, ſive ut autor naturæ; ſive de perfecta, ſive de imperfecta & inchoata dilectione Dei.

Deinde de quarto Articulo in hunc modum. Expreſſa eſt ſententia Molinæ, Deum exſpectare, paratum ſemper ad promovendum, & adjuvandum hominum conatus, deſiderareque ingreſſum cordis eorum, quamvis aliqui otio torpentes à Deo præveniantur. Ita quidem, ut germanus ſenſus ſententiæ Molinæ deductus ex pluribus locis Concordiæ ejus, ſit: Interdum Deum auxiliis gratiæ ſuæ excitare eos, qui voluptatibus dediti nihil prorsùs cogitant de ſalute æterna; regulariter tamen illos ſpecialibus auxiliis pulſare, quos videt ex facultate naturæ conari ad ſalutem, deſiderando, petendo, & quodam modo ſe adaptando & diſponendo ad gratiæ divinæ adjutorium accipiendum. Atque adeò ex ſententia Molinæ duo ordines conſtituuntur eorum, qui ab infidelitate ad fidem, vel ab impietate ad pietatem vocantur, à Deo, ita ut alii ſecundùm communem modum veniendi ad Chriſtum conatibus proprii arbitrii ex ſola facultate naturæ gratiam divinam præveniant; alii verò, quorum torpens liberum arbitrium proſpicit, ſpecialibus auxiliis præveniantur à Deo. Ita formaliter aſſeruiſſe Molinam, conſtat ex diſp. 9. §. *Quod hæc*: ibi, *Etenim quamvis*, & §. *Patet tertiò.* Item ex diſp. 10. ibi, *Planè ſine ulla intermiſſione*, & ex diſp. 14. memb. 5. §. *Poſt hæc*; ibi, *Quoniam verò facienti*, &c.

Hanc autem ſententiam eandem omninò eſſe cum illa Caſſiani, quam Eccleſia damnavit, conſtat ex collatione utriuſque ad invicem, expenſis illis quæ Caſſianus docuit Collat. 13. c. 12. 13. & 17. hoc ſolo excepto, quòd Molina ita abſtinuit à verbo *exſpectat*, ut uſus fuerit verbo *exigit*, quod majorem habet emphaſim. Quæ cum adverſentur expreſsè definitionibus Concilii Arauſicani II. Can. 4. 5. & 8. & Catholicæ atque Orthodoxæ doctrinæ Concilii Tridentini, Seſſ. 6. c. 5. conſtanter reſolvit Congregatio Molinam hac in re cum Caſſiano & Semipelagianis à doctrina Eccleſiæ defeciſſe.

CAPUT DECIMUM-SEPTIMUM.

Quid Decima-ſeptimâ Congregatione diſputatum? Quid Decima-octavâ definitum?

Die 16. Decembris 1602. coram Clemente VIII. habita eſt Congregatio Decima-ſeptima. Diſputatum in primis fuit de quinto articulo; num videlicet cum Caſſiano Molina conſentiat in ea propoſitione: *Deus quodammodo occaſiones quærit, & exſpectat, ut datio & largitio ſuæ gratiæ rationabilis videatur.* Ex triplici Molinæ loco præſertim deducitur. Diſp. 10. §. 1. diſp. 9. §. *Patet tertiò* & §. *Quamvis hæc.*

Tria illa CONCORDIÆ loca, unde Prædicatores Molinæ cum Caſſiano conſonantiam ſuis in ſcriptis oſtenderant, benignis interpretationibus emollivit Petrus Arrubal, quibus eum ab errore vindicare contendit. Illas totidem è veſtigio confutavit Lemos: quod ut debitâ methodo faciliùs exſequeretur, Caſſiani errorem ad tria capita revocavit: 1. Quòd Deus vel exigit vel

vel exspectat quosdam conatus bonæ voluntatis. 2. Quod occasiones quodammodo quærit, ad sua dona elargienda: 3. Quòd ideò Deus exspectat nostræ bonæ voluntatis conatus, & occasiones quærit, ne irrationabilis munificentiæ suæ largitas videatur. Quæ omnia pariter à Molinâ tradita & asserta, prolixè demonstravit.

Molinæ vindicias secundò instauravit Arrubal: atque in hunc finem, multa de operibus moralibus gratiam prævenientem antecedentibus disseruit, ut aliam Molinæ, aliam Semipelagianorum sententiam ostenderet. In iis quippè operibus valorem ac meritum agnovisse Semipelagianos contendit: eosque idcircò erroris damnatos dixit, quòd hujusmodi opera veluti *meritorias & dignas* occasiones à Deo quæri & exspectari prædicarent; ut suæ gratiæ largitio rationabilis videretur; à quibus vocibus Molina temperaverat.

Hunc errorem nusquam à Semipelagianis palàm assertum probavit Lemos ex Hilarii ad Augustinum Epistola, de Massiliensium erroribus: *Nec negari gratiam*, inquiebant, *si præcedere dicatur talis voluntas, quæ tantum Medicum quærat; non autem quidquam ipsa jam valeat*: tametsi variis consecutionibus errorem illum ex eorum principiis, Molinæ plus æquò familiaribus, deduxissent Ecclesiæ Patres; qui non inconsulta excusationis verba, sed intimum sensum penitùs introspexerant.

His aliisque multis, ultrò citròque in hunc finem dictis, gradum retulit Arrubal. Qui ne nimiam Molinæ cum Cassiano consonantiam, quam negare vix poterat, damnare cogeretur, Cassiani tandem vindicias suscepit. *Asserit*, inquit, *Cardinalis Baronius tomo V. pag. 640. Cassianum multis in locis & piè & catholicè fuisse locutum: Unde mirum non est, si aliquando negaverit in bonis nostris operibus reperiri rationem meriti ad gratiam.* Novum Molinianæ defensionis genus derisit Thomas de Lemos. *Certè*, exclamavit, *ut video, Patres isti non solùm Molinam, sed etiam Cassianum volunt ab erroris nota defendere.*

Demus Cassianum in multis locis Catholicè sensisse; id tamen de præparatione ad gratiã dici nequit, cùm hoc in capite præcipuus ejus error exstiterit.

Tunc deturbato ac tacente Arrubale, concertationi se obtulit Ferdinandus de Bastida, Summum Pontificem enixè rogans, ut insignem Augustini locum, ad rem, ut aiebat, accommodatissimum audiret. Legit ergo sanctissimi Doctoris prolixum testimonium, lib. de utilitate credendi cap. 6. ubi librorum interpretationem nequaquam ab iis petendam docet, qui bellum Autoribus indixerunt. Quid sibi ea lasciniâ vellet bonus homo, quæsivit Pontifex: *Dic mihi Pater, quorsum hæc ex S. Augustino refers?* Difficile quippè erat internoscere, cujus vituli esset illa cauda. Festinè respondit: *Beatissime Pater, ut probem ex doctrina & sententia S. Augustini, non esse petendum sensum Molinæ, nec veram illius doctrinæ intelligentiam ab inimicis, sed potiùs ab illius sodalibus & confratribus. Et Patres quidem Prædicatores sese illius adversarios & accusatores dederunt: quo fit ut nostra, non illorum expositioni standum sit.* Quasi verò Prædicatores, uti Molinianæ doctrinæ judices iis in collationibus audirentur? Reposuit eruditè Sanctissimus Pontifex: *Igitur hac etiam ratione poterunt illi evincere S. Thomam intelligendum esse secundùm explicationem ab ipsis traditam, qui filii & discipuli illius sunt; non autem juxta mentem vestram.* Excusationem rogavit ille: quòd nempè sancto Thomæ bellum nusquam Societas indixisset; immò veriùs doctrinam ejus ex Superiorum præscripto sectari teneretur.

Interea Collatori à re & proposito studiosè aberranti, silentium indixit Clemens VIII. & ad Sextæ propositionis examen progredi jussit.

De sexto igitur Articulo disputatum est: An scilicet Molina cum Cassiano conveniat in hac assertione: *Quòd homo in natura lapsa sufficientes vires habeat, ad resistendum gravibus tentationibus, & ad superanda singula difficilia.* Legitur Disp. 19. mem. 1.

Molinæ à Cassiano dissonantiam quadruplici ex capite deduxit Petrus Arrubal. 1. Quòd Cassianus docuisset, posse naturaliter hominem vincere multiplices tentationes collectivè & longo tempore; Molina verò distributivè & uno temporis momento. 2. Quod ille laudabilem & meritoriam tentationum victoriam nativis viribus tribuisset; iste sterilem & infructuosam. 3. Quòd ille Deum victoriæ dumtaxat spectatorem novisset; iste adjutorem. 4. Demum quòd de gravibus tentationibus egisset ille; iste de levibus.

Singula defensionis capita confutavit Thomas de Lemos. Primum quidem, quia per temporis momentum, non instans physicum & indivisibile subintellexit Molina, sed morale, quatenus contra longum tempus distinguitur. Alterum, quia Pelagiani nec de sola meritoriâ tentationum victoriâ disputaverant; nec de sola infructuosâ ac sterili Molina disseruerat. Tertium, quia si juxta Molinam, sine gratiæ adjutorio, per solas naturæ vires homo superat tentationes, proculdubio in ejusmodi conflictu, Deus otiosus certaminis spectator est, non adjutor Athletæ. Quartum tandem, quia usque

usque adeò de gravibus tentationibus egit Molina, ut etiam mortem, ne eis cedatur, naturaliter oppeti posse existimaverit.

Iis non pauca reposuerunt Arrubal & Bastida; minùs tamen consequenter ad priora responsa. Cum enim priùs Molinam excusatum vellent, quòd de levibus tantùm tentationibus egisset; ea tandem arce dejecti, de difficili præceptorum observantiâ, ac peccatorum fuga disputarunt, eamque, si Superis placet, naturæ viribus tribuendam contenderunt. Nonnulla etiam S. Thomæ loca ex quæstionibus disputatis & libris contra Gentes eum in finem detorsere; quorum genuinum sensum ex Prima Secundæ Lemosius aperuit, (1. 2. qu. 109. a. 8.) prælucente potissimùm Augustino lib. de natura & gratia cap. 69. ubi inquit, *Eo ipso quo firmissimè creditur, Deum justum & bonum impossibilia non potuisse præcipere, hinc admonemur, & in facilibus quid agamus, & in difficilibus quid petamus.*

Judicium de Propositionibus superiori die disputatis.

„ Die 17. Decembris 1602. horâ 16. de „Quinta & Sexta propositione. Collecti „coram S. D. N. Clemente Papa VIII. „DD. Episcopi & Patres Theologi, post „longam discussionem & maturam consul„tationem, censuerunt omnes, excepto „Patre Regente Collegii Carmelitarum, „consentire Molinam in utraque proposi„tione cum Cassiano. Interrogatus à S. D. „N. Pater Regens Carmelitarum: *An qui „diceret, facienti quod in se est naturaliter, „gratia datur, ita quidem ut gratia illi infalli„biliter detur, Catholicè loqueretur?* Respon„dit: *Si gratia detur infallibiliter ex lege fa„cienti quod in se est, verè hunc se disponere „ad gratiam: & sic dici non posse secundùm „fidem, hominem posse ex se sine gratia facere „quod in se est. Sed Molinam non fuisse lo„cutum de homine facienti quod in se est, ex „solis viribus naturæ sine omni gratia, sed sup„positâ Divina Providentiâ dirigente.* Simili„ter dixit hanc propositionem, *Potest homo „absolutè superare graves tentationes, propriâ „& verâ victoriâ*, esse omninò falsam, „nec posse sustineri: Molinam tamen so„lùm loqui de quodam instanti. Et sic „in neutrâ propositione convenire cum „Cassiano. Absoluta est actio propè horam „20.

Ex Actis Secretarii. In Compendio sic de Articulo quinto: Expensa doctrina Cassiani in Collat. 13. c. 13. & 17. & lib. 12. Institut. c. 14. tradita, constat illum tanquam scopum sibi proposuisse, persuadere ex divinis oraculis, pravè tamen intellectis, Deum ita salutem humani generis procurare, ut quorundam volentium & sitientium cursum ad majorem incitet flagrantiam: quibusdam verò etiam ipsius sancti desiderii inspiret principia, & in hunc finem cap. 13. expresè docuisse, Deum, vel exigere, vel exspectare quosdam conatus bonæ voluntatis, quasi occasiones quodammodo quærat ad sua dona elargienda. Putavit enim, si Deus semper gratiæ suæ adjutorio hominum voluntates præveniret, irrationabilem divinæ munificentiæ largitatem videri posse; quòd nihil justitiæ divinæ relinqueret in distributione cœlestium donorum.

Hunc eundem fuisse Molinæ scopum, eandemque sententiam, constat ex diversis locis libri Concordiæ, in quibus illam formaliter docuit. Etenim disp. 9. §. *Patet tertiò*, cum priùs asseruisset, rationi valde consentaneum esse, ut illum potiùs misericorditer vocet & adjuvet Deus, qui paratus obedire veritati, quàm illum qui sinistra intentione accedit ad audiendum verbum Dei: prorsus nonnullis interjectis, formaliter asseruit Deum exspectare conatus nostros, & oblata sibi à nobis aptâ aliquâ occasione conferre specialia gratiæ suæ auxilia: sæpè tamen liberum arbitrium quasi sopitum ac torpens excitari & pulsari gratiæ divinæ donis. Præmiserat autem, Deum ex certa lege à se cum Christo Filio suo constituta de donis gratiæ distribuendis, dare gratiam prævenientem homini facienti quod in se est ex solis viribus naturæ: neque aliter verum esse illud Apostoli: *Deus vult omnes homines salvos fieri.* Putavit enim divinæ justitiæ derogari, si in distribuendis donis gratiæ Deus rationem nullam habeat præcedentium conatuum & bonorum operum liberi arbitrii, propriæque dispositionis ex bono tantùm naturæ ortæ. Ita apparet ex diversis locis illius Concordiæ.

Quamobrem his aliisque quàm multis, quæ in eandem sententiam à Molina tradita sunt, candidè relatis & expensis, conclusum fuit, prædictam propositionem fuisse à Molina in proprio & germano sensu Cassiani formaliter assertam, in quo à Concilio Arausicano II. Can. 4. & 8. tanquam Pelagiana fuit damnata: atque adeò Molinam in illa quoad ejus omnes partes omninò convenire cum Cassiano, & adversari expressis definitionibus sacrorum Conciliorum Arausicani locis citatis & Trident. Sess. 6. c. 5.

Ita censuerunt omnes, excepto P. Regente Collegii Carmelitarum, qui dixit, Molinam non docuisse illa, quæ producta fuerunt, in sensu Cassiani, qui de occasionibus & actibus pliis loquebatur, non item Molina.

Deinde de Sexto: Hanc propositionem fuisse expresè traditam à Cassiano, & ab eodem confirmatam exemplo Job, constat ex Collat. 13. c. 10. Ex nonnullis etiam disputationibus ex lib. Concordiæ relatis, potissimùm verò ex disp. 19. & Appendice ad illam, apparuit eandem fuisse Molinæ sententiam. Quippè qui formaliter docuit, hominem propriis suis viribus ita posse sine gratiæ divinæ adjutorio gravibus vehementioribusve tentationibus resistere, & singula quæque difficilia superare, etiamsi ea de causa mors sit toleranda, ut nulla sit tentatio, quam in potestate non habeat ad breve tempus superare, si strenuè ex propria facultate naturali pugnare voluerit. Atque adeò gratiæ divinæ adjutorium concedit homini necessarium esse, non quidem simpliciter & absolutè ad resistendum, sed ad resistendum commodè & diu. Ita habet in cit. disp. 19. memb. 1. & 2. memb. 5. §. *Ad primum locum.*

Hanc autem doctrinam fuisse ex Pelagiano fonte haustam apparet non solùm ex verbis Cassiani loc. cit. sed etiam ex Pelagii sententia relata à Sancto Augustino in lib. de gratia Christi c. 27. & ab eodem ibidem impugnata, à Sede verò Apostolicâ damnatâ, ut dictum est supra de Propositione 7. Molinæ.

Et ita censuerunt omnes, excepto P. Regente Collegii Carmelitarum, qui concessit hanc propositionem: Potest homo absolutè superare graves tentationes propriâ & verâ victoriâ, esse omninò falsam, neque sustineri posse: Molinam tamen non illam asseruisse; & ideò censuit eum non convenire cum Cassiano. *Non interfuit D. Episcopus Aquilanus.*

CAPUT DECIMUM-OCTAVUM.

Quid Congregatione Decimâ-nonâ disputatum? Quid Vigesimâ definitum?

Die 20. Januarii 1603. coram Clemente VIII. Decima-nona Congregatio fuit. Ad trutinam venit Septimus articulus, *An eadem sit expositio Cassiani & Molinæ in 1. ad Cor. cap. 10. In ea scilicet Apostoli verba:* " Fidelis Deus est, qui non " patietur vos tentari supra id quod pote" stis, sed faciet etiam cum tentatione pro" ventum?

Ean-"

Eandem esse negavit Arrubal: propterea quòd Cassianus existimet Deum non sinere, ut homo tentetur supra id quod sustinere naturaliter potest: Molina autem, Deum non permissurum tentari hominem supra vires Dei auxilio concedendas, saltem in gravibus tentationibus diuturno tempore duraturis.

Affirmavit è contra Thomas de Lemos. Cassiani quippe doctrinam in tria membra distinxit: 1. Quòd secundùm ipsum, Deus homines tentatos non sic adjuvet, ut eis tribuat vires ad resistendum; cùm unusquisque viribus arbitrii possit tentationes quaslibet superare. 2. Quòd Deus homines in tentationibus exteriùs adjuvet; moderando nempè tentationes, ne graviores consurgant, quàm sint naturales vires ad resistendum. 3. Quod Deus etiam quodammodò interiùs adjuvet, incitando videlicet industriam; & cum libero arbitrio benè suis viribus pugnante, cooperetur ad perficiendam victoriam. Tria hæc à Molina pariter asserta multis ostendit: nullamque ab eo in vincendis tentationibus gratiam admissam, nisi ut faciliùs ac commodiùs superentur.

Addidit usque adeò Molinam vires ad resistendum tentationibus à gratia repetendas pernegasse, ut novo absurditatis genere contenderit, æquè facilè labi hominem in gratiâ, ac in peccato mortali constitutum: immò etiam hominem justificatum non habere potestatem ad resistendum pluribus & diuturnioribus tentationibus, ac si foret in peccato mortali. Quod cùm ille impetiisset vehementiùs, ea ratione fretus, quia homo justificatus potentiam habet ad perseverandum, etsi re ipsâ sine inæstimabili perseverantiæ dono non perseveret, à Molinæ vindicibus violatæ fidei postulatus est. *Beatissime Pater*, inquit Arrubal, *quod Pater dixit contra Molinam, hominem videlicet in gratia justificante constitutum, habere potestatem ad perseverandum, licet ut de facto perseveret indigeat auxilio perseverantiæ speciali, est contra Concilium Tridentinum Sess. 6. Can. 22. Concilium enim definit*: "Si quis dixerit hominem justificatum perseverare posse sine auxilio speciali, Anathema sit." *Ecce dicit, non posse perseverare sine auxilio speciali; & hoc est certum secundùm fidem. Et illud aliud quod Pater asserit, sine errore dici non potest. Similiter Concilium Arausicanum Can. ult. dicit, non esse idoneum hominem justificatum, ad perseverandum sine auxilio perseverantiæ.*

Erroris accusationem hoc responso diluit Thomas de Lemos: *Reverende Pater, sacrum Concilium intendit, non posse hominem justificatum sine auxilio speciali perseverare, id est, esse impossibile, quod homo sine auxilio speciali perseveret; non tamen negat potentiam esse in homine ad perseverandum. Licet enim ad id habeat potentiam per gratiam justificantem, tamen ut exeat in actum indiget auxilio speciali.* Id ut ex S. Thoma probavit, in Molinæ vindices insurrexit Archiepiscopus Armachanus. *Reverendi Patres*, inquit, *debuissent animadvertere, quòd est duplex potentia, alia ab actu separata, alia actui conjuncta.* Quibus tantùm abest ut cesserit Arrubal, ut potiùs multo magis obfirmaverit animum. Conversus etenim ad Summum Pontificem subjunxit: *Beatissime Pater, constat esse definitum in Concilio, hominem per gratiam justificatum non habere potentiam ad perseverandum: & ego non dubitarem pro ista veritate sanguinem fundere.* Immoderationem illam derisit Prædicatorum Generalis. *Certè mirum est*, exclamavit, *quòd Molina dicat, hominem sine gratiâ posse tentationibus resistere; & quòd neget, hominem in gratia constitutum habere potentiam ad resistendum tentationibus!* Nec ob id tamen à pristino sensu discessere Molinæ vindices: immò verò identidem digressi, ut objectis satisfacerent, in id continuò redibant, ut ostenderent hominem justificatum non habere perseverandi potentiam, etiam ab actu sejunctam, sine novo auxilio. Idque adeò è re suâ putabant esse, ut cùm quemdam Augustini locum laudasset Arrubal, ubi justum sine gratiâ perseverare non posse docet (tametsi de potentiâ ab actu sejunctâ ibi agi non probasset) in genua procubuerit Ferdinandus de Bastida, Pontificem rogans, ut locum illum à Secretariis diligenter notari juberet, quasi rei conficiendæ maximè opportunum.

Post hæc disputatum est de Octavo Articulo; An Molina cum Cassiano conveniat in hac assertione: *Quòd ante receptionem gratiæ servanda sit laus libero arbitrio?* Legitur apud Molinam Disp. 9. §. *Utque*, & quæst. 13. disp. 1. mem. 6.

Convenire inficiatus est Arrubal: quia Cassianus significat esse laudem libero Arbitrio, tanquam de opere pio, & ante omnem gratiam: Molina autem, laudem esse solùm ante gratiam justificantem; supponens ea opera laudabilia facta esse, jam concurrente gratia præveniente. Addidit nullius erroris reum fore Molinam, etsi de laude ac merito gratiam antevertente loqueretur; id quippe de industria & laude morali intelligendum veniret; cum aliàs com-

compertum esset, illum operibus gratiam prævenientibus laudem omnem negasse, in ordine ad pietatem. Concessit tamen ultimo loco, equidem secundum Molinam liberum arbitrium & gratiam, uti duos trahentes navim, in piis operibus eliciendis concurrere: *Non per hoc tamen negandum esse, liberum arbitrium subordinari gratiæ; quia reverà Deus subordinat sibi & gratiæ suæ liberum hominis arbitrium; ita ut prius Deus moveat liberum arbitrium.*

Hoc ultimum ægrè tulit Clemens VIII. idcircò sermonem abrumpens repoluit: *Si per Molinam liberum arbitrium determinat gratiam, ita ut reddat illam efficacem, quomodo secundum Molinam liberum arbitrium movetur à gratia?* Ad quod ille respondit: *Beatissime Pater, quod auxilia sint efficacia, est à solo arbitrio. Est etiam alius sensus, quod hi actus sint à libero arbitrio; & ea præcisa ratione à Deo tantum, ut autore naturæ.*

Universam Arrubalis actionem confutandam aggressus est Thomas de Lemos. Ostendit in primis, juxta Molinam libero arbitrio laudem adscribi ante gratiam etiam prævenientem. 2. Conatus liberi arbitrii, quatenus à libero arbitrio proficiscuntur, à Deo dumtaxat esse, ut autore naturæ, à quo libertatem accepit. 3. Hominem à seipso, non item à Deo ad consentiendum applicari: qua parte laudem non minimam promeretur. 4. Laudem illam, saltem moralem, humanis conatibus adscribi, eo fine ut ei gratia præveniens ex certa lege conferatur: qua in re erroris caput situm est.

Pauca subjunxere Bastida & Arrubal, ut ostenderent Deum secundùm Molinam, esse causam bonorum operum moralium. Quibus cùm Lemosius sæpiùs objecisset, id minùs stare posse; utpote qui concursum universalem dumtaxat, indifferentem, à libero arbitrio determinabilem, ac demum in mera excitatione & suasione situm admisisset: ultimò reposuerunt, Molinam gratiam dumtaxat per se efficacem ac prædeterminantem negasse, minimè verò cooperantem, cujus ope voluntas applicetur ad opus. Quo audito, Prædicatorum Generalis unà cum Thoma de Lemos conclamarunt: *Hoc non est applicare voluntatem ad agendum; nisi enim priùs naturà applicetur per gratiam, ipsa se applicabit & determinabit ex propria facultate. Quod nos tanquam Pelagianum dicimus esse in Molina damnabile.*

Judicium de duabus propositionibus superiùs disputatis.

Die 21. Januarii 1603. hora 17. cen-" fuerunt omnes DD. Episcopi, excepto" D. Aquilano, Molinæ propositiones Sep-" timam & Octavam convenire cum dam-" nata Cassiani sententia. Patres etiam Theo-" logi similiter judicarunt excepto Patre" Regente Carmelitarum. Absolvitur propè" horam Vigesimam primam. "

Ex Actis Sarrarii. In Compendio sic de Septima propositione. Ex cap. 13. & 14. Collat. 13. colligitur, voluisse Cassianum ex Pauli sententia confirmare illud quod priùs docuerat exemplo Job, posse scilicet hominem ex naturali facultate, antequam per divinæ gratiæ adjutorium ullas à Deo vires accipiat, superare quascunque etiam graves tentationes. & nihilominus admisisse hominem in tentationibus constitutum à Deo adjuvari, tùm extrinsecè, quatenus moderatur tentationes ne graviores insurgant, quàm ut illis valeat naturæ viribus resistere; tum etiam interiùs excitando humanam industriam, & cooperando cum hominis voluntate propria virtute pugnante ad victoriam perficiendam.

Eandem fuisse Molinæ sententiam, & eodem modo, atque in eundem finem ab eo explicari Apostoli testimonium de quo quæritur, demonstratur ex tota disp. 19. cum enim memb. 2. constituisset propositionem Septimam superiùs relatam, addidit ex Pauli testimonio, quod sibi obstare videbat, non sequi aliquam esse tentationem, quam in potestate nostra non sit ex facultate naturali superare, si pro viribus pugnare voluerimus, sed ita illud intelligendum, ac si dixisset, Deum non fore passurum nos tentari pluribus & difficilioribus, & diuturnioribus tentationibus, quàm pro ratione auxilii, quod ipse impenderit, possimus commodè sustinere.

Cum autem in via Molinæ nulla alia gratia sit homini necessaria præter excitantem, invitantem & allicientem, quæ non tribuit vires voluntati ad operandum, sed tantum quid faciendum sit, admonet, & ad id hominem invitat, & allicit, censuit Congregatio, Molinam in verbis & in sensu consentire cum Cassiano in expositione illius testimonii Apostolici, quam idcircò omninò rejiciendam putavit, quoniam virtutem ad resistendum gravibus tentationibus, quam à sola Spiritus Sancti gratiâ hominem habere docuit Sanctus Augustinus, definivit Concilium Arausican. II. & SS. Pontifices Innocentius, Zozymus, & Cœlestinus declaraverunt, adscribit Molina libero arbitrio ex sua naturali facultate, & innata libertate; gratiam verò tantummodo exigit ad commodè seu facilè resistendum, neque aliam gratiam intelligit, quàm quæ excitet humanam industriam, & voluntatem invitet & alliciat.

Tum de Octava: Fuisse expressam Cassiani sententiam, quòd ante receptionem gratiæ servanda sit laus libero arbitrio, apparet in c. 14. Collat. 13. Unus enim Semipelagianorum fuit error, posse hominem ex sola naturæ facultate credere divina mysteria, desiderare, petere, & quærere Dei misericordiam: quem errorem condemnavit Concil. Arausic. II. Can. 6. & 7.

In eundem vero errorem lapsum fuisse Molinam, constat ex eo quòd expressè docuit in disp. 9. §. *Utque videlicet*, ante receptionem gratiæ libero arbitrio propriam industriam & laudem servari oportere. Hanc enim liberi arbitrii industriam & laudem in eo constituit, quod antequam per gratiæ adjutorium excitetur, & adjuvetur, illos actus ex facultate naturæ elicit, naturales quidem ex parte principii, supernaturales autem ex parte objecti, quos gratia divina ex lege à Deo constituta infallibiliter consequatur.

At verò secundùm veram & catholicam doctrinam certissimum est, in justificatione, & post justificationem ita agnoscendam esse propriam laudem & industriam liberi arbitrii, moti tamen & adjuti gratiâ divinâ, ut laus illa simpliciter Deo accepta referatur: ante justificationem, & receptionem primæ gratiæ divinæ nullam laudem & industriam propriam tribui posse libero arbitrio à Deo averso, & Deo adverso, nisi (quod absit) in sententiam Pelagianorum cum Cassiano descendatur. Quamobrem ex sententia omnium conclusum fuit Molinam cum Cassiano consentire in hac 8. Propositione, dissentientibus tamen D. Episcopo Aquilano, & P. Regente Collegii Carmelitarum.

CAPUT

CAPUT DECIMUM-NONUM.

Quid Vigesimâ-prima Congregatione disputatum? Quid Vigesimâ-secunda definitum?

DIe 27. Januarii 1603. coram Clemente VIII. Vigesima-prima Congregatio celebrata est. Discussus tertii Scripti Articulus nonus: Utrum Molina cum Cassiano conveniat in hac propositione: *Quòd ad donum perseverantiæ nihil aliud requiratur, quàm gratia habitualis, & auxilium sufficiens?* Legitur quæst. 23. disp. 1. memb. ult. §. *Secundum est.* & disp. 14. memb. 3. §. *Quartò.*

Nihil eos inter convenire dixit Arrubal. Probavit Molinam, præter Auxilium sufficiens & gratiam habitualem, agnovisse speciale quoddam auxilium, & peculiare adjutorium Dei necessarium ad perseverandum. Istud verò peculiare auxilium, ait esse gratiam efficacem, non ex se, sed ex directione Scientiæ-mediæ, cujus naturam his verbis exposuit, observatione dignissimis: *Suppono hoc auxilium quod facit perseverare, non esse efficax ex vi sua natura & de se; quia aliter illa efficacia esset inseparabiliter cum illo actu conjuncta, sicut color est inseparabiliter conjunctus cum albedine, & tunc esset auxilium prædeterminans, quia efficax de se & prædeterminans sunt idem. Est ergo efficax, quia Deus prævidit hominem cum illo infallibiliter perseveraturum. Ad hoc autem ut Deus prævideret hominem consensurum esse in actum suum ex dono perseverantiæ, necesse est in primo signo Deum habuisse cognitionem talis consensus futuri: alioquin non potuisset Deus eligere hominem illum ad talem actum certò & infallibiliter per liberum arbitrium futurum; nisi priùs cognovisset liberum arbitrium consensurum, & cooperaturum esse cum dono illo certissimæ perseverantiæ. Deus ergo talem elegit, qualem cognovit certò futurum. Siquidem si donum perseverantiæ ex sua natura habet & infert talem effectum, oportet ut Deus habuerit talem scientiam cum qua Deus in primo signo cognoscit talem causam, seu liberum arbitrium dono illi consensurum, & cum eo cooperaturum. Hæc autem est scientia conditionata, cum qua Deus prævidet quòd si huic homini talia auxilia conferantur, liberè consentiet & cooperabitur. Quemadmodum igitur si Medicus velit certò aliquem sanare, necessum est ut priùs cognoscat, si talia media adhibeantur, per ea hunc esse sanandum; ita non possunt auxilia certò sciri consequutura suum effectum, nisi prævideatur tale medium, scilicet cooperatio & consensus liberi arbitrii, quo posito effectus ponitur infallibiliter.*

Progressus deinde ad ea exponenda Molinæ loca, quibus ejus cum Cassiano consonantiam Prædicatores dato scripto demonstraverant: nempè, *Cum auxilio cum quo unus usque in finem vita perseverat, potest si velit non perseverare. Et cum auxilio quod Deus confert, præstòve est conferre ei qui non perseverat, potest perseverare: ac per eum stat quod non perseveret*; & alia hujusmodi: contendit horum locorum sensum esse; unum idemque secundùm entitatem & essentiam auxilium dari perseveranti & non perseveranti; tametsi perseverans auxilium illud ex sese merè sufficiens, efficax reddat assensu suo, quem Deus Scientiæ-mediæ lumine futurum esse prænovit. *Id verò totum*, subjunxit, *est doctrina communis omnium Patrum, qui docent auxilia divina per nostram cooperationem & consensum reddi efficacia, vel per dissensum inefficacia. Ex quo apparet, nullum ex Patribus docuisse, divinum auxilium secundùm suam entitatem & essentiam esse efficax, ita ut essentia auxilii efficacis distinguatur ab essentia inefficacis, sicut distinguitur essentia albedinis ab essentia nigredinis.* Id porrò probandum aggressus est ex SS. Chrysostomo, Leone Magno, Anselmo, & Thoma Aquinate.

Pro parte opposita militavit Thomas de Lemos. De Scientiâ-mediâ breviter dixit: quia specialis eo de argumento futura erat disputatio. Obiter solùm observavit, eam speculativam esse, non practicam; ac propterea non conducere ad efficientiam & efficaciam divinæ gratiæ. Addidit, juxta eam hypothesim liberum arbitrium priùs naturâ incipere, Deum autem simul tempore cooperari. Efficaciam etiam gratiæ à liberi arbitrii cooperatione suspensam; illam ipsam esse ostendit, quam Augustinus ejusque discipuli in Semipelagianis impugnarunt. Loca tandem ex Patribus objecta in Molinam retorsit, cujus sensum ambiguis & æquivocis verbis occultatum in aperto posuit.

Duo priora, à Lemosio licet obiter dicta, impugnavit Petrus Arrubal. Primùm, Scientiam-mediam practicam & operativam esse ait eo sensu, quia Deus ejus lumine prævidet media sua talem effectum & finem habitura, seu novit liberum arbitrium divinis auxiliis cooperaturum. Secundò contendit, Molinam ne per somnium quidem admisisse liberi arbitrii influxum prioritate naturæ, gratiæ cooperantis influxum antevertere.

Illud ultimum priùs occupavit Thomas de Lemos, adductis Molinæ verbis ex

disputatione 41. quæ frustrà dissimulare ac subterfugere tentavit alter. *Si sumatur gratia*, inquit Molina, *ut posterior tempore vel naturâ, sortitur rationem gratiæ cooperantis: videlicet dum consentiente jam libero arbitrio, influentique in actum suum, ipsa quoque in eundem actum influit, cooperaturque simul cum libero arbitrio:* simul, inquam, tempore; siquidem antea prioritatem naturæ libero arbitrio dedit, dum dixit, consentiente jam libero arbitrio.

Nulla huic argumento data responsio est. Idcircò rectà ad alteram responsionis partem venit, qua Scientiam-mediam practicam appellaverat Molinæ vindex. Quo abusû hoc ei nomen datum fuerit, sic ostendit: *Dixit Pater, scientiam illam conditionatam esse operativam: sed quomodo? Si Deus antequam velit (quæ voluntas divina est prima causa practica & operativa) alicui conferre auxilia, videt quod ex suppositione talium auxiliorum, ille cooperabitur per innatam libertatem: deinde vult & decernit talia media illi conferre, & per consequens videt operationem. Certè in illo priori ante decretum voluntatis, scientia non est nisi speculativa, licet post decretum sit practica, postquam voluerit: & voluntas creata est causa, quòd auxilia illa, & voluntas Dei sit efficax, & habeat suum effectum.*

Cùm autem denuò nonnullis interjectis eandem Scientiam-mediam impetiisset Thomas de Lemos ex inconvenientibus à S. Thoma indigitatis, quæst. 6. de Verit. art. 3. in corp. ubi docet *dici non posse, quod prædestinatio supra certitudinem providentiæ, nihil aliud addat, nisi certitudinem præscientiæ*: Respondit Arrubal: *Si aliquis diceret scientiam tantùm speculativam esse radicem & causam certitudinis prædestinationis & perseverantiæ, vera essent quæ deducit S. Thomas: sed nos asserimus, certitudinem earum sumendam esse ex scientia directivâ. Ad hoc enim tendit præscientia illa, ut per eam videat Deus, quænam media opportuna & necessaria adhiberi debeant, ut ex eis sequatur effectus certus perseverantiæ & prædestinationis, & cum quibus sit cooperatura nostra libera voluntas. Et de hac non sequitur inconveniens D. Thomæ.*

Tunc Clemens VIII. *Si vera sunt hæc*, inquit, *de præscientia Dei conditionata, ergo ante decretum Divinum videtur liberum arbitrium pro innata libertate operaturum.* Reposuit ille: *Optimè, Beatissime Pater: videt Deus quòd si tale auxilium conferat libero arbitrio, liberum arbitrium cooperabitur.* Tùm quæsivit Pontifex: " *Quòd autem homo cooperetur, pendetne ex Deo?* Respondit: *Pendet, sed non solùm à Deo, sed etiam à libero arbitrio, pro innata libertate. Nam Chrysostomus dixit auxilia Dei posse reddi inefficacia: & S. Augustinus lib. de dono perseverantiæ cap. 14. inquit: Ex quo apparet habere quosdam in ipso ingenio divinum naturaliter munus intelligentiæ, quo moveantur ad fidem, si congrua suis mentibus vel audiant verba, vel signa conspiciant. In hoc loco necesse est, ut S. Augustinus loquatur de gratia etiam interiori, non tamen de sufficienti & externa, quæ omnibus datur, quantum satis est. Quid hoc pertinet ad ingenium naturale? Cum ergo hæc auxilia, etiam interna, sint ex se indifferentia, oportet ad hoc ut Deus sit certus de effectu perseverantiæ & prædestinationis, ut præcognoscat, quid liberum arbitrium, & cur, & quando, & quomodo sit cooperaturum.* Ad quæ doctissimus Pontifex: *Ergo ut Deus sit certus de effectu perseverantiæ & prædestinationis, eget videre in ipso libero arbitrio, quid illud sit pro innatâ libertate facturum.* Subjunxit Arrubal: *Eget quidem ut objecto, non ut ratione vel specie qua videat.* Instavit rursus Pontifex; *Præscit Deus dona sua, ut docet nos sæpissimè S. Augustinus libro de prædestinatione Sanctorum, & libro de dono perseverantiæ, & alibi.* Reposuit iterum ille: *Præscit quidem dona sua, quatenus præcognoscit, quid liberum arbitrium, & quid auxilia sua simul sint factura.*

Quibus dictis, nonnullisque à Lemosio subjunctis pro S. Augustini sententiæ expositione, congressus solutus est.

Judicium de Nonâ Propositione disputatâ.

Die 28. Januarii 1603. horâ 16. censuerunt DD. Episcopi Molinam sentire cum Cassiano in Nona propositione, quæ est de dono perseverantiæ, excepto D. Aquilano. Similiter censuerunt Patres Theologi omnes; excepto P. Procuratore S. Augustini, qui dixit esse suspectam quantùm ad sensum, convenire tamen expressè quantùm ad verba, & Patre Regente Carmelitarum, qui dixit simpliciter & absolutè, Molinam in præfatâ propositione non consentire cum Cassiano. Absoluta propè horam vigesimam Congregatio.

Ex Actis Secretarii.

At in Compendio sic: Ex Epistola S. Hilarii ad S. Augustinum apparet tripliciter erravisse Semipelagianos circa quæstionem de dono perseverantiæ.

I. Quia nolebant ut hoc donum prædicaretur ita singulare, ut liberum cuique non esset illud habere, tanquam à cujusque propria voluntate penderet illud accipere. II. Quoniam negabant talem hominibus perseverantiam dari, quæ non posset contumaciter amitti. III. Quia asserebant fatalem induci necessitatem, si ejusmodi donum perseverantiæ foret necessarium, per quod fiat, ut qui illud acceperint, non nisi perseverantes sint.

In quibus etiam errasse Cassianum, apertè constat ex Collat. 13. c. 14. & 18. Molinam verò à Cassiani & Semipelagianorum dogmate non dissensisse, apparet ex multis locis ipsius Concordiæ. Nam disp. 4. expressè docuit, primos parentes in statu innocentiæ

tiæ ad vitanda peccata, perseverandumque in gratia, non eguisse auxilio aliquo particulari superaddito habitibus justitiæ originalis gratiæ & Theologicalium virtutum: quod est contra apertissimam sententiam sancti Augustini lib. 14. de Civit. Dei c. 27. & Epist. 106. atque contra definitionem Concil. Arausic. II Can. 19.

Similiter etiam censuit de dono perseverantiæ in statu naturæ corruptæ: quemadmodum enim sæpè docuit, auxilia gratiæ adjuvantis & efficacis, non esse efficacia ex vi motionis suæ, & prout à Deo veniunt, sed illorum efficaciam pendere ex consensu liberi arbitrii, ab eoque provenire ut auxilium, quod aliàs esset sufficiens tantùm, fiat efficax; ita prorsus philosophatus est de dono perseverantiæ, quod scilicet pendeat a consensu liberi arbitrii; quod est, perseverantiæ donum dari nobis, quia volumus, non autem per illud effici etiam ut velimus. Ita constat ex qu. 23. art. 4. disp. 1. memb. ult. §. *Tandem*, & ex memb. 9. §. *Postremò.* Unde deducitur, quando Molina dicit requiri ad perseverandum speciale auxilium Dei, vel, perseverantiam in gratia esse Dei donum per auxilium speciale, per Dei donum nihil aliud intellexisse, quàm auxilium gratiæ sufficientis, excitantis, & allicientis, quod appellat speciale Dei donum, quatenus distinguitur à concursu generali, atque ipsum donum habitualis gratiæ ratione novi influxus quo in operationem piam influit, quia liberum arbitrium pro sua sola libertate voluit illo bene uti: & idcirco evincitur, in doctrina Molinæ primam radicem, ex qua oritur ut donum illud gratiæ per novum influxum habeat rationem doni perseverantiæ, esse, quia voluntas pro sua innata libertate voluit benè operari cum illo auxilio; putavit enim omnino tolli arbitrii nostri libertatem, si tale donum perseverantiæ concedatur, per quod Deus efficaciter & insuperabiliter efficiat ut homo infallibiliter perseveret, quale intellexit Conc. Trident. Sess. 6. c. 13.

Quamobrem conclusum fuit, doctrinam Molinæ de dono perseverantiæ adversari sententiæ S. Augustini, & aliorum PP. qui contra Pelagianos & Semipelagianos scripserunt, Summorum Pontificum & SS. Conciliorum definitionibus; & esse consonam Cassiani errori. Exceptis &c.

CAPUT VIGESIMUM.

Quid Vigesimâ-tertia Congregatione disputatum? Quid Vigesimâ-quarta definitum?

Die 17. Februarii 1603. coram Clemente VIII. Congregatio 23. habita est. De decimo tertio Scripti Articulo disputatum fuit: An videlicet Molina cum Cassiano conveniat in hac assertione: *Quod omnia à Molina dicta de conatu liberi arbitrii reducantur ad actus necessarios ad justificationem?* Petitur ex disp. 9. §. *Quod hæc*, disp. 12. § *Ex dictis*, disp. 23. mem. 11. §. *Illud*, disp. 10. in principio.

Contendit Arrubal nequaquam reduci: seu naturales liberi arbitrii conatus gratiam actualem antevertentes, non prærequiri ad initium justificationis juxta Molinæ principia. Id probandum sibi sumsit, ea exponendo & emolliendo CONCORDIÆ loca, ex quibus hunc errorem Prædicatores scripto suo deduxerant. Duo ex illis potissimùm difficilia fassus est, in quorum expositione desudavit. Primum exstat disp. 10 in principio: *Quotiescumque liberum arbitrium*, inquit Molina, *ex suis viribus naturalibus conatur, præstòve est ad conandum totum id quod ex se potest, tam circa ea quæ fides habet addiscenda & amplectenda, quam circa dolorem de peccatis ac justificationem, à Deo confertur gratia præveniens, auxiliaris quibus id faciat ut oportet ad salutem.* Alterum disp. 14. mem. 5. *Inter leges, quas tam Christus quam Pater Æternus statuerunt, de Auxiliis & donis quæ nobis Christus promeruit, mere gratis conferendis, una eaque rationi maxime consentanea fuit, ut quoties ex nostris viribus naturalibus conamur facere quod in nobis est, præstò nobis essent auxilia gratiæ, quibus ea ut oportet ad salutem efficeremus.* Quæ duo intelligenda significavit de conatibus minimè meritoriis, nullaque ratione fini supernaturali accommodatis.

Dixit deinde Thomas de Lemos in oppositum. His aliisque Arrubalis excusationibus Molinam nequaquam in tuto positum ostendit: seu quòd principiis ejus minùs æquè accommodari possint (quamquam eas ille ad bonorum effugiendam indignationem sæpiùs usurpasset:) seu quòd illas ipsas a Pelagianis quæsitas tricas Augustinus ex instituto confutasset. In multis ad ea se retulit, quæ in Undecima Congregatione adversùs Gregorium de Valentia demonstraverat, ob argumenti affinitatem.

Ultimo loco ad pervulgati axiomatis expositionem ventum est, de gratiâ facienti quod in se est conferendâ. Molinæ sinistras interpretationes, quas poterat arte emolliverat Petrus Arrubal; ne gratiam prævius naturæ conatibus tribuisse videretur: cum ecce posthabitâ quacunque ratione, disputationi præcipitanter se obtulit Ferdinandus de Bastida: *Ad ea*, inquit, *quæ dicta fuerunt de facientibus quod in se est ex naturæ viribus, quod Deus illis det gratiam, hoc ipsum affirmo quod Molina affirmavit, & quamplurimi gravissimi Doctores.* Quo circa duo S. Thomæ testimonia ex Commentariis in libros sententiarum petita laudavit, ut gratiam homini solis naturæ viribus adnitenti conferri ostenderet. Respondit non semel Thomas de Lemos, frustrà hæc denuò refricari; utpote quæ à Gregorio de Valentia in Undecima Congregatione proposita essent, & à se cumulatiùs exposita: Doctoremque Angelicum in Prima Secundæ satis apertè significasse, hoc axioma intelligendum esse de faciente quod in se est ex viribus gratiæ. Ad hæc clamavit Bastida, Doctorem Angelicum doctrinam in sententiis traditam in Prima Secundæ retractasse. Cui perbellè Prædicatorum Generalis: *Si S. Thomas illam sententiam mutavit, cur vultis sequi sententiam mutatam, aut ad quid illam adducitis?*

Eo audito jussit Clemens VIII. agi de sequen-

ſequenti propoſitione, videlicet; An Molina conſentiat cum Caſſiano in hac aſſertione: *Quod homini conatui ex ſuis naturalibus detur gratia; ita tamen ut conatus illi non ſint meritorii, nec ſemper neceſſarii?* Legitur diſp. 10. in prin. diſp. 9. §. *Patet.* diſp. 14. memb. 5.

Propugnavit Arrubal, illos nullâ propoſitionis parte convenire: non primâ; quia Molina nativos illos liberi arbitrii conatus nullius eſſe valoris ac meriti ſæpiùs atteſtatur; cujus oppoſitum Caſſianus exiſtimavit ac docuit. Non alterâ, quia uſque adeò cenſuit Caſſianus prævios naturæ conatus ad meritoriam vocationem neceſſariò deſiderari, ut eo fine duos vocatorum ordines conſtituerit, quorum alii gratiam piis conatibus anteverterent, alii gratiâ prævenirentur, atque idcircò merito & libertate carerent. Cùm è contrâ, Molina omnes divinâ gratiâ præveniri docuerit, neminemque id eo merito & laude privari exiſtimaverit, quòd ejus motione præveniatur. Poſtmodùm Molinæ teſtimonia unde conſonantiam illam Prædicatores dato ſcripto oſtenderant, paucis expoſuit.

Partem oppoſitam tenuit Thomas de Lemos. Valorem ac meritum nativis conatibus à Caſſiano negatum oſtendit: tametſi Eccleſiæ Patres errorem illum ex ejus principiis intuliſſent; quaſi qui gratiam ſecundùm merita noſtra dari propugnaſſet, dum eam nativis conatibus anteverti defendit. Addiditque idem prorsùs ex Molinæ doctrinâ conſequens fore, utpote quæ iiſdem principiis innitatur.

Probavit ſubinde duos illos Vocatorum ordines æquo jure à Molina & Caſſiano ſtatutos eſſe: non uſque tamen Caſſianum ſtipitem exſtitiſſe, ut exciſam hominis libertatem ac meritum exiſtimaverit, dum divinâ gratiâ merè illuminante, ſuadente, alliciente prævenitur. Quapropter Caſſiani ac Molinæ errorem in eo poſitum dixit & probavit, quòd efficaci gratiâ præveniri hominem pernegaverint, ne libertas ac meritum tollerentur. Manichæos, Lutheranos, Calviniſtas, Pelagianos & Moliniſtas, hoc uno principio ſimul erraſſe ait: *Gratia ex ſe efficax cum libertate ſtare non poteſt*: illos quidem, ut admiſsâ efficaci gratiâ, libertatem perimerent: iſtos, ut propugnatâ libertate, gratiam efficacem impugnarent. Cum è contra Prædicatores, utramque perbellè tuerentur, libertatem & gratiam.

Diſputationi finem fecit Clemens VIII. propè horam 20.

Judicium de propoſitionibus antea agitatis.

Die 18. Februarii 1603. horâ 15. de Decimâ & Undecimâ propoſitione dixerunt DD. Epiſcopi, excepto D. Aquilano, Molinam & Caſſianum eodem prorsùs modo docuiſſe utramque propoſitionem. Similiter cenſuerunt Patres Theologi omnes, excepto Patre Regente Collegii Carmelitarum. Abſolvitur Actio horâ decimâ-nonâ.

Ex Actis Secretarii. In Compendio de Decima sic: Ex Caſſiani Collat. 13. c. 7. & ex lib. Concordiæ Molinæ, diſp. 7. 10. & 36. conſtat, tam Caſſianum quàm Molinam in eum potiſſimùm finem egiſſe de viribus liberi arbitrii ad actus bonos moraliter credendi, ſperandi, diligendi, & pœnitendi, ut perſuaderent ſecundùm communem ordinem divinæ providentiæ, æternumque decretum, & legem à Deo Patre cum Chriſto Filio ſuo conditam; homini facienti quod in ſe eſt ex ſolis naturæ viribus, gratiam prævenientem infallibiliter dari, per quam juſtificationis donum comparare poſſit.

Hanc autem doctrinam idcircò Congregatio cenſuit eſſe damnandam, quòd ex illa per evidentem conſequentiam SS. PP. Auguſtinus & Proſper ſæpè deduxerint, gratiam Chriſti ſecundùm merita noſtra dari, & initium juſtificationis eſſe ex nobis. Quod ut fuit Pelagii dogma, ita etiam adverſatur Sacrorum Conciliorum decretis, & Summorum Pontificum definitionibus.

Deinde de Undecima: Ex dictis deducitur, Molinam convenire cum Caſſiano, etiam in hac Concluſione. Quemadmodum enim Molina negavit conatus noſtros gratiam prævenientem antecedentes ullius eſſe meriti, aut valoris: ita etiam & Caſſianus, Collat. 13. c. 13. & 16. Verùm cum S. Proſper nihilominus efficaciter deduxerit, Caſſianum conſtituiſſe meritum in actibus liberi arbitrii elicitis ante gratiam, id quoque ex doctrina Molinæ evidenter colligi eadem ratione demonſtratur.

Cùm autem tam Molina, quàm Caſſianus, conſtituerit duos ordines venientium ad Chriſtum, ita quidem, ut alii per proprium conatum ad gratiam perveniant; alii verò à gratia divina excitati ad fidem & pœnitentiam vocentur: concluſum fuit, utrumque putaſſe non ſemper eſſe neceſſarium, ut conatus noſtri antecedant gratiam prævenientem; ſed ut plurimùm juxta communem curſum divinæ providentiæ, & leges à Deo inſtitutas, à libero arbitrio pendere, quòd illam quis recipiat. Quod eſſe contra expreſſam Concilii Arauſicani definitionem ſæpiùs comprobatum eſt. Exceptis &c.

CAPUT VIGESIMUM-PRIMUM.

Quid Vigeſima-quinta Congregatione diſputatum? Quid Vigeſima-ſexta definitum?

Die 14. Aprilis 1603. Congregatio 25. coram Clemente VIII. habita eſt. Loco Generalis Prædicatorum, qui Neapolim paulò ante abierat, acceſſit Didacus Alvares, cum Thoma de Lemos. De Duodecimo Scripti tertii Articulo diſputatum fuit: An Molina cum Caſſiano conveniat in hacce propoſitione, *Quòd propter bona opera naturalia detur gratia?* Et, An utrique eodem modo temperent propoſitionem illam. Colligitur ex Concordia quæſt. 23. diſp. 1. memb. 11. §. *Illud addendum.* diſp. 44. §. *Quoad primum.* diſp. 10. §. *Illud etiam.*

Propoſitionem illam cenſurâ dignam faſſus eſt Arrubal, nuſquam tamen à Molina propugnatam. Ideóque nihil Molinæ eâ parte

parte commune esse cum Cassiano, à quo disertissimis verbis asserta fuerat.

Hac de causâ Molinæ loca duo laudavit, ubi gratiam prævenientem propter bonum usum liberi arbitrii naturalem minimè conferri docet. Mox ea exposuit, unde errorem illum Prædicatores dato Scripto collegerant. Primum locum (ubi gratiam uni præ altero conferri ait propter opera moraliter facta ab homine in peccato mortali existente; eaque remotas ad gratiam dispositiones meritò appellari docet) intelligendum voluit, de operibus cum auxilio gratiæ actualis elicitis: cum præsertim se de iis dumtaxat egisse protestatus sit Molina in additionibus ad editionem Antverpiensem. Alterum, ubi probat motus gratiæ prævenientis sæpè admodùm esse debiles propter modicam præparationem & conatum nostrum, exposuit de conatu & præparatione non purè naturali: *Quia*, inquit, *Molina loquitur de conatu nostro, qui oritur ex altera gratiâ præveniente, & antecedenti alteram, & respectu illius quam antecedit, dicitur conatus & præparatio antecedens gratiam prævenientem, non tamen illam omnium primam; sed illam quæ in decursu totius humanæ vitæ contingit.*

Quod hujusce erroneæ propositionis limitationes attinet Molinam à Cassiano perinde remotissimum propugnavit. Quia cùm Pelagius universim constituisset, gratiam singulis hominibus juxta uniuscujusque meritum dari: hoc axioma temperavit Cassianus, duplici Vocatorum ordine constituto, quorum alii ex meritis, alii ex divinâ misericordiâ gratiam consequerentur: nec unquam meritum de congruo operibus gratiam omnem antevertentibus denegavit. Quæ duo à Molinæ doctrinâ prorsùs aliena sunt.

Egit ex adverso Thomas de Lemos. Molinam & Cassianum inter se congruere defendit. Quo circa tria à Cassiano posita demonstravit. 1. *Dari gratiam propter opera bona moralia facta ex solius naturæ viribus.* 2. *Non dari gratiam propter hujusmodi opera, tanquam ex meritis, sed semper gratuitam perseverare.* 3. *Opera hæc naturalia esse tantùm occasiones quasdam ad gratiam impetrandam:* quæ totidem in Molina durioribus etiam verbis ostendit.

Primum, quod à Cassiano quidem assertum fatebatur Arrubal, à Molina tamen uspiam propugnatum negabat; probavit Lemos, tum ex ipsius vulgari axiomate toties decantato, *Facienti quod in se est ex viribus naturæ Deus ex certa lege dat gratiam:* tum ex quæst. 23. disp. 2. memb. 9. §. *Postremò*, ubi de prædestinatione differens, ita concludit: *Ergo quod voluntas illa Dei æterna, quâ adultis ea media ex sua parte conferre statuit, quibus in Beatitudinem perveniunt, rationem prædestinationis habuerit; tanquam à conditione sine qua eam rationem non habuissent, ex eo fuit dependens, quod adulti ipsi eo modo pro sua innata libertate usuri erant suo arbitrio, ut ad eam pervenirent: idque Deus altitudine sui intellectus præviderit.* Tum demùm ex variis CONCORDIÆ locis, ubi ad opera moraliter bona, etiam difficillima elicienda, nullum gratiæ actualis auxilium exigit. Hinc enim consequens omninò voluit, Molinam opera merè naturalia, uti remotas divinæ gratiæ præparationes agnovisse, dum opera moraliter bona dispositiones appellavit.

Secundum ac Tertium, quod è Cassiani sententiâ esse negabant Molinæ Vindices, ne parem utriusque causam fateri cogerentur, multis probavit argumentis: nullumque bonis operibus primam gratiam antevertentibus meritum, seu condignum, seu congruum, à Cassiano adscriptum ostendit.

Tandem Arrubalis interpretationes, quibus objecta sibi testimonia declinare, aut emollire tentaverat, confutavit: Molinæque protestationem Editioni Antverpiensi additam, quasi facto contrariam, atque ejus instituto repugnantem exsufflavit.

Adversùs Lemosii dicta sæpiùs instarunt Molinæ Defensores. At cùm eadem continuo refricarent, dixit Pontifex: *Quoniam vos eadem semper repetitis, neque aliquid novi circa istam propositionem amplius adducitis, agite de sequenti propositione, satis enim de hac dictum est.*

Ad propositionem itaque Decimam-tertiam ventum est: An Cassianus & Molina conveniant in istâ assertione, *Quòd possit homo Medicum quærere, & sanitatem desiderare?* Legitur in CONCORDIA disp. 45. §. *Ex dictis*. & disp. 9. in principio.

Contendit Petrus Arrubal Molinam hac in parte Cassiano non assentiri, utpote qui propositionem hanc nuspiam propugnavit. Duo itaque probare tentavit. 1. Assertionem hanc ex duobus Molinæ locis à FF. Prædicatoribus objectis extundi non posse. 2. Molinam non idcircò damnandum, etiamsi gratiam prævenientem nativis conatibus desiderari posse docuisset: cùm id à Patribus gravissimisque Theologis traditum sit.

Ad primum locum à Prædicatoribus objectum, ubi Molina docet, posse liberum arbitrium motus gratiæ prævenientis desiderare

derare, & à Deo petere: respondit, id utique verum esse, nec tamen inde sequi, posse illum desiderare sanitatem: cùm animæ sanitatem non conferat gratia præveniens, sed justificans, subjunxit certo non colligi Molinam de desiderio purè naturali intelligendum, etsi de desiderio gratiæ prævenientis loquatur: quia desideria & præparationes ad gratiam prævenientem, ex alia gratia præveniente proficisci possunt.

Ad alterum, ubi nullius esse meriti scribit, quidquid ex suis naturalibus homo efficiat, ut auxilium sibi donari petat, aut ad illud recipiendum se disponere sataget; Respondit eum loquendi modum, utpote merè conditionalem, quoad illam gratiæ petitionem & dispositionem, nihil in re ponere, sed definire dumtaxat, nihil hæc omnia meriti fore, si reipsa contingerent.

Postremo loco, varia Patrum ac Theologorum testimonia laudavit, ut gratiam imperfecto saltem desiderio, naturæ viribus appeti posse demonstraret.

Hæc omnia jam à se satis in superioribus Congregationibus occupata dixit Thomas de Lemos: nec quidquam addendum existimavit. Verùm jubente Pontifice nonnulla notavit, ad postremum adversæ partis conatum dissipandum. Observavit scilicet, Molinam à Patribus ac Theologis ab Arrubaic laudatis, immaniter aberrasse: quia licet dona gratiæ sub communi ratione boni, mera quadam velleitate desiderari naturaliter posse existimarint, nusquam tamen quatuor illa capita docuerunt, quibus totum Molinianæ sententiæ virus exstat. 1. *Posse hominem ex suis viribus desiderare auxilium gratiæ, ut supernaturale est*: 2. *Hujusmodi actum, esse absolutum & non velleitatem tantùm*: 3. *Posito hoc desiderio, gratiam prævenientem infallibiliter à Deo conferri.* 4. *Ejusmodi actum naturæ viribus elicitum, adveniente gratiâ elevari posse ad ordinem supernaturalem; fierique actum, ut oportet ad salutem, & commensuratum fini supernaturali.*

Cùm hæc satis ex tempore confutare non possent Molinæ Vindices, rogarunt ut autores Molinæ consentientes scripto proferre sibi liceret. Hanc illis veniam fecit Sanctissimus Pater; illudque scriptum in Congregationis commentarios à Secretariis referri voluit. Atque ita disputationi finem dedit.

Judicium de Propositionibus mox disputatis.

Ex Actis Secretarii. In Compendio de „ Die Martis 15. mensis Aprilis horâ 13. „ anno Domini 1603. cum priùs S. D. N. „ Sacrum fecisset; imploratâ Spiritus Sancti gratia S. D. N. præcepit DD. Consulto-„ ribus, ut de 12. propositione primùm, „ deinde de 13. agerent. „

Duodecima: Ex collatione sententiæ Molinæ cum damnata doctrina Cassiani, resolvit Congregatio, illos mutuò inter se convenire in duodecima Conclusione.

De 12. propositione. Æquè expensis „ omnibus illis rationibus, quas Patres So-„ cietatis ex adverso produxerunt in defen-„ sionem Molinæ; illis non obstantibus „ censuerunt omnes, exceptis D. Episcopo „ Aquilano, & P. Regente Collegii Car-„ melitarum, Molinam cum Cassiano con-„ sentire, tam in prædicta assertione quàm „ in illius temperamento; neque ullo modo „ excusari posse ab errore Pelagii, ex iis „ quæ in Appendice addidit, sed majorem „ inde illi inuri notam Pelagianismi. „

De 13. propositione. Cùm de senten-„ tia & Molinæ, & Cassiani constiterit, & „ quæ fuerit illorum temporum Catholica „ doctrina, à SS. Patribus contra Pelagia-„ nos constantissimè tradita, & ab Ecclesia „ definita, apertissimè appareret; censue-„ runt omnes, exceptis D. Episcopo Aqui-„ lano & P. Regente Collegii Carmelita-„ rum, post exactam discussionem ratio-„ num, quas Patres Societatis pro Molinæ „ defensione produxerunt, illis non obstan-„ tibus, Molinam cum Cassiano contentire, „ in prædicta propositione 13. Et eam sen-„ tentiam formaliter docuisse, quæ Sanctis „ Patribus & Ecclesiæ definitioni omninò „ adversatur. Quibus peractis, dimissa est „ Sessio horâ 18. „

Etenim quòd Cassianus docuerit, gratiam dari propter opera nostra moraliter bona facta ex solis naturæ viribus, constat ex Collat. 13. c. 11. & ex S. Prospero in lib. contra Collat. c. 6. Verùm ne convinceretur cum Pelagio asseruisse, gratiam Dei secundùm merita nostra dari, in c. 13. & 16. ejusdem Collat. & lib. 2. Instit. c. 14. conatur persuadere, se detestari illud Pelagianum dogma, & quantumlibet enixus fuerit humanam fragilitatem suis operibus imminuere, non posse divinam gratiam, quin semper gratuita perseveret: atque adeò in nostris operibus non esse propriam & veram meriti rationem, sed tamen Deum præsto esse, occasione sibi tantummodò à nobis bonæ voluntatis oblata, ad divinæ suæ gratiæ dona conferenda. Hanc itaque fuisse Cassiani & Semipelagianorum omnium sententiam, & hoc ejus temperamentum, apparet etiam apud S. Prosperum in lib. de Ingratis, c. 38. In eundem errorem lapsum fuisse Molinam, constat ex disp. 10. & ex multis aliis locis, in quibus formaliter docuit, facienti quod in se est ex solis naturæ suæ viribus, Deum ex certa lege infallibiliter gratiam dare, & hac sola ratione salutem nostram esse in manibus nostris, & in nostra positum esse potestate, ut Filii Dei simus: quia, si quantum in nobis est, conabimur, præsto nobis aderit Deus, ut fidem, & gratiam consequamur, neque desiderio nostro fraudemur. Formaliùs autem id docuit qu. 23. art. 4. disp. 1. memb. 9. §. *Illud addendum.* Ibi enim expressè asserit, propter eleemosynas, & alia opera moraliter bona facta ab existente in lethali peccato, convenisse sæpe Deum opitulari citius, ac magis uni quàm alteri, ut à peccato resurgat; eaque ratione hujusmodi opera esse dispositiones remotas ad gratiam. Videndus etiam in disp. 42. §. *Quod ad primum.*

Neque obstat, quod in Appendice ad verbum illud (*Nonnam*) addidit in Edit. Antverp. videlicet sententiam illam esse intelligendam, cooperante gratia. Nam & Semipelagiani, ut refert S. Prosper in Epistola ad S. Augustinum, non comitem gratiam, sed præviam negabant. Quæstio autem tam cum Molina, quàm cum Semipelagianis est, An gratia præcedat bona opera nostra, an sequatur.

Quod verò Molina suam assertionem temperaverit, sicut & Cassianus, constat ex illis locis, in quibus profitetur, ejusmodi bona opera moraliter nullius esse meriti aut valoris, ut propter illa gratia detur. Quod nihil aliud est, quàm verbis, non re, Pelagianum dogma respuere.

De Decima-

De Decima-tertia: Resolvit Congregatio, hanc propositionem secundum proprium ejus sensum fuisse assertam non aliter à Molina, quam à Cassiano, & ab utroque ex Pelagiano fonte haustam. Ita enim sensisse Cassianum & Semipelagianos omnes, constat ex cap. 9. Collat. 13. & ex Epist. S. Hilarii ad S. Augustinum. Refert enim Semipelagianorum sententiam tunc temporis fuisse, non negari gratiam, si præcedere dicatur talis voluntas, quæ tantum medicum quærat, non autem quidquam ipsa jam valeat.

Eandem quoque fuisse Molinæ assertionem, demonstratur ex disp. 9. in qua dixit, posse hominem ex solis naturæ viribus desiderare & petere gratiæ divinæ adjutorium; quod postea repetit in disp. 42. §. *Atque*. S dico. aliter eam docuit in disp. 14. memb. 1. §. *Ratio*, & memb. 5. §. *Postulan*. Hanc verò doctrinam omninò esse Pelagianam, confirmatur ex sententia S. Augustini contra Pelagianos tradita in lib. de corrept. & grat. c. 1. & ex divinis Scripturis asserta à S. Prosp. in respon. 6. ad Capitula Gallorum, & lib. contra Collat. c. 8. & ex Concil. Arausic. II. Can. 4 & 9.

CAPUT VIGESIMUM-SECUNDUM.

Quid Vigesima-septima Congregatione disputatum? Quid Vigesima-octava definitum?

Die 5. Maii 1603. coram Clemente VIII. habita est Congregatio 27. Ultimus Scripti tertii Articulus agitatus fuit: ***An Molina, non secùs ac Cassianus, nolit confiteri prædestinationem gratuitam aliquorum esse, non omnium?*** seu, An ambo pariter existimaverint æqualem respectu omnium esse prædestinationem ex parte Dei, nec aliquorum tantùm esse gratuitam? Ita Molina quæst. 23. art. 4 & 5. disp. 1. memb. ult. §. *Credens autem.* & memb. 6. §. *Arbitramur.* & disp. 1. memb. 11. §. *Octava Conclusio.* quæst. 14. art. 6. disp. 1. §. *Ex his constat.*

Contendit Petrus Arrubal Cassiani errorem circa prædestinationem non esse illum qui in proposita quæstione significatur, sed alium longè diversum: nempè inter electos, quorundam quidem prædestinationem fuisse merè gratuitam, illorum scilicet quibus gratia data fuit absque initio bonæ voluntatis antecedentis; aliorum verò non item, quibus scilicet gratia data fuit propter bonæ voluntatis initium. Mox prolixiori oratione probavit, Molinam gratuitam prædestinationem nusquam negasse. Gratuitæ verò prædestinationis nomine, eam intelligit, cujus primus effectus, seu vocatio prima, non est propter bonum usum liberi arbitrii prævisum, etiam ut conditionem sine qua non; sed pro sola libera voluntate Dei. Nihil à Molina de Prædestinatione scriptum dixit, quod Augustinianæ ac Thomisticæ doctrinæ adversaretur; tametsi non æquè certum esset, an eorum Doctorum mentem de reprobatione attigisset.

Progressus deinde ad ea exponenda Concordiæ loca, quæ FF. Prædicatores in erroris accusationem adduxerant, tam implexis tamque extortis expositionibus Molinæ sensum cohonestavit, ut illum penè Thomistam dixissent universi, nisi eas fallaci verborum fuco compositas ostendisset Thomas de Lemos. *Præcipuus locus objectus*, inquit Molinæ Vindex, *est ex eadem Disputatione prima memb.* 11. §. Octava Conclusio, *ubi Molina ait, sicut à cooperatione liberi arbitrii futura ex hypothesi, tanquam a conditione pendet ea præscientia, qua Deus cognoscit talem cooperationem ut futuram; simili etiam modo ab ea dependere, quod reliquum quod prædestinatio includit, habeat rationem prædestinationis. Ex hoc tamen loco inferri non potest, Molinam negare prædestinationem gratuitam, tametsi fateatur à præcognitâ cooperatione liberi arbitrii dependere, quod ordinatio eorum particularium mediorum, quæ Deus eligit, habeant rationem prædestinationis; atque in hoc sensu prædestinationem esse secundùm scientiam cooperationis liberi arbitrii.*

Ad explicandam ergo Molinæ sententiam, notandum est, duas esse in re præsenti propositiones, de quibus diversissimum debet esse judicium. Prior est, Prædestinatio est secundùm præscientiam, aut dependet à præscientia boni usus liberi arbitrii ex viribus naturæ: *quæ propositio nullum bonum sensum haberet, neque à Molina asseritur, ut apertè colligitur ex voce cooperandi, qua sæpè utitur in eadem Octava conclusione, & aliis locis: ait enim rationem seu conditionem, sine qua in Deo non fuisset prædicta præscientia, esse, quòd adultus pro sua libertate esset cooperaturus: verbum autem cooperandi apertè indicat gratiam, cui voluntas cooperetur. Posterior propositio est*, Prædestinatio est secundùm præscientiam, aut dependet à præscientia boni usus liberi arbitrii, ex influxu & operatione gratiæ. *Quæ rursùs propositio habere potest duos sensus. Prior est, prædestinationem dependere à præscientiâ boni usus liberi arbitrii, futuri absolutè, aut tanquam rationis vel conditionis, ob quam homo prædestinetur. De quo etiam sensu non est necesse aliquid dicere: nam Molina in citatâ Conclusione, non loquitur de præscientia consensus absolutè futuri, sed futuri ex hypothesi, ut patet ex 7. Conclusione, quam Molina in Octava Conclusione refert. Nec etiam loquitur Molina de præscientia consensus futuri ex hypothesi, tanquam rationis vel conditionis meritoriæ, propter quam homines prædestinentur; ut patet ex iis quæ supra retulimus, quibus Molina expressè ait, nullam esse rationem aut conditionem propter quam homo prædestinetur. Posterior verò sensus est, Prædestinationem es-*

se

se secundùm præscientiam boni usus liberi arbitrii futuri ex hypothesi, tanquam effectus, sine cujus cognitione præparatio eorumdem mediorum, hoc est earumdem entitatum auxiliorum gratiæ, non esset prædestinatio. Hic verò est Molinæ sensus, qui ut nobis quidem videtur, non minuit rationem gratuitæ prædestinationis.

Post expositam ac probatam doctrinæ hujus orthodoxiam, venit ad alia objecta CONCORDIÆ loca; ubi oraculum Apostoli, *Deus vult omnes homines salvos fieri*, de generali quadam & indiscreta voluntate exponuntur. Respondítque nihil illa obesse; cùm & ea expositio Augustiniana sit ac Thomistica: aliamque pariter in Deo voluntatem efficacem, peculiarem, & omninò gratuitam, erga solos prædestinatos, Molina passim admiserit.

In arenam postmodùm descendit Thomas de Lemos. Quatuor Semipelagiani erroris capita distinxit ex Prosperi & Hilarii ad Augustinum Epistolis petita. Primum erat, *Prædestinationem electorum non fieri secundùm æternum Dei propositum absolutum, ante omnem præscientiam boni usus liberi arbitrii humani.* Secundum, *Prædestinationem esse secundùm præscientiam boni usus liberi arbitrii futuri.* Tertium, *Prædestinationem non esse gratuitam respectu aliquorum, sed ex parte Dei esse communem & æqualem respectu omnium.* Quartum denique, *Prædestinationem fieri propter præscientiam boni usus liberi arbitrii futuri, non quomodocumque, sed sub ipso gratiæ adjutorio: ita quidem ut præscientia boni usus sub gratiæ adjutorio futuri, sit prædestinatio, cujus certitudo sit ex sola præscientia.*

Quatuor hæc in Molinæ CONCORDIA pariter statuta digito monstravit: quibus prolixè enarratis, Arrubalis actionem confutare cœpit: atque illam in primis partem, quâ gratuitam prædestinationem à Molina propugnatam affirmaverat, ab æquivocatione liberavit: *Quando*, inquit, *in locis productis à Patribus dicit Molina, prædestinationem Dei esse merè gratuitam, & in solam divinam voluntatem esse referendam, loquitur de prædestinatione, quatenus est communis providentia. At verò in locis à me productis, in quibus dicit prædestinari homines, qui prævidentur benè usuri suo arbitrio, & cooperaturi gratiæ divinæ, loquitur de prædestinatione ut distinguitur à communi providentia. Et sic sublatâ istâ æquivocatione, faciliè conciliantur diversi illi duo modi loquendi Molinæ: nam ipse componit simul statum divinæ providentiæ cum prædestinatione, & dicit: quòd Deus statuat hominem in tali ordine rerum, in quo prævidit ipsum benè usurum auxiliis, quæ in illo rerum ordine statuit dare, nullam habet causam: at verò quod homo gratis positus in tali rerum ordine, sit prædestinatus vel præscitus, hujus quidem secundùm Molinam datur causa ex parte prædestinati, nempè bonus usus liberi arbitrii prævisus.*

Secundùm illa, Scientiam-mediam, undè tota juxta Molinam divinæ prædestinationis certitudo pendet, acriter impetiit, uti Scripturis, Conciliis & Patribus repugnantem: adducta in ejus gratiam argumenta è Massiliensium officina produisse; nec modò Pelagianæ, sed & Calvinianæ hæresi statuendæ opportuna demonstravit: eumque in finem Lovaniensis Censuræ suffragium, præmissâ venerabilium Patrum commendatione, egregiè extulit.

Disputationem suam resumsit Arrubal. Præmisit Molinæ mentem sibi magis quàm cuivis mortalium perspectam esse: quòd ejus sensus & arcana illo ipso interprete didicisset. Scientiam-mediam, hoc veluti ineluctabili argumento, ter & amplius ad nauseam usque probavit. *Præscivit Deus, quòd si daret Petro divina gratiæ auxilia efficacia, Petrus converteretur. Ergo & ante decretum divinæ voluntatis ponenda est in Deo præscientia, per quam certò cognoscat hoc futurum conditionatum.*

Eandem cramben toties recoqui malè habuit Thomas de Lemos. *Reverende Pater*, inquit, *ego jam bis respondi ad hoc argumentum. Quod cum jam fuerit optimè solutum, debuisset Reverentia sua ulteriùs procedere. Interim tamen dico rursùs, aliam esse præscientiam, qua Deus cognoscit efficaciam suæ voluntatis ad convertendas voluntates hominum, & hanc præscientiam admittimus & confitemur esse in Deo (scientiam scilicet necessariam:) aliam verò, per quam Deus cognoscat efficaciam voluntatis humanæ, ante decretum suæ voluntatis, quam vos ponitis, (nempè mediam) omninò negamus, quia derogat efficaciæ voluntatis divinæ.*

Non id tamen obfuit quin idem denuò refricaret Arrubal. At cum indè paululùm digressus, Molinæ locum (in quo Augustinum, sub quadam caligine positum, fidelium mentes perturbasse ait) excusare vellet: audacioris Apologistæ dicacitatem retudit Clemens VIII. "Non video, inquit, quomodò possitis excusare Molinam hac in parte, aut quomodò illius impudentissima verba cohonestari valeant; Quò Pontificis dicto in animum erectus Thomas de Lemos, minervam acuit, asperiorique declamatione Molinæ in Augustinum auda-

audaciam ac petulantiam exagitavit. Pudor fuit Societatis Defensoribus, vulnus hoc secundâ manu tractare: idcircò parte illâ dimissâ, studium suum aliò converterunt. Molinam in Scientiæ-mediæ defensione, non nova, sed novè dixisse, contendit Arrubal: quia hujuscemodi cognitionem in mysterio Prædestinationis agnoverat Augustinus, suoque calculo confirmaverat Doctor Angelicus. Quod ut audivit Doctissimus Pontifex, sinistros illos Augustinianæ doctrinæ sensus confutare cœpit, in hunc modum. "S. Augustinus „ agnoscit quidem scientiam in Deo, in præ„ destinandis hominibus, sed per quam co„ gnoscit facta sua: cognoscit enim Deus „ quid ipse sit facturus, antequam prædesti„ net. At verò Molina vult talem constitui „ in Deo præscientiam ante decretum divinæ „ voluntatis prædestinantis, ut per illam „ cognoscat certo quod homo sit facturus, „ & hunc bonum usum liberi arbitrii prævi„ sum, vult esse causam prædestinationis: „ Et sic prædestinatio secundùm Molinam, „ est opus justitiæ, non gratiæ." Respondit Arrubal: *Beatissime Pater, per scientiam quam ponit Molina cognoscit Deus, quid ipse sit facturus, ut homo faciat: nam hæc scientia proponit media, per quæ homo rectè operabitur si in tali vel tali ordine rerum collocabitur. Neque Molina unquam loquitur, quando agit de prædestinatione, de bono usu liberi arbitrii naturali, sed ex gratiâ.* Instavit Sanctitas Sua. "Nonne repetit millies Molina, quòd „ per istam Scientiam-mediam cognoscit „ Deus, quid liberum hominis arbitrium sit „ facturum, si in tali vel tali ordine rerum „ collocetur? Ergo priùs Deus cognoscit „ facta nostra, quàm cognoscat facta sua. Et „ ex consequenti bonus usus liberi arbitrii „ prævisus, est causa prædestinationis in do„ ctrina Molinæ, contra expressam senten„ tiam Augustini.

Pontificis argumento vim addidit Thomas de Lemos: pompatica illa Molinæ verba, de usu liberi arbitrii ex gratia, unde Arrubal Scientiæ-mediæ systema cohonestare nitebatur, uti frivola, æquivoca, atque illusoria demonstravit; Semipelagianos iisdem illis ad fucum faciendum abusos ostendit, dicente Prospero in sua ad S. Augustinum Epistolâ: *Pene omnium* (Massiliensium) *par invenitur & una sententia, qua propositum & prædestinationem Dei, secundum præscientiam receperunt: ut ob hoc Deus alios Vasa honoris, alios contumeliæ fecerit, quia finem uniuscujusque præviderit, & sub ipso gratiæ adjutorio in qua futurus esset voluntate & actione præsciverit.* Addidit luculentissima Molinæ testimonia, quibus liberum arbitrium sub gratia versatili, suadente & invitante constitutum, non ex ipsius gratiæ energiâ, sed innatâ sibi libertate assentiri atque operari profitetur. Inter illa, luculentissimum ac præsenti instituto accommodatissimum fuit, quod ex quæstione 14. art. 13. disp. 50. §. *Scisciabitur*, petebatur. *Quod res*, inquit Molina, *libero arbitrio prædita, si in certo ordine rerum & circumstantiarum collocetur, in unam aut alteram partem se flectat, non provenit ex præscientiâ Dei; quin potius ideo Deum id præscire, quia ipsa res libero arbitrio prædita, liberè id ipsum agere debet. Neque provenit ex eo quòd Deus velit id ab ea fieri, sed ex eo quod ipsa libere id velit facere. Inde verò apertissime sequitur, scientiam qua Deus, antequam statuat eam creare, prævidet quid sit factura ex hypothesi quòd in eo ordine rerum collocetur, pendere ex eo quod ipsa, pro suâ libertate, hoc vel illud sit factura, & non è contrario.*

Respondit Arrubal, Molinam his in locis non negare, quin gratia efficiat hujusmodi actus, ut concausa simul cum libero arbitrio; sed solùm velle, illum actum liberum, in ratione liberi, esse à libero arbitrio præcisè considerato. Cum præsertim sæpiùs docuerit, gratiam Christi adjuvare liberum arbitrium, & ab illa habere quòd operari possit. Instavit Clemens VIII. "Dicas mihi, nonne etiam Pelagius „ concessit gratiam adjuvare possibilitatem „ nostram; & propter hoc fuit damnatus. „ quoniam si gratia adjuvaret possibilitatem „ nostram, satis apertè judicaretur habere „ hominem ex bono suæ naturæ possibili- „ tatem ad operandum ejusmodi actus ne- „ cessarios ad justificationem: per gratiam „ verò adjuvari, ut faciliùs & promtiùs illos „ eliciat, ut dicebat Pelagius, & docet Mo- „ lina?" Reposuit Arrubal, *Beatissime Pater, certum est secundùm fidem ex gratia esse, quòd homo possit ejusmodi actus elicere: & ideo Molina nullo modo convenit cum Pelagio. Nam Pelagius ponebat hanc possibilitatem in naturâ tantummodò, & excludebat omnem gratiam supernaturalem; Molina verò hanc possibilitatem ponit ex gratia.* Instavit denuò Sanctitas Sua: "Molina agnoscit gratiam suf- „ ficientem, excitantem & invitantem: & „ Pelagius etiam confitebatur gratiam illu- „ minantem, per quam operaretur Deus in „ nobis velle quod bonum est, & futuræ „ gloriæ magnitudine, & præmiorum pol- „ licitatione nos succenderet, & in desi- „ derium Dei torpentem suscitaret volunta- „ tem nostram." Replicavit iterum Arrubal: „

 Bea-

Beatissime Pater, ex Apostolicis Scriptis constat Pelagium non agnovisse aliam gratiam, quàm legem & doctrinam. Et Molinam multis in locis suæ CONCORDIÆ *aliàs à me relatis, concedit gratiam efficacem, & quòd Deus facit hominem operari: neque Patres Prædicatores negabunt, hoc esse expressum in Molina.*

Hoc ultimum retulit Thomas de Lemos: *Concedit*, inquit, *Molina gratiam efficacem, sed asserit ejus efficaciam provenire ab effectu liberi arbitrii futuro: & dicit Deum facere hominem operari, non per influxum gratiæ in voluntatem, sed per invitationem & suasionem quandam; ita ut Deus non moveat voluntatem vero & reali motu interiori; sed tantùm illam invitet & alliciat, ipsa verò ex innata sua libertate consentiat & operetur: atque adeo non cognoscit gratiam efficacem nisi ab effectu, & cum dependentiâ ab humana & innata libertate.*

Nihil ad hoc Petrus Arrubal. At tacente illo, extra chorum saltavit Ferdinandus de Bastida, Lemosio litem intentans, tum ob laudatam paulò ante Censuræ Lovaniensis autoritatem; tum maximè ob nonnullas Epistolas à Prædicatoribus (ut aiebat) in Lusitaniam scriptas, *quibus causam istam ab Apostolicâ Sede definitam, Censuramque Lovaniensem confirmatam effutiebant. Hunc falsi postulavit Thomas de Lemos: at illo importuniùs urgente, posse se Episcopi Conimbricensis Epistolam exhibere, quæ hujusce sparsi rumoris fidem faceret: silentium indixit Pontifex, *Hæc*, inquiens, *jam non pertinent ad quæstiones Theologicas.* Eoque pacto dimissa est Congregatio.

Judicium de propositione Decima-quarta, & ultima.

Ex Actis Secretarii. „ Die 6. Maii 1603. horâ 12. de propo„sitione Decimâ-quartâ censuerunt om„nes DD. Episcopi, excepto D. Aquila„no, convenire Molinam cum Cassiano. „Similiter & Patres Theologi, excepto „Regente Collegii Carmelitarum, qui „dixit esse probabilem opinionem Molinæ. „Et absolvitur actio horâ decimâ sexta.

In Compendio sic: Resolvit Congregatio, Molinam in hac Conclusione convenire cum Cassiano & Semipelagianis, & adversari patentissimæ doctrinæ S. Augustini de gratuita Dei prædestinatione, quam tradit in omnibus penè Libris & Epistolis editis contra Pelagianos, & eorum reliquias.

Nam Semipelagiani, cum intelligere nequirent, quomodo cum æterno Dei proposito absoluto dandi Electis suis gloriam, consistat arbitrii humani libertas ad bonum & ad malum, asseruerunt prædestinationem Electorum esse secundùm præscientiam boni usus liberi arbitrii futuri; secùs verò, & lapsis curam resurgendi adimi, & Sanctis occasionem teporis afferri; removeri item omnem industriam, tollique virtutes, si Dei constitutio humanas præveniat voluntates, & sub prædestinationis nomine fatalem quandam hominibus induci necessitatem.

Hinc inferebant totam certitudinem divinæ gratiæ destinationis constituendam esse non in decreto divino, sed in præscientia boni futuri usus liberi arbitrii: atque adeò Deum non peculiariter aliquos tantùm, sed universaliter & indifferenter omnes prædestinasse: neque aliter Apostoli sententiam, 1. ad Timoth. 2. *Qui vult omnes homines salvos fieri*, intelligi debere. Ita constat ex Epist. S. Prosperi ad S. Augustinum, & ex Cassiani Collat. 13. c. 7.

In eundem errorem lapsum fuisse Molinam, constat ex multis locis ejus Concordiæ. Etenim in Edit. Antverp. quæst. 23. art. 4. disp. 1. memb. 12. §. *Illud addamus*, expressè asserit, se non posse intelligere, quomodo evadi possit fatalis necessitas, & humanæ libertatis eversio, si prædestinatio ad solam liberam voluntatem Dei æternam, non autem ad præscientiam futuri usus liberi arbitrii humani pro sua innata libertate referatur. Et memb. 11. §. *Secunda Conclusio*, §. *Ex his*, §. *Tertia Conclusio*, & sæpè aliàs, asserit, prædestinationem Dei æternam esse secundùm præscientiam boni usus futuri liberi arbitrii. Quamobrem in eod. memb. §. *Nos verò*, affirmat, totam certitudinem prædestinationis divinæ non in decreto Dei æterno, neque etiam in ratione ipsa providendi positam esse, sed in præscientia, qua id prævidebat, ratione cujus tale decretum ac providentia sortita sunt rationem prædestinationis. Et in §. *Secundum est*, inquit, præscientiam illam esse scientiam mediam, quæ antecedit liberum actum divinæ voluntatis. Ex his autem in mem. 13. §. *Verum*, colligit, secundum propriam sententiam suam non ita à Deo prædestinationem esse factam, quasi ex his, quos creare decrevit, nulla habita ratione arbitrii cujusque, constituerit hos solùm in particulari prædestinare, perducereque in vitam æternam; reliquos verò, minimè. Hanc eandem sententiam indignissimis verbis amplificat memb. 6. §. *Ex his patet*, secundùm Edit. Antv. In Edit. verò Ulyssipponensi, §. *His ita confutatis*, & §. seq. it. in memb. 13. §. *Verum.* Videndus etiam in quæst. 19. art. 6. disp. 1. §. *Ex his*, it. quæst. 23. art. 6. disp. 4. memb. 6. §. *Quod ad Augustinum*, & memb. ult. §. *Credens.*

Quibus omnibus, aliisque non minoris ponderis expensis, censuerunt omnes, exceptis D. Episcopo Aquilano, & P. Regente Collegii Carmelitarum, Molinam ita à S. Augustino in explicando mysterio prædestinationis divinæ discessisse, ut cum Cassiano & Semipelagianis negaverit, ita à Deo prædestinationem esse factam, ut ex his, quos creare decreverat, nulla ratione habita boni liberi arbitrii cujusque, constituerit certos quosdam homines solùm in particulari ex æternitate eligere & prædestinare, perducereque in vitam æternam, reliquis in massa perditionis relictis; cùm tamen ignorare non potuerit, doctrinam S. Augustini de gratuita prædestinatione divina, ita fuisse à Summis Pontificibus Cœlestino, Leone, Gelasio, & Hormisda approbatam, ut jam fides Ecclesiæ dici debeat.

CAPUT VIGESIMUM-TERTIUM.

Quid Vigesima-nona Congregatione disputatum? Quid Trigesimâ definitum.

DIe 9. Junii 1603. præsente Clemente VIII. habita est Congregatio Vigesima-nona. Cœpit tunc primò disputari de Quarto Clementis VIII. Scripto, ad utramque partem die 18. Novembris 1602. transmisso. Quæsitum verò speciatim; *An Concilium Tridentinum Sessione 14. cap. 14. & Can. 5. obstet iis quæ de attritione, & contritione docet Molina?* Ratio difficultatis erat, quia Concilium contritionem imperfectam, seu attritionem ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ & pœnarum metu conceptam, si voluntatem peccandi excludat cum spe veniæ, decernit esse donum Dei, & impulsum Spiritus Sancti. Molina verò eam viribus liberi arbitrii adscribit. Disp. 14. mem. 1. in

in princ. Disp. 19. mem. vult. §. *Fortè mirabitur*, Disp. 13. & 14. mem. 5. §. *Ut verò*.

Arrubalis positio fuit, nullo pacto obstare. Quia, inquit, Concilium agit de dolore concepto ex motivo fidei & pietatis supernaturalis, secundùm regulas divinas, & ut oportet ad salutem: eamque idcircò Dei donum, & Spiritus Sancti impulsum appellat. Molina è contra loquitur de dolore orto ex motivo inferiori, secundùm regulas humanæ rationis, & ad finem supernaturalem nullatenùs ordinato; illamque propterea naturæ viribus parem decernit. Sed neque mirandum ait, contritionem unâ cum spe veniæ, adjunctoque amplius non peccandi proposito, naturalem appellari; cum & eo modo, naturæ viribus dolere hominem posse, permulti Theologi propugnarint.

Partem oppositam tenuit Thomas de Lemos: Molinæ sententiam hisce capitibus stare ostendit: nimirum hominem, præexistente maximè lumine fidei, posse naturæ viribus contritionem elicere de peccato. 1. Ut est contra Deum autorem naturæ, & contra beneficia naturæ. 2. Ut est contra Deum autorem gratiæ, & contra beneficia gratiæ & redemtionis: 3. Ut peccatum est amissivum vitæ æternæ: 4. Ut peccatum inducit dolorem, & pœnas inferni: 5. Cum proposito absoluto ampliùs non peccandi: 6. Cum spe veniæ à Deo obtinendæ: 7. Non modò intuitu extremorum malorum, sed & intuitu divinæ bonitatis, ejusque beneficiorum. Quibus omnibus positis, probavit idem planè Molinam naturæ viribus dedisse, quod speciali Spiritus Sancti impulsui tribuit Concilium Tridentinum.

Secundùm hæc, Arrubalis diverticula occupavit. Spem veniæ obtinendæ, absolutumque non peccandi propositum, germanos esse veri ac supernaturalis doloris caracteres ostendit; supposito præsertim habitu fidei, eximia gratiæ ac redemtionis beneficia proponentis. Quare Molinæ systema, apertâ repugnantiâ laborare ait; quippè qui dolorem iis dotibus insignitum naturæ viribus adscribat; quasi non ille ipse sit, quem Concilium Tridentinum exposuit, & Spiritus Sancti virtuti tribuendum definivit.

Id confutandum aggressus est Arrubal, contradicente Summo Pontifice, ac palàm affirmante: *Eadem est attritio & contritio, quæ describitur à Molina, & quæ ponitur à Concilio: nam tam Molina quam Concilium eodem modo; & cum iisdem conditionibus loquuntur de attritione & contritione.* Cumque nihilosecius urgeret ille, ut Concilium de dolore dumtaxat quoad substantiam actus spectato locutum innueret; reposuit Lemos: *Loquitur quidem Molina hoc modo, sed in hoc est error ejus, quòd cùm ponat attritionem & contritionem cum omnibus illis rationibus formalibus, asseruit deindè hanc attritionem, etiam cum his conditionibus esse attritionem quoad substantiam actus tantùm; ut eam naturæ viribus adscribat.*

Eo accepto responso, conticuit Arrubal. Tuncque disputationi importunè se inferens Ferdinandus de Bastida, desperatam causam, Theologorum scholasticorum, ac præsertim Cordubæ suffragio juvit, quasi qui homines in lege naturæ, contritione dumtaxat naturali salvatos fuisse docuerit. Insulsum adeò figmentum duriùs sugillavit Thomas de Lemos: *Salvabantur quidem*, inquit, *sed ex adjutorio gratiæ: clamat enim Apostolus eos quidem in lege salvos fuisse, sed non ex viribus naturæ: hoc enim hæreticum est.* Atque ita soluta Congregatio est.

Judicium de superiori disputatione.

Die 10. Junii 1603 hora 12. De Scripto circa decretum Concilii Tridentini & doctrinam Molinæ de Contritione, censuerunt omnes adversari decreto sacri Concilii doctrinam Molinæ de contritione & attritione, naturalibus viribus contractâ: excepto D. Episcopo Aquilano, & R. P. Regente Collegii Carmelitarum. Absolvitur propè horam 16.

Ex Actis Secretarii. In Compendio sic: Constat secundùm expressam Sacri Concilii doctrinam ex loco citato, imperfectam Contritionem, quæ Attritio dicitur, quoniam ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ & pœnarum metu communiter concipitur, si voluntatem peccandi excludat cum spe veniæ, non solum non facere hominem hypocritam, & magis peccatorem, quod Lutherus dicebat; verùm etiam Dei donum esse, & Spiritus Sancti impulsum, non adhuc quidem inhabitantis, sed tantùm moventis, quo pœnitens adjutus viam sibi ad justitiam parat. Unde Can. 5. definit, Contritionem, quæ paratur per discussionem, collectionem, & detestationem peccatorum, quâ quis recogitat annos suos in amaritudine animæ suæ, ponderando peccatorum suorum gravitatem, multitudinem, fœditatem, amissionem æternæ beatitudinis, & æternæ damnationis incursum, cum proposito melioris vitæ, esse verum & utilem dolorem, & præparare hominem ad gratiam.

Expensâ autem Molinæ doctrinâ de Attritione & Contritione, tradita in disp. 13. & 14. memb. 1. §. *Ratio*, & memb. 4. §. *His ita constitutis*, & memb. 5. §. *Ut verò*, apparet fuisse expressam illius sententiam, quòd possit homo, præexistente maximè lumine fidei, ante oculos mentis proponere innumera & maxima beneficia tum naturæ, tum gratiæ, quæ Deus in nos contulit usque ad proprii Sanguinis in Cruce effusionem, justis sempiternam felicitatem; impiis verò ignem sempiternum, extremamque miseriam esse propositam; & lethale peccatum tam extremum esse malum, adeòque divinam majestatem offendere, ut vel unum sit satis, ut qui illud commiserit, nisi de eo doleat, statuatque nihil tale deinceps committere, supremam amittat felicitatem, in extremamque incidat miseriam. Atque adeò eum qui proprio acumine, aut alterius suggestione & hortatu hæc attentè consideraverit, sibique per-

persuaserit, excludendum se esse à sempiterna beatitudine, innumerisque aliis malis circumventum undique, sempiterno igne esse cruciandum, nisi de peccatis doleat, statuatque non peccare amplius lethaliter, posse cum solo concursu generali Dei elicere, intuitu quidem extremorum malorum, in quæ aliàs incidet, dolorem seu detestationem suorum scelerum, cum proposito absoluto cavendi in posterum omnia peccata lethalia cum spe veniæ; in quo consistit Attritio: intuitu verò bonitatis & beneficiorum Dei, similem detestationem ac propositum; in quibus posita est ratio Contritionis.

Quibus ad invicem relatis censuerunt omnes, exceptis D. Episcopo Aquinano, & P. Regente Collegii Carmelitarum, Molinæ doctrinam de Attritione & Contritione ex diametro adversari doctrinæ & decreto Sacri Concil. Trident. locis citatis.

CAPUT VIGESIMUM-QUARTUM

Quid Trigesimâ-primâ Congregatione disputatum? Quid Trigesimâ-secundâ definitum?

Die 23. Junii 1603. coram Clemente VIII. habita est Congregatio Trigesima-prima. Actum de quinto dubio, ad solitas Societatis responsiones discutiendas proposito: nimirum, *An bona opera nostra moralia, nedum bona ex genere & objecto ac ex officio, & nedum semotâ omni mala circumstantiâ, sed è contra vestita omnibus bonis circumstantiis; non dicantur bona, nec secundum Deum autorem naturæ & gratiæ, nec ad pietatem pertinere; nisi sint facta ex motivo fidei & pietatis supernaturalis; quamvis facta sint suppositâ fide, & intuitu & consideratione Justitiæ Dei scelera punientis, & beneficiorum Dei miserentis, & tam copiosè præmiantis, & præsertim consideratione beneficii effusionis proprii Sanguinis in Cruce pro nobis?*

Defendit Petrus Arrubal opera moralia bona ex genere & objecto, & omnibus circumstantiis rationi naturali congruentibus, non esse simpliciter bona, secundùm Deum autorem gratiæ, neque ad pietatem christianam pertinere, nisi aliqua ratione fiant ex motivo fidei & pietatis supernaturalis: quamvis fiant supposita fide, & intuitu eorum quæ in proposito dubio recensentur; modò non fiant ex consideratione illorum, sub ratione formali, sub qua conformia sunt regulæ fidei, & ad pietatem supernaturalem spectant. Id porrò non alio fine defendit, quàm ne fateri cogeretur, Molinam christianæ pietatis opera simpliciter bona naturæ viribus tribuere, dum actus morales, in propositâ quæstione designatos, nativis conatibus pares existimat. Idcircò enim istiusmodi morales actus, tot licet religiosis ornatos titulis, ad christianam pietatem non attinere voluit.

Primam assertionis suæ partem probavit Molinæ defensor ex duplici principio, apud Patres & Theologos, ut aiebat, receptissimo. Primum erat, duo dari genera operum bonorum ex objecto & circumstantiis: alterum quidem eorum quæ pertinent ad salutem æternam; alterum verò aliorum, quæ quamvis ex objecto & omnibus circumstantiis rationi congruentibus sint bona, pertinent tamen solùm ad finem naturalem, non ad æternam salutem. Secundum erat, eadem esse opera, quæ dicuntur pertinere ad pietatem, & quæ dicuntur pertinere ad salutem: illa verò ex motivo fidei & pietatis supernaturalis necessariò oriri, juxta inconcussam Ecclesiæ catholicæ traditionem.

Alteram assertionis partem, uti prioris appendicem, supposuit: quia si pietatis opus procedere debet ex motivo fidei & pietatis supernaturalis, manifestè sequitur, opus ad pietatem non pertinere, quamvis fiat ex materiali consideratione remunerationis Dei & beneficii mortis Christi; nisi fiat intuitu illius formalis rationis, sub quâ prædicta pertinent ad pietatem supernaturalem.

In oppositam viam abiit Thomas de Lemos, non ut fidei necessitatem ad edenda pietatis opera diffiteretur, sed ut Molinæ systema repugnantiæ & contradictionis argueret, dum videlicet opera bona, & ex ipsa sui ratione verè pia, absque tamen pietatis principio, nempè fide, elici posse falsò supponit. Duo itaque probanda sibi sumsit. 1. Bona opera nostra moralia, bona, inquam, ex genere, objecto, officio, fine, debitisque omnibus circumstantiis, usque adeò esse verè pia, & secundùm Deum à nobis elici, ut planè implicet, ea ex motivo fidei pietatisque supernatutalis radice non surgere, uti Molina commentus erat. 2. Hujusmodi opera sic undecunque moraliter bona, si fiant supposita fide, atque ex consideratione bonitatis divinæ, nec non intuitu beneficii effusionis proprii sanguinis in Cruce pro nobis, esse piissima, & maximè ad pietatem pertinere; hominemque ipsum ordinare ad Deum autorem naturæ & gratiæ.

Primam propositionem triplici ex capite doctrinæ Augustinianæ demonstravit. 1. Quia opera bona moralia non solùm ex objecto, sed etiam ex fine, non possunt fieri nisi ex vera virtute morali. 2. Quia licet absque fide Christi, bonæ quædam dispositiones & inclinationes actusque nonnulli ad vitæ civilis honestatem spectantes haberi possint; nulla tamen sine illa potest in homine dari vera & propriè dicta virtus mora-

moralis: ac propterea nequit homo absque fide Christi operari opus morale verè bonum ex fine & officio. 3. Quia si absque vera fide Christi essent in homine veræ virtutes morales, vereque ex illis homo operaretur bonum ex officio, ex genere, & fine, illæ virtutes perducerent homines per impossibile ad regnum cœlorum, & opera illorum verè ad pietatem pertinerent: immò ille homo esset justus absque verâ fide, contra Apostoli sententiam. Ex quibus omnibus intulit, Augustinum, si fortè interrogaretur, quale sit opus pertinens ad pietatem, facilè juxta doctrinæ suæ principia responsurum: *Si homo ex solâ facultate naturæ, absque motivo fidei supernaturalis operatur opera ex verâ virtute morali; illa opera sunt pia & pertinentia ad salutem, ejusque voluntas sana est.* Non secùs ac D. Prosper concludit: *Si dubitari, non potest inesse omni animæ naturaliter virtutum semina, beneficio conditoris inserta, solus Adam prævaricatus est, & in peccato ejus nemo peccavit.*

Secundam propositionem ex priori deduxit: Si enim, inquit, opera moralia undequaque bona, sunt opera pietatis; multò magis hujus conditionis erunt, si fiant ab homine fideli, & intuitu justitiæ Dei scelera punientis, & opera bona tam copiosè præmiantis; nec non consideratione beneficiorum ipsius, ac maximè effusionis proprii sanguinis in Ara Crucis. Hinc istud argumentum adversùs Molinæ doctrinam affirmavit: *Dolere de peccato, ut proponitur per fidem supernaturalem esse dolendum, est opus pietatis: Sed Molina dicit posse voluntatem, sine auxilio gratiæ, dolere de peccatis, secundùm quod fides proponit esse dolendum: Igitur secundùm Molinam, ex naturæ viribus potest voluntas facere opus pium.*

Disp. 14. mem. 1. §. Rursùs verò.

Huic porrò solvendo nodo, nihil valere ostendit Defensorum ejus effugium: dum inquiunt, hominem illum, juxta Molinam non dolere ex motivo formali fidei, atque ex ejus influxu & causalitate; fidemque dumtaxat materialiter in eo actu eliciendo se habere: siquidem oppositum ex Molinæ contextu deducitur, ubi legimus: *Præexistente lumine fidei, quo cognoscimus Deum conditorem nostrum, innumeraque & maxima beneficia, tum naturæ tum gratiæ, &c.* Id quippè causalitatem fidei satis indicat; quæ in hoc uno sita est, ut veritates supernaturales voluntati proponat, secundùm quas operari & ipsa possit.

Ultimo tandem loco venit Thomas de Lemos ad partis adversæ diluenda fundamenta. Concessit operum bonorum distinctionem ab Arrubale suppositam; ex hac tamen nihil pro Molina consequens esse contendit: cùm opera moralia ex fine & officio verè bona, quæ ex vera virtute morali sobolescunt, nonnisi dirigente fide & adjuvante gratia exeri possint, suoque modo ad finem superiorem evehantur. Concessit pariter, idem omninò esse opus pium & ad salutem conducens, illudque non nisi ex influxu gratiæ elici posse: sed in hoc cespitasse Molinæ Defensores propugnavit; quòd opera ex veris germanisque virtutibus moralibus profecta, ipsumque etiam dolorem de peccatis, propositum non peccandi, ac spem veniæ, sine influxu fidei & gratiæ elici posse supposuerint, ut ea vera pietatis opera esse negarent: cum è contra hujuscemodi actus, uti veræ pietatis partes supponere debuissent, ut intelligerent eos nonnisi ex fidei & gratiæ radice surgere posse.

Reposuit inter alia Petrus Arrubal, eatenus Augustinum hujusmodi habitibus, veræ virtutis rationem negasse, quatenus ad regna cœlorum minimè conducunt. Quod è vestigio confutavit Clemens VIII. Lemosii disputationem prosecutus: " Si Deus, inquit, his operibus, quæ ponit " Molina esse moralia ex viribus naturæ, " dat ex certa lege gratiam: Ergo hæc opera " posita à Molina, sine fide & gratiâ, per- " ducunt ad finem, vel ad illum conducunt. " Respondit ille: *Hæc opera*, Beatissime Pater, *dupliciter possunt dici perducere ad Regnum, vel per se, vel per accidens, removendo impedimentum, scilicet peccatum. Primo modo hæc opera non perducunt, sed secundo modo.* Instavit Sanctitas Sua: " Ergo " homo viribus naturæ potest tollere im- " pedimentum ad Regnum Cœlorum." Ad " quod ille: *Homo viribus naturæ potest tollere quædam impedimenta ad Regna Cœlorum, non tamen omnia.* Tunc assurgens Thomas de Lemos: *Si secundùm Molinam*, inquit, *facienti totum quod potest viribus naturæ, statim Deus confert gratiam; ergo homo faciendo totum quod potest viribus naturæ, tollit omnia impedimenta ad gratiam & ad Regnum.*

Id confirmavit Sanctissimus Pontifex, inquiens: " S. Augustinus lib. 2. de lib. " arb. cap. 2. tom. 1. inquit, Optimè nam- " que de Deo existimare verissimum est pie- " tatis exordium: at secundùm Molinam, " homo viribus naturæ benè sentit de Deo, " videlicet quòd sit super omnia diligendus; " quòd propter eum de peccatis est dolen- " dum, &c. Ergò viribus naturæ potest ho- " mo habere verissimum pietatis exordium. "

Respon-

Respondit Arrubal: *S. Augustinus rectè dixit, optimè de Deo sentire esse verissimum pietatis exordium: quia loquebatur de existimatione ex fide, secundum quam rectè sentimus de Deo: sed si illa existimatio de Deo non est ex fide, non est pietatis exordium.* Responsum exsufflavit Beatissimus Pater: Si Molina ait hominem posse assentiri mysteriis fidei, tanquam revelatis, & quia revelata sunt, & proposita ab Ecclesia tanquam à Deo revelata, quomodò non existimat de Deo ex fide? Et quomodò hæc non pertinent ad pietatem? Reposuit nihilominus iterùm Societatis Defensor: *Clarissimè dicit Molina, illam fidem esse opinionem humanam, non autem existimationem ex fide. Ideò fides illa quam ponit Molina viribus naturæ, non est pietatis exordium.*

Demùm rogatâ dicendi veniâ Pontificis argumentationem persecutus est Thomas de Lemos; ut Molinæ circuitus studiosasque corrivationes occuparet: ac paulò post soluta disputatio est.

Judicium de difficultate superiùs agitatâ.

Ex Actis Secretarii. In Compendio sic: Congregatio resolvit, ejusmodi opera, si, dato hoc impossibili, fierent ab homine ex solis viribus naturæ, etiamsi non essent facta ex motivo fidei, & pietatis supernaturalis, esse pia, & secundum Deum autorem naturæ & gratiæ, ac propterea effici non posse absque speciali Dei adjutorio.

„ Die 24. Junii hora 20. anno Domini „1603. censuerunt omnes ejusmodi opera, „de quibus in dubio proposito agitur, „esse opera pia, pertinentia ad Deum au„torem naturæ & gratiæ: & hanc esse „expressam doctrinam S. Augustini, & „Conciliorum. Huic tamen communi ju„dicio non subscripserunt D. Episcopus „Aquilanus, & P. Regens Collegii Car„melitarum. Absolvitur Sessio propè ho„ram 24.

Unde deducitur, Molinæ doctrinam de hujusmodi actibus nullo modo vindicari posse à nota Pelagianismi. Nam Pelagius in Epist. ad Demetriadem Virginem, ut refert S. Augustinus lib. de gratia Christi, c. 27. & deinceps, & Julianus Pelagianus peculiariter errarunt, asserentes, posse hominem ex bono naturæ sine ullo speciali divinæ gratiæ auxilio veras virtutes comparare, & ex illis benè operari, & rectè vivere: quod etiam docuit Cassianus cum Semipelagianis, qui quamvis addidissent, hujusmodi opera ad salutem non pertinere, neque hominem perducere ad regnum cœlorum; impugnati tamen ex professo fuerunt à S. Augustino, ut constat ex c. 3. lib. 4. contra Julian. Pelagian. Quem etiam errorem Sanctus Prosper oppugnavit in lib. contra Collat. c. 27.

CAPUT VIGESIMUM-QUINTUM

Quid Trigesimâ-tertiâ Congregatione disputatum? Quid Trigesimâ-quartâ definitum.

Die 10. Novembris 1603. præsente Clemente VIII. Congregatio Trigesima-tertia celebrata est. Disputationis argumentum fuit Articulus secundus Quarti Scripti, quod ob enatam superiùs disputatam difficultatem intermissum fuerat. Videlicet: *An ea omnia quæ Molina docet circa actus omnes, qui elici possunt à libero arbitrio, simul cum his quæ de lege scripsit, dicat & asserat in ordine ad effectum justificationis? Et, An ex iis quæ de libero arbitrio & lege affirmat, resultet immediata ac proxima, vel remota præparatio ad justificationem & gratiam?*

Loco Arrubalis accessit disputaturus Ferdinandus de Bastida, cum Joanne de Salas.

Quod primam attinet Articuli partem, Bastidæ institutum fuit, ea quæ Molina docet circa actus omnes, qui elici possunt à libero arbitrio, simul cum his quæ de lege dicit, ab eo non dici nec asseri in ordine nec ad effectum justificationis. Id generatim primò, tum speciatim ostendit. Generatìm quidem, 1. Quia secundùm Molinam, liberum arbitrium nihil omninò potest eorum quæ ad vitam æternam aliquo modo spectant, etiam ut remota dispositio, sive sit actus, sive ratio formalis actus. 2. Quia juxta eundem liberum arbitrium amisit libertatem ad ea omnia opera quæ ad pietatem & consecutionem vitæ æternæ pertinent. 3. Quia actuum, qui eliciuntur ex naturæ viribus, nulla ratio habetur in ordine ad supernaturalem finem, suntque omninò insufficientes ad justificationem, etiam ut dispositiones; miniméque conferunt ad salutem. 4. Quia actus eliciti ex naturæ viribus, nullius sunt meriti, rigoris, ponderis, aut valoris apud Deum.

Speciatìm autem institutum probavit ad singulos actus descendens, quos Molina naturæ viribus asseruit. Ac primò quidem contendit, Molinam ultrò concessisse actus fidei, quos naturæ viribus pares propugnát, merè naturales esse, atque ad salutem minimè idoneos. 2. Eundem illum concessisse ait, actus fidei à se nativis viribus adscriptos, tales non esse, quales ad salutem desiderantur; nec spem illam esse Christiani, sed solùm quoad substantiam actus. 3. Eum propriis naturæ conatibus dilectionem dumtaxat tribuisse, quæ ad finem naturalem pertineat, quæque ad justificationem nequaquam sufficiat. 4. Eum contritionem à naturâ quidem elicitam admisisse; sed illam tantùm quæ ad salutem non sufficiat etiam in Sacramento pœnitentiæ. 5. Demùm Molinam propositum non peccandi in natura positum agnovisse; sed illud quod infra gratiæ limites situm est, nihilque ad finem supernaturalem conducit. Quæ omnia assertio-

nis

nis suæ capita, permultis Molinianæ CONCORDIÆ testimoniis confirmavit.

Tum ad alteram propositi articuli partem veniens dixit, ex his quæ Molina de libero arbitrio & lege docet, non resultare proximam ullam dispositionem ad justificationem & gratiam: immò nec remotam quæ ad eas per sese conferat; sed remotam solùm quæ ad eas per accidens conducat, removendo scilicet impedimentum, quo homo gratiâ & justificatione indignior efficitur. Duo priora congestis Molinæ testimoniis ostendit; quo-ad tertium verò, in quo sitam Molinæ sententiam supposuit, probavit non modò sine Pelagiani erroris periculo, verùm etiam juxta S. Thomæ aliorumque magni nominis Theologorum doctrinam, admitti posse hujuscemodi remotas dispositiones ad gratiam, è naturæ penu profectas.

Defendit è contrario Thomas de Lemos, quæcunque Molina de libero arbitrio ac de lege conferendi gratiam asseruit, id totum in ordine ad justificationem & gratiam docuisse: quod etsi in superioribus Congregationibus satis superque probatum esset, rursùs tamen compendio demonstravit. Eo fine Molinianæ doctrinæ seriem texuit; in cujus primo gradu assertionem hanc posuit, unde cætera omnia longè deteriora perversè deduxerat: *Homo in naturâ lapsa, omni auxilio gratiæ destitutus, easdem vires habet, ac si in puris naturalibus conditus fuisset.* Hinc etenim humanam naturam originali peccato minimè læsam intulit. Hinc parvulis sine Baptismo decedentibus locum immortalitatis extra Regnum Cœlorum concedendum effutiit; ubi meliorem in naturalibus vitam, omni mentis & corporis vitio immunem perpetuò ducerent, quàm ullus unquam mortalium duxerit. Hinc virtutum moralium apparatum, victoriam tentationum, propositum non peccandi, spem veniæ, fidei, spei & dilectionis naturalis actus, lapsæ naturæ viribus pares existimavit.

Satisfecit deinde Thomas de Lemos adversæ actionis fundamentis. Atque in primis ad generales primæ partis probationes dixit, Molinam naturales dispositiones, gratiæ dumtaxat commensuratas negasse, non eas quæ citra commensurationem ad illam infallibiliter aditum parant. Qua in re nihilo meliùs Pelagianis senserat: cùm ii non ita bardi essent aut hebetes, ut naturam gratiæ commensurari sibi fingerent. Nec verò curandum addidit, quòd eos actus nullius valoris & meriti fassus esset novus Dogmatistes: idem quippè de actibus virtutum moralium Julianus Pelagianus fatebatur; tametsi oppositum ex ejus principiis, quæ Molinæ communia sunt, deduxerit Augustinus. Ad speciales postmodùm rationes descendens, ostendit Molinæ protestationes, quibus actus à se descriptos, & naturæ facultati concessos, nec ad justificationem, nec ad salutem valere profitetur, facto repugnare: atque in hoc maximè Novatoris hujus versutiam probari, quòd contraria plerumque concedere cogatur, suaque sensa dissimulare, ut dogmatum suorum virus abscondat.

Non absimili modo alterius partis fundamenta suffodit. Dispositiones naturales ad gratiam, partim immediatas, partim mediatas, sed per sese ad illam conducentes à Molina admissas; nostræque salutis exordium ab ipso in natura constitutum ostendit; dum gratiæ facientibus quod in se est infallibiliter conferendæ legem commentus est. Tametsi illum pro Catholico nequaquam habendum voluerit, si hominem nativis conatibus impedimenta gratiæ removere posse dumtaxat existimasset.

Ad singula cursim reposuit Ferdinandus de Bastida: duo tamen, unde cætera pendere putabat, paulò pleniùs attigit. Conquestus est Molinæ opiniones de paribus lapsæ & puræ naturæ viribus, nec non de lege conferendi gratiam hominibus quod in se est facientibus, à Lemosio sugillari: cùm & priorem Medina, Sotus & Alvaresius (quem ibi præsentem digito monstravit) uti probabilem docuissent: posteriorem autem potior Thomistarum pars duce Doctore Angelico propugnaret.

Utrumque perinde confutavit Lemos. Multa pro germana Angelicæ doctrinæ expositione protulit: quæque in libris Sententiarum hoc de argumento subobscura videntur, collatis aliunde testimoniis palàm fecit.

Dixit quoque pro sui defensione Didacus Alvares: nec se in Molinianæ doctrinæ patrocinium appellari, aut peregrinos sibi sensus affingi, impunè passus est. Bastidam falsi postulavit; nihilque se vel per somnium in publicis prælectionibus hujuscemodi docuisse contestatus est.

Disputationi se demum obtulit Joannes de Salas. Pauca gravi cum supercilio dixit: *Molina*, inquit, *meliùs loquitur, quàm omnes alii scholastici Doctores, de lege conferendi gratiam facientibus quod in se est. Nam secundum alios, Deus ita vult omnes homines salvos fieri, ut dicant, Deum dare omnibus absolutè auxilia sufficientia; & Deum illa*

dare facientibus quod in se est viribus naturæ. Meliùs verò est dicere, Deum illa dare cum tali temperamento, quàm dare absolutè. Cum enim Deus foveat studia virtutum, meliùs videtur ea fovere, si facientibus quod in se est gratiam tribuat, quàm si illam tribuat absolutè.

Inconsultum loquendi modum insectatus est Thomas de Lemos, eique crimini dedit: *Si Deus*, inquit, *fovet studia virtutum: ergo Deus excitatur ab homine. Quid ampliùs dici potest, quid pejus potest exspectari?* Montem eo verbo tetigit, & ille fumigavit. *Putas*, reposuit Salas, *cum Tirone loqui? Agis cum veterano, qui publicè multos annos in Hispania docuit, & sæpiùs cum vestris concertationes habuit. Putas igitur me nunc delirare, ut dixerim Deum excitari à nobis? Dixi meliùs loqui eos, qui dicunt gratiam dari cum illo temperamento Molinæ, cum in hoc appareat magis, Deum fovere studia virtutum.*

Nihil intempestivâ illâ novi Velitis ostentatione commotus est Thomas de Lemos. Institit confidenter: *Ita dixisti, Pater, & Sanctissimus audivit: neque necessarium est temperamentum illud Pelagianum, quod sancti Patres docuerint, inferre ex nobis initium salutis. Temperamentum catholicum, quo Deus confert gratiam, est sola divina voluntas & misericordia. Dat enim quibus vult, quando vult, quantum vult; non autem quia homo facit quantum in se est: ne homo incipiat, & gratia sequatur. Neque illud necessarium est, ut homo liberè salvetur, & ut salus sit posita in manu arbitrii nostri: satis enim est quòd sit posita in manu nostra præmota, & præventa à divina gratia.*

Deferbuit aliquantulùm his auditis novus miles, benigniorique expositione propositionis suæ sensum emollire studuit; servato tamen Moliniani dogmatis capite: homines scilicet liberè non salvari, nisi facientibus quod in se est solis naturæ viribus gratia conferatur. Sicque Congregatio soluta est.

Judicium de Propositione superiùs controversa.

„ Die Martis 11. Novembris anno Do„mini 1603. horâ 16. Dixerunt omnes, „ea quæ Molinæ docet de viribus naturæ, „ad actus fidei, spei, &c. ordinem ha„bere ad justificationem, & esse disposi„tionem proximam & immediatam ad gra„tiam prævenientem; mediatam vero & „remotam ad justificationem, maximè sup„positâ lege de qua Molinæ Dissentie„bant D. Episcopus Aquilanus, & P. Re„gens Carmelitarum.

Ex Actis Secretarii. In Compendio sic: Conclusum fuit, ea omnia, quæ Molina docuit de viribus naturalibus lib. arbitrii hominis constituti in statu naturæ lapsæ, ad actus fidei, spei, dilectionis, & pœnitentiæ, & ordinem habere ad justificationem, & secundùm illius doctrinam esse dispositionem proximam & immediatam ad gratiam prævenientem; mediatam verò & remotam ad justificationem, maximè supposita lege, quam Molina dixit à Deo Patre constitutam de donis gratiæ nominibus distribuendis; & hanc doctrinam fuisse ab illo traditam contra SS. PP. sententiam, & Ecclesiæ definitiones.

CAPUT VIGESIMUM-SEXTUM.

Quid Trigesimâ-quintâ Congregatione disputatum? Quid Trigesimâ-sextâ definitum?

Die 18. Novembris 1603. coram Clemente VIII. habita est Congregatio Trigesima-quinta. In quæstionem venit Articulus tertius Scripti Quarti: *An quòd liberum arbitrium & gratia sint duæ causæ partiales ad eundem actum perficiendum; & quòd liberum arbitrium ex se separatum à gratia, nihil habeat à Deo nisi possibilitatem illam, quam Deus tribuit ab initio libero arbitrio; sit ex sententia expressa S. Augustini; aut ex illo colligi possit? An potius conveniat cum Pelagio, præsertim loco relato à S. Augustino lib. de gratia Christi cap. 3. & 4.*

Primam dumtaxat articuli partem, de causarum partialitate tractavit Ferdinandus de Bastida. Causas partiales duplicis generis distinxit. Alias partiales vocavit partialitate effectus; quæ scilicet ita inter sese effectum partiuntur, ut unaquæque partem ejus producat: alias partiales dixit partialitate causæ, quarum quælibet à principio intrinseco operatur; nulla tamen in effectum influeret, aut reipsa operaretur, nisi concurreret alia. Gratiam itaque & liberum arbitrium secundo sensu causas partiales esse, ac congruenter appellari, prolixo sermone demonstravit: multisque S. Augustini, Conciliorum ac Theologorum testimoniis confirmavit.

Dixit postea Thomas de Lemos. Bastidam controversiæ statum aliò divertisse, & in aliena planè quæstione enodanda inutiliter desudasse conquestus est. *Multum*, inquit, *laboravit Pater in ostendenda re clarissima; quòd videlicet ad actum concurrat Deus & liberum arbitrium, ita ut nec solus Deus, nec sola voluntas sufficiat ad producendum actum pœnitentiæ v. g. sed liberum arbitrium habet propriam activitatem naturalem, quam illi Deus dedit à principio. Admittimus hæc omnia; sed dicimus illam activitatem esse potentiam remotam vel capacitatem respectu operum supernaturalium: cui potentiæ remotæ Deus auxilia sua divina gratia dat virtutem*

tutem supernaturalem; per quam potentia illa liberi arbitrii constituitur in actu proximo, applicatur, movetur & determinatur ad operandum supernaturaliter: ita quòd liberum arbitrium habeat ex Deo & ex gratiâ, ut liberè bene utatur sua activitate. Idcircò alio ex capite Molinianæ propositionis in quæstionem vocatæ virus aperuit. Eo quippè sensu Deum & liberum arbitrium causas partiales à Molina appellari monuit, quasi liberum arbitrium concurrens cum gratia, concurrat independenter ab ea, nec per illam determinetur, sed veriùs determinet illam: ac propterea non omnia divinæ gratiæ tribui posse, sed partem. Quem profectò exponendæ partialitatis modum, è Massiliensium officinæ derivatum, & à S. Augustino, sacris Conciliis, Romanisque Pontificibus, strenuè debellatum ostendit.

Molinianam illam expositionem à Semipelagianismo liberare tentavit Ferdinandus de Bastida. At cùm S. Augustini testimonium turpiter adulterasset, ipsamque objectionem pro S. Doctoris definitione protulisset, asperioribus verbis à Lemosio exceptus est. Quapropter, ut vices rependeret, digressus ad impugnandam gratiam per se efficacem, unde liberi arbitrii determinationem repetendam Lemosius ostenderat, defensores ejus uti violatæ libertatis reos egit. Didacum Alvaresium præsentem licet, præ cæteris duriùs habuit; tanquam qui Lutheri deliria in libro à se nuper edito instaurasset: ubi illud Isaïæ 10. exponens; *Quomodo si elevetur virga contra elevantem se, aut exaltetur baculus*, liberum arbitrium ligno mortuo & baculo inanimi comparaverat.

Viri aliunde mitis ac mansueti bilem movit censuræ acerbitas. Quare sermonem abrumpens; *Non mirum*, inquit, *Beatissime Pater, quòd calumnientur & truncatè afferant mea scripta: id enim in referendis autoritatibus sanctorum Patrum sæpissimè fecerunt & faciunt. Legat Pater inferiùs in eodem contextu verba mea, & evanescet ejus calumnia. . . . Habent quidem ista similitudinem, dixi, sed non omnimodam æqualitatem. Similitudinem quidem in eo, quod liberum arbitrium à Deo recipiat, non vires solùm seu possibilitatem agendi, sed & motum & actionem, qua fiunt opera bona. In hoc tamen est dissimilitudo, quod instrumentum non ex libero suo rationis judicio, sed necessitate & vi quadam impellitur ab artifice, nullum habens judicium, neque de eo ad quod fertur, neque super medio per quod fertur; libera verò hominis anima à Deo accipit suavitatem quandam & inclinationem, qua ex proprio judicio movetur, ex libera & spontanea voluntate ad actum & motum, &c. Et immediatè post hæc verba subjunxi:* " *Itaque nisi* " *moveantur à Deo, nihil operantur causæ se-* " *cunda, sive naturales sive liberæ; motæ tamen* " *operantur, unaquaque juxta naturam suam,* " *naturalis naturaliter, libera liberè, &c.* "

Non obfuit tam aperta, tam dilucida expositio, quominùs Bastida calumniam instauraret. *Adduxi*, inquit, *expositionem illam Patris Regentis in Isaïam, ut ostenderem, aliter agendum de libero arbitrio, quàm de instrumento mortuo, ut tu facis. Unde dico tuam propositionem, ut jacet, esse contradictoriam sacro Concilio Tridentino, quod anathematizat qui dicunt, liberum arbitrium esse velut inanime quoddam. Tu autem inquis, causa se habet respectu Dei, tanquam corpus mortuum: ergo cum sermo mihi sit cum his Patribus qui hæc scripserunt, non inaniter à me productum fuit.*

Ventum subinde est ad modum, quo gratia facit ut homo faciat. Sed ea de re disputare, semel & iterum detrectarunt Molinæ vindices. Quæstionem in hoc uno positam dixit Joannes de Salas: An liberum arbitrium habeat aliquam vim, quâ concurrat ad actus supernaturales? Quasi verò non id jam lubentissimè Prædicatores admisissent! Molinæ etiam peregrinos sensus affingi conquestus est: nuspiamque ab illo traditum dixit, quòd influxus liberi arbitrii non esset à gratiâ.

Id ut audivit Thomas de Lemos, subsidiarium defensorem exagitavit, quòd ne Molinam quidem legisse videretur. Unde ultra quinque Molinianæ CONCORDIÆ loca, ex quibus eum hoc in errore versari jam demonstraverat, addidit alia duo: primum ex disp. 1. q. 23. art. 4. & 5. mem. 11. §. *Denique*, & disp. 12. §. *Primò*, ubi ait: *Quòd ex duobus hominibus æqualiter vocatis ad fidem, unus convertatur, & non alius, non aliunde fuit, nisi quia ille pro innatâ libertate voluit uti eo auxilio, alius non item.* Ex quo intulit, usum illum non esse à gratiâ. Alterum ex mem. 7. §. *Ad Confirmationem*: ubi Molina in motione liberi arbitrii distinguit rationem influxus, & rationem actionis: atque, inquantùm influxum, non esse à Deo, sed solùm ab humana voluntate, ut autem actionem, esse à Deo simul & libero arbitrio.

Responderunt Molinæ defensores, id de influxu duntaxat ut vitali, & quoad substantiam actus, intelligendum esse. De cætero verò, Sotum sub finem libri 4. Sententiarum non aliam agnovisse causam, cur

unus præ altero convertatur, nisi quia unus præstat assensum, alter minimè.

Soti contextum à Jesuitis mutilari clamavit Lemos. *Beatissime Pater, inquit, præcipiat Sanctitas Vestra, ut Pater iste legat verba sequentia in Soto, contra ipsius Patris doctrinam. Ait enim Sotus* §. Quidam, *Assensus liberi arbitrii non est causa præveniens motionem Dei, sed effectus ejusdem motionis, id est prævenientis liberum arbitrium. Et parùm infra ait: Hac ergo Theologia non asserit, assensum nostrum, ut est à libero arbitrio, esse meritum gratiæ (hic enim fuit Pelagianus error) sed ut procedit ab auxilio speciali, est sicut dispositio materialis, &c. sic concluditur contra Molinam & defensores.*

Tunc dato signo à Summo Pontifice, Congregatio soluta fuit.

Judicium de Quæstione mox disputatâ.

Ex Actis Secretarii.

„ Die Mercurii 19. Novembris 1603. „horâ 16. censuerunt omnes, propositionem Molinæ de causis partialibus nullo „modo deduci posse ex S. Augustini do„ctrina; sed potiùs esse Pelagii dogmati „maximè consonam. Dissenserunt Domi„nus Aquilanus, & P. Regens Carmeli„tarum, qui dixit hanc propositionem tot „verbis non reperiri in S. Augustino; non „tamen esse contra ejus doctrinam. Absol„vitur propè horam Vigesimam.

In Compendio sic: Quamvis dubitari posset, an Pelagius agnoverit gratiam cooperantem, ex his tamen quæ S. Augustinus tradit cit. lib. de gratia Christi, non obscurè colligitur, illum PP. scriptis, & Africanorum Conciliorum decretis convictum, aliquam tandem gratiam internam & supernaturalem, sive fictè, sive ex animo concessisse. Certum tamen est Julianum & alios Pelagii Sectatores non dubitavisse concedere Dei influxum concomitantem, quo bonum hominis propositum juvaretur, quamvis nunquam admiserint prævium illum influxum, per quem Deus hominum corda immutat, & ex malo in bonum convertit. Ita tradit S. Augustinus lib. 2. contra duas Epist. Pelagian. c. 10. & lib. 4. c. 6. quem errorem ibidem impugnat. Semipelagianos quoque in eundem lapsos fuisse errorem, scripsit S. Prosp. ad S. August. Unde Faustus Rhegiensis Episcopus, lib. 1. de gratia & humanæ mentis arbitrio; c. 1. & 17. ut gratiæ adjuvanti, de quâ quæstio erat, subtraheret rationem omnem, & virtutem immutandi voluntates, tanquam fundamentum totius doctrinæ suæ constituit, gratiam, & laborem seu conatum liberi arbitrii partialiter concurrere ad reliqua perficienda opera. Quem Joannes Maxentius ex eo potissimum impugnat, & libros ejus hæresis convincit, quòd doctrinam contineant contrariam illi, quam S. Augustinus tradidit contra Pelagianos, & eorum reliquias, potissimum in lib. de prædestinatione Sanctorum.

Contra prædictam Pelagianorum & Semipelagianorum hæresim tria semper tenuit & docuit Ecclesia catholica de actuali gratia adjuvante, seu efficaci. Quòd sit prævia, non pedissequa: antecedat nostræ voluntatis consensum, non illi subjiciatur; atque adeò non ex ullis meritis, sed ex sola Dei misericordia nobis tribuatur. Quòd influat in voluntatem, & illabatur cordibus nostris. Ac denique quòd per illam Deus ita immutet voluntates hominum, & faciat ex nolentibus volentes, ex repugnantibus consentientes, & ex persequentibus amantes, ut liberum arbitrium non auferat, sed firmet in bono, ne per inania feratur. Et hæc est patentissima S. August. doctrina.

Quibus collatis cum doctrina Molinæ, apparuit, eum, ut omninò negaret gratiam adjuvantem, quæ præoperanter moveat efficaciter liberum hominis arbitrium ad consensum, & ex malo in bonum voluntates transferat, ita doctrinam prædictam de causis partialibus tradidisse, ut S. Augustini sententiæ de gratia Christi omninò adversetur, & Pelagianorum hæresim mirum in modum foveat.

CAPUT VIGESIMUM-SEPTIMUM

Quid Trigesimâ-septimâ Congregatione disputatum? Quid Trigesimâ-octavâ definitum.

DIe 25. Novembris anni 1603. coram Clemente VIII. Congregatio Trigesimâ-septimâ celebrata fuit. Disputatum est de secunda præcedentis quæstionis parte: *An quòd liberum arbitrium ex se separatum à gratia, nihil habeat à Deo, nisi possibilitatem illam quam Deus illi tribuit ab initio; sit ex sententia expressa S. Augustini, aut ex illo colligi possit? An potiùs conveniat cum Pelagio, præsertim loco relato à S. Augustino, lib. de gratia Christi cap. 3. & sequentibus?*

Varios propositæ controversiæ sensus aperuit Ferdinandus de Bastida: qui cùm in superiori disputatione propugnasset, liberum arbitrium & gratiam ad eundem actum perficiendum ita concurrere, ut unumquodque per virtutem distinctam à virtute alterius operetur, controversiæ sensum legitimum hunc esse voluit: An scilicet separando jam liberum arbitrium à gratiâ, & considerando concursum illum arbitrii, prout ab arbitrio est, tanquam unâ ipsius causâ; An, inquam, liberum arbitrium sic à gratia cum qua cooperatur separatum, aliquid aliud habeat à Deo ad præstandum istum assensum, præter possibilitatem naturalem quam in prima creatione suscepit?

Hoc supposito, monuit tripliciter posse duas causas partialiter concurrere. 1. Ita ut una ab altera in operando non dependeat. 2. Ita ut una accipiat virtutem ab alia; quemadmodum si Pater & Filius aliquem lapidem ferant, filius qui est causa partialis, ferendi virtutem à patre suscepit. 3. Ita ut una, præter susceptam virtutem ab altera, ab eadem ad agendum moveatur: veluti si pater moveat filium suum, ut secum ad ferendum lapidem concurrat, virtute à se ipso jam communicatâ.

Tertio illo dumtaxat concurrendi modo gratiam & liberum arbitrium causas esse partiales propugnavit: adeóque nihil obesse quominùs liberum arbitrium, à gratia cum qua operatur separatum, multa ad præstandum assensum habeat à Deo, præter possibilitatem naturalem, quam in prima creatione accepit. Duo hæc cum Molinæ doctrinâ optimè cohærere ostendit, septem positis assertionibus, ab illo (ut aiebat)

aiebat) firmiter propugnatis. Prima erat, Nihil esse nostrum, de quo tanquam in nobis gloriari possimus. 2. Influxum partialem, ut præcisè provenit à libero arbitrio, Deo esse tribuendum. 3. Deum dare talia auxilia, quibus sciebat hominem efficaciter promovendum. 4. Adjutorium gratiæ dare vires, corroborare liberum arbitrium, & reddere illud potens ad operandum. 5. Gratiam nedum dare vim agendi, sed adjuvare liberum hominis arbitrium. 6. Gratiam facere nos operari & velle. 7. Deum per gratiam prævenientem cum libero arbitrio physicè cooperari ad consensum.

Rem intimiùs attigit Thomas de Lemos. Molinam Pelagianismi postulavit, eo præsertim S. Augustini loco nixus, quem in proposita quæstione Sanctissimus indigitaverat. Tria ibi à Pelagio studiosè distincta observavit; posse, velle, & agere: quorum primum dumtaxat divinæ gratiæ tribuebat; illumque idcirco ab Augustino habitum ut hæreticum, in sola lege atque doctrina hærentem, quòd gratiam tantùm fateretur interiùs illuminantem, excitantem, invitantem, & allicientem; eamque propugnare nollet; qua Deus verè ac propriè voluntatem & actionem operatur. Nihil hac parte Molinam à Pelagio distare multis ostendit. Unde ultimò tandem intulit, juxta Molinæ principia influxum liberi arbitrii in opus supernaturale non aliter tribui Deo, nisi ut autori naturæ; qui naturalem illam influendi facultatem libero arbitrio tribuit: atque adeò liberum arbitrium ex se consideratum separatim à gratia, quando cum gratia influit uti causa partialis, nihil aliud habere à Deo, nisi possibilitatem naturalem; quam Deus ei ab initio contulit.

Objectis postmodùm satisfecit. Septem Molinæ assertiones, ex quibus doctrinæ ipsius orthodoxiam Bastida collegerat, exsufflavit: quòd videlicet priores duæ gratis illi affictæ essent; cæteræ verò quinque aperta æquivocatione laborarent. Dictumque Augustini, de dolosa Pelagii confessione, pompaticis illis assertionibus accommodavit: *Quisquis hæc audit, & sensum ejus ignorat, omninò eum putat hoc sentire, quod veritas habet: quisquis autem quid in eis apertiùs dicat, advertit, debet habere etiam ista verba suspecta.* Quia solas internas excitationes & revelationes Molina novit, quibus hominem præmoveri, adjuvari, erigi, atque corroborari voluit: gratias tamen veri nominis efficaces negavit; per quas solas, nobiles illi effectus,

Lib. de grat. Chr. cap. 2.

ut ad salutem oportet, præstari efficaciter possunt.

Contra Lemosii dicta instavit Bastida. At dum ei probandum fuisset, Pelagium gratiam interioris illuminationis & inspirationis non admisisse, ut Molinam hujusce dumtaxat gratiæ defensorem, ab eo dissensisse demonstraret: ea neglectâ viâ; probandum sibi sumsit; Pelagium veram Christi gratiam, quâ vera voluntati possibilitas confertur, non propugnasse.

Irritum illum Bastidæ conatum derisit Lemos. Quasi verò Pelagium veræ gratiæ assertorem ac vindicem dixisset ipse, ut id ab illo confutari necesse fuerit! Immò potiùs id totum in Molinæ caput verti ait. Si enim Pelagius, admissa licet interiori inspiratione & excitatione, à Patribus nihilominus & Conciliis accusatur, tanquam veræ Christi gratiæ professus hostis: quid de Molina judicandum, cui non alia nisi interioris inspirationis gratia sapit?

Hæc illum molestiùs urgentem duplici sophismate sæpiùs impetiit Ferdinandus de Bastida. *Gratia*, inquiebat, *quæ dat vires ut possimus, est gratia sufficiens: sed gratia sufficiens est vera gratia: ergo Pelagius, qui secundùm te admisit gratiam quæ dat ut possimus, agnovit etiam veram gratiam.* Rursùs: *Secundùm S. Augustinum, ex tua expositione, gratia quæ dat tantùm posse, non est vera gratia: sed auxilium sufficiens dat tantùm posse: ergo sequitur ex tua responsione, quod auxilium sufficiens non sit vera gratia.* Respondit semel & iterum Thomas de Lemos: Gratiam, quæ veri nominis gratia est, veréque sufficiens, non eam esse, quæ dat posse tantùm extrinsecum, excitando, invitando, & alliciendo; qualem Pelagius & Molina noverunt: sed illam, quæ intrinsecam & supernaturalem potentiam elargitur. Quanquàm nec illa etiam vera Christi gratia putanda sit, quæ datur electis, secernitque bonos à malis: hæc enim non solùm dat posse quod volumus, sed etiam velle & operari quod possumus.

Subjunxit Vir doctissimus alia multa, quibus cætera Bastidæ argumenta initio disputationis objecta refelleret, humanamque libertatem cum divinæ gratiæ intrinseca efficacia cohærere demonstraret. Cui non modò Sanctissimus Pontifex assensus est; sed & insignem S. Augustini locum, de liberrimâ, fortissimâ, invictissimâque Petri voluntate, subministravit, qui vel unus rei conficiendæ abundè sufficeret.

Lib. de Corrept. & Gratia cap. 8.

Congregationem dato signo solvit Clemens VIII. horâ 21.

Judicium de superiori disputatione.

„Congregatio 38. celebrata est die 26. „Novembris 1603. horâ 16. Dixerunt „Domini Consultores de secunda parte Du„bii propositi: videlicet, An quod libe„rum arbitrium, separatim consideratum, „nihil habeat à Deo nisi possibilitatem, sit „Pelagianum, vel potiùs secundùm S. Au„gustinum. Et censuerunt omnes, Pelagia„num esse hoc assertum, & à Molina tra„ditum; exceptis D. Episcopo Aquilano, „& P. Regente Collegii Carmelitarum, „qui dixerunt non esse Pelagianum, sed „ex S. Augustino deduci. Absolvitur ho„râ 19.

Ex Actis Secretarii. In Compendio sic: Resolvit Congregatio, hanc secundam partem Dubii propositi esse omninò connexam cum prima; atque adeò, constituto secundùm Molinam lib. arbitrium & gratiam ad eundem actum supernaturalem perficiendum concurrere, tanquam duas causas partiales, lib. arbitrium, ut hac ratione influit in actum, nihil habere à Deo præter possibilitatem naturalem, quam illi ut auctor naturæ contulit, suaque virtute propriâ naturæ suæ moveri & applicari ad eliciendum ejusmodi actum supernaturalem, quin priùs à gratia vires acceperit ad se determinandum ad operationem, invitatum tantùm, suasum, & allectum à Deo, qui gratiæ suæ auxilio invitando solùm, suadendo, & alliciendo adjuvat possibilitatem illam, quam homini tribuit ab initio.

CAPUT VIGESIMUM-OCTAVUM

Quid Trigesimâ-nonâ Congregatione disputatum? Quid Quadragesimâ definitum.

DIe 8. Decembris 1603. coram Clemente VIII. celebrata est Congregatio Trigesima-nona de Septimo Scripto disputatum fuit: *Quid intelligat Molina, dum dicit, quòd in actibus elicitis ex sola facultate naturali, respicientibus fidem, spem & caritatem in Deum, Deus inserit se, & elevat eos & facit supernaturales? An scilicet intelligat, quòd Deus elevet illosmet actus ex sola naturali facultate factos, & faciat eos supernaturales? An verò, quòd posthabitis illis actibus, ex facultate naturali factis, elevet potentiam ipsam, ut alios actus faciat, nedum naturales, sed etiam supernaturales?*

Tria potissimùm statuit Ferdinandus de Bastida, ut hujusce Molinianæ doctrinæ sensum exponeret, ejusque veritatem tueretur. 1. Molinam, dum Deum se nostris actibus inserere docet, nomine nostrorum actuum non intelligere actus naturales fidei, spei, & caritatis, quoad substantiam operum, quasi dilectionis actus à naturâ primùm elicitus, Deo se inserente supernaturalis evadat. Quia de actibus indeliberatis, necessariis, & collationem gratiæ solitò antecedentibus loquitur; quales certè illi non sunt. 2. Molinæ doctrinam nulli censuræ obnoxiam fore, tametsi eosdem numero actus naturales, elevari ac supernaturales fieri docuisset, divinâ illâ, ut ita dicam, insertione. Quia (suppositâ probabili quorundam Theologorum opinione; qui actuum supernaturalitatem, modum dumtaxat esse profitentur) nihil vetat, rem ex sua ratione substantiali naturalem, supernaturalem fieri quoad modum. 3. Molinisticæ propositionis controversæ sensum non esse, quòd Deus elevet illosmet actus ex sola naturali facultate elicitos, eosque supernaturales faciat; sed quòd præhabitis quibusdam actibus naturalibus, gratiæ collationem antecedentibus, v. g. affectione quâdam, lectione & auditione rerum ad fidem attinentium, Deus humanis se cordibus inserens, potentiam ipsam elevet, ut alios actus, non jam naturales, sed supernaturales eliciat. Illum enim de iisdem numero actibus, nullo pacto intelligi posse, perspicuum est: tum quia actus naturales & supernaturales numero ac specie distingui docet: tum quia supernaturalitatem actuum, non adventitium modum, sed differentiam illorum specificam & essentialem esse propugnat.

Sic expositâ Molinæ sententiâ, cæteras difficultates attigit, quas Septimo suo Scripto Pontifex inseruerat. Ad primam videlicet, *An stante ea Molina doctrinâ, hanc potentiæ elevationem Deus faciat, intuitu & contemplatione actuum ex sola facultate naturali elicitorum?* Respondit minimè: Etsi enim naturales illi actus potentiæ elevationem antecedant, necessarii tamen sunt, nullamque in se bonitatem habent, qua Deum excitare ac movere valeant, ut eorum intuitu potentiam ad ordinem gratiæ promoveat.

Ad Secundam, *An & quid amplius tribuat Deus istis actibus factis & elicitis ex sola facultate naturali; quia jam facti sunt à credente in Deum, à sperante in Deum, ab amante Deum super omnia?* Dixit, nihil tribuere: quia non eos Deus elevat, sed potentiam ipsam, ut novos actus supernaturales edat.

Ad Tertiam, *Si Deus elevat potentiam, ut actus supernaturales novos faciat; cùm jam potentia (juxta Molinam) ex facultate naturali possit credere, sperare, amare, dolere de peccatis cum proposito & deliberatione ampliùs non peccandi, & potiùs subire mortem, quàm offendere Deum, & in summa conteri & atteri propter Deum: An per istam insertionem, aliquid ampliùs assequatur potentia, quàm ut faciliùs hæc omnia facere possit?* Respondit, assequi aliquid amplius: quia, ut voluntas nihil nisi facilitatem ea elevatione suscipere censeretur, necessum esset præsupponi

ſupponi in ipſa ante elevationem, potentiam abſolutè eliciendi hujuſmodi actus ſupernaturales. At non ita ſe res habet; ſolùm enim præſupponitur potens elicere alium actum naturalem, ſupernaturali dumtaxat ſimilem.

Ad Quartam demùm, *Quid ſit ſupernaturalitas, quam ſecundùm Molinam aſſequitur potentia, vel aſſequuntur actus, ex potentia naturali facti boni, tum ratione objecti, tum officii, nulla mala circumſtantiâ veſtiti, ſed omnibus bonis circumſtantiis, & in ſummâ, facti à credente in Deum, à ſperante in Deum, ab amante Deum, à dolente illum offendiſſe, cum deliberatione eum non ampliùs offendendi, quando Deus ſe in illis inſerit & elevat eos?* Reſpondit, ſupernaturalitatem à potentia ſuſceptam (ſiquidem de actuum ſupernaturalitate Molinam non egiſſe ſuppoſuit) eſſe accidens ſupernaturale gratiæ, per modum principii effectivi; quo facultas redditur potens attingendi effectum; ad quem ſola pervenire non poterat.

Adverſis omninò veſtigiis inceſſit Thomas de Lemos. *Dicendum eſt primò*, inquit, *Molinam manifeſtè aſſerere, Deum per auxilia gratiæ ſe inſerere conatibus, priùs ab homine inceptis ex ſola naturæ facultate. Hoc fit manifeſtum ex Diſputatione nona, in qua non ſemel, ſed 2. 3. 4. & 5. expreſſis & formalibus verbis id affirmat. Quæ loca, quia notiſſima ſunt, & ſæpè in conſpectu Veſtræ Sanctitatis adducta, modò omitto. Dico ſecundò: Molina apertè docet, Deum ſe inſerendo, elevare eoſdemmet numero actus ab homine inceptos ex ſolis naturæ viribus. Hoc patet ex diſp. 14. mem. 5. §.* Poſt hanc: *ubi ait circa finem: Quoniam verò facienti quod in ſe eſt, Deus non denegat gratiam; Chriſtuſque nobis promeruit auxilia, non ſolùm quæ conatibus noſtris, ex viribus naturalibus efficere quod in nobis eſt, præſtò eſſent, ac prævenirent; ut ſic illo eodem conatu eliceremus diſpoſitionem ſupernaturalem ad gratiam &c. Hic locus; ſi æquè conſideretur ab his Patribus, tollit omnem difficultatem, & efficit ut ceſſent omnia quæ modò propoſuerunt. In hoc enim non ſolùm agit de actibus indeliberatis, ſed de deliberatis illis, quibus homo facit totum quod in ſe eſt: & de illis, dicit Molina, quòd Deus dat gratiam prævenientem; ut ſic illo eodem conatu incepto ab ipſo homine, elevando illum per gratiam, eliciat diſpoſitionem ad gratiam. Ergo ſentit Molina apertè, quòd Deus eundem numero actum etiam deliberatum, elevet per auxilia gratiæ. Diſputatione etiam 45. §.* Accipies, *quo in loco ex profeſſo agit de elevatione iſtorum actuum, & quomodo talis elevatio fiat; & quinam ſint illi actus, qui elevantur, ſic dicit: Dum homo nondum ad finem ſupernaturalem interiùs vocatus, cogitat & expendit res credendas, per notitias concionatoris miniſterio, aut aliundè comparatas, influit Deus in eaſdem notitias, influxu quodam particulari & ſupernaturali. Quid clarius? In eaſdem notitias elicitas à ſola facultate naturæ, influit Deus influxu particulari & ſupernaturali: ergo eaſdemmet notitias ab homine inceptas elevat per dona gratiæ. Hoc ipſum magis explicans, magiſque declarans, ſtatim ſubdit: Notitiaque illa & cognitio, effecta jam à Deo ſupernaturalis per talem influxum, appellatur gratia præveniens, ex parte intellectus. Quid manifeſtius? Notitia illa, inquit, videlicet incœpta ſolâ naturali facultate, effecta jam per influxum gratiæ, ſupernaturalis, habet rationem gratiæ prævenientis: ergo eandem notitiam efficit ſupernaturalem.*

Cæteris difficultatibus; eidem ſeptimo Scripto à Summo Pontifice inſertis, pari ratione ſatisfecit. Ad primam reſpondit, ac prolixè probavit, Molinam planè ſentire, iſtam elevationem fieri à Deo intuitu eorundem operum merè naturalium, quæ elevantur. Quia licet bonitatem ac meritum ex ſe non habeant, quibus Deum excitare ac movere per ſeſe poſſint; peccatorem nihilominùs aptum reddunt, ut juxta Dei leges à Molina confictas, gratiam prævenientem obtineat; quam Deus niſi præeuntibus hujuſmodi actibus elargiri non ſolet.

Ad Secundam reſpondit, multum tribuere, juxta Molinam. Quia ille nullam elevationem ſupernaturalem fieri vult immediatè in potentia per gratiam prævenientem: ſed eam elevationem immediatè fieri in actibus ab homine ſola facultate naturali incœptis; iiſque mediantibus excitari potentiam, allici, & invitari ad producendum conſenſum; ut ipsâ jam conſentiente, conſenſus ille per gratiam cooperantem ſupernaturalis evadat. Quanquàm tamen non ea ſcrupuloſiùs inquirenda eſſe monuit; ut Pelagianiſmi reus habeatur Molina. Quia in eo præciſè Pelagianus error ſitus eſt, quòd voluntas humana præcedat & gratia ſubſequatur, ſive ſequatur in eodem numero actu, ſive in diverſo; ſive in actu, ſive in potentia.

Ad Tertiam reſpondit, nihil ampliùs aſſequi potentiam; quàm ut hæc omnia faciliùs præſtet. Idque permultis Molinæ teſtimoniis confirmavit, ac præſertim ex diſp. 45. §. *Accipe*, ubi inquit: *Dum homo nondum ad finem ſupernaturaliter interiùs vocatus, cogitat & expendit res credendas, per noti-*

notitias concionatoris ministerio aut aliundè comparatas, insluit Deus in easdem notitias, influxu quodam particulari & supernaturali, quo cognitionem illam adjuvet; tum ut lex meliùs & luculentiùs expendatur & penetretur, tum etiam ut notitia illa, jam limites notitiæ supernaturalis, & ad finem supernaturalem, in suo ordine & gradu accommodato attingat. Addidit, Molinam verbis quidem negasse, actus supernaturales naturæ viribus elici posse: dum hominem naturaliter divinis mysteriis certò assentiri posse defendit, quatenùs à Deo revelata sunt, adeò ut mortem pro ipso oppetere velit: eundemque de peccatis conteri posse propter Deum summè dilectum.

Ad Quartam respondit, multisque probavit argumentis, supernaturalitatem juxta Molinam, non esse per modum principii verè effectivi, nec recedere à lege atque doctrina; cum mera invitatio sit & excitatio voluntatis: immò nec naturali facultati potentiam conferre absolutè, sed solam facilitatem agendi.

Post hæc, Bastidæ vindicias occupavit, quas & Molinæ principiis planè repugnantes, & falsis suppositionibus nixas ostendit. In iis tamen confutandis non admodùm immorandum existimavit: quòd iis etiam positis ac statutis, Molina Pelagianismi revinci facilè posset. Seu enim deliberatis seu indeliberatis naturæ actibus inserat se Deus, ut eosdem illos, aut etiam potentiam ipsam, ad supernaturalem ordinem evehat; consequens profectò est, naturam incipere, & gratiam sequi: qua in re Pelagianum errorem positum esse nemo nescit.

Iis omnibus non pauca reposuit Bastida, Lemosio interloquente & instante; illucque tandem disputatio venit, ut contenderent Molinæ Vindices, Deum excitatâ semel per inspirationis gratiam voluntate, consensum hominis exspectare ad justificationis gratiam conferendam: nullumque intrinsecum & inhærens principium supernaturale desiderari, quo voluntas supernaturales actus exserat. Quæ duo, uti manifestos errores, jam olim à sacris Conciliis prædamnatos, Lemosius impugnavit.

Finem disputationi fecit Pontifex horâ Vigesimâ.

Judicium de Septimo Scripto antea controverso.

Ex Actis Secretarii. In Compendio sic: Resolvit Congre- ,, Congregatio Quadragesima celebrata ,,est die Sabati 13. Decembris 1603. horâ ,,17. de insertione Dei in actibus nostris. ,,Censuerunt omnes, Molinam ita docuisse, ,,Deum se inserere actibus nostris, ut actus ipsos elicitos ex facultate naturæ super-" naturales efficiat adveniente gratiâ. Quan-" do autem dicit Deum evehere naturam," intellexisse alliciendo & invitando, non" autem mutando voluntatem, & hanc gra-" tiam dari à Deo intuitu præcedentium" actuum. Similiter gratiam dari ad faciliùs," in via Molinæ: & in ejus viâ, superna-" turalitatem solùm connotare extrinsecam" quandam denominationem. Verùm Pater" Regens Collegii Carmelitarum censuit," hujusmodi propositiones Molinæ esse" probabiles & multorum Doctorum in" scholis. Absolvitur horâ 20. 6.

gatio, utrumque sensum fuisse à Molina intentum: Deum scilicet ita se actibus humanis elicitis ex sola facultate naturæ inferere, ut eos evehat ad esse supernaturale: & illis etiam se inserere, ut naturam ipsam evehat, per internam nimirum excitationem, invitationem, & suasionem, ut alios similes actus supernaturales jam ex parte principii eliciat; intuitu tamen præcedentium actuum pro solâ innatâ libertate ex bono naturæ elicitorum. Ita constat ex disp. 9. §. *Hinc*, & §. *Patet deinde*, &, ex principio disp. 10. Item ex disp. 11. 20. 21. rursùs ex disp. 9. §. *Quod hac*, disp. 14. memb. 5. §. *Quod ad Setum*, & §. *Post hanc*, sed explicatiùs disp. 43. §. *Ausp.*, & alibi.

Utrumque verò sensum in via Molinæ esse Pelagianum, ex duplici capite conclusum fuit: eo enim constituto, voluntas bona hominis præcederet, gratia verò subsequeretur; & subderetur humilitati & obedientiæ humanæ; gratiæ adjutorium, contra expressam definitionem Concil. Arausic. II. Can. 6. Et si actus eliciti ex bono naturæ eveherentur per gratiam ad esse supernaturale, cum tales actus non pereant, sed potiùs permaneant, & perficiantur accedente gratia, exordium justificationis non inciperet à præveniente Dei gratiâ per Jesum Christum, hoc est ab ejus vocatione, sed ab illis actibus naturalibus ordinatis ad finem supernaturalem: quod est contra doctrinam Concil. Trident. Sess. 6. cap. 5. ut aliquid haberet homo justificatus, quod non acceperit, ut prior aliquid Deo daret, ut retribueretur illi, contra Apostoli Pauli doctrinam.

Quod verò ad Dubium tertium spectat, ex dictis à Molina in omnibus illis locis, in quibus exigit auxilium gratiæ prævenientis, ut actus sint ut oportet, hoc est supernaturales, & commensurati fini supernaturali; Conclusum fuit, secundùm doctrinam Molinæ, Deum, quando se inserit actibus humanis, hoc est cogitationibus bonis liberi arbitrii circa fidei mysteria addiscenda & amplectenda, circa dolorem de peccatis, ac justificationem ipsam; solùm illos evehere ad esse & ordinem supernaturalem: quoniam in via Molinæ illi jam sortiti fuerant ex bono naturæ speciem & bonitatem actus, attigerantque objectum supernaturale: & ita inserendo se illis Deus solùm præstat supernaturalitatem ex parte principii, quâ carebant. Quod est asserere juxta Pelagii dogma, Deum non nos adjuvare, ut velimus; sed ideò nos adjuvare, quia volumus.

Deinde. Resolvit Congregatio, in via Molinæ certum esse, Deum inserendo se actibus humanis, & elevando naturam hominis, nihil aliud ei tribuere, quàm ut faciliùs operetur actus istos, quos per vires proprias potuisset elicere, licet non tam facilè; & hujusmodi actus, qui aliàs fuissent supernaturales ex parte objecti, at naturales ex parte principii, fiant supernaturales ex principio, & ex objecto; quia scilicet eliciti sunt à potentia jam elevata à Deo, dum se inseruit actibus antecedentibus gratiam prævenientem: quod est Pelagianum.

Utrumque constat ex doctrina Molinæ. Primum quidem ex disp. 19. memb. 5. §. *Ad secundum*, & postea §. *Ad primum*, & ex disp. 8. in fine §. *Quod ergo*. Item ex quæst. 23. art. 4. disp. 1. memb. 6. §. *Ad primum*. Secundum verò ex principio disp. 10. & ex aliis locis superiùs relatis. Unde ad quintum Dubium dictum fuit, secundùm Molinam supernaturalitatem, quæ advenit actibus jam elicitis ex facultate naturali, Deo se illis inserente per dona gratiæ prævenientis, nihil aliud esse, quàm extrinsecam quandam denominationem, à qua actus habeat ut sit ultima dispositio ad gratiam justificantem, & commensuretur fini supernaturali, ut patet disp. 8. §. *Hic etiam*. Verùm secundùm doctrinam S. August. contra Pelagianos, & eorum reliquias traditam, omninò tenendum est, voluntatem hominis à Deo præparari per antecedentem gratiam, & ex nolente fieri volentem, huncque esse potissimum illius effectum, quem Molina non agnovit.

CAPUT VIGESIMUM-NONUM.

Quid Quadragesimâ-prima Congregatione disputatum? Quid Quadragesimâ-secunda definitum?

Die Martis 20. Januarii 1603. præsente Clemente VIII. habita est Quadragesima-prima Congregatio, cui perinde ac sequentibus Prædicatorum Generalis Romam reversus interfuit. Cœptum est disputari de octavo Pontificis Scripto: *An sit de expressâ S. Augustini sententiâ, aut saltem de ejus mente, vel potiùs contra ipsius doctrinam, quod interna Dei vocatio ad fidem, licet donum Dei sit, multùm tamen pendeat à libero arbitrio ejus qui vocatur? Item, quòd interna vocatio fidelis ad pœnitentiam maximè pendeat à ministris Ecclesiæ, atque à libero arbitrio?*

Bastidæ conclusio fuit, S. Augustini doctrinæ repugnare, ut vocatio ad fidem pendeat à libero arbitrio ejus qui vocatur, tanquam à causâ meritoria; etsi vocatio illa in altero genere causæ ab eo pendeat, quatenùs in ejus potestate est, notitias rerum fidei comparare. Rationem assignavit, quia interna vocatio ad fidem, de lege ordinaria pendet à prædicante & ab auditu. Accedere porrò vel non accedere ad prædicantem, audire vel non audire res fidei, à libero arbitrio dependet: *Homini enim*, subjunxit, *qui ignorat res fidei, quicunque ille sit, hæc ignorantia imputatur ad culpam, secundùm Augustinum, quia negligit quærere quod ignorat: ergo in potestate cujuslibet hominis est, quærere quod ignorat: nemo enim dicitur negligere facere id quod in suâ potestate non est.*

Primam illam propositæ quæstionis resolutionem, Molinæ principiis consentaneam ostendit. Quin immò tantam illius moderationem fuisse ait, ut quamvis absque erroris periculo affirmare potuisset, accessum illum ad prædicantem, præstitumque fidei auditum, ab uno arbitrio solis naturæ viribus operante proficisci, id tamen nusquam asseruerit, aut leviter indicarit. Quid enim, inquit, si id ab arbitrio pendere dixerit; cum & illa ab arbitrio pendere dicantur, ad quæ cum divina gratia concurrit?

Effugium hoc præclusit Pontifex. " Aliud est, inquit, concurrere, aliud depen-
" dere: nam dependere significat prioritatem
" ejus à quo dependet: at concurrere quis
" potest, etsi priùs naturâ non præcedat ali-
" quid, quod faciat illum concurrere. Re-
" posuit Bastida: Dependere & concurrere in agente libero, idem est; quia si non vult, non pendet ab eo: suamque responsionem, adversùs Archiepiscopi Armachani criminationes, qui eam extemplò Semipelagianismi insimulaverat, ex Augustino confirmare conatus est.

Tum ad alteram propositæ quæstionis partem gressum fecit, pro cujus defensione secundam istam conclusionem posuit: *Res est in se & apud Augustinum certissima, internam excitationem peccatoris ad pœnitentiam pendere quàm maximè à ministris Ecclesiæ, & à libero arbitrio.* Quia ii media sunt ac veluti instrumenta, quibus Deus ad excitandos peccatores uti solet: eorumque consilia, adhortationes, colloquia audire ac meditari, unicuique liberum est.

Oppositam viam iniit Thomas de Lemos. Quàmplurimis Augustinianæ doctrinæ principiis demonstravit, internam vocationem ad fidem, ab ejus qui vocatur arbitrio minimè pendere. 1. Quia non præcedit hominis voluntas, ut ei divina gratia conferatur; sed ipsa interna vocatio gratia prima est. 2. Quia, cur unus vocetur, alter non vocetur, nulla potest ratio assignari; aperta verò reddi posset, si à Vocatorum arbitrio interna vocatio dependeret. 3. Quia nemo potest sibi tribuere quòd vocetur. 4. Si, fatente Molinâ, interna vocatio Dei donum est, à nobis utique non pendet: hæc etenim duo maximè pugnant, dicente Apostolo: *Gratiâ salvati estis per fidem, & hoc non ex vobis; Dei enim donum est.*

Non absimili modo de excitatione peccatoris ad pœnitentiam pronuntiavit: eam ab Ecclesiæ ministris nullo pacto pendere. Licet enim sacra ministeria antecedere soleant, non ab iis tamen pendere vocatio censenda est, sed à gratia Dei, cujus providentiâ ministri mittuntur; dicente eodem Apostolo: *Quid igitur est Apollo? Quid verò Paulus? Ministri ejus cui credidistis, & unicuique sicut Dominus dedit.*

His ita constitutis, primam adversarii conclusionem impetere cœpit; internamque vocationem ad fidem secundùm hominis merita fieri demonstravit, si à præviis liberi arbitrii conatibus pendere supponatur. Ex concessis in superiori Disputatione argumentum petiit: *Reverendi Patres*, inquit, *in Congregatione præcedenti dixerunt, quòd tunc gratia dabatur intuitu operis naturalis præcedentis, quando illa opera erant libera, & cum aliqua bonitate morali, & tunc gratia dabatur ex meritis: Sed secundùm Molinam opera à quibus pendet interna vocatio ad fidem, sunt bona moraliter & libera: Ergo*

 interna

interna vocatio ad fidem datur intuitu eorum operum, & ex consequenti pendet illa interna vocatio ab illis sicut ex meritis. Respondit Bastida: *Nunquam ego admisi illam propositionem quam asseris à nobis fuisse concessam.* Instavit Lemos: *Immò illam admisisti, & in ea fundasti totam tuam responsionem, ad hoc quòd ideò Molina non constituebat, gratiam dari intuitu operum præcedentium, quibus Deus se inserebat; quia illa non erant actus liberi, nec habentes bonitatem: de quo me remitto ad Acta.* Reposuit Molinæ Patronus: *Dixi, quòd inter requisita ad hoc quòd aliquid detur ex meritis, unum est quòd opus sit liberum, & habens bonitatem moralem: sed non sequitur, quòd hoc tantùm sufficiat.* Acriùs insectatus est Actor: *Tunc dixisti, quod gratia dabatur intuitu operum, quando illa opera erant bona & facta liberè: & verè quidem tunc dixisti, quod modò negas. S. enim Augustinus dicit, quòd si præcedit hominis voluntas, gratia datur quia volumus, & intuitu talis operis.*

Majoris hìc controversiæ occasio suborta est; contendente Lemosio, juxta Augustinianæ doctrinæ principia, gratiam vocationis secundùm merita datum iri, si vel imperfecta voluntas, vel cupiditas boni necessariò præiret: Bastidâ è contra propugnante, id verum dumtaxat fore, si veræ pietatis ac fidei opera antecederent. At ubi eos inter aliquandiu altercatum fuit, undenam haberet homo quòd ad audiendum Evangelium accederet animo credendi & amplectendi veritatem, nec satis expeditè huicce quæstioni Bastida satisfaceret, difficultatem audaciùs perrupit Joannes de Salas, nullam ad id gratiam interiorem desiderari asserens, solamque externam abundè sufficere.

Responsionis audaciam temperavit Sodalis ejus. Gratiam prævenientem desiderari constanter asseruit, eamque etiam à Molina admissam dixit, ut liberum arbitrium eos actus ederet, à quibus internam vocationem pendere docuerat; verùm nihil id Molinæ vindicando prodesse, sed falsa suppositione niti, Lemosius ostendit. Certè, si Molina in nona CONCORDIÆ suæ disputatione docet, liberum arbitrium, cui Deus gratiæ prævenientis & excitantis auxilia solitò non confert nisi prævià mysteriorum notitiâ, posse accedere ad audiendum Dei verbum animo verè addiscendi & amplectendi veritatem, ut hanc sibi notitiam comparet; qua ratione ex auxilio prævenientis gratiæ accedere supponetur? Rursùs si, juxta Concilium Tridentinum ac Molinam ipsum, vocatio ad fidem, prima omnium gratia est; quî fieri potest, ut ii liberi arbitrii actus, à quibus vocationem pendere Molina finxit, ex aliâ antecedente gratia sobolescant?

Quapropter, laqueum ut effugeret, duplicem primam gratiam distinxit Joannes de Salas: unam, qua homines vocantur ad fidem; alteram, qua ad opera bona moralia incitantur. Etsi enim, inquit, ea per sese liberum arbitrium edere possit, ad illa tamen edenda interdùm excitatur à Deo. Ex quo intulit, hujusce secundi generis gratiam antecedere Vocationem primam, atque *ad eam remotè & per accidens disponere.* Diverticulum præclusit Thomas de Lemos hoc argumento: Si hujusmodi gratia ad opera moralia excitans, per accidens tantùm disponit ad vocationem, potest igitur absolutè dari vocatio sine illa; quod enim per accidens est, potest non esse: ergò tunc saltem vocatio pendebit à libero arbitrio nullâ omninò gratiâ prævento.

Sensit difficultatis pondus Ferdinandus de Bastida: idcircò Sodalis sui neglectâ solutione, doctrinæque Molinianæ principiis planè dimissis, respondit gratiam illam per se disponere ad vocationem primam. Quod ut Lemosius audivit in utrumque converso sermone: *Patres,* inquit, *convenitis in sententiâ: nam unus dicit, gratiam per se disponere; alius dicit, per accidens.*

Mirùm quot subinde quæsiti circuitus, quot anfractus; ne tam ab invicem, quàm à Molina ipso discissi viderentur! At periculosam stationem diu tenere difficile fuit. Ideò quæstionem aliò divertit Ferdinandus de Bastida: eaque leviter attigit, quæ initio disputationis ex Augustinianæ doctrinæ principiis Lemosius statuerat. Cæterùm dum ad cohonestandam Molinæ sententiam venit, qua internam vocationem ad pœnitentiam à libero arbitrio & Ecclesiæ ministris pendere docet, objecit Pontifex: *Causa principalis secundùm vos pendet ab instrumentis, & à causa minùs principali; nam Deus non vocat interiùs, nisi præcedat id, quod est ex parte liberi arbitrii & ministrorum, secundùm Molinam.* Cui ille: *Dupliciter consideratur vocatio Dei. Primò, ut est causa; & ita pendet à solo Deo, & non à libero arbitrio vel ministris. Secundò, ut est effectus; & ita pendet à Deo & libero arbitrio.* Sicque disputatio finita est.

Judicium de Quæstione agitatâ.

Congregatio Quadragesima-secunda celebrata est die Mercurii Vigesimâ-primâ Januarii. Censuerunt omnes, propositionem "Ex Actu Secret. Ast. in Compendio sic: Resolvit

tionem

„tionem Molinæ (*Vocatio Dei interna ad fidem & excitatio ad pœnitentiam multum pendet à libero arbitrio*) non esse secundùm doctrinam S. Augustini, neque ex illa deduci: excepto D. Episcopo Aquilano, qui censuit hanc propositionem non esse contrariam S. Augustino. Pater verò Regens Collegii Carmelitarum dixit primò, hanc propositionem, si intelligatur de prima gratia vocationis, esse Semipelagianam. Verùm Molinam non intellexisse de hac prima gratia vocationis, sed de effectu vocationis: & tunc sine periculo posse dici, quòd pendeat à libero arbitrio, non præcisè sine gratia aliqua, sed supposita divina providentiâ dirigente. Absolvitur præsens actio horâ decimâ-nonâ.

Congregatio, Molinam in disp. 9. §. *Patet tertiò*, & seq. quando dixit, internam Dei vocationem ad fidem, & internam excitationem fidelis ad pœnitentiam, quàm maximè pendere à lib. arbitrio ejus qui vocatur & excitatur, locutum fuisse de prima vocatione Dei internâ antecedente omnem aliam gratiam prævenientem supernaturalem, & similiter de primâ interna excitatione fidelis ad pœnitentiam. Quod est contra Concil. Trident. Sess. 6. cap. 5. & contra S. August. in Epist. ad Vitalem, lib. 1. contra duas Epist. Pelagian. c. 19. lib. de dono persever. c. 8. & lib. 1. ad Simplician. quæst. 2. ac sæpè aliàs.

Ex quorum omnium inspectione & matura consideratione Conclusum fuit, prædictam Molinæ Propositionem adversari expresse doctrinæ S. Augustini, & continere manifestum errorem Pelagianorum & Semipelagianorum.

CAPUT TRIGESIMUM.

Quid Quadragesima-tertia Congregatione disputatum? Quid Quadragesima-quarta definitum?

Die Lunæ 16. Februarii 1604. coram Clemente VIII. habita est Congregatio Quadragesima-tertia; in qua Prædicatorum nomine disputavit Didacus Alvares, ob ægram Thomæ de Lemos valetudinem. Actum est de secundo Scripti octavi articulo: *An sit de expressa sententia S. Augustini, aut saltem de ejus mente, vel potiùs contra ejus doctrinam, quòd dum sumus in via, semper in manu liberi arbitrii sit nostra salus; perque nos ipsos stet, quòd ad Deum non convertamur?*

Quæstionem affirmativè definivit Ferdinandus de Bastida: quam, nullâ variorum quibus obnoxia est sensuum præmissa distinctione, congestis S. Augustini aliorumque Patrum ac Theologorum testimoniis confirmavit. Ea in primis protulit, quibus S. Doctor salutem in potestate nostra positam affirmat; nec aliud à nobis ad sanitatem obtinendam desiderari, nisi ut velimus. 2. Ea quibus culpam imputari homini decernit, si peccata non vitet. 3. Ea ubi gratiam ad conversionem præstò nobis semper esse docet. 4. Ea ubi per Deum non stare ait, quòd non sanemur & convertamur. Ex quibus omnibus consequens esse voluit, salutem in manu arbitrii positam esse.

Dixit pro adversâ parte Didacus Alvares. Præmisit duplicem quæstionis sensum: unum, An ita, dum sumus in via, semper in manu liberi arbitrii nostri posita sit nostra salus, quòd hæc potestas sit in nobis accepta ex auxilio gratiæ, sive ab ipso Deo, qui misericorditer quibus vult, & quando vult, hanc tribuit potestatem? Alterum, ita ut hæc potestas primò incipiat à nobis, vel sit in nobis, quatenùs videlicet facimus quod in nobis est per naturalem facultatem arbitrii? Hinc triplicem statuit ac probavit Conclusionem.

“Prima Conclusio: Juxta mentem S. Augustini, & secundùm catholicam doctrinam asserendum est, quòd, dum sumus in via, in manu arbitrii nostri posita sit nostra salus; si intelligatur de potestate accepta à Deo ex dono gratiæ. Ita quòd, si Deus homini per suam gratiam semper tribuat hanc potestatem, in manu arbitrii sui erit semper ejus salus: si autem non tribuit illi semper hanc potestatem, non erit semper posita salus in manu arbitrii ejus, sed quando Deus voluerit illi hanc potestatem dare.

“Secunda Conclusio: Asserere quòd ea ratione, dum sumus in via, semper in manu arbitrii nostri posita sit nostra salus, quia si fecerit homo quod in se est, præstò illi aderit Deus, ut fidem & gratiam consequatur, pertinet ad errorem Pelagianorum & Semipelagianorum. Neque in hoc sensu asserit unquam S. Augustinus, quòd semper, dum sumus in via, in manu arbitrii nostri posita sit nostra salus: neque id ex dictis ejus colligitur, sed potiùs oppositum.

“Tertia Conclusio: Molina in sensu Pelagianorum & Semipelagianorum, ab Ecclesia Catholica & S. Augustino damnato, sæpiùs asserit quòd, dum sumus in via, semper in manu arbitrii nostri posita sit nostra salus. Hunc porrò Pelagianum sensum, in hacce famosa Molinæ propositione situm observavit: *Inter leges, quas tam ipse (seu Christus) quàm Pater æternus statuerunt de auxiliis & donis, quæ nobis Christus promeruit merè gratis conferendis, una eaque rationi maximè consentanea fuit, ut quoties ex nostris viribus naturalibus conaremur facere quod in nobis est, præstò nobis essent auxilia gratiæ, quibus ea ut oportet ad salutem efficeremus: ut ea ratione, dum essemus in via, semper in manu liberi arbitrii nostri posita esset salus nostra, perque nos ipsos staret quod ad Deum non converteremur.*

Tum juxta ſtatutos controverſiæ ſenſus, objecta Auguſtini loca interpretatus eſt Alvareſius. Teſtimoniis primo in ordine laudatis Semipelagianos, non ſecùs ac Baſtidam, inſigniter abuſos oſtendit, ſuos ut errores tanti Doctoris ſuffragio tuerentur. Quibus propterea id unum reponendum monuit, quòd libro 1. Retract. cap. 10. repoſuit Auguſtinus: *Quòd omnes homines ſalutem conſequi poſſint ſi velint, non exiſtiment novi hæretici Pelagiani ſecundùm eos eſſe dictum. Verum eſt enim omnino, omnes homines hoc poſſe ſi velint; ſed præparatur voluntas à Domino, & tantùm augetur munere caritatis, ut poſſint.*

Quæ ſecundo in ordine laudabantur admiſit ultrò; ſed nihil inde ſequi ait, ad Molinianum figmentum obtrudendum: quia ſat eſt, ſi homo peccata per gratiam vitare poſſit: cùm præſertim nativam illam peccati vitandi impotentiam vitio ſuo, ſaltem originali, contraxerit.

Tertii ordinis teſtimonia diluit in hunc modum: *Deus pro loco & tempore misericorditer tribuit peccatoribus auxilium ſufficiens, quo ſalvari poſſint, ſi velint: non tamen illud tribuit ea ratione, quia priùs homo fecit quod in ſe erat ex facultate naturæ, ut dicit Molina. Neque illud tribuit ſemper, ita ut revera homines recipiant in ſeipſis, & ſentiant hujuſmodi auxilium. Non enim pro quolibet momento temporis actu excitatur à Deo & movetur ad bonum, ut experientia docet, & patet in dormientibus & illis qui multo tempore nihil cogitant de ſalute ſua. Ad illud autem quod objiciebatur, quia nullus datur peccator in hac vita, qui ſalutem conſequi & ad Deum converti non poſſit; Reſpondeo hoc eſſe veriſſimum, quia ſemper poteſt Deus misericorditer movere quemcunque peccatorem exiſtentem in via ad pœnitentiam, & illum convertere ſecundùm legem ordinariam: & liberum hominis arbitrium, quandiu vivit in hoc ſeculo, ſemper eſt flexibile in bonum & in malum, & paſſio Chriſti ac miſericordia Dei eſt ſufficiens ad delendum quodcunque peccatum viatorum. Quod quidem non habet locum in damnatis: quoniam ſecundùm potentiam Dei ordinariam neque habent neque habere poſſunt aliquod auxilium Dei ſupernaturale; & liberum eorum arbitrium, quia ſunt in termino, eſt inflexibile ratione ſtatus.*

Ad teſtimonia ultimo loco objecta reſpondit, ideò non ſtare per Deum, quominùs ſanemur & convertamur; quia nuſquam ſanitatis & converſionis gratiam negat Deus, niſi in peccatorum noſtrorum pœnam, quo fit ut defectûs gratiæ cauſa prima ex nobis ſit. 1. 2. q. 112. a. 3. ad 2.

Pauca in oppoſitum repoſuit Ferdinandus de Baſtida. Nuſquam à Molina negatum dixit, quia ſalutis obtinendæ poteſtas homini ex ſolo Dei adjutorio ineſſet. Probandum nihilominùs ſibi ſumſit, eam ineſſe homini poteſtatem, quia unicuique pro nativis viribus adnitenti gratia confertur. Quocirca Concilii Senonenſis definitionem in Decreto fidei XV. egregiè extulit: *Neque tamen tanta gratiæ neceſſitas libero præjudicat arbitrio: cùm illa ſemper ſit in promtu, nec momentum quidem prætereat, in quo non ſtet ad oſtium & pulſet.* Cui ſemel iterumque ſubjunxit Alvareſius, Deum ſua ipſius ingenitâ bonitate, præſtò quidem ſemper eſſe, ut gratiam homini largiatur, niſi in originalis peccati, aliorumque præcedentium delictorum pœnam, deſertionis meritum contraxiſſet. Cæteroquin tamen Concilium Senonenſe, Molinianum ac Pelagianum Dogma nuſquam tradidiſſe: ideò ſcilicet gratiam homini conferri, quòd priùs naturæ viribus fecerit quod in ſe eſt.

Baſtidæ duriùs viſum fuit, gratiam ſufficientem in originalis peccati pœnam interdum homini denegari: quare in eam ſententiam acriùs declamavit. Cui cùm Alvares repetitis interlocutionibus ſatisfeciſſet, congreſſus dato ſigno ſolutus eſt.

Judicium de ſuperiori propoſitione controverſâ.

“Congregatio Quadrageſima-quarta celebrata eſt die Lunæ 17. menſis Februarii 1604. An ſit de mente S. Auguſtini, quòd, dum ſumus in via, ſemper ſalus noſtra ſit in manu conſilii noſtri, & per nos ipſos ſtet quòd non ſalvemur?

“Cenſuit Congregatio, expendendo hanc propoſitionem, prout aſſeritur à Molina, ejus proprium & genuinum ſenſum ab autore intentum eſſe, quòd dum ſumus in via, ea ratione in manu conſilii noſtri eſt noſtra ſalus; quia ſi ex ſolis viribus naturæ fecerimus totum quod in nobis eſt, gratiam infallibiliter conſequemur ex certa lege, per quam operemur ut ad ſalutem oportet. Et conſequenter idcircò per hominem ſtare, quòd ſalutem non conſequatur, quia vel non facit totum quod poteſt ut juſtificetur, vel Deo vocanti & moventi, etiam efficaciter, ita reſiſtit, ut voluntate ſuâ prævaleat contra gratiam divinam, & fortior ſit in reſiſtendo pro ſua libertate, quàm Deus in movendo. Putavit enim Molina, hominem pro ſua libertate innatâ poſſe efficax reddere auxilium gratiæ divinæ, licet aliàs tantùm eſſet ſufficiens & inefficax & caſſum, quodcunque & qualecunque illud ſit.”

Ex Actis Secretarii. *In Compendio ſic:* Suppoſito hanc propoſitionẽ habere duplicem ſenſum; unum Catholicum, quem amplexus eſt & docuit S. Auguſtinus contra Pelagianos, & eorum reliquias, videlicet in poteſtate noſtra eſſe ſalutem noſtram, ſeu eſſe in poteſtate noſtra ſalutem conſequi, quia Deus dono gratiæ ſuæ miſericor-

Con-

„ Conferendo deinde istam propositio-„nem cum doctrina S. Augustini sub isto „sensu à Molina intento, resolvit Congre-„gatio, non esse de mente S. Augustini „prædictam propositionem, ut sic ab illo „assertam, sed potiùs doctrinæ illius om-„ninò contrariam, & Pelagii dogmati quoad „utramque partem maximè consonam. Sic „enim & initium justificationis esset ex no-„bis, & liberum arbitrium hominis lapsi „tam potens esset ad procurandam salutem „suam, saltem radicaliter, quàm est ad „peccandum. Quibus addebatur, Moli-„nam in secunda parte propositionis, qua-„tenùs putat perire libertatem arbitrii, si „statuatur talis gratia ex se efficax, quam „homo cassam non reddat, maximè favere „hæreticis nostri temporis. Approbat enim „istam consequentiam: *Gratia est efficax ex „virtute sua & prout à Deo venit: ergo ho-„mo non agit liberè.* Quo semel admisso, „frustra per tot annos contra Lutheranos „& Calvinistas laboratum esset à Catholi-„cis; cùm illis facilè sit probare ex divinis „Scripturis, gratiam efficacem esse ex di-„vina virtute. Cui tamen communi om-„nium judicio non acquieverunt D. Epis-„copus Aquilanus, & P. Regens Collegii „Carmelitarum, putantes prædictam pro-„positionem non esse alienam à mente S. „Augustini. Absolvitur præsens Actio, „horâ decimâ-octavâ.

diter nos prævenit, interiùs excitando & suadendo ad bonum, paratus etiam dare vires efficacissimas voluntati ad operandum, nisi divinæ gratiæ prævenienti resistat; alterum verò Pelagianum, nimirum eâ ratione, dum sumus in via semper in manu arbitrii nostri positam esse salutem nostram, quoniam per bonū illius usum ex solis viribus naturæ desiderando, petendo, quærendo, pulsando, fidem & gratiam consequamur.

Resolvit Congregatio, Molinam non in sensu Catholico, sed in Pelagiano asseruisse prædictam Propositionem; ejusque proprium & genuinum sensum ab Autore intentum esse: quod, dum sumus in via, ea ratione in manu nostri consilii est salus nostra; quia si ex solis viribus naturæ faciamus totum quod in nobis est, infallibiliter & ex certa lege gratiam consequemur, per quam operemur ut ad salutem oportet; & consequenter idcircò per hominem stare, quòd salutem non consequatur, quia vel non facit totum quod potest circa fidei mysteria addiscenda & amplectenda, circa dolorem de peccatis, ac justificationem ipsam, vel Deo vocanti & moventi etiam efficaciter ita resistit, ut libertate sua prævaleat contra efficaciam gratiæ divinæ, & fortior sit in resistendo pro sua libertate, quàm Deus in movendo pro sua misericordia, & in præbendo vires efficacissimas voluntati. Putavit enim Molina, hominem pro sua innata libertate posse efficax reddere auxilium gratiæ divinæ, licet aliàs tantùm esset excitans, sive sufficiens; & è contrario, inefficax & cassum reddere quodcunque, & quantumcunque auxilium gratiæ divinæ, neque aliter posse salvam consistere humanam libertatem. Quod ex innumeris penè locis Concordiæ demonstratum est.

CAPUT TRIGESIMUM-PRIMUM.

Quid Quadragesima - quintâ Congregatione disputatum? Quid Quadragesima-sextâ definitum?

DIe Lunæ 22. Martii 1604. coram Clemente VIII. habita est Congregatio Quadragesima-quinta. In disputationem venit tertius Scripti Articulus: *An sit expressa sententia S. Augustini, vel saltem de ejus mente, aut potiùs contra ejus doctrinam, quòd Deus leges ordinarias donorum suorum, adultis distribuendorum, magna ex parte usui liberi arbitrii accommodaverit?*

Distinxit Ferdinandus de Bastida duplicem controversiæ sensum. Primum, An ordinarias donorum distribuendorum leges usui liberi arbitrii accommodaverit, hoc est, ut nunquam per illa lædatur liberi arbitrii usus? Secundum, An eas accommodaverit antecedenter; seu, an ita dona sua adultis conferenda statuerit, ut hujus collationis exsecutio magna ex parte fiat mediis ac præsuppositis liberi arbitrii actibus, qui distributionem illam aliquo modo antecedant? Quæstioni utroque modo acceptæ affirmativè satisfecit: præmissâque donorum distinctione, quæ justificationem vel antecedunt, vel subsequuntur, singulas partes prolixa liberi arbitrii commendatione prosecutus est; oppositamque Prædicatorum doctrinam Calvinismi non semel insimulavit.

Non absimili modo, duos controversæ propositionis sensus præmisit Thomas de Lemos, juxta quos Molina illam divinorum donorum accommodationem toto passim CONCORDIÆ libro defenderat. Primum hunc esse monuit: *Quod Deus accommodat dona sua usui liberi arbitrii adultorum, dependenter ab ipso, exspectando prius usum liberi arbitrii: ita quòd nisi opera bona ex libero arbitrio facta præcedant, non solet Deus dona gratiæ suæ conferre. Alterum, quod Deus accommodat dona gratiæ suæ usui liberi arbitrii adultorum, subdendo ipsa dona gratiæ suæ usui ipsorum: ita quòd liberum arbitrium pro sua innata libertate utatur donis gratiæ ut libet, sive in unam sive in alteram partem inclinando, sive illa dona gratiæ efficacia constituendo per consensum, sive inefficacia & cassa omninò ea reddendo per dissensum.* Utrumque verò accommodationis modum, Pelagianum esse demonstravit, multis in hunc finem Augustinianæ doctrinæ principiis adductis: aliumque omninò statuendum ostendit; quo gratiæ libertas, non gratia libertati subjicitur: *Non ut agamus innatâ libertate quod volumus, sed quod Deo placuerit impleamus, idque ipse operetur in nobis.*

Brevior solitò fuit Vir eruditus in confutandis Bastidæ fundamentis: quòd in una liberi arbitrii commendatione totus hæsisset, quasi non illud divinæ gratiæ Vindices nobiliori titulo tuerentur. Ostendit Patres Societatis, Pelagianorum more, liberum arbitrium prætensæ defensionis titulo reipsa perimere; nihilque aliud admi-

ti, nisi ut horribili hæresi Prædicatoribus objectâ, cujus se adversarios esse confingunt, lateant inimici gratiæ in laude naturæ. Illos horribilis hæresis fictitios impugnatores, à se meritò dictos ostendit; quippè qui fanaticas Calvinistarum illationes non admittant modò, sed uti Catholica dogmata tueantur. Quocirca Lovaniensis Academiæ judicium, jam olim in Vigesima-septima Congregatione laudatum denuò protulit.

Bilim Bastidæ movit ea Lovaniensis Censuræ commendatio. *Miror*, inquit, *quod Reverendus Pater in conspectu Sanctitatis Vestræ produxerit in hac materia Lovanienses: cum ab hac Sancta Sede fuerit eis impositum silentium, quia injustè accusabant Patres Societatis de quibusdam propositionibus doctrinæ sanæ.* Lemosio quoque succensuit, quòd divina dona eo sensu secundùm Molinam, liberi arbitrii usui accommodari supposuisset, ut nisi opera bona ex libero arbitrio facta præcedant, non soleat Deus gratiæ suæ dona conferre. Id enim à Molina nusquam assertum, contradicente licet Pontifice pertinaciter defendit: atque in hoc uno sententiam ejus positam voluit, non solere Deum gratiam elargiri, nisi rerum fidei notitiæ supponantur.

Utramque criminationem diluit Thomas de Lemos. Primam ita retudit: *Quod dixisti indignum esse, quòd in conspectu S. D. N. afferatur Censura Patrum Lovaniensium; certè miror quod hæc audeas proferre, cùm nihil fuerit ab hac Sancta Sede contra eos definitum: nam per illam Bullam tantum impositum fuit silentium Patribus illis, & vobis etiam, ne de propositionibus sanæ fidei esset controversia. Non ait, vestras propositiones fuisse sanæ fidei, sed controversias super rebus sanæ fidei. Et ideò præcipitur utrisque partibus, ut datis eorum rationibus Sedi Apostolicæ, exspectent quod ab ea fuerit definitum. Sed quare isti Patres non adducunt Bullam Sixti IV. quâ damnavit Doctorem Petrum Rivium, qui negabat contingentiam rerum propter efficaciam divini concursus. Ex qua videtur pariter damnasse sententiam horum Patrum, qui putant per efficaciam gratiæ antecedentem, tolli libertatem arbitrii. Utebatur autem principio fundamentali Patrum Societatis: videlicet quòd præsuppositâ aliquâ suppositione antecedenti, ex qua infallibiliter sequitur hominem operari, tollitur contingentia. Hanc propositionem referunt Patres Lovanienses, & dicunt damnatam fuisse à Sixto IV. & ego feci maximam diligentiam pro invenienda illa Bullâ in hac alma Urbe; sed inveni tantùm omnia acta hac de re; non tamen inveni Bullam.*

Alteram Bastidæ criminationem productis Molinæ locis occupavit: ubi nullam internam vocationem ad fidem & pœnitentiam solitò fieri decernit, nisi priùs homo liberi arbitrii viribus ad audiendum accedat, animo verè intento, & ad addiscendum comparato, quæ sanè inter opera bona & libera computanda esse nemo nescit. Subjunxit alia non pauca ad exponendam gratiæ per se efficacis cum libertate concordiam: quibus omnibus dum identidem interloquendo reponerent Societatis Defensores, de negatione gratiæ sufficientis ultimò tandem sermo fuit. Qua de re sic pronunciavit Thomas de Lemos: *Certum est non dari omnibus auxilium sufficiens ad istum sensum, quòd omnibus facientibus quod in se est ex solis naturæ viribus detur, ut Patres Societatis prætendunt. Item certum est, non dari omnibus auxilium sufficiens, ita quòd homo faciat illud efficax. Et hoc est, quod præcipuè intendunt Patres Societatis, videlicet dari omnibus auxilium sufficiens, cui si nos consentimus, facimus efficax. An verò præter hos sensus falsos, detur aliquis sensus, in quo sit verum, dari omnibus auxilium sufficiens, est extra præsens dubium, & cùm placuerit Sanctissimo, de hoc agam liberrimè.*

Subintulit Bastida: Si omnibus non datur auxilium sufficiens, ergo quando homo peccat, non potest illi imputari ad culpam. Cui Thomas de Lemos, *Hæc illatio est Pelagiana*: quo dicto, finita est Congregatio.

Judicium de tertio Octavi Scripti Articulo.

Die Sabati 27. Martii hora 14. anno 1604. actum est de tertia Propositione Scripti octavi: quòd Deus leges suas magnâ ex parte accommodaverit usui liberi arbitrii. Et resolutum fuit, hanc propositionem in sensu Molinæ non esse secundùm doctrinam S. Augustini, sed potiùs esse Pelagianam: excepto P. Regente Collegii Carmelitarum, qui asseruit Molinæ sententiam esse probabilem: sicut illam, Facienti quod in se est Deus non denegat gratiam; ita ut nihil positivum sit propter quod gratia detur: quia hinc gratia non esset gratis data, sed ex meritis. A quo sensu dixit Molinam abesse. Absolvitur hora decima-tertia.

Ex Actis Secretarii. Non interfuit D. Episcopus Aquilanus

In Compendio sic: Resolvit Congregatio, sensum hujus assertionis, de qua quæritur, in via Molinæ esse, quòd Deus ita accommodaverit leges donorum suorum adultis distribuendorum usui liberi arbitrii, ut illorum collatio pendeat ab usu liberi arbitrii antecedente ipsa dona gratiæ; quia scilicet, si homo ex solis suis viribus pro innata sua libertate fecerit priùs quod in se est, Deus infallibiliter ex lege à se conditâ illi dabit gratiam, auxiliave quibus operetur ut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur, hoc est, supernaturaliter, meritoriè, & commensuratè ad vitam æternam: & hunc sensum neque esse secundùm expressam sententiam S. Augustini, neque ex ejus doctrina ullo modo posse deduci, sed potiùs adversari omninò doctrinæ ab illo traditæ contra Pelagium & ejus sectatores.

CAPUT

CAPUT TRIGESIMUM-SECUNDUM.

Quid Quadragesimâ-septima Congregatione disputatum? Quid Quadragesimâ-octavâ definitum?

DIe 21. Aprilis 1604. in quæstionem vocatus fuit ultimus octavi Scripti articulus: *An Deus effectualiter exigat ab homine, ut priùs faciat quod in se est, antequam fidem donet? Quamvis enim Deus fidem non conferat propter ea quæ antecedunt, nihilominùs illam concedere non solet, nisi antecedant, ut dicit Molina.*

Quæstioni juris breviter satisfecit Ferdinandus de Bastida. Concessit absque errore Pelagiano dici non posse, Deum re ipsa ab homine exigere, ut naturæ viribus faciat quod in se est, priusquam illum vocet ad fidem. Sic enim initium salutis ex nobis fore fassus est. Tum facti controversiam prolixiùs attigit: contenditque Molinam quidem agnovisse, Deum facienti quod in se est gratiam non negare; eum tamen nusquam propugnasse, Deum ad gratiæ suæ collationem exigere, ut homo re ipsa faciat quod in se est.

Istud ultimum, quo tota stabat controversiæ difficultas, probavit. 1. Quia propositionem hanc, à S. Joanne Chrysostomo incogitanter assertam, uti Semipelagianum errorem carpit Molina, disp. 1. à. 4. & 5. q. 23. mem. ult. §. *Quæ sequuntur.* 2. Quia docet, Deum sæpè vocare resistentes, adeóque non facientes quod in se est. 3. Quia propugnat, neminem esse renitentium & nolentium facere quod in se est, quem Deus non vocet, & gratiâ suâ præveniat. 4. Quia defendit, in hacce communi humanæ naturæ corruptione vix ullum esse, qui in Deo cognoscendo atque colendo præstet quod in se est. Molinæ locum in proposita quæstione objectum exposuit, aitque, nomine eorum quæ necessariò antecedunt ut vocationis gratia conferatur, intelligendos non esse actus hominis facientis quod in se est, sed actus ministrorum Ecclesiæ ipsiusque liberi arbitrii, quibus phantasmata & notitiæ rerum fidei acquiruntur, vel piæ cogitationes excitantur. Quantùm porrò duo hæc inter se distent, exemplis Pauli & Cornelii manifestum fecit: prior enim ante vocationem habuit notitias rerum fidei, nec tamen ante vocationem fecit quod in se est; alter è contra antè vocationem fecit quod in se est, nec tamen notitias rerum fidei habuit, nisi subsecutâ Petri prædicatione. Idem ratione ostendit: quia actus per quos homo facit quod in se est, sunt liberi, boni, difficiles, & rari; actus è contra quibus notitiæ rerum fidei acquiruntur, possunt esse necessarii, ut dum aliqui ad audiendos Prædicatores compelluntur: mali, ut dum quis irridendi aut impugnandi animo concionatorem audit; aut librum sacrum evolvit: faciles demum ac frequentes; nihil quippe adeò facile est, adeò frequens, quàm viros de rebus fidei differentes audire, aut editos ab eis libros legere.

In aciem deinde veniens Thomas de Lemos, præmisit jam satis ea de re superiori Congregatione dictum esse: adeóque pauca se ad novas Societatis Defensorum tricas dissipandas, additurum. Tria à Molina apertè asserta demonstravit. 1. Non solere Deum gratiam conferre, nisi opera libera, atque ex sola facultate naturæ facta præcedant; ut vocatio libera sit & laude digna. 2. Deum ordinariè præexigere liberi arbitrii cooperationem, ut gratiam prævenientem largiatur. 3. Deum ex certa lege gratiam prævenientem conferre, quoties homo facit quod in se est.

Ut autem quæcunque Molinæ vindices in ejus defensionem protulerant, efficaciùs occuparet, ostendit ex disp. 9. §. *Patet tertiò* & sequentibus, Molinam non modò phantasmata, species, sive nudas rerum fidei notitias, interiori vocationi præexegisse; verùm etiam actus liberos moraliter bonos, quibus vel notitias sibi homo comparat, res divinas æquo animo legendo & audiendo, vel post formatas & acquisitas notitias, iisdem illis benè utitur, expendendo & considerando quæ sibi ab iis proponuntur. Etsi verò quotquot notitias acquirunt, non agant quod in ipsis est, id tamen profectò agunt quicunque eas eo modo comparant: sic enim nec coactè nec perversè, sed liberè ac debitè comparare censendi sunt.

His ita constitutis, objecta facilè diluit. Respondit ad primum, Molinam in Chrysostomo non damnasse, quòd gratiam naturaliter adnitentibus conferre diceret; sed quòd initium fidei in nobis esse contenderet. Quia licet ex Moliniano dogmate id apertè sequeretur, consecutionem tamen negabat Molina, ne se Semipelagianum omninò proderet. Ad cætera momenta dixit: Hæc alicujus fore roboris ac momenti, nisi aliàs perspicuum esset, Molinam non secùs ac Cassianum duplicem Vocatorum ordinem distinxisse: alterum,

eorum

eorum, qui faciendo quod in se est, Deum præveniunt; qui propterea liberè operantur: alterum eorum, qui omnino præveniuntur à Deo; qui idcircò eo in actu, quo à Deo præoccupantur, liberè non agunt. Hac enim positâ distinctione, utrumque perinde stare potest: nempè, quòd Deus ordinariè secundùm communes leges vocandi ad fidem cum libertate, exigat ut priùs homo faciat quod in se est, ut ad fidem liberè vocet: & quòd idem Deus, ea vocatione quæ libera non est, ipsos etiam *renitentes vocet ad fidem.*

Instavit nihilominùs Bastida, pristinumque institutum prosecutus est. At uti nihil novi dixit, quod anteà occupatum non esset, ita nihil novi à Lemosio responsum fuit. Pauca dumtaxat obiter addidit Bastida de gratia præveniente, quam juxta Concilii Tridentini expositionem à Molina admissam dixit. Cui Thomas de Lemos: *Ponit quidem Molina gratiam prævenientem: sed cùm ea sit talis, quæ invitat tantum, allicit & excitat voluntatem, non autem voluntatem convertit, non recedit à lege & doctrina: ac propterea non est illa gratia efficax, de qua Sacrum Concilium Tridentinum loquitur.*

Reposuit Bastida: *Quod hæc gratia quam ponit Molina, non sit gratia efficax physicè prædeterminans voluntatem, est verissimum. Sed si de hac loquatur Concilium Tridentinum, & si eam negare sit error, aliàs loquemur; cum S. D. N. placuerit, ut de hac re disputemus.* Sicque finita disputatio est.

Judicium de Quæstione superiùs disputata.

Ex Actis Secret. At in Compendio sic: Resolvit Congregatio. Pelagianum esse asserere, Deum effectualiter exigere ab homine, ut priùs faciat quod in se est ex solis viribus naturæ, quàm illi fidem largiatur. Et Molinæ sententiam esse, quòd Deus regulariter exigat ab homine, ut reipsa faciat, quantum in se est, ex solis viribus naturæ, priusquàm interiùs vocetur ad fidem; neque aliter, quod ad ulteriorum portionem attinet, nisi prævijs humanis conatibus consuevisse Deum illis fidem & gratiam conferre. Ita constat ex deductis circa Conclusionem quartam, & ex pluribus aliis Concordiæ locis.

„ Congregatio 48. celebrata est die Veneris 23. mensis Aprilis post horam 13. anno Domini 1604. Resolvit Congregatio istam propositionem, *Deus effectualiter exigit ab homine, quod prius faciat quod in se est, ut ei fidem & gratiam largiatur,* non esse consonam doctrinæ S. Augustini; sed ab ea quàm longissimè discedere, & continere errorem Pelagianorum. Molinam verò in sensu Pelagiano illam docuisse, ut ex pluribus locis illius CONCORDIÆ ad invicem collatis constabat. Nihilominùs tamen D. Episcopus Aquilanus censuit propositionem esse Pelagianam; sed addidit sibi non constare quòd Molina illam asseruerit. Pater Rada dixit se non invenisse hanc propositionem apud Molinam totidem & formalibus verbis; legisse tamen aliam deteriorem, ex qua illa facilè deducitur. P. Regens Collegii Carmelitarum dixit, hanc propositionem Molinæ non esse alienam à doctrina S. Augustini. Dimittitur Sessio post horam decimam quintam.

CAPUT TRIGESIMUM-TERTIUM.

Quid Quadragesimâ-nonâ Congregatione disputatum? Quid Quinquagesimâ definitum?

DIe Veneris 30. Aprilis anno 1604. celebrata est coram Clemente VIII. Congregatio 49. Disputatum de Nono Scripto, nimirum: *Præsupposito quod actus eliciti à libero arbitrio ex facultate naturali, credendi in Deum, diligendi Deum super omnia, pœnitendi de peccatis, cum proposito & deliberatione ampliùs non peccandi; & superandi nedum minores sed graves tentationes, vel saltem cohibendi consensum, ne gravibus tentationibus succumbat; & quod omnes isti actus sint eliciti, ne dum semotâ omni mala circumstantiâ, sed vestiti omni bona circumstantiâ, tam ratione objecti quàm officii; & quòd sint eliciti intuitu & contemplatione Omnipotentiæ Dei punientis scelera, & præmiantis virtutes; & quod isti actus sint nedum naturales, sed etiam quoad substantiam ipsorum actuum, secundùm Molinam sint supernaturales: An sint prout ad salutem oportet, supposita lege, quòd facienti quod in se est Deus det gratiam?*

Huic proponendæ controversiæ locum dedit repetita sæpius Molinæ ejusque Defensorum responsio; dum de liberi arbitrii viribus ad credendum, sperandum, ac diligendum Deum, de peccatis dolendum, aliaque similia opera exercenda disputaretur. Ne enim Pelagianismi rei apertiùs agerentur, quòd hujuscemodi opera ad salutem conducentia, naturæ viribus adscriberent, ea talia esse pernegabant, qualia ad salutem oportet. Quapropter disputandum decrevit Sanctissimus Pontifex, justo-ne titulo consecutionem illam negassent, ut Pelagianismi accusationem effugerent.

Defendit itaque Ferdinandus de Bastida, eam à se aliisque Molinæ Vindicibus justè negatam fuisse: quod isto potissimùm probavit argumento: Actus prout ad salutem oportet ille est, qui operantem ad salutem æternam perducere potest, vel ut meritum, vel ut commensurata dispositio: sed actus tendens in Deum, ex omni circumstantiâ bonus, & factus ex

motivo Omnipotentiæ (adhuc suppositâ lege gratiam conferendi facienti quod in se est) non potest hominem perducere ad æternam salutem, sive ut meritum, sive ut commensurata dispositio: igitur hujusmodi actus non est ut ad salutem oportet; adeóque consequentia jure negata est.

Majorem permultis S. Augustini ac D. Thomæ, aliorumque magni nominis Theologorum testimoniis confirmavit. Minorem distinctâ partium enumeratione prosecutus est, nihil hujuscemodi actui inesse ostendens, quod ei proportionem cum æterna salute conferre valeat: Non ipsa, inquit, in Deum ordinatio; quia actus in Deum uti naturæ Autorem ordinatus, fini supernaturali non accommodatur: Non ille bonorum circumstantiarum apparatus; quia objectum, finis, officium, cæteraque adjuncta supernaturali beatitudini non respondent: Non divinæ Omnipotentiæ contemplatio, quia illa per sese indifferens est; atque à ratione naturali perinde ac fide plerumque proponitur: Non demùm lex conferendi gratiam cuicunque nativis viribus adnititur, quantum valet; quia cum actui merè extrinseca sit, nullam illi confert virtutem intrinsecam.

Addidit duo alia subsidiaria argumenta: Primum ex eo petitum, quòd quis certus esse non possit se actus salutis æternæ meritorios edere; certus tamen esse possit operari se propter Deum, ac benè quidem ex omni circumstantiâ, necnon ex motivo Omnipotentiæ. Alterum ex innumeris S. Thomæ, Cajetani, & Soti testimoniis desumtum, quos id ipsum docuisse voluit, quod Molina.

Pro parte opposita militavit Thomas de Lemos. Defendit, actus in proposita quæstione designatos tales esse quales oportet ad salutem; ideóque non nisi divinæ gratiæ ope elici posse. Probationis vim penè omnem petiit ex Sancto Augustino lib. 4. contra Julianum cap. 3. Ubi S. Doctor actus moraliter bonos à Juliano naturæ viribus adscriptos, ad salutem æternam valituros inferebat; tametsi non illos Vir Pelagianus, tam laudabilibus, tam dignis, tamque heroicis circumstantiis cohonestasset, ac suos Molina. Non absimilem consecutionem à S. Prospero ex Cassiani doctrina deductam, eumque putidæ repugnantiæ convictum ostendit; ob id unum, quòd virtutum semina, animabus nostris naturaliter inserta docuisset, quæ nisi à Deo, ut aiebat, excitarentur, ad incrementum perfectionis pervenire non possent. Quibus fusiùs enarratis in Molinianæ doctrinæ laxitatem elatus, *Quid diceret S. Prosper*, exclamavit, *si his temporibus audiret, non solum omni anima inesse virtutum semina, beneficio Creatoris inserta naturaliter, sed ea etiam ex bono naturæ ad tantam perfectionem devenisse, ut viribus naturæ possit homo credere in Deum, sperare in Deum, diligere Deum super omnia, conteri de peccatis cum proposito ampliùs non peccandi; & posse hos actus & opera facere, ex fine, objecto & omnibus circumstantiis bona; & ea quidem intuitu, & contemplatione divinæ Justitiæ scelera punientis & virtutes præmiantis? Certè colligeret ex his S. Prosper, negari peccatum originis, & liberum arbitrium constitui sanum & integrum, non læsum & infirmum; & demùm gratiam vel non esse necessariam, vel eam dari ex merito horum operum præcedentium.*

Post hæc Bastidæ momentis breviter satisfecit. Prioris argumenti minorem propositionem inficiatus est, cujus probationes omnes falsâ hypothesi niti demonstravit. Si enim Molinæ dogma fuit, hominem (præexistente maximè lumine fidei, quo Deum novit scelerum vindicem, ac meritorum remuneratorem) naturæ viribus conteri posse; fidei quoque mysteriis assentiri, quatenùs à Deo revelata sunt: quo jure de Deo naturæ dumtaxat Autore, ejusque Omnipotentiâ naturali lumine notâ, locutus fingitur? Rursùs, si verarum virtutum actus, ex fine & officio, cæterisque adjunctis moraliter bonos, ad salutem æternam valituros demonstravit Augustinus; quid illos supernaturali beatitudini respondere diffitentur Societatis Vindices? Si demùm iis positis actibus, gratia ex certâ lege infallibiliter obtinetur; nonne juxta divinæ providentiæ ordinem, ad æternam salutem perducere putandi sunt?

Ad alterum dixit, hominem non minùs incertum esse an eos actus cum iis circumstantiis eliciat, quàm quòd operetur ut ad salutem oportet. Quia plerumque sibi de se mens ipsa mentitur; putatque agere se propter Deum, dum secretis vanæ gloriæ motibus ducitur. Demùm S. Thomæ, Cajetani, ac Soti testimonia, jam olim à Valentia & Arrubale sæpiùs objecta, ac totidem soluta, cursim exposuit.

Dictis occurrit Ferdinandus de Bastida sua ut argumenta tenaciùs defenderet, quorum vim à Lemosio declinatam dixit. Verbum non sine offensione accepit ille: *Bene*, reposuit, *& sufficienter responsum est: & si attendisses ad mea dicta, percepisses solutionem, si non esset temporis inopia, responderem vobis usque ad noctem? breviter respondi*,

pondi, ne gravetur Sanctissimus D. N.

Stetit nihilominùs Molinæ Vindex obfirmato animo: nec modò sibi tunc minimè responsum asseruit, verùm etiam argumentum suum ex incertitudine salutis, & certitudine actuum bonorum petitum, nusquam à duobus annis, quibus illæ coram Pontifice disputationes habebantur, solutum fuisse jactitavit. Quod ut Pontifex audivit, *Jam*, inquit, *respondit P. Lemos, quòd non solùm non sumus certi, quòd hi actus qui à nobis fiunt, sint prout oportet; sed neque sumus certi, quòd eos habeamus cum his requisitis.*

Objectis deinde nonnullis de bonitate actuum moralium, satisfecit Thomas de Lemos: congressusque circa horam decimam-septimam solutus est.

Judicium de Dubio controverso.

Ex Actis Secretarii. In Compendio verò sic: Resolvit Congregatio opera, actusque, de quibus in Dubio proposito quæritur, verè esse sicut oportet, ac propterea Molinæ doctrinam de ejusmodi actibus æquè convinci Pelagianismi, cum asseruerit contra expressas Patrum & Conciliorum definitiones, posse hominem ex sola facultate naturæ illos elicere cum solo concursu generali Dei, absque ullo divinæ gratiæ adjutorio.

„ Congregatio 50. celebrata est die Sabbati 1. Maii 1604. horâ 13. Actum est „de primo Dubio, & resolvit Congregatio, „actus de quibus in Dubio proposito, eli„citos propter Deum, & cum omnibus „bonis circumstantiis, esse actus prout „oportet: atque adeò elici non posse, sine „Spiritus Sancti gratiâ. Et idcircò Moli„nam errasse, asserendo, posse hominem „ex sola facultate naturæ credere, sperare, „diligere. D. Episcopus Aquilanus censuit „esse probabilem illorum opinionem, qui „docuerunt hujusmodi actus posse elici ex „solis viribus naturæ, qui tamen negant „esse actus sicut oportet. Unde addidit, „interim dum non est clara aliqua declara„tio Sedis Apostolicæ, se non probare „istam consequentiam: Sunt actus boni ex „officio & fine, & cum omnibus bonis cir„cumstantiis: Ergo sunt actus sicut opor„tet. Similiter censuit P. Regens Collegii „Carmelitarum. Absolvitur actio hora de„cimâ quintâ.

CAPUT TRIGESIMUM-QUARTUM.

Quid Congregatione Quinquagesimâ-primâ disputatum? Quid Quinquagesimâ-secundâ definitum?

Die Veneris 7. Maii 1604. habita est Congregatio 51. coram Clemente VIII. Quæstio tractata fuit: *In quo differant motivum pietatis Christianæ, & motivum quod actus fiant intuitu & contemplatione bonitatis & justitiæ Dei: cùm ii actus fiant ex timore & amore Dei, etiam super omnia?*

Movendæ quæstioni hæc ratio fuit. Dum de Molinæ systemate ageretur, quo actus intuitu bonitatis ac justitiæ Dei elicitos liberi arbitrii viribus adscribit; objecit non semel Thomas de Lemos consequens inde fore, ut Christianæ pietatis opera facultati naturali tribuantur. Consecutionem negarunt Molinæ Defensores, quòd hæc duo inter sese longè differrent. Idcircò eâ de re specialiter disputare visum est.

Prima itaque Bastidæ positio fuit, duo illa motiva omninò inter se distingui: quia in statu naturæ puræ vel integræ, non potuisset homo operari ex motivo pietatis Christianæ, potuisset tamen intuitu justitiæ ac bonitatis Dei, super omnia dilecti. Immò verò, inquit, cum Summus Pontifex proposito Dubio quæsierit, qua in re duo illa motiva differant, ea certè inter se differre supposuit.

Altera positio fuit, in eo motiva illa differre: *Quòd motivum pietatis Christianæ, ex intrinseca sua ratione, habet movere voluntatem ad actum ex objecto formali, & principio excedente naturæ vires: motivum autem quòd actus fiant intuitu & contemplatione bonitatis & justitiæ Dei, quamvis possit aliquando movere voluntatem ad actum, ex objecto formali & principio excedente naturæ vires, non tamen id habet ex intrinseca sua ratione; sed secundùm se est indifferens, ad hoc ut moveat voluntatem ad agendum ex formali objecto, & principio excedente naturæ vires, aut illis proportionato.* Primam positionis suæ partem, in qua nulla difficultas erat, multis probavit: alteram hac una ratione suasit, quòd motivum hoc omninò indifferens sit, ut proponatur per lumen fidei aut rationis naturalis. Hincque tertiam deduxit assertionem ex ea spontè consectariam: nimirùm duo illa motiva genere quidem convenire, sed specie differre. Quibus omnibus statutis conclusit; timorem & amorem Dei super omnia supernaturalem, viresque naturæ excedentem, motivum esse fini Christianæ pietatis accommodatum, quo voluntàs ad hujuscemodi opera edenda, moveri potest: secùs verò timorem & amorem Dei super omnia naturalem.

Quæstionis resolutionem oppositam petiit Thomas de Lemos ex statutis in superiori Congregatione. Quia si actus intuitu divinæ justitiæ ac bonitatis, seu ex timore & amore Dei super omnia eliciti, tales sunt, quales ad salutem oportet; profectò ad pietatis christianæ finem ordinantur, atque ex ipsius consideratione eliciuntur.

tur. Ad uberiorem tamen assertionis suæ confirmationem, institutum suum prolixâ oratione prosecutus est. Duo maximè capita demonstravit. Primò Molinæ errorem in hoc præsertim situm esse; quod disp. 14. memb. 1. §. *Ratio verò*, & memb. 4. §. *His ita constitutis*, putarit divinam bonitatem ac justitiam, supernaturali fide notas, naturæ viribus timeri posse, ac super omnia diligi. Quo systemate, fidem perindè ac philosophiam everterat: fidem quidem, quia sic naturæ viribus timetur ac diligitur Deus, ut finis est supernaturalis; christianæque pietatis actus, ex motivo verè religioso exercentur: Philosophiam verò, quia eo pacto, objectum formale habitus superioris, inferioribus viribus attingitur. Secundò ex Augustino & Doctore Angelico probavit, opera moralia per solam etiam naturalem rationem proposita, modò tamen egregia sint, excellentia ac difficilia; qualia sunt quæ à Molina recensentur, ut diligere Deum super omnia, dolere de peccatis propter divinam bonitatem summè dilectam, vincere graves tentationes, mortem propter justitiam obire, lapsæ naturæ vires prorsùs excedere; nec nisi divinæ gratiæ auxilio, in isto corruptionis statu, exerceri posse: ac propterea actus quibus eduntur, esse verè pios & ad salutem ordinatos.

Secundùm hæc facilis fuit ad objecta responsio. Ad primæ positionis momenta, ait, frustra illos ad status naturæ puræ & integræ confugisse, de quibus quæstio minimè vertebatur: eosque ambitiosiùs Summi Pontificis suffragium jactitasse, quasi qui duo illa motiva inter se distingui supposuisset, in ipso propositæ Quæstionis themate: cùm non ex sese, sed ex Patrum Societatis principiis, quorum examen instituebat, supposuerit.

In secunda positione, gravissimum Defensorum errorem observavit, qui christianæ pietatis motivum, non ex solo supernaturali objecto formali repetebant, verùm etiam ex principio efficienti supernaturali: adeò ut utrumque perinde desideraretur, ut actus ex christianæ pietatis motivo fieri censeatur. Si enim id staret, inquit Lemos, Pelagiani nequaquam damnati dicerentur, quòd christianæ pietatis actus, naturæ viribus tribuissent; cùm hoc ipso quòd ab eis supponerentur ex naturæ viribus, tanquam efficienti principio eliciti, non essent jam pietatis actus. Ex solo itaque objecto formali, petitur christianæ pietatis motivum: quia motivum quacunque in re, vel finis est, vel aliquid se tenens ex parte finis: principium autem efficiens motivo per omnia respondere debet; ac propterea Molina ac Pelagiani damnandi sunt; quatenùs supponunt actus ex objecto formali verè pios & ad salutem attinentes, ex principio minimè pio & minimè salutari elici posse.

Ad cætera Defensorum momenta non descendit divinæ gratiæ Vindex, quia duobus superioribus capitibus semel à se demonstratis, elisa supponebantur. Idcircò ad illorum confutationem non parùm temporis insumsere Ferdinandus de Bastida & Joannes de Salas. Quæstionem de veris Infidelium virtutibus, jam olim ex instituto prolixiùs agitatam, refricarunt, ut liberi arbitrii vires efferrent. Ad acta se retulit Thomas de Lemos, nec ultra hoc in argumento terendum tempus existimavit. Verùm iis rursùs urgentibus, Doctorumque Scholasticorum suffragia, in hujusce rei confirmationem adducentibus; respondit Prædicatorum Generalis, frustra pro Moliniana doctrinâ veteres Theologos afferri, quam novam autor ipse fassus est: neminemque Doctorum esse, qui in Infidelibus veras virtutes, sub propria ac formali ratione virtutum agnoverit. Quanquàm non solas virtutes morales, liberi arbitrii viribus adscripserat Molina; sed & fidem, spem, dilectionem Dei super omnia, pœnitentiam, cæteraque ad divinorum mandatorum observantiam attinentia.

Respondit Bastida, Molinam non nova, sed novè dixisse: nullamque ei culpam irrogandam, quòd hæc omnia libero arbitrio tribuisset; quia substantia dumtaxat actuum, non rationes formales supernaturales attenderat. Ea in re totam controversiæ difficultatem positam dixit; quam idcircò Summi Pontificis judicio eliquari petiit. Desit Congregatio horâ 17.

Judicium de superiori Controversia.

Congregatio 52. celebrata est in Palatio Apostolico in Monte Quirinali die Sabati octava mensis Maii, horâ 12. anno 1604. Actum est in hac sessione, de secunda quæstione Articuli noni: videlicet, “An idem sit motivum pietatis, &c. & resolvit Congregatio idem esse, actus fieri ex motivo pietatis christianæ, & fieri intuitu bonitatis divinæ, & contemplatione beneficiorum, quæ Deus in nos contulit, usque ad effusionem sanguinis Filii sui, in Cruce pro nobis; atque adeò hujusmodi actus esse actus pios sicut oportet, & propterea elici non posse ab homine ex solis viribus naturæ. Quocunque enim modo

Ex Actis Secret. At in Compendio sic: Resolvit, Congregatio, loquendo præcisè de statu naturæ lapsæ, non posse assignari specificam & essentialem distinctionem inter motivum pietatis

„modo proponatur bonitas divina, ſub ratione diligibilitatis, ſive per lumen naturale, ſive per lumen fidei, omninò tenendum eſt, eſſe motivum pietatis: & idcircò attingi non poſſe tale objectum, virtute naturali ſub hoc motivo, actu abſoluto & perfecto dilectionis Dei ſuper omnia, qualem Molina conſtituit haberi poſſe per ſolam facultatem naturalem. Diſſentiebant D. Epiſcopus Aquilanus, qui dixit probabiliter à nonnullis Doctoribus aſſeri, horum actuum ſpecificam rationem, deſumi ex diverſitate principiorum: ac propterea actus illos de quibus Molina agit, non eſſe ſicut oportet, quia non ſunt eliciti ex auxilio gratiæ divinæ. Et conſequenter cenſuit P. Regens Collegii Carmelitarum, motivum pietatis chriſtianæ, apud Molinam eſſe diverſum à motivo, quo actus fiunt intuitu bonitatis divinæ, & contemplatione beneficiorum, quæ Deus in nos contulit, uſque ad effuſionem ſanguinis Filii ſui pro nobis in Cruce. Abſolvitur actio horâ 15.

Chriſtianæ, & motivum bonitatis & juſtitiæ Dei. Hoc eſt, idem omninò eſſe in ſtatu naturæ lapſæ, actus fieri ex motivo pietatis Chriſtianæ, & fieri intuitu & contemplatione bonitatis & juſtitiæ Dei; atque adeò elici non poſſe ſub hoc motivo per ſolas vires naturæ ſine ſpeciali gratiæ divinæ adjutorio. Potiſſimùm verò, quia ſecundùm Molinam hujuſmodi actus ſupponuntur elici ex conſideratione maximorum beneficiorum tum naturæ, tum gratiæ, quæ Deus in nos contulit uſque ad proprii ſanguinis in Cruce effuſionem, & ex timore, & amore Dei ſuper omnia, in quo conſiſtit vera & propria ratio pietatis Chriſtianæ.

CAPUT TRIGESIMUM-QUINTUM.

Quid Congregatione Quinquageſima-tertiâ diſputatum? Quid Quinquageſima-quarta deſinitum?

Die Veneris 28. Maii 1604. coram Clemente VIII. fuit Congregatio 53. Ad pleniorem ſuperioris controverſiæ eliquationem, de mandato Summi Pontificis, diſputatum eſt de Dubio Scripti decimi: *An quando intellectus proponit voluntati Deum amandum, & colendum, ut ſummè bonum & juſtum, præmiantem virtutem præmio vitæ æternæ, & propterea ſummè amandum, quia pro nobis vitam & ſanguinem profudit, & ſcelera punientem æterna damnatione; poſſit dici, quod proponat eum tanquam objectum naturale tantum, an etiam ſupernaturale; aut tanquam indifferens ad actum naturalem & ſupernaturalem? Et an hoc modo dicatur illud proponere, tanquam rem ad fidem pertinentem; & ſic tanquam objectum fidei?*

Defendit Ferdinandus de Baſtida: ea quidem uti objectum ſupernaturale proponi, ſi lumine fidei, tanquam divinis regulis conſona cognoſcantur: ſecùs, ſi naturali lumine, veluti humanæ rationis regulis conformia proponantur. Illud ultimum, cui tota ineſt reſponſionis difficultas, multiplici argumentorum genere probavit. Inter hæc potiſſimum iſtud fuit: Juxta fidei principia voluntas nequit tendere in Deum ſummè bonum & juſtum, noſtrumque redemtorem, naturali ratione nobis propoſitum, niſi actu purè naturali: Igitur Deus ita nobis propoſitus, eſt objectum dumtaxat naturale. Antecedens oſtendit primò, quia voluntas, ea in hypotheſi in Deum tenderet, per actum ex fide minimè procedentem, adeóque minimè ſupernaturalem; cùm fides ſit prima radix actuum ſupernaturalium, & ad ſalutem attinentium. Secundò, quia ſi voluntas in Deum ita cognitum ferretur, v. g. actu ſupernaturali dilectionis ſuper omnia; vel eo actu juſtificaretur homo, vel non: ſi juſtificaretur; ea juſtificatio fieret ſine fide: ſi non juſtificaretur, igitur ſupernaturalis Dei dilectio ſuper omnia, non eſſet ultima juſtificationis diſpoſitio. Tertiò, quia objectum ſupernaturale nequit per actum malum appeti: Deus autem ita nobis propoſitus, actu malo appeti poteſt: *Ut patet*, inquit, *in eo qui vellet myſteria mortis Chriſti meditari per duas horas, in quarum poſteriori teneretur curare infirmum, & culpabiliter eſſet oblitus: illi meditationis actus & dilectionis, ex illa hora eſſent mali, & tamen per illos proponeretur voluntati Deus, ſecundùm iſtas rationes, & ab illa amaretur:* Quartò, quia homo certus eſſe non poteſt, an actum eliciat circa objectum ſupernaturale formaliter: poteſt tamen certus eſſe Deum ſe diligere, ſummè bonum & juſtum, qui pro ipſo ſanguinem fudit.

Hæc omnia hæreticorum exemplo confirmavit; qui licet nulla ad actus ſupernaturales auxilia habeant, *Pro ſuis tamen erroribus moriuntur, plures hujuſmodi actus eliciunt, offerendo mortem ſuam pro Chriſto, qui pro ipſis mortuus fuerat, & dulcia colloquia cum illo miſcendo, plena affectibus amoris, dum ad patibulum ducuntur.*

Diſplicuit Clementi VIII. adeò abſurdum figmentum: idcircò irriſoriè interrogavit: *Vidiſtine hos hæreticos, hujuſmodi dulcia colloquia miſcentes? Immò ſæpius neque crucem inſpicere volunt.* Reſpondit, ſe eos quidem non vidiſſe, ſed ab aliis accepiſſe.

Cætera urgebat Molinæ Defenſor, ut voluntatem in Deum ſummè bonum & juſtum, qui pro nobis ſanguinem fudit, viribus naturalibus tendere poſſe demonſtraret. Cui Pontifex objecit: *Quomodo poteſt voluntas, propriis viribus tendere in hoc obje-*

objectum, quod non nisi divino auxilio attingi potest; cum sit secundum se supernaturale? Et quomodo per lumen rationis potest cognosci effusio sanguinis Christi Domini in Cruce pro nobis? Reposuit, id quidem simpliciter non posse, benè verò divinâ revelatione aliunde suppositâ.

Iis rationibus Theologorum testimonia addidit, quos in suæ assertionis probationem magno numero laudavit ex Thomisticâ scholâ. Ac demùm alteram propositi Dubii partem, in sequentem Congregationem differri petiit.

Bastidæ hypothesim, cui tota ejus actio nitebatur, impetiit Thomas de Lemos. Contendit in primis, intellectum solo rationis lumine quantumvis sublimi illustratum, non posse proponere voluntati Deum uti bonorum præmiatorem præmio vitæ æternæ, aut malorum punitorem æternâ damnatione; multò minùs uti pro nobis in Ara Crucis mortuum: atque adeò fidei dumtaxat lumine proponi posse; ut rem supernaturalem sub formali objecto fidei contentam. Primam partem evicit, quia res supra totum naturæ ordinem constituta rationis naturalis lumen excedit. Secundam, quia si res supra naturam posita, à fide uti naturalis proponeretur, fides falsò subesset.

Contendit secundò, quòd dum intellectus infidelis, ex alterius suasione, aut credulitate naturali, imperfectâ, fallibili & humanâ, credit Deum vitam æternam omnibus elargiri; tunc voluntas actum perfectum & absolutum desiderii, spei, aut dilectionis Dei elicere nequit; sed imperfectum in mera velleitate situm.

Hinc tota objectionum vis elisa fuit. Eversâ quippe præcipui argumenti hypothesi (qua Deum uti summè bonum ac justum, nostrumque Redemtorem, ratione naturali cognosci posse supposuerant) cætera omnia spontè ruebant. Iis tamen ex abundanti satisfecit. Quare ad primam antecedentis probationem, ait, Actus etiam sine fide elicitos, modò tamen ex gratia præveniente, atque ad fidem disponente, oriantur, verè supernaturales esse, & ad salutem pertinere: quales sunt ii, quos Concilium Tridentinum sess. 6. can. 6. commendat, dum homines excitati & adjuti, fidem ex auditu concipiunt, liberéque moventur in Deum. Quia licet fides prima sit justificationis forma, non est tamen prima dispositio. Ad secundam, dixit amorem nullum supernaturalem perinde ac nullam cognitionem, naturæ viribus haberi posse. Ad tertiam respondit, ea in hypothesi, actum supernaturalem, cujus Deus specialiter autor est, tunc primùm desinere, dum homo ex caritatis debito aliò vocatur. Ad ultimam dixit, neutrum homini constare, quemadmodùm in Congregatione Quadragesima-nona demonstraverat. Exemplum ab hæreticis desumtum exsufflavit: hæreticos, inquiens, pro sua pertinaciâ & errore ex se quidem mori: neminem tamen pro Deo sine Deo pati posse.

Laudatis Theologorum testimoniis respondit paulò duriùs, nec sine objectâ malæ fidei accusatione: *Isti Reverendi Patres,* inquit, *adduxerunt quinquaginta loca pro sua sententiâ à principio hujus causæ, & à quibusdam Patribus meæ Religionis Provinciæ Hispaniæ ostensum fuit, sinistrè & in pravo sensu allegari. Quod ostenderunt in Apologetico quodam tractatu Sanctitati Vestræ porrecto. Similiter Doctores Lovanienses, in alia eorum Justificatione manifestarunt, plurima loca Sanctorum ab istis Patribus citata, truncatè adduci. Et tamen Reverendi isti Patres Vestræ Sanctitati dederunt 300 loca S. Augustini, ad fundandum in S. Doctore sententiam suam: & tamen nec verbum ex illis inventum fuit rectè adduci in illo sensu, in quo S. Augustinus illud inducebat. Eodem ergo modo, isti Patres adducunt multitudinem Doctorum, & putant nos terrere hujuscemodi citationibus. Verùm si expendantur, apparebit, quòd nihil prorsùs illis favent.*

Illis verò expensis & expositis, rursùs in Molinæ Vindices efferbuit, qui ad alteram propositæ quæstionis partem minimè responderant; novisque in dies excogitatis artibus moras trahebant: *Beatissime Pater,* inquit, *de unico Dubio volunt Reverendi Patres duas fieri Congregationes, ut causa in infinitum protrahatur, & nunquam terminetur: & non advertunt quomodo in dies crescant mala: præcipuè cùm audierim in multis partibus publicè legi Faustum; qui tamen damnatus est ab Ecclesia Sancta, à Gelasio Summo Pontifice, Hormisda, Leone, & Concilio Arausicano. Ideò non eget hæc causa ut ampliùs protrahatur, ut volunt isti RR. Patres: sed deberent respondere etiam ad Appendicem Dubii, quia non habet particularem difficultatem.*

Offenso animo dictum excepit Ferdinandus de Bastida: illatamque, ut arbitrabatur retulit injuriam: *Quòd nunc,* subjunxit, *crescant in dies mala, scio: nam significatum est nobis, quòd in Collegio S. Thomæ Hispalensis, inventus fuit quidam libellus famosus contra nos scriptus, illuc missus & publicatus. Unde nostrum est conqueri, quòd in*

in dies contra nos crescant mala. Non instamus tamen ut nunc vel post decem annos controversia hæc terminetur : quia hanc terminari vel citius vel tardiùs pertinet ad Spiritum Sanctum, quem S. D. N. credimus certissimè assistere. Optamus tamen, Beatissime Pater, ut de libello contra nos facto inquiratur.

Nescio quid sinistrum ea in supplicatione suspicatus sit Beatissimus Pater : interea tamen sententiam ex tempore pronuntiavit, in hunc modum : *Cùm libellus hic, ut dicitis apud vos sit, producite illum, & simul ostendite autorem illius ; & certissime puniemus eum : alioquin si autorem non ostenderitis, secundùm leges, vos tanquam autores illius condemnabimus.*

Audito judicio ad institutum venit Bastida. Superiùs dicta emollivit : aitque Molinam non alium assensum naturæ viribus adscripsisse circa veritates supernaturales, quàm qui ad humanam fidem pertineat. Excusationis vanitatem Pontifex ostendit : *Quia Molina huic fidei, quam dicit humanam esse, adscribit omnia, quæ ad fidem catholicam spectant : videlicet quòd per illam credere possimus Mysteria omnia fidei, tanquam revelata, & quia revelata sunt à Deo ; atque cum tantâ ac majori certitudine, quàm fideles credant per fidem catholicam.* Subjunxit ad hæc fervidus Defensor, nihil aliud hac in parte Molinam docuisse, quàm quod cæteri omnes Theologi defendunt : quocirca superioribus Congregationibus standum voluit. Addidit alia non pauca, in superiorum assertionum confirmationem, reponente & contradicente Lemosio. Quibus exactis, dedit Pontifex Congregationi finem.

Judicium de Dubio superius agitato.

„ Congregatio Quinquagesima-quarta „celebrata est die Sabati 29. mensis Maii „post horam 12. anno D. 1604. Quoniam „Patres Societatis, ut vendicarent propo„sitiones Molinæ à nota erroris, consti„tuebant in præteritis sessionibus, tan„quam principium sibi certum : Hoc ob„jectum, Deus est summè bonus & justus, „& propterea summè amandus, quia ma„gna atque innumera in nos contulit be„neficia, deditque pro nobis Filium suum „in mortem, esse objectum indifferens ad „actum naturalem & supernaturalem : vo„luit S. D. N. ut expenderetur, quàm „veritatem hoc principium haberet ; po„suitque de hac re singulare quoddam du„bium, videlicet : An quando intellectus, „&c. & resolvit Congregatio, objectum prout proponitur in Dubio, non esse na-„turale, aut indifferens ad actum natura-„lem vel supernaturalem ; sed omnino su-„pernaturale, & ad supernaturalitatem re-„strictum ; ita ut attingi non possit à vo-„luntate humana, sine gratiæ divinæ auxi-„lio. Maximè cum complectatur Myste-„rium Incarnationis Filii Dei, & mortis„ ipsius, quam pro nobis passus est : quod„ S. Augustinus docuit lib. 7. Conf. cap. 9.„ Dissensit D. Episcopus Aquilanus, qui„ dixit saltem probabiliter posse dici, quòd„ si proponatur sub ratione naturali, possit„ attingi per actus naturales. P. Rada dixit,„ hujuscemodi objectum, si proponatur„ sub aliqua ratione naturali, esse naturale,„ quamvis in se sit supernaturale : si verò„ proponatur per lumen fidei, esse obje-„ctum supernaturale. Molinam verò in-„tellexisse de objecto proposito per lumen„ fidei. Quocunque verò modò propona-„tur, attingi non posse per actum natu-„ralem absolutum, qualem ponit Molina.„ P. Regens Collegii Carmelitarum dixit,„ hujusmodi objectum, si proponatur per„ lumen rationis naturalis, esse objectum„ naturale : si verò per lumen fidei propo-„natur, esse supernaturale ; & sic attingi„ posse, vel actu naturali vel supernaturali.„ De facto verò Molinæ, se impræsentia-„rum non agere, quia de illo in Dubio pro-„posito nihil quæritur ; & sæpè aliàs de„ illo dictum fuit, discurrendo sigillatim„ per plures propositiones. Dimittitur ses-„sio propè horam 16.

Ex Actis Secretarii. In Compendio verò sic: Resolvit Congregatio objectum hoc, prout proponitur in Dubio, non esse naturale, aut indifferens ad actum naturalem vel supernaturalem sed esse omninò supernaturale, atque adeo ne-„que proponi ab intellectu nisi per lumen supernaturale fidei elevato, neque attingi posse à voluntate humana sine gratiæ divinæ speciali adjutorio. Cum autem Molina contenderit docendo persuadere, hominem saltem fidelem posse proprio acumine, vel alterius suggestione ante meritis oculos proponere maxima, eaque innumera beneficia tum naturæ, tum gratiæ, quæ Deus in nos contulit ; „ illius insuper summam bonitatem & justitiam justis sempiternam felicitatem, quam, ut inquit Apostolus, nec oculus vidit, nec auris audivit ; impiis verò ignem sempiternum, extremamque miseriam propositam : inde verò deduxerit ejusmodi hominem posse non solùm timore pœnæ, sed etiam propter Deum summè dilectum, usque adeò peccata detestari per solas vires naturæ, ut etiam valeat hac sola facultate naturali conari mortem pro Deo oppetere.

Cum etiam defensores illius constanter tanquam principium certum prædictæ sententiæ assumserint, objectum hoc sub iis formalibus rationibus, sub quibus continetur in Quæstione proposita, esse objectum indifferens ad actum naturalem, vel supernaturalem : ita ut si per supernaturale ; fidei lumen proponatur, sit supernaturale ; si verò per lumen naturale rationis, sit naturale, possitque hoc modo sola naturali facultate attingi : atque Conclusum fuit, prædictam Molinæ sententiam esse Pelagianam ; illius verò fundamentum à defensoribus productum adversari expressè doctrinæ SS. Thomæ, Prosperi, & Augustini, & tam apertè favere hæresi Pelagianæ, ut illo constituto, Pelagianismus nullo modo vitari possit.

CAPUT TRIGESIMUM-SEXTUM.

Quid Congregatione Quinquagesimâ-quintâ disputatum? Quid Quinquagesimâ-sextâ definitum?

DIe 30. Junii 1604. habita est coram Clemente VIII. Congregatio 55. ad quam & deinceps novi asciti sunt DD. Car-

Cardinales, Anna Descars de Givri, Ferdinandus Taberna, Anselmus de Monopoli. Disputationis Argumentum fuit altera superioris Dubii pars, à Bastida in diem alteram dilata: *An quando intellectus proponit voluntati Deum amandum, & colendum ut summè bonum & summè justum, præmiantem virtutem præmio vitæ æternæ & propterea summè amandum, qui pro nobis vitam & sanguinem profudit; & scelera punientem æternâ damnatione: An, inquam, hoc modo dicatur proponere hoc objectum, tanquam rem ad fidem pertinentem, atque adeò ut objectum fidei?*

Superioris disputationis principiis stetit Ferdinandus de Bastida. Quæstioni hac definitione satisfecit: *Quando intellectus per naturalem cognitionem fidei humanæ, vel aliam similem, proponit voluntati Deum amandum, ut summè bonum & justum, qui pro nobis sanguinem fudit; dicendum est, quòd hoc modo proponit rem ad fidem pertinentem, sed non proponit illam tanquam ad fidem pertinentem: atque adeò proponit rem, quæ est materiale objectum fidei; sed formaliter loquendo, non proponit illam, tanquam objectum fidei.*

Unum hac in definitione supponi ait: nimirùm posse intellectum proponere voluntati rem, quæ fide divina creditur, & non ut creditam fide divina: alterum affirmari, nempè quod quando intellectus ita rem aliquam proponit, rem quidem proponit quæ ad fidem pertinet, sed non ut pertinentem ad fidem.

Utrumque probandum sibi sumsit. Primum quidem, exemplo intellectus Beati, qui Deum trinum aliaque ad fidem attinentia proponit voluntati, non tamen ut credita fide divina: tum exemplo Lutheranorum & Calvinistarum, qui veritates illas omnes sibi proponunt, non tamen uti fide divinâ creditas, quæ in ipsis nulla est: tum demùm, quia cùm res fide divina creditæ per scientiam aut opinionem attingi possint; nihil vetat quominùs res ad fidem attinens, ab intellectu voluntati proponatur, *Non ut credita, sed ut scita vel opinata.*

Secundum hac ratione confirmavit: quia dum intellectus rem aliquam ad fidem pertinentem proponit, non ut creditam fide divina, non eam proponit quatenùs subest rationi formali divinæ fidei. Quæ omnia, inquit, paucis complexus est Doctor Angelicus 2. 2. q. 5. a. 3. ad 1. ubi docet hæreticum articulos fidei circa quos non errat, non simpliciter ex fidei habitu tenere, sed propria voluntate atque judicio.

Istud hæreticorum exemplum in rem suam vertit Thomas de Lemos, suæque actionis fundamentum posuit. Unam dumtaxat addidit observationem: videlicet, hujuscemodi hæreticos nonnullis fidei veritatibus ex propria voluntate proprioque judicio assentientes, ex falsa existimatione arbitrari, se illis ex fide divina, ac tanquam revelatis à Deo assentiri; tametsi so res aliter habeat. Ex quo intulit, ad propositæ difficultatis resolutionem, intellectum hæreticorum hujuscemodi falsâ existimatione laborantium, objecta illa voluntati proponere, tanquam ad fidem formaliter attinentia, ac velut illius objecta formalia. Ita tamen ut voluntas eorum in illa dumtaxat ferri possit, merâ quadam velleitate, non actu perfecto & absoluto.

Dicti hæc ratio fuit: Intellectus ita proponit objectum voluntati, sicut illud apprehendit, etiamsi in apprehensione fallatur: sed intellectus illius hæretici apprehendit licet falso, illud objectum tanquam formale fidei, & tanquam formaliter pertinens ad fidem: ergo illud proponit voluntati, tanquam objectum formale fidei. Majorem ut inconcussum principium à Philosophis ac Theologis supponi monuit, unde innumeras veritates deducunt. Sic juxta Philosophos, objectum voluntatis non solùm est verè bonum, sed etiam fictum & apparens: quia intellectus semel in rei apprehensione deceptus, ita eam voluntati proponit, ut eam apprehendit. Sic secundùm Theologos, voluntas discordans à ratione errante est mala: ut si ratio errans dictat hodierna die esse jejunandum ex præcepto Ecclesiæ, peccat voluntas si jejunare renuat: quia licet reipsa præceptum non exstet, illud tamen ratio errans apprehendit, & uti tale proponit voluntati: seu ut loquitur S. Thomas 1. 2. q. 19. a. 5. ad 1. *Licet judicium rationis errantis non derivetur à Deo, qui est lex æterna, tamen ratio errans judicium suum proponit ut verum, & per consequens ut à Deo derivatum, à quo est omnis veritas.* Ex quibus omnibus intulit Lemos: *Licet ratio errans in hæreticis non derivetur à Deo, nec à prima veritate, nec adhæreat objecto formali fidei, tamen illa ratio errans apprehendit illud, sicut à prima veritate revelatum, & tanquam objectum formale fidei: & ex consequenti illud voluntati proponit, tanquam objectum formale fidei. Unde si voluntas illius hæretici nollet adhærere illi veritati, peccaret sine dubio novo peccato hæresis, quia discordaret à ratione errante, & proponente illud objectum sub ratione formali fidei. Hinc sequitur etiam, quòd si voluntas illius hæretici haberet habitum spei, & haberet actum*

circa idem objectum, actus ille ferretur in objectum supernaturale, quia tanquam supernaturale esset propositum.

Concessit nihilominus gratiæ Defensor, Paganum cui fidei veritates ab amico proponerentur, illis uti materialiter tantùm ad fidem pertinentibus assensurum, si propter hominis proponentis autoritatem, uti propter rationem formalem assentiretur.

Juxta hæc, adversæ partis momenta paucis occupavit. Beatorum exemplum, ut à controversiæ statu alienum explosit: de viatoribus enim quæstio movebatur. Alterum ab hæreticis petitum, & S. Thomæ autoritate firmatum, in Molinam retorsit: quia ii fide purè humanâ, assensuque merè probabili, nonnullis veritatibus adhærent: juxta Molinam autem, homo præhabitâ notitiâ rerum fidei, potest viribus naturæ illis assentiri, tanquam revelatis, & quia à Deo revelata sunt, assensu omninò firmo, immò & quandoque firmiori, quàm in fidelibus reperire liceat. Non minùs ab instituto alienum notavit, quod de scientia & fide oppositum fuerat. Christus enim pro nobis in Cruce mortuus (de quo controversia vertebatur) ratione naturali nullo pacto attingi potest, uti cætera nonnulla, quæ non tam fidei argumenta sunt, quàm præambula. Ad ultimum juxta posita principia respondit; intellectum aliquod fidei objectum proponentem, fide divinâ à se minimè creditum, adhuc tamen illud voluntati proponere uti fide creditum, & ut ejus rationi formali subest, si illud uti tale tametsi falsò apprehendat.

Adversùs hanc ultimam Lemosii responsionem potenter declamavit Bastida, quasi universa Theologiæ fundamenta concutientem: illumque veluti violatæ fidei reum egit, tanquam qui habitum spei supernaturalis in hæretico admisisset. Primum obfirmato animo rursùs defendit Lemos, ut ex præclaudatâ S. Thomæ doctrinâ optimè derivatum. Alterum sibi affingi contestatus est; quia hypotheticè tantùm, veluti quorundam probabilem opinionem obiter innuerat, posse in hæretico remanere spem, non in ratione virtutis Theologicæ, sed in ratione materiali, ut nonnulli Scholastici loquuntur. Institit Bastida id ab illo simpliciter admissum affirmans: negavit ille, aut certè eo tantùm sensu dictum ait. Interpretationem illam, uti retractationem sugillavit Joannes de Salas Bastidæ socius: *Reverendus Pater*, inquit, *jam retractat sententiam suam, non enim secundùm fidem poterat dictum illud sustineri.* Cui subiratus Lemos: *Non me retracto, sed magis explico quod dixi. Etsi sententia mea mereretur retractationem, libenter eam retractarem: sed utinam vos, ô Patres, retractaretis sententias vestras.* Ad juris nihilominùs abundantiam subjunxit paulò post: *Etiamsi admittamus hæreticum carere habitu spei, & in ratione virtutis Theologicæ, & etiam in ratione materiali: tamen quia in hac ratione spei, præcipuè non posui fundamentum meæ rationis; sed in doctrina S. Thomæ de conscientia errante: ideò dico circa objectum supernaturale, quamvis propositum ut supernaturale, posse hominem elicere aliquem actum velleitatis, ut dixi.*

1. 2. q. 19. a. 5. ad 1.

Istud ultimum rursùs impetiit Ferdinandus de Bastida: ex quo consequens fore ait, ut in objectum supernaturale, quatenùs supernaturale est, naturalis actus ferri posset. Consecutionem negavit ille, hoc fultus argumento ex Patrum Societatis principiis, jam ante annos tres inter disputandum admissis deducto: *Sicut voluntas damnati, quæ fertur in rem impossibilem, per velleitatem quandam (dum scilicet beatitudinem appetit) non attingit illam, ut est impossibilis; quia impossibile ut impossibile, cùm non habeat rationem boni, vel convenientis, non potest appeti à voluntate. Sed fertur in illam ut habet rationem communis boni: ita quando proponitur res aliqua tanquam supernaturalis, potest voluntas in illam tendere, per quandam velleitatem, non ut est supernaturalis, sed ut habet rationem communis boni.*

Instavit ultimò Joannes de Salas, contenditque naturalem illum velleitatis actum, in eam saltem communem rationem boni, uti in objectum naturale terminatum iri. Cui Lemos: *Non attingit communem illam rationem boni, nisi ut abstractum à naturali & supernaturali; quod bonum sub hac communi ratione est objectum voluntatis.* Quo dicto desiit Congregatio horâ decimâquartâ.

Judicium de Difficultate superiùs agitata.

Congregatio Quinquagesima-sexta ce-“
lebrata est in sacro Palatio in Monte-Qui-“
rinali, die Veneris 2. mensis Julii anno“
Domini 1604. horâ 11. Resolvit Congre-“
gatio objectum propositum in Dubio à S.“
D. N. esse rem ad fidem pertinentem, &“
absolutè supernaturalem, ac propterea“
objectum fidei: atque adeò non posse pro-“
poni voluntati ab intellectu, sub aliqua“
ratione naturali; multò minùs, volunta-“
tem illud amplecti sine lumine superna-“
turali & auxilio gratiæ divinæ. Huic“
communi Consultorum omnium judicio“
non“

Ex Actis Secret. At in Compendio post hac verba: Auxilio gratiæ divinæ, *sic additur:* Et ex consequenti evinci doctrinam Molinæ de actibus credendi.

sperandi, diligendi, pœnitendi, & mortem oppetendi pro Deo, ad quæ omnia asseruit sufficientes esse vires naturæ, à nota Pelagianismi nullo modo vindicari posse per distinctiones à PP. Societatis in illius defensionem productas, quibus contendebant objectum illud, prout proponitur à Sanctissimo Domino Nostro, & quodvis aliud, esse indifferens ad actum naturalem & supernaturalem.

„non assentiebatur D. Episcopus Aquilanus; censuit enim, quando proponitur „hoc objectum sub ratione naturali, non „pertinere ad fidem, neque ad objectum „fidei formaliter, sed tantùm materialiter; „benè tamen quando proponitur sub ratione supernaturali sub qua. P. Rada dixit „prædictum objectum semper in se esse „supernaturale, posse tamen proponi sub „ratione naturali, & tunc quoadmodum „proponendi, esse objectum naturale, in se „tamen supernaturale. P. Regens dixit esse „objectum supernaturale, posse tamen esse „naturale, si proponatur per lumen rationis naturalis. Absolvitur Actio horâ decimâ-quintâ.

CAPUT TRIGESIMUM-SEPTIMUM.

Quid Congregatione Quinquagesimâ-septimâ disputatum? Quid Quinquagesimâ-octavâ definitum?

DIe 26. Julii 1604. coram Clemente VIII. habita est Congregatio 57. Ad illam aliasque sequentes, loco Generalis Prædicatorum infirmitate detenti ac postmodùm recuperatâ valetudine in Hispaniam profecti, accessit Didacus Alvares, Lemosio comes adjunctus. Disputationis argumentum fuit: *Præsupposito quòd in via Molinæ liberum arbitrium & gratia sint duæ causæ partiales, & quòd liberum arbitrium separatim consideratum nihil habeat à gratia nisi possibilitatem naturalem, quam Deus in sua creatione ei dedit, à se autem habeat ut possit assentiri omnibus mysteriis fidei revelatis, tanquam à Deo revelatis, & quia à Deo revelata sunt; & sic quòd possit credere & sperare, & Deum amare super omnia, atteri & conteri de peccatis commissis, cum proposito ampliùs non peccandi; possitque nedum minores, sed etiam graves tentationes superare, vel saltem cohibere consensum, ne gravibus tentationibus consentiat; & in summâ omnia bona exercere, non solùm bona ratione objecti & officii, sed etiam quæ sint bona ex omnibus bonis circumstantiis; & hæc omnia facere intuitu & consideratione bonitatis & justitiæ Dei præmiantis & punientis; & sic ex timore & amore Dei: à gratiâ autem habeat motivum, videlicet quòd hæc fiant ex motivo pietatis Christianæ: quænam ex istis causis partialibus in justificatione nostrâ præponderet; suppositâ præsertim lege, quòd facienti quod in se est Deus det gratiam, ac suppositâ opinione Molinæ, quòd liberum arbitrium determinet ipsam gratiam, eamque cùm vult possit respuere & vanam reddere?*

Præmisit Ferdinandus de Bastida singulas propositi Dubii partes, quibus Molinæ sententia minutatim exponitur, eo se dumtaxat sensu, modo, temperamento sumere, quo in superioribus Congregationibus à Societatis Actoribus acceptæ sunt. Observavit pariter ea quæstionis propositæ verba, *Liberum arbitrium separatim consideratum nihil habet à gratia nisi possibilitatem naturalem, quam Deus in sua creatione ei dedit*, perturbata esse; legique oportere ut in 35. Congregatione, ubi ea de re specialiter sermo fuit, proposita sunt. Nimirum, *Liberum arbitrium separatum à gratia, nihil habet à Deo nisi possibilitatem naturalem*: aliàs sequeretur liberum arbitrium, juxta Molinam, à gratia habere possibilitatem naturalem in creatione acceptam, quod implicat.

Iis præmissis cautionibus, conclusit Bastida, ex iis Molinæ assertis consequens non esse, ut liberum arbitrium præcipuas in Justificatione partes obtineat.

Conclusionem probavit, distinctâ earum omnium assertionum enumeratione. In primis, inquit, hæc illatio falsa est: In libero arbitrio est potentia remota & incompleta ad actus supernaturales: Igitur liberum arbitrium in justificatione præeminet. Causa enim proxima & complens præeminet causæ remotæ & incompletæ.

Rursùs ista nutat: Liberum arbitrium habet ex se sine gratia potestatem ad actus morales: Igitur potior est Justificationis causa. Etenim duo hæc longè diversa sunt.

Similiter ista omninò ruit: Gratia non denegatur homini facienti quod in se est ex viribus liberi arbitrii: Ergo liberum arbitrium est causa principalis in Justificatione. Quia ex vi legis hujus, liberum arbitrium concurrit tantùm ut causa moralis & per accidens ad Justificationem: eique propterea præponderat gratia, uti causa per se.

Nec magis ista sibi constat: Liberum arbitrium determinat gratiam: itaque primas obtinet in Justificatione: quia nec antecedens in Molina legitur, nec consequens Divo Thomæ probatur, qui quæst. 4. de potentia, influxum causæ primæ à secunda determinari docet, nec tamen secundam primæ superiorem existimat.

Nec demùm hæc ultima consecutio probatur: Liberum arbitrium potest respuere gratiam, illamque vanam reddere: Igitur libe-

liberum arbitrium est causa principalior. Quia istud antecedens nihil significat aliud, quam liberum arbitrium gratiam pro libito respuere aut acceptare, juxta Concilii Tridentini definitionem, ex quo nulla ei super gratiam adscribitur prærogativa.

Mox varia S. Thomæ testimonia in superioribus Congregationibus pro Molinæ defensione seorsim adducta, in unum indicem collegit, ut Angelicæ ac Molinianæ doctrinæ consonantiam ostenderet: ac tandem Summo Pontifici perpendendum reliquit; num potiùs ex adversâ Prædicatorum doctrinâ inferri debeat, libertatem humanam penitùs excisam esse, quàm ex Molinianis assertionibus colligi possit, liberum arbitrium primas in justificatione partes obtinere.

Stetit ex adverso Thomas de Lemos: nec modò liberum arbitrium, primas in Justificatione partes habiturum ostendit, si omnes illæ Molinianæ assertiones in Dubio designatæ admittantur; sed si vel ea sola supponatur, quæ ultimo loco notata est: nimirùm liberum arbitrium determinare gratiam, ut secum cooperetur. Multa in hujus suæ assertionis confirmationem ex Augustino & Angelico Doctore protulit: suasque assertiones à Suaresii & Vasquesii cavillationibus defendit.

Postmodùm Bastidæ vindicias agressus est; in quibus non condonandum Dialectico vitium observavit, petitam scilicet à divisis argumentationem, ad sensum compositum inferendum. Esto enim, nulla seorsim spectata liberi arbitrii Moliniana prærogativa, ejus supra gratiam excellentiæ probandæ sufficeret; adhuc tamen sufficere possent omnes simul acceptæ. Singulis interim capitibus ex abundanti satisfecit, & adversùs obliquos Societatis circuitus, uniuscujusque illationis robur asseruit. Quapropter illationem primam à Bastida minùs solidè impetitam demonstravit: tum quia ad potentiam remotam frustra confugerat, cum de libero arbitrio uti justificationis causâ partiali quæstio fuerit; quo casu non remota, sed proxima causa est: tum quia licet ex nuda causæ remotæ conditione illatio inferri nequeat, valet tamen si spectetur quatenùs determinat gratiam, eamque pro nutu suo cassam reddit aut efficacem.

Alteram præposterè impugnatam probavit: quia non qualescunque actus morales, liberi arbitrii viribus tribuit Molina, sed excellentissimos ac difficillimos, & quidem in ordine ad finem supernaturalem & justificationis gratiam obtinendam.

Tertiam uti legitimam defendit: quia juxta Molinam liberum arbitrium, non per accidens tantùm se disponit ad gratiam, sed per se, saltem in ordine moris, suppositâ lege commentitiâ.

Quartam præ cæteris prolixè confirmavit. Antecedens ex Molinæ principiis legitimè deduxit: sensum D. Thomæ in quæst. 4. de potentia, cæteris collatis, aperuit: *S. Thomas*, inquit, *tantùm intendit quod Deus in causis secundis suum influxum illis proportionatum determinat, non autem quod ab ipsis causis secundis Influxus primæ causæ determinetur. Sunt enim ista valde diversa, influxum primæ causæ determinari in causis secundis, quod verum est; & Concursum primæ causæ determinari à causis secundis, quod est falsum, & omninò S. Thomæ contrarium: qui sæpè docet Deum suo concursu esse omnium primum determinans, nec ab alio determinari, etiam in genere causâ materialis; sed quòd omninò determinat.*

In quinta consequentia defendenda immorari noluit: quòd jam bis & tertiò Concilii Tridentini sensum in superioribus Congressibus exposuisset. Multò minùs vanas illas de excisâ libertate criminationes diluendas existimavit; quas olim Divo Augustino toties à Pelagianis objectas, toties à divinæ gratiæ defensoribus dissipatas, Sanctissimus Pontifex satis noverat.

Obduruerunt nihilominùs Ferdinandus de Bastidà & Joannes de Salas, suaque instaurarunt argumenta. Quibus cùm secundò ac tertiò Lemosius reponeret, nonnullaque ex occasione proferret, quibus gratia ab intrinseco efficax statui ac confirmari videbatur, solutionem in aliud tempus distulere Molinæ Vindices, dum de gratia physicè prædeterminante sermo fieret: seque hac occasione probaturos promiserunt, illam uti Calvinianum errorem ab omnibus Europæ Academiis proscriptam esse. Congregationem dimisit Pontifex hora 16.

Judicium de Controversia superiori.

Ex Actis Secretarii.

Congregatio 58. celebrata est die Martis 27. Julii horâ duodecima anno 1604. Agebatur de ultimo Dubio Articuli decimi *: videlicet, *An præponderet in via Molinæ liberum arbitrium, vel potius gratia?* Et resolvit Congregatio, in via Molinæ præponderare liberum arbitrium: cùm tamen secundùm S. Augustinum, & veritatem catholicam præponderet gratia. Dissenserunt D. Episcopus Aquilanus, & P. Regens Collegii Carmelitarum, qui dixerunt, neque à Molina asseri liberum arbi-

* *Forte noni.*

In Compendio verò sic: Resolvit Congregatio, secundùm doctrinam S. Augustini & veritatem Catholicam omninò tenendum

esse, in mysterio nostræ justificationis gratiâ Christi præponderare hominis libero arbitrio; Molinam verò ab hac catholica doctrina prorsùs defecisse. Quamvis enim hoc verbo (præponderare) usus non fuerit, ex universa tamen illius doctrinâ de concordia liberi arbitrii cum gratiæ donis, apertè deducitur sententiam ipsius fuisse, quòd liberum arbitrium in mysterio nostræ justificationis præponderet gratiæ divinæ.

„arbitrium præponderare, neque etiam „deduci ex illius doctrinâ, etiam præ„suppositis iis quæ in Dubio continentur. „Absolvitur propè horam 15.

CAPUT TRIGESIMUM-OCTAVUM.

Quid Congregatione Quinquagesimâ-nonâ disputatum? Quid Sexagesima definitum?

DIe 27. Octobris 1604. coram Clemente VIII. habita est Congregatio 59. Cœpit hìc specialis de Scientia-media disputatio, juxta Undecimum Pontificis Scriptum. *An sit sententia S. Augustini, quod ante absolutum Decretum divinæ voluntatis, detur in Deo cognitio certa & infallibilis contingibilium dependentium à causa libera, qualem Molina per Scientiam-mediam Deo tribuit?*

Patres Societatis statim ab initio monuit Sanctissimus Pontifex, ut propositæ difficultati satisfacerent, non fovendæ contentionis studio, sed indagandæ veritatis desiderio. Quo audito Ferdinandus de Bastida in prolixam orationem ingressus est. Præmisit singulas quasque hæreses, novas in Ecclesiam quæstiones intulisse, eâque sorte factum ait, ut antiqua Scientiæ-mediæ veritas, occasione hæresis Calvinianæ, in quæstionem nuperrimè vocaretur pro concilianda infallibilitate divinæ gratiæ, cum humani arbitrii libertate. Tum controversiam moveri monuit, *De omnibus universaliter futuris contingentibus conditionatis, dependentibus à causa libera; sive bonis, sive malis, sive indifferentibus; sive naturalibus, sive supernaturalibus; tam de his quæ nunquam erunt, quia nunquam ponetur conditio, quâ positâ fuissent futura, quàm de his quæ in aliqua differentia temporis sunt de facto futura, consideratis tamen priùs ratione, quàm Deus aliquid de eorum absoluta futuritione statuat.* De his verò tria in proposito dubio quæri supposuit: Primum, An cognoscantur à Deo? Secundum, An cognoscantur certa & infallibili cognitione? Tertium, An hæc certa & infallibilis cognitio in Deo sit ante absolutum decretum divinæ voluntatis? E quibus primum dumtaxat in hacce disputatione pertractandum aggressus est; de reliquis ordine suo in aliis Congressibus disputaturus.

Hanc igitur assertionem statuit: *Datur in Deo cognitio futurorum conditionalium à causa libera dependentium: quidquid sit, an hæc cognitio infallibilis sit, & ante decretum, de quo postea dicetur*: illamque juxta fidei principia adeò certam supposuit, ut non nisi ægrè adduceretur, ut crederet Prædicatores eâ in re coram Sanctissimo dissensuros.

In apertâ veritate demonstrandâ diutiùs excurrere probationesque congerere facile fuit. Et certè probationes admodùm viginti in hunc finem congessit ex solis Scripturis; ubi futura hujusce modi libera prænuntiat Deus, non utique prænuntiaturus, nisi sciret. Addidit Augustini, Doctoris Angelici, veterumque Thomistarum testimonia non pauca. Piorum etiam virorum totiusque Ecclesiæ precationes subjunxit, quibus Deum exorant, ut ea miseratus avertat, quæ ad salutem animæ nocitura prænoscit. Quibus omnibus prolixiùs enarratis, in Prædicatores converso sermone bilim effudit: *Negent igitur*, inquit, *Paternitates vestræ, si placet, ut Molinam accusent, non Theologorum communes opiniones, aut veterum Thomistarum recepta placita, ut hucusque fecerunt, sed ipsamet fidei Christianæ prima principia & elementa; impugnent Dominicam Orationem; faciant Deum adeò audacem, ut quæ nescit affirmet, adeò imprudentem; ut finem efficaciter intendat, quem se consequi posse non præscit; faciant & mendacem, cùm expressè dicat se scire, quæ ignorat; spolient infinitum illud divini intellectus lumen summâ rerum præscientiâ; arguant ingentis vel ignorantiæ vel temeritatis S. Thomam, cæterosque Scholasticos Proceres, cùm sibi tribuerint eorum futurorum cognitionem, quam Deus ipse non habet; damnent piorum vota & Orationes, etsi ex Ecclesiastica Regula factas: &, si plus his omnibus refert unum impugnare Molinam, negent Deo viri Religiosi, pii, & docti eorum futurorum cognitionem, quam omnes homines quantumvis rustici vel impii illi tribuunt, quorum cum de his conditionalibus interrogantur, una vox est, quasi ipsa respondente naturâ, Ego nescio, Deus scit. Nos enim non tanti emerimus in eas nos angustias redigere, ad quas physica prædeterminatio cogit: sed potiùs, ne à S. Augustino vel insanissimi vel perversissimi judicemur, semper cum illo proclamabimus, Nihil esse verius; quàm Deum hæc futura cognoscere.*

Vanas illas Bastidæ declamationes, quibus in aera certaverat; derisit Thomas de Lemos. Dissimulatum ab eo controversiæ statum, alioque imprudenter detorsum, ad legitimos cardines reduxit, præmisso hujusce-

Hujuscemodi disputationis suæ prælúdio: *Beatissime Pater, ad cujus pedes quæcunque dixero humiliter suppono, attente considerans omnia quæ Reverendus Pater protulit, hoc unum deprehendi, Reverendum Patrem dissimulasse difficultatem, & puncto a Sanctitate Vestra proposito minimè respondisse. Unde ne similis illi exsistam, difficultatis punctum proponam: basis enim totius doctrinæ Molinæ, sine qua etiam, ut ipse expressè fatetur, omnis ejus sententia penitus evanescit, est hac Media-scientia, quæ Deo tribuit certam cognitionem contingibilium dependentium à causa libera, ante omne decretum absolutum divinæ voluntatis. Unde ad evertendum hoc totius suæ doctrinæ totale fundamentum, primò proponam rationem atque quidditatem hujus Mediæ-scientiæ; deinde fuisse illam semper per S. Augustinum impugnatam & expugnatam, ostendam: tertiò objectis omnibus, quæ in defensionem illius non sunt proposita, sed debuerant opponi, Deo adjuvante satisfaciam.*

Circa primum, hæc Media-scientia, quæ sic primitùs fuit à Molina nominata, ad hoc introducitur, ut per illam certò cognoscat Deus ante omnem actum divinæ voluntatis, quid creatum arbitrium ex sua innatâ libertate acturum sit, si tamen illud Deus constituat in tali ordine rerum & circumstantiarum, & si cum ipso libero arbitrio jam operante ipse Deus concomitanter concurrere voluerit. Itaque antequam Deus absolutè velit, aut absolutè permittat quid liberum arbitrium creatum acturum sit, certò cognoscit Deus, per hanc scientiam-mediam hoc futurum conditionatum. Si ego constituam creatum arbitrium in tali ordine rerum & circumstantiarum, & cum illo jam operante concomitanter concurrere voluero, ipsum creatum arbitrium ex sua innatâ libertate, se certò determinabit ad hoc volendum in particulari. Unde futurum conditionatum, cum hac duplici conditione modò expressâ, est objectum formale & adæquatum hujus Mediæ-scientiæ. Et ratione utriusque conditionis, includit hæc Scientia-media in suo objecto, voluntatem Dei concurrendi cum arbitrio, non prævìam efficacem, sed comitem: immò hanc prævìam voluntatem efficacem expressè negat. Et quia objectum hujus scientiæ est conditionatum, ideò vocatur ab aliis hæc scientia, Scientia conditionata, seu Scientia conditionatorum, vel Scientia futurorum sub conditione.

Rursùs, quia omne conditionatum impletâ conditione transit in absolutum, & defensores hujus Scientiæ-mediæ expressè constituunt omnem hanc conditionem, perfectè adimpletam in omni creato arbitrio quod jam sub Cœlo constitutum est in tali ordine rerum & circumstantiarum, ideò consequenter loquendo Defensores hujus scientiæ de objecto conditionato, ex ipsa inferunt aliam præscientiam absolutam de futuro absoluto, qua Deus absolutè videat, quod liberum arbitrium constitutum in suo ordine, ex sua innata libertate operari quidquid operatur. Immò ad hanc præscientiam de futuro absoluto, sicut ad finem, ordinatur hæc alia de objecto conditionato à suis Defensoribus, ut ex propriis ipsorum verbis apertè monstrabo. Hæc ergo est propria ratio & natura hujus Scientiæ-mediæ & sui objecti conditionati.

Apertâ jam hac naturâ Scientiæ-mediæ, ex qua deducitur scientia absoluta contingentium, facilè ostenditur secundum quod proposui, & quod à Sanctitate Vestra propositum fuit in puncto. Dicendum est enim, nihil expressiùs in doctrina S. Augustini inveniri, quàm ipsum impugnasse semper & expugnasse hanc Scientiam-mediam, qua Deus dicitur certò & infallibiliter cognoscere contingibilia dependentia à causa libera, ante absolutum decretum divinæ voluntatis, sive volentis bona fieri, sive permittentis mala. Et omittens modò permissionem malorum, ostendo quod proposui hac unica demonstratione.

Demonstratio porrò ad istum syllogismum revocabatur. Nihil apertiùs impugnat Augustinus contra Pelagianos, quàm certam in Deo præscientiam, qua Deus cognoscat quid liberum arbitrium ex innatâ libertate facturum sit boni, Deo non donante & faciente ut faciat. At nihil aliud Scientiæ-mediæ nomine intelligit Molina, quàm scientiam quâ Deus certò cognoscat, quid liberum arbitrium, si in tali rerum ordine constituatur, benè operaturum sit ex sua innata libertate, Deo non donante & faciente ut operetur. Igitur nihil magis damnat Augustinus, quàm scientiam-mediam.

Majori propositione permultis S. Augustini testimoniis confirmatâ, Minorem ostendit in Molinæ CONCORDIA: tum in quæst. 14. & 15. disp. 50. §. *Sciscitabitur*, in Congregatione 27. jam producto: tum in disp. 48. §. *Juxta ea*: ubi hoc idem, propter impletam jam conditionem futuris absolutis accommodat: *Accedente verò*, inquit, *determinatione liberâ voluntatis Dei, non qua liberum arbitrium creatum determinet ad alteram partem contradictionis (ut Scotus & alii volunt) sed qua, relinquendo illud liberum & omninò indifferens, ut ad quod voluerit porrigat manum, statuat creare hunc vel illum ordinem rerum & causarum ac circumstantiarum, in quo sint hæ vel illæ causæ liberæ, certò cognoscit complexiones omnes contingentes secundum esse futurum absolutè & simpliciter, ac sine ulla hypothesi*

pothesi & conditione. Itaque eo differimus à Scoto, quia arbitramur rationem ob quam Deus certò cognoscit, quænam pars contradictionis cujusque earum complexionum contingentium, quæ pendet à libero arbitrio creato sit futura; non esse determinationem voluntatis divinæ, quæ liberum arbitrium creatum inflectat & determinet ad unam aut alteram partem; sed esse determinationem liberam, quæ liberum arbitrium in hoc vel illo ordine rerum & circumstantiarum statuit creare. Neque hanc solam determinationem arbitramur esse rationem sufficientem, quòd Deus cognoscat, quæ pars contradictionis cujusque harum complexionum sit futura; sed hanc unà cum comprehensione, in sua essentia cujuscunque liberi arbitrii creati per scientiam naturalem: qua comprehensione, ante illam determinationem voluntatis, certò scit quid tale liberum arbitrium sit facturum pro sua libertate, ex hypothesi & conditione, quod illud creet & constituat in eo ordine rerum.

Ad hæc partis adversæ suffugia duo præclusit gratiæ Defensor: non illa quidem à Bastida quæsita, qui nihil ad præsentis disputationis institutum dixerat; sed à Patre Cobos in Scripto ante annos aliquot elucubrato meditata. Augustinum non modò de solis futuris absolutis, ut aiebat ipse, non egisse, nec solum Scientiæ-mediæ abusum in Semipelagianis damnasse, ostendit; verùm etiam, Molinam eò audaciæ devenisse demonstravit; ut suas de futuris contingentibus aberrationes ad absoluta protenderit, nihilque minùs Semipelagianis Scientiâ-mediâ abusus fuerit.

Sed & tertiam evasionem Jesuitis frequentiorem fusiùs occupavit; qua Molinam à Semipelagianis distare aiunt, quòd ille homines præsciri credituros existimet per interioris gratiæ virtutem; isti eosdem præsciri credituros putent absque interioris gratiæ dono, si eis tantùm Evangelium prædicetur exteriùs. Quocirca demonstravit inprimis, Semipelagianos etiam ex ipso adjutorio gratiæ credituros homines supposuisse; dicente Prospero in sua ad Augustinum Epistolâ: *Penè omnium par invenitur & una sententia, qua propositum & prædestinationem Dei, secundùm præscientiam receperunt; quia finem uniuscujusque prævideerit; & sub ipso gratiæ adjutorio, in qua futurus esset voluntate & actione præscierit.* Secundò ostendit, eosdem illos gratiam Moliniano sensu interiorem perinde agnovisse; in excitatione scilicet, invitatione, & illuminatione sitam: nec ob id tamen SS. Augustini, Prosperi, Hilarii, Fulgentii censuram evasisse: quòd hujusmodi gratiæ interioris genus à lege atque doctrina non recederet, nec obesset quominùs homines ex se ipsis, Deoque non operante, credere ac consentire dicerentur.

Interclusis effugiis, quibus petita ex Augustino demonstratio declinari posset; alias ex scholasticâ Theologiâ deduxit; intestinum Societatis bellum in exponendâ Scientiâ-mediâ palàm fecit; Molinæ, Vasquesii ac Suaresii antilogias exposuit; ac demùm ad Bastidæ objecta progressus est.

Non hìc opus aut labor fuit. Duplicem futurorum conditionatorum ordinem supposuit. Horum alia infallibilem ac necessariam connexionem habent cum conditionibus ibidem expressis: ut, Si Thomas disputat, loquitur: Si Petrus currit, movetur: Si homo habet auxilium efficax ad conversionem, convertetur: suntque necessaria necessitate consequentiæ, non consequentis; quia consequentia seu illatio, in qua essentialiter consistit veritas conditionalium, necessaria est; licet consequens sit absolutè contingens & liberum. Alia sunt futura contingentia & libera, quæ proinde ex propria natura, & ex vi consequentiæ infallibilem cum suis conditionibus habitudinem non habent: ut, Si percussisses terram septies, devastasses Syriam: Si infans diutiùs viveret, malitia mutaret intellectum ejus. Futura primi ordinis à Deo cognosci definivit Vir eruditus per scientiam simplicis intelligentiæ; qua rerum naturas novit, suæque gratiæ efficaciam. De cæteris sic pronuntiavit: *Ista conditionata secundi ordinis, sicut ante decretum divinæ voluntatis considerata; propriâ naturâ infallibilem veritatem non continent in ratione futuri; ita à Deo ante decretum divinæ voluntatis non cognoscuntur ut certò futura, nisi dicamus, quod absit, falsum divinum intellectum intelligere rem aliter quàm ipsa sit. Post decretum autem divinæ voluntatis, volentis & ordinantis quòd positis illis conditionibus illud ponatur; (sicut ordinaverat, quòd si ille Rex toties terram baculo percuteret, Syriam devastasset) per scientiam visionis, quæ libera est in Deo & decretum liberum divinæ voluntatis supponit, certò à Deo cognoscuntur in ratione futuri.*

Secundùm hæc Bastidæ objectis uno verbo respondit: *Reverendus Pater constituit conclusionem affirmativam, Deum videlicet cognoscere hæc futura conditionata; & nobis tribuit, quòd hanc conclusionem negemus; quod tamen est falsum. Fatemur enim Deum hæc cognoscere secundùm quod ipsorum propria natura postulat, ut jam explicavi. Probavit ex mul-*

multis locis Scripturæ suam conclusionem, quam eadem facilitate poterat confirmare quinquaginta aliis. Ad quæ respondere non est necessarium, quia non militant contra id quod modo proposui: immò probant Deum illa futura cognoscere, non ante, sed post decretum suæ voluntatis.

In aciem rediit Molinæ Vindex. Ut Augustinianæ demonstrationis robur, cui potissimùm Lemosius institerat, declinaret, tertium effugium, ab eo licet interclusum, arripuit. Clienti suo totique Societati ab adversario affictum ait, quasi vellent homines ex innata libertate, non ex gratiæ dono, sub certis circumstantiis consensuros præsciri lumine Scientiæ-mediæ. Momentis tamen, quibus effugium illud Lemosius intercluserat, nihil respondit. Duo dumtaxat Molinæ loca, in minoris probationem adducta, leviter attigit, inquiens: *Molina ibi non dicit, Deum per Scientiam-mediam cognoscere rem quæ sine ipso Deo facienda est ab arbitrio; sed cognoscere rem quæ ab arbitrio facienda est, sine aliquo decreto prædeterminante.* Quanam autem gratiâ operetur Deus ut homo faciat, quove pacto id se operaturum præsciat, exposuit subjungens: *Itaque cognoscit Deus per Scientiam-mediam hoc objectum: Si ego voluero, ut voluntas faciat hunc actum, potero facere ut faciat, decernendo ponere illam sub istis circumstantiis, in quibus si ego illam ponere decrevero, ipsa faciet. Non verò cognoscit hoc: Si ego voluero ut voluntas faciat, potero illud consequi decernendo illam ponere in istis circumstantiis, & decernendo illam prædeterminare ad hanc partem.*

Indè aliquantulùm progressus Ferdinandus de Bastida, cæteras ex scholastica Theologia petitas demonstrationes oppugnavit: cui cùm plenè Lemosius reposuisset, objectam sibi dissimulatæ atque aliò detorsæ quæstionis accusationem diluit. Quare ne frustrà tot argumentis probasse videretur divinam futurorum contingentium notitiam, quam adeò constanter Lemosius admiserat; contendit Scientiæ-mediæ impugnatores hanc ipsam communiter negare solitos fuisse: factique testem unicum adhibuit Cabreram, qui 3. p. q. 1. a. 3. disp. 1. §. 22. n. 367. de divina futurorum conditionalium notitiâ disserens, hanc à nonnullis Theologis negari ait, à cæteris affirmari; ipseque tandem negantibus assentitur.

Autorem se nescire respondit Lemos: nec mirum, siquidem ab altero dumtaxat anno in Hispania vulgabatur. Felicem illum, si ex tempore nosse licuisset! ut detectâ sinistræ interpretationis fraude, Bastidæ confidentiam retunderet. Id enim unum ex Cabrera corrodi potest, quod ibidem num. 382. legitur: *Futura conditionata, quæ aliquo modo, non tamen infallibiliter connectuntur cum conditione posita, ex vi illius conditionis & connexionis cognoscuntur à Deo probabiliter tantùm, secundùm efficaciam & inclinationem conditionis positæ.* At cujusvis sinistræ interpretationis ansam amovent verba sequentia: *Id intelligitur de cognitione, non ex parte Dei cognoscentis, qui omnia certò & infallibiliter cognoscit; sed ex parte objecti cogniti. Quia talia futura,* (materialiter scilicet spectata, & prout in nudâ causarum contingentium dispositione continentur,) *dumtaxat sunt capacia probabilis cognitionis..... Unde dixi,* ex vi talium dispositionum; *nam eadem futura conditionata posset certò cognoscere, ex vi aliarum conditionum, ad quas infallibiliter sequerentur; scilicet ex vi auxilii efficacis & prædeterminationis, &c.*

Ut ut est, ne levior videretur objectio, ex unico obscuri nominis Autore desumta; idem ipsum ex Lemosii dictis colligere aggressus est Molinæ Vindex. Quod ut ageret, cœpit Lemosio affingere, quòd tria hæc, Si Thomas disputat, loquitur; Si currit, movetur; Si Petrus habet auxilium efficax, convertitur; inter conditionalia libera numerasset. Mirum quo sensu Jesuita repulsus est! *Ego,* respondit Lemos, *non dixi hæc esse futura conditionalia libera: sed distinxi omnia conditionalia, tam necessaria quàm libera. Ista sunt impositiones: oportet intelligere.* Gradum retulit fervidus Actor, & inconsultæ accusationis veniam petiit. *Sit ita,* subjunxit, *Reverende Pater, remitto me ad dicta. Fortè ego deceptus sum; animum imponendi non habui, nec habeo.* Verùm, ut erat jacta alea, novam contra responsum accusationem instauravit: id scilicet crimini vertens, quòd futurum illud: Si Petrus habeat auxilium efficax, convertetur; inter futura necessaria reposuit, non minùs quàm istud; Si Thomas disputet, loquetur. Cui non semel responsum fuit; eam esse necessitatem consequentiæ, non consequentis; antecedens simul & consequens perinde liberum esse, illationem tamen necessariam.

Hac igitur actione submotus Bastida, satis sibi constare ait, Lemosium certam in Deo futurorum necessariorum notitiam admittere: necdum tamen scrupulum suum omnem amotum iri, donec quid de futuris contingentibus liberis crederet, aperiret. Respondit ille ut primùm: *Dico hæc*

hæc cognosci à Deo in decreto suæ voluntatis; ante decretum, minimè. Instavit ut à decreto ac modo cognitionis abstraheret: negavit ille. Eo vero importuniùs urgente, & decreti præcisionem fieri postulante; sic tandem Lemosius pronuntiavit: *Dico & millies repeto, Ante decretum*, attentâ scilicet nudâ futurorum contingentium ratione, quatenùs stant in nuda causarum defectibilium dispositione, *cognosci; non tamen certò & infallibiliter: post decretum autem, certò & infallibiliter cognosci.* His auditis, subintulit Bastida: *Igitur meum erit, in sequenti Congregatione ostendere horum conditionalium nunquam esse in Deo conjecturalem cognitionem, sed certam & infallibilem.*

Lemosio stomacho fuit denuò quæsita dilatio ad inutilem quæstionem enodandam. Cùm enim abstractio à divino decreto, juxta quam quæsito responderat, purè metaphysica sit; nullumque re ipsa detur instans, quo Deus nihil de futuris contingentibus determinasse supponitur, aut quo causarum defectibilium nudam dispositionem attendit, nullo suæ voluntatis spectato decreto: ita nullum datur instans, quo fallibilis ac conjecturalis cognitio reperiatur in Deo: sed omnis quæcunque datur, infallibilis ac certa supponitur. Quare in Pontificem conversus, erumpente indignationis impetu, ait: *Semper hic Pater quærit dilationes & alias Congregationes.* Pontifex etiam omnia promiscuè confundi, inutilia congeri, ac suâ illos abuti patientiâ conquestus est. Atque interim Disputationi finem fecit.

Judicium de Argumento superiùs controverso.

Ex Actis Secret. Quæ disputata aut judicata sunt in Congregationibus 60. 61. 62. 63. & 64. quæque latiùs referuntur in Actis, & ex his in hac Historia, hæc paucis sic complectitur Coronellius in sua brevi Narratione seu Compendio. Resolvit Congregatio, non dari in Deo ante absolutum decretum divinæ voluntatis certam & infallibilem cognitionem futurorum contingentium dependentium à causâ liberâ, & doctrinam de Scientiâ-mediâ, per quam Molina Deo tribuit ejusmodi cognitionem, non esse secundùm sententiam S. Augustini traditam, sed à Semipelagianis fuisse jam olim invectam, ut gratiæ divinæ subtraherent quod naturæ tribuerent; atque adeò omninò adversari iis, quæ ille adversùs Pelagianos & eorum reliquias constanter docuit. Cum autem ex hac Molinæ doctrinâ multa sequantur incommoda & absurda non solùm contra veterem Philosophiam & Theologiam, sed etiam contra fidei principia: censuerunt omnes, è re Catholicâ fore, ut retentâ antiquâ Theologorum omnium sententia, de unica simplicissimaque Dei scientiâ, & ad faciliùs intelligenda ea, quæ ad eum pertinent, illius distributione in scientiam simplicis intelligentiæ, & scientiam visionis, omninò exterminetur ejusmodi Scientiæ-mediæ professio. *Huic & sequentibus Sessionibus non interfuit D. Episc. Aquilanus Neapolim profectus.*

„ Congregatio 60. celebrata est die Veneris 29. mensis Octobris, hora 16. anno „D. 1604. Resolvit Congregatio non dari „in Deo ante decretum divinæ voluntatis „certam & infallibilem cognitionem futu„rorum contingibilium pendentium à cau„sa libera, qualem Molina Deo tribuit „per Scientiam-mediam; Hancque de „Scientia-media doctrinam traditam fuisse „à Molina, non secundùm doctrinam S. „Augustini, sed potiùs contra illam, quam „contra Pelagianos & Semipelagianos do„cuit; Et ex hac de Scientiâ-mediâ do„ctrinâ multa sequi incommoda & absur„da contra Philosophiam & veterem Theo„logiam, atque etiam contra fidei prin„cipia; & propterea maximè oportere, ut „omninò exterminetur. Et ita censuerunt „omnes, excepto P. Regente, qui dixit, „inter alias conditiones, quibus positis cau„sa libera operaretur, implicari etiam hanc: si Deus vellet ut operaretur: non tamen „hoc esse ita intelligendum, ut sit neces„saria conditio, si Deus vellet eam præ„determinare ad operandum; sed tantùm „movere aliis auxiliis, citra prædetermi„nationem. Et hac in re probabilem cen„suit Molinæ sententiam; licet modus quo „eam probat Molina, ei non placeat. Ab„solvitur Actio post horam decimam-no„nam.

CAPUT TRIGESIMUM-NONUM.

Quid Congregatione Sexagesima-primâ disputatum? Quid Sexagesima-secunda definitum?

Die 29. Novembris 1604. coram Clemente VIII. Sexagesima-prima Congregatio celebrata est.

Stetit Bastida in incœpto. Probandum sibi sumsit, Deum futura conditionata à causis liberis pendentia certò & infallibiliter cognoscere, tantóque plures assertionis suæ probationes congessit, quantò verior erat & apertior. Quo tamen in iis futuris cognoscendis Deus utatur medio, ne vel leviter indicavit.

Lemosium offendit festivus disputandi modus, quo veritates ab adversariis sponte admissæ vocantur in controversiam, ut ex arte certus controversiæ scopus studiosè declinetur. Societatis Actorem ab instituto turpiùs aberrantem duriùs excepit, suamque de ventilata quæstione sententiam, triplici conclusione exposuit, in hunc modum. *Quia R. Pater in hac, sicut & in præcedenti Congregatione, nec dubio respondit, nec difficultatem tetigit; ego ista clarius distinguam summâ brevitate. Sit 1. Conclusio: Deus certò & infallibiliter cognoscit omnia futura conditionata, quæ certò futura sunt, si tales adhibeantur conditiones. Vera est Conclusio & tanquam indubitata veritas à nullo unquam fuit negata: & hæc probant, si quid probant, omnia in universum, quæ R. Pater modò proposuit. 2. Conclusio: Omnia futura conditionata, quæ non sunt certò futura, etiamsi conditiones*

ditiones adhibeantur, sed confinguntur esse futura sub illis conditionibus, non cognoscuntur certò à Deo esse futura. Et talia sunt sine dubio conditionata futura, quæ implicantur in objecto Scientiæ-mediæ. De illis enim quæ contendebant Semipelagiani esse certò futura, & certò cognosci à Deo, rectè S. Prosper in Epistola ad Augustinum affirmat, quòd novo absurditatis genere, futura quæ non sunt futura confingunt..... 3. Conclusio & ultima: Certissimè cognoscit Deus, quod illa futura conditionata, secundùm quod implicantur in objecto Scientiæ-mediæ; etiamsi omnes illæ conditiones adhibeantur, certissimè, inquam, cognoscit Deus, quòd nunquam futura erunt. Itaque hoc certissimè cognoscit Deus, quòd si liberum arbitrium constituatur in tali vel tali ordine rerum & circumstantiarum, secundùm quod præcisè constituitur per Scientiam-mediam; certissimè, inquam, cognoscit Deus, quòd tale liberum arbitrium creatum nunquam operabitur, & nunquam consentiet..... Per hoc patet responsio ad omnia quæ R. Pater proposuit, quæ, si conditiones apponerentur, essent certò futura. Ex quo autem capite habeant, quòd essent certò futura, R. Pater tangere noluit. Ego verò dico, id habere ex decreto divinæ voluntatis vel volentis vel permittentis. Molina dixit, ex nostra libertate. Ad alia non oportet respondere, ne tempus consumamus.

Quia autem duabus ultimis Lemosii Responsionibus superiori Disputatione datis abutebatur Societatis Actor: & quæ ultimò tandem de futurorum cognitione ex parte objecti materialiter considerati, secundùm præcisionem metaphysicam Lemosius pronuntiaverat, cùm iis promiscuè confundebat, quæ paulò ante de eorundem cognitione ex parte Dei, atque ut in ipso reverà datur, asseruerat; colligebatque conjecturalem cognitionem ab eo reipsa in Deo admissam fuisse: priorem responsionem suam Lemosius resumsit ac vindicavit. *Unum tantùm*, inquit, *dixit R. Pater, videlicet me dixisse in præcedenti Congregatione, Deum ante decretum divinæ suæ voluntatis (de facto) cognoscere illa conditionata futura conjecturaliter: quod tamen nullo modo dixi, nec verbum de hoc protuli. Cùm enim instaret, quòd Deus cognoscit illa futura conditionata, sic ego distinxi: Cognoscit illa, distinguo: Post decretum suæ voluntatis, concedo; ante decretum, nego. Non tamen dixi, quòd ante decretum cognoscat illa conjecturaliter; sed quòd ante decretum illa non cognoscit esse futura: quia ut modò dixi, illa non sunt certò futura ante tale decretum: immo certissimè cognoscit Deus ante decretum, quod non essent futura, etiamsi conditiones illæ apponerentur.*

Vix credas quot Bastida tentarit artes, ut iteratam dissimulatæ controversiæ accusationem dilueret: pudor enim erat in eo probando desudasse, quod fatebatur adversarius. Quapropter ut confessionem ejus, quasi diminutam aut minùs expeditam vellicare posset, interrogavit semel & iterum; An quæ de certâ futurorum conditionatorum notitiâ dixerat, de futuris etiam liberis intelligeret? An de malis perinde ac bonis? An de omnibus futuris in Scriptura sacra revelatis? Num saltem hujuscemodi futura, certò futura crederet ex vi conditionum suarum?

Prioribus interrogatis respondit affirmativè. Ad ultimum ait: *Quis dixit illa futura ex vi illarum conditionum esse certò futura? Ego dixi tantùm in mea conclusione prima, Deum cognoscere illa esse certò futura conditionata, quæ certò futura sunt, si tales conditiones apponantur, non autem dixi esse certò futura ex vi ipsarum conditionum. Hæc enim maximè distant. Verissimum est enim, Tyrios & Sydonios acturos fuisse pœnitentiam, si eis Christus Dominus prædicasset; non autem ex vi illius prædicationis, sed ex vi decreti quo decreverat Deus illos convertere, si ipse prædicasset.* Noluit Bastida in hanc quæstionem ingredi de decreto divino, à quo habeant futura libera, quòd certò futura sint: séque de illa dicturum spopondit in futura Congregatione. Obiter tamen objecit, responsum hoc contradictionem involvere; cùm in objecto futuro conditionato, decretum absolutum atque omninò necessarium involveret.

Reposuit Lemos ac variis S. Thomæ testimoniis ostendit, hanc meram esse necessitatem hypotheticam infallibilitatis & consequentiæ, quæ absolutè libertati non officit. Alio verò tenaciùs urgente, hujuscemodi suppositionem antecedentem divini decreti, ex qua infallibiliter sequitur effectus, humanæ libertati repugnare, eamque esse S. Anselmi & Angelici Doctoris mentem; dictum Pelagianismi postulavit, nixus S. Prosperi ad Augustinum Epistolâ, in qua sic scribitur: *Removeri omnem industriam, tollique virtutes aiunt, si constitutio Dei humanas præveniat voluntates, & sub hoc prædestinationis nomine, fatalem quandam induci necessitatem.* Anselmum etiam ac D. Thomam aliud sensisse probavit Alvaresius, quàm quod ipsis Molinæ Defensor affinxerat. Prior enim lib. de Conc. præd. & lib. arb. cap. 2. ait: *Quando Deus vult effectum sequi voluntatem, tunc necesse est voluntatem esse liberam, & esse quod vult.* Alter 1. p. q. 19. art 8. ad 1. scribit: *Necesse est hanc* con-

conditionalem esse veram: Si Deus hoc vult, necesse est hoc esse. Et ad 2. *Ex hoc ipso, quod nihil voluntati divinæ resistit, sequitur quòd non solum fiant ea quæ Deus vult fieri, sed quod fiant vel contingenter, vel necessario, quæ sic fieri vult.*

Ultimum illud D. Thomæ testimonium in rem suam vertit Joannes de Salas, affirmans duo hæc stare non posse: Deum velle hominem liberè operari, &, Determinare conditiones, seu auxilium physicum efficax ad operandum. Unde & bis ac tertiò petiit, num Deus ante determinationem suæ voluntatis, sciat in quam partem sua voluntas sit determinanda? Respondit Lemos, Deum id determinatè scire non posse; cùm ante decretum, determinatum non sit: certò tamen scire ad id voluntatem suam determinatum iri, quod libuerit & placuerit. Instavit ille confidentiùs, id à Deo determinatè sciri contendens ante decretum, quia effectui subsecuto conforme fuit. Negavit secundò Lemos: quia in signo decretum antecedente determinata conformitas non erat, ob divinæ voluntatis suspensionem & indifferentiam. Cui ille: *Divina voluntas mansit quidem in suspenso, ut hoc vel illud posset velle, non autem divina scientia.* Quo dicto cœperunt ea de re Consultores mutuò conferre; Lemosiique responsionem anteverterunt. Quare soluta disputatio est.

Judicium de superiori disputatione.

Ex Actis Secretarii „ Congregatio 62. celebrata est die Martis 29. Novembris hora 17. anno Domini „ 1604. Censuit Congregatio, certam & „ infallibilem esse scientiam, qua Deus co- „ gnoscit futura contingentia dependentia à „ causâ liberâ, tam absoluta quàm conditio- „ nata, quæ certò sunt futura, si tales ap- „ ponantur conditiones, quales prædicantur. „ Quia tamen Patres Societatis non attige- „ runt ex quo capite ejusmodi futura ha- „ beant quòd certò futura sint, id acturi „ in proximè futura Sessione, perstiterunt „ omnes in sententiâ, prout in Sessione sexa- „ sima. Absolvitur Actio horâ 19.

CAPUT QUADRAGESIMUM.

Quid Congregatione Sexagesima-tertia disputatum? Quid Sexagesima-quarta definitum?

Die 6. Decembris 1604. coram Clemente VIII. habita est Congregatio 63. Præcepit Beatissimus Pater Societatis Theologis, ut propositæ quæstioni de Scientia-media, semotis ambagibus directè & explicatè satisfacerent: ad cujus nutum triumphabundus in arenam descendit Ferdinandus de Bastida, hocque sermone exorsus est. *Illuxit optata dies, qua nobis disputandum est, An ea cognitio certa & infallibilis conditionalium liberorum, quam Deum habere monstravimus, in eo sit ante absolutum decretum divinæ voluntatis, &c.*

Quæstionem affirmativè definivit: seu sermo sit de decreto simpliciter absoluto, quo Deus rerum futuritionem absolutè decernit, seu de decreto altero quæstio vertatur, quòd in Deo quidem absolutum est, sed de objecto conditionali efformatur, dum nempe Deus non decernit, ut res absolutè ac simpliciter ita sit, sed sub alicujus conditionis hypothesi. Unde nullius decreti ope quæcunque futura libera præcognosci voluit. Assertionis suæ probationes attulit benè multas, Patrum testimoniis rationibusque Theologicis confirmatas, quas referre superfluum esset. Nihil quippe in causæ Molinianæ patrocinium attulit, quod pervulgati Scientiæ-mediæ tractatores non attigerint.

In iis confutandis totus fuit Thomas de Lemos. Cùm enim de divinorum decretorum necessitate, contra Scientiæ-mediæ systema, in duabus ultimis disputationibus multa dixisset, totam hujusce Congregationis actionem in diluendis ac confutandis objectionibus posuit. *Beatissime Pater*, inquit, *pervenerunt jam R. Patres, ut disputarent in hac tertia Congregatione, circa dubium à Sanctitate Vestra propositum; de quo quia egò jam in duabus Congregationibus satis ostendi, nihil magis damnasse S. Augustinum contra Pelagianos, quàm scientiam illam futurorum contingentium dependentium à causa libera, ante actuale decretum divinæ voluntatis, volentis vel saltem permittentis illa futura, esse vel futura absolutè, vel futura sub conditione; ideò ad præsens brevitati studens, unum solùm quod superest explicabo: quod est respondere ad omnia in particulari quæ R. Pater modo proposuit. Omnia enim particulariter formavit contra illud decretum, quod ponitur in Deo absolutum ex parte volentis, licet sit de objecto conditionato: quale fuit illud, quo secundùm S. Augustinum decreverat Deus convertere Tyrios & Sydonios, si tamen eis Christus ipse prædicasset.*

Utrumque decretum absolutum dici voluit; tametsi unum de objecto conditionali efformetur: quia etiam tunc Deus firmam habet rei faciendæ voluntatem, si certa conditio ponatur. In id verò potissimùm intendit, ut evinceret nihil à Societatis

Defensoribus in domesticæ causæ gratiam Prædicatoribus objici, quòd olim Pelagiani non objecerint Augustino.

Dictis nihilominùs stetit Bastida; eaque novis accersitis copiis defendit, Lemosium tandem sub orationis finem interrogans, Quid de futuris in Scriptura sacra revelatis sentiret? Eane à Deo certò cognosci fateretur? Respondit ille, satis ex supra dictis colligi, quid sibi ea in parte videretur, nihilque à se explicatius addi posse. Jubente tamen Pontifice, ut quæ de hujusmodi difficultate prolixiùs dixerat, compendio resumeret, ita subjunxit: *Dixi supra tria substantialia. Primum fuit, Deum certò cognoscere omnia futura conditionata, quæ certò futura essent, si conditiones apponantur. Secundum, alia futura conditionata, quæ non essent certò futura, sed confinguntur futura sub illis conditionibus, Deus non cognoscit esse futura, nisi falsitas ponatur in intellectu divino, qui cognoscat certò futura, quæ non sunt certò futura. Et hæc sunt, quæ involvuntur in objecto Scientiæ-mediæ: de quibus tertiò dixi, Deum cognoscere quod ante actum suæ voluntatis, nunquam erunt futura. Et sic certò cognoscit Deus, ante actum liberum suæ voluntatis liberum arbitrium in tali ordine rerum nunquam operaturum. Et sic per hanc Scientiam-mediam redditur impossibilis prædestinatio, & omnis hominis justificatio.*

Breviorem expositionem desideravit Bastida, ac sibi uno verbo responderi voluit. Tunc Lemos: *Jam respondi, Si talia sunt ut conditionibus positis sint certò futura, cognoscuntur. Nunc subsumo minorem: At conditionata, quæ involvuntur in objecto Scientiæ-mediæ, non sunt talia, ut positis conditionibus sint certò futura.* Hìc à Bastida interpellatus est, ne consequentiam juxta principia tum in superiori tum in hacce disputatione constituta deduceret: Nempè, *Ergo hujusmodi futura, eo modo quo supponuntur in Scientia-media objecto, à Deo certò cognosci non possunt; benè tamen interveniente divino decreto, quo eorum conditionatam futuritionem decernat, faciatque certò futura.*

Consequentiam pro libito inferre voluit Societatis Actor, novâ certè disputandi methodo; ut adversario peregrinum sensum commodiùs affingeret. Quam enim negabat ille futurorum notitiam, quatenus solùm in objecto Scientiæ-mediæ nulloque supposito decreto intelliguntur, iste universaliter & absolutè ab illo negatam contendebat. Quanquam aliunde ignorare non posset, cum toties affirmasse istiusmodi futura (v. g. Tyriorum conversionem) in divino decreto certissimè sciri. Atque interim dato signo finita est disputatio.

Judicium de disputatione superiùs habitâ.

Congregatio 64. celebrata est die Martis 7. Decembris, horâ 18. 1604. Resolvit Congregatio persistendum in sententia, « Quòd non sit in Deo, ante decretum absolutum suæ voluntatis, certa & infallibilis cognitio futurorum contingentium dependentium à causa libera, qualem Molina Deo tribuit per Scientiam-mediam. P. Rada dixit, Ante decretum divinæ voluntatis, sive absolutum sive conditionatum, Deum certò non cognoscere futura contingentia pendentia à causâ liberâ; ex doctrina verò Molinæ de Scientiâ-media necessariò sequi, etiam posito quovis decreto, quod ipse excogitaverit, sive absoluto sive conditionato, Deum non habere certam & infallibilem cognitionem futurorum conditionatorum: &, Quod fortassis incidit in errorem eorum, qui dixerunt Deum non esse causam nostrarum actionum, neque etiam concomitantem. P. Regens dixit, Ante decretum absolutum divinæ voluntatis Deum habere certam & infallibilem cognitionem futurorum contingentium pendentium à causa libera. Dum colligerentur vota dixit P. Rada, Ante decretum absolutum non dari talem cognitionem futurorum contingentium dependentium à causa libera. Absolvitur propè horam 21. « (Ex Actis Sanct.)

CAPUT QUADRAGESIMUM-PRIMUM.

Quid Congregatione Sexagesimâ-quintâ disputatum? Quid Sexagesimâ-sextâ definitum?

Die 4. Januarii 1605. habita est coram Clemente VIII. Sexagesima-quinta Congregatio, cui primùm interfuit Cardinalis Bufalo, sacris fidei Quæsitoribus adscriptus. Actum de ultimo dubio: *An in præsenti disputatione, in qua tractatur, An Deus ante decretum prædestinationis habeat scientiam futurorum contingibilium, dependentium à causa libera, statuendum sit unicum esse decretum Dei, in quo decernat velle salvare Petrum? An verò subjiciendum sit aliud, quo Sua divina Majestas decernat conditionaliter velle salvare Petrum, ponendo illum in tali & tali ordine rerum, dandoque illi talia & talia auxilia, quibus si Petrus ex innata sua libertate consentiat, & benè utatur prædictis auxiliis, salvabitur? Et, An prædictus bonus usus dictorum auxiliorum proveniat à sola innata libertate, an vero à gratia Dei,* quæ

quæ facit ut homo benè utatur dictis auxiliis? Et, Quæ ex istis sit sententia S. Augustini & Ludovici Molinæ?

Huic agitandæ quæstioni locum dedit superior de Scientia-media disputatio. Objicientibus enim Prædicatoribus, Decretum prædestinationis absolutum non fore, si ex Scientiæ-mediæ directione fieret, qua Deus in antecessum exploret, quid unaquæque voluntas, si in hoc vel illo rerum ordine constitueretur, esset actura; consecutionem negarunt Molinæ Vindices. An igitur justo titulo negarint, ac juxta Molinianæ doctrinæ principia, disputandum fuit.

Consecutionem meritò negatam fuisse propugnavit Ferdinandus de Bastida. Nihilque obesse contendit, Molinæ systema de prævia Scientiæ-mediæ exploratione, quominùs prædestinationis decretum absolutum asseratur. Causam in primis egit exemplis, ex Scriptura sacrâ & Patrum autoritate desumtis; tum Theologicis argumentis: ultimò objectam sibi difficultatem retorsit in adversarios.

Multa, inquit, in Scripturis ac Patribus legimus à Deo statuta decreto planè absoluto; tametsi iis statuendis ac decernendis futuri alicujus conditionati præscientia antecesserit. Sic breviandos Antichristi persecutionis dies absoluto decreto definivit, præeunte hujusce conditionalis notitiâ: ***Nisi fuerint abbreviati dies illi, non salvabitur omnis caro.*** Sic electum puerum ex hoc mundo eripiendum absolutè decrevit, prævia cognitione, qua intellectum ejus immutandum præsciverat, si diuturniorem vitam ageret. Sic Lazarum absolutè suscitandum statuit, quia multos eo viso miraculo credituros præsciebat &c. Pari igitur ratione, subintulit, Scientia-media consensus sub conditione futuri prævia exploratrix, absoluto prædestinationis decreto nihil obest. Nec idcircò Augustino repugnasse, aut conditionale prædestinationis decretum admisisse Molina putandus est, quòd istiusmodi præscientiam agnoverit.

Rursùs, inquit, præcognitio efficacitatis medii ad finis consecutionem necessarii, non officit absolutæ intentioni finis, vel absolutæ mediorum electioni; quin potiùs admodùm juvat: non ergò præscientia, qua ante decretum salvandi Petrum præscit Deus quibus auxiliis consensurus esset Petrus, si in eo rerum ordine poneretur, derogat absoluto decreto salvandi Petrum; immò prodest.

Tertiò addidit: Admittunt Prædicatores Deum scientiâ simplicis intelligentiæ cognoscere omnia futura conditionalia; quæ cum conditione intrinsecè connectuntur; ut; Si Petro detur auxilium efficax, convertetur. Quo igitur jure scientia simplicis intelligentiæ antecedit absolutum decretum salvandi Petrum; ita præcedit hujusce futuri conditionati notitia: Si Petrus ponatur in hoc ordine rerum cum auxiliis per se efficacibus, rectè iis utetur ac salvabitur. Si ergo futuri conditionalis præscientia, absoluto prædestinationis decreto repugnat; nequidem in hypothesi Thomistarum absolutum erit.

Iis omnibus S. Augustini ac D. Thomæ testimonio confirmatis, variisque subsidiariis argumentis ad juris abundantiam adductis, Molinæ de divina prædestinatione mentem exposuit; quam hisce quinque capitibus sitam dixit. 1. Deum ante omnem actum liberum suæ voluntatis cognovisse varios ordines rerum, quos creare posset, & præscivisse de quocunque ordine, qui & quot homines salvarentur, si illum creare voluisset. 2. Deum eâ positâ præscientiâ conditionatâ, elegisse hunc rerum ordinem, quem reipsa executioni mandavit, & voluisse tot homines creare, eisque istiusmodi auxilia conferre. 3. Eam istius ordinis electionem unicum esse ac simplicissimum actum. 4. Unicum illum & simplicissimum actum, comparatione eorum quos Deus præviderat, per hæc auxilia (si illis darentur) non fore salvandos, etiamsi salvari potuissent, rationem dumtaxat habuisse communis providentiæ, & voluntatis conditionatæ, qua Deus illos ad æternam vitam ordinabat, quantùm est ex parte sua: illum verò eundem actum electionis hujus ordinis, rationem prædestinationis obtinere, comparatione horum omnium quos Deus præviderat, si in hoc rerum ordine collocarentur, fore salvandos. 5. Eundem illum simplicissimum actum, esse absolutam voluntatem, non solùm dandi media ad salutem æternam efficacia, sed etiam absolutam voluntatem finis, per media illa.

Alteram propositi dubii partem, quâ de bono liberi arbitrii usu quæritur, responsione suâ non attigit; Sanctitatem Suam enixè rogans, ut peculiarem ea de re tractationem fieri fineret.

Utramque distinctis conclusionibus attigit Thomas de Lemos, in actione succedens. Prima conclusio fuit: ***Firmiter statuendum est, esse in Deo unicum prædestinationis decretum; quo Deus absoluta sua voluntate vult salvare Petrum; absque ulla alia dependentia & conditione à voluntate creata Petri,***

 prius

priùs prævisâ. Et eadem firmitate negandum est illud aliud decretum in dubio expressum sub illa conditione signatâ. Secunda conclusio hujusmodi fuit : *Bonus usus auxiliorum gratiæ non provenit ex solâ innatâ hominis libertate, sed ex divina gratiâ, quæ verè & activè propriè facit, ut homo bene utatur prædictis auxiliis.*

Ambas assertiones ut fidei dogmata, adversùs Pelagianos definita, propugnavit; probavitque ex Concilii Arausicani definitionibus, ex summorum Pontificum ac præsertim Cœlestini primi Decretalibus, ex Hilarii & Prosperi ad Augustinum Epistolis, necnon ex controversiis contra Massilienses habitis sæculo quinto, & à D. Thoma ætate sua renovatis.

Postmodùm Molinianæ doctrinæ virus, de conditionata voluntate Dei, à Bastida studiosè dissimulatum detexit, lecta quæstione 19. a. 6. disp. 2. ubi sic habet. *Altero modo dicitur Deus velle aliquid, dependenter quidem ab arbitrio creato, quà liberum est, atque adeò sub conditione, si creatum arbitrium id etiam velit; at ea ratione absolutè: quòd cum prævideat per arbitrium ipsum liberè futurum, ex hypothesi quòd cum ordinem rerum velit creare, quem re ipsa creare constituit, ei placet, absolutâque jam voluntate vult, ut fit quod ita liberè futurum est, potestque non esse. Hac ratione Deus optimus maximus vult omnia bona, quæ per arbitrium nostrum sunt futura, non solùm voluntate conditionali, si nos quoque ea velimus, sed etiam voluntate absoluta; quatenus ipsi prævidenti ea futura placent, eademque divina ejus & singularis bonitas, per arbitrium nostrum intendit ac vult.* Ex quibus compertum esse ait, Molinam eam dumtaxat voluntatem absolutam in Deo admisisse, qua decernit hominem in tali rerum ordine, atque sub his vel illis auxiliis constituere : cæterùm voluntatem alteram, quâ Deus hominem, eo in ordine ac sub iis auxiliis positum, operari decernit, omninò conditionatam existimasse, ea conditione qua Deus sibi maximè complacet; si nempè homo ipse voluerit.

Hinc Bastidæ argumentis, quibus præscientiam alicujus futuri conditionati nihil absoluto decreto prædestinationis repugnare contenderat, uno verbo satisfecit. Distinxit scilicet duplicem præscientiæ modum : Alius est, inquit, quo res futura prædicitur, sub conditione pendente ab ejus voluntate qui decernit : alius, quo res futura præcognoscitur sub conditione pendente ab alterius arbitrio. Prior non obest, quominùs subsequens decretum absolutum dici possit; quia conditio ex qua rei futuritio dependet, in decernentis est potestate. Posterior è contra : quia is absolutè decernere nequit, cujus decretum ab alterius voluntate pendet ut ratum sit. Unde Bastidam à quæstionis instituto aberrasse ait, qui ea dumtaxat exempla protulerat & argumenta, quibus præscientiam futuri conditionalis à Dei voluntate pendentis, ejus absoluto decreto minimè repugnare demonstratur : dum de præscientiâ mediâ quæstio verteretur, qua Deus ante decretum Prædestinationis præscire fingitur futurum conditionatum, ab hominis voluntate dependens.

Novo impetu disputationem redintegravit Ferdinandus de Bastida. Absolutum Prædestinationis decretum nusquam à se negatum contestatus est : atque ita in eo demonstrando frustra Lemosium desudasse. Respondit ille, se in hoc uno demonstrando non hæsisse, sed maximè ut evinceret, absolutum illud Prædestinationis decretum nullâ niti conditione, quæ ab humana voluntate pendeat, aut eam exspectet pro sua efficaciâ obtinendâ. Istud etiam à se lubenter admitti ait Bastida. Verùm lacessitus Molinæ autoritate, qui hujusmodi conditiones totis viribus propugnat, subjunxit : *Si Molina hoc dixit, quid ampliùs vult vestra Paternitas, quàm obtinuisse à me ut Molinæ sententiam condemnem?* Hujusce tamen examen facti in finem disputationis distulit; atque interim Societatis Autores, qui Deum voluntatem nostram exspectare docent, vindicandos aggressus est, illosque de exspectatione consensus nostri, ad justificationis gratiam conferendam locutos dixit : quasi Deus, collatâ semel gratiâ præveniente, consensum hominis exspectet, ut gratiam justificationis elargiatur.

Expositioni uti minùs orthodoxæ intercessit Thomas de Lemos : *Non exspectat consensum nostrum, sed facit.* Dictis nihilominus stetit Societatis Defensor : quia, inquit, Deus consensum nostrum liberè operatur, nostramque idcircò voluntatem exspectare cogitur. Quin immò Prædicatores tanquam violatæ libertatis reos habuit, quòd nedum æternum prædestinationis decretum, verùm etiam temporaneam ejus exsecutionem ab humanâ libertate independentem assererent.

Accusatio non sine morsu repulsa est. *Pater*, reposuit Lemos, *agimus de re gravi in conspectu S. D. N. & non licet opponere nobis quod non diximus. Ego dixi quod actus divinæ voluntatis eligentis ad gloriam, in sua effica-*

efficacia non dependet à libero arbitrio hominis: & tu, Pater, dicis me dixisse, quòd actus liberi arbitrii circa exsecutionem non dependeat à libero arbitrio. Hoc ego nunquam dixi. Quapropter eâ missâ difficultate ad vindicias Molinæ se contulit. Qua in re molestè tulit complacentiæ vocabulum, quod in exponendo Prædestinationis mysterio, Molina usurpaverat, vellicatum fuisse; cùm illo ipso non absimili occasione Christus Dominus usus esset, Matt. 12. *Nolite timere, pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum.*

Respondit qui vellicaverat, Christi sensum à Moliniano toto cœlo distare: nam ille de Patris complacentiâ in sui ipsius voluntate ac prædestinatione locutus est; iste, de Dei in nostra voluntate complacentiâ, post prævisa opera ex solo arbitrio futura. Placuit Pontifici data responsio: *Apparet*, ait, *aliquid amplius Molinam dixisse, quàm Christum, quando addidit, Post prævisionem operum.*

Hæsit ad hæc Societatis Actor: nodique solutionem distulit in aliud tempus. Cæterùm, ne causâ omninò excidisse videretur, Molinæ defensionem alio ex capite tentavit: nullam illi movendam litem contendens, quòd prædestinationem ad gloriam meritorum prævisione posteriorem docuisset, cùm ea de re Scholastici Theologi salva fide ac religione disputent. Fugientem Actorem, ac pro arbitrio divertentem, insecutus est Thomas de Lemos, & quæsitam ex Scholasticorum dissidiis excusationem nihil juvandæ Molinianæ causæ prodesse demonstravit. *Dupliciter enim*, inquit, *potest quis asserere electionem ad gloriam fieri ex prævisis operibus. 1. Ita quòd Deus primò decernat dare homini efficacem gratiam, ex cujus vi & efficacia benè operetur; & deinde quòd ex prævisione operum & meritorum procedentium ex efficacitate gratiæ, Deus illum eligat ad gloriam. Et qui sic diceret, licet malè philosopharetur, constituendo in Deo priùs volitionem mediorum efficacem, quàm efficacem intentionem finis; tamen ab errore Pelagianorum inveniretur immunis: quia jam admitteret, nihil habere hunc hominem, quòd non procederet ab efficacia gratiæ Dei: & hoc modo possunt aliqui Scholastici sine errore Pelagianorum procedere. Alio modo fit electio ad gloriam, ex prævisione innatæ libertatis, ex se solâ utentis auxiliis gratiæ, & illa efficacia reddentis, ut eligatur ad gloriam. Et hæc à quocunque dicatur, est aperta sententia Pelagianorum. Illi enim in hoc errabant dicentes, quòd electio ad gloriam non fiebat ante prævisionem innatæ libertatis hominis benè utentis ex se ipsâ auxiliis gratiæ.*

Tum nonnullas S. Augustini ac D. Thomæ propositiones, quas pro asserendo Molinæ systemate Bastida detorserat, sano sensui restituit: atque hoc pacto disputatio soluta est.

Judicium de ultima quæstione disputata.

Congregatio 66. celebrata est die Mercurii 5. Januarii horâ 17. 1605. de puncto, quo quæritur, *An prædestinatio fiat per unum vel plura decreta, aut decretum absolutum Dei?* Resolvit Congregatio, prædestinationem fieri per unicum, idque absolutum Dei decretum, quo Deus statuit, iis quos elegit dare gloriam & media necessaria ad illam consequendam. Et hanc esse sententiam S. Augustini; & ab hac omninò defecisse Molinam in sua CONCORDIA, constituendo prædestinationem, non in absoluto Dei decreto, sed in electione ordinis. Pater Regens dixit, decretum esse absolutum de nostra salute, dependente à nostro consensu; qui tamen consensus est in nobis à Deo, & in ejus potestate, ut eum faciat, in quocunque voluerit. Absolvitur propè horam 20.

Ex Actis Secretarii. In Compendio sic: Quod ad primam partem Articuli propositi spectat, resolvit Congregatio, secundùm veram & catholicâ doctrinam constanter tenendum esse: Antecedenter ad omnem Scientiam-mediam ejus; quòd quælibet voluntas, si in tali vel tali ordine rerum constituatur, sit actura, prædestinationem æternam fieri per unicum, idque absolutum decretum, quo Deus statuit certos quosdam homines, cæteris in massa perditionis relictis, misericorditer pro suo beneplacito liberare, eisque gratis dare gloriam, & media quibus certissimè liberentur. Et ab hac sententiâ, quam S. Augustinus constantissimè docuit, & tanquam fidem Ecclesiæ acerrimè defendit contra Pelagianos & eorum reliquias, & quam Summi Pontifices, Cœlestinus, Leo; Gelasius, & Hormisdas approbarunt, omninò defecisse Molinam in suo libro de Concordia liberi arbitrii cum gratiæ donis, divinâ præscientiâ, providentia, & prædestinatione, ut circa Propositionem XIV. dictum est.

CAPUT QUADRAGESIMUM SECUNDUM.

Quid Congregatione Sexagesimâ-septimâ disputatum? Quid Sexagesimâ-octavâ, eademque, ultimâ definitum?

Die 21. Januarii 1605. coram Clemente VIII. Congregatio 67. celebrata est: ad quam primò admitti cœpit Cardinalis Jacobus Davi Du Perron. Actum de ea ultimi Dubii parte, cui Bastida respondere neglexerat: *An bonus usus divinorum auxiliorum proveniat à sola innata libertate; an verò à gratiâ Dei, quæ faciat ut homo benè utatur dictis auxiliis? Et quæ ex illis sit sententia S. Augustini & Ludovici Molinæ?*

Vetuit Pontifex Patribus Societatis, ne ad peregrinas quæstiones diverterent, aut à propositæ difficultatis scopo declinarent. Cui

Cui Ferdinandus de Bastida morem gerens, pro Societatis causa copiosè dixit.

Probandum aggressus est, *Bonum auxiliorum gratiæ usum (licet nunquam fit ab arbitrio nisi prævento per excitantem gratiam, & per cooperantem adjuto) esse tamen ab arbitrio sine ulla gratia prædeterminante, vel ex se efficaci, quam in se habeat: & in hoc sensu esse ab ipso solo.* Aliàs consequens esse voluit, liberum arbitrium, ut liberum est, nullam in auxiliorum usu partem habiturum, si à gratia ex se ipsa efficaci penderet; illumque usum, quantusquantus est, atque ipsum etiam auxiliorum abusum, soli Deo fore adscribendum.

Primam partem de bono auxiliorum usu, hocce syllogismo demonstrare conabatur. Si bonus auxiliorum usus, seu inspirationis receptio, revocetur ad gratiam, quam arbitrium non possit abjicere, liberum arbitrium nihil omninò aget benè utens auxilio, inspirationemque recipiens: Sed si bonus usus proveniat à gratia ex se sola efficaci, seu physicè prædeterminante, revocatur in gratiam quam liberum arbitrium non potest abjicere: Ergo eo ipso quòd in talem gratiam revocatur, liberum arbitrium nihil omninò agit ad talem usum, ut liberum est. Suppositâ Majoris certitudine, hæsit in Minoris probatione, hoc nixus fundamento: quia liberum arbitrium (fatentibus Prædicatoribus, atque ipso etiam Bannesio Molinæ accusatore concedente) non potest reddere inefficacem, gratiam ex se sola efficacem; nec eam ab assensu sejungere, cui indivisè connectitur. Ac ne quis speciosæ probationis vim elideret pervulgatâ sensus compositi & divisi distinctione, quæ passim in scholis Catholicis volitat, eandem validiùs impetiit, non quo solet à Thomistis sensu defendi, sed Calviniano ac Lutherano; monstrum sibi fingens, cui bellum indiceret: *Sed dices*, ait, *non posse arbitrium abjicere gratiam ex se sola efficacem in sensu composito: hoc est non posse impedire, quominùs si semel hac gratia in arbitrio ponatur, sequatur voluntatis consensus, & auxiliorum usus; at posse in sensu diviso gratiam abjicere, illique dissentire, nimirùm quando sine tali gratia exsistit, ab illaque separatum & divisum est, vel ut separari potest consideratur.*

Alteram instituti partem, de divinorum auxiliorum abusu, seu ut ipse loquitur, de carentia boni usus in Deum ipsum refundenda, in hypothesi necessitatis gratiæ ex se efficacis, isto prosecutus est argumento. Denegatio auxilii efficacis, in hac opinione, est adæquata causa carentiæ boni usus auxilii: Sed denegatio efficacis auxilii, à solo Deo est: Ergo carentia boni usus auxilii à solo Deo est, solique Deo tribuenda venit. Hujus argumenti propositiones singulas, ex Bannesii doctrina, & pervulgato Thomisticæ Scholæ principio deduxit: quòd videlicet liberum arbitrium efficaci gratia destitutum, eam aliquo actu positivo comparare nequeat.

Impetitâ adversarii sententiâ, propriam posuit, nihil ad bonum auxiliorum usum à Deo desiderari asserens, præter gratiam prævenientem in mera excitatione & invitatione sitam, & gratiam concomitantem. Dicti ratio duplex fuit: 1. Quia Concilium Tridentinum non nisi excitantem *seu prævenientem*, & adjuvantem *seu concomitantem* gratiam agnovit: ita enim sacræ Synodi sensum interpretari libuit. 2. Quia gratia excitans sufficientem homini potentiam largitur ad opus quodcunque supernaturale: concomitans, Deum nobis cooperatorem facit. Quæ duo plus satis abundant.

Totum id congestis Augustini testimoniis confirmavit: quibus vel hominem interiùs à Deo vocari, vel vocanti gratiæ obsistere posse docet, aut gratias excitantes, inspirationes, invitationes, admonitiones divinas commendat. Libros etiam à Pelagianis Autoribus editos, sub Augustini nomine protulit, ne quid juvandæ ac promovendæ causæ deesset.

De Molina dixit ultimo loco: cujus orthodoxiam hoc uno titulo defendit, quia prævenientem gratiam excitantem & cooperantem ad bonum divinorum auxiliorum usum necessariam admisit.

Successit in actione Thomas de Lemos. Noluit in catholici dogmatis probatione diutiùs immorari: sed quam superiori Congregatione posuerat operam pro causæ merito, ratam habuit. Totus penè fuit in detegendis Societatis artibus, quibus, Pelagianorum more, tanto verborum fuco periculosa dogmata obtegebant, ut quod de iis monuit Augustinus, istis accommodari meritò posset: *Quisquis hac audit, & sensum eorum ignorat, quem in eorum libris atque scriptis satis manifestè ostendunt, hoc putat eos dicere quod veritas habet. Quisquis autem quod in suis libris apertiùs dicunt, diligenter advertit, non solùm debet habere ista verba suspecta, sed manifestè deprehendet, hoc solùm verbis proferre, totum autem contrarium sensu & sententiâ firmari.* Versutiæ istius specimen dedit in eo quod Bastida pertractaverat argumento. Quid enim, inquit, frequentiùs ad ostentationem jactitare

Lib. de Gratia Christi cap. 2.

re solent, quàm speciosum efficacis gratiæ nomen? At si rem penitiùs attenderis, illos reipsâ negare invenies quod prima fronte affirmare videbantur; quippe qui gratiam ab effectu dumtaxat & ex arbitrii cooperatione efficacem defendunt. Bonum auxiliorum usum à divina gratia repetendum aiunt; at gratiam intelligunt excitantem & allicientem, quam legis ac doctrinæ loco haberi voluit Augustinus. Deum bonam voluntatem in nobis operari profitentur; at totum id suasionibus, excitationibus, admonitionibus, ac metaphoricè tantum fieri decernunt; seu veriùs, fieri negant: quemadmodum in Suaresio, locupletissimo Societatis interprete, observavit, lib. 3. de Auxiliis cap. 2. 5. & 13. & lib. 1. de concursu Dei cum voluntate cap. 15.

Ea ratione velut evanidam exsufflavit Molinianæ doctrinæ apologiam à Bastida tentatam: quia cum ille excitationum & suasionum apparatus voluntatem ipsam reverâ non flectat, ac propriè moveat; non obest quominùs gratiæ usus nativis ejus viribus adscribatur. Hinc ille ipse, sententiæ suæ dignus interpres, post pompaticas illas excitantis gratiæ commendationes, innatis liberi arbitrii viribus bonum divinorum Auxiliorum usum assignat. Sic quæst. 23. art. 4. disp. 1. memb. 11. §. *Postremò*, ait: *Quod hi cum majoribus auxiliis prædestinati & salvati non fuerint, illi verò cum minoribus prædestinati & salvati fuerint, non aliunde fuit, nisi quia illi pro innatâ libertate noluerunt ita uti suo arbitrio, ut salutem consequerentur, hi verò maximè*: quibus similia habet, quæst. 14. art. 13. disp. 12. Sic quæst. 23. art. 4. & 5. disp. 1 mem. 10. §. *Unde quando*, assensum arbitrii collatâ gratiâ benè utentis, effectum Prædestinationis & gratiæ esse negat, quatenùs ab arbitrio est. Sic disp. 39. scribit, *Deum ex gratia non applicare nec movere liberum arbitrium ad actum, ita quod liberum arbitrium priùs naturâ motum & applicatum à Deo agat.* Sic disp. 26. & 27. Editioni Antverpiensi additâ, S. Thomæ doctrinam de Dei in causas secundas influxu vellicat, uti commentitiam & inimicam libertati.

Non absimili modo Bastidæ momentis occurrit Vir eruditus. Primum occupavit pervulgatâ sensus compositi & divisi distinctione, quam à Bastida præposterè & ignoranter intellectam ostendit: Ejus sensum his verbis exposuit: *Posse hominem resistere in sensu diviso, nihil aliud est quàm habere liberam potentiam ad resistendum, sive positâ gratiâ, sive non positâ. Semper enim etiam appositâ efficacissimâ gratiâ, habet homo liberam potentiam ad illam abjiciendam. Sensus autem compositus est, in quo componitur actus cum actu; actus scilicet divinæ voluntatis, volentis illum gratiæ consentire, cum actu dissentiendi. Itaque cùm componitur efficacia gratiæ cum potentia libera, non est sensus compositus; sed cùm simul componitur actus divinæ voluntatis, efficaciter per gratiam moventis hominem ad consensum, & simul ejus dissensus.* Secundum autem argumentum, de divinorum auxiliorum abusu in Deum ipsum refundendo, quod olim à Pelagianis adversùs Augustinum toties refricatum est, jam satis à se in superioribus disputationibus solutum ac confutatum respondit; nec ultra in ejus confutatione desudandum. Quapropter in reliquis adversæ sententiæ fundamentis suffodiendis operam posuit. Ostendit gratiæ divisionem in excitantem & adjuvantem, eandem non esse cum divisione in prævenientem & concomitantem, quasi sola gratia excitans præveniat voluntatem: sed gratiam adjuvantem, sive efficacem, perinde prævenientem esse & cooperantem. Probavit insuper, gratias excitantes non obesse, quominùs gratiæ ex se ipsis efficaces aliunde desiderentur ad bonum divinorum auxiliorum usum. Præsertim quia ipsimet Massilienses, ut paulò ante ostenderat, gratias excitantes, tum prævenientes tum concomitantes admisere, bonumque auxiliorum usum, non puris naturæ viribus, sed illis istiusmodi gratiâ præventis tribuerunt. *Constat*, inquit, *S. Augustinum libro de Prædest. SS. & de dono perseverantiæ, egisse contra Pelagianos illos posteriores Massilienses, qui gratiam istam excitantem & cooperantem admittebant. Cassianus enim illam admisit, ut constat apertè ex Collatione 13. de qua sæpiùs à nobis actum est. Et Faustus etiam Regiensis, cujus doctrina est damnata, illas excitationes prævenientes, & cooperantem gratiam admisit, ut constat apertè ex 1. & 2. libro de gratia & humanæ libertatis arbitrio. Immò Julianus admisit gratiam cooperantem, ut patet ex lib. 1. ad Bonif. cap. 19. ubi id apertè dicit S. Augustinus. Admisit & excitantem, ut patet ex lib. de gratiâ Christi. Constat igitur quòd S. Augustinus contra illos damnat, non solùm bonum usum Arbitrii merè naturalem, cui gratia tribuebatur, sed etiam damnavit bonum usum supponentem gratiam: Ex qua tamen concludebant, illum bonum usum non fieri, sed tantùm ex arbitrii libertate præscitâ.*

Multa adversùs Lemosii dicta reposuit Ferdinandus de Bastida, ut Molinæ sententiam

tentiam de bono auxiliorum usu emolliret, eamque Augustinianæ doctrinæ geminam ostenderet. Sed ut erant in superioribus disputationibus occupata, ad priora dicta se retulit Thomas de Lemos. Ac tandem post prolixam de Calvini sensu concertationem, in quem Thomistas incidere contenderat Societatis Actor, illuc disputatio perducta est, ut solam excitantem gratiam, à Molina defendi utrique faterentur, quamquàm qui pro Prædicatoribus dicebat, nequaquam illam obesse contenderet, quominùs gratiæ usus nativis arbitrii viribus adscriberetur. Disputatio hora 21. finita est.

Judicium de bono divinorum Auxiliorum usu.

Ex Actis Secret. At in Compendio sic:

„ Congregatio 68. celebrata est die 22. „quæ fuit dies Sabbati mensis Januarii, horâ „17. 1605. de usu auxiliorum. Resolvit „Congregatio bonum usum auxiliorum „secundùm S. Augustini doctrinam, esse „à gratia: secundùm verò Molinam, esse „ex sola innatâ libertate. Quod & ex plu-„ribus testimoniis S. Augustini, & ex „multis ex opposito productis ex CONCORDIÆ libro, compertum fuit. P. Regens „dixit, bonum usum auxiliorum esse à gra-„tia, quæ facit ut homo faciat, idque se-„cundùm S. Augustinum. Quod verò at-„tinet ad modum faciendi ut homo faciat; „benè salvari hanc sententiam, & omnia „quæ docuit S. Augustinus hac de re, cum „modo quo Molina, & ejus Defensores „illam exponunt, per gratiam congruam „& aptam, prout Deus cognovit illis „congruere. Dimittitur sessio post horam „21.

Resolvit Congregatio, secundùm doctrinam S. Augustini contra Pelagianos & Semipelagianos, ex divinis Scripturis plenè cumulatéque comprobatam, gratiam Christi efficacem esse prævìam, non pedissequam, & influere in voluntates hominum bonum motum voluntatis eorum, atque adeò bonum usum auxiliorum esse effectum gratiæ efficacis. Secundùm verò doctrinam Molinæ, qui negat gratiam adjuvantem esse influxum in voluntatem, & constituit gratiam & voluntatem concurrere tanquam causas partiales ad actus supernaturales, atque gratiam efficacem non ab omnipotentiâ Dei & absolutâ ejus voluntate, quod docuit S. Augustinus, sed ex consensu liberi arbitrii habere suam efficaciam; bonum usum auxiliorum esse ex solâ innata libertate: quod est omninò Pelagianum.

CAPUT QUADRAGESIMUM-TERTIUM.

Recentium hujus Historiæ Interpolatorum adversùs Quintum Examen querimoniæ diluuntur.

QUi divinorum auxiliorum historiam turpiùs adulterarunt, istam præ cæteris instituti Examinis partem corruperunt, quâ totum penè lati judicii robur positum norunt. Hos inter primas retulit Paulus Leonardus; qui ne tot solvendis nodis importuniùs defatigaretur, rem uno verbo confecit: à nemine inquiens sciri posse, quid hoc publico Examine Censores rogati subscripserint. Quippe (addit) Clemens Papa, finitâ in apertis disputationibus cujusque articuli discussione, Censores remotis testibus advocabat, quorum intellectâ sententiâ, sub gravissimis censuris interminabatur, ne quidquam ullo pacto propalarent. Ac propterea latebant communicata illa de propositis quæstionibus judicia, in arcano Pontificiæ mentis scrinio, aut intimis Inquisitorum Generalium pectoribus. Undenam igitur (exclamat) sciri valeat, quid illa tam sigillata communicatione unusquisque Censorum apud Christi Vicarium de agitata lite contestatus sit? Non ipsi qui Censuris adstringebantur, revelabant: non supremæ Inquisitionis Judices, quibus, ut decet, profunda erat taciturnitas: non Summus Christianorum Antistes, indicti silentii autor. *Quin immò*, concludit lepidus conjector, *licet qualis exstiterit minutatim publici Examinis Censura prorsùs ignoremus, quia originalia Acta consulere non licuit; tamen si ex effectibus & fama divinandum est, magna spes est, data tum suffragia pro Scientia-media.*

1. p. sect. 4. n. 20. & 21.

Audacem Ariolum insulsis divinationibus ali per me licet: solidiorem cibum optabunt, opinor, viri prudentes & eruditi; nec vanas illas rabularum declamationes, originalium Actorum fidei, quam non illis, sed nobis consulere libuit, anteponent. Quid est enim, quòd indicti silentii legem adeò jactitant nugivenduli, ut nihil ea de re sciri posse demonstrent. Certè non sumus nos, qui vel Eminentissimos Cardinales, vel secundi ordinis judices, Censuras suas contra secreti jura propalasse existimemus. At si, quæ Congregationum Secretarii in commentarios retulerunt, jam tandem post illorum obitum ad nos usque pervenere; si ea in publicis Urbis Bibliothecis intueri jam ac legere licet; quid impositam Censoribus silentii legem obtendere juvat, eorumve in servando juramento religionem commendare necessum est? Siluerunt illi quidem quandiù vixerunt; verùm quæ posteritati reliquerunt scripta loquuntur, nec interminatæ censuræ pœnam metuunt.

Nihilo firmior est altera Ripaldæ criminatio, quâ Societati irrogatam injuriam obtendit: dum illis, ut ait, initio hujus Examinis postulantibus, ut de physica prædeterminatione ageretur, renuit Clemens

Tom. 2. disp. 113. sect. 12. & 13.

mens VIII. Quis enim æquissimo Pontifici jure succenseat, si ab ea quæstione initium fieri noluisset, quæ in jus vocata non erat? Aut quis unquam Reo concedendum putet; ut priùs Actoris expendatur causa, quàm sua? In hac siquidem controversiâ, Dominicanos Actores exstitisse, non Reos, nemo nescit.

Sed & illud omninò commentitium est, Societatis Theologos expostulasse, ut à physica Prædeterminatione disputationis initium fieret. Quin potiùs, quoties ea de re disserendi se dabat occasio, aut ad id spontè ducebat disputationis argumentum; toties illi quæstionem hanc in aliud tempus differri supplicabant. Exemplo est prima Congregatio: ubi Alvaresio hujuscemodi difficultatem movente, responsum negavit Gregorius de Valentia; eaque de re non adeò intempestivè disputandum ait. Idem evincitur ex decima-tertia Congregatione. Enatâ quippe quæstione de modo efficaciæ divinorum auxiliorum, moras petiit Jesuitarum Præpositus: nec eam ante tractari voluit, quàm ad consulendos supra quinquaginta Societatis Theologos, induciæ concederentur. Ac tandem in quadragesimo-septimo Congressu, rursùs hujusce tractationem argumenti aliò distulit Ferdinandus de Bastida, dum de gratia præveniente ex Concilii Tridentini mente sermo esset.

Eodem ararunt vitulo, qui istius Quinti Examinis occasione Fratribus Prædicatoribus objiciunt, quòd certam futurorum contingentium notitiam Deo negarint, ubi de Scientiâ-mediâ disputatum fuit. Conspirant in hujus figmenti assertionem Petrus à S. Joseph in Pseudo-defensione S. Thomæ disp. 2. sect. 10. n. 1. Gabriel Pennotus lib. 3. cap. 26. n. 2. Gabriel Henao in Scientiæ-mediæ Theol. defens. Franciscus Annatus de Scie. med. disp. 4. Christophorus Ortega Controv. 2. de Scie. disp. 5. quæst. 2. Certam. 2. Verùm quàm insulsa & vana sit accusatio, satis opinor intelliget quisquis in Congregationem quinquagesimam-nonam & sexagesimam-primam conjecerit oculos. Ibi quippe, non modò certam infallibilemque hujusmodi futurorum notitiam defendit ex instituto Thomas de Lemos; sed & Bastidam, in eo probando dogmate inutiliter desudantem, sæpiùs exagitavit; tanquàm qui à Thomistis negari fingeret; quæ summo consensu fatebantur; eaque arte nihil nisi moras nectere tentaret, ne res quantocitiùs Apostolico judicio definiretur.

Actorum fidem non mediocriter juvat aliorum è Societate Scriptorum testimonium; qui Sodalium suorum hallucinationem, novâ licet hallucinatione prodiderunt. Scribunt enim alii, primos quidem Scientiæ-mediæ impugnatores certam illam & infallibilem futurorum contingentium notitiam Deo eripuisse; illum tamen qui publicam Ordinis causam in Congregationibus auxiliorum agebat, sanioribus consiliis adductum, aliam in publicis Congressibus iniisse viam, ac de solo divinæ cognitionis medio disputasse: *Esto*, inquit Ripalda, *Theologus Dominicanus facilè nostro concesserit, Deum certò & infallibiliter, & non solum conjecturaliter præscire futura libera conditionata; in eoque ab Hispanis Theologis primum contradicentibus Molinæ jure recesserit; ideòque de solo medio in quo Deus ea prænoscat, contenderit disputari, ut fert recentium narratio: necessarium tamen nostro Theologo fuit & examini rei consentaneum, manifestari Pontifici, qua ratione primi osores Scientiæ-mediæ refragati illi fuerint; & in qualem doctrinam eos impugnatio coegerit.* Disp. 113. sec. 12. Et Paulus Leonardus parte 1. Responsionum suarum ad Expostulationes contra Scientiam-mediam sect. 14. n. 61. *Quamvis*, inquit, *scientia conjecturalis à Patribus Dominicanis, qui dissertationibus publicè in Urbe factis adstiterant, meritò repudiata fuerit: & maluerint decreta quædam absoluta ex parte subjecti, etsi difficillima intellectu, & querelis multis obnoxia, quorum beneficio certa & infallibilis Dei cognitio de futuris contingentibus sub conditione firmaretur, introducere, quàm illam tam imperfectam cognoscendi objecta, à liberâ causâ conditionatâ pendentia, normam Deo tribuere: tamen per eadem tempora celebrem in Thomistarum schola opinionem exstitisse dico, quæ non infallibilem de nominatis objectis numini scientiam concedebat, sed probabilem solùm, & per conjecturas juxta causarum propensionem.*

Cæterùm quàm temerè nova illa primis Scientiæ-mediæ debellatoribus labes inuratur, prolixè demonstrant Joannes à S. Thoma tom. 1. in 1. p. disp. 20. q. 14. a. 1. & Piccinardus tom. 3. de approbatione doctrinæ S. Thomæ, lib. 7. quæst. 1. art. 3. ubi eximios illos Angelicæ Scholæ Principes de conjecturali cognitione locutos interpretantur; non quæ re ipsa in Deo sit, spectatâ ratione divini decreti, sed quæ ipsis futuris contingentibus, materialiter tantùm spectatis, debeatur: prout scilicet in nudâ causarum contingentium dispositione continentur. Eum expositionis modum subjunxit Thomas de Lemos in Congregatione quinquagesima-nona; nihilque

habuit Societatis Defensor, quod objiceret in oppositum. Unde mirari satis nequeo, putidam adeo calumniam necdum hactenus evanuisse, sed novâ quotidie arte ac studio refricari.

CAPUT QUADRAGESIMUM-QUARTUM.

Exceptiones adversùs Clementem VIII. à Recentioribus confictæ dissipantur. Cardinali Perronio in Societatem inclinato quis animus, aperitur.

QUæ solent adversùs quoscumque integerrimos Judices à Reis causâ dejectis exceptiones afferri, ut se injustè damnatos obtendant, eædem illæ adversùs Clementem VIII. à Societatis Scriptoribus proferuntur. Hunc malo in Societatem animo fuisse, ab Hispanis in Prædicatorum gratiam circumventum, minùs pro dignitate argumenti eruditum, Molinianæ doctrinæ ac præsertim Scientiæ-mediæ mysteria non satis edoctum; tritæ sunt obmurmurantium quærimoniæ. Iis passim expostulationibus abundant Martinus de Ripalda disp. 113. sect. 13. Annatus de Scientia-media disp. 4. Paulus Leonardus parte 1. Responsionum suarum: eoque tantillo solatio illata domesticæ doctrinæ vulnera oblinire satagunt. Audaciùs verò nuper in supplici monitione Illustrissimo Archiepiscopo Rhemensi factâ, omnique jam pudore deposito, Sanctissimi Pontificis famam affectatâ per summam astutiam speciosâ præteritione dilacerant; quasi projectis indignisque Pontificiæ dignitati corrivationibus, nimium in Prædicatores affectum induisset. Occulta ad hoc propudium affingendum instrumenta habere se jactitant; seque speciosâ in sacrum nomen veneratione teneri fingunt, ne illa in publicum edant: quasi religioso silentio Pontificiæ Majestati litare mallent, cum ipso etiam domesticæ causæ dispendio. *Si id quidem auderemus*, inquiunt, *alia benè multa addi possent longè secretiora, ex documentorum certissimorum fide, quæ argumenta nobis optima suppeditarent, cur Clemens VIII. ad hanc usque diem adeo se in Prædicatores propensum ostenderit.* O frontem qualiumcumque Theologorum! Itane scenicâ illâ modestiâ Pontificiæ dignitati injuriam irrogare, & eruditorum fortè credulitati illudere cogitatis? Proferte, si quid habetis, in medium, & occulta quæ fingitis documentorum vestrorum sacraria reserate. Tanta nobis de vestra modestiâ opinio non inest, ut si quid causæ vestræ juvandæ suppeteret, id vos omissuros existimemus, ut sacratissimo nomini benignè parcatis. Plus vestro illo silentio læditis, quàm prolixâ declamatione læderitis. At vagis stultisque criminationibus superior est tanti Pontificis fama, nec nostris Apologeticis orationibus indiget.

Quanto enim affectu Societatem complexus sit Sanctissimus Pater, probant impensa universo Ordini beneficia. Probat delata Toleto ac Bellarmino Purpura, non ad Principum gratiam, sed sponte sua, atque intimo cordis ac voluntatis affectu. Probat Paterna illa, veréque Pontificia sollicitudo, qua Societatem è Gallia pulsam, Henrici IV. beneficentiâ restitui providit. Probat zelus ardens, quo se apud Regem eundem sequestrum exhibuit; ne qui primo naufragio sospites evaserant, novis malevolorum artibus, in exilium pellerentur. Probat quotidiana penè benevolentiæ significatio, dum quidquid illi in hujusce causæ tractatione, præter jus & æquum, concedi sibi precabantur, lubentiùs indulgebat; malebatque ex abundanti gratificari, quàm nimiâ juris tenacitate solutos animos exacerbare.

Lege Ciaconium in Clem. VIII & Card. Ossatum Epist. 27. ad D. de Villeroy.

Quæ si vera sunt, unde est liberalis illa exceptio de circumvento ab Hispanis, in gratiam Prædicatorum, Summo Ecclesiæ Hierarcha? Oppositum evincunt hujus Historiæ documenta, non obscura quidem & in angulis posita, sed ab ipsis nugarum istarum venditoribus comprobata. Quid etenim sibi volunt tot illæ ab Hispaniæ Principibus, Magnatibus, Academiis, Episcopis ad Clementem VIII. cæterosque hujus causæ cognitores datæ epistolæ; quibus ad Societatis gratiam importuniùs supplicabant? Quid Episcopi illi, qui cum primùm rumor excitari cœpit, Pontificis animum adeò in Prædicatores exacerbarunt, ut non nisi longo post tempore, compertâque rei veritate, præconceptam de illis opinionem exuerit? Quid Inquisitores nonnulli, qui mandata Pontificia in Hispaniam transmissa turpiter vitiarunt, ne Fratres Prædicatores juris prærogativâ potirentur? Quid Archidux Albertus, Lusitaniæ Prorex, non Molinæ tantùm mæcenas, quo favente & obstetricante lucem aspexit CONCORDIÆ liber; sed & assiduus causæ hujus Procurator & Actor? Quid ejus Mater Imperatrix Augusta, quæ toties Eminentissimos Cardinales huic examini præpositos, epistolis defatigavit, ut pro Molina sententiam dicerent; Hispaniæque Oratorem, ut sua illi officia impenderet,

Paul Leon. 1. p. sect. 7. 8. & 9.

Lib. 1. cap. 17.

Lib. 1. cap. 21.

Lib. 1. cap. 13.

Lib. 2. cap. 4.

Lib. 2. cap. 27. penderet, adhortata est? Quid potentissima Borgiadum familia, quæ repetitis precibus & impensis officiis Molinæ causam, suam fecerat? Lib. 3. cap. 7. Quid Comes Ferdinandus componendæ controversiæ, ac sopiendæ litis sequester exhibitus? Lib. 2. cap. 29. Quid demùm Hispaniarum supremus fidei Censor, ac ipse etiam Catholicus Rex, qui præcipites & antelucanos ferendi propè diem judicii Pontificii derisores, Complutensi carcere detentos, contra promissorum fidem libertate donarunt?

Itane verò sunt hæc impensa Prædicatoribus officia, quibus Hispani Clementem VIII. eorum partibus devincire satagebant? Si ita est, nihil vetat quominùs Jesuitas ipsos Prædicatoribus patrocinatos asseramus. Interea tamen, si iis Hispanorum Lib. 2. cap. 27. officiis, Germanorum Principum preces Summo Pontifici pro Jesuitis oblatas addideris; si Serenissimi Bavariæ Ducis impensum Molinianæ causæ patrocinium; si Lib. 4. cap. 1. Henrici IV. Galliarum Regis exhibita studia contuleris; totam penè in gratiam Societatis conspirantem Europam videbis, atque uni, si rectè sapis, æquitati causæ adscribendam fateberis, Prædicatorum victoriam. Sed ea fuit adversæ partis industria, ut pro imminuendâ triumphi gloriâ, vagos illos de impenso à Philippo III. Prædicatoribus patrocinio, rumores evulgaret. Quia cùm nulli nota non essent, quæ in hujusce causæ tractatione Societati officia contulisset Galliarum Rex Christianissimus; Hispaniarum Regem, Prædicatoribus ex adverso nimis addictum commenti sunt, ut humani favores æquâ trutinâ penderentur; dictumque Poetæ, in tanto Principum conflictu cani posset:

Jupiter in Troiam, pro Troia stabat Apollo:
Sæpè, premente Deo, fert Deus alter opem.

Supplicavit equidem fateor Rex Catholicus pro Apostolica controversiæ definitione; quâ solâ Hispaniæ intestino bello discissæ pacem restituendam arbitrabatur. Causam quantocitiùs eliquari voluit, ac per suos in Romanâ Curiâ Oratores & Administros urgeri jussit, ne sera procrastinatione res evanesceret. Cæterùm nihil egit, nihil scripsit, quo propensiorem alterutri parti voluntatem innueret. Jus pro causæ merito dici voluit æquissimus Princeps: nemoque erit, opinor, qui apicem ejus in epistolis observarit, quo in Prædicatores inclinasse videri possit.

Quapropter non potest fallacibus Cardinalis Perronii suspicionibus non adscribi, quod in ejus ad Henricum IV. Epistolâ legimus; quodque adeò nuper amplificabant Molinianæ causæ vindices, in supplici Monitione Illustrissimo Archiep. Remensi factâ, occasione censuræ in nonnullas Societatis Theses ab ejus Celsitudine pronunciatæ: * *Hispani palàm & apertè Domi-* 23. Jan. 1606. *nicanis patrocinantur, ex odio, ut arbitror,* 7. Febru. *Generalis Societatis, ac Jesuitarum penè om-* 1605. *nium, qui pronum in Majestatem Vestram affectum demonstrarunt: videnturque Religionis quæstionem, controversiæ politicæ loco habere.* Politicis quippe viris solenne est, quoslibet æmulorum motus in malum omen accipere, res omnes pro partium studio amplificare, immò & sinistris interpretationibus inficere. Idem scilicet eos inter usu venit, quod in arte bellandi experiuntur Imperatores. Nullus est vel levissimus hostium motus, nulla novi apparatus species, stationis mutatio nulla, quæ illorum animos non moveat vel offendat, aut in vanas suspiciones inducat. Quid itaque mirari subeat, si ea ætate temporum, quâ Gallos inter & Hispanos gravissima odia versabantur, Perronius Jesuitarum rebus ex Henrici IV. mandato promovendis totus intentus, Hispanorum zelum in urgenda controversiæ definitione, minùs æquè interpretatus sit; suarumque epistolarum stylum Principis sui genio & affectibus accommodarit? Quid mirum, inquam, si ut erat adversis studiis occupatus, mysteria & arcana finxerit, ubi non erant; falsisque rerum imaginibus spontè delusus, calamum ad Aulæ ventum acuerit? Quales enim in Aulis agantur fabulæ, experti norunt.

Nec verò Perronio deerant politicæ rationes, quibus ad eam scenam agendam adducebatur. Hispani scilicet Henrico IV. subinfensi, qui canonicæ ejus absolutioni, non ita pridem omnibus artibus intercesserant, traducendi videbantur: indulgendum Christianissimi Regis voluntati, cui necesse penè erat reducem ab exilio Societatem fovere ac protegere: devincendi Jesuitarum animi, ut ejus orthodoxiam Romæ magnificentiùs prædicarent: deprimendi Prædicatores in Gallia tunc temporis minùs accepti, & à publicis Curiæ muneribus nuper amoti: palpandus demùm Cottonius; primus è Societate ad Regis confessionis in Aulam vocatus. Quæ omnia viris politicæ scientiæ peritis, qui vultum

* Les Espagnols font profession ouverte de proteger les Jacobins, en haine, comme je crois, de l'affection que le P. General des Jesuites, & presque tous ceux de son Ordre, ont montre de porter à Votre Majesté: & il semble que d'une dispute de Religion, ils en veuillent faire une querelle d'Etat.

vultum & oculos ad omnem fortunæ ventum erudire solent, levioris momenti videri nequeunt.

Absit tamen ut Eminentissimi viri gloriæ quidquam imminutum velimus: sed quæ fateri non erubuit ipse, ea referre nobis religio non fuit. In Gallias enim reversus, post solutas tandem Auxiliorum disputationes, Bastidæ Lutetiâ in Hispaniam iter agenti, dum ipsum salutatum inviseret, contestatus est Eminentissimus Princeps, non ea se Societati officia contulisse, quòd ejus doctrinam probaret: sed ut Regis, cujus erat Orator, nutibus ac studiis responderet. Dicti fidem facit Guilielmus Gibieuf, Congregationis Oratorii Presbyter, qui Lutetiæ tunc temporis versabatur. * *Cardinalis Perronius Bastidam Jesuitam ad colloquium admisit, quo tempore Lutetia in Hispaniam iter habens, regia in urbe aliquandiu substitit. Cumque bonus Pater magno ei studio rationes exponeret quibus scientiam conditionalium Deo necessariam contendebat, ut homines illæsâ libertate convertat; significavit Cardinalis, longè se ab illo sentire, ac inter alia reposuit:* Quare enim non potest Deus, dare gratiam per se & absolutè Victricem? *Aderat huic collationi præsens Dominus Duvallius. Obstupuit bonus Pater, animadvertens Cardinalem longè aliter sentire, quàm putabat ipse; eumque propterea rogavit supplex, ut rem totam silentio tegeret. Novit tunc quantùm discriminis intersit, virum inter qui ex Oratoris officio Principis sui causam agit, & Theologum qui Doctoris personam sustinet. Romæ dum esset Perronius, Oratoris partes agebat, voluntati Regis obsecutus, qui hanc illi Societatis causam, adversus Prædicatores commendaverat: hic verò pro Doctoris officio, quid reipsa sentiret liberè pronunciabat. Totum id mihimet ipse enarravit Dominus Duvallius.* Ita Doctissimus P. Gibieuf in manuscriptâ prænotatione ad exemplar editi sui operis, *De libertate Dei & creaturæ*, quod ad proprium usum habebat, & ad novam curandam editionem castigaverat. Cujus Codicis demùm fuit hæres, Petrus de Moissey, præclaris in Oratorii Congregatione muneribus illustris.

Du Vallius Doctor & Professor Regius in Sorbona.

Annatus disp. 4. de Scien. med. cap. 1.

Restat atrocior in Clementem VIII. criminatio diluenda; quâ uti Scientiæ-mediæ sensus & arcana minùs edoctus accusatur. Criminationem instruit Franciscus Annatus ea ratione nixus, quòd in publicis Disputationibus identidem significaverit, lumine Scientiæ-mediæ præsciri juxta Molinam bonum liberi arbitrii usum quem faceret natura, non gratia. Quæ res, inquit Annatus, à Molinæ mente remotissima est; secundùm quem liberi arbitrii usus, ex hypothesi dumtaxat gratiæ elevantis & adjuvantis præsciri supponitur.

Verùm ad populum phaleras. Nos hujuscemodi tricas in publicis congressibus venditatas scimus, & ab eruditissimis causæ cognitoribus explosas. Eâ larvâ Molinæ sensum obtexit Ferdinandus de Bastida in Congregationibus 21. 27. & 29. sed conatu prorsùs irrito. Speciosa Molinæ verba de consensu liberi arbitrii sub gratia constituti, quibus Scientiæ-mediæ systema cohonestare nituntur Defensores ejus, uti frivola, illusoria, & æquivoca demonstravit Thomas de Lemos. Semipelagianos iisdem illis ad fucum faciendum abusos ostendit. Explicatissimos Molinæ contextus adduxit, ubi liberum arbitrium sub gratia dumtaxat versatili & invitante constitutum, non ex ipsius gratiæ potentiâ, sed innatâ sibi libertate assentiri atque operari profitetur. Sic ut mirari jam subeat, novos istos parùm sinceros litigatores, obtrita atque obsoleta arma recudere, ad obtegendum novitii dogmatis virus, & eruditissimo Pontifici inscitiæ labem irrogandam.

Quanquam etsi vindicandæ Clementis famæ disputationum Acta præstò non essent, justa facti præsumtio sufficeret. Solido quippe septennio Controversia tractata fuerat: quæstiones juris & facti, quàm diligentissimè discussæ: mutui congressus pro exponendis utriusque Scholæ dogmatibus indicti: Academiarum & Episcoporum collata suffragia: partium Procuratores tum scripto tum voce quinquies auditi: lecta ter & ampliùs juris ac rationum instrumenta: Censorum denique judicia mutuo consilio meditata sunt. Vel ergo Clementem VIII. cæterosque ascitos Judices, stipites fuisse oporteat, qui totius controversiæ caput, ipsamque Molinæ mentem, tanta licet præmissâ sollicitudine non attigerint:

* Le Cardinal du Perron parla au P. Bastide Jesuite, en cette Ville de Paris, où il passa & fut quelque tems, allant de Rome en Espagne. Et comme ce bon Pere l'entretenoit avec grand soin des raisons qui rendoient la science conditionelle necessaire à Dieu, pour convertir les ames, sans interêt de leur liberté; ce Cardinal lui fit connoître, qu'il n'etoit pas de son sentiment; & lui fit entre autres cette repartie : *Quare enim non potest Deus, dare gratiam per se & absolutè Victricem?* Feu M. Du Val etoit present à ce pourparler. Et ce bon Pere tout surpris, de remarquer en ce Cardinal des sentimens bien differens de ce qu'il attendoit, le supplia instamment de n'en rien dire à personne. Il connut alors qu'il y a grande difference, entre un homme consideré comme Ambassadeur, & consideré comme Docteur. Etant à Rome il avoit parlé comme Ambassadeur, suivant la recommandation que le Roi lui avoit faite de la cause des Peres Jesuites contre les Jacobins: & alors il parloit comme Docteur selon ses propres pensées. C'est à moi-même que M. Du Val a dit ce que dessus.

gerint: vel Annatum immodicæ dicacitatis reum fateri necessum est, qui scholæ suæ sensa callidè dissimulat, cæterisque ignorantiæ labem tam liberaliter affingit.

1. Par. Sect. 5. Sed & adhuc expostulat in oppositum Paulus Leonardus, hocque ultimo telo, rubigine jam exeso, Clementis VIII. seu veriùs Pontificiæ Dignitatis famam petit. Quæ tanta, inquit, Thomisticæ doctrinæ gloria, si secundùm illam duo privati Pontifices fortè sensissent? Quid tanti inde præsidii reportaret, cum & Pontifices falsas interdum opiniones ebiberint; ac ipse etiam Joannes XXII. errorem de Beatitudinis procrastinatione prædicaverit? Quasi verò non aliud omninò sit, Pontificem occultum aliquem errorem privatim ebibere; eoque se nulla præmissâ consultatione canonica inficere, aut eam aliis per fas nefasque propinare velle; quod de Joanne XXII. scribunt aliqui: aliud doctrinam aliquam auditis utrinque partibus dissidentibus, Academiarum, Episcoporum, Theologorumque suffragiis conquisitis, diligenti plurium annorum examine instituto, sacro Cardinalium cœtu habito, effusis pro divina ope obtinenda solennibus in Urbe supplicationibus, induisse; omniaque demùm ad ferendum judicium ultimò perduxisse: quod de Clemente VIII. satis apertè monstratum est. Primum certè imprudentis consilii esse, nullumque assertæ doctrinæ præsidium conferre posse, nemo nescit: secùs alterum.

CAPUT QUADRAGESIMUM-QUINTUM.

Clemens VIII. ferendæ sententiæ voluntatem ad mortem usque gerit, nec ab ea Card. Perronii consiliis dimovetur.

ITa semper affectum fuisse Pontificem timum, adeò certum est, ut sanè otiosi esset hominis, in re compertissimâ diutiùs immorari. Legat qui scrupulum patitur, superioris libri caput 23. & 24. ubi ardens finiendæ Controversiæ desiderium, pronumque in Prædicatorum doctrinam animum, adversùs importunos vitilitigatores demonstravimus. Legat & hujus libri tertii caput septimum: ex Congregationibus verò, primam, secundam, tertiam, cæterasque penè omnes; in quibus suam de Molinæ dogmatibus mentem explicatiùs aperuit. Legat demùm, serióque Exstat in Appen. ponderet eruditissimum scriptum die 9. Julii 1603. adornatum; quo Prædicatorum sententiam de efficacia Divinæ prædestinationis & gratiæ, quindecim articulis expressam, variis S. Augustini testimoniis confirmabat. Hinc etenim Clementis VIII. firmam atque extremam voluntatem colligere licet. Cùm eam lucubrationem, suæ de controversis Dogmatibus sententiæ testem, ad obitum usque esse voluerit: ac secundùm illam quæstiones omninò dirimere proposuisset, nisi solitæ Societatis dilationes obstitissent. Rei fidem faciunt Acta ipsa Secretarii, post enarratas Disputationes sub ejus Pontificatu Romæ habitas. *Die 22. mensis Januarii anno Domini 1605. dimissâ sessione in quâ DD. Consultores dixerunt quid secundùm S. Augustinum sentiendum sit de dubio proposito, S. D. N. præcepit Patribus Secretariis, ut ejus nomine significarent utrisque Patribus, Prædicatoribus & Societatis, ut parati essent ad respondendum in prima futura sessione:* Ex Actis Coron. "An agnoscerent quindecim " illos articulos, in magno Scripto aliàs à sua " Sanctitate illis exhibito, distinctè dispositos, " de efficacis gratiæ & doni perseverantiæ " essentia & necessitate, illiusque cum " arbitrii libertate concordia ex diversis li- " bris à S. Augustino contra Pelagianos & " eorum reliquias editis excerptos & con- " firmatos, continere veram & genuinam " doctrinam S. Augustini de gratia Christi: " *Decreverat enim brevì rem definire, & omnes controversias inter Patres Prædicatores & Societatis exortas omninò dirimere. Patres verò Secretarii, prout in mandatis habebant, scriptum S. D. N. utrisque Patribus expresserunt". Qui quamvis pariter id sibi gratissimum fore affirmarent, & Scriptum penes se haberent à die 9. mensis Julii anni Domini 1603. Patres tamen Societatis dixerunt, sibi ad respondendum Quæsito opus esse spatium ad minus quindecim aut viginti dierum: atque adeo precari se S. D. N. ne ante id tempus sessionem indiceret. Quòd cùm Patres Secretarii S. D. N. retulissent, etsi aliquantulùm commotus, quòd dilationes istas illos cautè affectare putaverit; in hoc tamen, sicut & in multis aliis, illis gratificari voluit.* Forsè pertexerunt.

Sed, inquiunt litigatores professi, si id erat animo constitutum, quæ negotia Pontificem impedire potuerunt, ut ab anno 1597. quo hæc controversia Romæ agitari cœpta est, ad annum 1605. quo vivere desiit, pronuntiaret? Quæ tanta potuit esse occupatio, ut octo circiter annis non concederetur spatium trium verborum, quæ rei conficiendæ satis erant? Quidni potiùs credatur (subjungunt) quamvis alieniore animo esset à doctrina Molinæ, impeditum tamen, & successu disputationum, & magnorum Virorum consilio, & occul- Eug. Phil. in Appe. ad Camer. Annat. disp. 4. de Scien. med. cap. 1.

 tâ

tâ Spiritus Sancti providentiâ, quæ Vicarium Christi nunquam deserit, ne sententiam præcipitaret.

Tritæ huic querulorum declamationi ex parte toto passim opere satisfecimus: Clementem non occupationibus, sed Societatis artibus, strophis, querelis, dilationibus, à ferenda sententia retardatum, satis opinor observare licuit. Rursùs quis disputationum exitus fuerit, quid occulta Spiritus Sancti vis secretiùs afflaverit, produnt sancita judicia, quibus Pontifex & Præses sedebat & Arbiter. Scire restat, quinam magni illi Viri fuerint, quorum Consiliis Clementem VIII. à ferendo judicio abductum fabulantur. Sunt illi (si Annato ejusque consortibus credimus) admodùm unus; Cardinalis scilicet Perronius, qui eximium illud officium laboranti Societati impendit, dum Clementi Prædicatorum sententiæ definitionem meditanti significavit, *Curaturum se, si quod meditabatur, definiret, ut huic Pontificio Decreto, Universi Europæ sectarii subscriberent, sancitamque doctrinam suis chirographis communirent.* Quo verbo Pontificem territum dicunt, ne Apostolicam definitionem ederet; ob nimiam, quæ objectabatur, Calvinianæ ac Thomisticæ sententiæ consensionem. Mirùm quàm petulanter vulgatum illud Perronii verbum exaggeret nuperus Autor supplicis Monitionis Illustrissimo Archiepiscopo Remensi factæ, ut illum à lata in Molinianas assertiones Censurâ abduceret. Hoc uno verbulo Molinæ causam confectam existimat.

Annatus. Eug. Phil. Theoph. Raynaud. Frison. Paulus Leon. Ortega. Henao. Brietus.

Jam hìc ego ab iis obiter scire velim, quid Clementem ab edenda quam meditabatur pro Prædicatoribus definitione deterrere necesse fuerit, si, ut ipsi quidem volunt, nusquam ei ita decernere animus fuit? Mendaces oportet esse memores. Verùm ita fuerit ut objicitur, Clementem à sanciendâ Prædicatorum doctrinâ dimovere tentarit Cardinalis Perronius: cujus erit, amabo, apud eruditos autoritatis impensum Societati beneficium, quod non causæ meritis, sed Henrici IV. mandatis obtentum, fassus est tandem Eminentissimus Princeps? Thomisticam sententiam, invidiosâ illa Calvinismi accusatione traduxerit, uti fingitur: quis putet Pontificem prudentissimum unius Perronii verbum, atque illud quidem vanè & inaniter jactatum, tot Cardinalium, Episcoporum, ac Theologorum judiciis, septennio & ampliùs meditatis, illicò prætulisse? Itane prudentiæ & æquitatis jura postulant? Mira sanè Scriptorum istorum industria, in attollendis & amplificandis rebus suis, alienisque deprimendis! Unus aut alter, qui Molinisticæ causæ faveat, legionis instar habendus est; qui adversantur, obscuri aut planè nulli. At erat, inquiunt illi, Perronius longè doctissimus, omnesque Calvinismi fibras internoverat. Benè est; sed numquid alii stipites erant, aut Calvinismi fibras nesciebant? Nunquid eas Madrutius ignorabat, qui Concilio Tridentino adversùs Lutheranos & Calvinistas Arbiter interfuerat?

Cæterùm paulò aliter se res habuit, quàm ab æmulis objicitur. Etsi enim Perronius, Henrici IV. jussis obsecutus, apud Clementem adlaborarit, ut quam ad obitum usque gessit sanciendæ Prædicatorum sententiæ voluntatem retardaret; non obscura tamen suppetunt argumenta, quibus eum solis politicis rationibus ductum arbitremur, ut Prædicatores, vel causæ meritis inferiores, vel Calvinianis dogmatibus nimis affines existimaverit. Facit ad id in primis Eminentissimi Principis denunciatio, Bastidæ adeò sincerè & solenniter contestata. Idem juvat, quod in Actis Secundæ Congregationis, habitæ sub Paulo V. die 20. Septembris 1605. apud Lemosium observatur. Ubi cùm Dominicanus interlocutor, Cardinalis Perronii dubitationi satisfaciens (quâ Calvinum minùs malè de humana libertate divináque præscientia, sensisse subinnuerat) multa ex occasione dixisset ad Calvinianæ & Thomisticæ sententiæ differentiam demonstrandam, dictis annuit Eminentissimus Vir.

Vide Capite superiori.

Illud idem confirmat ejusdem Perronii longè diversa de D. Thoma, quàm de Molinæ Vindicibus existimatio. De D. Thoma quidem ita præclarè sentiebat, prout legimus in Perronianis. (a) *S. Thomæ summa omnium illius Operum compendium est, ac veluti Testamentum ejus & extrema voluntas. Hanc Academia Parisiensis, uti miraculum & Scholasticæ Theologiæ oraculum semper habuit, publicè legit, atque etiam si dicere fas est, adoravit.* De Molinæ verò Defensoribus longè aliter. (b) *De disputatione Auxiliorum, cùm Episcopo Nannetensi & Abbate Victorino sermonem habens, quo se loco,* inquit, *Jesuitæ verterent, nesciebant. Valentia*

(a) La Somme de S. Thomas est comme le resultat de ses autres Ecrits, & comme son Testament, & sa derniere volonté, laquelle a toujours été tenue comme le miracle & l'oracle de la Theologie scholastique, toujours lûe publiquement, & s'il se peut dire, adorée dans l'Ecole de Paris.

(b) Parlant à Messieurs de Nantes & de S. Victor de la dispute *De Gratia*: Tous les Jesuites, dit-il, ne sçavoient où ils en étoient. Valentia demeura le plus confus homme du monde, & le plus honteux. Il en mourut de deplaisir.

lentia supra mortalium omnium sortem pudore suffusus hæsit; eoque præconcepto dolore confectus interiit. Similiter & de Suaresio Molinianæ doctrinæ acerrimo defensore: (c) *Suares*, inquit, *in factis & dogmatibus antiquis, mortalium omnium ignorantissimus est. Librum ab eo editum obtulere mihi Jesuitæ Taurinenses, magno apud illos in pretio habitum. Quibus ego innumera testimonia digito monstravi, adeò ineptè, stolidè & ignoranter ab illo extorta, ut nihil magis; atque etiam omninò falsata. Hunc acutissimum Doctorum omnium Metaphysicum haberi dixit P. Coeffetaus: cui respondi: Sit ita; sæpiùs tamen puris putisque sophismatibus evanescit. Suares Scholasticorum omnium pessimè de divinâ Eucharistiâ scripsit.* Quis porrò virum sic affectum, adversùs D. Thomæ scholam, pro Molinianâ sensisse ac pronuntiasse sibi fingat?

Accedit abnutivum quidem, sed interim efficacissimum argumentum. Si etenim de Prædicatorum causâ, ita malè sensit eruditissimus Perronius, cur tot in Epistolis ad Henricum IV. directis, quibus eum de hujusce controversiæ progressu commonebat, nusquam suos illos sensus aperuit, quos ei gratissimos fore non dubitasset? Aut si Thomisticæ Scholæ doctrinam, Calvinianæ adeò affinem arbitrabatur; cur Clementem, ne illam Decreto sanciret, dumtaxat deterruisse fingitur, ac non etiam, ut eam omninò proscriberet, impulisse? Certè qui Molinæ dogmata Pelagianismi luto hærere censebant viri judices, non ea tantùm in Catholicas veritates abire ac definiri non sinebant, verùm etiam ut putidos errores proscribi atque damnari postulabant. Quorsùm igitur Perronium in proscribendâ hæresi minùs ardentem, aut in tuendis Prædicatorum partibus nimis fervidum opinari fas erit, ut ab illorum urgenda damnatione temperasset, si eos hoc in errore versari judicasset?

At nihil æquè viri maximi mentem, de controversis Molinæ dogmatibus, in aperto ponit, quàm quæ de auxilio efficaci, de sufficientis gratiæ distributione, de internâ atque secreta electorum vocatione, scripto reliquit: unde illum à Molinæ opinationibus remotissimum dignoscere licet. De gratia quippe efficaci sic obiter habet lib. 3. Ad Responsum Serenissimi Britanniæ Regis, Observ. 3. cap. 12. (d) *Apostolus nomine doni continentiæ, actum ipsum continendi intelligit; qui gratiæ efficacis partus est. Hæc enim nedum ut agere possimus præstat in nobis, sed ut reipsâ etiam agamus.* Quæ verba Molinæ jugulum petunt, disputatione 39. scribenti, *Deum ex gratiâ non applicare, nec movere liberum arbitrium ad actum; ita quòd liberum arbitrium priùs naturâ motum & applicatum à Deo, agat.*

Longè apertiùs, adversùs prodigam illam Molinianæ gratiæ largitatem pronuntiat; quâ fit ut pro vario dumtaxat naturæ conatu, è duobus æquè vocatis unus veniat, non item alter; immò & ille nonnunquam audaciùs reluctetur, qui uberiori gratiâ donatur. Exstat ea de re locus insignis, in Enarratione super Psalmum 122. (e) *Dum Deo misericordiarum Patri lubet, nos ad semetipsum pertrahere, non externâ dumtaxat vocatione nos invitat, quæ vel singulis hominibus communis est, in sola divinorum operum contemplatione sita: vel omnibus fidelibus propria, nimirum divini verbi lectio & interpretatio, quæ uni dumtaxat Ecclesiæ servata est; in qua tametsi infiniti homines degant, qui vocentur exteriùs; non omnes tamen interiùs vocantur & eliguntur. Non iis, inquam, externis dumtaxat vocationibus invitat; verùm etiam alterius generis vocatione nos trahit, internâ scilicet ac speciali. Hoc est, non ipsas dumtaxat rerum species nobis exhibet, quibus corda ad se ipsum exigat, sed ipsas quoque animæ vires interiùs movet, ut iis utamur.* Quo ex loco satis etiam intelligimus, quid sibi velit Eminentissimus Cardinalis, dum alibi gratiam quandam sufficientem agnoscit, universis hominibus com- *In Repli. lib. 2. obs. 3. cap. 12.*

(c) Suares est le plus ignorant homme en antiquité, qu'il est possible. Les Jesuites de Turin m'apporterent un livre qu'il avoit fait, dequoi ils faisoient un grand cas. Je leur montrai tant de passages, si impertinamment, sottement, & ignoramment tirés que rien plus, & falsifiés aussi. Le P. Coeffeteau dit que l'on le tenoit pour le plus excellent Metaphisicien de tous les Docteurs. Je repondis, mais le plus souvent ce n'est que sophistiquerie. Celui d'entre tous les Scholastiques, qui a ecrit plus mal de l'Eucharistie, c'est Suarès.

(d) L'Apôtre entend par le don de continence, l'acte de se contenir; qui appartient à la Grace efficace: laquelle non seulement fait pouvoir faire, mais aussi fait faire.

(e) Quand il plait à ce Pere des misericordes, de prendre le soin de nous attirer à lui, il ne se contente pas de nous appeller par le moien de la vocation exterieure, qui consiste en deux choses: l'une commune à l'endroit de tous les hommes, qui est la consideration des œuvres de Dieu; l'autre particuliere à ceux qui sont dans l'Eglise, qui est la vraie lecture & interpretation de la parole, qui est reservee particulierement à son Eglise. En laquelle encore qu'une infinite de personnes soient comprises, pour y être legitimement appellees de l'appellation exterieure; si est-ce que toutes ne sont pas élûës ni appellees interieurement. Il ne se contente pas, dis-je, de nous appeller par ces deux manieres de vocation exterieure: mais encore nous appelle, par une autre sorte de vocation, qui est interieure & particuliere. C'est à dire, il ne nous propose pas seulement des objets pour nous elever à lui, mais même dispose interieurement les puissances de notre ame, à nous en servir, & à les emploier.

communem. Nisi enim sibimet ipse repugnet, non eam profectò intellexit, quæ veri nominis gratia est, sed extrinsecam, ut hìc appellat, in externa divinorum operum voce sitam. *Una est omnibus hominibus communis, in sola divinorum operum contemplatione sita.* De qua S. Augustinus tam eruditè quàm piè; *Et Cælum & terra, & omnia quæ in eis sunt, ecce undique mihi dicunt ut te amem, nec cessant dicere omnibus; ut sint inexcusabiles. Altiùs autem tu misereberis; alioquin Cælum & terra surdis loquuntur laudes tuas.*

Lib. 10. Conf. cap. 6.

CAPUT QUADRAGESIMUM-SEXTUM.

Cardinalis Perronii dictum exponitur, & in Æmulos regeritur.

Videamus hìc tandem, an quod à Cardinali Perronio dictum ferunt, adeò per sese venenatum sit & odiosum, ut in amicum sensum verti non possit? An non potiùs æquo animo dictum fuerit, quod ad invidiam æmuli detorsere? *Clementi* (inquiunt) *Prædicatorum sententiæ definitionem meditanti significavit Perronius, curaturum se, si quod meditabatur, definiret, ut huic Pontificio Decreto, universi Europæ Sectarii subscriberent, sancitamque doctrinam suis chirographis communirent.* Ego quidem, etsi liberum putem, narrationem ab æmulis primò vulgatam exsufflare, uti eam nonnullos exsufflasse scio; adversariis tamen ex abundanti gratificari malim, quàm fidem exigere. Ita igitur dixerit, uti volunt, Eminentissimus Perronius, benè est: at non id eo animo dixisse putandus est, ut Thomisticæ doctrinæ hæreticum Calvini ac Lutheri sensum affingeret, eaque arte Pontificem ab edenda definitione deterreret. Immò potiùs ut innueret, Calvinistas ac Lutheranos, eo viso Decreto, faciliùs ad Ecclesiæ gremium redituros, vanamque opinionem deposituros, quâ Romanam Ecclesiam Molinæ figmenta pro Catholicis dogmatibus excipere, eâque ratione Pelagianismum approbare fabulantur. Animadverterat scilicet Perronius, quod ævi nostri Polemistæ doctissimi pariter observarunt, sectarios nempè Theologorum nostrorum disputationibus sincerisque Ecclesiæ dogmatum expositionibus ita tandem ad saniora consilia venisse, ut relictis dogmatum nostrorum falsis præjudiciis, emollitisque Magistrorum suorum pristinis aberrationibus, ne dicam penitùs explosis, ad Ecclesiæ doctrinam, eo saltem in capite penè convolarint. Nec enim ignorabat vir maximus, quæ jam diu apud Sectarios acciderant, dogmatum variationes. Non ignorabat anno 1534. Melanctone in suis ad Gallos Admonitionibus fassum esse, maximam controversiarum partem quæ suos inter & nostros de Gratia & libero arbitrio agitari solent, evanuisse. Non ignorabat in Conventu Ratisbonensi anni 1541. Protestantes, semotis pristinis Calvini præjudiciis, Catholicis illo in capite consensisse, Non ignorabat in Conventu Augustano, anno 1548. ea in parte, illos inter & nostros mutuò convenisse. Non ignorabat quæ post ipsum Cardinalis Richelius, Fratres de Walenburch, Illustrissimus Bossuetus, Doctissimus D. Faber *, Vincentius Baronius, P. Veronius, Autor Præjudiciorum adversùs Calvinistas, aliique Ecclesiæ Catholicæ Defensores agnovere, posteriores scilicet Calvinistas, emollitis Calvini dogmatibus, ad Ecclesiæ doctrinam de Gratia & libero arbitrio, propiùs accessisse. Quid igitur vetat, Perronii dictum eo sensu accipere, ut Gratiæ per se efficacis definitioni assensuri essent Calviniani; illâ nimirùm propensione, quâ ipsos hoc in capite ad Ecclesiam paulatim accedere noverat: modò ne illis Molinæ inventa pro Catholicis dogmatibus proponantur?

Vinc. Baron. de mente SS. August. & Thomæ disp. 2. sect. 2.

* *Le Fevre.*

Juvat in re tanti momenti Polemistarum nostrorum verba subjungere. Cardinalis de Richelieu, in tractatu, quem pro errantium conversione edidit, lib. 3. de lib. arb. sic habet: (a) *Recentiores hæretici majorum suorum doctrinam de Prædestinatione, Gratiâ & libero arbitrio ita temperarunt, ut vix ullum iis in capitibus (si accuratè loqui velimus) eos inter & nos dissidium exstet.*

Illustrissimus Bossuetus Meldensium Episcopus, egregius ille antiquæ interpres Ecclesiæ, Vindex novæ, Calvinianæ sectæ Triumphator, in Expositione fidei Catholicæ cap. 7. ubi agit de Gratia & libero arbitrio, in negotio Justificationis. *Qui sunt in illa secta doctiores (fatendum est enim) minùs jam de hoc argumento contendunt, quàm initio faciebant, suntque pauci, qui non agnoscant, hoc quidem ex capite nullam prorsùs dari à nobis discedendi causam. Quod si tanta illa de Justificatione quæstio, quam velutì suarum arcem disputationum primi illorum Autores constituerant, iis qui maxi-*

(a) Les nouveaux errants ont adouci & reformé de telle sorte la doctrine de leurs fondateurs, en ce qui regarde la Predestination, la Grace, & le libre arbitre; qu'à proprement parler on ne remarque presque plus de differens entre eux & nous sur ce sujet.

maximè inter illos sapiunt, jam non videtur esse præcipua; reputent ipsi quid sit de sua secessione sentiendum. Clariùs ibidem in Præfatione posterioribus editionibus affixa. *Necesse est confiteri quas de tam gravi argumento controversias adversarii moverunt, eas multùm esse imminutas, ne dicamus omninò evanuisse.*

Illud ipsum ex instituto tractat lib. 8. Variationum, ubi liberi arbitrii cooperationem à Calvinianis recentioribus, posthabitâ Magistrorum suorum sententiâ, concedi probat. Sic Cap. 24. expositâ Melanctonii doctrinâ, subjungit: (b) *Sic certè extremas Lutheri aberrationes exuebat, tametsi iisdem Lutherus ipse ad finem usque tenaciùs hæserit.* Unde & Capiti vigesimo-quinto hunc titulum præfigit; (c) *Motus liberi arbitrii à Melanctonio apertè admissus in operationibus divinæ gratiæ.* Ac tandem Capite quinquagesimo-primo, præcedentium narrationem ita concludit: (d) *Modò bonâ fide & concordi consilio res agatur, ne levem quidem inter nos dissidii umbram experior, quoad illam de liberi arbitrii cooperatione controversiam.*

Illustrissimum Episcoporum ac fratrum Par Adrianus & Petrus de Walenburch prolixiùs adhuc ac distinctiùs explicant quomodo recentiores Calvinistæ emollitâ sui Magistri sententiâ ad Catholicam accesserint. Sic illi tom. 2. Controversiarum tract. 1. (qui jam ab anno 1652. editus in lucem fuerat, hoc titulo præfixo: *Appropinquatio Protestantium ad doctrinam Catholicam*) cap. 57. "Circa concordiam cooperationis divinæ cum libero arbitrio, variæ sunt Doctorum Catholicorum sententiæ. Bellarminus dicit, *cooperationem divinam ita concurrere cum secundis causis, etiam liberis, ut non solum eis dederit, & conservet virtutes operatrices, sed etiam eas moveat, & applicet ad opus.* Thomistæ idem tenent, & applicationem ad opus intelligunt de determinatione efficaci. Modernorum Reformatorum sententiam juxta Thomistas explicat Crocius: *Providentia non tollit rerum naturas, sed sic gerit omnia, ut causæ necessaria necessario agant, voluntaria voluntariè. Voluntarias ita determinat, ut proprios voluntatis motus retineant & se ipsa determinent. Absque quo si esset, periret, fateor, libertas essentialis, quippe quæ requirit, ut liberum arbitrium sit causa sui motus, adeoque homo per illud ad agendum se moveat. Non autem requirit, ut homo seipsum solus determinet, quia non requirit, ut sit prima sui motus causa, cujus est se solam determinare. Secunda causa se determinat quidem, sed sub prima causa determinatione, quippè à qua pendet ut in essendo & existendo, ita in agendo.* Atque hæc sententia nunc est inter Reformatos communissima. Neque hoc tempore dicunt, gratiam ita esse à seipsa efficacem, ut excludant motionem moralem, quæ est per consilia & suasiones. Similiter hoc tempore non docent, Deum ita efficaciter movere voluntatem, ut postea non sit nostræ electionis, motioni ejus aut obtemperare, aut refragari; tenent enim, facultatem dissentiendi consistere cum gratia efficaci, & idipsum hic tradunt quod Thomistæ: libenter etiam fatentur, Deum per gratiam, vel motionem efficacem ita operari in nobis velle, & nos ad seipsum convertere, ut gratiæ prævenienti nostrum arbitrium, pedissequâ voluntate, obsequatur liberè. Non igitur est necesse indagare, quid Calvinus, quid alii antehac senserint: sufficit eos nunc cum Catholicis Doctoribus sentire & loqui. Alii ex Protestantibus alios Doctores Catholicos sequuntur. Nulli hic causam invenient, cur à communione Ecclesiæ Catholicæ velint abstinere."

Lib. 4. de grat. & lib. arb. c. 16. in princ.

Anti-Bec. tom. 2. contr. 15. sect. 2. n. 14. pag. 689.

Idem cap. 60. cujus titulus: *Hominem liberè consentire gratiæ Dei*; hæc inter alia: "Convenit inter Catholicos & Protestantes 1. Hominem in sui conversione non esse instar trunci aut lapidis, &c. . . . . Convenit inter Catholicos & Protestantes, hominem in sui conversione liberè consentire gratiæ Dei. . . . . Convenit inter Catholicos & Protestantes, hominem in sui conversione posse non cooperari gratiæ Dei. . . . . Cum igitur in hac causa Protestantes hoc tempore non dissentiant à Doctoribus Catholicis, non est unde hic ansam quærant abstinendi ab unione & communione Ecclesiæ Catholicæ."

Vincentius Baronius in libro cui titulus est, *Hæresis devicta*, sic scribit: (e) *Jam quid de Gratia efficaci dicemus? Quo pacto Catholicos cum Sacramentariis conciliabimus, qui liberum arbitrium è medio tollunt, volunta-*

(b) Voila comme il revenoit des excès que Luther lui avoit appris, encore que Luther y ait persisté jusqu'à la fin.
(c) L'exercice du libre Arbitre clairement reconnu par Melancton dans les operations de la Grace.
(d) Pour peu qu'on s'entende, je ne vois plus entre nous aucune ombre de dispute sur la cooperation.
(e) Que dirons-nous de la Grace efficace? Comment pourrons-nous accorder les Catholiques avec les Sacrementaires, qui ôtent le libre Arbitre, & qui disent que la volonté est necessitée au bien par l'efficacite de la Grace; & au mal, par l'efficacite de l'erreur, & par la corruption de la nature? Sans parler des Arminiens, qu'ils ont retranchés de leur Communion dans le Concile de Dordreck, comme Pelagiens; les plus sçavans parmi eux se rangent enfin à nos Theologiens.

luntatemque necessariò ferri putant; ad bonum quidem, divinæ gratiæ virtute; ad malum verò, erroris efficaciâ, & corruptione naturæ? Certè (ut missos hìc Arminianos faciamus, quos uti Pelagianos à sui communione in Synodo Dordrektana præsciderunt, ad nostros tandem Theologos accedamus, quotquot eos inter altiori eruditionis famâ vigent.

Pater Veronius 3. parte Controversiarum cap. 2. de libero arbitrio, expositis variis Protestantium Confessionibus, Galliæ scilicet, Bataviæ, Scotiæ, Angliæ, Helvetiæ, Augustanæ, Saxoniæ; quibus liberi arbitrii cooperationem explicant, addit: (f) *Vix ullum in iis Errantium Confessionibus, veri nominis dissidium observo, quoad illud caput attinet....... Magistrorum suorum doctrinam abnegant; suosque articulos tot interpretationibus emolliunt, ut nihil jam adversùs Romanæ Ecclesiæ doctrinam doceant. Satis nobis illorum professio sit. Atque utinam in aliis errorum capitibus, ita se gererent.*

Autor libri cui titulus, *Justa adversùs Calvinianos præjudicia*, ita hoc de argumento scribit cap. 11. (g) *Fateri tandem aliquandò coacti sunt, dissidium Ecclesiam inter & Calvinianos excitatum, verbis potiùs stetisse, quàm rebus ipsis: seu primos ipsimet sensus exuerint, ut ad Catholicorum sententiam accederent; seu Ecclesiæ doctrinam, sibi licet ignotam, audaci cæcitate damnassent. Id in multis admodùm capitibus accidit, maximè verò in Justificationis dogmate: cujus præsertim occasione, uti omnibus notum est, ab Ecclesiæ Romanæ communione dissociati sunt.* Id autem deinceps ostendit, variis hujus sectæ Ministrorum testimoniis, ac præsertim Ludovici le Blanc, Sedani Professoris Theologi.

Universa hæc complexus est, suoque calculo confirmavit Doctissimus D. le Fevre, Theologus Parisiensis, in libro cui titulum dedit, (h) *Momenta invicta ad convincendos Ecclesiæ falsi nominis reformatæ sectatores.* Ubi præter memoratas Ecclesiæ pseudo-reformatæ Confessiones, celebriores hujus sectæ Scriptores ad trutinam vocat; Amesium, Perchinsium, Ant. de Dominis. Guilielmum Forbesium, Petrum du Moulin, Buxtorfium, Tuisium, aliosque benè multos; à quibus primos Calvini sensus, vel admodum emollitos, vel planè dimissos ostendit.

Unum tot inter Calvinianæ sectæ Principes audire sat est P. Jurieu, in Tractatu, quem ante paucos annos Roterodami edidit, de Natura & Gratia cap. 9. pag. 119. (i) *Censent, & quidem ex religionis debito, Reformati planè omnes divinam operationem, quæ & voluntatem prævenit, & ad bonum invictè determinat, libertatem ejus nullatenus lædere. Gratiam enim prævenientem, determinantem, atque etiam* irresistibilem *profitentur Ecclesiæ nostræ. Credimus scilicet, nos ad singulos actus bonos Spiritus Sancti gratiâ præveniri, & ad bonum speciali efficaciâ determinari, quæ in electis victrix semper fit. Firmâ porrò fide profitemur, eam divinæ gratiæ energiam, quâ voluntas ad bonum necessariò determinatur, libertatem minimè lædere.* Explicatiùs verò & magis ad nostrum institutum, in libro cui titulus, (k) *Judicium de severioribus & laxioribus methodis*: ubi propositis variis veterum Reformatorum propositionibus, qui Lutheri sensa de gratia & libero arbitrio tenaciùs æmulati sunt, subdit: (l) *Fatemur profectò, eas inter loquendi rationes, nonnullas occurrere plus justò duriores. Non ea Scriptores nostros cæcâ veneratione suscipimus, quâ suum illi Lutherum excipiunt: neque religioni ducimus illorum*

(f) A peine vois-je dans les Confessions des errants aucun vrai debat sur ce sujet..... Nos gens renient la doctrine de leur Maitre, & glossent leur article en telle maniere, qu'ils n'enseignent rien contre la doctrine Romaine. Contentons-nous de leur profession. Ainsi fissent-ils de toutes leurs autres erreurs.

(g) Ils ont été à la fin obliges de reconnoitre, que la difference entr'eux & l'Eglise, consistoit plûtôt dans les paroles, que dans la chose: soit qu'ils ayent eux-même abandonne leurs premiers sentimens, pour revenir à celui des Catholiques: soit que par une aveugle temerite, ils les eussent condamnez, sans les entendre. C'est ce qui est arrive en plusieurs points, mais particulierement dans la matiere de la justification, dont chacun sçait, qu'ils ont fait le principal sujet de leur separation d'avec l'Eglise Romaine. *Prejugés legitimes contre les Calvinistes.*

(h) Moiens invincibles pour convaincre ceux de la Religion pretendue reformée.

(i) Tous les Reformes par obligation sont dans ce sentiment, que l'action de Dieu qui previent la volonté, & qui la determine invinciblement au bien, ne viole pourtant point du tout sa liberté. Car nos Eglises tiennent pour ce qu'on appelle la grace prevenante, determinante, & même irresistible. C'est à dire, que nous croyons qu'en chacune des bonnes actions que nous faisons, la grace du S. Esprit nous previent, & nous determine au bien avec une efficace, qui est toujours victorieuse dans les Elus. Or nous faisons profession de croire, que cette force de la grace qui determine necessairement la volonte au bien, ne viole pas la liberte.

(k) Jugement sur les methodes rigides & relachées.

(l) Il est vrai: nous reconnoissons que dans ces expressions il y en a de trop dures. Nous n'avons pas pour nos autheurs la méme soumission, que ces Messieurs ont pour Luther; & nous ne nous faisons pas une honte d'abandonner leurs manieres de parler, quand elles nous paroissent propres à scandaliser, & dures à digerer. Telles sont celles que nous venons de voir, dont aussi nul des nôtres ne se sert plus aujourd'hui, & dont on ne s'est point servi depuis plus de cent ans.

illorum loquendi modos repudiare, dum & ingenerare scandalum possunt, & duriores stomacho reputantur. Hujus profectò generis sunt, quas paulò ante retulimus, quasque idcircò nemo nostrum impræsentiarum usurpat, aut ab annis centum & amplius usurpavit.

Hæc igitur alto animo reputabat Eminentissimus Perronius, dum Clementi VIII. Thomisticæ doctrinæ definitionem & Molinianæ condemnationem meditanti, innuisse fertur; curaturum se, si quod meditabatur definiret, ut Pontificio decreto Germaniæ Protestantes obtemperarent. Illos scilicet Calvinum & Lutherum eâ jam parte penè deseruisse, probè noverat: sciebatque quantâ facilitate ad Ecclesiam accessuri essent, ubi primùm sancitâ divinæ gratiæ efficaciâ, Molinæ novitates omninò proscribi cognovissent. Si quis enim illos scrupulus adhuc malè habet, ne nobis ex integro socientur, is certè vel unus est, quod gratiam ex se efficacem, non uti fide certam, sed opinione liberam, à nobis admitti videant, falsòque etiam sibi fingant, pluris in Ecclesia fieri Molinæ inventa, quàm scholæ Thomisticæ dogmata. Sic suos ipsimet sensus explicant. Sic Buxtorfius in sua cum Domino de Sancto Amore Collatione, quam is tertiâ Diarii sui parte refert, cap. 7. (m) *Si doctrina de Gratia foret solidè stabilita & generatim cognita per omnes fideles, illa foret sola sufficiens ad reuniendos omnes animos, quia, si unusquisque de ea esset persuasus, totus mundus contribueret ad reducendos fratres suos cum charitate & simplicitate ad centrum fidei & Ecclesiæ, cunctique omne tempus insumerent, suaque eò sacrificarent.*

Sic Leidekerus post relata Buxtorfii verba in Thesi 9. de Jansenianismo: *Certè hæc dixit sapientissimè Buxtorfius: & quàm vellem ut viri doctissimi verba Jansenistas pungerent, prout* SANCTAMOREI *animum consternarunt! Id verum est,* Subjungit vir suis præjudiciis occupatus, *omnes in Papatu errores ex negata, vel non satis agnita Christi Gratia originem duxisse, nec dari ullum inter nos & Romanenses ferè dissidium, quod non tolli possit, si fides de victrice gratiâ triumphet.*

Sic idem ipse Thesi prima de Jansenianismo, postquam falsò supposuit, Jansenium solis Jesuitarum artibus proscriptum esse, ut Molinismus refloresceret, statim subjungit: *Non quidem nos ægrè ferimus has Jesuitarum artes; quin vellemus Romanam Curiam ipsorum consiliis assentiri, quò patesceret amplius insanabilem esse Babelem, jure factam à nobis ex ea secessionem, Pelagianismum esse Papatus fidem, nec posse coli cum Italica Sede communionem ab illis, qui quodammodo gratiæ gustum habuerunt.*

Sic demùm M. Jurieu in libro quem inscripsit, (n) *Antidotum adversùs Religionis mutationem,* hanc sacrilegæ separationis rationem obtendit, capite 7. (o) *Quòd nempè Scoti, Molinæ, ac Molinistarum schola, Thomæ recentiorumque Thomistarum scholam, existimatione Romanorum plurimùm vincat, viceritque semper, post Concilii Tridentini celebrationem.* Tum in altero jam à me appellato, cui titulus, (p) *Judicium de severioribus ac laxioribus methodis,* sectione 18. occasione doctrinæ Molinianæ, quam in Ecclesia Romana permissam observat, ait: (q) *Non id dico, quasi Pelagianismum in Ecclesiis Protestantibus permitti velim, ut illum in Ecclesia Romana permissum observo: absit. Verùm, &c.*

At neque Societatis Theologos latet illa recentium Calvinistarum à primis sectæ suæ principibus defectio, ac veterum dogmatum ejuratio; illos maximè, qui cum heterodoxis collato veluti pede certarunt. Habitam cum Davide Paræo, Calvinianæ factionis in Germania Præsule, collationem memoriæ prodidit Martinus Becanus; observatione dignissimam; unde mutatum recentium Errantium sensus, damnatumque ab iisdem Calvinum suum nosse liceat. *Noster Serrarius,* inquit ille tomo 1. Summæ Theologicæ cap. 16. *& ego eramus autumno superiore, apud Accidulas Schualbucenses. Ibi commodè incidimus in Davidem Paræum Calvinistam, Professorem Heidelbergensem. Salutavimus hominem perhumaniter, & ille vicissim nos. In progressu amicè & modestè*

(m) Si cette maxime de la Grace efficace par elle-même; étoit solidement rétablie, & generalement reconnue par tous les fidelles, elle seroit seule capable de reünir tous les esprits; parce que si chacun en étoit persuadé, tout le monde contribueroit à rapeller ses freres avec charité & simplicité au centre de la Foi & de l'Eglise; qu'on emploieroit tout son tems à cela, & qu'on y sacrifieroit tous ses interêts.

(n) Preservatif contre le changement de Religion.

(o) Parce que l'Ecole de Scot, de Molina & des Molinistes l'emporte encore de beaucoup, & l'a toujours emporté depuis le Concile de Trente sur l'Ecole de Thomas & des nouveaux Thomistes.

(p) Jugement sur les méthodes rigides & relachées.

(q) Ce n'est pas que je demandasse dans nos Eglises Protestantes la tolerance pour le Pelagianisme, comme on la donne dans l'Eglise Romaine; à Dieu ne plaise: Mais, &c.

de.lè mihi objecit, quod in quadam disputatione, quæ Typis edita est, scripsissem Deum Calvinistarum esse autorem peccati. Respondi, me solide id probasse ex verbis & sententiis Calvini. Tum ille, Esto, sane inquit, sit ista Calvini sententia, at non Calvinistarum. Hic subridens Serrarius, ita subjecit: Domine Paree, hæc lis facilè inter vos, ut video, componetur: sola particula, STARUM, *expungatur, & res erit salva. Placuit hoc Pareo, & colloquium solutum est. Vix Moguntiam reversi eramus, cum ecce Pareus ad me Epistolam dat, in qua monet nos officii nostri, hoc carmine,*

Vos quoque promissi memores delete liturâ
Ingenua, STARUM, *impegistis quod male nostris.*

Quæ cum ita sint, tantùm abest, ut Perronii dicto Clementem VIII. à damnando Molinismo territum putem, ut potiùs illum hac maximè ratione ad sententiam maturandam adductum existimaverim: Tantus erat in optimo Pontifice reconciliationis & unitatis amor! Hoc etenim pacto præcipuus reconciliationis obex auferebatur, tritaque probati in Ecclesia Pelagianismi accusatio evanescebat. Multùm abest, igitur, ut hoc Eminentissimi Principis dictum, Thomistis injurium videri possit: cùm eo vel maximè nomine gloriosum haberi debeat, quòd Scholæ Thomisticæ dogmata, uti revocandis ad fidem animis opportuna, commendaverit.

Et quidem à Molinianis scire velim, quam sententiam Theologi orthodoxi Calvinianis proposuerint, veluti Ecclesiæ doctrinæ tesseram, ut illos ad sana consilia revocarent? Thomisticam-ne, an Molinianam? Discere velim, ad quam tandem sententiam eruditiores Calvinistæ propiùs accesserint, dum illos inter & Ecclesiam, nihil penè jam discriminis compererunt Theologi nostri? Certe si & Thomisticam proposuere, & ad Thomisticam propiùs accessere, uti nemo prudens diffitebitur, fatendum omninò est, Scholæ Thomisticæ dogmata germanam complecti Ecclesiæ Catholicæ doctrinam, revocandis ad fidem animis opportunam. Nec jam ampliùs invidiosè objiciendum, Thomistas ad heterodoxos accedere propiùs: sed Ecclesiæ & Angelicæ scholæ communiter gratulandum, quòd ad eam penè filii segreges, pristinis ejuratis erroribus, convolarint. Immò verò, si ut debent, rectè sapiunt quotquot contra Calvinistas, de divina gratiâ scribunt Theologi Polemistæ, iis argumentis intelligent, nihil & publicæ causæ deterius, & Ecclesiæ Majestati periculosius accidere posse, quàm si eis Molinæ figmenta, uti communionis Romanæ sensum, venditare velint. Qua de re Stephanum Dechamps, Societatis Jesu Professorem commonebat Serenissimus Princeps de Conty, cui ille contra Calvinianos scribendi consilium dederat. (r) *Plus scribendis edendisque libris assuevit Paternitas Vestra,* inquiebat Serenissimus ac doctissimus Princeps, *quàm ego ipse assueverim. Quare rogo ut hunc ipsum laborem in se sumat, quem à me sumi peroptabat; Calvinianos scilicet editis libris exagitandi. Id unum mearum partium esse puto, ut prudens identidem aliquod consilium offeram, si huic fortè operi manum admoveat Paternitas Vestra. Exempli causâ, ne Calvinianis privatas Molinæ sententias pro Ecclesiæ dogmatibus venditet, quoties in illos calamum acuet.* Hoc suo consilio satis innuens, Calvinistas Molinismi commendatione territos, adversùs Ecclesiæ Romanæ fidem obfirmaturos animum, eidemque Pelagianismum confidentiùs ac petulantiùs objecturos.

(r) Vous êtes plus accoutumé à faire des livres que moi: ainsi je vous supplie de garder pour vous le travail que vous me proposes, d'écrire contre les Calvinistes. Ce que je puis vous offrir, est de vous donner quelquefois quelques bons avis, si vous entreprenez ce dessein: comme par exemple, de ne faire jamais passer les sentimens particuliers de Molina pour l'opinion de l'Eglise, en écrivant contre les heretiques. *Lettre ou Reponse IX. p. 162.*

Finis Libri Tertii.

HISTO-



HISTORIÆ CONGREGATIONUM DE AUXILIIS DIVINÆ GRATIÆ

LIBER QUARTUS.

Quo ultima Causæ cognitio ab anno 1605. ad annum 1607. coram Paulo V. & Eminentissimis Cardinalibus Generalibus Inquisitoribus, aliisque Censoribus deputatis, habita narratur;

Sententia à Pontifice decreta, etsi nondum ex præscripto juris promulgata, aliáque subinde secuta referuntur.

CAPUT PRIMUM.

Instant Patres Societatis, & à Magnatibus urgeri curant, ne causa sub Paulo V. resumatur.

CLEMENTE VIII. ad Superos vocato, comitia pro more in Vaticano habita sunt ad Successorem eligendum. Communibus Purpuratorum Principum
Erat Articulus 27. exjuratus. votis, sub Sacramenti fide sancitum est, ut quisquis in Pontificem assumeretur, Auxiliorum controversiam brevì dirimeret. Æmulis Fratrum suffragiis, Apostolicæ Sedis apicem obtinuit Alexander Medices, die 1. Aprilis 1605. horâ noctis secundâ. Verùm præmaturâ morte sublatus, intra electionis suæ mensem, recessit antea ex hac vita, quàm in Pontificatus sui labores posset ingredi.

Huic proximè successit Paulus V. die 16. Maii: qui ipsâ sui electione ad eam dirimendam controversiam invitatus videbatur. Tunc etenim manifesto opere demonstratum est, quàm habeat Deus voluntates hominum (quod hìc præcipuè controvertitur) quò vult, quando vult, & quomodò vult, inclinandi ac transferendi potestatem; dum ad Cardinalis de Tusco electionem conspirantibus Patrum animis,

 mutato

mutato derepente consilio, in publicam acclamationem erumpentes, Pontificatus honorem Camillo Burghesio, divino potiùs nutu, quàm humano, detulerunt.

Bonorum omnium spes statim fuit, ab æterno Deo, inter alia plurima, quæ per ipsum ad Ecclesiæ suæ præsidium operaturus esset, hoc etiam constitutum, ut qui hactenus Clementi Pontifici in examinandâ istâ controversiâ præstò fuerat, eam ipse factus Pontifex definiret; quodque unus laboriosè seminaverat, alter fructuosè colligeret. Spem alebat pia Regis Catholici sollicitudo: qui cùm primùm Paulum V. electum audivit; per suos in Romana Curia constitutos administros ardentiùs instavit, ut brevì causa conficeretur: ne quæ jam pridem in Hispaniis orta fuerant intestini dissidii semina recrudescerent. Rei gravitatem expertus Pontifex pedetentim incedendum ait, omniaque pro causæ merito ponderanda. Atque idcircò multorum judicia exquirere cœpit, quid in tanto rerum discrimine agendum, quidve pro sanciendâ veritate, ac pace Hispaniæ restituendâ, tentandum esset.

Hanc novi Pontificis de ulteriori causæ tractatione subdubitantis occasionem arripuere Molinæ Vindices, ut rem totam majoribus difficultatibus involverent. Henrici IV. Francorum Regis, apud quem Cottonius è Societate, ad Confessiones nuper assumtus, singulari valebat gratiâ, patrocinium rogarunt & obtinuerunt. Cardinali Perronio, suo apud Sedem Apostolicam Oratori, dedit Epistolas initio mensis Augusti, quibus periclitanti Societati omne officii genus impendi jussit, quò pendentis controversiæ definitio speciosis diverticulis retardari, aut etiam impediri omninò posset.

Regiis mandatis paruit Cardinalis Perronius. Pontificem impiger adiit, rei difficultates exaggeraturus. Significavit, maturiùs deliberandum esse, audienda cæterarum Academiarum judicia, Synodum etiam Generalem pro rei gravitate convocandam: alioquin cavendum innuit, ne Parisiensis Academia universumque Galliæ Regnum Apostolicæ definitioni repugnarent. Quo animo consilium Paulus exceperit, rescripsit Henrico IV. die 7. Septembris: * *Die Martis, mensis elapsi 23. ad Pontificis audientiam admissus sum: eidemque significavi, quid consilii scripserit Vestra Majestas, circa Majoris Britanniæ negotia, & emergentem Dominicanos inter & Jesuitas controversiam. Utrumque consilium bono animo habuit.* Sed etsi bono animo consilium acceperit, eo se tamen minimè concuti, vel moveri, exitu demonstravit.

Ex Actis Legationis Card. Perronii.

Fuerunt qui rem totam silentio involvendam innuerent: atque ii quidem duas in partes scindebantur. Alii sepositâ doctrinæ consideratione, consilii sui rationem petebant ex personis ipsis, inter quas controversia vertebatur: quæ cum magnæ non tantùm eruditionis ac pietatis, sed etiam existimationis essent, timendum inquiebant, ne si alterutrius partis opiniones damnarentur, gravem id Ecclesiæ Dei ruinam afferret, cujus fortè judicio stare nollet. Alii ex ipsarum quæstionum conditione vim desumebant, quas posthabitis Censorum judiciis, earum loco ac numero esse contendebant, de quibus Cœlestinus I. in suâ ad Episcopos Gallicanos Epistolâ ita pronuntiat: *Profundiores verò difficilioresque partes incurrentium quæstionum, quas latius pertractarunt, qui hæreticis restiterunt, sicut non audemus contemnere, ita non necesse habemus adstruere. Quia ad confitendum gratiam Dei, cujus operi ac dignationi nihil penitùs subtrahendum est, satis sufficere credimus, quidquid secundùm prædictas regulas Apostolicæ Sedis nos Scripta docuerunt.*

Ex Scripto D. Armachani.

Vide infra cap. 3.

Interea dum hæc gratiâ Principum Jesuitæ molirentur, occulta Cardinalis Bellarmini officia, uti debitum Fraternitatis tributum, exigebant. Versabatur ille tunc Romæ, nec mediocrem pro Pauli V. electione operam posuerat; unde mutuas benevolentiæ & grati animi vices sperare posset. Scriptum edidit sub Maii finem, decem de libero arbitrio, totidemque de efficacia divinæ gratiæ propositiones Pontifici exhibens; quas ut aiebat, definire satis esset, ad omnem Pelagianismi & Calvinismi suspicionem effugiendam: iis intactis & indecisis, quæ sub Clemente VIII. in Molina notatæ fuerant. Spes enim illi erat, Paulum V. præteritarum disputationum prolixitate ac multitudine defatigatum, novisque Magnatum ac Principum precibus obsessum, eam sanciendæ veritatis faciliorem viam initurum: atque interim, nihil contra Molinam statutum iri. At spem fefellit eventus. Incidit in Lemosii manus Bellarmini lucubratio: qui brevì ad singulas propositiones observatione, easdem illas æquivocas, periculosas, ac firmandæ catholicæ veritati minùs sufficientes demonstravit.

Scriptum

* Mardi 23. du passé, j'eus une Audience du Pape, en laquelle je communiquai à Sa Sainteté, ce qu'il avoit plû à Votre Majesté m'ecrire de son avis, touchant les affaires d'Angleterre, & la dispute des Peres Jacobins & Jesuites. Il prit l'un & l'autre conseil en bonne part.

Scriptum Cardinalis Bellarmini Paulo V. Pontifici exhibitum, De libero Arbitrio & Gratiæ divinæ efficacia : cum R. P. Thomæ de Lemos Responsione.

Propositiones 20. quæ videntur à S. Sede Apostolicâ posse definiri, ut fideles longè absint, non solum ab erroribus, sed etiam à specie errorum Pelagii & Calvini.

Responsio brevis detegens illarum Propositionum æquivocationem & periculum, per F. Thomam de Lemos, ad cujus manus hoc Scriptum pervenit, 4. Junii 1605.

DE VIRIBUS LIBERI ARBITRII IN NATURA LAPSA.

BELLARMINUS.

„ 1. Quamvis possit homo solis naturæ viribus cognoscere & operari aliquod bonum morale, non tamen potest omne, etiam secundùm substantiam operis solam.

„ 2. Non potest homo solis naturæ viribus superare ullam veram tentationem, ita ut omni ex parte victor evadat.

„ 3. Non potest homo solis naturæ viribus credere mysteriis fidei christianæ, nec initium ejusdem fidei ullum habere, ut oportet; id est, ut sit firmus assensus fidei catholicæ ex pio affectu, & qualis requiritur, ut initium justificationis esse possit.

„ 4. Non potest homo solis naturæ viribus, Deum diligere, etiam ut objectum naturale ut oportet, id est, ut dilectio illa excludat affectum omnium peccatorum, sitque ultima dispositio ad justificationem. Nec solùm perfectionem hujus piæ dilectionis, sed nec initium ejus habere potest homo solis naturæ viribus.

„ 5. Non potest homo solis naturæ viribus, de peccatis dolere ut oportet, ita videlicet ut dolor ille sit dispositio, ad gratiam justificationis.

„ 6. Non potest homo solis naturæ viribus, se ad gratiam justificationis præparare atque disponere.

„ 7. Non potest homo solis naturæ viribus ullum opus veræ pietatis facere vel inchoare, nec ullam verè piam cogitationem habere.

„ 8. Facienti quod in se est ex solis naturæ viribus, non debetur gratia; & si datur, ex purâ liberalitate & misericordia datur.

9. Non

LEMOSIUS.

1. Ista 1. Propositio deficit, quia putat opus morale, quod naturæ viribus tribuit, esse solùm opus quoad substantiam actus; cum juxta Molinam sit quoad substantiam & modum. “

2. Deficit, quia sentit non posse hominem victorem evadere tentationum, id est eas meritoriè vincere; aliter vero posse illas superare. “

3. Deficit, quia assensum firmum fidei catholicæ ex pio affectu, vocat illum, qui procedit ex auxilio Dei; & istum solum negat naturæ viribus : tacitè tamen admittit omnem alium certum ex parte credentis, ex solis viribus naturæ, sicut Molina dixit. “

4. Deficit, quia in particulari non explicat, quænam sit dilectio Dei Autoris naturæ, quæ excludat affectum omnium peccatorum, quæ negatur naturæ viribus: unde sub æquivocatione magna procedit. “

5. Deficit, quia tota quæstio est, quænam sit contritio quæ est dispositio ad gratiam; quam tamen non explicat, sed in confuso constituit : sub qua confusione latet sine dubio sensus falsissimus. “

6. Deficit, quia est in confuso, & sub æquivocatione procedit, non distinguens in particulari qualis sit actus ille, quo homo se disponit ad gratiam. Unde nihil omninò quod pertinet ad controversiam affirmat. “

7. Similiter deficit, quia non explicat in particulari quid sit opus pietatis. Unde sub hac generali concessione, multa in particulari negant ii Autores esse opera pietatis, verbis dumtaxat, quæ re verâ opera pietatis sunt. Unde sub æquivocatione procedit. “

8. Videtur procedere contra Canonem 6. Concilii Arausicani II. in quo definitur, misericordiam non dari similibus naturæ operibus. “

9. Æqui-

9. Non dependet prædestinatio divina ab operibus bonis prævisis, vel à præviso bono usu liberi arbitrii aut gratiæ, nec in ratione meriti, nec in ratione conditionis. Sed ipsa divina Prædestinatio absolutè gratuita est: neque reddi potest ulla ratio ex parte nostra, cur hunc potiùs quàm illum Deus prædestinaverit.

9. Æquivocatione procedit, quia Scientiam-mediam præsupponit; qua admissâ totum quod verbis affirmat ista propositio, re-ipsa & quoad sensum negat.

10. Sine speciali dono Dei, nemo perseverat usque in finem, etiamsi habitualem gratiam & adjutorium sufficiens habeat, & perseverari possit, si velit.

10. Deficit, quia non explicat quid sit speciale donum, quod tamen deberet admittere sine media illa scientia, quam iste Autor præsupponit.

DE EFFICACIA GRATIÆ DEI.

1. Gratia Dei non solùm dat posse, sed etiam velle & facere.

1. Hæc deficit, quia non explicat quomodo Deus verè & activè propriè facit velle & operari, & non solùm moraliter suadendo, ut reipsa intelligunt.

2. Initium salutis soli gratiæ operanti, augmentum & consummatio cooperanti gratiæ cùm libero arbitrio, tribui debet.

2. Deficit, quia verbis dumtaxat admittit gratiam cooperantem, re autem ipsa illam negat; quia tantùm admittit sub nomine operantis illam moraliter attrahentem.

3. Gratia Dei efficax certum & infallibilem effectum habet: à nullo enim duro corde respuitur, cùm ad hoc detur, ut cor emolliat.

3. Deficit, quia voce tantùm admittit gratiam efficacem, cùm illam post Scientiam-Mediam constituat.

4. Etsi gratia Dei prædeterminare voluntatem nostram dici possit, quatenus præveniens & operans est; non tamen ita prædeterminare dicenda est, ut necessitatem imponat, quominus libera voluntas seipsam quoque verè determinet.

4. Deficit, quia prædeterminatio non solùm admitti potest, sed debet. Reliquum quod affirmat propositio verissimum est.

5. Nomina physicæ vel moralis Prædeterminationis in materia Gratiæ & liberi arbitrii nova & periculosa reputantur.

5. Deficit in eo quòd vocat nomen physicæ Prædeterminationis novum & periculosum. Cùm enim significet veritatem antiquam, & id quidem aptè ad tollendas æquivocationes hujus temporis, nec novum censeri debet, nec periculosum.

6. Gratiam Dei sufficientem, etiam in sensu composito, humana voluntas ut recipere, ita etiam rejicere potest. Gratiam verò efficacem rejicere quidem potest, sed re ipsa nunquam rejicit.

6. Deficit. Oportet explicare quænam sit gratia efficax, quam homo potest rejicere, sed de facto nunquam rejicit. An videlicet sit efficax ex Deo ipso, vel ex præviso usu hominis, per illam Mediam-scientiam. Unde sub periculosissima æquivocatione procedit.

7. Gratia Dei quantumvis efficax non tollit formalem libertatem hominis, quæ non consistit in solo judicio de indifferentia objecti, sed in vera potestate & indifferentia voluntatis humanæ, ad agendum vel non agendum, & ad hoc potiùs quàm illud eligendum.

7. Deficit, quia in secundâ parte tacitè videtur imponere defensoribus gratiæ, quòd constituant formalem libertatem in judicio & indifferentia objecti: cùm tantùm in illo constituant radicem libertatis. Similiter in primâ parte æquivocè procedit, quia efficaciam gratiæ non tollentem formalem libertatem, intelligit esse illam, quæ supponit illam Scientiam-Mediam, & quæ habetur ex homine. De efficacia enim quæ procedit ex Deo, apertè fatentur quòd tollit formalem hominis libertatem.

8. Scientia futurorum conditionalium ne-

8. Astutè procedit, quia videtur significare

BELLARMINUS. „ negari non debet Deo, quidquid sit de „ modo quo Deus cognoscit futura libera & „ contingentia.

„ 9. Concursus Dei generalis non solùm „ non prædeterminat voluntatem ad malum, „ quantùm ad formale peccati, sed neque „ etiam quantùm ad materiale.

„ 10. Perditio impiorum non est referen- „ da in decretum Dei æternum & absolu- „ tum, quod habuerit ante omnem præ- „ visionem voluntatis humanæ; sive in vo- „ luntatem Dei volentis dare gratiam; cùm „ è contra velit ipse omnes homines salvos „ fieri, & ad agnitionem veritatis venire.

ficare, quòd de modo, quo Deus cognos- " LEMOSIUS. cit futura libera, sive ante actum absolu- " tum divinæ voluntatis, sive post illum, " sit quæstio probabilis. Unde in hoc fundat " Scientiam-mediam, quæ est errorum om- " nium fundamentum. "

9. Æquivocè etiam procedit. Quamvis " enim Deus non prædeterminet voluntatem " ad malum, quantùm ad formale, neque " quantùm ad materiale, ut stat sub illo for- " mali; prædeterminat tamen actionem & " entitatem, quæ est in peccato, quatenus en- " titas & actio est; quod ista propositio negat " sub illo verbo, materiale peccati. "

10. Supinâ æquivocatione laborat in " multis. Quamvis enim perditio impiorum " per culpam, non sit referenda in decretum " æternum & absolutum, quo Deus voluerit " illorum perditionem, nec ante nec post " prævisionem voluntatis humanæ: similiter " quamvis talis hominum perditio non sit " referenda in Dei voluntatem, permitten- " tem illam, sed tantùm in malam hominum " voluntatem operantem: non tamen est " dubium quin Deus efficaciter voluerit per- " mittere illorum perditionem, ante omnem " præscientiam voluntatis eorum, volendo " absolutè eis suam gratiam denegare; cùm " qua absolutâ & efficaci voluntate optimè " stat quòd Deus velit omnes homines salvos " fieri. "

Unde in summâ dicam: Omnes istæ " propositiones viginti captiosæ sunt nimis, " & indignæ quòd tanquam definiendæ ab " aliquo proponantur. "

Feliciùs non cessit altera periclitatio sequenti mente tentata, ut Paulum V. in Prædicatores commoverent. Erroneas propositiones quinquaginta-quinque sibi ab illis affingi Pontifici significarunt. Has se detestari & exsecrari profitebantur, tanquam apertos errores in Pelagianis & Semipelagianis prædamnatos, a nullo tamen Societatis Autore defendi vel affirmari. Sparsus erat in Urbe rumor, ubi Scripti Apologetici exemplaria bene multa apud amicos ac familiares disseminaverant: nec mediocris Prædicatoribus invidia concitabatur. Machinationem ex publica famâ inaudivit Thomas de Lemos: calamumque pro sui Ordinis defensione, ad propulsandam imposturæ accusationem acuit. Scripti Apologetici versutiam detexit, quo & sibi objectos errores Jesuitæ dissimulabant, & fictitios, quorum nunquam accusati fuerant, ejurabant. Quanquàm timendum non erat, ne viri prudentes & eruditi, qui quæstiones non minùs facti, quàm juris, in publicis congressibus ac disputationibus eliquatas noverant, stulto illo aucupio deciperentur. Cùm enim priùs quid Moliniana schola sentiret, disputari jussisset Clemens VIII. quàm quid secundùm Augustinum & inconcussam Ecclesiæ traditionem sentiendum esset, frustra istiusmodi suffragia quærebant, ut Pontificis animum exacerbarent, & à ferenda sententiâ deterrerent.

CAPUT SECUNDUM.

Examen sub Clemente VIII. institutum, aliis artibus infirmare nituntur Molina Vindices, ne causam judicio jam maturam resumat ultimóque definiat Paulus V.

Violentam illam difficultatum ac supplicationum obsidionem invicto animo sustinuerat Paulus V. cùm novas artes intentarunt Molinæ Vindices. Observaverant Sanctissimum Pontificem, sui maximè

Prædecessoris exemplo ad finiendam controversiam incitari; indignumque existimare, ut tam insolita Sedis Apostolicæ diligentia, tot jam annos, tantâ cum orbis exspectatione adhibita, in fumum abiret. Idcircò ne res ita judicio matura videretur, quæcunque sub Clemente tractata sancitaque fuerant, quasi nullius essent roboris ac momenti exsufflare moliti sunt.

Extat in Collec. Coron. & Lemosii. Eo animo libellum supplicem dedere Paulo V. sub initium mensis Augusti: quo per speciosam figuram præteritionis, multa in primis de Censoribus antea designatis expostulabant. Illos nimirum ultra modum severos fuisse, & contra rationem permultas propositiones erroris damnasse, quæ catholicum sensum apud Autorem habeant, & à multis etiamnum autoribus uti probabiles admittantur. Addebant eos magna ex parte tantæ controversiæ dirimendæ fuisse impares, seu quòd alteri parti plus æquò addicerentur, seu quòd non tanta doctrinâ pollerent, ut incorruptè & tuto possent de rebus obscurissimis & difficillimis judicare. Monebant insuper, novas disputationes exiguæ aut potiùs nullius fore utilitatis, cùm Censores in eadem sententiâ, quam jam dudum scripto prodiderant, permansuri essent: atque adeo Reis valde periculosum futurum coram infensis Judicibus litigare. Hinc demùm inferebant, præcipuam de efficacitate gratiæ quæstionem, vel non attingendam omninò, vel cum Catholicis Academiis communicandam: librum verò Molinæ, qui Controversiæ locum dederat, *Sacræ Indicis Congregationi permittendum esse, ut legitimam & communem cæteris suspectis libris Censuram ac judicium subiret:* cùm nulla ratio suppeteret, cur cum hoc uno homine, à viris præsertim acerrimis accusato, privato jure ageretur.

Secundò Pontificem precabantur, ut Ecclesiasticæ consuetudinis memor, quæ fidei essent dumtaxat definiret; cætera verò Theologorum disputationibus liberè permitteret. Sic enim Apostolicæ Sedis dignitatem tuendam, pacem conciliandam, amovenda scandala pollicebantur. Verùm, ne quæ sub Clemente post habitas disputationes statuta fuerant, ad fidem catholicam spectare, solennique definitione indigere viderentur, agitatas controversias nonnisi facti humani quæstiones fuisse significarunt, quæ sub fidei definitionem cadere nullatenùs possent. Stupenda sanè res atque hisce præsertim temporibus observanda, ubi de indeficienti facti Janseniani definitione adeò contentiose disputatur!

Si status quæstionis, inquiebant, inspiciatur, non tam de modo rei, quàm de B. Augustini & D. Thomæ sententiâ videtur esse controversia. Utraque enim pars duorum illorum Sanctorum doctrinam profitetur, ambos pro se stare contendit, eorum sententias & verba diligenter interpretatur; ut quæ duorum Theologorum mentem assequatur, contentioni finem imponat. Igitur si verum dicendum sit, id explicandum restat unum, quid duo gravissimi Autores, & Catholicæ Ecclesiæ columnæ & ornamenta, de quæstionibus propositis senserint. Quis autem dicat pertinere ad fidem, quis hìc aut ille, quamvis insigni doctrinâ & sanctitate clarus, vel existimaverit, vel docuerit? Res quidem ipsa, quam hi duo Theologi tradiderunt, ad fidei fortassè objectum spectare utcunque potest; fuisse autem illos hujus vel illius sententiæ, nisi ex ipsorum scriptis, sive evidenter, sive probabiliter colligatur, ambiguum erit & obscurum, fide catholica definiri non poterit. Cum enim Romanus Pontifex, ad quem potissimùm spectat, tanquam ad supremum & infallibilem controversiarum fidei judicem, dogmata definire, non possit novos libros canonicos scribere, & novos fidei articulos condere (quod olim faciebant Prophetæ, Apostoli, cæterique Canonici Scriptores) sequatur necesse est Sacrarum Literarum, ac divinarum Traditionum autoritatem, vel sanctorum Patrum & Theologorum consensionem, vel communem quendam totius Ecclesiæ sensum, & quasi gustum: quorum nihil spectari potest, cùm de privati hominis sententia disputatur. Nam ut olim Prophetis atque Apostolis, reliquisque sacrorum librorum Scriptoribus, & divinarum Traditionum Autoribus ita affuit Spiritus Sanctus, ut nihil illis excideret, quod non esset divinitùs inspiratum: ita etsi idem Spiritus-Sanctus Romano Pontifici semper adsit, ut in rebus fidei declarandis explicandisque sacris Literis, Apostolicis Traditionibus, superiorum Pontificum Responsis, Conciliorum Decretis, & Ecclesiasticis Sanctionibus, quibus principia fidei continentur, nunquam fallatur aut erret; in privatorum verò dictis declarandis, quæ humano studio ac diligentiâ deteguntur, vereor an possit hanc sibi infallibilem Spiritus-Sancti assistentiam certò polliceri. Quemadmodùm neque illi ipsi autores Spiritus-Sancti ductum ita penitùs sequuti sunt, ut humano more nonnunquam labi & errare non possent. Itaque antiqui Pontifices, cum de *Verba Patrum Societatis in libello supplici exhibito, Paulo V.*

» de privato aliquo autore agunt, hominis » doctrinam, conditionem & sanctitatem » laudant, nunquam tamen, ni fallor, cu- » jusquam sententiam explicandam susci- » piunt, & hoc vel illud quempiam sensisse » definiunt, idve tanquam fidei dogma » proponunt. Atque in hac ipsa quæstione, » dum Romani Pontifices Innocentius & » Cœlestinus S. Augustinum eximium Ec- » clesiæ lumen, & Catholicum sanæ senten- » tiæ Doctorem appellant, & de gratia ac » prædestinatione rectè sensisse & docuisse » affirmant; quid autem potissimùm docue- » rit, aut quomodò ejus sententia accipienda » sit, ne attingunt quidem. Certè de re gra- » vissima disceptatur: de convenientia gra- » tiæ efficacis ac divini concursus cum libe- » ra voluntate, de natura divinæ Providentiæ » ac prædestinationis, de viribus liberi ar- » bitrii, deque ipsius humanæ libertatis con- » ditione, denique de necessaria conjunctio- » ne secundarum causarum cum prima & » universali causa: quæ omnia sacræ Literæ, » Ecclesiæ Sanctiones, SS. Patres, omnes » denique Philosophi, ipsaque adeò naturalis » ratio apertissimè docent. Si quis hæc ne- » get, aut in dubium revocet, hunc equi- » dem proditæ aut nullius potiùs fidei esse » crediderim. Si autem quispiam sit, qui » cùm hæc omnia salva esse velit, de modo » quo ista defenduntur aut explicantur quæ- » stionem moveat, quis jure reprehendat? » Aut quis damnet eum qui ambigere se di- » cat, quid de propositis quæstionibus exi- » stimarit sive S. Augustinus, sive S. Tho- » mas? At modus quo ista defenduntur, fidei » vel apertè repugnat, vel periculum creat. » Ex altera enim parte metuendus est Pela- » gianismus, ex altera verò Lutheranismus. » Quis hoc dicit? Viri docti & religiosi non » pauci; sed æquè multi, atque adeò etiam » plures similiter docti ac pii pernegant: qui » cum se D. Thomæ ac D. Augustini sen- » tentiis atque autoritate premi atque urgeri » sentiunt, eorundem pro suâ sententiâ, di- » cta neque pauca neque levia proferunt; ut, » velis nolis, eòdem revolvi necesse sit, id » unum ultimò quæri, quæ de proposita » quæstione fuerit duorum hominum senten- » tia. Quamobrem facti, quod aiunt, hu- » mani quæstio judicatur, quæ sub fidei de- » finitionem cadere nullo modo potest.

Iis artibus judicia sub Clemente instituta eludere nitebantur: quique Pontificii judicii de facto Janseniano indeficientiam tanto nunc studio ac zelo tuentur, Ecclesiam tunc in facto Augustiniano decernendo fallibilem asserebant, ne se judicio victos faterentur. At ita pro causæ ac temporis necessitate, loquendum putabant viri suis servandis finibus nimis addicti, qui veritati temporum spatiis ac patrociniis personarum præscribi volunt. Etsi eo etiam capite fucum facerent, quòd de S. Augustini ac D. Thomæ mente dumtaxat disputatum jactitarent: cùm omnia argumentorum genera, ab utriusque partis Actoribus adducta, & à deputatis Censoribus expensa, non nescirent: nec dissimulare omninò possent, ibi maximè controversum, quo sensu Conciliorum ac Pontificum decreta, in Pelagianos ac Semipelagianos sancita, intelligenda forent: qua in re indeficientes Pontifices fatebantur.

CAPUT TERTIUM.

Paulus V. meliora consilia secutus, causam resumit, novasque Congregationes instituit.

Dum hæc irrequietâ sollicitudine moverentur, non deerant qui publicam Ecclesiæ utilitatem ac pacem privatis rationibus anteponerent. Adversùs Cardinalis Perronii consilia, virili animo stetit Jacobus Bossutius, Theologus Parisiensis, Consultorum unus, qui Pontifici maximo imminens Ecclesiæ periculum denuntiavit, si injudicatâ controversiâ Congregationes solverentur. Spopondit, Academiam Parisiensem, è qua non ita pridem Epistolas suæ in Sedem Apostolicam observantiæ & obedientiæ testes acceperat, Pontificio judicio obsecuturam; ipsumque etiam Christianissimum Regem, in Societatem licet inclinatum, Ecclesiæ judicium, sepositis privatis affectibus, excepturum.

Bossutii studiis obsecundavit Archiepiscopus Armachanus, Censorum caput: qui dirimendæ controversiæ necessitatem, eruditissimâ lucubratione demonstravit, superiorum Pontificum vigilantiam commendans in remediis adhibendis, quoties de divina gratia suspectas quoquo modo quæstiones suscitari contigisset. Rationes eo Scripto deduxit, & numero plures, & pondere graves, quibus maximi esse momenti significavit, ut concertationes illæ absque diuturniori mora definirentur. *Exstat in Collect. Pegnæ.* *Habetur in Appendice num. XII. pag. 77.*

Prima erat, quòd quæstiones in disputationem vocatæ ex ipsa diffidentium confessione ad fidem catholicam pertinerent, adeò ut mutuò sese Pelagianismi & Calvinismi partes insimularent: tametsi Jesuitæ, Pelagianorum morem secuti, futuri tandem judicii metu perculsi, quæstiones opinione liberas appellare maluissent; *Apud August. lib. de peccato orig. cap. 23.*

sent; ne si sententiam Pontifex pronuntiaret, adversùs catholicam fidem errare convincerentur.

Secunda, quòd controversæ difficultates adeò per omnes Theologiæ partes diffunderentur, ut universam penè Theologiam infici necesse foret, si quæ pars in errore erat, sensa sua tueri palámque vulgare permitteretur.

Tertia, quòd duo Ecclesiæ Catholicæ Ordines celeberrimi in jus venirent: qui cùm ex instituto suo sal terræ & lux mundi esse teneantur, summâ in rebus præsertim fidei consensione ac pace, ad illuminandos condiendosque populos, jungi debent. Idcircò timendum in primis, ne diuturniori judicii procrastinatione dissensiones, simultates, lites, & hujusmodi alia odiorum semina succrescerent: tùm ne pravas illas affectiones corroborarent subintrantes in susceptâ semel causâ opinio constantiæ, defensio famæ, præsumtio, livor, invidia, quæ animos litigantium sæpiùs inficiunt: ac demùm, ne qui fortè ab initio in eam controversiam, vel paulò ignorantiùs, vel indiscretiùs tantùm ingressi fuerant, justo Dei judicio, ita prolabi permitterentur, ut ostensam veritatem agnoscere nollent, aut etiam omninò non possent.

Quarta, quòd in universam Christi Ecclesiam ex ea controversiâ usque adeò damnum diffusum esset, ut multi utrinque invenirentur partibus diffidentibus cæco studio affecti, dissensiones potiùs æmulantes, quàm quæstiones intelligentes. Unde viris eruditis mœror ac gemitus, simplicibus scandalum, laxioribus ac dissolutis contemtus Catholicæ religionis.

Quinta, eaque prolixior & efficacior ratio erat, quòd hujuscemodi Catholicorum dissensio Calvinianis & Lutheranis lucro esset. Cùm enim eis, uti nutantis sectæ argumenta, objicerentur à nostris tot illa de præcipuis doctrinæ capitibus intestina dissidia; eadem ipsi vicissim ex hujus occasione controversiæ in Ecclesiam regerebant: quin etiam, eorum aliqui audaciùs improperabant, ideò in hujusce tractatione argumenti tandiu hærere Romanam Ecclesiam, quòd in hoc seculorum fine periisset lex à Sacerdote, consilium à Sapiente, & sermo à Propheta. Alii publicè garriebant diligentiori illâ quæstionum tractatione Apostolicam de divinâ gratiâ doctrinam Romanis feliciùs quàm hactenus illuxisse; illosque idcircò canonicam dogmatum definitionem edere nolle; ne ab ea quam antea professi fuerant, fidei doctrinâ recedere viderentur. Nec deerant Lugduni Batavorum Professores Theologi, qui Synagogæ suæ combibones novi inter Romanos schismatis spebus alerent; palámque suis pollicerentur cœlum novum & terram novam.

Addebat Illustrissimus Archiepiscopus, illos nequaquam audiendos, qui vel controversiam ipsam, datâ utrisque opinandi veniâ, silentio involvi, vel Synodum œcumenicam pro ferendo judicio cogi vellent. Qui etenim (inquiebat) primum insusurrant, si metu tumultus ex alterius partis damnatione orituri moveantur, injuriam potiùs irrogant, quàm patrocinium impendant; cùm sibi aliisque suadere debuissent, eam pro sua in Sedem Apostolicam reverentiâ non obtemperaturam modò, sed & fautorum atque amicorum motus sedaturam. Si doctrinæ consideratione ducantur, quam opinione liberam putent, atque inter profundiores quæstiones à Cœlestino neglectas haberi velint; recedunt à communi partium professione, quibus sensa suâ ut fidei dogmata tueri, seque mutuò hæreseos insimulare libet: nec agitatas de usu liberi arbitrii quæstiones intelligunt, quæ ad ipsas fidei regulas à Cœlestino sancitas attinent: nec demùm advertunt, multa secundùm Molinam gratiæ Dei subtrahenda fore; cui tamen nihil esse subtrahendum, statuit idem Pontifex. Qui autem Concilium post diuturnam adeò Sedis Apostolicæ tractationem haberi postulant, Pelagianorum audaciam apertiùs imitantur: quos Augustinus lib. 4. ad Bonifacium cap. 12. ita carpit: *Aut verò Congregatione Synodi opus erat, ut aperta pernicies damnaretur, quasi nulla hæresis aliquando, nisi Synodi Congregatione damnata sit, cum potiùs rarissimæ inveniantur, propter quas damnandas necessitas talis exstiterit; multóque sint atque incomparabiliter plures, quæ ubi exstiterunt, illic improbari damnarique meruerunt; atque inde per cæteras terras devitandæ innotescere potuerunt. Verùm istorum superbia, quæ tantùm se extollit adversùs Deum, ut non in illo velit, sed potius in libero arbitrio gloriari; hanc etiam gloriam captare intelligitur, ut propter illos Orientis & Occidentis Synodus congregetur. Orbem quippe Catholicum quoniam, Domino eis resistente, pervertere nequeunt, saltem commovere conantur: cùm potiùs vigilantiâ & diligentiâ pastorali, post factum illis competens sufficiensque judicium, ubicunque isti lupi apparuerint, conterendi sint, sive ut sanentur atque mutentur, sive ut ab aliorum salute atque integritate vitentur.* Quin immò susurrones illos, Pelagianis ipsis audaciores

Vide supra cap. 2.

daciores habendos ait, quòd illi ad Synodum œcumenicam provocassent, quæ de nova hæresi sententiam diceret; isti Synodum appellarent, ubi non novus error proscribendus erat, sed sanciti adversùs antiquam hæresim Canones exponendi: quo jure nemo unquam Pontifices spoliaverat.

Eruditam doctissimi Præsulis minervam lubenter excepit Paulus V. cujus rationes ut seriò perpendit, finiendæ controversiæ necessitatem probavit, suisque familiaribus fassus est. Hæsit nihilominùs intra moras, donec die 3. Augusti, Cardinalis Monopolius, vir spectatissimæ virtutis atque intrepidæ libertatis, æternum illi judicium interminatus est, nisi pro fide juramenti controversiam brevì dirimeret, Ecclesiamque intestino bello discissam Apostolica definitione liberaret.

Exstat in Collect. Lemosii & Pegnæ. Lemosium è vestigio vocavit optimus Pontifex, jubens ut intra sex dies quæstiones sub Clemente disputatas in certas propositiones redigeret, quas ex judicio Censorum vel damnare, vel definire opus esset. Officiosam provinciam lætus & impiger obiit Thomas de Lemos: attulit statâ die damnandas propositiones triginta tres, de viribus liberi arbitrii in natura lapsa, de comparatione gratiæ & liberi arbitrii ad invicem, de prædestinatione & gratia efficaci, de Calvini erroribus circa efficaciam divinæ gratiæ. Propositiones verò in veritates catholicas constituendas dedit numero viginti duas. Addidit vir eruditus scripta alia duo, tribus columnis digesta; quibus extremos Pelagianorum & Calvinistarum errores repræsentabat; medias verò catholicas veritates, quæ Apostolicâ definitione sanciendæ videbantur. Exstant in editis Lemosii, tom. 1. tract. 2. de erroribus Pelagianorum cap. 3.

Pegna in Diario. Verùm quia de gratia efficaci & physicè prædeterminante, ex occasione tantùm, non ex instituto, partes dissidentes disputaverant; nihil ante decernere voluit Paulus V. quàm ea de re specialiter disputatum esset: ne pro more suo, satis se non audiri quererentur Molinæ Vindices. Quapropter publicos congressus indixit, apud Cardinalem Pinellum, coram Judicibus aliàs à Clemente designatis celebrandos, ubi quæstiones illæ agitari & eliquari possent.

Displicuit Cardinali De Avila disputationis locus. Metus enim erat, ne si absente Pontifice disputationes haberentur, Cardinales Perronius & Bellarminus omnia perturbarent. Pontificem rogavit, ut Clementem VIII. imitatus, pro majori solennitate ac pace, congressus coram Sanctitate Sua celebrari sineret. Subjunxit Cardinalis Asculanus, operæ pretium esse, ut ante publicas disputationes, brevem aliquis Actorum omnium analysim ageret, quam in prima Congregatione de scripto recitaret: ne qui tardiùs ad hujusce controversiæ judicium vocati fuerant, minùs æquè se gererent, seu facti dissimulatione, seu ignoratione Censurarum. Consiliis acquievit Paulus V. statimque Congregationes coram semetipso habendas edixit. Secretarios die 2. Septembris ascivit, quibus expositâ finiendæ causæ voluntate, Gregorio Coronello injunxit, ut die 14. coram sacro consessu brevem Actorum omnium narrationem recitaret; eaque complecteretur universa, quæ ab exortis Lovanii dissidiis, ad obitum Clementis VIII. contigissent.

CAPUT QUARTUM.

Cœptas sub Paulo V. Congregationes perturbare, novisque difficultatibus involvere nititur Card. Bellarminus.

INdictâ itaque die 14. Septembris cœpit Sexta Causæ Cognitio. Sederunt hoc ordine Viri Judices, qui Romæ ex superiori Clementis VIII. designatione residui erant.

Congregationum Præses.

PAULUS V. Pontifex Maximus.

Cardinales.

Dominicus Pinellus.
Hieronymus Bernerius Asculanus.
Innocentius de Bufalo.
Petrus Aldobrandinus.
Anna Descars de Givry.
Ferdinandus Taberna.
Laurentius Blanchettus.
Paulus Æmilius Sfondratus.
Pompeius Arigonius.
Franciscus de Avila.
Robertus Bellarminus.
Anselmus de Monopoli.
Jacobus Davi du Perron.
Antonius Zapata.

Consultores Episcopi.

Petrus Lombardus Archiepiscopus Armachanus, Hiberniæ Primas.
F. Joannes de Rada Archiepiscopus Tranensis & Pactensis.
Julius Sanctutius Episcopus Agathensis.
Lælius Suessanus Episcopus Neritonensis
F. Hieronymus Palanterius Episcopus Bitontinus.

Censores Theologi.

F. Joannes Baptista Plumbinus Procurator Generalis Ordinis S. Augustini.

F. Gregorius Nunnius Coronellus Ord. S. Augustini primus Secretarius.

F. Anastasius Brixiensis Abbas Farfensis S. B. secundus Secretarius.

F. Antonius Bovius Regens Carmelitarum.

F. Jacobus le Bossu Doctor Sorbonicus Ord. S. Benedicti.

Actores contra Molinam.

F. Thomas de Lemos, Magister in Theologia, Ordinis Prædicatorum.

F. Didacus Alvares, Magister ac Regens Minervæ, Ord. Præd.

Molinæ Defensores.

Ferdinandus de Bastida, Societatis Jesu.

Bartholomæus Peres, Societatis Jesu.

Brevem anteactorum narrationem de scripto recitavit F. Gregorius Coronellus: quæ ut iteratis typis data est, sic eruditis omnibus innotuit: nemoque jam est, qui fidem vulgatis exemplaribus neget; ex quo præsertim tempore, multa prodiere Angelicæ Bibliothecæ Præfecti subscriptione communita. Quibus demùm accessit 20. Februarii proximè elapsi testimonium R. P. Caroli Riccii ejusdem Bibliothecæ nunc Præfecti, quo post nonnulla emendata in edito Narrationis exemplari istud cum originalibus Codicibus prorsùs convenire asseverat. *V. Præfat. §. 8.*

Cœpit Cardinalis Bellarminus, ex ipsa primâ hujus Examinis Congregatione, turbas excitare: multa hæsitans atque intercisо sermone dixit, quibus turbatum animum ostendit. Cumque ei Cardinalis Monopolius ingenitâ libertate reposuisset, se quæcunque dixerat facillimè confutaturum, nisi coram Summo Pontifice contendere, pudor esset; verbum exulcerato animo tulit, tametsi internum animi sensum silentio tegeret. Verùm non illi diuturna dissimulatio fuit. Conceptos ignes palàm effudit, ubi ex Consultorum judicio sancitum vidit, ut de prolixiori Scripto Clementis VIII. quindecim articulis distincto, disputaretur; num scilicet Augustini mentem feliciter attigisset? Doluit vir aliàs eruditus, rem silentio ut putabat consepultam in lucem prodi; timuitque ne venerandum Pontificis nomen, aut ipsa per se lucubrationis eruditio, raperet Judicum animos. Idcircò in eam solutâ sessione animum acuit. Scriptum eadem methodo, sed adverso consilio edidit, quatuordecim articulis distinctum, quo congestis S. Augustini testimoniis, sententiæ Molinianæ systema paulò mitiùs & honestiùs expositum confirmare nitebatur; ut in eo variarum lucubrationum & repugnantium in speciem testimoniorum concursu, sancti Doctoris mentem, dubiam saltem & ancipitem judicarent, eoque pacto res magis ac magis implicarentur. Erant hujusce Scripti articulorum capita istiusmodi. *Pegna in Diario.*

1. *Gratia Dei efficax secundùm D. Augustinum in vocatione internâ altâ & secretâ consistit; eâ nimirùm quæ secundùm propositum est.* *Exstat in Collectione Lemosii.*

2. *Hæc vocatio secundùm Augustinum est efficax, quia apta est, & congrua mentibus eorum quibus adhibetur: propterea ex uno modo vocatu, alii sequuntur, alii non.*

3. *Hæc vocatio secundùm Augustinum, talis est, ut ei consentire aut dissentire, propriæ voluntatis sit.*

4. *Hæc gratia efficax, per quam Deus trahit, est interna veritatis revelatio & ostensio, & specialis voluptatis vel dulcedinis excitatio, & persuasio, secundùm S. Augustinum.*

5. *Gratia Dei efficax per quam venimus ad Christum, & cor lapideum aufertur, doctrina dici potest secundùm Augustinum, non exterior & publica, sed interior & secreta.*

6. *Hæc gratia efficax, quam occulto suo judicio Deus dispensat, interior suasio & persuasio appellatur ab Augustino.*

7. *Hæc vocatio efficax apud Augustinum à gratia adjuvante distinguitur: altera præcedit & præparat voluntatem adjuvandam; altera adjuvat præparatam: nec est in nobis nisi quando agimus.*

8. *Per hanc vocationem secundùm propositum, agit & peragit Deus in nobis, ut credamus & convertamur; & operatur in nobis velle & operari.*

9. *Per hanc gratiam non operatur Deus in nobis salutem nostram, sicut in lapidibus, vel sicut in iis in quorum natura rationem voluntatemque non condidit, secundùm Augustinum.*

10. *Hæc gratia efficax, non se solâ operatur nostram salutem, sed nostræ etiam adhibenda est efficacia voluntatis.*

11. *Hæc gratia efficax, ut de malis bonos faciat, eosque reformet; non uno eodemque modo, sed diversis & mirabilibus homines vocat.*

12. *Hæc gratia efficax per quam Deus movet ad fidem, & agit ut credamus, visorum suasionibus id præstat.*

13. *Vocatio quæ non est congrua, talis est ut dedisset velle & currere, nisi eam homo contemsisset: unde qui vocatus non venit, non debet alteri tribuere, sed tantùm sibi.*

14. *Hæc gratia efficax, per quam bonorum volun-*

voluntatum autor est Deus, non est aliquid commune bonis operibus & malis.

Confidebat Bellarminus, Paulum V. lucubrationem illam unà cum Clementis Scripto, pro futurarum disputationum argumento traditurum; ut quis horum Augustini sensum fideliùs expressisset, discuteretur? At tanto illum honore dignari noluit. Responsionem dumtaxat intra diem alterum paravit Thomas de Lemos, quam die 30. Sept. obtulit Sanctitati Suæ. Sic ad singula capita breviter reposuit, ut in ambiguis ac versatilibus propositionibus Augustinianum sensum à Moliniano secerneret. Primum, octavum & nonum ultrò fassus est; modò pro tollenda æquivocatione adderetur, *secundùm propositum Dei, non hominis:* quo casu nihil significabant aliud, quàm quod Clemens VIII. capitibus, primo, quarto, sexto, septimo & undecimo docuisset. Secundum & septimum, quibus Scripti hujus vim penè omnem atque versutiam sitam monuit, uti S. Augustino & Concilio Tridentino contraria, inficiatus est; nec sine severiori Bellarmini censurâ, qui cùm nullam librorum ad Simplicianum rationem haberi velit, lib. 2. de gratia & lib. arbit. cap. 15. probationes tamen penè omnes eo ex fonte derivaverat. Quanquàm & illa *congrua vocationis* verba, sicubi apud Augustinum leguntur, non de illa congruitate intelligenda veniant, quam facit natura, sed gratia.

Tertium in ambiguo stare ait: quippe juxta Augustinum, ita propriæ voluntatis est assentiri, ut suum ipsum assensum præstet virtute gratiæ: juxta Molinam verò, ita consentiat, ut ipso naturæ penu, versatilem gratiam reddat efficacem. Quartum, quintum, sextum & duodecimum, eadem æquivocatione laborare demonstravit: quia internæ Dei revelationes & suasiones, quibus re vera illuminatur homo ac persuadetur, non moralibus tantùm excitationibus stant, aut humano modo animum pulsant, sed immutant, rapiunt, devinciunt, invictissimâ & efficacissimâ potestate, qualis in homine vel Angelo nul-
1. p. q. 106. a. 6. la est: seu, ut loquitur D. Thomas, creatura suadet & illuminat proponendo objectum; Deus autem, immutando potentiam.

Ambiguum decimi capitis sensum aperuit; efficaciam voluntatis desiderari inquiens, ut divinæ gratiæ fructum, quemadmodùm millies loquitur Augustinus, non ut ejus efficaciæ causam, uti Molinæ visum est. Diversos atque mirabiles vocandi modos, de quibus in undecimo capite legitur, non illos esse contendit, qui in gratiæ congruitate à nativis hominum affectionibus dependente sitæ sunt, uti præsumunt Moliniani; sed illos quibus invitati & excitati efficaciter tandem ac physicè præveniuntur. In capite decimo-tertio duplicem hujus propositionis sensum distinxit: *Si homo non contempsisset vocationem; Deus dedisset illi velle & currere.* Primum Semipelagianismi notavit, nimirum, *Si homo non contempsisset vocationem, per hoc causa fuisset, ut illa vocatio congrua & efficax in eo fieret.* Alterum ut Augustinianum admisit; si nempè ea conditionalis non causam denotet, sed effectum aut signum: quasi diceret, *Si homo non contempsisset vocationem, esset signum quod Deus efficaci sua gratiâ eidem dedisset velle & currere.* Demùm caput ultimum gratiæ congruæ systemati contrarium ostendit. Hæc etenim, si Molinianis credimus, secundùm entitatis suæ rationem, ac seclusa præscientiâ, communis est bonis & malis; nec bonam hominibus tribuit voluntatem, sed solùm benè agendi sufficientiam.

Nihil ad hæc Bellarminus; tametsi non illum Lemosii Responsio latuerit. De solo Clementis VIII. Scripto disputatio fuit, cujus felicem ac prosperum exitum sequentibus capitibus enarrabimus.

CAPUT QUINTUM.

Gratiæ ex se efficacis & physicè prædeterminantis Controversia cumulatissime disputatur & pro Prædicatoribus definitur.

Post lata de Clementis Scripto Censorum judicia, Paulus V. Societatis supplicationibus obsessus, gratiæ ex se efficaci ac physicè prædeterminanti diem dixit. Futurarum disputationum argumentum, per Secretarios Congregationis, Theologis denuntiari jussit, die 26. Septembris: *An Deus suâ efficaci gratiâ moveat hominis voluntatem ad actus liberos bonos, non solùm interiùs suadendo, invitando, excitando, aut aliter moraliter attrahendo; sed etiam verè & activè propriè, salvâ tamen humana libertate? Et, An talis efficax gratia, convenienter ab aliquibus Scholasticis physica prædeterminatio dicatur?* Ex quo quidem indictæ disputationis themate compertum habes, in hoc uno stetisse controversiæ summam, Num gratia ex sese & ab intrinseco esset efficax. Alterum verò, de physicæ prædeterminationis vocabulo, ad gratiæ victricis energiam exprimendam usurpando, accessione tantùm, ac veluti de mera quæstione nominis (modò

Ex Actis Sacris.

dò res ipsa foret in tuto) tractatum esse. De gratia itaque per sese & ab intrinseco efficaci novies ex instituto disputatum est. Die scilicet Octobris 12. quæstio universim exponi & pertractari cœpit. Die 26. ex Sacrarum Scripturarum oraculis singulariter agitata fuit. Die 9. Novembris ex Ecclesiæ Conciliis, ac maximè Tridentino. 22. ex D. Augustini principiis. 15. Decembris ex aliorum Patrum testimoniis. 10. Januarii anni sequentis, ex objectâ ejus cum Calvini erroribus consensione. 15. ex afflictis nonnullis absurdis. Februarii 15. ex doctrina & principiis D. Thomæ. Ac demùm die 22. ex Doctorum Scholasticorum autoritate. Quinquies pro ferendis suffragiis convenere Judices. Die 15. Octobris, 29. Novembris, 3. Januarii, 1. Februarii & 1. Martii: totidemque vicibus, pro Prædicatoribus pronuntiarunt.

Næ igitur festivos hujus historiæ corruptores! qui usque adeò vitiandis quibusvis apertissimis documentis assueti sunt, ut ne gratiam physicè prædeterminantem in hisce Congregationibus probatam fateantur, de illa ne disputatum quidem effutiunt. Ac, quod lepidum magis, fictitiis scholæ suæ triumphis mentem pasti, nepotum fidem comicè provocant, quid de Thomisticâ scholâ futurum, si unquam sensa ejus in tam sancti judicii fornacula ardere contigerit. *Cùm nostra doctrina absolutione habita*, inquit Christophorus Ortega, *Doctores nostri opposita sententia Lutheranismi & Calvinismi, à Tridentino damnati, litem intentarent; longissimarum anteactarum disputationum tædio, alioque Pauli V. mentem avocantibus curis gravissimis, disputationes solutæ, atque in liberius tempus dilatæ sunt, non neglectæ. Quæ nobis a Ioribus si habeantur; & tamen adversarii pro sua eruditione & Theologica dexteritate, causâ non ceciderint, tunc demùm æqua utriusque doctrinæ laus & commendatio à Sede Apostolica erit.* Audaciori scurrilitate hariolatur ac vatem agit Franciscus Perrinus: *Diu*, inquit, *multúmque Romæ & magnâ animorum contentione disputatum est à Doctoribus Ordinis S. Dominici, & Societatis Jesu: ac post longum & accuratum causæ examen, libera mansit & incolumis Scientia-media. De prædeterminatione physicâ quid futurum sit, si eam aliquando in tam sancti judicii fornacula ardere contigerit, incertum est. Vos dicite, posteri.*

Cont. de Deo uno cont. 3. disp. 1. quæst. 4. cert. 3.

In Thes. Schol. & hist. anno 1681. pag. 13.

Quid futurum, dixerint posteri, per me licet: interea quid olim rei fuerit, Acta dicunt. Dicunt & ipsi Molinianæ causæ partiarii, qui novem de gratia prædeterminante disputationes sub Paulo V. institutas referunt. Tametsi, ut adulari sibi solent, triumphum sibi accinant, audaciusque Prædicatoribus insultent, tanquam in hanc controversiam inviti venerint, nec nisi iniquo ac reluctanti animo, eo in stadio decertarint. At putidam calumniam dissipat Secretarii fides, cujus in Actis ita legimus: *Quamvis sæpè aliàs inter Patres Prædicatores & Societatis, concertationes de Christi gratia adjuvante & ejus efficaciâ habitæ fuerint, & seriò de illa institutæ disputationes sub felicis recordationis Clemente Papa VIII; quoniam tamen Patres Societatis provocarunt ad peculiarem aliquam de eadem re disputationem, idque instanter postularunt etiam nunc à S. D. N. quod & Patres Prædicatores sibi gratissimum fore dixerant; re æquissime perpensâ, quæstionem ea de re proposuit.*

Ad diem 26. Sept. 1605.

Verùm qui cæteros ignaviæ petulantiùs inculant, non ita, ut jactitant, solertes & alacres in hancce palestram ingressi sunt: quam eâ dumtaxat mente aperiri supplicaverant, ut ipsi vicissim Actorum conditionem induerent. Cùm primum enim à Paulo V. disputationis argumentum indictum est, inducias petiere, séque minùs pro agitandæ quæstionis amplitudine paratos confessi sunt. Cardinalis Pinelli bona apud Pontificem officia rogavit Bastida, & obtinuit, ne ante viginti circiter dies disputationes haberentur.

Pegna in Diario.

Nonnullos offendit tàm insolens agendi ratio; nec satis facile erat intelligere, cur qui toties ad hancce controversiam provocaverant, jam tandem dato certaminis signo retrocederent. Idcircò quorundam opinio fuit, eos ideò inducias quæsiisse, quòd solis Eclypsim, sequenti mense futuram, sinistrum quidpiam in Pauli vitam portendere suspicarentur, unde Controversiæ judicium effugere possent, modo de industriâ tempus ducerent. Quod ubi ex sententiâ nequaquam successisse compertum est, cæteris ludibrio fuere, quasi qui Eclypsim ipsimet passi fuissent.

Interea dilationis hujus occasionem arripuit Thomas de Lemos, suis ut rebus opportunè consuleret. In Arcem S. Angeli admitti petiit: ubi jubente Paulo V. secretiora Concilii Tridentini Acta, ejusque Theologorum privatas lucubrationes per dies aliquot evolvit; multaque ex iis ad Thomisticæ sententiæ defensionem deflo-ravit, quæ uti justa causæ suæ præjudicia Pontifici detulit. Tractatum etiam adornavit de *physicæ prædeterminationis* vocabulo; quòd à nonnullis etiam gratiæ seipsâ efficacis

Exstat in Collect. Lemosian.

cis

cis defensoribus, minùs probari inaudiverat, aut certè minùs antiquo usu videri consecratum, ut Pontificiæ Definitioni posset inseri. Ostendit in primis vir meritissimus, physicæ prædeterminationis nomen non aliter à Prædicatoribus usurpari, nisi ut motionem Dei prævíam ac veram significent, qua non suadendo tantùm, alliciendo, invitando, excitando, aut aliter etiam interiùs moraliter attrahendo, sed verè, propriè, realiter, & activè determinando, voluntatem applicet & inflectat: quæ duo si semel à Pontifice definiri libuerit, frustra de vocibus litigabitur; dicente Augustino, lib. 1. retract. cap. 15. *Non resistendum est, nec de verbis, cùm res constat, controversia facienda est.*

Quo loco observari obiter à Lectoribus velim, quàm frigidè, quàm subleste Moliniani Thomistas Gratiæ seipsâ efficacis vindices, & ad hujus maximè dogmatis defensionem excubantes, *Prædeterminantes* per derisum appellarent, ac etiamnum appellent: quasi hac unâ *Prædeterminationis* voce, in quam tamen minùs intendunt, totum victricis & efficacis gratiæ mysterium situm crederent. Quidni potiùs, si nominibus ludere libet, *Victrices* aut *Efficaces* Thomistas appellant? Sua sic ludo veritas inerit.

Subjunxit Thomas de Lemos, duo illa vocabula nec ab Ecclesiæ usu aliena esse, nec ad rei controversiæ significationem perperàm usurpari. Cùm apud Dionysium Areopagitam, Joannem Damascenum, ac D. Thomam, *prædeterminationis* nomen sæpiùs occurrat; nec absimili sensu προορισμὸς vocabulum in Paulinis Epistolis & Ecclesiæ Græcæ Patribus legere liceat; quod æquè prædeterminationis ac prædefinitionis nomine reddi potest: immò cùm ipsam *physicæ* vocem, ad rei cujuspiam veritatem proprietatemque significandam (quo sensu hìc à Thomistis accipitur) usurpaverit Concilium Ephesinum, ubi pro definienda verâ ac reali in Christo Domino naturarum unione, ita decernitur: *Si quis in uno Christo post unionem dividit hypostasim; eaque duntaxat conjunctione easdem inter se nectit, quæ est secundùm dignitatem, vel auctoritatem, vel potestatem, & non eâ potiùs, quæ est,* καθ' ἕνωσιν φυσικὴν, *secundùm unionem physicam, Anathema sit.* *In Anathem. contra Nestor.*

Tertio demùm loco demonstravit, non ideò, si quid novitatis iis terminis inesset, autoribus succensendum, quos ad eos usurpandos facilior cæterarum vocum abusus, ipsaque adversariorum importunitas impulisset. Quemadmodum nec Conciliis œcumenicis succensemus, quibus pro variâ necessitate temporum, Homoüsion, Theotocon, Transubstantiationem, aliaque id genus nova vocabula, mutuari necesse fuit, ut Christianæ fidei veritates explicatiùs sancirentur. Aut certè hanc à Scientiæ-mediæ inventoribus veniam dari posse, quos gravioris culpæ conscientia, Poetæ dictum usurpare cogit: *Scimus, & hanc veniam petimusque damusque vicissim.* *Horat.*

Feliciter omninò cessit Lemosii lucubratio. Primus in ejus causam descendit Cardinalis Monopolius, qui illam editis etiam scriptis coram Pontifice Maximo strenuè defendit: idemque deinceps Censorum ordo pronuntiavit, dum auditis mutuo congressu Partibus dissidentibus, de gratia physicè prædeterminante sententiam dixit. *Vide infra Cap. 7.*

Exactis igitur induciis, die 12. Octobris in arenam ventum est. Cœpit Ferdinandus de Bastida in Consultores, veluti conjuratos ac professos Societatis hostes, audaciùs invehi, quòd gravem adeò controversiam unicâ disputatione eliquari vellent. Inauditam declamatoris petulantiam extemplo retudit Beatissimus Pater: *Respondete, inquit, ad Dubium & ab his omnibus abstinete: procul hinc acerbitates hujusmodi: cui bono tot cruda verba?* Congressus tamen benignè concessit, quotquot ventilandæ quæstioni sufficerent. *Respondete al dubio, e lasciate queste cose: lasciate queste invettive, à che proposito si fanno queste invettive?*

Quid in iis agitatum sancitumque sit, in Acta retulit Gregorius Coronellus, primus Congregationum Secretarius. Exstant in Angelicâ Augustiniensium Bibliothecâ, volumine signato C C. quæ hìc pro more nostro compendio reddimus.

CAPUT SEXTUM.

Brevem anteactorum enarrationem habet Gregorius Coronellus, in prima sub Paulo V. Congregatione: de prolixiori Clementis VIII. Scripto in secunda disputatur: approbatur in tertia.

Die 14. Septembris 1605. habita est prima Congregatio coram Paulo V. Pontifice Maximo. Brevem anteactorum enarrationem habuit R. P. Gregorius Coronellus, primus Secretarius. Causam omnem ab ovo petiit, ab anno scilicet 1587. quo adversùs Lessium & Hamelium Academia Lovaniensis pronuntiavit. Molinæ propositiones ad examen vocatas, Censorumque distincta judicia, compendio retulit, quantùm ad internoscendam totius Controversiæ seriem & gravitatem univer-

 so

ſo Conſeſſui ſufficeret.

Abſoluta hac omnium Actorum relatione, ſcribit Secretarius, *voluit S. D. N. ut re, quàm maximâ fieri poſſet diligentiâ, expenſâ DD. Conſultores dicerent, quemnam ad finiendam Controverſiam modum aptiorem judicarent: quod ſibi animus eſſet tandem finem ultimum imponere. Qua de re cùm primùm DD. Epiſcopi & PP. Theologi dixiſſent; poſtea DD. Cardinales cum Sanctitate ſua, ita hujus negotii gravitatem, & quæ ex illius diuturna procraſtinatione incommoda & imminentia pericula timeri poſſent, examinarent: ut poſt longam deliberationem una fuerit communiter approbata Conſultantium ſententia; Congregationem juxta formam & tenorem a felicis recordationis Papa Clemente VIII. præſcriptum reſumi debere; atque adeo injungendum utriſque Patribus Prædicatoribus & Societatis, ut parati eſſent ad dicendum, quid ſentirent de quindecim articulis, ex libris S. Auguſtini depromtis, ſibi aliàs exhibitis; ut poſtea ad ulteriora procederetur. Quod ita factum eſt.*

Exſtat in Append. Num. X. p. 147. Die 20. Septembris 1605. ſecunda Congregatio coram Paulo V. celebrata eſt Actum de prolixiori Clementis VIII. Scripto, in quindecim articulos diſtributo. Primus in ordine dixit Ferdinandus de Baſtida: qui Prædicatores cum Calvinianis obliquè componens, uti vulpeculas traduxit, quibus cœleſtis Sponſus vineam ſuam, hiſce calamitoſis temporibus, liberi arbitrii impugnatione demoliri permiſit. Tum ad inſtitutum veniens, proteſtatus eſt, ſe Clementis VIII. lucubrationem, cum doctiſſimis Societatis Theologis, Italis, Gallis, Hiſpanis, Flandris, Germanis, verbo ac ſcripto contuliſſe, eoſque omnes in hanc ſententiam conveniſſe: germanam ſcilicet Auguſtini doctrinam iis quindecim Clementini Scripti propoſitionibus contineri; quintâ dumtaxat exceptâ, quâ dicitur: *Hæc gratia habet efficaciam ab omnipotentia Dei, & à dominio quod ſua divina Majeſtas habet in voluntates hominum, ſicut in cætera quæ ſub cælo ſunt.*

Difficultatis maximam partem, in particula comparativa, *ſicut*, poſitam ait; quæ & per ſeſe comparationem dicit & (quod mirandum magis) à phyſicæ prædeterminationis autoribus ſumitur, quaſi omnimodam ſimilitudinem importans, non tantùm in dominio quo Deus voluntatibus, uti & cæteris ſub cœlo poſitis, dominetur, ſed & in modo quo cauſas naturales prævié, efficaciter, ac neceſſariò applicat ad agendum; cùm Thomiſticæ ſcholæ Principes, Bannes, Alvares, Avila, aliique plures liberum hominis arbitrium baculo, terræ, cæteriſque inanimatis inſtrumentis, Calviniſtarum more, comparare ſoleant. Verùm ſubjunxit, *Si tantum diceretur, gratiam habere efficaciam ab omnipotentia Dei, poſſet quidem ita intelligi, ut ab Auguſtini ſenſu non abhorreret. In primis enim non propterea excluderetur reſpectus ad liberum conſenſum arbitrii; quia non diceretur provenire ex ſola omnipotentia. Poſſet etiam dici, habere gratiam ab omnipotentia Dei ſuam efficaciam, quatenus ab illa accipit ſuam virtutem agendi, ſicut & ſuam entitatem. Et, quod caput eſt, dici poſſet habere ſuam efficaciam ab omnipotentia Dei: quia ex eo quòd Deus eſt omnipotens, ei competit non ſolùm cognoſcere, quæ ſit gratia congrua unicuique, ſed poteſtas dandi illam, quando, & quomodo, & cui videt congruere, ut vocantem non reſpuat: habetque infinitos modos vocandi, quibus moveat voluntatem ad id quod voluerit faciendum.*

Propoſitionem decimam, quâ effectus gratiæ efficacis certus & infallibilis aſſeritur, ratam habuit, modò illa certitudo ex indeficienti Scientiæ-mediæ lumine, non ex ipſa per ſeſe divinæ voluntatis omnipotentiâ repetatur. Propoſitionem etiam Decimam-tertiam, nimirum, *Hæc gratia (efficax) eſt neceſſaria ad ſingulos actus*, tantillum temperari & immutari voluit. Primò quia per ſolam ſufficientem gratiam habet quis omnia neceſſaria, ut agere poſſit; etſi careat efficaci, ſine qua reipſa non aget. Secundò quia ad actus malos, vel etiam moraliter dumtaxat bonos, efficaci auxilio non egemus. Idcircò terminis paululùm immutatis, ponendum ait: *Gratia efficax Dei ad ſingulos actus pios datur*; ne ab Auguſtini ſenſu ac fide catholica propoſitio abhorreret.

Alia nonnulla levioris momenti ſubjunxit Societatis Actor, circa cæterorum articulorum probationes, ex Auguſtino petitas, quas vel minùs appoſitè Pontificis inſtituto accommodatas, vel minùs ad probandum efficaces exiſtimabat. Quibus omnibus minutatim expoſitis, Clementis Scriptum aliâ parte vellicavit, potiſſimùm pendentis controverſiæ caput in eo deſiderari aſſerens; in quo nempe ſita ſit gratiæ efficacis eſſentia, quove pacto moveat hominum voluntates. Qua de re altum ibi ſilentium eſſe ait; tametſi multa in Auguſtino legere liceat, quibus ea quæſtio Prædicatores inter ac Jeſuitas maximè controverſa, eliquari facilè poſſet.

Baſtidam excepit Thomas de Lemos, qui Pontificii Scripti autoritatem non mediocri-

diocriter extulit; illudque qua latè patet, uti absolutissimum Augustinianæ doctrinæ compendium, propugnandum aggressus est. Levioribus adversæ partis difficultatibus occupatis, in Quintâ propositione demonstranda totus penè fuit, multa ex Augustino testimonia proferens, ubi efficacis gratiæ vim & energiam omnem ex divinæ voluntatis omnipotentia repetit. Adversarium durioribus verbis habuit, quòd minùs reverenter, institutam à Pontifice comparationem invidioso sensu excepisset. *Offendit*, inquit, *Pater, in illo verbo*, SICUT, *dicens quod denotatur in tali propositione, quòd sicut Deus habet dominium in cætera omnia, illa movens sine libertate, ita habeat dominium in voluntates hominum, illas movens sine libertate: non attendens, regulam esse Sanctorum & Theologorum, quòd verbum*, SICUT, *non dicit omnimodam similitudinem, sed in sua proportione. Non ergo est sensus, quòd* SICUT *Deus habet dominium in cætera naturalia, ad movendum ea sine libertate, ita habeat dominium super voluntates hominum, illas movendo ex dominio tali sine libertate. Sed sensus est, quòd* SICUT *Deus ex sua omnipotentiâ, & dominio quod habet super cætera omnia, potest efficaciter movere causas naturales ad operationes naturales; nec ex tali dominio tollit ab illis operationibus, quòd naturales sint, ita habet Deus dominium supra hominum voluntates, ad movendum ipsas ad suos actus liberos, non tollendo ab illis actibus libertatem, sed illam in illis causando, ut docet S. Thomas 1. p. q. 83. a. 1. Itaque hæc propositio certa secundùm fidem videtur:* SICUT *Deus habet dominium supra omnia quæ sub cœlo sunt, ut faciat ea facere quodcunque ipse vult, ita habet dominium supra voluntates hominum, ut faciat eas liberè facere quæcunque voluerit ipse: ita quòd verbum*, SICUT, *dicat efficaciam dominii Dei super omnia alia, & super hominum voluntates, proportione servatâ, & servatâ propriâ cujuscunque naturâ. Quod ita est verum, ut etiam apud mediocres Theologos manifestum sit.*

Nec minùs strenuè objectum suis Calvinismum ob usurpatam baculi comparationem, retudit. *Dixit præterea Pater iste*, subjunxit, *quòd aliqui Patres ex Prædicatorum familiâ, quia asserebant efficaciam gratiæ provenire ex Dei omnipotentia & dominio prædicto, constituebant liberum arbitrium moveri sicut quoddam inanime, aut sicut baculus, &c. Ac si non loquantur expresè sicut Scriptura sacra, & in eodem sensu Scriptura. Reprehendat ergo, si placet, quod dicit Scriptura*: Assur, baculus furoris mei; *& alibi:* Virga indignationis. *Numquid cùm hoc dicit Scriptura, constituit Assur inanime quoddam? Etiam apud tyrones in Theologiâ, ista non dicuntur, nec opponuntur. Quia sensus est, quòd sicut baculus se habet respectu manus moventis, ita quòd si non moveatur à manu, nihil facit; ita homines respectu Dei se habent, ut nisi priùs moveantur ab ipso, non operentur suas liberas operationes. Reprehendat etiam Prophetam Jeremiam & Apostolum: quia dicunt homines esse sicut lutum in manu Dei: & dicat, constituere Scripturam homines ut inanime quoddam. Et tandem, quia Christus Dominus dicit: Ego sum vitis vera; dicat dixisse se esse inanime quoddam sine libertate. Non igitur intelligenda sunt ista ita crassâ Minervâ.*

De lumine Scientiæ-mediæ, in quod gratiæ efficacis certitudinem refundendam Bastida supposuerat, nihil post habitas eo de argumento sub Clemente Disputationes addendum existimavit: cùm jam in triplici Sessione præjudicata res esset.

Propositionem Decimam-tertiam rectè omninò à Clemente positam defendit, ut Pelagianorum error exploderetur, qui gratiam ad singulos actus minimè necessariam garriebant, eamque ad majorem dumtaxat agendi facilitatem desiderari fabulabantur. Quid enim si per solam gratiam sufficientem habeat quis omnia necessaria ut agere possit; cum omnia necessaria non habeat, ut re ipsa bene agat? Aut quid obest, si gratiam efficacem ad singulos actus necessariam indistinctè vocaverit Pontifex; cùm nemo adeò stipes esse possit, qui non id de piis actibus dictum statim intelligat: quo pacto Christus ipse de bonis dumtaxat operibus facilè intelligitur, tametsi indistinctè pronuntiaverit, *Sine me nihil potestis facere.*

Ultimo tandem loco contendit vir eruditùs, eo Pontificis Scripto, universos Pelagianorum errores cumulatissimè confutari, illo præsertim in capite, ubi gratiam à Deo concedi defenditur, non quia volumus, sed ut velimus. Quo uno fidei dogmate, hæresim illam omnem funditùs everti monuit Augustinus.

Priora dicta redintegravit Societatis Orator. Ægrè tulit, Clementis VIII. lucubrationem, qua nihil Pontificiâ autoritate sanciverat, à Lemosio magnificentiùs commendari: quasi eam ipse citra læsæ Pontificiæ Majestatis crimen impugnare non potuisset. Quocirca sacrum Consessum, suæ in Sedem Apostolicam reverentiæ, humilitatis, ac modestiæ testem appellavit. Mox ad Lemosii dicta circa Quintam propositionem prolixè reposuit: quocirca nihil in primis obesse inquit, quòd ad divinæ voluntatis omnipotentiam confugiat

fugiat Augustinus, ut gratiæ efficaciam & infallibilitatem ostendat: quia ad id unum hoc in negotio valet divina omnipotentia, ut varia media usurpare possit, quibus persuadeat unicuique quod vult. *Immò*, subjunxit, *si res attentè consideretur, divina omnipotentia magis elucet in eo, quòd Deus ita habeat in potestate sua voluntates hominum, ut faciat infallibiliter facere quod voluerit, per media quibus adhuc resistere & repugnare non implicat, quàm in eo quòd faciat illas facere, ita physicè prædeterminando ad unum, ut contradictionem implicet, dissentire.*

Particulam, *Sicut*, idcircò à se improbatam dixit, quòd ab adversæ partis autoribus non aliter quàm à Calvino acciperetur: quatenùs scilicet voluntatem à Deo moveri significat absque ulla dissentiendi potentiâ, uti bruta animantia, cæteravè sub cœlo posita agentia necessaria. Id verò ut ex eorum testimoniis evinceret, nonnulla Bannesii & Avilæ loca protulit; ubi voluntatem humanam necessitate consequentiæ, seu infallibilitatis, ad ea ferri docent, quæ Deus pro suæ voluntatis imperio fieri decernit. Quin etiam & illis crimini vertit, quòd Calvinus supremum illud divinæ voluntatis imperium, gratiamque se ipsâ efficacem, iisdem ac ipsi testimoniis Augustini defenderit.

Postmodùm Augustini testimonia, partim in Clementis Scripto, partim à Lemosio in hujus Quintæ propositionis confirmationem adducta, ita emollivit ac temperavit; quasi Deus, pro suo in hominum voluntates imperio, solis eas invitationibus ac suasionibus inclinaret. Sæpiusque Lemosium non sine stomacho provocavit, ut ad illa explicatè reponeret, quæ in secundâ ad Simplicianum quæstione habet sanctissimus Doctor: unde moralis & congruæ vocationis doctrinam mirum in modum astrui præsumebat: *Cujus autem miseretur, sic eum vocat, quomodo scit ei congruere ut vocantem non respuat... Cùm Deus deserit, non sic vocando, quomodo ad fidem movere potest, quis etiam dicat, modum quo persuaderet ut crederet, etiam Omnipotenti defuisse?*

Nonnullis demùm breviter additis, ut efficacis gratiæ certitudinem ex Scientiâ-mediâ peti demonstraret, contendit Molinæ Vindex, eo quidem Scripto hæresim Pelagianam cumulatissimè confutari; nihil tamen in eo legi, quo præsens de gratia ex se efficaci controversia dirimi, aut hæresis Calviniana refelli posset.

Quatuor ad ista reposuit Thomas de Lemos, à minutiis abstinens, ne sacrum Consessum prolixiùs detineret.

1. Calvinismi accusationem suis objectam retudit, qui necessitatem dumtaxat infallibilitatis defendant, qua fit ut homo quidem gratiæ obsistere nequeat in sensu composito, possit tamen in sensu diviso. Unde & Calvino nequaquam succensendum ait, quòd supremum divinæ voluntatis imperium, & gratiam se ipsâ efficacem, ex Augustino propugnarit, sed quòd exstinctam humani arbitrii libertatem, ex iis Catholicæ fidei principiis intulerit. Quo vitio non Thomistas, sed Molinianos laborare demonstravit; dum ex gratiæ se ipsâ efficacis hypothesi, liberum arbitrium sublatum iri vociferantur.

2. Objecta Augustini testimonia, ex secunda quæstione ad Simplicianum, exposuit de congruitate, non à naturâ, sed à gratiâ, profectâ. Sic ut Deus unumquemque eo modo vocet, quem aptum & congruum novit, ut sequatur & credat, quatenus gratiæ suæ vim & efficaciam apprimè novit. Addidit, persuasionem pro internâ & efficaci voluntatis immutatione ab Augustino ubique passim usurpari, & à simplici suasione omninò secerni, quæ tametsi ab internâ inspiratione proficiscatur, legis tamen ac doctrinæ loco ab eodem Augustino reputata est.

3. Gratiam operantem non ideò à cooperante secerni demonstravit (ut Bastida inter dicendum innuerat) quòd illa consensum hominis antevertat, ista non item; sed quòd una ad rectam finis intentionem hominem moveat, altera ad rectum, ut Scholastici vocant, mediorum delectum.

4. Demùm Scientiam-mediam ex Angelicæ doctrinæ principiis exagitavit.

Iis omnibus nihil motus Bastida, Calvinismi expostulationem instauravit. Cumque ad id probandum eò confugisset, ut nihil aliud à Calvino dictum obtenderet, quàm quod Thomistæ ipsi palàm profitentur: hominem scilicet gratiæ dissentiri non posse in sensu composito, hoc est quandiu gratiæ imperio subest; tametsi in sensu diviso possit, dum nempè gratiâ efficaci caruerit; sinistram illam Thomisticæ sententiæ expositionem (qua jam aliàs sub Clemente VIII. in 67. Congregatione abusus fuerat) confutavit Lemosius; qui Calviniani erroris capita quatuor recensuit, à quibus Thomistæ quàm longissimè abessent.

1. Libertatem humanam divinæ gratiæ imperio excîdi, fatalemque, ut Theologi de Schola loquuntur, consequentis necessitatem ex æterna prædestinatione suboriri.

2. Nullam dari gratiam sufficientem, quæ voluntatem excitet ac moraliter moveat.

3. Gra-

3. Gratiam efficacem imperio tyrannico in humanâ voluntate dominari. 4. Deum æquâ lance in malum ac in bonum impellere, omni prorsùs entitatis ac deformitatis distinctione sepositâ.

Ad hæc, dicentem stitit Cardinalis Perronius, explicatiorem Calviniani erroris interpretationem desiderans. *Calvinus*, inquit ille, *non erravit ita absolutè. Nam in Adamo ante peccatum admisit libertatem. Neque secundò dixit, præscientiam Dei tollere libertatem. Immò tertiò admisit libertatem ad opera moralia.* Cui è vestigio Thomas de Lemos: *Illustrissime Domine, ego dicam omnia, quæ Calvinus dixit in hac materia. Ipse aliter locutus fuit de Adamo ante peccatum, & aliter de homine post peccatum, ut optimè dixit Illustrissima Dominatio Vestra. Ante peccatum dixit habuisse libertatem: neque pariter dixit illam præscientiam, quâ Deus vidit illud peccatum, abstulisse ab eo libertatem, quia constituebat Calvinus illam præscientiam ante peccatum ipsum factum ex humanâ libertate. Si autem posuisset Calvinus illam præscientiam, post tale peccatum, utique dixisset, illam lædere libertatem. Ea fuit sententia Calvini de Adamo ante peccatum. At verò de Adamo post peccatum, dixit primò liberum hominis arbitrium exstinctum fuisse. Fides autem Catholica dicit non fuisse exstinctum, sed vulneratum, læsum & extenuatum. Deinde dixit, Deum decreto suæ voluntatis determinasse, quid homo facturus esset: ex quo decreto dicit, quòd fuit ablata hominis libertas. Dixit præterea, quòd illo decreto ita Deus determinavit hominem ad malum, sicut ad bonum: de quo damnatur à Concilio Tridentino. Quæ omnia Calvinus deduxit ex illo pravo principio: quòd necessitas orta ex decreto divino tollit libertatem, &c.*

Ita planè Calvinus lib. 1. Instit. cap. 15. §. 8. & lib. 2. cap. 5. §. 18.

Absoluto Eminentissimo Perronio, ultima tentavit Ferdinandus de Bastida. Tot illos Thomisticæ Scholæ circuitus eò recidere inquiens, ut physicam prædeterminationem ad materiale peccati tuerentur. At novam hic quæstionem induci, reposuit Prædicatorum Orator; in quam tamen pro argumenti affinitate ingressurus esset, dùm de physica prædeterminatione disputandum ediceret sanctissimus Pontifex. Eoque pacto soluta Congregatio est.

Judicium Congregationis de Scripto Clementis VIII.

Ex Act. Secret.

" Die Mercurii 21. Septembris 1605. horâ 22. resolvit Congregatio, quindecim articulis propositis à felicis recordationis Clemente VIII. contineri formalem doctrinam S. Augustini: &, quintam propositionem exceptam à Patribus Societatis, esse formaliter assertam à S. Augustino. P. Regens Collegii Carmelitarum dixit, propositionem quintam posse dupliciter intelligi: vel tantùm quoad factum, ut scilicet pendeat efficacia gratiæ ab omnipotentiâ Dei, quam habet in omnes creaturas, & etiam in voluntatem; & hoc sensu esse doctrinam S. Augustini: vel, ut etiam implicetur modus; ut scilicet, sicut Deus suâ omnipotentiâ, decreto omninò absoluto, facit operari alias creaturas, ita ut posito tali decreto non possint non operari; ita etiam cum voluntate eodem modo utatur suâ omnipotentia. Et in hoc sensu dixit, non esse sententiam S. Augustini. Dimittitur Sessio propè horam 16. "

CAPUT SEPTIMUM.

De gratia se ipsa efficaci, in Quartâ Congregatione generatim disputatur, approbatur in Quintâ.

Die 12. Octobris 1605. Quarta Congregatio præsente Paulo V. celebrata est. Disputatum, *An Deus suâ efficaci gratiâ moveat hominis voluntatem ad actus liberos bonos, non solùm interiùs suadendo, invitando, excitando, aut aliter moraliter attrahendo; sed etiam verè & activè, propriè, salvâ tamen humana libertate? Et, An talis efficax gratia, convenienter ab aliquibus Scholasticis, physicè prædeterminare dicatur?*

Disputationi longo sermone prælusit Ferdinandus de Bastida. Quæstionem hanc, quâ *non de vulgari re aliquâ, sed de gravissimo sanctæ fidei dogmate certari* fassus est, non in unius paucarum horarum Congregationis angustias coarctari petiit; sed tot supplicanti Societati concedi cognitionis dies, quot eliquandæ veritatis necessitas, ipsiusque Sanctæ Sedis honor exigeret. De Censoribus duriùs expostulavit: qui cùm ea de re, multos ante annos, in aliis Congregationibus pronuntiassent, fidem quodammodo suam obligaverant; jamque judicatâ quodammodo causâ ad audiendum accedebant. Quin etiam de Sanctitatis Suæ justitiâ, prudentiâ, benignitate, sperandum innuit, illam Ordini Religiosorum de Ecclesia non malè merito, nec ad ei inserviendum prorsùs inutili, humiliter supplicanti minimè negaturam, quod ne hæretico quidem negaretur, si audiri & cognosci causam suam vellet ab his, qui de illâ non præjudicassent, nec sibi ullo alio nomine suspecti essent.

Ad institutum subindè progressus, tria fecit actionis suæ capita, de quibus ea se cla-

claritate dicturum spopondit, ut quodammodo cerni oculis, & quasi contrectari manibus possent.

Cœpit igitur à declaratione terminorum, quibus tota stabat proposita controversia: nimirùm: *Auxilii efficacis, physicæ prædeterminationis, & motionis moralis.* Auxilii efficacis nomine, gratiam significari dixit, qua Deus non solùm præstat voluntati ut agere possit, verùm etiam ut agat. De physicæ prædeterminationis voce observavit, eâ neque intelligi posse divinum decretum, quo Deus prædefinit ac prædestinat; nec auxilium tantummodo verum & reale, physicè inhærens, vel physicè effectivum, aut physicè efficiens: (has enim dotes omnes habitibus infusis & auxilio sufficienti perinde convenire supponebat) sed auxilium quod ex sua præcisè entitate ac naturâ tale sit, ut implicet contradictionem, in voluntate poni, & voluntatis consensum non statim sequi. Moralem Dei motionem appellavit, qua Deus hominem inducit ad effectum liberè producendum: *Non ex parte tantùm objecti movendo, sed ex parte potentiæ, perfectissimè & verissimè benedictionem dulcedinis in illa infundendo, & in intellectu & voluntate reales qualitates physicas physico & reali influxu producendo.* Hanc enim moralem Dei causalitatem semper conjungi supposuit cum perfectissima causalitate physica, quâ agit in causam, quam moraliter movet, producendo nimirùm in illa & in ejus potentiâ immediatè infundendo, per physicam & realem actionem, qualitates illas, quibus eam interiùs movet & inducit ad actum.

Ex hujuscemodi terminorum expositione ad alterum actionis caput accedens, Controversiæ statum aperuit. Quocirca statuit in primis, nequaquam hìc disputari, An Deus suâ efficaci gratiâ prævenienti moveat voluntatem ad actus supernaturales, verè & activè propriè, salvâ humanâ libertate? Id quippe à suorum nemine negari contestatus est. *Immò verò*, inquit, *dicimus impossibile esse, Deum interiùs suadere, excitare & attrahere voluntatem, quin illam verè & activè propriè moveat: & tam verè & activè propriè, quàm verè & activè propriè movet ignis aquam, quando in illa producit calorem. Nam qui interiùs suadet, excitat, & attrahit voluntatem, necesse est ut per veram & realem actionem producat in voluntate qualitatem illam, qua interiùs excitat, attrahit & suadet.* Quanquam tamen, addidit vir acutus, qualitas illa in voluntate producta, gratia scilicet efficax, nihil verè & activè propriè in voluntate ulteriùs efficiat.

Sed etsi quid illa vicissim in voluntate propriè efficere supponeretur; nec illo quidem in capite præsentem controversiam situm iri contendit. Vel enim voluntatis actum, vel quid aliud actum ipsum antecedens physicè produceret. De primo, inquit, lis nulla foret: *Nam ferè omnes Scriptores nostri asserunt, gratiam quæ excitando prævenit, fieri postea adjuvantem, cooperando physicè ad actum secundum voluntatis. Et Molina gratiæ prædeterminantis acerrimus impugnator, nimius est in confirmandâ hac sententiâ, de physico influxu gratiæ prævenientis in actum secundum voluntatis. Et nullus unquam nostrùm, dixit humanæ libertati præjudicari à gratia, quæ & à Deo verè & activè propriè infunditur, & postquam infusa est, verè & activè propriè causat actum.* De secundo pariter controversia non esset. Vel enim prævium istud, à gratia in voluntate productum, ex ipsa sui naturâ infallibiliter consensum voluntatis inferret, aut non. Si non: certè præsenti instituto parùm interesset; quantumvis hujuscemodi productæ qualitates infinitæ fingerentur, cum nulla ex iis foret physicè prædeterminans, aut inimica libertati. Si autem assensum infallibiliter obtineat, adeò ut ab illo sejungi repugnet: ea quidem in parte dissensio erit, non quia istiusmodi qualitas à gratia causari supponetur: (id quippe nihili refert) sed quia talis esse naturæ fingitur, ut cum voluntatis dissensu conjungi non possit.

Statuit secundò Ferdinandus de Bastida, litem nequaquam institui, Num Deus sua efficaci gratiâ, tam ex parte objecti, quàm ex parte potentiæ, moveat voluntatem? Quippe duo illa, die 16. Maii anni 1599. in mutuo coram Cardinalibus arbitris habito congressu, communi partium assensu constituta fuerant.

Statuit tertiò, non physicam gratiæ efficientiam controverti, sed physicam prædeterminationem ad actum. Quæ usque adeò inter se differunt, ut ne ad efficientis quidem causæ genus prædeterminatio pertineat: *Prædeterminare enim*, inquiebat, *ex parte subjecti, est afficere subjectum; & ita afficere, ut postquam sic affectum est, maneat adactum & quasi constrictum ad id ad quod datur.*

Quartò demùm statuit, non agi de determinatione in actu secundo, seu concomitanti, sed de prædeterminatione in actu primo: nec de omni quidem hujuscemodi prædeterminatione, *Sed de illa, quæ fit à Deo in voluntate creata, actione transeunte, & quæ in ipsa tanquam in subjecto recipitur, & à qua denominatur determinata intrinsecè,*

per

per modum subjecti...... Quæ demùm hujus natura sit; ex qua tam necessariò sequatur voluntatis consensus, ut impossibile sit illam entitatem in voluntate poni, & voluntatis consensum non sequi: implicatque contradictionem, simul in voluntate conjungi hanc entitatem cum dissensu, vel cum ejus carentia consensum. Cæterùm de physicæ prædeterminationis voce vitilitigare noluit, modò res ipsa constiterit.

Constitutâ Controversiæ summâ, in tertiam orationis suæ partem ingressus est. Demonstravit ex hoc uno discordiæ capite, variarum quæstionum ramos tanquam è primâ radice pullulare: *Hinc etenim*, inquiebat, *celebris illa quæstio, An cum æqualibus auxiliis prævententis gratiæ fiet, unum converti, & alium non? Hinc nascitur quæstio, An gratia præveniens, ex se sola sit efficax? An verò ad completam ejus efficaciam liberum nostrum arbitrium aliquo modo concurrat? Hinc illa controversia, de differentia auxilii sufficientis & efficacis; An in physica eorum entitate, vel solùm in ratione doni differant? Hinc dependet quæstio de certitudine prædestinationis; An in cognitione divina, vel in sola entitate & naturâ mediorum fundata sit? Hinc originem ducit difficultas de gratia congruitate, æstimandane sit ex sola qualitate gratiæ, an etiam ex respectu ad subjectum & circumstantias in quibus datur? Hinc quæstio orta est, Consistatne gratia efficax in rebus his quæ naturaliter movent, solisque ratione utentibus communia sunt; an verò in aliquo physicè impellente, cuicunque agenti & ad quemcunque voluntatis actum, etiamsi malus sit, omninò necessario? Et penè innumera alia quæstiones.*

Postmodùm altè atque à capite singula resumens, adversùs gratiam ex se efficacem, superiùs expositam, non tam verbis quàm furiis egit: uti hæreseos Calvinianæ crambem à Bannesio recoctam, Doctori Angelico perperàm affictam, à Concilio Tridentino prædamnatam, ab Academiis obtritam, à Viris omnium Ordinum eruditis explosam, Ecclesiæ Patribus repugnantem, humanæ libertati inimicam, Gratiæ sufficienti ac divinæ sanctitati prorsùs injuriam. Ac tandem adversæ Partis Actoribus denunciavit, ut si monstrum hoc reipsa exhorrescerent, de communi consensu damnari finerent: sin autem approbarent, latebras ejus omnes ac sinus, revelata facie, ad Apostolicæ Sedis Tribunal conferri paterentur: ut indeficienti judicio damnari posset, vel absolvi.

Post hæc, forum obtinuit Thomas de Lemos: qui quæstionis summam, brevi facta suppositione, confestim attigit. Præmisit idem omninò sonare, apud Societatis Autores, efficaciam moralem divinæ gratiæ, efficaciam vocationis congruæ, efficaciam pendentem à libero hominis arbitrio & effectu.

Hinc primam statuit Responsionis suæ partem: *Deus sua efficaci gratia movet hominis voluntatem ad actus liberos bonos, non solùm interiùs suadendo, invitando, excitando, aut aliter moraliter attrahendo.* Primam probationem petiit ex confessione Pelagianorum, qui interiores illas omnes excitationes, suasiones, & gratiam cooperantem Moliniano sensu expositam tandem admiserant; nec tamen Augustini virgam & Ecclesiæ censuram effugerant. Secundam, quia gratiam illam interiùs, ac moraliter excitantem Pelagiani profitebantur; modò talis esset, ut, si velit homo, consentiat reddatque efficacem; si nolit, dissentiat, & inefficacem efficiat. Tertiam, quia gratiam efficacem ad obitum usque defendit Augustinus, qua & liberum arbitrium exstingui, & gentilitatis fatum induci fabulabantur non Pelagiani modò, sed & hæretici Massilienses, viri aliàs acutissimi. Quæ sanè oblocutio ne stipitibus quidem ac bardis venisset in mentem, si efficaciam ex voluntatis assensu vel dissensu suspensam constituisset Augustinus.

Pars Responsionis altera fuit hujusmodi: *Deus suâ efficaci gratiâ movet hominis voluntatem ad actus liberos bonos, interiùs suadendo, invitando, & excitando moraliter; & etiam verè & activè propriè efficiendo, ut liberum arbitrium infallibiliter consentiat, salvâ in omnibus ejus libertate. Et hæc efficacia gratiæ convenienter physicè prædeterminare dicitur.* Assertionem utrique Pelagianorum & Calvinistarum errori perinde contrariam probavit Vir eruditus ex Epistola decretali Cœlestini primi, ac præsertim ex S. Augustini principiis, qui Deum rebelles ac repugnantes hominum voluntates insuperabiliter, indeclinabiliter, invictissimè, atque fortissimè transferre, immutare, agere, inflectere profitetur. Quæ dicendi rationes divinæ gratiæ vim & energiam longè disertiùs & efficaciùs enuntiant, quàm physicè prædeterminationis voces, Scholarum usibus accommodatæ.

Porrò, quia Bastida Concilii Tridentini autoritatem frequentiùs appellaverat, decretis ejus pro causæ tuendæ necessitate aliquantulum institit. Canonem 4. sessionis 6. ad quem ille identidem provocaverat, in eundem regessit, & in suæ confirmationem assertionis accommodavit. Dum enim, inquie-

inquiebat, definit sacra Synodus, liberum arbitrium, divina gratiâ excitatum & motum, posse dissentire si velit, nec ut inanime quoddam otiosè rapi, contra Lutheranos & Calvinistas pronuntiat. At ii liberum arbitrium, non moralibus excitationibus ac suasionibus extingui, sed gratiâ physicè prædeterminante interimi, violenterque ac passivè rapi, fabulabantur. Vel ergo nihil in Lutheranos & Calvinistas statuisse putandum erit; vel, si re ipsâ quid statuit, sanxit planè, liberum arbitrium gratiâ physicè prædeterminante motum, posse adhuc dissentire si velit. Gratiam itaque physicè prædeterminantem admisit Tridentina Synodus; solamque Lutheranorum consecutionem, Molinianis nimiùm familiarem, Anathemate feriit.

Addidit gratiæ Defensor, in eadem Concilii sessione gratiam prævenientem commendari, quæ uti talis nedum excitans, verùm etiam adjuvans & efficax sit: cujus idcircò vis & efficacia ex voluntatis assensu minimè pendeat. *Declarat præterea sacra Synodus (cap. 5.) ipsius justificationis exordium in adultis, à Dei per Jesum Christum præveniente gratia sumendum esse, hoc est, ab ejus vocatione, qua nullis eorum existentibus meritis vocantur: ut qui per peccata à Deo aversi erant, per ejus excitantem atque adjuvantem gratiam ad convertendum se, ad suam ipsorum justificationem, eidem gratiæ liberè assentiendo & cooperando disponantur. Et Canone 3. Si quis dixerit, sine præveniente Spiritus Sancti inspiratione atque adjutorio, &c.* Gratia igitur adjuvans, colligebat Lemosius, non secùs ac excitans prævenit voluntatem: ipsaque vicissim & liberè consentit excitanti gratiæ & liberè cooperatur adjuvanti.

Congessit & alia multa Augustinianæ atque Thomisticæ doctrinæ principia, pro asserendâ efficacis gratiæ & libertatis humanæ concordiâ. Quibus copiosè enarratis, Molinianæ Scholæ doctrinam à Bastidâ fraudulenter fuisse expositam demonstravit; dum à suorum nemine negatum jactitaverat, quin Deus interiori gratiâ hominis voluntates verè & activè propriè moveret ad bonum. Testem omni exceptione majorem objecit Franciscum Suares, domesticæ doctrinæ interpretem fidelissimum, qui de hujuscemodi gratiæ motione disserens: *Tota hæc*, inquit, *causalitas gratiæ reducitur ad motionem finis, quæ metaphorica est.* (Lib. 3. de Auxil. cap. 5.) Neque verò Bastidianæ expositioni prodesse ait, si qui suadet & excitat, verè propriè & activè suadeat: aut si suasio ipsa verè physicè propriè in voluntate recipiatur; sed videndum ulteriùs, num vera illa ac propria suasio, in voluntate physicè recepta, verè propriè, & activè moveat voluntatem, an moraliter tantùm?

Respondit Bartholomæus Peres, Bastidæ socius, gratiam efficacem à suis etiam admitti, quæ hominem insuperabiliter & indeclinabiliter operari faciat: solumque dubitationem suboriri, quo pacto hujuscemodi efficacia in peccatoribus exerceatur. Quare Dominicanum interrogavit, An in homine præviâ & interiori excitatione pulsato, ante ejusdem assensum, præcedat aliquid, ex cujus præcisa entitate, sine ordine ad liberum arbitrium, sequatur effectus? Affirmavit Thomas de Lemos; modò ne entitas hæc nudè ac naturaliter accipiatur, sed ut est divinæ omnipotentiæ ac voluntatis instrumentum. Sic enim propria virtute effectum obtinet, sine ordine ad peccatoris assensum, à quo pendeat, sed quem inferat.

Tunc quæsiti vicissim Societatis Actores, quid ipsi hac in parte sentirent. Reposuit Bartholomæus Peres, gratiam prævenientem *ex Deo ipso efficacem esse; quatenus habet à Deo virtutem causativam actus.* Responsum hoc temperavit illicò Ferdinandus de Bastida, nova Lemosii interrogatione lacessitus: *Nego*, inquit, *hanc gratiam esse efficacem independenter à libero arbitrio, quia nunquam sine libero arbitrio operatur.* Et paulò infra: *Nostra sententia est, auxilium efficax in sua præcisa entitate, in qua producitur, semper esse tale, ut cum illo possit conjungi dissensus. Et hoc auxilium dicimus à solo Deo habere efficaciam* (hoc est efficiendi virtutem) *non ut se solo producat effectum, sed dependenter à libero arbitrio.* Rogatus subindè, An hujusce auxilii efficaciam independentem à Scientiâ-mediâ constituerent, nova domesticæ scholæ arcana reseravit. *Dico*, inquit, *gratiam hanc efficacem habere virtutem à solo Deo. Quòd autem hæc gratia sit infallibiliter habitura suum effectum, à Scientia-media pendet, & non solum ab entitate quam habet à Deo productam.*

Responsum paulò explicatius desideravit Archiepiscopus Armachanus. Institit in hoc ipsum Thomas de Lemos. Qui cùm intelligeret, Bastidam idcircò gratiæ efficaciam a libero arbitrio suspendere, quia ejus assensus necessariò requiritur, nebulas dispellere conatus est: *Non loquimur*, subjunxit, *de consensu: certum est enim consensum esse ab utroque, à gratiâ videlicet & à libero arbitrio. Sed quærimus, ante consensum, & antequam liberum arbitrium influat in illum,*

an gratia sit efficax ut à Deo ipso, an à libero arbitrio? At nil novi Molinæ Vindex, sed iisdem verborum ambagibus delitescens: *Dicimus*, inquit, *gratiam à solo Deo habere virtutem efficiendi, sed ut sortiatur suum effectum, non esse à solo Deo, sed etiam à libero arbitrio, quod ita influit, ut possit non influere.* Nec aliud quidquam ab eo secutis interlocutionibus extundi potuit. Finem disputationi fecit Sanctissimus Pontifex, horâ decimâ-nonâ.

Ex Actis Secretarii.

» Die Sabbati 15. Octobris horâ 13. anno » Domini 1605. resolvit Congregatio, Deum » gratia sua efficaci non solùm movere vo» luntatem ad actus liberos bonos, interiùs » suadendo, invitando, excitando, vel ali» ter moraliter attrahendo; sed etiam verè & » activè propriè, hoc est, verâ, reali, & » in hoc sensu physica motione, agere in vo» luntatem, salva ejus libertate, illam ita ef» ficaciter præmovendo, ut ipsa sub tali ef» ficaci Dei præmotione certò & infallibi» liter, liberè tamen, se ipsam determinet ad » consensum: & in hoc sensu convenienter » dici à Scholasticis recentioribus, talem » gratiam physicè prædeterminare. Ita cen» suerunt omnes, excepto Patre Regente » Collegii Carmelitarum, qui dixit, Deum » suâ efficaci gratiâ, verè & activè propriè » movere hominis voluntatem; quia in ea » producit, tanquam vera causa efficiens, rea» lem inspirationem, qua voluntas in actu » primo, verè, realiter & propriè inclinatur » ad consentiendum infallibiliter, si talis in» spiratio sit congrua: non tamen Deum » præterea movere voluntatem aliâ motione » physicâ, prævià & prædeterminante ad » unum, cum qua positâ impossibile sit con» jungere dissensum. Dimittitur Sessio pro» pè horam 20.

CAPUT OCTAVUM.

De gratiâ seipsâ efficaci in sexta Congregatione distinctim agitur, ac non primùm ex Scripturis sacris; postmodùm ex Conciliis in septima.

DIe 26. Octobris anni 1605. coram Paulo V. celebrata est Congregatio sexta. Quæstio in superiori congressu generatim agitata, minutatim retractata est; ac primò ex sacrarum Scripturarum autoritate.

Controversiæ statum in hac una propositione constituit Ferdinandus de Bastida: *An auxilium efficax præveniens consistat in entitate quadam à solo Deo factâ, & prius naturâ in voluntate positâ, à qua ita necessariò sequatur voluntatis consensus, ut impossibile sit, istam entitatem in voluntate poni & voluntatis consensum non sequi: implicetque contradictionem, voluntatem hanc cum dissensu voluntatis & cum ejus carentiâ conjungi?*

Primo impetu pugnavit ex Apostoli testimonio 2. ad Cor. cap. 6. *Hortamur vos ne in vacuum gratiam Dei recipiatis*; quod de gratia actuali, & quidem efficaci atque in voluntate recepta, intelligendum ostendit: ut illam & vanè interdùm recipi, suoque nonnunquàm effectu destitui demonstraret. Adeò verò locum hunc prolixè versavit Molinæ Defensor, vertitque in omne latus, ut Pontifex tædio solutus, impatientis animi sensum palam effuderit: *Pater*, inquit, *sæpè eadem repetis, quæ nos quamprimùm à te producta sunt facilè percepimus. Respondeat ad ista Pater Lemos; & tu posteà prosequeris quæ præparasti dicenda: ita tamen ut breviùs agas.*

Jussus ergo dixit Thomas de Lemos. Hic brevi præmissâ terminorum expositione, probatam nudiùs tertiùs ex Augustino ac Tridentina Synodo veritatem ex Scripturis sacris confirmavit, nonnulla obiter adjiciens ad Scientiæ-mediæ confutationem, in quam divinæ gratiæ infallibilitatem superiori congressu Bastida refuderat. Unde hujusce disputationis, ac sequentium omnium scopum & institutum hac unâ conclusione complexus est. *Deus suâ efficaci gratiâ præveniente, nullâ præsuppositâ Scientiâ-mediâ seu conditionatâ, hominis voluntatem ad actus liberos bonos prædeterminat, non solùm interiùs suadendo, invitando, excitando, aut aliter moraliter attrahendo; sed etiam verè & activè propriè, & in hoc sensu physicè efficiendo, ut hominis voluntas ad eosdem actus se infallibiliter determinet, non ex necessitate, sed juxta proprium suum modum, salvâ omni sua libertate, qua potest se non determinare, si velis.*

Mox objectum Apostoli locum retorsit in adversarium: *Si enim*, Augustino teste, *nihil in Scripturis sanctis à Domino jubetur propter probandum liberum arbitrium, quod non inveniatur vel dari ab ejus bonitate, vel posci propter adjutorium gratiæ demonstrandum*; profectò dum jubet Apostolus, ne in vacuum gratia Dei recipiatur, ab ipsa gratia oriri intelligimus, ne eam homines frustrà recipiant. Rursùs si gratia efficax, de qua locutum Apostolum Bastida supposuit, ex directione saltem Scientiæ-mediæ effectum præ sui congruitate certissimè sortitur; dicant & ipsi Molinæ Vindices, quorsùm hortetur Apostolus, ne gratiam sine fructu recipiant, quam nus-

Lib. 2. contra duas Epistolas Pelagian. num. 23.

quam suo posse fructu destitui profitentur?

Quare Apostoli locum de Auxiliis sufficientibus, tum externis, tum internis intelligendum ostendit, quia prædicationes & inspirationes, hominum interdum incuriâ sine fructu suscipiuntur; aut saltem de habituali justificationis gratiâ, quæ ab eo frustrà suscipi dicitur, qui hanc suâ culpâ amittit. Quanquàm si de gratia efficaci intelligendus esset Apostolus, id unum extundi posset, illam nempè absolutè & in sensu diviso frustrari posse, non in sensu composito.

Hoc ultimum, omissis aliis, occuparunt Societatis Theologi: qui ut faciliùs repugnantiæ & erroris Lemosium arguerent, Calviniano more sensum compositum interpretati sunt. Ita quippe resumsit Bartholomæus Peres: *Jam dicit Pater, absolutè & simpliciter non repugnare gratiæ acceptæ dissentire: Ergo in sensu composito non repugnat. Gratia enim accepta facit sensum compositum.* Mirùm quàm acriter novi interpretes excepti sint! *Non ita*, reposuit Lemos, *intelligitur sensus compositus, ut dicatur ille, quando quis habens gratiam de facto illi gratiæ dissentire non possit. Sed ita est intelligendus, ut homo etiamsi de facto habeat gratiam, possit illi dissentire; non tamen possit conjungere dissensum cum gratia, ita ut habeat gratiam & simul dissentiat.* Illos etiam subridens compellavit Archiepiscopus Armachanus, ut interpretationis ineptiam aperiret: *Dicant Patres, An sit sensus illius loci Apostoli, quòd Paulus exhortetur illos, ut non conjungant contrariorum dissensum cum efficacia gratiæ?* Si enim ita evenire posset, profectò gratia efficax, efficax non esset. Quod ut audivit Sanctissimus Pontifex, satis ea de re dictum ait, jussitque Societatis Oratores aliò progredi.

Matt. 11. Ad pervulgatum igitur Matthæi locum confugère, *Væ tibi, Corozain! Væ tibi, Bethzaïda &c.* unde probare voluerunt, vel injustam fore Corozaïtarum objurgationem, vel nullam aliam pro agenda pœnitentia gratiam desiderari, quam quæ Corozaïtis ac Bethzaïtis data fuerat; non illa quidem ab intrinseco efficax, ac physicè prædeterminans. Non absimili verborum apparatu Isaiæ oraculum per mediam horam versavit Ferdinandus de Bastida: Cap. 5. *Quid est, quod ultrà debui facere vineæ meæ, & non feci? An quod exspectavi ut faceret uvas, & fecit labruscas?* Quo ex loco consequens esse probabat, hominem peccantem, bonorumque operum fructu destitutum, omnibus tum internis, tum externis gratiis à Deo præmuniri, quæ ad edendos justitiæ fructus necessariæ sunt: cùm tamen gratiam seipsâ efficacem eo in statu non habeat. Idem ex Ecclesiastici oraculo colligebat: *Deus reliquit hominem in manu consilii sui..... Apposuit tibi aquam & ignem, ad quod volueris, porrige manum tuam.* Cap. 15. Hoc enim minùs verum fore ait, si homo gratiâ seipsâ efficaci ad singulos pietatis actus indigeret.

Iis omnibus satisfecit Thomas de Lemos. De primo multa dixit. 1. Ex eo loco juxta datam expositionem perinde colligi posse, non nisi exteriorem gratiam pro agenda pœnitentiâ desiderari; quia de solis virtutibus & miraculis in Judæa factis loquitur Christus. 2. Tyrios & Sydonios, gratiæ seipsâ efficacis ope acturos fuisse pœnitentiam, eamque Deum conditionato decreto conferre statuisse, si nimirum Christus apud eos Evangelium prædicasset. 3. Demùm Corozaïtas æquo jure Tyriorum comparatione objurgari potuisse; seu quòd auxiliis sufficientibus iniquè abusi essent; seu quòd auxiliis efficacibus in præcedentium delictorum pœnam, ac præ nimia cordis duritie caruissent. Ad secundum reposuit, Deum homini solis auxiliis sufficientibus instructo, & justitiæ fructus non edenti, justè objicere posse: *Quid est quod ultra debui facere & non feci?* quia re ipsâ nihil debet aliud, ut rectè agendi potentiam largiatur; si præsertim cætera auxilia in obdurationis pœnam denegari supponantur: *Immò*, subjunxit, *ad hoc ut iste homo reprehendatur, & ei peccatum imputetur, satis est, quòd licet illi Deus non daret hoc auxilium sufficiens, illud tamen illi denegaret propter aliqua actualia peccata præcedentia, vel saltem propter peccatum originale. Ut expressa est doctrina S. Augustini de Correp. & gratia cap. 6. & S. Thomæ 2. 2. quæst. 2. art. 5. ad primum.* Ad alterum ostendit, Pelagianos, illo Ecclesiastici oraculo in eundem finem abusos, ab Augustino duriùs vapulasse. Quasi verò adeò sit homo in manu consilii sui, tantaque polleat quodcunque libuerit eligendi facultate, ut se divinæ etiam gratiæ imperio surripiat?

Tunc collatis viribus contra obnisi sunt Societatis Actores. Contendit Bartholomæus Peres, hominem à peccato excusatum iri, si ei ad bonum agendum necessarium auxilium denegetur. Institit Bastida, Corozaïtas Tyriorum exemplo immeritò corripi, nisi gratias omnes habuerint quas Tyrii fuissent habituri; liberum arbitrium, ejusque in partem alterutram indifferentiam exstingui, si gratiæ seipsâ efficaci-

ficacis imperio subjiciatur; implanari peccatores, si physicis prædeterminationibus ad peccandum præmoveantur. Verùm cùm easdem difficultates novis dumtaxat pigmentis ornarent, iisdem quoque responsionibus hæsit Thomas de Lemos: quas & resumere sæpiùs, & Patrum testimoniis confirmare, & clarioribus expositionibus perpolire necesse fuit. Desiit Congregatio horâ decimâ-octavâ.

Dimissâ Sessione statuit S. D. N.; ut Patres utriusque Ordinis, Dominicani & Societatis, in futuris Sessionibus dicerent quidquid ad præfatum dubium spectare putarent, auditurus postea in una vel pluribus Sessionibus, quid Consultores deputati sentirent.

Die 9. Novembris 1605. coram Paulo V. Pontifice Maximo celebrata est Septima Congregatio. Actum de eadem gratia ex se efficaci, seu physicè prædeterminante, ex autoritate Conciliorum.

Primus, pro more suo, peroravit Ferdinandus de Bastida. Quinque propositiones ex Concilio Tridentino & Synodo Senonensi desumtas sacro Consessui proposuit. 1. erat: *Liberum arbitrium motum & excitatum à Deo, potest dissentire, si velit.* 2. *Liberum arbitrium potest resistere auxilio Dei trahentis.* 3. *Liberum arbitrium inspirationem recipiens aliquid agit, nec se habet velut inanime quoddam.* 4. *Liberum arbitrium potest abjicere gratiam quam recipit.* 5. *Liberum arbitrium non rapitur inevitabiliter à divinis inspirationibus.* Definitiones illas aliis totidem propositionibus, ex Bannesio, Cabezudo, Avila, & Alvaresio petitis opposuit; quas ab eis non oscitanter aut casu assertas ostendit, sed ex tuendæ gratiæ physicè prædeterminantis necessitate, velut ex eo dogmate apertissimè consectarias. Prima sic habebat: *Liberum arbitrium motum & excitatum impossibile est non consentire.* 2. *Efficaciæ primæ causæ, seu Deo moventi, nulla inferior causa valet resistere.* 3. *Liberum arbitrium recipiendo inspirationem passivè se habet, estque velut baculus, qui inanime quoddam est & immobile.* 4. *Liberum arbitrium quamdiu ab hac gratia impellitur, ex ejus virtute fit, ut non possit eam abjicere.* 5. *Si Deus me decrevit justificare, non solùm infallibiliter, sed inevitabiliter & immutabiliter ita erit.*

Ne quis autem objiceret, speciosam illam dogmatum repugnantiam pervulgatâ sensus compositi atque divisi distinctione conciliari, probandum sibi sumsit, Concilium Tridentinum in sensu composito Thomistico more accepto, intelligendum esse, dum liberum arbitrium, motum & excitatum à Deo, dissentire posse definivit: hoc est, liberi arbitrii dissensum cum efficacis gratiæ motione componi posse. Aliàs enim, inquit, si in sensu diviso deberet intelligi, nec vera dissentiendi & resistendi potestas humanæ voluntati superesset, nec integra staret libertas arbitrii; nec Calvini error diminuta illa Concilii definitione proscriberetur.

Protulit & alia ejusdem Concilii Tridentini decreta, necnon Arausicanæ Synodi Canones; quibus, vel divinorum mandatorum possibilitas sancitur, vel eximium perseverantiæ donum à regeneratis & justis sperandum proponitur, modò susceptæ gratiæ non desint, eidemque collaborare voluerint. Ex quibus intulit, gratiam physicè prædeterminantem divinis mandatis implendis inutilem esse, eamque dumtaxat admittendam gratiam efficacem, cui pro arbitrii nutu vel desumus, vel fideliter respondemus.

Stetit pro adversa parte Thomas de Lemos. Breviùs solitò dixit de Scholæ suæ fundamentis ex Ecclesiæ autoritate petitis: ad ea quippe se retulit, quæ die duodecima Octobris ex Concilii Tridentini decretis attulerat, satis se hoc de argumento in aliis congressibus dixisse inquiens, ubi Conciliorum Africanorum decreta, summorumque Pontificum definitiones datâ opportunitate commemoraverat.

Totus itaque fuit in diluendis Bastidæ momentis. Quocirca definitiones quinque ex Concilio Tridentino & Senonensi depromtas ultrò admisit; sed illas nec physicæ prædeterminationi contrarias, nec petitis ex Bannesio, Cabezudo, Avilensi & Alvaresio propositionibus repugnantes ostendit. Concilii tamen Senonensis autoritatem explosit, quod nec œcumenicum est, nec ab Apostolica Sede confirmatum. Tertiam ergo propositionem cum objecta definitione conciliavit: *Quia*, inquiebat, *liberum arbitrium ex parte se habet active, & ex parte passivè: quia à Deo movetur; moveri autem, aliquomodo est pati. Habet autem se activè, quia homo vult illam inspirationem recipere...; Concilium autem Tridentinum solùm docet, quod liberùm arbitrium non habet se merè passivè, non autem definivit, quòd secundùm aliquam rationem non se habeat passivè.* Quintam pariter catholico sensu exposuit, ex principiis D. Thomæ quæst. 6. de malo. *Ex parte enim causæ secundæ*, subjunxit, *verissimum est, quòd liberum arbitrium non rapitur inevitabiliter. At verò si consideretur motio, in quantum se tenet ex parte Dei, cujus intentio deficere non potest, immutabiliter & inevitabiliter Deus movet talem*

secundam causam. Cæterarum autem propositionum orthodoxiam expoluit tritâ sensus compositi & divisi distinctione, quam gravissimorum Theologorum autoritate munivit, & à Bastidæ cavillationibus vindicavit.

Progressus inde Thomas de Lemos ad alteram adversæ actionis partem, efferbuit aliquantulùm stomacho. Societatis Oratores malè habuit, quòd obtrita jam pridem Pelagianorum argumenta in hanc sacri consessûs lucem imprudenter inferrent: cùm illos latere non posset, quàm frequenter decantatum illud ex mandatorum possibilitate & libertatis commendatione petitum argumentum refricassent Pelagiani, ut divinæ gratiæ bellum indicerent: *Advertere debent*, inquiebat, *Patres isti, hoc fuisse argumentum antiquitùs oppositum S. Augustino & S. Hieronymo in hac eadem causâ: quibus semper SS. Doctores responderunt, quòd homo per sua mera naturalia sine auxilio gratiæ, non potest servare omnia mandata, potest tamen cum auxilio gratiæ. Unde absolutè & cum omni veritate ac proprietate potest illa servare; quamvis non sine efficaci auxilio illa servabit de facto, potest tamen illa servare per auxilium sufficiens, quod Deus solet illis misericorditer dare... Similiter justificati semper habent auxilium sufficiens ad perseverandum; & nisi illi defuerint gratiæ Dei peccando, Deus dabit illis auxilium perseverantiæ. Cæterùm quod ipsi non desint gratiæ Dei, ex dono Dei est, & ex ejus efficaci auxilio gratiæ, sicut ex primâ causâ, &c.*

Lemosio hac officii sui parte exsoluto, in suam defensionem ingressus est Didacus Alvares, nec se à Bastida temerè provocari sivit. Illum pessimæ fidei postulavit, quòd tertiam propositionem ab ipso sub Actionis initium vellicatam, ex ipsius in Isaïam Commentariis desumsisset, cæteris dolosè avulsis; unde subdubius sensus exponi posset: atque id quidem eò indigniùs & turpiùs, quòd ejusdem omninò fraudis sub Clemente VIII. in trigesima-quinta Congregatione postulatus esset.

Nihil ad hæc pro suæ fidei liberatione reposuit Bastida; sed in priores argumentationes excurrens, ea compendio resumsit, quæ prolixiùs à Lemosio confutata fuerant. Gratiam adjuvantem nullâ ratione prævíam dici voluit, sed comitem tantùm. Distinctionem sensus compositi & divisi bonam fassus est, & Scriptoribus etiam Societatis familiarem, sed perperam præsenti instituto à Thomistis accommodatam. Argumentum ex mandatorum possibilitate petitum denuò recudit; nullam in iis fore asserens implendi præcepti potestatem, qui desideratam à Thomistis gratiam efficacem non haberent, si absque ejus ope divina lex non posset impleri. Cæterùm in investigandâ Calvini mente non ita immorandum ait; cùm satis abundè sufficiat, si noverimus hanc esse Ecclesiæ doctrinam, quam S. Prosper lib. 2. De vocatione gentium cap. 26. exponit, in hunc modum: *Gratia quidem Dei in omnibus justificationibus principaliter præeminet, suadendo exhortationibus, movendo exemplis, terrendo periculis, incitando miraculis, dando intellectum, inspirando consilium, corque ipsum illuminando, & fidei affectionibus imbuendo; sed etiam voluntas hominis subjicitur ei atque conjungitur, quæ ad hoc prædictis est excitata præsidiis.* Ubi nulla gratiæ seipsâ efficacis, ac physicè prædeterminantis mentio.

Ultimum illum Bastidæ conatum repulit Thomas de Lemos. Prosperum Moliniano dogmati eripuit; qui licet eo loci morales excitationes agnoverit, gratiam nihilominùs prævenientem, bonæ voluntatis creatricem, sæpiùs defendit. Ac ne quispiam Molinianam gratiam illicò statui crederet, quoties apud Ecclesiæ Patres sonat excitationis nomen, sequenti observatione ambages omnes ac tricas dissipavit: *Pro intelligentia Sanctorum & Doctorum Ecclesiæ advertendum est, triplicem esse excitationem. Nec enim Sancti solùm, sed Ecclesia petit à Deo excitationes: Excita, Domine, tuorum fidelium voluntates. Alia est ergo excitatio intrinseca & quæ nullas dat vires voluntati, ad modum quo quis dormientem excitaret, ut periculum imminens fugeret, quem constat nullas ei dare vires; hanc Pelagiani admiserunt. Alia est interior excitatio dans animæ vires sufficientes tantùm ad operandum, & per hanc potest homo operari, non tamen operabitur, donec adveniat gratia tertia physicè operans. Et utramque istam excitationem admittunt Reverendi Patres. Tertia excitatio, de qua Sancti loquuntur, & quam Ecclesia à Deo petit, est excitatio efficacissima vires tribuens voluntati, illam applicans ad operandum, & infallibiliter effectum inducens; & ista includit gratiam adjuvantem ex parte gratiæ prævenientis. Et sic intelliguntur Sancti; estque doctrina S. Thomæ 1. p. q. 106. a. 2. ubi dicit, duplicem esse illuminationem, aliam per modum suadentis, & sic Angelus potest hominem illuminare: alteram ex parte potentiæ, quâ Deus mutat voluntatem; & ista est propria Dei. Et hanc antecedentem excitationem, immutantem voluntatem, Reverendi Patres non agnoscunt.*

Quo audito spopondit Bastida, ostensurum

ſurum ſe alia occaſione, nullam iſtiuſmodi prævenientem excitationem dari; quæ vires efficaciſſimas voluntati tribuat, & operi applicet. Atque ita Congregatio deſiit.

CAPUT NONUM.

De gratia ſe ipſâ efficaci, in Octava Congregatione diſputatur ex mente D. Auguſtini; ac demùm uti Scripturis, Conciliis, & Auguſtino conſona judicatur in Nona.

Die 22. Novembris, præſente Paulo V. Pontifice Maximo fuit Octava Congregatio. Actum de eadem gratia per ſe efficaci ac phyſicè prædeterminante, juxta mentem S. Auguſtini.

Initium fecit Ferdinandus de Baſtida, ab oppoſitâ Banneſianæ, ut aiebat, & Auguſtinianæ doctrinæ collatione. Priorem doctrinam hiſce ſeptem capitibus complexus eſt. 1. *Intercedere in noſtra converſione ſuaſiones, excitationes, vocationes, & id genus alia; in his tamen non conſiſtere efficacem gratiam, per quam Deus præſtat ut velimus, & ex nolentibus volentes facit.* 2. *Prædeterminantem gratiam, in qua gratia efficax poſita eſt, eſſe prævenientem adjuvantem.* 3. *Hac efficaci gratiâ non ita dari poteſtatem agendi, ut dimittatur voluntas, ut ſi velit agat; ſed phyſicâ prædeterminatione applicari, ut velit & agat.* 4. *Hanc gratiam tam neceſſariò eſſe cum effectu connexam, ut cuicunque & quomodocunque diſpoſito, & quocunque tempore detur, ſemper congrua ſit & effectum ſortiatur.* 5. *Impoſſibile eſſe gratiam hanc contemni, vel cum voluntatis diſſenſu conjungi.* 6. *Sine hujuſmodi gratiâ (quæ tamen pro ſolo divino beneplacito datur & denegatur) neminem poſſe converti; & nihilominus homini imputari, ſi non convertatur.* 7. *Tandem eſſe hanc gratiam adæquatam cauſam noſtræ converſionis.*

Auguſtinianam è contra ſeptem iſtis oppoſitis articulis definivit. 1. *Non ſolùm in noſtra converſione intercedere ſuaſiones, vocationes, excitationes, & his ſimilia; ſed illis Deum agere ut credamus, voluntates noſtras convertere, & earum refractâ ſævitiâ ex nolentibus volentes facere.* 2. *Gratiam prævenientem, eſſe vocationem; gratiam verò adjuvantem, & à vocatione, & à præveniente gratiâ diſtingui.* 3. *Deum ita ſua gratiâ trahere, ut homini dimittat, ut quod voluerit eligat, ſeque applicet ad operandum.* 4. *Gratiam eandem uni eſſe congruam, & non alteri; unum movere, & non alium, propter diverſas affectiones eorum quibus datur: gratiam, quæ uno tempore data reſpueretur, ad aliud tempus dilatam acceptari.* 5. *Gratiam quam reprobi contempſerunt, niſi per eos ſtetiſſet, futuram fuiſſe in illis efficacem.* 6. *Omnes qui efficaci gratiâ caruerunt, per gratiam quam habuerunt, potuiſſe-re ipſa converti, & ad Deum venire, ſi voluiſſent.* 7. *In noſtra converſione adhibendam eſſe noſtræ etiam voluntatis efficaciam; & cauſam quòd divinâ gratiâ non adjuvemur, in nobis eſſe, non in Deo.* Hos verò articulos permultis S. Auguſtini teſtimoniis confirmavit.

Nec modò ſententiam ipſam gratiæ prædeterminantis cum adverſa Auguſtini ſententiâ contulit; ſed & ipſa, quibus ſuperſtruitur, fundamenta Auguſtinianæ doctrinæ principiis oppoſuit. Qua de cauſa Thomiſtas eo maximè titulo gratiam ſe ipſâ efficacem ac phyſicè prædeterminantem defendere obſervavit, ut neceſſariam cauſæ ſecundæ ſubordinationem tueantur; ut creatæ libertatis ab increatâ dependentiam aſtruant; ut certam demùm actuum liberorum cognitionem Deo vindicent: quæ tria uſque adeò D. Auguſtini principiis repugnare ait, ut nihil magis.

Id ut evinceret, celeberrimum argumentum ex duplicis ſtatus diſtinctione petitum plurimùm extulit. Quod etſi, inquiebat, non intelligi aliquando contingat, ſolvi tamen impoſſibile eſt. Sic etenim difficultatem pro viribus urgebat: *S. Auguſtinus in Angelis & primo homine non conſtituit auxilium prædeterminans ad operandum: Ergo non credidit hoc auxilium eſſe neceſſarium, propter dependentiam cauſæ ſecundæ à prima, vel ſecundi liberi à primo libero, vel propter cognitionem infallibilem effectuum liberorum. Conſequentia evidens eſt; quia S. Auguſtinus non ignoravit Angelos & primum hominem operari, tanquam cauſas ſecundas, liberas, dependentes à cauſa prima & à primo libero, & cognoviſſe Deum eorum actus liberos futuros. Ergo ſi, hoc non obſtante, non poſuit in illis auxilium phyſicè prædeterminans, evidens eſt Auguſtinum non credidiſſe hoc auxilium prædeterminans eſſe neceſſarium ad ſalvandam dependentiam cauſæ ſecundæ à primâ; vel ad infallibilitatem cognitionis divinæ circa effectus liberos. Auguſtinum non poſuiſſe in Angelis & primo homine hoc auxilium prædeterminans, quod eſt antecedens propoſiti hujus argumenti, conſtat evidenter ex illo teſtimonio de correptione & gratia, cap. 11. & 12. quod contra nos urgent hi Patres. Nam ipſimet contendunt, ex hoc teſtimonio aſtruere phyſicam prædeterminationem, inferendo illam ex differentiâ, quam S. Auguſtinus conſtituit inter gratiam, quam Angeli & Adam habuerunt, & illam quam nos modò habemus. Igitur oportet, ut vel huic teſtimonio renun-*

renuncient, vel fateantur S. Augustinum in Angelis, & in primo homine non posuisse gratiam physicè prædeterminantem. Aliàs enim corruit tota machina suæ ratiocinationis & argumenti. Si enim toto tempore antecedente peccatum, & ad omnia opera quæ tunc fecit; habuit Adam gratiam prædeterminantem; & solùm ei defuit in instanti quo peccavit; nulla inter Adam & nos differentia est. Nam & nos toto tempore ante peccatum, habemus gratiam prædeterminantem juxta hanc sententiam, nec nobis deest nisi in instanti quo peccamus. Sed non solùm ad hominem, ut aiunt, sed simpliciter ex ipso Augustini contextu evidens est, Augustinum hoc loco sensisse, Adamum & Angelos non indiguisse, ut perseverarent, alio adjutorio Dei, præter illud quod habuerunt. » Habuit enim primus homo gratiam, *ut ibi* » *Augustinus ait*, in qua si permanere vellet; » nunquam malus esset... Tale quippe erat » adjutorium... in quo permaneret si vellet. *Nullo ergo alio adjutorio indigebat ad perse-* » *verandum.* Nam ut vellet, in libero ejus » reliquit arbitrio. Deus quippe fortissimo » Adamo dimisit atque permisit facere quod » vellet. *Ergo cum hoc auxilio sine alio prædeterminante, Adam perseverasset si voluisset, juxta doctrinam Augustini. Immò si aliud auxilium illis fuisset necessarium, jam non suâ culpâ cecidissent. Denique Augustinus affirmat, deseruisse Adam per liberum arbitrium, adjutorium illud, quod si non deseruisset, semper fuisset bonus; & quia adjutorium deseruit, desertum fuisse. Ergo idemmet adjutorium, quod toto tempore præcedente habuerat, deseruit. Ergo adjutorium illud non erat physicè prædeterminans, aliàs deseri non potuisset ab Adamo; sed oporteret ut priùs à Deo desereretur per negationem talis adjutorii. Præterea nec Deus in Angelis & homine ostendisset priùs quid posset arbitrium; & postea quid posset gratiæ beneficium, ut Augustinus cap. 10. affirmat: sed potiùs ostendisset priùs, quid posset gratia, postea quid posset arbitrium. Nam per gratiam physicè prædeterminantem conservasset Deus Adam toto tempore usque ad peccatum, in quo ostendisset quid posset gratia; postea verò eum relinquendo per ablationem gratiæ physicè prædeterminantis, ostendisset quid posset arbitrium. Tandem de Angelis ipsis docet Augustinus, stetisse eo auxilio quod datum eis fuit, ut si vellent, starent: cui etiam comparavit auxilium datum Adæ: Ergo etiam Adam eo auxilio stetisset, si voluisset.*

Est igitur in via Augustini evidens, & Angelos sine auxilio physicè prædeterminante permansisse in gratia toto tempore quo duravit innocentiæ status; multáque opera bona sine auxilio prædeterminante fecisse; & illo adjutorio quod habebat perseveraturum fuisse, si voluisset de Deo fidere; ut in lib. 14. de Civit. Dei cap. 17. Augustinus affirmat. Id quod illo adjutorio quod de facto habuit, facere poterat, absque ullo alio superaddito.

Igitur cùm tam ad hominem, ut aiunt, quàm ex ipsius Augustini verbis constet, non posuisse Augustinum auxilium physicè prædeterminans in Angelis, nec in primo homine: quis tam hebes erit ingenio, ut statim non videat evidenter ex hoc consequi, non sensisse Augustinum, auxilium physicè prædeterminans esse necessarium ex dependentia causæ secundæ à prima, vel ex medio infallibilis cognitionis effectuum liberorum? Corruit ergo, ex doctrina Augustini, præcipuum physicæ prædeterminationis fundamentum, & ita hoc argumento penitùs evertitur, ut penè superfluum videri posset, aliquid ampliùs addere.

Difficultatem auxit idem Actor ex aliis Thomisticæ doctrinæ consectariis, quæ S. Augustinus in Pelagianis & Manichæis velut ex instituto confutaverat. Sic sæpiùs contra Pelagium ostendit, bona opera nostra non esse Deo tribuenda, propter aliquid quod & bonis operibus & malis commune sit: ne Deus æquè autor asseratur bonorum operum & malorum. Sic adversùs Manichæos, detestandam & abominandam opinionem appellat, quæ Deum alicujus malæ voluntatis, aut malæ actionis credit autorem. Sic demùm prædeterminationis necessitatem, pro asserenda divinæ cognitionis infallibilitate, funditùs evertit; cùm docet, Deum omnia quorum est autor præscire quidem; non tamen omnium quæ præscit, autorem esse.

Nihil minùs sanctissimi Doctoris principiis opponi ait, fundamentum aliud ex quo gratiæ per se efficacis necessitatem inferri sui Autores arbitrantur: nimirum quia per efficacem gratiam facit Deus ut faciamus, & operatur velle atque perficere; quod, inquiunt Thomistæ, gratia non præstat, sola potestatis collatione; sed determinatione voluntatis. Longè enim aliter, objiciebat Bastida, statuit Augustinus; dum ait: *Certum est nos velle cùm volumus; sed ille facit ut velimus: certum est nos facere cum facimus; sed ille facit ut faciamus, præbendo vires efficacissimas voluntati*: hinc etenim aliisque similibus locis, apertè constat, solùm ad collationem potestatis spectare id omne quod Deus facit in nobis sine nobis: nec aliter facere Deum ut faciamus, antecedenter ad nostros actus, quàm dando vires efficacissimas ut possit; & vocando, excitando, invitando, ut velit.

Eadem

Eadem denique antilogiâ laborare ostendit ultimum Scholæ Thomisticæ fundamentum, quo ex omnipotentissimâ Dei potestate ad inclinanda quò voluerit hominum corda, gratiæ prædeterminantis necessitatem deducunt; cùm eam omnipotentiam dumtaxat constituat Augustinus in potestate habendi diversos & innumerabiles modos ad inclinanda hominum corda, qui per Angelos etiam bonos aut malos executione demandari possint. Quo dicto, aliis dedit dicendi locum.

Successit in actione Thomas de Lemos. Gratiæ seipsâ efficacis dogma S. Augustino asseruit, non uti doctrinam opinione liberam, sed ut agitatæ Pelagianos inter & Catholicos controversiæ caput, pro quo tot annos gloriosissimè decertasset. Nonnulla S. Doctoris principia recensuit, unde id perspicuè colligitur, cæteris omissis de quibus in superioribus Congressibus dixerat.

Primum erat ex Epistolâ 107. ad Vitalem; ubi controversiam ab Ecclesia contra Pelagianos institutam hoc uno verbo complectitur: *Utrùm ideò nobis gratia detur, quia volumus; an per ipsam Deus etiam hoc efficiat, ut velimus?* Quod nonnisi per gratiam efficacem, & quidem prævenientem, fieri, ibidem ostendit.

Alterum erat ex conditione gratiæ Redemtoris, de qua fusè in libro de correp. & gratiâ capitibus 11. & 12. hanc etenim talem describit Augustinus, quæ non det tantùm posse quod volumus, sed & velle quod possumus; ut infirmitas voluntatis humanæ divina ope indeclinabiliter & insuperabiliter agatur, Deoque donante, invictissimè quod bonum est velit, & hoc deserere, invictissimè nolit. Non ergo, inferebat Lemos, talis est gratia efficax Redemtoris, cujus effectus pro voluntatis nutu suspendatur, sed quæ consensum ita indeclinabiliter inferat, ut cum dissensu componi nullatenus possit. Qua in re gratiam physicè prædeterminantem positam fatebantur Societatis Oratores.

Tertium (quod maximè in objectionum solutione ponderavit) erat ex conditione gratiæ adjuvantis seu efficacis, quam non modò prævenientem docet Augustinus, sed Pelagiani erroris caput in eo posuit, quòd istud inficiari ausi essent. Urgebat in hunc finem Vir eruditus Augustini verba lib. 2. de Peccatorum meritis & remissione cap. 5. *Deus, qui est lux hominis interioris, adjuvat nostræ mentis obtutum, ut non secundùm nostram, sed secundùm ejus justitiam boni aliquid operemur. Si autem ab illo avertimur, nostrum est, & tunc secundùm carnem sapimus, tunc concupiscentiæ carnis ad illicita consentimus. Conversos ergò Deus adjuvat, aversos deserit: sed etiam ut convertantur, ipse adjuvat; quod certè oculis corporis lux ista non præstat.* Ubi gratiam adjuvantem, prævenientem esse supponit, dum eâ hominem adjuvari dicit, ut bonum aliquid operetur & convertatur. At longè locupletiùs Pelagiani erroris summam recenset libro de Gratia Christi cap. 5. *Ecce est totum dogma Pelagii in libro ejus tertio pro libero arbitrio, his omninò verbis diligenter expressum, quo tria ista, unum quod est posse, alterum quod est velle, tertium quod est esse; id est, possibilitatem, voluntatem, actionem, tantâ curavit subtilitate distinguere; ut quandocunque legimus vel audimus, divinæ gratiæ adjutorium confiteri, ut à malo declinemus bonumque faciamus, sive in lege atque doctrina, sive ubilibet constituat, sciamus quid loquitur; nec erremus, aliter eum intelligendo quàm sentit. Scire quippe debemus, quod nec voluntatem nostram, nec actionem divino adjuvari credit auxilio, sed solam possibilitatem voluntatis atque operis, quam solam in his tribus nos habere affirmat ex Deo; tanquam hoc sit infirmum, quod Deus ipse posuit in naturâ; cætera verò duo, quæ nostra esse voluit, ita sint firma & fortia, & sibi sufficientia, ut nullo indigeant ejus auxilio; & ideò non adjuvet ut velimus, non adjuvet ut agamus, sed tantummodò adjuvet ut velle & agere valeamus.* Quem locum in Societatis Actorem ita regerebat Thomas de Lemos: *Duo expressè dicit Augustinus ex Pelagio, quæ expressè R. Pater protulit. Primùm docet, Pelagium negare adjutorium ut velimus, ita quòd gratia verè adjuvans non sit præveniens & adjuvans voluntatem ut velit: quod in terminis contendit Pater. Alterum quod ex Pelagio refertur, istud est: Ipsum tantùm admittere præveniens adjutorium, tribuens benè operari; quod Patres Reverendi expressè modò dixerunt: & quod magis est, dicit Augustinus, totum dogma Pelagii in hoc situm esse, quòd neget adjutorium præveniens ut velimus, & admiserit adjutorium præveniens ut possimus.*

Quartum erat ex omnipotentissimâ Dei potestate, quâ nolentes ac repugnantes hominum voluntates inflectit, immutat, convertit & transfert quò voluerit, quando voluerit, & ubi voluerit. Quî etenim fieri potest, ut efficacia ex voluntatis assensu suspensa, nolentes ac repugnantes hominum voluntates pro Dei nutu & arbitrio convertat? Quove pacto faciet illa ex nolentibus volentes, ex repugnantibus consentien-

sentientes, si ipsa nolentis repugnantia cassam illam & inutilem reddat? Et hæc tamen inconcussa principia millies urget Augustinus.

Quintum erat ex supremo & invicto Dei dominio. Ei quippe, inquit Augustinus, volenti salvum facere, nullum humanum resistit arbitrium; quia plùs habet in potestate sua voluntates hominum, quàm ipsi suas. *At*, resumebat Lemos, *homines ipsi suâ potestate, se liberè applicant & determinant physicè ad volendum, salvâ ipsorum libertate: ergo multò magis poterit Deus hominum voluntates physicè prædeterminare, salvâ libertate ipsorum.*

Sextum erat ex professione Massiliensium; de quibus S. Prosper in sua ad Augustinum Epistola sic habet: *Removeri omnem industriam dicunt, tollique virtutes, si Dei constitutio humanas præveniat voluntates, & sub hoc prædestinationis nomine fatalem quamdam induci necessitatem.* Massilienses enim, resumebat Vir eruditus, de æterna prædestinatione locutos, quæ decreto per se efficaci niteretur, nemo dubitat: quis enim illos ita hebetes putet, ut fatalem necessitatem orituram arbitrarentur ex æterna prædestinatione, cui Scientiæ-mediæ lumen certò præfulgeat. Decreta igitur per se efficacia, quibus Massilienses offendebantur, propugnaverat Augustinus. Quidni ergo gratiam etiam per se efficacem, ac physicè prædeterminantem, quæ ad illa necessariò consequitur? Aut certe, si æterna illa divinæ voluntatis præfinitio libertati non officit, uti Massiliensibus videbatur; ne illi quidem officiet gratia prædeterminans, quæ ejus tantùm virtute nititur, agitque hominum voluntates.

Septimum erat ex libera Cardinalium Societatis confessione. Toletus scilicet, super Epistolam ad Hæbreos cap. 11. Annotatione 4. doctrinam gratiæ physicè prædeterminantis S. Augustino vindicat. Eandem ab Angelico Doctore traditam agnoscit Bellarminus lib. 4. de gratia Christi & lib. arbitrio cap. 11. ut planè mirari subeat, Societatis Theologos in ea oppugnanda veritate tandiu desudare, quam ipsorum Scholæ Principes bona fide confessi sunt.

His positis Angelicæ Scholæ fundamentis, cætera diruit, quibus pars opposita nitebatur. Septem Augustinianæ doctrinæ articulos à Bastida recensitos sic exposuit, ut nullus omnium esset, qui Thomistico dogmati officeret.

In primo igitur duplex suasionis genus distinxit ex Augustino. Unam simplicem vocabat, dum Deus interiùs quidem, sed tamen moraliter tantùm suadet homini bonum: quam ne Pelagius quidem ultimò tandem inficiari ausus est: alteram profundiorem, à gratia efficaciter prædeterminante nihilo distinctam, qua non suadetur modò, sed persuadetur; non morali excitatione, sed efficacissimarum virium largitione; ut indeclinabiliter & insuperabiliter quod bonum est velit, & hoc deserere, invictissimè nolit. *Lib. de gratia Christi cap. 10. Lib. de Spir. & litt. cap. 3. De Corrept. cap. 11. & 12.*

In altero pariter duplicem statuit vocationem: communem unam, quâ vocati sunt etiam qui noluerunt venire ad nuptias: specialem alteram, secundùm propositum Dei, quâ vocati credentes fiunt; quæque idcircò gratiam adjuvantem, & quidem prævenientem, includit. Nec obstare, inquit, quod habet Augustinus in Enchir. cap. 32. *Quomodo ergo non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei? Ut totum Deo detur, qui bonam voluntatem & præparat adjuvandam, & adjuvat præparatam:* Quo ex loco gratiam præparantem seu prævenientem ab adjuvante omninò distingui collegerat Bastida. *Quia sensus est, quod Deus præparat per excitantem & adjuvantem gratiam, voluntatem adjuvandam per gratiam subsequentem; & adjuvat subsequendo voluntatem jam præparatam, per priorem gratiam adjuvantem. Quod ex eo patet, quia Augustinus dicit, hoc ita esse dicendum, ut totum Deo detur. Ergo ut totum Deo detur, ipse non solùm adjuvat subsequendo, sed etiam adjuvat præveniendo ut velimus; aliàs sine dubio, si ut velimus, non adjuvamur à Deo, non totum Deo datur, sed homini, qui ex se solùm se applicat ad volendum.* *De Præd. SS. cap. 45.*

Tertium articulum lubens admisit, quò solùm homini libertas asseritur quidquid voluerit eligendi; ita tamen, ut Deus operetur & velle, quemadmodùm millies innuit Augustinus. Immò cùm lib. 2. contra literas Petiliani cap. 84. scribat, Intellectum vix assequi posse, quo pacto ita stat homini eligendi libertas, dum trahitur à Deo Patre; argumento est non cum solis suasionibus ac invitationibus pertrahi; quas cum humana libertate facilè componi, obtusioris ingenii viri satis capiunt.

Quartum exposuit de congruitate quam gratia in humanis affectionibus facit, non natura, teste Augustino in illa ipsa quæstione secunda ad Simplicianum, quam toties Molinianus Actor importunè recoxerat. *Cùm ergo*, inquit S. Doctor sub quæstionis finem, *nos ea delectant, quibus proficiamus in Deum, inspiratur hoc & præbetur gratiâ Dei, non nutu nostro & industriâ,*

aut

aut operum meritis comparatur. Quia ut sit nutus voluntatis, ut sit industria, ut sint opera charitate ferventia, ille tribuit, ille largitur.

Quintum negavit; uti ex adducto Augustini loco præpostere deductum. Quid enim, addebat; si dixerit S. Doctor, quæst. 2. ad Simplicianum, Esaü divino adjutorio perventurum fuisse, nisi vocatione contemtâ reprobus evasisset? Non enim hoc innuit, contemtam illam vocationem; nativo Esaü conatu efficacem evasuram, sed Deum ipsum potentioris auxilii largitione bonum opus perfecturum, quod primâ illa vocatione inceperat, nisi eam Esaü contemsisset.

Sextum concessit; modò de potentiâ antecedente & ab actu sejunctâ intelligeretur. Porrò, subjunxit, tametsi potentiâ consequenti salvari non possint, qui auxilio per se efficaci destituuntur; suâ tamen culpâ damnantur, quâ & desertionem illam sibi sumunt & auxiliis sufficientibus abutuntur.

Duplicem tandem ultimi articuli sensum aperuit: Vel enim, inquiebat, adhibenda dicitur voluntatis efficacia, ut gratiam, suaptè naturâ versatilem, efficacem constituat, & unà cum ipsâ uti causa partialis operetur; quod & à vero & ab Augustino remotissimum est: aut ejus efficacia desiderari intelligitur; ut Spiritui Sancto moventi & excitanti, ex ipsa gratiæ virtute præstet assensum: quod à Thomistis & ab Augustino perinde defenditur.

Dum septem illa objectæ antilogiæ capita prolixiùs exposuisset Prædicatorum Orator, ad alteram se contulit adversæ Actionis partem, ubi scholæ Thomisticæ fundamenta adversis Augustini principiis impetebantur. De duplicis status distinctione; unde palmare argumentum desumserat Societatis Actor, ita pronuntiavit: *Ad ista tria & ad alia, necessarium est auxilium physicè & efficaciter præmovens, seu prædeterminans, & potissimè ex subordinatione, quam in operibus gratiæ secundum liberum habet à primo libero. Nec S. Augustinus citato loco (de corrept. & gratia cap. 12.) hoc negat: ibi enim, quod est attentè considerandum, constituit S. Doctor differentiam inter hominem & Angelum cum gratia justificante; & inter hominem lapsum etiam cum eadem gratia justificante; in hoc quòd Angelus vel homo in illo primo statu & ante peccatum habeat naturam integram in suis naturalibus, ita quòd non erat cum rebellione carnis. Unde per gratiam justificantem talis erat, quòd ad perseverandum non indigebat aliquo alio auxilio gratiæ; dante efficaciores vel majores vires voluntati. At verò cum justificatur in natura corrupta; quia habet rebellionem carnis, quæ non tollitur per gratiam justificantem, indiget homo; ut perseveret; auxilio dante majores & efficaciores vires. Et ista doctrina est differentia quam S. Augustinus in utroque statu constituit; non verò negat hominem etiam in illo primo statu indiguisse divinâ motione, movente & applicante ipsum ad operandum: quia ista generalis motio in omni statu etiam perfectissimo necessaria fuit ex essentiali subordinatione, quam habet secunda causa, ut moveatur à primâ. Quod apertè tum alibi, tum expressè docet S. Thomas 1. 2. qu. 1. art. 1. & 9. ubi apertè docet, hominem in statu naturæ corruptæ indigere auxilio divino, duplici ratione: primò ratione generali; quia nulla creatura operatur sine motione divina; & secundò ratione speciali, quia est in natura corrupta.*

De Thomisticæ doctrinæ consectariis; quibus divinam sanctitatem lædi, Bastida reposuerat, nihil habuit. Cùm hic de gratiæ efficacis auxilio disputaretur; ex quo istiusmodi consectaria nec per umbram deducuntur. De quibus tamen se dicturum promisit, ubi de physica prædeterminatione in ordine naturæ sermo foret.

Alias Augustini locorum expositiones, quibus ultima duo Thomisticæ scholæ fundamenta impetebantur, Pelagianismi incusavit, idem planè ab inimicis gratiæ Christi Augustino objectum demonstrans, idemque ab ipso copiosissimè confutatum. Quo dicto, Actioni suæ finem fecit.

Tempus erat, ut utrique Oratores loco cederent; quippe qui primâ illâ velitatione quatuor & ampliùs horas sacrum Consessum detinuerant. Verùm reponente in oppositum Ferdinando de Bastida, priora resumsit Thomas de Lemos, dictisque robur addidit. Cæterùm cùm eò præsertim tenderet novus ille conatus, ut Molinæ Defensores exagitaret, quòd jejuna illa excitationum & illuminationum commendatione veram Christi gratiam, quæ actionis est, non agnoscerent, prorupit ex Scholæ suæ zelo Bartholomæus Peres. *Videtur,* inquit, *vestra Paternitas dicere, quòd nos reducamus gratiam ad illuminationes & suasiones, & eas non esse veram gratiam Christi, quæ facit nos facere. Et tamen Concilia & sanctus Augustinus in iis revelationibus constituunt; quòd faciamus. Ista suasiones non sunt à libero arbitrio: ergo à Christo; immittit enim Deus terrorem pœnarum, metum mortis, spem futurorum bonorum, & istis gratiis efficit Deus nostram conversionem, & efficimus nos.*

nos. Verè ergo est ista efficientia moralis à gratia &c.

Cui Lemos: *Dixi Pelagium non agnovisse veram gratiam Christi, facientem nos facere. De moralibus ergo illustrationibus Pelagius apud Augustinum lib. de grat. Christi cap. 7.*
„ *dicebat: Adjuvat nos Deus per doctrinam &*
„ *revelationem suam, dum cordis nostri oculos*
„ *aperit; dum nobis, ne præsentibus occupemur,*
„ *futura demonstrat; dum diaboli pandit insi-*
„ *dias, dum nos multiformi & ineffabili dono,*
„ *gratiæ Cœlestis illuminat." Aliud ergo est loqui de gratia absolutè, aliud de gratia faciente nos facere. Quamlibet ergo ponas Pelagius gratiam, etiamsi adjuvet possibilitatem nostram, tamen nisi faciat nos facere, nisi adjuvet voluntatem & actionem, non est ea gratia Christi, de qua est præsens controversia; neque recedit à lege & doctrinâ. Certè gratia sufficiens est gratia Christi; sed, sufficiens, non qua dat actu velle, de qua contra Pelagium.*

Dimittitur Congregatio horâ vigesimâ.

Ex Actis Secretar. „ S. D. N. quoniam Patres Societatis petierunt, ne Congressus isti fierent singulis „ hebdomadibus, voluit ut DD. Consultores responderent in prima futura Sessione; „ An producta ab illis in defensionem suæ „ sententiæ in præhabitis Congressibus ejusmodi essent, ut propter illa discedendum esset à decreto in Sessione quinta.

Judicium de tribus superioribus disputationibus.

Ex Actis Secretar. „ Die 29. Novembris 1605. post horam „ 15. resolvit Congregatio, persistendum in „ sententia, non obstantibus ex adverso productis ex Scripturis, quæ ad rem præsentem non spectant; & ex Concilio Tridentino, quod non adversatur veritati assertæ; „ aut testimoniis S. Augustini de correptione & gratia capite 12. quo potiùs firmatur Conclusio explicata, quòd Deus &c. „ Ita censuerunt omnes, exceptis D. Bitontino, qui cum cæteris censuit, quoad „ rem, non tamen quoad voces, quas dixit „ novas & periculosas; & Patre Regente „ Collegii Carmelitarum, qui censuit omnes „ Scripturas, & dicta S. Augustini optimè „ intelligi ex assertione gratiæ congruæ; „ &, ex verâ & reali motione antecedente, „ qualem ponit contraria sententia, tolli libertatem voluntatis humanæ. Dimittitur „ Sessio propè horam 21.

CAPUT DECIMUM.

De gratia seipsâ efficaci in Decimâ Congregatione disputatur ex aliis Ecclesiæ Patribus; iisdem verò consona judicatur in Undecimâ.

Die 14. Decembris 1605. habita est coram Paulo V. Pont. Max. Congregatio Decima. Quæstio de gratia seipsâ efficaci ex aliorum Patrum autoritate agitata fuit.

Societatis causam egit Ferdinandus de Bastida. Patrum testimonia, quibus gratiam seipsâ efficacem & physicè prædeterminantem oppugnari putabat, in quinque classes partitus est.

In primâ constituit SS. Patrum contextus, qui prædeterminationem omnem inficiarentur, uti humanæ libertati inimicam. Hoc ordine numeravit Cyrillum Alexandrinum lib. 8. contra Julianum; Anselmum lib. de Concord. prædest. & præsci. Gregorium Nyssenum Orat. Catech. cap. 31. Abulensem, quem Patribus annumerare placuit, in cap. 15. Matthæi quæst. 179. Hieronymum Epist. 144. ad Damasum, Prosperum Resp. 6. ad capitula Gallorum, & Joannem Damascenum lib. 2. fidei orthodoxæ cap. 30. & in Dialogo contra Manichæos. Ex quorum testimoniis colligebatur repugnare arbitrii libertati, ipsum divinâ quadam & ineffabili vi & efficaciâ immutari, juxta Cyrilli doctrinam: determinationem ad solam voluntatem pertinere, ut docet Anselmus: eamque ex aliquo Dei imperio minimè provenire, ut monuit Hieronymus: repugnare ratione utentibus alienâ ad agendum voluntate duci, ex Gregorii Nysseni doctrinâ: prædestinatione divinâ omnia opera nostra non fieri, si Prospero credendum est: Deum non determinare quæ in nostro arbitrio sunt, determinatione imponente necessitatem, juxta Damascenum: voluntatem creatam à Deo directè non determinari, si credimus Abulensi. Quæ omnia in gratiam physicè prædeterminantem convertebat Societatis Actor.

In altera, Patrum testimonia recensuit, quibus affirmant nostræ dimitti potestati, agere vel non agere, uti aut non uti Dei gratiâ. Hujusmodi erant Joannes Chrysostomus homil. 19. & 22. in Genesim, & homiliâ de ferendis reprehensionibus: Leo Magnus serm. 2. de Epiph. Hieronymus ad caput 49. Isaiæ: Justinus Martyr, quæst. 9. ad Orthodoxos: Richardus à S. Victo-

re tract. 1. de statu inter. hominis 1. part. cap. 13. Anselmus de Conc. præd. & præscientiæ; apud quos legere est, Deum ita movere, ut post gratiam Dei totum nobis relinquatur; Deum omnipotentiam suam nostro arbitrio dimisisse, omnesque facultates ad benè agendum usui nostro subjecisse; Deum ita nobis opitulari, ut si nos non velimus, nihil proficiant ea quæ alioquin efficacia forent, ut Chrysostomus loquitur.

In tertia classe, ea loca posuit, quibus SS. Patres docent, cum æquali gratiæ mensurâ unum converti, non alterum. Eo in ordine laudabantur Cyrillus Alexandrinus lib. 11. in Joan. cap. 21. Joannes Chrysostomus homil. 16. in Epist. ad Rom. Hieronymus Epist. 150. Gregorius Nyssenus Orat. Catechet. cap. 30. Prosper lib. 2. de vocat. gentium cap. 15. quibus & Origenes, uti Saul inter Prophetas, addebatur lib. 3. Periarchon cap. 1. Ad hæc verò Patrum testimonia observabat, *Illos dum affirmant ex pluribus eâdem gratiâ præventis, unum converti, non alium, loqui de eadem gratia in genere entis. Non enim negant* (subjungebat) *in eo qui convertitur, specialem gratiam esse, habere gratiam qua prævisus est efficaciter convertendus: atque adeò eam gratiam in regeneratis, æqualem illi cum qua alter non convertitur, esse nihilominùs majorem in genere gratiæ & beneficii Dei. Est enim speciale Dei beneficium, dare homini gratiam quando & quia prævidit convertendum, si per eam præmoveatur. Immò in hoc consistit speciale beneficium prædestinationis; & propter hoc semper in divinam voluntatem fit ultima discretio eorum qui salvantur, ab his qui non convertuntur, nec salvantur. Nam quamvis ad libertatem arbitrii nostri spectet consentire vel dissentire huic gratiæ; dare tamen homini eam gratiam, cum qua prævisus est convertendus, solius Dei est.*

Quarto ordine Patrum momenta retulit, qui necessitatem ex causa antecedenti ortam, libertati repugnare scribunt. Nimirùm Anselmi lib. de Concord. Bedæ lib. variarum Quæstionum, quæst. 13. Hieronymi Dial. 3. contra Pelagianos, Cyrilli lib. 9. in Joan. cap. 10. Origenis lib. 2. contra Celsum: qui libertatem humanæ voluntatis exstinctum iri supponunt; si quid ita nobis accideret.

Quinto demùm loco ea recensuit, ubi divinæ vocationis modum in suasionibus excitationibus, admonitionibus, aliisque similibus, moralem dumtaxat virtutem præ se ferentibus, constituunt: ut Chrysostomus homil. 9. in cap. 1. Joannis; Cyrillus lib. 4. in Joann. cap. 6. & 7. Clemens Alexandrinus lib. 1. Pædago. cap. 7. Prosper lib. 1. contra Collatorem; Irenæus lib. 5. adversùs hæreses cap. 1. Philo Carpatiensis Episcopus, super Cantica. Illas porrò divinæ gratiæ excitationes, idcircò morales appellari monuit, quòd (etsi reales veræque sint entitates, physicâ actione nobis immissæ) voluntatem tamen morali dumtaxat modo ad actum secundum inducant. Quo sensu Divus Ambrosius lib. 4. in Lucam cap. 4. Deum moralem Dominum appellat: quia verus licèt propriusque sit Dominus, sui tamen dominii jura ita temperat, ut nec volentes repudiet, nec invitos alliget, nec ejicientibus reluctetur, nec rogantibus desit.

Pro Prædicatoribus disputavit Thomas de Lemos. Non antea tamen præsentis controversiæ institutum attigit, quàm aliqua sub præcedentis disputationis finem à Molinianis Oratoribus asserta, & à se ob temporis angustias strictiùs occupata, prolixiùs confutasset. Egit igitur per horam integram de gratia præveniente interioris inspirationis & excitationis, quam solam illi professi fuerant, eamque à Pelagio in tertio hæresis suæ statu admissam, ac specioso divini adjutorii titulo cohonestatam ostendit: ab Augustino tamen, uti meræ possibilitatis gratiam, non actionis, reputatam, legisque dumtaxat doctrinæ loco semper habitam. Ne autem à Pelagianis, alio saltem in capite, distare se gloriarentur adversarii, quòd gratiam cooperantem agnoscerent; hoc illis etiam effugium occlusit obiter innuens, Julianum quoque, Cassianum & Faustum gratiam cooperantem Moliniano sensu expositam admisisse. *Ex lib. de gratia Christ. cap. 4. 5. 6. 7. 8. 9. &c.*

Hac præmissâ velitatione se contulit Vir eruditus ad objecta SS. Patrum testimonia. Generalibus primùm responsionibus satisfecit; quarum hæc summa erat. Primò, Pelagianos & Massilienses easdem illas argutias Augustino objectasse: priores nempè verbi Dei Tractatores longè aliter de divina gratiâ sensisse; nullumque omnium reperiri, qui D. Pauli Epistolas ita durè interpretatus esset. Quibus ille prudenter reposuerat: *Quid ergo opus est, ut illorum scrutemur opuscula, qui priusquam illa hæresis oriretur, non habuerunt necessitatem in hac difficili ad solvendum quæstione versari; quod procul dubio facerent, si respondere talibus cogerentur.* Secundò, totam illam testimoniorum supellectilem eò tendere, ut libertas arbitrii commendetur: quod, ut aiebat Augustinus, sine præjudicio Divinæ gratiæ, & latentis Dei consilii sumendum *De Præd. SS. cap. 14.*

 est.

eſt. Tertiò, minùs curandum, ſi qui Patres aliter ab Auguſtino de Chriſti gratia pronuntiaſſent: *Sola enim*, inquiebat, *autoritas S. Auguſtini, in hac parte, omnibus illis præponderat: cùm ejus doctrina in hac parte ſit jam doctrina Eccleſiæ, ab ipſa per tot Pontifices, & Concilia ab hac Sancta Sede confirmata, recepta & approbata.*

Tum ad privatas ſolutiones veniens, Baſtidæ gratias habuit, qui Origenem Pelagianæ, ut Patres vocant, hæreſis fontem, doctrinæ ſuæ patronum advocaverat; rogans ut & Pelagium pari jure appellaret. Quæſtiones etiam ad orthodoxos, Juſtino Martyri; Pædagogiam Clementi Alexandrino, falsò ſupponi monuit: è quibus propterea firmum argumentum peti non poſſet.

Ad prioris ordinis teſtimonia reſpondit, Patres illos prævias humanæ voluntatis determinationes inficiari, quæ libertatem omnino perimant, ac fatalem neceſſitatem inducant. In hac enim impugnanda toti erant occaſione Manichæorum hæreſis, quâ à primis ſeculis Eccleſia jactata fuerat. Sic itaque Deus ineffabili virtute libertatem ac meritum præripiente non immutat hominum mentes, juxta Cyrillum: ſic determinatio ad ſolam voluntatem pertinet, uti principium immediatè elicitivum actus, ſecundùm Anſelmum: ſic Dei in homines tyrannicum imperium, nullum planè, ut loquitur Hieronymus: ſic alienâ voluntate creatâ duci, repugnat ratione utentibus, ex Gregorii Nyſſeni principiis: ſic prædeſtinatione divinâ omnia opera noſtra non fiunt, quaſi cæco quodam gentilitatis fato neceſſariò præripiamur, & ad unum, brutorum more, determinemur; ex Proſpero, Damaſceno, & Abulenſi. Quas omnes expoſitiones aliis eorundem Patrum teſtimoniis confirmavit, quibus illos gratiæ per ſe efficaci patrocinatos oſtendebat.

Teſtimoniis ſecundo loco poſitis uno verbo ſatisfecit: nihil ex iis colligi inquiens adversùs gratiam efficacem; utpote quæ neceſſarium dumtaxat voluntatis aſſenſum aſtruere videantur. Mirari ſe tamen ſubjungebat, cur S. Joannis Chryſoſtomi, qui ſolus hoc in capite negotium faceſſebat aliquod, autoritatem adeò efferrent; cùm illum Molina ipſe Pelagiani erroris petulantiùs incuſarit; eundemque deferendum monuerit Cardinalis Toletus, ſi Auguſtiniano ſenſu exponi nequeat.

In Concord. diſp. 41. Toletus ſuper cap. 5. Luca Annot. 54.

Patres tertio in ordine laudatos interpretatus eſt de gratia habituali, non actuali; aut ſaltem de excitante dumtaxat, non adjuvante. Nihil quippe vetat, è duobus æqualiter juſtis ſtare unum, excidere alterum: aut è duobus pari excitatione pulſatis, illum converti, non iſtum.

Quartam ſanctorum Patrum claſſem expoſuit de neceſſitate cauſæ antecedentis particularis, non de neceſſitate, ſeu veriùs infallibilitate omnipotentiæ divinæ. Juxta illud Doctoris Angelici 1. p. q. 19. a. 8. ad 3. *Poſteriora habent neceſſitatem à prioribus, ſecundùm modum priorum. Unde & ea quæ fiunt à voluntate divina, talem neceſſitatem habent, qualem Deus vult ea habere, ſcilicet vel abſolutam vel conditionatam.*

Ad ultimum repoſuit, laudatos Patres, divinæ gratiæ efficaciam aliis in locis commendaſſe: vel de excitationibus verè internis intelligendos eſſe, quæ voluntatem propriè & effectivè moveant, qualis eſt gratia ex ipſa ſui virtute efficax.

Eam Lemoſii Orationem novo impetu occupavit Societatis Theologus, ejuſque potiſſimùm præluſoriam velitationem, ad quam, ut aiebat, de induſtria diverterat, ut inſtitutam ex Patribus diſputationem effugeret. Contendit, Pelagianos interioris inſpirationis gratiam repudiaſſe: alioquin conſequens omninò fore, ut & veram Chriſti gratiam admiſiſſent; à qua tamen fuiſſe illos remotiſſimos, ſoliuſque legis ac doctrinæ gratiâ contentos, certiſſimum erat. *Has internas inſpirationes*, inquiebat, *dare vires, conſtat ex multis S. Auguſtini teſtimoniis. Sed manifeſta ſunt illa S. Proſperi lib. 2. de voc. gentium cap. 28. citato ſupra, ubi eas inſpirationes appellat præſidia voluntatis; quia roborant & inclinant voluntatem ad bonum. Hoc vero nunquam faſſus eſt Pelagius. Itaque nos fatemur contra Pelagium gratiam internam, & eas internas excitationes & inſpirationes phyſice prævenire liberum arbitrium, illudque actuare & perficere, tribuendo vires ad opera ſupernaturalia. Et ſi Pelagius hanc gratiam agnovit in intellectu & voluntate, nos ſumus Pelagiani.* Et infra de Lemoſio graviùs expoſtulans, quaſi qui peregrinas opiniones Societati affinxiſſet: *Negamus tantùm*, ſubjungebat, *illam gratiam, qua præciſe poſitâ, ſequitur infallibiliter effectus. Putamus enim eſſe de fide, quod effectus non tantùm à gratia fiat, ſed etiam à libero arbitrio effectivè concurrente. Fatemur ergo gratiam quæ facit facere; ita tamen, ut quando ipſa gratia eſt poſita, voluntas dimittatur in ſuâ poteſtate, ut vel eam recipiat, vel eam reſpuat.*

Molinæ ſenſum à Pelagiano diſtinxit in gratiæ cooperantis expoſitione. Quia illi, ut obſervabat, ponebant quemdam actum liberi

liberi arbitrii antecedentem gratiam prævenientem, ex cujus merito gratia conferretur. E contra Molina, nihil absolutè in effectu novit, quod totum à gratia, idemque totum à libero arbitrio non esset. Quibus omnibus pauca subdidit de sanctorum Patrum testimoniis initio laudatis, ut petita inde argumenta adversùs Lemosii solutiones instauraret.

Nihil hæc Prædicatorem à constitutis principiis dimoverunt. Quin immò tenaciùs quàm antea defendit, Pelagium interioris inspirationis gratiam, quâ possibilitas adjuvatur, tandem aliquando propugnasse: nec idcircò veram Christi gratiam agnovisse, quam Augustinus & Africana Concilia ad volendum & agendum exigebant. Quo dicto, commoveri cœpit Societatis Actor: *Hoc tantùm dico*, inquit: *Illuminationem Dei in intellectu, & inspirationem internam in voluntate, non esse veram gratiam, ut vos contenditis, est mihi tam dubium, ut putaverim consulendos esse Dominos S. Officii, nec esse in fide tutum.* Cui ille propositi tenax: ***Dico**, inquit, **hæc auxilia quæ dant tantùm posse, non esse veram gratiam quam S. Augustinus & Concilia contra Pelagium requirunt esse necessariam ad opera supernaturalia. Et puto hoc esse firmissimum de fide, & non fidei contrarium.*** Sicque finita disputatio est.

Apud August. lib. de gratia Christ. cap. 14.

Judicium de superiori Disputatione.

Ex Act. Secretar. „ Die Martis 3. mensis Januarii hora 15. „ anno D. 1606. actum est de quinque capitibus, & de Doctoribus productis à Patribus Societatis, ad impugnandam sententiam de physica præmotione & prædeterminatione, quæ fit per antecedentem gratiam, adjuvantem efficaciter; & corroborandam sententiam suam de gratia efficaci, quæ consistit in illustrationibus & invitationibus. Et ex diligenti locorum inspectione resolvit Congregatio, persistendum in Conclusione facta, non obstantibus quibuscunque in contrarium productis. Ita censuerunt omnes excepto P. Regente Collegii Romani Carmelitarum, qui censuit cum Patribus Societatis. Dimittitur Sessio post horam vigesimam-primam.

CAPUT UNDECIMUM.

De gratia seipsa efficaci cum Calvini erroribus collatâ, in Duodecimâ Congregatione disputatur.

Die 10. Januarii 1606. coram S. D. N. Paulo Papa V. habita est Duodecima Congregatio; in qua doctrina gratiæ per se efficacis & physicè prædeterminantis cum errore Calvini collata est.

Præmonuit Ferdinandus de Bastida ostensurum se deinceps, quo pacto auxilium per se efficax libertatem violaret, gratiæ sufficientiam everteret, Deum peccati autorem faceret, & cum damnato nuper Calvini errore conveniret. Ab hoc nihilominùs ultimo initium duxit, nullis, ut aiebat, in hac instituenda collatione, invidiæ aut contentionis stimulis provocatus; sed justæ defensionis necessitate, & implendi officii religione: quippe qui autores illos omnes impensè coleret, quorum doctrinam cum Calvinianâ collaturus esset; illosque certò crederet, nusquam in ea asserenda dogmata fuisse consensuros, si ipsis hæreticorum libros aliqua occasione legere contigisset.

Collationem in tria capita distribuerat. Caput primum complectebatur propositiones viginti, in quibus Thomistæ cum Calvinianis componebantur. Ex iis priores novem, ad gratiam seipsâ efficacem spectabant; septem aliæ, ad divinam præscientiam & providentiam; reliquæ quatuor, ad contingentiam & libertatem humanorum actuum.

„ Prima propositio: Auxilium Dei, secundùm se, sive à se ipso, est efficax, ita ut ipsius efficacia non pendeat à voluntate, nec possit ab eadem efficax vel inefficax reddi. „

„ II. Positâ gratiâ efficaci non possumus non velle, non possumus dissentire, non possumus resistere aut retragari. „

„ III. Ex hac gratia actus voluntatis sequitur necessariò: non suapte natura, sed ex suppositione decreti divini, vel alterius antecedentis causæ. „

„ IV. Sine auxilio efficaci gratiæ homo non potest benè operari, nec ad Deum converti. „

„ V. Quòd ex duobus hominibus unus convertatur, alius non, non aliunde quàm ex inæqualitate gratiæ est. „

„ VI. Eos quibus æqualem gratiam Spiritus partitur, æqualiter cum illa conari necesse est. „

„ VII. Oblatam gratiam recipere, hoc est acceptare, non nostræ facultatis est. „

„ VIII. Hæc gratia ita voluntatem agit, ut quamvis voluntas agat, nihilominùs adæquata causa conversionis sola gratia est. „

„ IX. Auxilium in quo consistit perseverantiæ donum, est inamissibile, redditque hominem immobilem in bono, & inde-

pendenter à libero arbitrio antecedenterque facit perseverare.

X. Deus æterno & immutabili suo decreto omnes nostras actiones, sive bonas sive malas prædefinit ac determinat.

XI. Nisi singulæ nostræ actiones ex divina destinatione, seu prædestinatione fierent, non haberet Deus respectu earum providentiam particularem, sed universalem tantùm & confusam.

XII. Omnis effectus, sive bonus sive malus, & ii qui fortuiti & casuales sunt, non solùm Deo providente & permittente fiunt, sed etiam per suum decretum stabiliente ac prædeterminante.

XIII. Deus ut prima causa determinat omnes causas secundas liberas ad suas operationes, sive illæ bonæ sint, sive malæ.

XIV. Omnia futura etiam mala cognoscit & præscit Deus in suo decreto, vel prædeterminatione voluntatis.

XV. Voluntas nostra infallibiliter & necessariò peccat, nisi à Deo efficaciter agatur, ac determinetur ad bonum.

XVI. Deus pro sua voluntate & arbitrio suo reprobat homines & æternæ morti destinat, ad ostensionem gloriæ, bonitatis & justitiæ suæ.

XVII. Suppositâ gratiâ efficaci vel prædeterminante, voluntas non manet libera; nec conversio sequitur contingenter, vel dependenter ab arbitrio.

XVIII. Liberum arbitrium respectu Dei in operando, se habet ut baculus, vel serra, vel aliud instrumentum mortuum, quod nullum alium habet motum, nisi quem participat ab artifice.

XIX. Ita admittendum est in homine liberum arbitrium, ut nullæ ipsi partes in negotio justificationis relinquantur.

XX. Effectus contingentes, prout substant divinæ Providentiæ & consilio, sunt necessarii, quamvis ex sua naturâ contingentiam habeant.

Caput secundum complectebatur limitationes, quibus tam Calvinianos quàm Thomistas, superiores viginti propositiones pari modo temperasse contendebat.

I. Limitatio: Gratia Dei non tollit libertatem à coactione.

II. Hujusmodi gratia efficax non inducit fatum, quidquid dixerint Semipelagiani.

III. Voluntas potest dissentire & resistere gratiæ absolutè, non tamen in sensu composito.

IV. Deus non movet homines, ut bruta vel stipites.

V. Liberum arbitrium non se habet ut inanime quoddam: nam effectivè producit actum; quamvis in recipiendâ sive acceptandâ gratiâ habeat se merè passivè.

VI. Hæc gratia efficax non ita movet, ut tollat indifferentiam judicii.

VII. Hæc gratia non tollit necessitatem & fructum exhortationum & suasionum.

VIII. Deus non est autor peccati, nec malitiæ ipsius; quamvis hominem ad illud moveat, quia semper bono fine id facit.

IX. Doctrinam hanc, etiamsi non intelligatur, credendam esse.

Tertio capite conferebantur argumenta, ex autoritate desumta, quæ à Thomistis & Calvinianis ad suas probandas assertiones communiter usurpantur. Ut ex hac mutuâ eorundem fundamentorum collatione perspicuum fieret, quantum in assertâ doctrinâ convenirent, qui iisdem principiis utebantur.

Integram illam collationem, tribus capitibus distinctam, scripto paraverat Ferdinandus de Bastida. Verùm recitatâ priori parte, silentium indixit Paulus V. quòd solidum in dicendo tempus posuisset. Paratam nihilominùs lucubrationem Consultoribus, quanta erat, tradi jussit; ne Molinianæ causæ momenta negligerent.

Ex nutu ergo Pontificis peroravit Thomas de Lemos; qui cùm animadverteret, idcircò Societatis Oratores Calvinismi notam Thomistis objecisse, quia primùm ipsi Pelagianismi postulati fuerant, utramque simul accusationem in eos rejecit.

Institutam jam pridem contra congruæ vocationis gratiam, Pelagianismi expostulationem instauravit, multisque confirmavit argumentis. Primum erat: quia Pelagius ob id maximè damnatus fuerat, quòd adjutorium prævenientis gratiæ negasset, quo Deus ita verè ac propriè operatur in nobis velle & perficere, ut planè repugnet hominem dissentire. Id ostendit ex Augustino, qui totam eo in capite Pelagianismi accusationem sitam monet, lib. de gratia Christi cap. 47. *Quantùm attinet ad istam de divina gratia & adjutorio quæstionem, tria ista, quæ apertissimè distinxit, attendite, posse, velle, esse, id est, possibilitatem, voluntatem, actionem. Si ergo consenserint nobis, non solam possibilitatem in homine, etiamsi nec velit nec agat benè, sed ipsam quoque voluntatem & actionem, id est, ut bene velimus, & benè agamus, quæ non sunt in homine, nisi quando benè vult, & benè agit: si, ut dixi, consenserint, etiam ipsam voluntatem & actionem divinitùs adjuvari, ut sine illo adjutorio nihil benè velimus & agamus; eamque esse gratiam Dei per Jesum Christum Dominum nostrum, in qua nos suâ, non nostrâ*

strâ justitiâ justos facit; ut ea sit vera nostra justitia, quæ nobis ab illo est: nihil de adjutorio gratiæ Dei, quantum arbitror, inter nos controversiæ relinquetur.

Secundum, quia cùm congrua vocatio verè non prædeterminet voluntatem, restat ut illam dumtaxat objectivè moveat, uti Pelagiani fabulabantur: cum nihil inter illa duo medium occurrat. Bellarmini librum aperuerat Vir eruditus, ut hoc ultimum ejus autoritate confirmaret: at noluit Purpuratus Princeps appellari contra Suos. *Padre Lemos*, inquit, *non mi citate qua, che non fa bisogno, altrimente ve rispondero io.* Quare deposito libro, aliò se contulit; ut totam divinæ gratiæ vim in naturam refundi ostenderet, ex hypothesi vocationis congruæ: quod alterum erat Pelagiani erroris caput, à Conciliis Africanis proscriptum. *Illa motio*, subjungebat, *tantùm objectiva, & per modum proponentis objectum, dicitur congrua uni & non alteri, quia unus est ita affectus atque dispositus, ut talis vocatio sit illi congrua, non verò alteri, quia non est ita dispositus. Ita dicunt in terminis defensores vocationis congruæ. Ergo propter illam affectionem & dispositionem vocatio est uni congrua, non alteri. Sed illa dispositio & affectio non provenit à priori aliqua gratia præveniente; cùm ex parte hominis supponatur ad illam: habetur ergo talis dispositio & affectio ex ipsius naturæ viribus, vel ex aliquo materiali temperamento, aut ingenii qualitate, ut dicitur frequenter à Reverendis Patribus. Ergo propter dispositionem merè naturalem, gratia congrua & efficax est in uno, & non in altero. Pendet ergo efficacia gratiæ ab illa merè naturali dispositione, & exspectat Deus merè naturalem dispositionem, ut sua gratia in homine efficax reddatur: quod contradicit expressè Conciliis sacris, quæ, ut visum est supra, apertè docent nullam in homine inveniri naturalem dispositionem ad quam vel gratia sequatur, vel efficax per illam reddatur, &c.*

Tertium petebat ex Ecclesiæ orationibus, quo toties Augustinus de Pelagianis triumphavit. Si enim, inquiebat ille, Deum oramus, ut rebelles voluntates ad se compellat, non ergo nos congruis tantùm excitationibus vocat, quæ compellendi vim in rebelles voluntates obtinere nequeunt. Quo loco Suaresii etiam effugium ita præcludebat. *Sed dicunt; Deum movere interiùs objectivè eo tempore, quo scit hominem consensurum; & hoc esse illud majus beneficium gratiæ, quo Deus homines convertit: quod quidem majus gratiæ beneficium est, quàm si vocaret alio tempore, quo scit hominem non consensurum; & hoc majus beneficium Ecclesiam à Deo postulare. Cæterum etiam qui hoc modo dicunt, Ecclesiæ Orationibus contradicunt: quia hoc majus beneficium, qualecunque illud sit, non est illud beneficium gratiæ, quo Deus verè homines convertit; quod tamen petit Ecclesia in Orationibus suis: Quia tunc præsciret Deus, hominem non ex efficacia gratiæ, sed ex se ipso consensurum, & ex illa naturali sua dispositione supra impugnatâ: redderetque sibi vocationem congruam & efficacem; & se ipsum efficaciter converteret. Unde nec Ecclesia verè postularet, quod Deus homines converteret, sed quod daret illud auxilium, cum quo præsciret homines ex se convertendos esse. Immò hoc majus beneficium quod dicunt, nunquam fuit negatum à Pelagianis; nec enim aliquando ipsi negarunt, majus esse beneficium gratiæ promovere hominem interiùs, proponendo objectum eo tempore, quo præscitur homo consensurus; quàm alio tempore, quo præscitur non consensurus. Sed hoc expressè dixerunt Cassianus & Faustus, ultimi illius temporis Pelagiani; & tamen S. Augustinus lib. de dono perseverantiæ cap. 8. ut manifestaret, illos per hoc quod vocabant majus beneficium gratiæ, non admittere illud beneficium, quod Ecclesia petit in Orationibus suis, &c.*

Quartum, quintum & sextum desumebat ex conditione voluntatis humanæ: quæ secundùm Apostolum, in salutis negotio nihil habet ab autore gratiæ non acceptum, in quo uno gloriari sibi liceat: hincque colligebat determinationem ipsam voluntatis ad bonum ex Deo ipso verè ac propriè efficiente petendam esse, juxta Catholicæ fidei principia. *Et certè*, subjungebat, *cùm Apostolus dicat, Quid habes quod non accepisti? mirandum est valde, quod dixerint Patres in præcedenti Congregatione: Habemus ex nobis nostram determinationem, quam non accepimus à Deo, verè efficiente illam in nobis.*

Nec modò Pelagianam, sed & Calvinianam, quam Thomistis objiciebant, hæresim à Molinianis suscitari demonstravit: utpote qui sub honesta tuendæ libertatis specie, libertatem ipsam inflando præcipitarent. In quos propterea illud Augustini, de Juliano Manichæismum sanctissimo Doctori objiciente, meritò caderet; *Monstrabo quòd tu ipse sis adjuvas Manichæorum damnabilem & nefandæ impietatis errorem; ut nullum talem patronum, nec in suis dilectoribus, valeant invenire.* Lib. 1. contra Julian. cap. 2. Et illud ejusdem contra duas Epistolas Pelagianorum lib. 2. cap. 1. *Nihil aliud nituntur, nisi ut horribili hæresi objecta, cujus se adversarios esse confingunt, lateant inimici gratiæ in laude naturæ.* Quapropter

propter tria hæc, quæ gratiæ per se efficacis defensoribus obiter objecerat Molinianus Actor, ab iis nempe libertatem auferri, gratiam sufficientem negari; Deum peccati autorem constitui, non solùm Augustino à Pelagianis objecta, & ab eodem cumulatissimè soluta demonstravit; verùm etiam in accusatores retorsit, quos hujusce criminis reos traduxit.

Hinc primam objectæ collationis partem, quam solam Bastida recitaverat, aggressus est. De singulis Articulis dixit paulò pressiùs, ut Thomisticum sensum à Calviniano secerneret: quòd eædem difficultates in superioribus Congressibus millies occurrissent, ac tritis distinctionibus eliquarentur. Cui dum alter reposuisset aliquantulùm (septem horis & ampliùs inter disputandum jam elapsis) subjunxit: *Beatissime Pater, hora est tarda. Ad hæc nolo aliud respondere, licet multa essent dicenda: sed remitto me ad dicta.* Quo verbo Congregatio finita est.

Ex Actis Secret. „ S. D. N. die sequenti 11. Januarii per „Patres Secretarios significavit Patribus Societatis, ut in futurâ Sessione afferrent rationes contra physicam prædeterminationem; & breviùs quàm soliti erant, agerent; simulque in scriptis traderent, pro Dominis Consultoribus totam & integram collationem sententiæ Patrum Prædicatorum, cum sententia Calvini, quam in præterita Congregatione instituerant. „Die verò primâ Februarii exhibitæ sunt à Patribus Societatis quatuor copiæ Collationis doctrinæ Patrum Prædicatorum cum doctrina Calvini, cujus „exemplar supra appositum est.

Huic Collationi triplici scripto respondit Thomas de Lemos; tum demum integro volumine.

CAPUT DUODECIMUM.

De gratia seipsâ efficaci, rationibus Theologicis disputatur, Congregatione Decimâ-tertiâ: Adversæ partis rationes in Decimâ-quartâ Congregatione damnantur.

Die 25. Januarii 1606. præsente Paulo V. Pont. Max. Tertia decima Congregatio celebrata est. Actum de gratia per se efficaci, rationibus Theologicis. Quocirca vix novi aliquid ab utroque Actore prolatum est.

Tribus potissimùm pugnavit Ferdinandus de Bastida. Primam accersebat, ex læsione libertatis; quia nec gratiæ per se efficaci resisti, nec in sensu composito dissentiri potest, nec eâ positâ stat indifferentia voluntatis. Secundam, ex gratiæ sufficientis conditione, quam nullam omninò fore inquiebat, si quæ esset ulterioris gratiæ necessitas. Ultimam ex divina sanctitate quam peccati prædeterminatione violatum iri arbitrabatur. His positis, varia deduxit incommoda, Thomisticæ sententiæ consectaria: Deum scilicet primò & per se causare opera mala: æquè proprium Dei opus esse proditionem Judæ, quàm Pauli vocationem: non esse in potestate hominis, vias suas malas facere: hominem dum mala opera exercet, non peccare: Deum non solùm tentare homines, sed etiam vehementiori tentatione, quàm dæmon ipse urgere soleat: Deum tandem peccati autorem & approbatorem esse.

Criminationes diluit Thomas de Lemos, iisdem principiis inhærens, quæ ex occasione in aliis Congressibus identidem attulerat. Difficultatem ex gratiæ sufficientis naturâ desumtam, aliquantò distinctiùs aggressus est, quoniam vix aliàs occurrerat. *Dicebat,* inquit, *vestra Paternitas, per auxilium efficax tolli auxilium sufficiens, in his qui carent efficaci; quia sine efficaci non possunt: ergo per sufficiens non possunt. Respondet S. Thomas quæst. 1. de potentia art. 1. ad primum. Vel exceptio,* sine, *cadit supra posse, vel potest referri ad actum, videlicet ad converti. Si particula,* sine, *referatur ad potentiam, propositio est falsa; quia facit sensum, quod sine auxilio efficaci, homo non habet potentiam ad se convertendum: quod est falsum. Si autem referatur ad actum, est verissima propositio; & facit sensum, Quòd fieri non potest, ut sine auxilio efficaci homo convertatur. In quo sensu cum S. Thoma loquuntur omnes ejus discipuli. Sicut ista propositio Sacerdos non potest consecrare sine pane & vino, si verbum,* sine, *referatur ad potentiam, falsa est; quia facit sensum, quòd Sacerdos sine pane & vino, non habet potentiam consecrandi, quod est falsum: quia per characterem potentiam ad id habet. Si autem verbum,* sine, *referatur ad consecrare, tunc est vera; & sensum facit, Fieri non potest, ut consecret sine pane & vino. Et sic de multis aliis. Sic ergo oportet distinguere & tolluntur æquivocationes.*

Frustra verò addebat, quòd per illud auxilium efficax, vel non completur potentia, vel auxilium sufficiens non est sufficiens: quia vel ante efficax est jam completa per sufficiens; & tunc efficax non est necessarium: vel si post sufficiens adhuc non est completa, sed eget compleri per efficax: ergo sufficiens non est sufficiens, quia per illud adhuc potentia est incompleta. Respondeo, quòd potentia per auxilium sufficiens, est completa in ratione potentiæ separata ab actu, non autem est completa

ta in ratione potentiæ conjuncta & applicata ad actum. Sic S. Thomas 1. 2. qu. 109. art. 9. ad 1. etiamsi justus habeat habitum virtutis & potentiæ, adhuc eget alio auxilio divino: nec sequitur quòd habitus & potentia sint quid incompletum & imperfectum. Ita de auxilio sufficienti, ut Congregatione superiori pluribus explicavi. Ob eandem rationem S. Thomas quæst. 3. de potentia art. 7. ad 1. inquit, virtus activa & passiva rei naturalis sufficiunt ad agendum in ordine suo; requiritur tamen virtus divina, ratione jam dicta. Ex quibus duobus locis S. Thomæ expreßè habemus, hanc consequentiam esse nullam, quam hi Rev. Patres formant: Homo præter auxilium sufficiens eget auxilio efficaci ad operandum: ergo sufficiens, non est sufficiens. Respondet enim S. Thomas his duobus locis expreßè, non sequi hanc consequentiam. Dicimus ergo auxilium sufficiens esse sufficiens in ordine suo, dando posse operari ipsi voluntati; requiritur tamen efficax, ut de facto operetur & convertatur..... &c.

Addebat vestra Paternitas, quòd si dicamus efficax esse necessarium ad operari, non tamen removetur difficultas, nisi dicamus esse in potestate nostra, habere tale auxilium, cum libuerit. Respondetur, falsò putare hos Patres, auxilium efficax dare nobis operari, quatenus comitatur actus nostros & nostram cooperationem. Semper enim tam Scriptura, quàm S. Augustinus & D. Thomas, loquuntur de auxilio antecedenti, & dicunt quòd hoc est illud auxilium, quod facit nos velle & operari, ut satis in superioribus dictum est. Dicimus ergo quòd auxilium efficax præstat nobis operari in actu primo, quia Deus efficaciter per illud movet & applicat voluntatem ad actum secundum, & facit eam velle & operari. Unde nullo modo dependet hæc efficacia à creata voluntate. Unde falsum est, quòd in potestate nostra sit acquirere tale auxilium efficax. Et rectè R. Pater contra se fecit judicium: nam dixit Pelagianam eße sententiam, quòd auxilium efficax sit pedissequum voluntati creatæ: At isti R. Patres pedissequum illud constituunt, & dicunt quòd datur quia volumus: hoc enim expreßè fatentur, datur nobis, cùm nobis libuerit. *Ergo sententiam Pelagianam tenent. Similiter, si Pelagianum est, ut ipsi dicunt, quòd liberum arbitrium per aliquem actum suum faciat ut auxilium sufficiens fiat efficax: nonne ipsi hoc fatentur in tota sua doctrina? Ergò non recedunt à sententia Pelagii.*

Observabat insuper Vir eruditus, invidiosa illa consectaria à Molinianis Actoribus frustrà congeri; quæ nihil ad præsens institutum attinebant, ubi de physica prædeterminatione ad naturæ ordinem spectante non agebatur, sed de gratia ad bonum prædeterminante, è qua nihil istiusmodi timendum erat. Singula tamen enodavit ex abundanti, petitis ex Augustino responsionibus; cui isthæc eadem à Pelagianis, crambes instar recoctæ, millies objecta fuerant.

Ad quatuor horas protracta disputatio est, Actoribus per alternas vices reponentibus; donec Lemosius ad asserendam libertatis humanæ & efficacis gratiæ concordiam, istud argumentum efformavit: *Christus Dominus fuit efficacissimè prædeterminatus ad obediendum præcepto Patris; ita quòd tali imposito præcepto, non poterat non obedire: & tamen fuit perfectissimè liber in obediendo, & meruit per illam liberam obedientiam: Ergo secundùm fidem optimè cum efficaci prædeterminatione libertas humana consistit.* Quo laqueo implicatus Bastida negavit in Christo potentiam & libertatem ad dissentiendum. Totamque argumentationem perperàm accipiens, Dominicano Oratori crimini vertit; quasi eo Christi exemplo inferre voluisset, nullam nobis sub efficaci gratia constitutis inesse dissentiendi potestatem. Inter hæc desiit disputatio horâ 24.

Judicium de superiori disputatione.

Die Mercurii 1. mensis Februarii horâ 15. anno 1606. celebrata est Congregatio ad expendendas rationes productas à Patribus Societatis contra doctrinam de gratia Christi propriè dictâ, hoc est, efficaci ex vi divinæ motionis, & absolutæ Dei voluntatis; qua scilicet voluit, Petrum hìc & nunc convertere. Rationes autem erant, 1. quòd tolleretur libertas humana: 2. quòd tolleretur auxilium sufficiens: 3. quòd constitueretur similiter Deus autor mali &c. quibus expensis, resolvit Congregatio illis non obstantibus, persistendum in decretis. Et ita censuerunt omnes, excepto Regente Collegii Carmelitarum, qui censuit doctrinam de gratiâ congruâ esse tutam, & argumenta ejusmodi, quæ faciant rem saltem probabilem; & contrariam non esse de fide. Dimittitur Sessio horâ 20.

Ex Actis Secret. Card. Zapata huic interfuit sufficitus in locum demortui Cardin. Avila.

CAPUT DECIMUM-TERTIUM.

De gratia seipsâ efficaci, ex Doctore Angelico in Decimâ-quintâ Congregatione disputatur.

Die 15. Februarii anni 1606. coram Paulo V. Pont. Max. habita est Congregatio Decima-quinta. Eadem de re disputatio fuit ex autoritate D. Thomæ.

Cœpit Ferdinandus de Bastida, ab eximiâ

miâ sancti Doctoris commendatione, quem universæ Theologiæ Principem vocabat, doctrinæ catholicæ præcipuum Columen, communem Theologorum Magistrum. Hunc ab indigna, ut loquebatur, calumnia vindicare aggressus est, quâ à Thomistis nonnullis, uti physicæ prædeterminationis assertor afficiebatur.

Id ut exsequi posset, duplicem distinxit Thomistarum ordinem. In primo numerabat Capreolum, Conradum & Cajetanum: quibus, ut inquiebat, visum fuit, nullam juxta D. Thomam, præviam motionem desiderari, ut causa secunda ad agendum applicetur: illumque nil nisi motionem concomitantem intellexisse, quoties istud axioma usurpavit: *Causa secunda non agit, nisi moveatur à prima.* In altero recensebat Bannem, Nunnum, Davilam, & alios benè multos; qui ultra concursum concomitantem, ab Angelico Doctore desiderari putant præviam entitatem in causa secunda à solo Deo productam, qua ad singulos actus præmoveatur & applicetur. Divum Thomam, juxta priores, physicæ prædeterminationi repugnare, palàm colligebat Societatis Actor. Eundem vero juxta alios non ei satis adsavisse, contendebat: cum non illicò consequens esset, præviam illam motionem prædeterminare physicè voluntatem. Ideò ad internoscendam Divi Thomæ mentem, videndum ait, an ejus generis præmotionem admiserit, quæ ita physicè prædeterminandi vim haberet, ut nec cum illa conjungi dissensus, nec sine illa actus elici posset.

Quocirca sanctissimi Doctoris testimonia, ubi eam negari existimabat, paucis exposuit: quorum quidem hæc summa erat. 1. Hominem ita à Deo moveri aut adjuvari, ut tamen ipse per rationem se determinet. 2. Agentia libera à nullo altero principio determinari ad unum. 3. Deum nullam voluntati necessitatem inferre; sed quoslibet ejus motus, & liberos esse & contingentes. 4. Posse liberum arbitrium divinæ motioni resistere, eidemque ponere obices. 5. Hominem sub gratia constitutum, eâdem illâ posse non uti. 6. Dispositiones voluntati minimè subjectas necessitatem inferre. 7. Voluntatem ad primum actum moveri à Deo, in reliquis autem movere se ipsam. 8. Necessitatem antecedentem ortam ex causis efficientibus coactionem inducere. 9. Demùm certitudinem prædestinationis, ex mediorum multitudine desumi; confirmationem in gratia, ab externa Dei custodia repeti; infallibilitatem cognitionis futurorum contingentium, ex eorum in æternitate coexistentiâ demonstrari. Ad quæ sanè frustra confugeret Doctor Angelicus, si ei vel per somnium prædeterminatio physica venisset in mentem.

Orationis suæ finem convertit in Dominicum Bannem, novitium, ut aiebat, physicæ prædeterminationis architectum; qui cùm nihil nisi Calvinum saperet, Doctore tamen Angelico, sententiæ suæ Magistro & assertore gloriabatur: *Sed est*, subjungebat, *qui videt & inducat: est Spiritus S. qui non aliis quàm Sanctitatis Suæ lucidissimis oculis, & infallibili judicio rem definiet. Ego sanè hoc uno irrefragabili argumento universa concludo: vel cæcutiisse omnes qui à trecentis jam annis S. Thomæ doctrinam evolverunt, secuti sunt, aut persecuti: vel sententiam de physica prædeterminatione ex S. Thomæ mente non esse. Certum est enim, nullum ex veteribus, ante Dominicum Bannem, ita vel scripsisse vel sensisse: ut autem Divo Thomæ tale quid tribuerent, ne somniasse quidem.*

Excanduit Thomas de Lemos ad amaram Oratoris Moliniani declamationem: quâ Catholicum Autorem, ac de Ecclesia bene meritum paulò liberiùs exagitaverat. Ita Pontificem affatus est: *Beatissime Pater, sanctum Thomam totum esse in prædicanda & defendenda prævenientis gratiæ divinæ efficacia, quæ independenter ab homine, ab efficacissima Dei voluntate procedit, ita notum est atque manifestum, ut mirandum sit valde, quàm in vanum laborent Patres Reverendi, contrariam sententiam ex D. Thoma contra D. Thomam fundare; propter testimonia ab eis modò inducta, sed non rectè deducta, nec in veritate, ut expedit, intellecta. Ex cujus enim alterius doctrinâ, illa Molinæ sententia, ut cœpit potentius in Hispania divulgari, impugnata fuit & expugnata, nisi ex hujus Doctoris apertâ manifestâque sententiâ? Cum enim S. Thomas ab ejus discipulis contra novam Molinæ doctrinam opponeretur, apertè à R. Patribus tanquam ignarus concordiæ liberi arbitrii & gratiæ rejiciebatur; & tamen jam modò idem S. Thomas, ab iisdem Patribus in suum patrocinium invocatur.*

Fatetur expressè Molina in CONCORDIA *disp. 26. & 27. impressionis Antverpiæ, S. Thomam manifestè tradere influxum Dei in causas, quo Deus illas præmoveat & applicet ad agendum. Et tamen in hoc RR. Patres suum negant autorem Molinam: & suadere conantur, S. Thomam has divinas applicationes & præmotiones negasse.*

Testantur Autores ex Societate, quos jam in præcedentibus Congregationibus in conspectu Sanctitatis Vestræ nominavi, S. Thomam

cùm

cùm dicit Deum immutare hominis voluntatem, ibi tradere physicam prædeterminationem. Et tamen isti contra Præceptores suos contendunt modò hanc apertissimam sententiam D. Thomæ etiam ab eis agnitam obscurare.

Et quod majus est, liber ille Societatis De ratione studiorum, *tanta cum industria à tota Societate compositus, & per sex selectos Patres ex præcipuis Provinciis elaboratus, atque per Generalem Societatis omnibus suis Collegiis & studiis, pro forma servanda propositus; inter plures propositiones quas fatetur esse S. Thomæ, & rejicit pag. 11. tractatu De opinionum delectu in Theologica Facultate, regula V. Num. VI. hæc habetur:* "Secundas causas esse propriè & univocè instrumenta Dei; & cum operantur, Deum in illas primùm influere, aut eas movere. *Et tamen modò, contra hunc suum librum, contrarium omninò suadere procurant. Quia enim coram hac Sancta Sede apertè S. Thomam negare non audent, illum mutato stylo in suam sententiam violenter trahere conantur.*

Vide supra lib. 1. cap. 2.

Ne quis autem Bastidam Majoribus suis oculatiorem putaret in internoscenda D. Thomæ mente, Angelicæ doctrinæ analysim ob oculos posuit; ut planè omnes intelligerent, quàm immeritò in Molinæ patrocinium advocatus esset. Quinque capitibus complexus est universa. 1. Demonstravit nihil æquè in doctrina D. Thomæ certum esse, quàm efficaciam divinæ voluntatis & gratiæ, ante omnem liberi arbitrii cooperationem, unde infallibiliter humanæ voluntatis operatio secutura sit. 2. Deum efficaci voluntate sua bonum omnem liberi arbitrii usum prædeterminasse, ante quamcunque præscientiam, sive absolutam, sive conditionatam, sive mediam, sive quovis alio nomine vocitetur. 3. Deum eadem illâ efficaci voluntate prædeterminasse, prævium quidpiam voluntatibus hominum imprimere, quo illas efficaciter applicet, immutet, & in actu primo quoad exercitium determinet, ut illæ semetipsas in actu secundo determinent. 4. Ea positâ efficaci Dei præmotione, sive prædeterminatione, voluntatem semper operari, nec dissentire unquam; tametsi stante hujuscemodi prædeterminatione, possit dissentire si velit. 5. Universa oppositæ partis fundamenta, ab Angelico Doctore occupata fuisse, ac penitùs comminuta.

Mirùm quàm prolixo sermone de singulis dixerit! Testimonia D. Thomæ protulit supra ducenta: adversarium graviter incusans, quòd ejus interdùm verba minùs sincerè protulisset. Capreolum, Conradum, & Cajetanum, mala fide omninò laudatos; Nunnum, Bannem & Davilam, minùs integrè adductos ostendit: cùm nec illi præviam Dei motionem à sancti Thomæ mente alienam uspiam dixissent; nec isti qualemcunque præmotionem S. Doctori tribuissent, sed præmotionem innatâ sibi virtute efficacem: qua voce prædeterminatio physica designatur.

Responsum ægerrimè tulit Ferdinandus de Bastida; eo præsertim nomine, quòd Molinianæ Scholæ Principum confessionem de D. Thomæ sententia objecisset. Quapropter quæsitis hinc inde diverticulis, Sodalium suorum judicia pro viribus emollire studuit. Quod Molinam attinet, inficiari noluit Vir ingenuus, quin ideò malè apud Hispanos Theologos audiisset; quia sententiam de Dei in causas secundas influxu, cujus oppositam defendit, Angelico Doctori tribuisse visus erat. At longè aliter de physica prædeterminatione judicandum ait, quam Angelicæ doctrinæ principiis repugnare sæpiùs affirmaverat. In Conc. quæst. 14. disp. 26.

De Bellarmino audaciùs pronuntiavit; mirari se inquiens, cur qui physicam prædeterminationem Calvinismi notaverat, à Lemosio præsente Pontifice proferretur, quasi eandem illam Angelico Doctori tribuisset. Ita quippe Moliniano Actori placuit, apertissimum purpurati Viri locum dissimulare, lib. 4. de gratia & lib. arbitrio cap. 16. ejusdemque interpolatas à Germanis correctoribus editiones ostentare. Lege hic supra lib. I. cap. 15. & lib. II. cap. 1.

Testimonium ex libro *De ratione studendi* desumtum elusit: quia, inquiebat, nulla lege nullove præcepto Societatis Theologos astringit liber ille; sed eos tantùm minimè cogendos decernit, ut ea dogmata tueantur. Dissimulabat scilicet Vir acutus, ea parte vim argumenti sitam non esse, sed quod ea ipsa dogmata, quæ Societatis Theologorum arbitrio committebantur, D. Thomæ sententias esse faterentur.

Ut ut est, ad objecta sanctissimi Doctoris testimonia gressum fecit. Horum non pauca tritis interpretationibus emollivit: quas in aliis congressibus identidem attulerat. Alia tacitus omisit. Non potuit tamen, quin palàm fateretur, decretorium esse D. Thomæ testimonium quæst. 3. de potent. art. 7. ubi docet, Deum per aliquid voluntati impressum præviè applicare & determinare voluntatem ad agendum: eòque confugit, ut nihil simile in reliquis ejus operibus, ac præsertim in Summa Theologica reperiri diceret. Sed & hoc illi præclusit effugium Thomas de Lemos, laudatis ex Summa Theologica luculentissimis

Idem fassus est Suares lib. 1. Conc. cap. 11. & in opere posthumo, De vera intelligentia auxilii efficacis c. 40. Idem & Bellarm. lib. 4. de gratia cap. 16. Idem Colleg. Conim. lib. 2. physic. c. 7. q. 13.

ſimis teſtimoniis, p. 1. qu. 105. art. 5. in corp. & ad 3. nec non 1. 2. quæſt. 109. a. 1. atque ita diſputatio ſoluta eſt.

CAPUT DECIMUM-QUARTUM.

De eadem ex Theologorum autoritate in Decimâ-ſextâ Congregatione diſputatur: ac demum in Decimâ-ſeptimâ, uti D. Thomæ probatiſque Theologis conſona pronuntiatur.

DIe 22. Februarii 1606. coram Paulo V. Pont. Max. habita eſt Congregatio Decima-ſexta. Eadem quæſtio ex Doctorum Scholaſticorum autoritate agitata fuit.

Duo demonſtranda ſibi ſumſit Societatis Theologus. Primò, quàm longiſſimè ab infallibili & certiſſimo fidei dogmate abeſſe phyſicam prædeterminationem, ſi eorum judicium luberet audire, qui vel ſuperioribus ſeculis, vel hâc ipſa ætate, doctrinæ & eruditionis laude claruerant. Secundò nihil unquam à Molina gravius, adversùs novum Banneſii commentum, vel prolatum, vel inſinuatum eſſe, quod ab aliis quàm plurimis, iiſque doctiſſimis viris non antea fuiſſet, & poſtea multò ſeveriùs & graviùs pronuntiatum: ut vel hoc unum argumento eſſe poſſet, illum ad hujus ſententiæ impugnationem non ſtudio contentionis adductum, ſed eâdem, à qua non pauci tanto ante abhorruerant, doctrinæ abſurditate compulſum eſſe.

In hunc verò finem laudabat Thomam Waldenſem, Albertum Pighium, Mariam Berratum, Judocum Clichtovæum, Franciſcum Belcarium, Autorem antipologiæ adversùs Miniſtrorum Metenſium Apologiam, Adamum, Armachanum, Joannem de Bononia, Robertum Bellarminum, Gregorium de Valentia, Alphonſum de Mendoza, Joannem Delphinum, Vincentium Giacharum, Thomam Stapletonum, Alexandrum Alenſem, Henricum de Gandavo, Guillelmum Ochamum, Gregorium Ariminenſem, Ægidium Columnam, Andream de Caſtro, Ruardum Tapperum, Didacum Payva, Cunerum, Franciſcum Carthagenam, Antonium Cordubenſem, Gabrielem Biel, Hieronymum de Hangeſto, Aureolum, Franciſcum Zumel. Quorum alii docent voluntatem noſtram nulla impelli neceſſitate, ſed divinæ gratiæ motioni reluctari poſſe: alii liberum arbitrium ita à Deo determinari, ut ſuorum tamen actuum Dominus maneat: alii Deum peccati autorem fore, ſi hominem ad peccandum impelleret. Contrarium verò ſentientes, hæreſeos, impietatis, blaſphemiæ, erroris, paſſim inculant.

Horum omnium teſtimoniis adductis, ita pro Molina adversùs phyſicam prædeterminationem colligebat. *Quid Molina contra phyſicam prædeterminationem protulit? Auferri dixit arbitrii libertatem? Idem dixit Alenſis, dixit Henricus, dixit Gabriel, dixit Ocham, dixit Ariminenſis, dixit Ægidius, dixit Caſtro-novo, dixit Ruardus, dixit Parva, dixit Hangeſtus, dixit Cunerus, dixit Carthagena, dixit Corduba, dixit Delphinus. Quid præterea Molina contra hanc ſententiam dixit? Sequi ex illa Deum eſſe autorem peccati? Idem dixerunt Illuſtriſſimi Cardinales Aureolus & Bellarminus, Waldenſis, Cunerus, Carthagena, Zumel, Clichtovæus, & Mendoza. Quid ultra dixit Molina? Repugnare hanc ſententiam definitioni Concilii Tridentini? Idem dixit Ruardus, dixit Stapletonus, dixit Valentia. Et quod majori ponderatione dignum eſt, Bononia affirmat fuiſſe hanc ſententiam in Concilio Tridentino diſcuſſam, & optimo jure rejectam. Quid tandem dixit Molina?* Non dubitarem, *inquit*, ſententiam hanc, hoc modo explicatam, errorem in fide appellare. *Idem, immò gravius aliquid, dixerunt alii. Berratus eam appellat hæreticam: Adamus, erroneam: impiam Clichtovæus: impiam & ſtultam Mendoza: deteſtandam blaſphemiam Pighius: periculoſam Waldenſis: temerariam Belcarius: Pharizaicam Autor Antipologiæ: nimis periculoſam Bononia: planè abſurdam & nimis duram Delphinus: Auguſtino, Concilio Tridentino, & ſacræ Scripturæ contrariam Valentia: Calvini commentum Catholico Autore indignum, & manifeſtum errorem Stapletonus: omninò eandem cum Calvini & Lutheranorum errore Illuſtriſſimus Bellarminus.*

Succeſſit in diſputatione Thomas de Lemos. Noluit inferioris ſubſellii Theologos ſcrupuloſiùs edere, qui intrinſecam gratiæ prævenientis efficaciam, ſive auxilium phyſicè prædeterminans defendiſſent; ſatis è re ſuâ futurum exiſtimans, ſi celebriores adduceret. Ab Angelico Doctore, & Joanne Duns Scoto, duplicis ſcholæ principibus initium cœpit: quos ſuæ doctrinæ contrarios agnovit Ludovicus Molina, diſp. 26. 27. & 50. Iis adjunxit Capreolum, Cajetanum, Ferrarienſem, Conradum; de quibus ei ſuperiori diſputatione litem moverat Societatis Actor; cujus hic vitilitigationes confutavit. Addidit Albertum Magnum, S. Bonaventuram, Magiſtrum ſententiarum, S. Antoninum, Andream Vega, Abulenſem, Joannem Driedonem, Perrerium, Henricum Henriques. Ac demùm plurium inſtar, Catechiſmum

Romanum, ex decreto Concilii Tridentini elucubratum, & à Pio V. Pontifice Maximo, universæ Ecclesiæ propositum: ubi hæc inter alia legere licet: *Non solùm autem Deus universa quæ sunt tuetur, atque administrat; verum etiam quæ moventur & agunt aliquid, intima virtute ad motum atque actionem ita compellit, ut quamvis causarum secundarum efficientiam non impediat, præveniat tamen. Cùm ejus occultissima vis, ad singula pertingat; & quemadmodum sæpius testantur*, Attingit à fine usque ad finem fortiter, & disponit omnia suaviter. *Quare ab Apostolo dictum est, cum apud Athenienses annuntiaret Deum, quem ignorantes colebant: Non longè est ab unoquoque nostrum; in ipso enim vivimus, movemur & sumus.*

E laudatis ab adversario, à se stare propugnavit Alexandrum Alensem, Ægidium Romanum, Didacum Payvam, Joannem à Bononia, Ruardum Tapperum, Thomam Waldensem: qui prævenientis gratiæ efficaciam intrinsecam, & ab humani arbitrii consensu minimè suspensam religiosè tuentur. Quæ verò adversùs gratiam physicè prædeterminantem ab eisdem asserta videbantur, minutatim expoluit; ut illos monstrum aliud longè diversum, Manichæismum scilicet & Calvinismum oppugnasse demonstraret. Hos inter Joannes de Bononia potissimè notabatur, ut à Bastida perperàm appellatus; utpote qui divinæ gratiæ insuperabilem efficaciam à Concilio Tridentino rejectam non asserat; sed eorum stultam opinationem, qui divinis inspirationibus & excitationibus neminem resistere fabulabantur. Sic enim habet in tractatu de libero hominis arbitrio, fol. 103. *Hujus œcumenici Concilii clarissimam doctrinam obscurare quodammodo conari videntur; dum dicunt habere hominem libertatem arbitrii, ut excitationi admonitionique divinæ resistere possit: sed his divinis inspirationibus atque motionibus suppositis, nullum resistere arbitrium. Obscurare autem dixi, quoniam ex dictis Reverendissimi Domini Hieronymi à Bononia, sanctissimæ Sedis Apostolicæ Nuntii dignissimi, nec non Archiepiscopi Consani, Professoris Theologiæ peritissimi, atque Sacri Palatii Magistri eximii, eandem opinionem in sancta Synodo Tridentinâ fuisse summa diligentiâ à Patribus discussam, & tanquam minùs probabilem optimo jure percepi rejectam.* Quanquàm si id de gratia efficaci esset intelligendum; tantæ non est autoritatis unius viri verbum, nullo scripto consignatum, ut possit fidem nostram sub jugum, ut ita dicam, mittere.

De cæteris pauca dixit. Adversùs Ochamum, Ariminensem & Armachanum exceptiones dedit: quòd & minùs rectè de fide sensissent, & ab Apostolica Sede damnati fuissent. Carthagenæ & Cordubæ suffragia exsufflavit: cùm hac in parte eo usque cespitassent, ut in piis operibus divinam constitutionem humanâ voluntate præveniri propugnarint: quo vel uno errore suffragii jure ceciderant. Gregorium de Valentia Societatis Theologum, Thomam Stapletonum, aliosque levioris notæ scriptores, missos fecit; datis generalibus solutionibus, quibus planum fieret, eorum benè multos aliam à Thomistica hypothesim impugnasse, invidiosisque notis affecisse.

Verùm isthæc parvi pendens Ferdinandus de Bastida, stetit in incœpto. Laudatos à se Theologos, non Manichæos tantùm, aut Calvinianos, sed & Thomistas petiisse contestatus est. De reliquis à Lemosio appellatis nihil curandum, inquit: quòd prævium dumtaxat influxum, applicationemque causarum secundarum, ut ut maximè defendissent; de physica verò Prædeterminatione, ne per somnium cogitassent.

Dictis vim addidit Societatis Actor ex Dominici Soto autoritate, cujus verba hæc de scripto recitabat: *Sicut in parvulis Baptismus est causa cur unus salvatur; & non baptizari, est causa cur alter non salvetur: pariter in adulto, qui per actum interiorem ante Sacramentum convertitur, cùm Deus paratissimus sit quemcunque convertere, præsentissimaque misericordia ex duobus utrumque aspiret; cur iste convertatur, & non ille, reddi non potest causa, nisi quia unus præbet assensum, alter verò minimè. Quidam verò hoc taxare voluerunt, dicentes quòd nimiùm tribuerim libero arbitrio, in justificationis causa. Et tamen salvâ semper Catholicæ Ecclesiæ censurâ, arbitror necessariò sic dicendum.* (In 4. sent. dist. 50. art. 6.) At cùm hic inter legendum hæreret, nec alia prosequeretur, unde Autoris sensus in aperto ponitur; commotus in eum Lemosius, Perge, inquit, perge legere quæ sequuntur. Legit ergo: *Assensus enim liberi arbitrii non est causa præveniens motionem Dei, sed effectus ejusdem motionis, idem prævenientis liberum arbitrium. Est enim pulsatio & aspiratio Dei ad corda nostra, similis aëri in fenestram clausam aspiranti. Sed quia non aperit nobis eadem corda ex necessitate, sed nobis liberè consentientibus; quamvis causa prior efficiens quæ nos convertit, sit ejus spiratio & motio præveniens: tamen dispositio materialis (quæ hoc modo potest dici causa)*

causa) est assensio nostra. Sicut causa efficiens præveniens, cur fenestra aperitur, est aer intrans; sed causa materialis cur aer intrat, est quia fenestra aperitur. Quo lecto, nihil ex hac ultima Soti lascinia adversùs Molinam extundi contestabatur; quia Deum nostræ conversionis autorem agnoverat.

Non absimili confidentiâ Soncinam & Bronderium adversùs prædeterminantem gratiam appellabat; quia nec cogi voluntatem, nec aliquâ necessitate compelli propugnarant. Cui cùm paucis reposuisset Dominicanus Orator, finita disputatio est.

Ex Act. Secret. „ Die Mercurii 1. Martii, hora 14. anno „ D. 1606. actum fuit de locis Divi Thomæ, „ & aliorum Doctorum, productis ex ad„ verso à Patribus Societatis contra doctri„ nam de physica præmotione, seu præde„ terminatione, sub qua voluntas se ipsam „ determinat, præmota & efficaciter adjuta „ per gratiam efficacem. Et resolvit Con„ gregatio, persistendum in decisis. Ita cen„ suerunt omnes, excepto R. P. Regente „ Collegii Carmelitarum, qui cum Patribus „ Societatis censuit, Deum per gratiam suam, „ non prædeterminare humanam volunta„ tem ad actus bonos; & qui hoc asserunt, „ non evadere posse, quin etiam concedant, „ Deum prædeterminare ad actus peccati: „ quod salvâ fide Catholicâ sustineri non po„ test. Et hanc sententiam æquè probari au„ toritatibus S. Thomæ & Doctorum, quas „ Patres Societatis produxerunt. Dimittitur „ Sessio post horam decimam-nonam.

CAPUT DECIMUM-QUINTUM.

Paulus V. finiendæ Controversiæ Consilium init: Bullam Pontificiam Consultoribus delineandam committit: quam illi demum diligenti studio elaboratam Sanctitati Suæ tradunt.

TAm arduo difficilique Disputationum onere solutus Paulus V. de ferenda sententia deliberavit. Res Cardinalium consilio commissa est die Martii 8. anno 1606. Num scilicet è communi Ecclesiæ bono foret, ut Apostolico judicio finiretur controversia. Aderant Eminentissimi Cardinales, numero duodecim, Pinellus, Asculanus, Aldobrandinus, Blanchettus, Arigonius, De Givry, Bellarminus, Busalo, Zapata, Taberna, Monopoli, du Perron; Avilensi non multo antea è vivis sublato, Sfondrato verò febribus detento. Decem pro edenda definitione Apostolicâ pronuntiarunt: reliqui duo intercessere, Perronius scilicet ac Bellarminus: ille quidem Henrici IV. nutibus obsecutus, iste Societatis.

Ut primùm susceptum ferendi judicii consilium Jesuitis innotuit, tentarunt nùm objectâ muscipulâ rei exitum morari aut etiam impedire omninò possent. Scriptorum fasciculum, quibus jam pridem Clementem VIII. defatigaverant, variasque commendatitias Epistolas Paulo V. obtulere: rogantes ut ea primùm expendi fineret, quàm ad definitionem controversiæ veniretur. Votis annuit optimus Pontifex, ne fortè se minùs audiri Jesuitæ quererentur. Jacobo Bossutio Consultorum uni examen demandavit, qui prolixâ censurâ in Augustiniensium Archivio asservatâ, de singulis Scriptis & Epistolis sigillatim pronuntiavit. Contentam aut commendatam in eis doctrinam, erroneam dixit. Autores *fraudis, fallaciæ, falsitatis reos* habuit: quòd apud Sedem Apostolicam non ea fide animique candore se gererent, quem & Judicis Majestas, & argumenti dignitas postularet.

Interea Paulus majoris Cardinalium partis suffragia secutus, Congregationis Secretarios vocavit; quibus suscepti consilii rationem aperuit. Cumque in hac tantâ instituti per decennium examinis diuturnitate, de iisdem sæpè quæstionibus dictum esset; nec omnes pari censurâ dignæ, ejusdemve momenti videri possent, sed aliæ ad alias uti consectaria revocarentur; brevem expeditamque censurarum omnium summam à consultoribus edi jussit; quâ, missis quibusvis ambagibus, proscripti errores notarentur, quos Pontificio diplomate damnari necesse foret.

Ut autem novus labor, novi etiam examinis loco esset, ubi majori, si fieri posset, quàm hactenus libertate, omnique humano affectu deposito, sententiam dicerent; voluit ut Consultores separatim, ac nullâ secum habitâ collatione, nullique mortalium communicato consilio, tria hæc scriptis mandarent. 1. Quid fide in hac materia tenendum esset; quid damnandum, quave ratione. 2. Qua parte ab hæreticis catholici differant. 3. Quis modus in edendo Pontificio diplomate servari posset. Suaque demùm scripta obsignata Secretariis darent, qui eadem illa Sanctitati Suæ integris signis restituerent. Ne porrò jussa sua obliterari, aut aliquâ sui parte minùs religiosè impleri contingeret, hanc abeuntibus Secretariis schedam dedit, propria manu scriptam, voluntatis suæ testem & obsidem.

Unusquisque Consultorum sigillatim, nullâ *Ex Actis Secret.*

de

de hac re inter sese habitâ consultatione, aut propriæ sententiæ manifestatione, ita mentem ad solam veritatem & divini numinis cultum & honorem traducat, ut posthabitis omnibus humanis rationibus, prout causa & controversia de qua agitur, pondus & magnitudo exigit, quâ maximâ fieri poterit brevitate & perspicuitate, scriptis consignet, quæ censuerit esse de fide tenenda, in materia de viribus liberi arbitrii, & de gratia Dei efficaci.

Item distinctè notet & observet singulas propositiones erroneas, quas condemnandas putabit: & breviter ac distinctè assignet potissimas rationes & autoritates, quibus ad ita scribendum inducatur.

Expetitur etiam, ut quodnam sit discrimen in hac materia, inter doctrinam Catholicam & hæreticorum impietatem ostendat: breviter assignando in quo potissimum ratio discriminis consistat.

Notet insuper methodum, quam putabit observandam in Bulla, quæ instituenda erit, seu Apostolica Constitutione: & peculiariter, an in Præfatione fieri debeat mentio Doctorum, qui de hoc argumento libros ediderunt; & utriusque Ordinis, S. Dominici & Societatis: & quæcunque existimabit digna, quæ expendantur.

Denique omnibus & singulis Consultoribus, nomine nostro præscribatur, ut de hoc nostro Mandato & Decreto, aut sententiâ propriâ, nullus eorum cum aliquo alio verba faciat, nec scriptum quod ediderit alicui ostendat; sed illud nobismetipsis exhibeat, aut uni ex Secretariis Congregationis, proprii tamen nominis signo, & sigillis munitum consignet.

Volumus autem ut secretò omnia hæc peragantur, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ; ne judicia & vota Consultorum, quæ nullo modo divulganda censemus, alieni possint innotescere.

PAULUS Papa V.

In hanc curam intenderunt meritissimi Consultores usque ad finem Augusti: quo tempore obsignata uniuscujusque judicia Summo Pontifici data sunt. Uno excepto Antonio Bovio, concors fuit cæterorum omnium de damnandis erroribus opinio; tametsi (ut à mutuis colloquiis abstinuerant) sua quisque sensa, judicia, rationes, pro minervæ & ingenii varietate, non uno modo expressisset.

Rem gratam habuit Optimus Pontifex: ac, ne quid ultra pro rei gravitate desiderari posset, voluit ut iidem Consultores mutuo tandem colloquio doctrinam Pontificio Diplomate sanciendam, quâ majori posset perspicuitate ac brevitate definirent, superiorumque annorum censuras iterùm incudi redderent. Mandata sua Secretariis dedit, die quinta Octobris: quibus Archiepiscopi Armachani ædes designavit, ubi extremi illi congressus haberentur.

Novies solido mense convenerunt: nempe diebus Octobris 19. 25. 26. 30. Novembris 8. 9. 15. 16. & 19. Exhibuit sacro Consessui Archiepiscopus Armachanus Canones à se jam ante elaboratos, quibus superiorum annorum potissimas Censuras brevì comprehenderat; ut in Pontificio Diplomate inscriberentur. Noluit Antonius Bovius sententiam dicere; sed contrariis universo Ordini studiis & opinionibus occupatus, suum de controversiis quæstionibus judicium Pontifici per Epistolas exposuit, mense Julio anni sequentis. Cæteri omnes cum Archiepiscopo Armachano ita pronuntiarunt, ut in Autographo Coronellii, Congregationis Secretarii, legimus, propriis Consultorum subscriptionibus munito prout exhibemus in Appendice. *Num. XIII. pag. 203.*

Finitis Consultorum congressibus, novit Paulus V. ex ipsa Actorum lectione, eorum quidem (si Bovium exceperis) unam esse de damnandis propositionibus opinionem; non omninò tamen in aliquibus exponendis inter illos convenisse. Notatos errores nec satis distinctè dispositos, nec satis nitidè ac breviter expressos judicavit, pro Bullæ Pontificiæ conditione. Eas ergo limari denuò, distinctiorique methodo disponi jussit. Ac, ne tot Censorum collata studia brevitati ac perspicuitati, quas æmulari necessum erat, quadamtenus officerent, provinciam hanc solis Secretariis, & duobus Archiepiscopis demandavit die 23. Novembris 1606. eâ nihilominus conditione, ut suas tandem lucubrationes cæterorum judicio committerent.

Onus lubenti animo susceptum, non sine mora confectum est. In id integro semestri insudatum, ad initium scilicet Maii anni sequentis. Pontificii Diplomatis exemplar delineavit Archiepiscopus Armachanus, in tres, ut ita dixerim, partes distributum. Prima proloquio constabat, ubi multa enarrabat de Pelagianorum erroribus, de sectandâ Divi Augustini ac S. Thomæ doctrinâ, de summorum Pontificum in profligandis divinæ gratiæ hostibus zelo ac diligentiâ. Secunda novem tenendæ & definiendæ doctrinæ capita complectebatur. Tertia propositiones quinquaginta erroris notabat.

Lucubrationis eruditionem & orthodoxiam summopere probarunt Patres Secretarii

cretarii & Archiepiscopus Tranensis: verùm adduci non potuere, ut ei planè assentirentur. 1. Quod tenendæ doctrinæ capita, sana licet & orthodoxa, aliquantulùm obscuriora, ac præter Pontificis voluntatem definita viderentur: utpote qui damnatas dumtaxat propositiones colligi jusserat; nihil de oppositis propositionibus injungens, quas in Catholicas veritates statuere necessum esset. 2. Quòd ex damnandis propositionibus (tametsi justo titulo damnarentur omnes) nonnullæ essent, de quibus obiter tantùm, non ex instituto disputatum erat: aliæ Molinæ quidem sensum, non ipsa tamen verba redderent: aliæ paulò confusiùs & minùs nitidè proponerentur: aliæ tandem quorundam Doctorum essent, quorum judicium Apostolica Sedes Congregationi minimè commiserat. At cùm neutra pars alteri cederet; ex Pontificis jussu ad integrum Censorum Consessum delata res est, die Maii 11. Cardinali Pinello Pontificis voluntatem significante.

Secretariorum judicium probarunt per omnia Consultores. Archiepiscopo Armachano data est optio, ut vel opus suum perpoliret ipse, vel à Gregorio Coronello perpoliri sineret. Assensit Vir Illustrissimus, immò & utrumque simul tentari voluit. Lucubrationem suam secundis curis castigavit, quo tempore illam ipsam seorsim castigaret Coronellus. Nonnulla in capitibus tenendæ doctrinæ emollivit; quibus caput integrum addidit, sexto ordine positum, de modo motionis gratiæ Dei. È damnandis propositionibus resecuit aliquas, quæ ad cæteras facilè revocabantur; alias aptiori methodo & ordine digessit: suamque demùm castigationem, posthabito cæterorum Censorum judicio, Pontifici dedit.

Coronellus è contra, relictis tenendæ doctrinæ capitibus, in unam damnandarum propositionum castigationem incubuit: nec eam ante Pontifici exhibuit, quàm ad cæterorum criterium vocasset. Quater sub lima fuit: primùm die 12. Junii præsente universo Censorum Consessu. Tùm diebus 10. & 11. Julii coram Archiepiscopo Tranensi & Jacobo Bossutio, qui eandem cum Baii damnatione contulere, ne quid illi adversum irrepsisset. Tertiò, die mensis ejusdem 13. coram iisdem Cognitoribus. Quartò demùm, die circiter 20. quâ à singulis Censoribus recognita, probata & propriis scriptionibus communita est.

Secretariorum opus à meritissimis Collegis recognitum probavit Pontifex, & Archiepiscopi Armachani lucubrationi prætulit: quanquàm unum utrobique de damnandis erroribus judicium esset, sola expositione seu enarratione diversum. Transumta ad Emin. Cardinales in Congregationem Auxiliorum ascitos deferri voluit, ut & ipsi constituto tempore sententiam dicerent.

Nos utrumque uno eodemque in schemate subjicimus in Appendice. Ubi præter Bullæ Pontificiæ proludium ac tenendæ doctrinæ capita ab Illustrissimo Armachano secundis curis adornata; tres damnandarum propositionum appendices repræsentamus. Prima damnandas propositiones complectitur, ab eodem primò delineatas: altera easdem illas ab ipsomet castigatas: tertia propositiones à Secretariis digesta, & à reliquis Consultoribus ultimò recognitas, atque à Summo Pontifice probatas. *Num. XIV.*

Hæc omnia distinctè ac minutatim nosse debuerat nugacissimus cavillator, in sua ad Abbatem quemdam Epistolâ, *de novâ Auxiliorum edendâ historiâ*, ne omnia promiscuè ac sine judicio miscens, nullius se cerebri virum proderet. Sunt ergo quatuor hæc plane distincta: 1. Damnandæ doctrinæ Canones, solutis Congregationibus elaborati à die 19. Octobris ad diem 19. Novembris, & ab omnibus Consultoribus, uno excepto Antonio Bovio, subscripti. 2. Propositiones erroneæ, ab Archiepiscopo Armachano primùm digestæ, atque ex præfatis damnandæ doctrinæ capitibus expressæ, ut Pontificio Diplomati insererentur. 3. Eædem illæ propositiones erroneæ ab eodem Archiepiscopo secundis curis castigatæ, ac inverso tantillùm ordine digestæ. 4. Propositiones erroneæ à Patribus Secretariis limatæ, & à reliquis Consultoribus ultimò recognitæ, ab aliis Archipræsulis Armachani ordine tantùm ac pauculis vocibus diversæ; nonnullisque resectis, quæ ad cæteras facilè revocabantur. Hæc porrò ultima propositionum dispositio, meditato Diplomati Pontificio inserta est, utpote cæteris distinctior & accuratior. Cæterùm nemo non videt, tantillam illam Armachani à cæteris Consultoribus dissensionem, non ipsam damnandæ doctrinæ summam spectasse, quam perpetuò, constanter, ad ultimam usque diem erroneam pronuntiaverat, & hac suâ ultimâ lucubratiunculâ denuò proscripserat: sed ordinandarum propositionum methodum spectabat unicè; hacque unâ de causâ Pontifici scripserat, nolle se digestis à Secretario propositionibus subscribere; quòd nempè cæteras à se ipso digestas probaret magis. *Vide §. 6. Præfationis p. XXIII.*

Hæc

Hæc si scivisset novissimus cavillator, non ita pro insulsâ tricandi libidine, vulgata à variis meditatæ Bullæ exemplaria vellicasset; ut Bullæ specimen, vano cujuspiam inter illa repugnantiæ obtentu, fictitium ostenderet: nec Illustrissimum Armachanum, contra manuscriptorum omnium fidem, Molinæ sui Patronis adnumerasset. Novisset enim, viris illis qui paucula causæ hujus documenta ac perfunctoriè dumtaxat evolverant, proclive fuisse, ut alii alias distinctis curis digestas propositiones, aut etiam damnandæ doctrinæ Canones, cum ipsis Censorum chirographis, adumbratæ Bullæ minùs cautè insererent: unde illa in speciem exemplariorum vulgatorum pugna enata est. Sed ab hoc vitio procul hic absumus, qui omnia hæc observavimus minutatim distinximusque in Appendice.

Num. XIV.

Quas verò subdit ineptus cavillator insulsas argutias, ut damnatas inibi propositiones aliquas, orthodoxas ostendat, responsionis honore putamus indignas. Legat ille, si tamen ad intelligenda quæ legit satis valet ingenio, disputationes toto hoc opere enarratas, ubi ea ventilata sunt discussaque dogmata; ut errorem deponat ipse, sapiatque, si potest.

CAPUT DECIMUM-SEXTUM.

Illata ab Leodiensi Scribâ Pontificii Diplomatis Editoribus, injuria repellitur: propositiones erroneæ, de lapsi arbitrii viribus ab iisdem notata, meritò confixa demonstrantur.

*Lettre à M. l'Abbé *** sur la nouvelle histoire des disputes de Auxiliis.*

Tametsi futiles Leodiensis Scribæ cavillationes, in hujusce Operis Præfatione cumulatè retuderim, ut operam ludere videar, si nova in illum signa conferam; præterire tamen hoc loco nefas arbitror, quas hic congessit argutias, ut damnatas meditato illo Diplomate propositiones aliquas, ex D. Thoma petitas, & à Pio V. in suo adversùs Baium Diplomate vindicatas ostendat. Has nec responsione dignas arbitraremur, quòd ne novitium quidem Theologum morari possint; nisi supinam in ea implenda provincia ignorantiam suam, additâ fraude cumulasset. Saxeos nos esse oporteat; si stilo fortè parceremus, dum hæc apud illum verba legimus: *Diploma illud Pontificium, à viris profectò in illo controversiarum genere minùs versatis delineatum fuisse, necesse est; cùm propositiones inibi damnantur, à D. Thoma ipsis etiam terminis propugnata, aliaque nonnulla Baii erroribus ab Summis Pontificibus jam diu proscriptis è diametro repugnantes.* Quis id mortalium putet? Quis credat? nisi suam verboso circulatori vendiderit fidem. Id ergo unde colligat vir egregius, & in isto controversiarum genere versatissimus, expendamus.

Pag. 20. 21.

Primam illam inter quinquaginta propositiones, damnatam exhibet: *Peccatum primi hominis, solùm in donis supernaturalibus nobis nocuit*: cui ea Divi Thomæ verba, ex libro 2. sententiarum, distinctione 30. quæst. 1. art. 1. ad 3. petita è regione ponit, eâdemque veluti staterâ appendit: *Nec homo nec Angelus per peccatum aliquid naturalium amisit, vel in aliquo diminutus est.* At quàm mendaces Filii hominum in stateris! Fidem tuam, mi homo. Itane D. Thomæ verba castrare ac decurtare licuit, ut is cum Molina damnatus ostenderetur; doctissimique Censores, uti minùs in isto argumenti genere versati traducerentur? Redde Thomæ verba, & evanescet calumnia tua: nec modò alienum à Molina tuo probabis Doctorem Angelicum; sed & nullo luculentiori explicatiorique testimonio Molinianum errorem explodi posse, demonstrabis. Ita quippe Sanctissimus Doctor, hoc ipso in loco quem appendis, sed non satis expendis: *Ad tertium dicendum, quòd bona naturalia dicuntur dupliciter. Vel prout sunt in se considerata, secundùm quod naturæ debentur ex propriis principiis; & sic nec homo nec Angelus per peccatum aliquid naturalium amisit, vel in aliquo diminutus est: quia Dionysius etiam integra data naturalia in Angelis peccantibus permanere dicit. Vel secundùm quod ordinantur ad finem ultimum: & hoc modo in utroque bona naturalia quidem diminuta sunt, non penitùs amissa, in quantum uterque factus est minùs habilis & magis distans à finis consecutione. Et propter hoc etiam homo gratuitis spoliatus dicitur, & in naturalibus vulneratus. Lucæ 10. in Glossa.* Quæ ergo hoc loco bona vocat Doctor Angelicus in nullo amissa aut diminuta, non alia certè sunt quàm quæ naturæ ex propriis principiis debentur: facultates scilicet secundùm esse physicum, ut schola loquitur, in seipsis consideratæ. Verùm contra, eadem ipsa dona, ut ad moris ordinem transferuntur, ut ordinantur ad finem ultimum, sin minùs penitùs amissa, certè & diminuta & vulnerata profitetur. Quâ parte profectò Molinam peccasse notum est; dum usque adeò integras lapsi hominis vires effutiebat, ut & vincere tentationes, & præcepta servare, & Deum diligere sine gratiæ subsidio posse, contenderet.

 In

In eundem sensum scribit Doctor Angelicus 1. parte quæst. 85. art. 1. *Bonum naturæ potest tripliciter dici: primò ipsa principia naturæ, ex quibus ipsa natura constituitur, & proprietates ex his causatæ, sicut potentiæ animæ & alia hujusmodi. Secundò ipsa inclinatio ad virtutem est quoddam bonum naturæ. Tertio modo potest dici bonum naturæ, donum originalis Justitiæ, quod in primo homine fuit collatum toti humanæ naturæ. Primum igitur bonum naturæ, nempe principia naturalia & potentiæ, nec tollitur, nec diminuitur per peccatum: tertium verò bonum naturæ totaliter est ablatum per peccatum primi parentis: sed medium bonum naturæ, scilicet ipsa naturalis inclinatio ad virtutem, diminuitur per peccatum.* Quare cum inter oppositæ partis argumenta, pervulgatum illud Dionysii dictum, quo velut Achille Molina nititur, obviam sibi fecisset, ordine primo, *in dæmonibus post peccatum naturalia manserunt integra*, objectam difficultatem ita eluit; *Ad primum dicendum, quòd Dionysius loquitur de bono primo naturæ, quod est esse, vivere & intelligere, ut patet intelligenti.* Quàm procul hæc à Molinæ commento!

Neque verò dubium est, suam illam de naturæ læsione viriumque naturalium imminutione sententiam, ex Augustino derivasse Doctorem Angelicum; ac velut Augustinianæ de Gratia Christi medicinali doctrinæ basim ac fundamentum posuisse. Augustinum enim penè totum exscribat necesse est, quisquis referre velit ex integro, quæ de secutis ex primi parentis peccato vulneribus, plagis, infirmitatibus, suis passim contra Pelagianos editis libris edisserit. Parabolam Samaritani, nedum à latronibus spoliati, verùm etiam adjectis insuper plagis sauciati, ac semivivi relicti, Primo parenti, totique subinde humano generi sexcentis plus minùs locis accommodat. Hincque apud ejus discipulos, Prosperum, Fulgentium, Episcopos in Sardinia exules, Anselmum, Bernardum, ea familiaris sententia fuit, à tanto Magistro derivata: *Ille primus homo, & in ipso humanum genus, spoliatus fuit vestimento caritatis & fidei, carnaliumque concupiscentiarum vulneribus sauciatus.* Apud Fulgentium lib. de Incarnatione & gratia cap. 13.

Rursùs illud Psalmistæ oraculum, *Sana animam meam, quia peccavi tibi*, exponens in Enarrationibus suis, ita in Pelagianos calamum acuit: *Quid sanatur, si nihil est vulneratum, nihil sauciatum, nihil debilitatum atque vitiatum?* Et lib. de natura & gratia Capite 13. *Quid tantùm de naturæ possibilitate præsumitur? Vulnerata, sauciata, vexata, perdita est.* Quibus oraculis, Molinæ paradoxum, uti Pelagianæ sententiæ fermentum exagitat. Cùm etenim Pelagiani eas humanæ naturæ vires, agendique possibilitatem, non quasi ex justitia originali progerminantes obtruderent, sed ex ipsis puræ naturæ principiis derivarent; necesse profectò est Augustinum, vulneratam sauciatamque naturam in iis ipsis naturalibus donis intellexisse, de quibus eum inter & Pelagianos quæstio vertebatur.

Quo sensu Concilium Tridentinum initio Sessionis sextæ, *Tametsi liberum arbitrium*, inquit, *in Ada prævaricatione minimè exstinctum sit, viribus tamen attenuatum & inclinatum est.* Secundùm eas igitur naturæ vires, attenuatum est liberum arbitrium, secundùm quas exstinctum non est: At secundùm vires supernaturales, ex donis gratiæ sobolescentes, exstinctum esse in Adamo liberum arbitrium arbitrium, ne quidem Moliniani diffitentur. Secundùm ergo naturæ vires attenuatum illud inclinatumque fateri necessum est, nisi planè velimus Concilii Tridentini definitioni repugnare.

Hæc si seriò perpendisset Leodiensis Scriba, aut si ad ea intelligenda satis valuisset ingenio (quantum enim ex ejus objectionum levitate opinari licet, novitium illum Theologum arbitror, ac nuper centuriatum Molinianæ militiæ velitem puto) nullam Molinæ suo ex lata Censura irrogatam injuriam existimasset, nec Doctoris Angelici testimonium decurtasset; ut illum æquis cum Magistro suo ponderibus appenderet.

Sed neque minùs dolosam stateram tenuit, dum alteram appendit Molinæ propositionem: *Vires naturales liberi arbitrii, tales prorsùs secundùm se in nobis post peccatum manserunt, quales illas essemus habituri, si homo fuisset conditus in statu merè naturali*: quam idcircò injustè petitam ait, quòd alteri Baianæ repugnet ex diametro: *Deus non potuisset ab initio talem creare hominem, qualis nunc nascitur.* Quasi verò non possint duo excessu contrario peccare, & ob pugnantes atque extremos errores, æquâ perinde censurâ peti? Pelagianos Manichæis repugnantes nemo nescit: absit tamen ut illos idcircò absolutos velimus: *Si diligendi sunt Pelagiani, quia oderunt Manichæos, profectò diligendi sunt. Manichæi, quia oderunt Pelagianos*, aiebat aliàs Augustinus. At nec se dialecticum satis prodit, nec Baii sensum satis capit, quisquis hoc in scirpo nodum quærit.

quærit. Tantùm enim abest, ut ex contradictionis lege pugnent propositiones illæ duæ (ut unâ damnatâ, absoluta altera censeri possit) quin potiùs inter sese planè dissitæ sunt, & in materia disparatâ, ut Dialectica loquitur, ambæ versantur. Baius enim, non potuisse Deum asserebat, talem ab initio hominem condere, qualis nunc nascitur, hoc est, sine justitiâ originali & gratiâ sanctificante, quam humanæ naturæ debitam affirmabat, juxta alteram istam assertionem, à Pio V. notatam, *Humanæ naturæ exaltatio in consortium divinæ naturæ, debita fuit integritati primæ conditionis; ac proinde naturalis dicenda est, & non supernaturalis.* Molina verò, nedum sine justitia originali & gratia sanctificante potuisse hominem condi defendit (qua parte cum Baio ex justa contradictione pugnasset, nec censuram propterea meruisset) sed ab eo instituto longè digressus, nasci nunc hominem dicit, iisdem naturalibus viribus instructum, quales erat habiturus, si in pura naturâ conditus esset: quasi ex originalis peccati labe nullum esset in humana naturâ vulnus consequutum. Quod quàm falsum sit, quàm absonum, quàm censurâ dignum, satis me arbitror demonstrasse.

Unum hìc obiter monere juvat; diu me multumque doluisse, quòd cernerem Joannem Baptistam Gonetum, recentium Thomistarum facilè Principem, his demùm temporibus, in eam Molinianæ scholæ laxitatem incautè & incircumspectè declinasse, nec animadvertisse satis, quantum Angelica Schola adversùs illud doctrinæ monstrum, in celeberrimis Auxiliorum Congregationibus, tanquam pro aris & focis, coram Apostolica Sede decertasset. At multis tandem lætitiis incessi, dum mutatam ab illo sententiam vidi in quarta Manualis Thomistici Editione, quam morti proximus recognovit, & Lugduni anno 1681. apud Anissonios edi curavit: Ubi *re*, ut ait paginâ 218. *maturiùs discussâ & attentiùs ponderatâ*, veram omninò sententiam agnovit, quæ hominem nedum originali peccato spoliatum gratuitis docet, verùm etiam in naturalibus vulneratum: atque idcircò longè minores esse vires in homine lapso, quàm fuissent in homine puro.

Tract. 8. de homine cap. ult.

Nihilo feliciùs quartam Molinæ propositionem ad trutinam vocat: *In statu naturæ lapsæ potest homo cum solo concursu generali Dei, efficere opus bonum morale, quod in ordine ad finem hominis naturalem sit veræ virtutis opus, referendo illud in Deum, sicut referri posset ac deberet in statu naturali:* quam is à Pio V. absolutam existimat, eadem ipsâ damnatione, quâ septuagesimam-sextam è Baianis confixit: *Cum Pelagio sentit, qui boni aliquid naturalis, hoc est, quod ex naturæ solis viribus ortum ducit, agnoscit.* Minùs hic profectò æquabilem libram tenet Molinianus Actor. Quod rei summam conficit, & Molinæ propositionem exosam facit, in altera lancis parte desideratur, *quod sit veræ virtutis opus.* Baiana ergo propositio idcircò ferulam meruit, quòd in ea nihil boni naturalis ex solis naturæ viribus proficisci sic diceretur, ut omne quod agit peccator aut servus peccati, peccatum esset; ut altera è notatis propositionibus ferebat. Id unum si Molina negasset, non virgâ, sed laude suâ dignus esset. At imis summa miscens, in extremum errorem abiit, ac bonum etiam morale, quod veræ virtutis opus esset, sine Dei gratia præstari posse commentus est. Sua illum Theologia delusit, ut nihil inter hæc medium agnosceret; bonas dispositiones & inclinationes, nec non etiam actus ad vitæ civilis honestatem attinentes medio stare loco, non satis novit: idque omne veræ virtutis opus putavit esse, quod peccato vacaret. Errorem D. Thomæ lectione deposuisset, 1. 2. quæst. 65. art. 1. in corp. & ad 1. si legere libuisset.

Verùm cùm hæc aliaque ad priores duas alteras propositiones attinentia Dominicanus interlocutor cumulatè in publicis Congressibus occuparit, nebulas quas ex corrasis undecunque D. Thomæ testimoniis veritati offundere Moliniani nitebantur, opportunè depulerit; tritasque illas ex Pii V. Diplomate petitas criminationes diluerit sæpè numero: ad superioris Libri lectionem Scribam Leodiensem mittere satis est, ut sua jam pridem obtusa tela recognoscat.

Quidni quoque reponamus, ad juris cumulum, tametsi suffugia quærere non est opus, nonnullas Baii propositiones aliquo pacto sustineri posse in rigore & proprio sensu verborum ab Autore intento; nec nisi propter acerbitatem censuræ, quâ partis adversæ doctrinam sugillant, & scandalum quod ingenerare aliis possent, Pontificiam damnationem meruisse? Id ultimis Diplomatis verbis significari, jam notum est: *Quas quidem sententias, stricto coram nobis examine ponderatas, quanquam nonnullæ aliquo pacto sustineri possent in rigore & proprio verborum sensu ab Assertoribus intento, hæreticas, erroneas, suspectas, temerarias, scandalosas, & in pias aures offensionem immittentes, respectivè, & quæcunque super iis verbo scriptoque emissa, præsentium autoritate damnamus,* circum-

circumscribimus & abolemus &c. Quanquam enim de hujusce Pontificiæ damnationis sensu, diu aliàs atque multum ægris animis certatum sit, prout quisque ex affectu partium interjectæ virgulæ sedem figeret; ut vel Baii sensum, quoad nonnullas propositiones, in tuto ponerent, vel configerent confidentiùs: finitam jam tandem causam existimo, quo ex tempore inter M. SS. Codices Bibliothecæ Clarissimi Viri Boiloti, Abbatis S. Vincentii Bisuntini, inventa sunt Autographa ipsa mutuarum Epistolarum Cardinalis Granvellani, & D. Maximiliani Morillonii, ejusdem Vicarii Generalis, & postea Episcopi Tornacensis; qui totum illud damnationis in Baium latæ negotium apud Sedem Apostolicam & Lovaniensem Academiam pertractarunt, Baiumque ad parendum judicio Pontificio piis officiis adduxerunt. Epistolas publici juris fecit, ante annos aliquot, Autor Documentorum ad Historiam Academiæ Duacensis pertinentium, suisque ad illas eruditis observationibus rem hactenùs subobscuram meridiana in luce posuit.

M. Boisot.

Interpunctionem, qualem hìc exhibemus invictis documentis & rationibus fixit, nihil ut desiderari ultra possit.

Primum ex Cardinalis Granvellani Epistola petitur, datâ die 13. Novembris 1567. Clarissimo D. Maximiliano Morillonio Vicario suo Generali; quacum Bullæ Pontificiæ Autographum transmittebat, mandans Pii V. nomine, ut eam cum Baio totâque Academia Lovaniensi communicaret. In hac porro, Pontificiæ clausulæ sensum his verbis exponit, stilo, ut ea ferebat ætas, minùs terso, ac penè jam apud Gallos obsoleto. *S'est examiné l'œuvre par gens sçavants de plusieurs nations; lesquels uniformement ont censuré plusieurs propositions trouvées dedans le livre, en la forme que vous verrés par la Bulle de N. S. Pere le Pape, que je vous envoie avec cette: declarant lesdites propositions annotées, aucunes erronées, autres suspectes, autres scandaleuses, autres jaçoit se puissent en rigueur interpreter en quelque sens pour les excuser, donnent toutefois offension à gens pieux qui les lisent. Et s'est faite cette condamnation ainsi generale avec l'adjunction du mot* Respectivè, *pour plus de douceur. Et comme vous verrés, Sa Sainteté me commet d'y faire ou par moi, ou y emploiant autres, ce que je trouverai convenir pour, la dignité de la Religion sauve, pourvoir doucement au mal que de ceci pourroit succeder* &c. Quod ita Latinè reddas: *Baii Opus à viris diversarum nationum eruditis examinatum est, qui uno consensu multas in eo libro Propositiones censurâ notarunt, ut ex Pontificis Diplomate, quod hic adjunctum transmitto, observare poteris; quo dictæ Propositiones adnotatæ pronuntiantur, nonnullæ quidem erroneæ, aliæ suspectæ, aliæ scandalosæ, aliæ, tametsi in rigore aliquo sensu exponi possint, ut excusentur, pios tamen Lectores offendunt. Generalis damnatio lata est, eaque etiam additâ voce,* Respectivè, *ut eo pacto temperaretur. Caterùm, ut observare ipse poteris, hanc mihi curam imposuit Sanctitas Sua, ut quidquid, salvo tectoque Religionis jure, temperamenti afferri posset, ad futura mala præcavenda, id omne operâ meâ vel alienâ tentarem.* Quo nihil opinor luculentius, nihil ad dirimendam litem efficacius.

Alterum ex Clarissimi Morillonii Epistola desumtum est, die 2. Junii 1569. ad eundem Eminentissimum Cardinalem; quâ cum ista de Michaele Baio monebat: *Il me dit qu'il étoit prêt d'obeir, & se mit à genoux pour l'absolution. Je lui dit, que je lui bailleroie, pourveu qu'il abjura. Il me demanda, que chose il abjureroit. Je lui dits, Les Propositions reprouvées par Sa Sainteté. Il se leva, & dit qu'il ne le pouvoit faire, s'il n'avoit copie de la Bulle; pour être par icelle dit, que aucunes Propositions seroient soutenables,* in rigore & proprio verborum sensu. Hoc est: *Dixit paratum se esse ad obediendum, ac genua submisit, ut absolutionem acciperet. Hanc me illi daturum dixi, modò ejuraret. Quæsiit quid esset ejuraturus: Respondi, Propositiones à Summo Pontifice reprobatas. Tunc erexit se, & ait id se præstare non posse, nisi Diplomatis transumtum haberet; quòd in eo scriptum esset nonnullas Propositiones defendi posse in rigore & proprio verborum sensu.* Ad quæ Baii nihil reposuit Vir Clarissimus, ut illum eâ parte delusum significaret, alterumve Diplomatis sensum, ob virgulam præponendam innueret: suoque idcircò silentio assensus est. Quis enim stipitem illum dicat, qui nihil Pontificii Diplomatis interpolatori reposuisset, cujus illi Pontificis nomine exsecutio demandata erat?

Tertium est, solenne Instrumentum Academiæ Lovaniensis, quo Morillonii pro urgenda Bullæ Pontificiæ exsecutione Legationem agnovit; ipsamque Bullam Pontificiam excepit die 29. Decembris 1567. cujus hæc ad præsens institutum verba sunt. *Decanus pro tempore Facultatis S. Theologiæ in Universitate Lovaniensi, omnibus & singulis præsentes Litteras inspecturis, Salutem in Domino. Notum vobis facimus, quòd die data præsentium, indictâ ad hoc specialiter Congregatione dictæ Facultatis, comparuit*

paruit coram nobis R. D. Maximilianus Morillonius Præpositus S. Petri Ariensis, & Illustrissimi & Reverendissimi D. Cardinalis Granvellani Archiepiscopi Mechliniensis Vicarius Generalis. Qui ibidem exposuit brevi se accepisse Bullas Apostolicas S. D. N. Pii Papæ V. expeditas Romæ, calendis Octobris ultimò præteritis, Pontificatus sui anno 2. quibus certæ sententiæ & scripturæ proloquia & disputationes damnantur respectivè, tanquam erroneæ, hæreticæ, scandalosæ, & piarum aurium offensivæ: quanquam earum nonnullæ aliquo pacto sustineri possent in rigore & proprio verborum sensu ab Assertoribus intento; quibus pauci aliqui Magistri hactenùs in nostra Schola novo more usi ferebantur. Quarum Litterarum exsecutionem, &c. Quis porrò sibi persuadeat Academiam Lovaniensem, sub ipsis Summi Pontificis Administri oculis, ac præsentibus Baii adversariis, clausulam publico suo Instrumento supposuisse, quæ Pontificii Diplomatis sensum inverteret?

Quartum ex Cuneri Petri suffragio desumtum est, eo in Opere quod anno 1571. ad Pontificii Diplomatis defensionem elaboravit. Is scilicet præfatur, quo pacto Diploma Pontificium Academiæ Lovaniensi, in publicis Comitiis, quibus & præsens adfuerat, denuntiatum esset anno 1567. ac de sententiis Diplomate damnatis, hæc habet: *Quas quidem sententias stricto coram nobis examine ponderatas, quanquam earum nonnullæ aliquo pacto in rigore & proprio verborum sensu ab Assertoribus intento sustineri possent, tanquam erroneas tamen & hæreticas, & quæ scandalum & offensionem in pias aures immittant, damnamus & abolemus.* &c. Tum postea propositiones omnes ex ordine recenset, hoc præmisso titulo: *Sententiæ quædam à Sede Apostolica damnatæ & abolitæ: ita ut, quanquam earum nonnullæ aliquo pacto in rigore & proprio verborum sensu ab Assertoribus intento sustineri possent; erroneæ tamen, hæreticæ, & quæ scandalum & offensionem in pias aures immittant, respectivè prohibitæ.*

Cætera, quibus hoc ipsum conficitur, momenta petuntur, ex nonnullis illius ætatis Epistolis, variisque Bullæ Pontificiæ Codicibus, cùm cusis tùm manuscriptis, præsentis ac superioris etiam seculi; quibus in eundem omninò sensum, effertur clausula tandiu controversa. Quæ omnia missa facimus, ne suffugia ad inanes Leodiensis Scribæ cavillationes diluendas, quæsisse videamur.

CAPUT DECIMUM-SEPTIMUM.

Altera ejusdem Leodiensis Scribæ in eosdem Diplomatis Editores criminatio refellitur. Novum de naturali Beatitudine Pueris sine lavacro decedentibus conferendæ Paradoxum, justâ censurâ petitum ostenditur.

ET hìc rursùs adoriundus mihi est Scriptor Leodiensis. Criminationem hactenùs inauditam instruit verbosus cavillator, quâ Pontificii Diplomatis Editores incusat; quasi Molinæ propositiones, de quibus nusquam in tota hujusce causæ tractatione disputatum esset, inter errores Pontificio Diplomate proscribendos intervenissent. *Inter quinquaginta Propositiones*, inquit, *quæ eo in Diplomate censurâ notantur, multæ sunt, de quibus nusquam examen instructum est. Sic de tertia propositione, quæ de pueris sine lavacro regenerationis morientibus agit, nulla unquam disputatio fuit tum privatis illis Congregationibus anno 1601. celebratis, tum aliis solennioribus quæ præsentibus ipsis Pontificibus, secutis annis institutæ sunt.* Quod ut semel tanquam exploratam veritatem suppoluit, multa nugatur; ut vel Societati suæ irrogatam injuriam probet, quæ tametsi minùs audita, erroris tamen damnata sit; vel certè Diplomatis specimen ubi indiscussæ propositiones erroris notarentur, à malevolis fabricatum ostendat. Pag. 22.

Quid ea criminatione sibi velit novus iste Molinianæ militiæ centuriatus miles, satis intelliget, quisquis propositionem tertiam, cujus occasione de adumbrati Diplomatis Editoribus expostulat, his verbis expressam observabit: *Parvuli sine Baptismo decedentes, meliorem post diem judicii vitam, vitio omni mentis & corporis immunem in perpetuas æternitates ducent, quàm ullus unquam mortalium duxerit.* Quæ totidem terminis, aliisque etiam laxioribus legitur apud Molinam, in CONCORDIA, quæst. 23. art. 4. & 5. mem. 9. *Parvuli reprobati perinde se habent, ac si in solis naturalibus fuissent constituti: immò post diem Judicii, cùm ipsorum animæ suis fuerint corporibus restitutæ, ab omnibus molestiis & ærumnis, quibus in hac mortali vita subjacemus, supernaturaliter liberabuntur, melioremque in naturalibus vitam, vitio omni mentis & corporis immunem, in perpetuas æternitates ducent, quàm ullus unquam mortalium duxerit.* Nemo enim, nisi planè in re litterariâ sit hospes, aut eas fortè novi Orbis Regiones incolat, quæ nobis adversa vestigia ferunt, non agnoscit, tantò nunc acerbiorem Molinianis esse hu-

jusce propositionis damnationem, quantò eminentioribus ad eam tuendam titulis communiti, novisque viribus aucti videntur, quo ex tempore novus Nodi Prædestinationis Dissolutor, obsoletas illas opinationes, aliasque laxiores magni nominis umbrâ tegit ac fovet. At uti nil veritati præscribunt spatia temporum, ita nec patrocinia personarum. Novo Dissolutori coram Apostolica Sede, à Religiosissimis doctissimisque Galliæ Præsulibus dicta dies est. Nec verendum, ne quæ Clementi VIII. & Paulo V. opinionum portenta visa sunt, Innocentio XII. probentur.

Cardinal. Cœlest. in. Sfondratus

Interim dum æquissimi Pontificis judicium exspectatur, quàm turpiter in ea instruenda criminatione cespitarit Leodiensis Scriba, demonstrare, nostrarum hìc partium arbitramur, seu facti seu juris quæstionem ingredi velit: ne quid fortè lucis, ad novum istud examen instituendum, desiderari à nobis possit.

Ac primò quidem, quod facti quæstionem attinet; de pueris sine lavacro Regenerationis mundo sublatis, præsente Clemente VIII. disputatum esse, sin minùs ex instituto, saltem ex occasione, palàm fecimus Libro III. dum Nonæ Congregationis Acta, compendio daremus ex Secretarii Commentariis. Ostendimus quippe Lemosium die 2. Septembris 1602. de victoriâ tentationum disputantem, eò demùm devenisse, *Ut peccatum originale à Molina reipsâ negatum demonstraret, in* CONCORDIA *quæst.* 23. *art.* 4. *&* 5. *memb.* 9. *ubi pueros sine baptismo morientes, vitam meliorem habituros defendit, omni mentis & corporis vitio immunem, perinde ac si in puris naturalibus conditi fuissent.* Quòd hæc paulò fortasse secretiora nesciverit Leodiensis noster, non illi quidem vitio vertimus; sed quòd ista cùm nesciat, Secretariorumque Commentarios nusquàm legerit, tanta nihilominùs fiduciâ pronuntiet. Neque tamen illi secretiores Congregationum istarum tabulas evolvere opus erat, ut ea de re disputatum disceret: satis illi, si Thomam de Lemos legisset in editis, tomo 1. de læsione liberi arbitrii per peccatum originale cap. 22. ubi nedum eam Molinæ sententiam prolixiùs oppugnat, verùm etiam quid de ea sentiret Clemens VIII. quid in ejus defensionem reposuerit Societatis Actor, minutatim exponit; quæ certè vir probus, si nulla fuisset ea de re disputatio, nusquam scribere ausus esset. *Quæ omnia*, inquit, *cum coram felicis recordationis Clemente VIII. proposita & examinata fuissent, idem Pontifex Maximus publicavit, quod notum Romæ ac manifestum fuit, ex sententia Molinæ & sectatorum ejus convinci ipsum non admittere, originale peccatum veram culpam in parvulis esse, nec veram rationem culpæ habere. Nec obest, si dicatur, sicut aliquando Gregorius de Valentia dicebat, damnatam esse sententiam promittentem parvulis, sine baptismo decedentibus æternam vitam supernaturalem extra Regnum Cælorum. Primo, quia Pelagiani nunquam dixerunt, vel imaginati sunt, dari sine baptismo parvulis æternam vitam supernaturalem.* &c. Quidni ergo, ea de re ex occasione saltem disputatum asseramus?

Ex occasione dico; quippe ex instituto, ac præscripto ab Summo Pontifice hujusce concertationis themate, disputatum non esse, satis scio. Unde & effectum est, ut tantilla illa inter Dominum Armachanum, & reliquos Consultores in ordinandis erroneis propositionibus enata discordia fit. Armachanus enim, quòd de ea propositione disputatum esset ex occasione saltem, errorem que manifestum præ se ferret, hanc inter damnandas assertiones repositam voluit: alii, quòd nulla ex instituto, præscriptoque Pontificis ad illius examen Congregatio habita fuisset, missam illam contendebant. Cæterum (quod notare hic operæ pretium est, & retundendæ Leodiensis Scribæ dicacitati plus justo sufficit) illi ipsi Censores, qui eam idcircò assertionem omittendam existimabant, quòd singularis de illa tractatio ex instituto facta non esset, hanc tamen & esse Molinæ, & esse manifestè erroneam declararunt in Animadversionibus Paulo V. die vigesima-quarta Junii datis, quibus suum de damnandarum propositionum Elencho per D. Armachanum digesto, judicium protulerunt. *Observarunt* (Consultores omnes) *ex prædictis propositionibus, aliquas quidem esse Molinæ* ET MANIFESTE ERRONEAS; *sed neque in disputationibus anno* 1601. *neque in Concertationibus habitis primùm coram felicis recordationis Clemente VIII. postea vero coram S. D. N. Papa Paulo V. fuisse agitatas*, videlicet ex professo. Ac tum postea tertiam illam, quæ de parvulis est, obelo notant, uti delendam ex ordine.

Exstat in vol. Actor. Cong. sub Paulo V.

Ut quid ergo illatam Molinæ suo injuriam obtendit Leodiensis Epistolæ consarcinator; cùm ea de re quæstio saltem ex occasione incidisset, ne inauditus damnari dici posset? Immò magnâ cum illo indulgentiâ actum fatebitur, si verè sapit, dum intelliget, propositionem omnium Censorum judicio manifestè erroneam, ob id unum è damnandarum propositionum Elencho

cho expunctam esse, quòd singularem de ea disputationem non indixisset Romanus Pontifex. Etenim misso illo, quem D. Armachanus digesserat, propositionum Indiculo, alter à Secretariis digestus (à quo ea de parvulis propositio procul abest) acceptus est, & meditato Pontificio Diplomati insertus.

Jam quod alteram, quæ juris est, quæstionem spectat, Num scilicet eam Molinæ sententiam velut *manifestè erroneam* jure damnarint universi Censores; dicam hìc paulò fusiùs, ut & vanas criminationes eluam, & Illustrissimi Remensium Archiepiscopi Judicium, quo vanum illud Molinæ Paradoxum, ne quidem ex Ecclesiæ tolerantiâ permitti nuperrimè pronuntiavit, in tuto ponam.

In Instit. Pastor.

Ac statim, ne de Purpurati Dissolutoris patrocinio superbiant Moliniani, absonumque illud Magistri sui figmentum in Purpuræ tutelam ac fidem receptum existiment; notare initio lubet, quàm acrem in illud censuram tulerint tria Purpurati Ordinis lumina, quibus recentem Dissolutorem, quod rerum Theologicarum peritiam attinet, conferendum nemo dixerit.

Prodit primus in ordine Robertus Bellarminus, cujus judicio non stare, Societati religio sit. Is tomo 3. Controversiarum lib. 6. de statu peccati, qui & tertius est de peccato originis, errorem hunc ab Ambrosio Catharino primò procusum, tribus primis Capitibus exagitat, uti Pelagianæ doctrinæ caput, atque etiam hæresim manifestam. *Altera sententia*, inquit cap. 1. *paulò quidem minùs liberalis, sed tamen valde mitis, fuit illorum qui parvulos non baptizatos excludebant à Regno Cœlorum, & vitâ beatâ Sanctis promissâ; tamen eis dabant vitam æternam & naturalem beatitudinem, sine ulla molestiâ aut dolore, extra Regnum Beatorum, & procul à carcere damnatorum; hoc est, in loco medio inter gehennam & Cœlum, qualis locus vix potest fingi alius, quàm terræ convexum. Ita sensisse olim Pelagianos, docet S. Augustinus in libro de hæresibus cap.* 88. Nam, *inquit*, etiamsi non baptizentur, promittunt eis extra Regnum quidem Dei, sed tamen æternam & beatam quandam vitam suam. *Quòd autem per Regnum Dei intelligat Augustinus, non solùm domum cœlestem, sed etiam visionem Dei; & quod Pelagiani non promiserint parvulis non baptizatis vitam æternam supernaturalem, quæ consistit in visione Dei, sed solùm vitam æternam, sive beatitudinem naturalem, perspicuum est, ex lib. 5. in Julianum cap. 8. ubi Augustino teste, Pelagiani alienabant parvulos non baptizatos à vita Dei, cùm alienarent à Regno Dei. Quid est autem vita Dei, nisi visio Dei? Sed neque Regnum Cœlorum in Scripturis aliud significat, nisi felicitatem æternam, quæ in Dei visione consistit...... Itaque Pelagiani non vitam æternam simpliciter, sed, ut Augustinus loquitur, quandam suam vitam infantibus non baptizatis promittebant. Ad quem errorem proximè accessisse videtur Ambrosius Catharinus, in libro De statu Puerorum sine baptismo decedentium, Albertus Pighius in prima controversia, & Hieronymus Savonarola in libro de Triumpho Crucis. Docent enim infantes sine baptismo morientes, futuros post Judicium beatos naturali Beatitudine, & in quodam veluti Paradiso terrestri, perpetuò feliciterque victuros.*

Tùm initio Capitis secundi ita distinctiùs censuram distringit. *Ex enumeratis sententiis prima & secunda* (Pelagianorum scilicet & Catharini) *non solùm falsæ, sed etiam* HÆRETICÆ *existimandæ sunt. Et contrà, fide Catholicâ tenendum est, pueros sine baptismo decedentes, absolutè esse damnatos; & non sola Cœlesti, sed etiam naturali beatitudine perpetuò carituros.*

Quod Molinam cæteris hujus erroris, atque etiam hæreseos, ut loquitur, Assertoribus non adnumerarit Bellarminus, non est cur miretur aliquis: nondum enim vulgatus erat CONCORDIÆ liber, dum suum ille Controversiarum Opus absolverat. Hæresim tamen ipsam notasse ac confutasse satis est. Mirandum longe minùs, quòd Alphonsum Salmeronem, alterum Societatis Theologum, inter eosdem fabulatores non adnotarit, tametsi is lucubrationes suas absolvisset, jam ante annum 1585. quo diem suum obiit; cùm nonnisi longè post obitum, ac post vulgatas Bellarmini Controversias, publici juris esse cœperint, Coloniæ Agrippinæ typis editæ anno 1612. clariora quippe sunt Salmeronis verba, tomo 13. lib. 2. in Epistolam ad Romanos disp. 48. quàm ut Bellarminum latere potuissent, si dum is sua scriberet, Concellitæ sui opus vulgatum esset. *Resurgent*, inquit, *pueri per Christum: & super beatitudinem naturalem, quæ quotidie proficient in cognitione operum Dei, & substantiarum separatarum, visitationes habebunt Angelicas, & tanquam nostri rustici hanc terram incolent. Ut qui medii sunt inter gloriam & supplicium, sint etiam medio in loco; & ut appareat magnitudo & excellentia felicitatis naturalis.* Tum subinde objecto sibi Sancti Augustini testimonio, qui libro de Anima & ejus origine, necnon tract. 67. in Joannem, ad hæresim Pelagianam spectare ait ten-

sententiam illam, *quæ non baptizatis parvulis inter damnationem Regnumque Cœlorum, quietis vel felicitatis cujuslibet, aut ubilibet, quasi medium locum adpromittit*; Respondet excessisse hac occasione Augustinum, *nec ex Ecclesiæ Traditione* locutum; sed confidentiùs.

Roberto Bellarmino in eo explodendo & confutando errore, dat manus Emin. Cardinalis de Laurea disp. 27. de statu parvulorum, articulo 3. num. 40. *Parvuli*, inquit, *cum originali peccato decedentes, positivè damnandi sunt. Est communis & ex fidei principiis colligitur.* Sub finem verò articuli 7. controversiam illam ita concludit. *Fateor meam inscitiam, non potui aliquem Scripturæ locum, vel Sanctum antiquumque Patrem invenire, qui parvulos cum originali collocet extra infernum, in loco tertio. Libenter ei adhærerem, & maximè si loco Scripturæ esset innixus. Quod dicunt nostri moderni, huc usque censeo inane, novum, & ridiculum: nempè de statione, habitaculo & deambulatione super terram. Unde id habent? Quis eis revelavit? Tolerabilior mihi videretur sententia de Inferno superiori, seu ut dicit Augustinus, orâ inferni, ac lymbo; quia minùs recedere videtur à Scriptura. Et si antiqui alicujus Patris, vel Ecclesiæ Doctoris mihi innuatur sententia, cui alii antiquiores non refragentur, libenter ei acquiescam. At neque in hoc puncto, superioris seu oræ ac lymbi inferni aliquid invenio apud antiquos Ecclesiæ Doctores. E contrà autem, Scripturam ubique de loco ignis & inferno, pro omni damnato loquentem observo, & Patres primæ notæ idem confirmantes, & Ecclesiam ipsam pro solo originali infernum decernentem. Ideò non possum in conscientia, ab hac, quam puto veram, sententiâ recedere; nisi aliud me doceat Sancta Mater Ecclesia, cujus Magisterio innotescit Principatibus & Potestatibus multiformis gratia Dei.*

Duriore longè Censurâ insulsum illud Molinæ Paradoxum percellit Cardinalis Henricus de Noris, ac Pelagiano errore multò deterius pronuntiat in Vindiciis Augustinianis cap. 3. §. 5. ubi post relatum, multisque confutatum argumentis Pelagianorum errorem, quo pueris necdum sacro lavacro tinctis medium quemdam felicitatis locum concedebant, ita demùm in Scholasticos sermonem convertit: *Et tamen videmus plures scholasticos beatitudinem naturalem perfectissimam, citra dolores & tristitiam parvulis promittere extra Regnum Dei: quorum sententia minùs tolerari potest, quàm illa Pelagianorum: quia isti contendebant infantes esse innocentes, & nullâ culpâ coinquinatos: unde non adeò grave absurdum videbatur, quandam eis felicitatem præparare; cùm tamen Scholastici, nec ignobiles, asserant cum Ecclesia Catholica; pueros esse originali labe infectos, sub potestate dæmonis, filios iræ; nec postea dubitent, eisdem beatam quandam vitam promittere.* Et postea, multis interjectis antiquæ Traditionis monumentis, quibus S. Augustini sententiam de pœnâ sensibili pueris infligendâ, vindicandam sibi sumit, ita demùm colligit: *Hæc itaque antiqua Ecclesia ac Sanctis Patribus, de infantium pœnis sententia stetit, donec post ducentesimum supra millesimum annum Christianæ Epochæ, novæ opiniones à Scholasticis procusæ sunt. Qui si in Patrum voluminibus tantum studii ac laboris posuissent, quantum Aristoteli explicando impenderunt, profectò S. Augustini sententiam non obduxissent, neque eorum plerique Pelagianorum opinionem, quòd naturalem illam puerorum beatitatem attinet; hominum mentibus tam altè infixissent.* Hæc Eruditissimus Augustinianæ doctrinæ Vindex, idemque sacri Senatus Lumen clarissimum.

Quam justè porrò de eo quorundam recentiorum Paradoxo pronuntiarint Eminentissimi Theologi, cæterique Congregationum istarum Censores ab Apostolica Sede constituti, iis manifestum fore arbitror, qui quatuor Ecclesiasticæ Traditionis ac fidei capita, quibus error iste in antecessum obtritus est, animo defixerint.

Primum est, post extremum & universale Judicium, nullum præter Regnum Cœlorum & inferos Damnatorum, medium fore locum, ubi pueri sacro lavacro non abluti sedem figant, ubi vivant. Ita planè D. Augustinus Ecclesiæ contra Pelagianos partes agens, lib. 1. de peccat. meritis & remiss. cap. 28. *Nec est ullus medius locus, ut ipse possit esse nisi cum diabolo, qui non est cum Christo. Hinc & ipse Dominus volens auferre de cordibus malè credentium, istam nescio quam medietatem, quam conantur quidam pueris non baptizatis tribuere, ut quasi merito innocentiæ sint in vitâ æterna: sed quia non sunt baptizati, non sint cum Christo in regno ejus, definitivam protulit ad hæc ora obstruenda sententiam; ubi ait,* Qui mecum non est, adversùm me est.

Rursùs Sermone 14. de verbis Apostoli, post relatam Christi judicantis sententiam, *Ite in ignem æternum, qui paratus est Diabolo & Angelis ejus..... Venite benedicti Patris mei, percipite Regnum,* ita Pelagianos exagitat: *Hanc regnum nominat, hanc cum diabolo damnationem. Nullus relictus est medius locus, ubi ponere queas infantes. De vivis &*

& mortuis judicabitur; alii erunt ad dexteram, alii ad sinistram. Non novi aliud: qui inducis medium, recede de medio.... Qui non in dexterâ, procul dubio in sinistra: ergo qui non in regno; procul dubio in igne æterno. Quibus similia habet lib. 1. de peccat. meritis cap. 23. lib. 2. de peccato originali cap. 21. Epist. 106. ad Paulinum. lib. 5. contra Jul. cap. 8. in Enchir. cap. 93:

Hanc verò sententiam, quâ parvulos, secluso medio, ad partem alterutram collocandos, & cum reliquis extremo die judicandos asserebat, ut vel regnum obtineant, vel in æternum ignem abeant, non uti opinione liberam tuebatur, sed uti Catholicæ fidei dogma. Hinc lib. 1. de origine animarum cap. 9. *Non baptizatis parvulis*, inquit; *nemo promittat inter damnationem regnumque Cœlorum, quietis vel felicitatis cujuslibet, atque ubilibet, quasi medium locum: hoc enim eis etiam heresis Pelagiana promisit.* Quo loco distinctiones omnes variarum felicitatum exclusit. Et libro De hæresibus ad QuodvultDeum; hoc inter cætera Pelagiani erroris capita collocat: *Etiamsi pueri non baptizentur, promittunt eis extra regnum quidem Dei, sed tamen æternam beatam quandam vitam suam.* Rursùm Epistola 107. ad Vitalem; dogma illud, à se toties contra Pelagianos vindicatum, inter eas sententias reponit, *quas ad fidem Catholicam pertinere nemo negat.* Ac tandem Tractatu 67. in Joannem: *Respuendi sunt à corde Christiano, qui putant ideò dictum, multas esse mansiones, quia extra regnum Cœlorum erit aliquid, ubi maneant beati innocentes, qui sine baptismo ex hac vita emigrarunt, quia sine illo in regnum Cœlorum intrare non poterunt. Hæc fides, non est fides; quoniam non est vera & Catholica fides.*

Jam quid ad hæc Scholastici quidam novelli, qui attrita & obsoleta Pelagianorum dogmata recudunt? Ita quidem Augustinum sensisse respondent, sed æstu disputationis abreptum, Traditionis & Ecclesiasticæ fidei limites prætergressum. Ita Ambrosius Catharinus primus hujus erroris architectus; ita Alphonsus Salmeron; qui spurium Catharini partum, & à Thomistica schola rejectum, statim atque lucem aspexit; avidè arripuit, fovit, novisque pigmentis obduxit. Benè profectò, benè: Habemus hìc fatentes reos, qui se eòdem cum Pelagio arasse vitulo; satis produnt, dum ea suffugia quæritant. Verùm quid, si Concilia totius Orbis veneratione consecrata, si supremi Ecclesiæ Hierarchæ Romani Pontifices, Augustini sententiæ calculum ponant; & Pelagianos, quod oppositum dicerent; anathemate feriant? Isne justos Ecclesiæ limites prætergressus dici poterit? Sit ita, nec ne, videamus. *Novellos hæreticos Pelagianos*, inquit Augustinus lib. 2. de Origine animæ capite 12. *justissimè Conciliorum catholicorum, & Sedis Apostolicæ damnavit autoritas, eo quòd ausi fuerint non baptizatis parvulis dare quietis & salutis locum, etiam præter regnum Cælorum.* Augustini itaque sententiam, Pelagianæ hæreseos damnatione consecrarunt.

Ac nè quis fortè dicat, Hipponensem Episcopum, ut sua efferret ambitiosiùs, fictitia Conciliorum atque Pontificum decreta venditasse (quod tamen vel imaginari sacrilegum est) fidem illi locupletissimam facit Concilium Generale totius Africæ, anno 418. celebratum, quo medius ille fictitiæ beatitudinis locus explosus est *Si quis dixerit, ideò dixisse Dominum*, In domo Patris mei mansiones multæ sunt, *ut intelligatur, quia in regno Cælorum erit aliquis medius, aut ullus alibi locus, ubi beatè vivant parvuli, qui sine baptismo ex hac vita migrarunt, sine quo in regnum Cælorum, quod est vita æterna, intrare non possint, anathema sit. Nam cum Dominus dicat*, Nisi quis renatus fuerit ex Aqua & Spiritu S. non intrabit in regnum Cœlorum; *quis Catholicus dubitet, participem fieri diaboli eum, qui cohæres esse non meruit Christi? Qui enim dextrâ caret, sinistram procul dubiò partem incurret.*

Suffragantur quoque Romani Pontifices, qui nullum præter regnum Cœlorum & supplicium æternum, medium locum superesse sancivere; ac momenta ipsa ab Augustino ad id astruendum toties usurpata, Apostolicis definitionibus confirmarunt. Gelasius I. in Epistola ad Episcopos per Picenum constitutos. *Tollant*, inquit, *de medio, nescio quem ipsi tertium quem decipiendis parvulis faciunt locum. Et quia non nisi dextram partem legimus & sinistram, non illos faciant in sinistra regione sine baptismate remanere; sed baptizatos sinant ad dexteram salutarem sacra regeneratione transferri.*

Innocentius I. nedum Augustiniana Dogmata, sua facit, verùm etiam rationum momenta, quibus hoc præsertim in capite Pelagianos exagitabat. Id mutuâ testimoniorum collatione videas. Ita adversùs Pelagianos disputabat Augustinus lib. 1. ad Bonif. cap. 22: *Datis tu extra regnum Dei locum salutis & vitæ æternæ, etiamsi non fuerint baptizati: nec adtenditis quod scriptum est:* Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit; qui autem non crediderit, condemna-

demnabitur. *Propter quod in Ecclesia Salvatoris per alios parvuli credunt, sicut ex aliis ea quæ illis in Baptismo remittuntur peccata traxerunt. Nec illud cogitatis, eos vitam habere non posse, qui fuerint expertes Corporis & Sanguinis Christi, dicente ipso:* Nisi manducaveritis carnem meam, & biberitis meum sanguinem, non habebitis vitam in vobis. *Aut si Evangelicis vocibus cogimini confiteri, nec vitam salutemque posse habere parvulos de corpore exeuntes, nisi fuerint baptizati; quærite cur compellantur non baptizati secundæ mortis subire supplicium, judicante illo qui neminem damnat immeritum, & invenietis quod non vultis, originale peccatum.* Ita quoque libro 1. de peccat. meritis & remiss. cap. 18. lib. de peccato originali cap. 18.

At non absimiliter Innocentius I. in Epistola ad Patres Concilii Milevitani, hoc idem dogma, idem & dogmatis fundamentum ponit: ut videas Augustinum ex Ecclesiæ sententiâ pronuntiasse, nec privatis præjudiciis plus justo dedisse. *Illud vero*, inquit, *quod Pelagianos vestra Fraternitas asserit prædicare, parvulos æternæ vitæ præmiis, etiam sine baptismatis gratiâ posse donari, perfatuum est. Nisi enim manducaverint carnem Filii hominis, & biberint sanguinem ejus, non habebunt vitam æternam in semetipsis. Qui autem hanc eis sine regeneratione defendunt, videntur mihi ipsum Baptisma velle cassare; cùm prædicant hos habere, quod in eos credunt nonnisi baptismate conferendum.*

Explicatiùs etiam, & ad præsens institutum magis apposite Gelasius I. Epistolâ mox laudatâ ad Episcopos per Picenum constitutos, eandem illam Augustini & Innocentii rationem usurpans à regno Cœlorum, in quo fatentibus Pelagianis pueri non sunt, ad mortem æternam, in qua futuri sint necessariò, transitum facit, nullo medio felicitatis naturalis loco. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, habebit vitam æternam; qui autem non crediderit, jam judicatus est, & ira Dei manet super eum. Illa utique, de qua dictum est,* Morte morieris. *Ipse Dominus Jesus Christus cœlesti voce pronuntiat,* Qui non manducaverit carnem Filii hominis, & biberit Sanguinem ejus, non habebit vitam in semetipso. *Ubi utique neminem videmus exceptum: nec ausus est aliquis dicere, parvulum sine hoc Sacramento salutari ad vitam æternam posse perduci: sine illa autem vitâ, in perpetuâ futurum morte, non dubium est.*

Ex hoc igitur primo Ecclesiasticæ doctrinæ & fidei Catholicæ Capite, ab Augustino, à Conciliis Africanis, à Summis Ecclesiæ Pontificibus constanter asserto, videas quàm æquè de tertia illa Molinæ propositione judicium tulerint Congregationum illarum selecti Censores; quam verè, quàm eruditè Illustrissimus Remensium Præsul, suâ nuper Institutione Pastorali pronuntiaverit, eam nequidem ex Ecclesiæ indulgentiâ permitti, tametsi Autor ex nomine damnatus non est? Si etenim ultra regnum Cœlorum, & damnatorum infernum æternumque supplicium nullus restat parvulis non renatis medius locus, nulla certè naturalis beatitudo relinquitur, quâ fruantur in terris, aliove ubi libuerit angulo, exsufflatur Moliniana felicitas; nisi fortè novo quis absurditatis ac impietatis genere fabuletur, parvulos in ipso damnatorum inferno, æternoque supplicio, naturali cum diabolo Beatitudine frui, omni mentis & corporis vitio prorsùs immunes: ut ita Molinæ figmentum cum Christi sententiâ & Ecclesiæ Catholicæ fide componat.

Alterum fidei Catholicæ caput, quo Molinianæ beatitudinis paradoxum exploditur, errorisque manifesti convincitur, illud est: Statum scilicet quo nunc versantur infantes non abluti, æternum fore; mortem ac pœnam quâ plectuntur, æternam; ignem suppliciumque cui deputantur, æternum; cujusvis tandem generis velis esse pœnam illam atque supplicium, juxta varias saniorum Theologorum opiniones. De pœnæ siquidem ignisque conditione litigare hìc non est opus, modò æternum, quo nunc detinentur, statum astruamus. Ex hoc quippe uno Molinianæ assertionis error in aperto ponitur, quo pueros illos, post extremi judicii diem, ab omnibus molestiis & ærumnis supernaturaliter liberandos, omnique mentis & corporis vitio immunes evasuros, feliciterque victuros existimat.

In eo asserendo dogmate totus est Augustinus lib. 6. contra Julianum cap. 12. *Parvuli baptizati eruuntur de potestate tenebrarum, ne ab eis trahantur in supplicium sempiternum.* Epistola 106. ad Paulinum, *Parvuli non baptizati vitam habere non possunt. Ac per hoc quamlibet tolerabiliùs omnibus, qui etiam propria peccata committunt, tamen æterna morte multantur.* Quocirca relatâ Synodi Palæstinæ sententiâ, quæ Pelagium errorem illum retractare compulit, quo infantes etiamsi non baptizentur, vitam æternam habituros asserebat, ita demùm colligit S. Doctor: *Hac autem negatâ, quid nisi mors æterna remanebit?*

Ac ne fortè D. Augustinum ex privato sensu loquutum obtrudant Molinianæ Beati-

beatitudinis vindices, cumque uti minùs æquum Ecclesiæ ac Traditionis interpretem excipiant, ut puerorum supplicio ac damnationi finem ponant; adstipulantur Romani Pontifices, sacri Episcoporum Cœtus, cæterique Ecclesiæ Patres. Gelasius I. Epistolâ mox laudatâ, *Nihil est ergo*, inquit, *quòd non renati infantes tantummodo in regnum cœlorum ire non valeant, non autem perpetuâ damnatione puniantur.* En ultra regni cœlestis exsilium, quod fatebantur Pelagiani, perpetuam puerorum damnationem agnoscit, quævis tandem illa dicatur esse, juxta varias probatorum Theologorum opiniones. Unde & addit: *Dicant igitur in morte perpetua constituti, si non æstimentur esse damnati? Tollant ergo de medio, nescio quem ipsi tertium, quem decipiendis parvulis faciunt locum, &c.*

Quindecim Episcoporum Bysacenorum in Sardinia exsulum sacra Synodus, in libello de Incarnatione & gratia (quem sanctus Fulgentius Ruspensis Episcopus, communis omnium Amanuensis exaravit) Augustini sensum luculenter expressit, cap. 14. ubi hæ ex Pelagianorum personâ obmurmurationes referuntur. *Qua justitia est, ut imago Dei, qua nihil potuit per se ipsam delinquere, si non redimatur Sanguine Filii Dei, in regnum Dei non permittatur intrare? Quò utique quisquis non ingredietur, interminabilibus ignis æterni cruciatur pœnis. Qua igitur justitiâ Deus justus infantibus sine Baptismo nascentibus ingerit pœnam, in quibus pœna non invenit causam?* Et istæ rursùs cap. 30. *Quomodo infantibus qui baptizantur, & in eadem infantia moriuntur, donat æternam salutem, quorum bonam non exspectat nec invenit voluntatem? Item alios quomodo sine baptismate mortuos æternis cruciatibus damnat, cum in eis nullam culpam malæ voluntatis inveniat?* Quibus omnibus ita respondent: *Nonne istos inimicos gratiæ Dei, nec defensores humani, sed deceptores arbitrii, ad hoc sua perversitas cogit, ut Deum putent iniquum in omnium obitu parvulorum; ubi nulla interveniente vel bonitate vel malitia voluntatis, alios vident potiri regno, alios interminabili deputatos incendio?*

Sed & Fulgentius ipse, lib. de fide ad Petrum, ubi certè non privatorum opinationes, sed quadraginta capita recenset, *ad veram fidem*, ut loquitur, *firmissimè pertinentia, fideliter credenda, fortiter tenenda, veraciter patienterque defendenda*; Augustinianum illud de pœnis puerorum sine baptismo decedentium capitulum ponit, numero decimum-quartum. *Firmissimè tene, & nullatenus dubites, non solùm homines jam ratione utentes, verùm etiam parvulos, qui sive in uteris matrum vivere incipiunt & ibi moriuntur, sive jam de matribus nati, sine Sacramento sacri baptismatis, quod datur in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti, de hoc seculo transeunt, ignis æterni sempiterno supplicio puniendos. Quia etsi propriæ actionis peccatum nullum habuerunt, originalis tamen peccati damnationem, carnali conceptione & nativitate traxerunt.* Quibus similia habet cap. 3. libri ejusdem. Rursùs lib. 1. de veritate Prædestinationis & Gratiæ cap. 14. *Reddet unicuique*, inquit, *secundùm opera sua, ut non solùm pro originali peccato æternis ignibus ardeant, quibus arsuri sunt sine baptismate morientes etiam Parvuli, qui nihil boni aut mali egerunt, sed etiam pro sua voluntate mala, tanto deteriùs torqueantur, quantò ampliùs propriæ iniquitatis adjiciunt.* En duplex tormenti genus, unum quidem deterius altero, utrumque tamen æternum.

Ubi ad cap. 26. seu Reg. 24

S. Hieronymus, qui in Pelagianos ante Augustinum ipsum signa contulerat, eidem in illo asserendo dogmate prælusit lib. 3. Dialogorum. Ubi cùm Cretobolus Pelagianus Interlocutor, velut quid absurdum Catholicis exprobrasset, puerorum cruciatus æternos, in hæc verba, *Peccare non possunt, & possunt perire? Genua labant, vagitus verba non explicant, balbutiens lingua videtur, & æterni cruciatus miseris præparantur*: tantum abest ut eam sententiam Catholicis affictam respondeat, qui Ecclesiæ partes agit; quin potiùs ea tormenta non injustè pueris infligi, ex divinis Scripturis ostendit.

S. Gregorius Magnus lib. 9. Moralium, ad ea Jobi verba: *Multiplicabit vulnera mea, etiam sine causa*, ita scribit: *Nonnulli priùs à præsenti luce subtrahuntur, quàm ad proferenda bona malave merita activæ vitæ perveniant. Quos quia à culpa originis Sacramenta salutis non liberant, & hic ex proprio nihil egerunt, & illuc ad tormenta perveniunt: quibus unum vulnus est corruptibiliter nasci, aliud carnaliter emori. Sed quia post mortem quoque æterna mors sequitur, occulto eis justoque judicio, etiam sine causa vulnera multiplicantur. Perpetua quoque tormenta percipiunt, qui nihil ex propria voluntate peccaverunt.* Et paulò infrà: *Illos districtus Judex in æternum percutit, quos reatus arbitrii non addicit.*

S. Prudentius libro de Prædestinatione cap. 16. *Extra baptismi gratiam morientes, non suo, sed Protoplasti peccato perpetuâ plectione damnantur.* Quod hic perpetuam plectionem dicit, *Gehennam* paulò superiùs dixerat.

Cæteros quid appellem numero plures, qui tales perpetuò fore quorumcunque damnatorum pœnas, quales post obitum luunt, summâ consensione definiunt, & ex illo Ecclesiastici oraculo manifestè colligunt : *Si ceciderit lignum ad austrum, aut ad Aquilonem, in quocunque loco ceciderit, ibi erit.*

Cap. 11.

Jam si ea quibus nunc pueri deputantur supplicia, cruciatus, gehennæ, plectiones, ignes, miseriæ, tormenta, mors ipsa, atque damnatio, æternùm & interminabiliter duratura sunt, Pontificum quidem, Synodorum, ac Patrum judicio; an non justâ erroris censurâ petuntur, quotquot illorum statum immutatum tandem iri fabulantur; ut suppliciis, cruciatibus, ac miseriis exsolutis, ipsâque etiam morte devictâ, meliorem in naturalibus vitam, vitio omni corporis & mentis immunem, in perpetuas æternitates ducant, quàm ullus unquam hominum duxerit?

Tertium Catholicæ fidei caput, unde justa Moliniani Paradoxi censura petitur, istud est : Pueros nempè solo originali peccato inquinatos, sub diaboli potestate esse, ac etiam perpetuò fore, donec salutaribus undis deleto chirographo, in Christi potestatem transferantur.

Probat id Ecclesiæ disciplina, quæ baptizandos exorcismis & insufflationibus eventilat, ut ab eis immundus Spiritus abigatur: quod adultis jam baptizatis, & in peccata mortalia prolapsis præstare non solet, dum ad Pœnitentiæ sacramentum accedunt. Hoc argumento usus est Augustinus, ut Parvulos à diabolo possideri, æternumque ab illo possidendos ostenderet, si absque regenerationis Sacramento rapiantur. Ita libro 3. Operis imperfecti, contra Julianum cap. 199. *Exsufflantur parvuli in Exorcismo, priusquam baptizentur. Exsufflantur igitur vivæ imagines, non Regis cujuscunque, sed Dei. Immo verò exsufflatur, sed diabolus, qui contagione peccati tenet parvulum reum, ut illo foràs misso parvulus transferatur ad Christum. Exsuffletur itaque Juliani amentia, ne Majestatis rea in parvulorum mundatione & exsufflatione dicatur Ecclesia. Si autem non eruitur à potestate tenebrarum, & illic remanet parvulus; quid miraris in igne æterno cum diabolo futurum, qui in Dei regnum intrare non sinitur?*

Hanc inter fidei capita veritatem ponit lib. 6. Operis prior. in eundem cap. 5. *Verum tamen est*, inquit, *quod antiquitus veraci fide Catholicâ prædicatur & creditur per Ecclesiam totam, quæ filios fidelium nec exorcisaret, nec exsufflaret, si non eos de potestate tenebrarum & à Principe mortis erueret. Quod in libro meo, cui velut respondes, à me positum est. Sed id tu commemorare timuisti, tanquam ipse ab Orbe toto exsufflandus esses, si huic exsufflationi, quâ Princeps mundi & à parvulis ejicitur foràs, contradicere voluisses.*

Quâ in re interpretem Ecclesiæ egisse Augustinum, nec privatas opinationes, uti Catholicas hæreticis objectasse, probant Capitula ex Pontificum & Conciliorum statutis deflorata, ac totius Orbis veneratione consecrata, quibus Ecclesiæ fides exponitur, ad calcem Epistolæ Cœlestini ad Gallicanos Episcopos. *Illud etiam quod circa baptizandos in universo mundo Sancta Ecclesia uniformiter agit, non otioso contemplemur intuitu. Cùm sive parvuli sive juvenes ad regenerationis veniunt Sacramentum, non priùs fontem vitæ adeunt, quàm exorcismis & exsufflationibus Clericorum Spiritus ab eis abigatur immundus: ut tunc verè appareat, quomodo princeps hujus mundi mittatur foras, & quomodo priùs alligetur fortis, & deinceps vasa ejus diripiantur, in possessionem translata victoris, qui captivam ducit captivitatem & dat dona hominibus.*

Et verò, dicat, amabo, Ludovicus Molina, quâ sorte futurum sperat, ut pueri non renati suâ illa naturali felicitate fruantur? An durante tyrannide diabolicâ beatos illos futuros existimat, omni mentis & corporis vitio prorsùs immunes? Id si velit, erit ejus potiùs quàm Juliani amentia exsufflanda. An solvendam tandem tyrannidem putat? Id si dicat, Ecclesiæ fidem negat, quæ tandiu illam duraturam decernit, donec sacrâ regeneratione chirographum dissolvatur. Plus dico, pari hariolandi libertate garrire poterit, quosvis alios reprobos libertate donatum iri: una siquidem eademque damnatorum omnium (quantum pœnarum æternitatem attinet) causa vertitur. Cùm enim sub diaboli potestate detineantur parvuli non abluti, ob unum originale peccatum, tandiù illos detineri necesse est, quandiu originale peccatum, unde jus in illos obtinuit, non deletur. Nisi quis Deum justitiæ suæ juribus cedere velit, ut id odio non habeat, immò & è diaboli potestate auferat, quod & hominem verè maculat, & iræ filium facit. *Causa majorum atque parvulorum*, inquit S. Fulgentius lib. 1. de veritate Prædestinationis cap. 14. *qui sine baptismate cursum vitæ præsentis in infidelitate consummant, quantum attinet ad communionem originalis peccati, una est; & ex hac utrique ibunt in ignem æternum, qui paratus est diabolo & Angelis ejus; quia in eis chirographum, quo sibi eos deceptoris*

toris

fortis nequitia subdidit, Salvatoris gratia non decuit. Diabolus uti fortis armatus custodit atrium suum, vinctosque carcere detinet, ut loquitur Evangelium. *Quis porro intrare potest in domum fortis, & vasa ejus diripere, nisi prius alligaverit fortem?* Aut
Matth. 12. quis fortem alligaverit, nisi sublato chirographo jus & potestatem ademerit?

Ultimum, ex quo distinctæ censuræ æquitatem discere liceat, fidei caput est; Pueros sacro fonte non ablutos, filios iræ reputari, in damnationem & interitum traditos, contumeliæ vasa, Deo exosos, gehennæ pœnæ & inferis destinatos, nullâque in altera vita compensatione fruituros. Quæ omnia à naturali illa Beatitudine, plenaque vitiorum tum corporis tum animæ immunitate procul absunt.

Iis passim loquendi modis abundant Scripturarum, Conciliorum ac Patrum codices; ut illos non tam deflorare, quàm exscribere necesse sit. Apostolus ad Romanos 5. *Judicium ex uno in omnes homines in condemnationem.* Undè sanctissimus Gratiæ Vindex lib. 1. de peccat. meritis cap. 16. *Potest perinde rectè dici, parvulos sine baptismate de corpore exeuntes in damnatione omnium mitissima futuros, dicente Apostolo, Judicium ex uno delicto in condemnationem.* Et lib. 1. de Nuptiis & Concupiscentia cap. 23. de natura originali peccato sauciata sermonem habens, *Non propter se ipsam,* inquit, *quæ laudabilis est, quia opus Dei est, sed propter damnabile vitium, quo vitiata est, natura humana damnatur: & propter quod damnatur, propter hoc & damnabili diabolo subjugatur, quia & ipse diabolus spiritus immundus est.*

Rursùm idem Apostolus ad Romanos 9. *Sustinuit in multa patientiâ vasa iræ apta in interitum.* Ad Ephesios 2. *Eramus naturâ filii iræ, sicut & cæteri.* Ex quibus meritò colligit idem Augustinus tractatu 44. in Joannem: *Si filii iræ, filii vindictæ, filii pœnæ, filii gehennæ.* Ac post illum, Concilium Tridentinum sessione 6. de Justificatione cap. 1. secundùm illud Apostoli oraculum decrevit, quòd *Omnes homines in prævaricatione Adæ innocentiam perdiderunt, facti immundi, &, ut Apostolus inquit, filii iræ.* Hanc autem iram in inferis sustinendam decreverat in antecessum Concilium Florentinum, in decreto unionis, dum statuit *illorum animas, qui in actuali mortali peccato, vel solo originali decedunt, descendere mox in infernum, pœnis tamen disparibus puniendas.* Quapropter cum aliàs Augustinus, variis hinc inde difficultatibus lacessitus, subdubitanter affirmasset, futuram tandem parvulis illis nescio quam Lib. 3. de lib. arb. cap. 3. in altera vita bonam compensationem, ut Dei justitiam, quâ eos etiam in hac vita miseriis afficit, in tuto poneret adversus Pelagianorum obmurmurationes; hoc ipsum in Epistola 28. ad S. Hieronymum retractavit. *Ego quidem,* inquit, *non de ingeniis, sed saltem de pœnis parvulorum, quas in hac vita patiuntur, dixi aliquid in libris meis De libero arbitrio, quod quale sit, & cur mihi in ista, quam habemus in manibus quæstione non sufficiat, intimabo..... Nam quæ circa eos compensatio cogitanda est, quibus insuper damnatio præparata est?* Suamque illam assertionem, *robustissimam ac fundatissimam Ecclesiæ fidem appellat.*

Quàm igitur longè aberat sanctissimus Doctor, ab ea felicitate naturali, quam hic Molina comminiscitur, parvulis concedenda: quæ certè cumulatissimæ præsentium miseriarum compensationis loco esset.

At de his satis à nobis dictum, ut nullam Societati injuriam irrogatam obtendat Leodiensis Epistolæ Consarcinator, dum absonum Molinæ paradoxum manifesti erroris damnarunt Congregationum istarum Censores æquissimi. Neque verò Molinam juvare potuit, quod Catharinum hujus suæ doctrinæ ducem habuerit. Virum nosse debuerat, quem Magistrum acciperet: ingenio tumidum, in statuendis paradoxis liberalem, & ab ipsa scholâ Thomistica ob nimiam novandi pruriginem, summo consensu rejectum: de quo Prædicatorum Ordinis Theologi coram Paulo III. expostularunt anno 1546. ob quinquaginta ejus assertiones à communi scholarum sententiâ peregrinas.

Addam, nec addidisse pigebit, nihil errorem hunc à Pelagianorum systemate discrepare, nihilque illos, felicitatis & beatæ vitæ nomine, pueris concessisse, nisi naturalem illam Catharini, & Molinæ Beatitudinem. Neque enim Pelagium, aliunde satis acutum, usque adeò stipitem fuisse, putandum est, ut extra regnum Cœlorum, supernaturalem Beatitudinem in Dei visione positam, haberi perpetuò posse existimaret. Neque Augustinus Pelagianam illam Beatitudinem, velut ignoti cujusdam generis, & inauditæ conditionis felicitatem derisisset. *Quærunt parvulis extra regnum Dei nescio cujus suæ felicitatis locum,* lib. de Prædest. Sanctorum cap. 13. *Promittunt eis extra regnum quidem Dei, sed tamen æternam beatam quamdam vitam suam,* libro De hæresibus cap. 88. & alibi sæpiùs. Nec demùm Pelagius ipse eam

ita subobscurè & ambiguè delineasset, ut quid re ipsa tandem esset, se nescire professus sit. *Sine Baptismo parvuli morientes quò non eant, scio; quo eant, nescio*, aiebat ille apud Augustinum lib. de peccato originali cap. 21. Næ ergo Molinam & Catharinum Pelagio ipso audaciores qui quò extra regnum Cœlorum & inferos, eant, tantâ confidentiâ definiunt!

Cæterùm quid de novo Dissolutore, qui tantos nuper Molinianis dedit animos, sentiendum veniat, docebit nos Apostolicæ Sedis Oraculum, dum de Nodo Prædestinationis dissoluto sententiam tulerit: eâque Magistrâ discemus, an cum illis quatuor fidei capitibus, ex Apostolicæ Traditionis fonte ad nos usque derivatis, conciliari satis possint, quatuor ista Novæ Solutionis Paradoxa.

1. *Parvuli qui sine baptismo decedunt, beati quidem non sunt, non tamen pereunt, nec damnantur.*

2. *Parvuli innocentiam personalem, quæ peccatis actualibus opponitur, illibatam servant.*

3. *Qui solo originali peccato tenentur, nec dici possunt Deum deserere, nec à Deo deseri.*

4. *Infantes baptismo non tincti, ad aliquid quod gratiâ & vitâ æterna melius sit, destinantur.*

CAPUT DECIMUM-OCTAVUM.

Paulus V. occultis rationibus permotus; Pontificii Diplomatis promulgationem mittit in aliud tempus: atque interim partes dissidentes, futuri judicii exspectatione suspensas, quiescere jubet.

GRatiæ victrici jam canebatur, io triumphe; jamque delineato diplomate id restabat unum, ut ex Pauli nutu, secundùm juris formas innotesceret: cùm infausto rerum concursu, ultima hæc sanciti judicii solennitas in aliud tempus protracta est. Pontificem inter & Rempublicam Venetam odiosa ac difficilis admodùm controversia emersit, quæ rerum istarum exitum retardaret.

Ex And. Maurec. lib. 17. histor. Ven. Decreta duo ediderant Venetiarum Senatus Augustus: primum anno 1603. quarto Idus Januarii, quo ne Ecclesiastica Xenodochia ac Monasteria extrui, neve novi Religiosorum cœtus ac Societates, absque Senatus veniâ induci possent, pœnis gravissimis vetabatur. Alterum anno 1605. decimo-septimo Kalendas Aprilis, quo cavebatur, ut nullus testamento, venditione, aliave causâ, bona immobilia perpetuò Ecclesiasticis relinquere, vendere, alienare, inconsulto Senatu posset; sed transacto biennio, bonis divenditis, pretia iisdem pro legatis assignarentur. Ad hæc, Scipionem quemdam è Saracenorum familia, Canonicum Vicentinum, qui perillustris mulieris pudicitiæ vim inferre voluerat; & Brandolinum Nervesiæ Abbatem ob nefaria scelera in publicos carceres, Ecclesiastici status consideratione sepositâ, conjici jusserat. Tria hæc gravi animo tulit Paulus V. quibus imminutam Ecclesiæ libertatem, violatos Canones, messi alienæ manum à Senatu admotam existimabat. Senatus Consulta rescindi quantocitiùs, Clericosque carcere detentos, Sacerdotum judicio permitti jussit; quod ni facerent, Ecclesiasticum fulmen, & interdictum sine cunctatione ferendum comminatus est. Verùm obsistente Senatu, legum ac morum tenacissimo, post multa ultrò citroque data responsa, Pauli V. in Venetos Edictum promulgatum, & ad solita Urbis compita affixum est. Hujus hæc summa erat: Ni leges abrogarentur, Clericique Ecclesiastico judicio permitterentur, post elapsos quatuor ac viginti dies, Ducem ac Senatum excommunicatione quidem; aliis verò tribus transactis, Imperium omne Venetum interdicto Ecclesiastico ligatum iri.

Vetuit Serenissimus Ordo, ne intentatum fulmen ex juris formulis innotesceret, neve Pontificium Edictum à civibus exciperetur. Ecclesiarum Antistites ac Cœnobiarchas ad se vocarunt Decem-Virûm Magistri, & interminata capitis pœnâ vetuerunt, ne quid novi in Religionis cultu molirentur, sed suo quisque muneri, uti assueverat, nullâ interdicti ratione habitâ, religiosiùs incumberet.

Nemo fuit, qui non, se obtemperaturum nihilque immutaturum, constanter affirmaret. Jesu tantùm Sodalitii homines nutare tantisper visi sunt: nec multo post, quatuor eo ex Ordine Principem adiere, cui suis institutis, ut interdicto parerent, obstringi significarunt; ac, ni id Senatui placeret, Venetiis excedere velle. Re ad Senatum delatâ, profectioni eorum annuit Augustissimus Ordo. Quare sexto Idus Maii 1606. duabus excepti naviculis, noctu Ferrariam versùs iter habuere, cunctis penè summâ ex eorum discessu voluptate affectis, multaque in illos probra & maledicta jacientibus. Theatinos, ac eos Franciscanos quos ab acuminato capitis integumento Capucinos vocant, exemplo suo, ut idem facerent, adduxerunt: unde multi in hanc

Urbem totamque ditionem tumultus ac motus, scriptis concionibusque concitati. Idcircò Senatus-consulto cautum est, ne Jesuitæ Venetis in posterum ditionibus excipi possent, nisi prius Collegii decretum intercederet, universorumque ejusdem Ordinis consensus, nullo dissentiente ac discrepante suffragio.

Vix dici queat, quàm grato animo, Jesuitarum illud in Pontificia jussa pronum obsequium habuerit Paulus V. quámque in ipsos effusa deinceps voluntate fuerit, ut hanc illis pro Apostolica tuenda autoritate, illatam & decretis injuriam resarciret. Interea Pontificem inter & Venetos enata dissidia succrescebant; Principibusque in partes venientibus, ac jam arma parantibus, sinistrum aliquid portendebant; nisi pacis sequester acceptus Henricus IV. Galliarum Rex, desperatis penè rebus tulisset opem lethale vulnus, administrantibus Cardinalibus Francisco de Joieusa, & Davi Perronio tractavit Christianissimus Rex, priore quidem Venetiis apud Senatum agente, altero Romæ apud Pontificem pacta tractante. Datæ protinùs mutuæ pacis conditiones; quarum hæc una erat, à Paulo Pontifice ardentiùs expetita, ut in pristinum statum Jesuitæ restituerentur. Ut ea in re Pontifici gratificarentur Veneti Senatores, enixè allaboravit Cardinalis Joieusa, id vehementer Paulo cordi esse significans; quòd suam ille in Jesuitis restituendis existimationem agi crederet, quos à Senatu Interdicti causa ejectos nosset universus Orbis. Verùm hoc ultimum nulla ratione nulloque conatu à Senatoribus impetrari potuit. Quare, posthabitâ de Jesuitis recipiendis conditione, litem componi sivit Optimus Pontifex, octavo Kalendas Aprilis 1607. Ac licet animo magnus & flecti nescius, suæ tamen prudentiæ obsequi maluit, & viros exsules, qui pro ejus implenda voluntate certaverant, optatæ pacis sanciendæ studio aliis beneficiis remunerare sibi proposuit.

In Prædicatores hanc fabam cudit Cardinalis Perronius: qui ut dudum occasionibus instabat, unde periclitantem Societatem in auxiliorum controversiâ juvare posset, hanc opportunam admodùm arripuit, ut imminens capiti fulmen, ad tempus saltem averteret. Pontificis animum jam satis in Jesuitas, pro tuendis, ipsius decretis exsules inclinatum occupavit: Henrici IV. cujus officia Paulus ipse nuper senserat, pro afflicta Societate supplicantis vota detulit; novumque crudelitatis genus fore innuit, si quo tempore in Apostolicæ Sedis obsequium, patriæ ac fortunæ periculum adibant, intempestivâ Pontificiæ definitionis promulgatione diffamarentur: unde illis ab æmulis major infamia, irrisio, ludibrium, despectus accederet.

Hæc ille Pontifici instillabat, cùm exspectatum illud pridem fortunatumque tempus demùm accidit, quo ultima Auxiliorum controversiæ manus imposita putabatur. Instructo sancitoque judicio de solenni promulgatione tractatum est. Eminentissimos Cardinales ad hujusce causæ cognitionem adscitos, qui anno superiori pro ferendo judicio pronuntiaverant, denuò consuluit Paulus V. die 28. Augusti; num solennis controversiæ definitio, sub eo rerum eventu promulganda esset? E duodecim, quos superioris anni Congregationi interfuisse observavimus, novem hìc supererant: Pinellus, Asculanus, de Givri, Blanchettus, Arigonius, Bellarminus, Bufalus, Taberna, Perronius; Monopolius enim è vivis excesserat, Zapata lecto tenebatur, Aldobrandinus Ravennæ sedebat Archiepiscopus. Quid in hac omnium ultima Congregatione deliberarint ex Coronelli Commentariis rescire non possumus; ubi id unum legere licet. Capite 15.

Die Lunæ 28. Augusti anno Domini 1607. habita est Congregatio coram S. D. N. in Monte Quirinali. Cùm Sanctissimus D. N. Sacrum fecisset, & Illustrissimi DD. Cardinales adessent, imploratâ Spiritus Sancti gratiâ, diligenter exquisivit singulorum sententias de modo finiendi molestissimam & tandiu agitatam controversiam de Auxiliis divinis; & an expediret HIS MAXIME TEMPORIBUS *ad Apostolicam definitionem devenire. Aderant autem Illustrissimus D. Cardinalis Pinellus, Illustr. D. Cardinalis Asculanus, Illust. D. Cardinalis de Givri, Illust. D. Card. Blanchettus, Illust. D. Card. Arigonius, Illust. D. Card. Bellarminus, Illust. D. Card. Bufalus, Illust. D. Card. Perona, cum DD. Cardinalibus Generalibus Inquisitoribus specialiter vocatus, Illust. D. Card. Taberna. Illustrissimus D. Card. Monopoli è vivis excesserat, die Veneris 18. Augusti hora 14. maximo sui apud bonos omnes relicto desiderio. Erat enim, ut claris parentibus ortus, ita & moribus conspicuus, sapientiâ præditus, & in Sedem Apostolicam sancto propensus studio, ut faciliùs vitam amitteret, quàm illius existimationem lædi pateretur. Quippe qui nihil unquam antiquius habuit, quàm ut Religionem catholicam coleret, & orthodoxam Patrum doctrinam amplecteretur; pro qua & ipsum sanguinem millies effudisset, si se ulla obtulisset* Ex Actis Societ.

obtulisset occasio. Re igitur diligentissimè pertractatâ in eam sententiam &c.

In hæc verba desinunt Commentarii Coronelli: qui ut à congressu aberat, decisionem in acta publica referre, ex Secretarii officio non potuit. Fuere qui dicerent, Pontificem & quinque Cardinales, pro Apostolicæ definitionis promulgatione pronuntiasse, quatuor intercessisse. Verùm quid certò rei fuerit probavit eventus. Paulus enim vocatis post diem tertium Præpositis Ordinum, litem omnem dato fiduciario Rescripto in suspenso posuit: judicii Apostolici promulgationem distulit in meliorem tempestatem: atque interim partes diffidentes, sub spe bona futuri judicii, intra religiosæ modestiæ fines contineri jussit. *Nel negotio de auxiliis, Nostro Signore ha fatto intendere a i disputanti e Consultori, che possono tornare alle case loro. Et ha detto che a suo tempo la Santità Sua darà fuori la sua dichiaratione e determinatione. E tra tanto ha ordinato molto seriamente, che nel trattare di queste materie, nissuno ardisca di qualificare, ò censurare l'altra parte: ordinando di più tanto a i Domenicani, quanto alli Padri Giesuiti, che se alcuno mancherà in questo, sia punito severamente: intendendo Sua Santità che questo suo ordine, si esequisca inviolabilmente. Non mancarà dunque Vostra Riverenza di farlo osservare, e dar particolare aviso di quanto ella haverà eseguito, nelli casi occorrenti, accio se ne possa dar conto alla Sua Santità.* Quod ita Latinè redditur. *In causa de Auxiliis, S. D. N. Disputantibus & Consultoribus significavit, posse illos reverti ad propria. Dixitque Sanctitas Sua, se opportuno tempore promulgaturam declarationem ac determinationem suam. Atque interim quàm seriò injunxit, ut in hujusce argumenti tractatione nullus partem alteram notâ aliquâ, vel censurâ notare audeat. Jussit insuper tam Prædicatoribus quàm Jesuitis, ut si quis hoc in capite deliquerit, severè puniatur. Ita quippe suum istud decretum inviolatè servari vult. Suo ergò officio non deerit Paternitas vestra, ut ejus observantiæ invigilet. Singulariter verò data occasione significabit quidquid in hoc exsecutioni demandaverit: ut de iis Sua Sanctitati ratio reddi valeat.*

Id ipsum Romana universalis Inquisitio, iisdem planè verbis significavit Nuntiis Apostolicis Florentiæ, Poloniæ, Neapolis, Venetiarum, Hispaniæ, Pragæ, Galliæ, Coloniæ, Sabaudiæ; nec non Generalibus fidei Quæsitoribus Hispaniæ, Lusitaniæ, Mediolani, Genuæ, Taurini, Avenionis, Melitæ, Apuliæ, Sardiniæ, Siciliæ: quos Provisorium Pontificis Rescriptum, datamque promulgandi aliquando judicii fidem monuit.

Interea Sodalitii Jesu Viri, grave vulnus ab Senatu Veneto Interdicti Pontificii occasione susceptum, non levi isto procrastinatæ definitionis solatio mitigarunt. Gloriosam sibi, illustrem, quin etiam salutarem contumeliam reputarunt, quæ graviorum malorum medicaminis instar esset; Societatemque, in tam patenti sustinendæ propè diem sententiæ discrimine fluctuantem, extremo periculo surriperet. Prudentes sanè, ac supra humanam sortem periti Medici, qui sua etiam vulnera in Pharmacum verterent, ac ipsis etiam diisiratis ad felicitatis suæ cumulum fruerentur. Quis etenim reis impendentis judicii metu territis, felicitatis genus esse nesciat, procrastinatæ sententiæ nuntium excipere, rerumque suarum exitum in aliam tempestatem missum audire, quem intra dies aliquot magno sui dedecore successurum ominabantur.

CAPUT DECIMUM-NONUM.

Lis adversus Molinam instructa, sub judice etiamnum est: nulloque ad hunc usque diem, Sedis Apostolicæ judicio finita compositave est, ut absolutus Molina dici possit.

Actum hic reagere cogimur vel inviti: sed hanc nobis necessitatem imponit recentium Fabulatorum audacia, quibus omnia pro arbitrio fingere vel negare, perinde licet. Risum tenere vix possumus, dum festivos Societatis Scriptorum applausus observamus, quibus finitam Molinæ causam & adjudicatam sibi litem gratulantur. *Utrique parti*, scribit Philippus Brietius Jesuita, in Chronico ad annum 1606. *silentium indictum, permissum utrique tueri sententiam suam, vetitum alterutram hæreseos insimulare: quo judicio lis adjudicata est Jesuitis.* Non absimili festivitate suis accinit Franciscus Perrinus, in Thesibus Historicis Tolosæ habitis anno 1681. *A Paulo V.* inquit, *speciali decreto composita lis est anno 1606. & sancitum, ut doctrina Molinæ indemnis existeret; & utriusque Familiæ sententia tuto & impune doceretur in scholis.* Fabulis divinationes addit Martines de Ripalda lib. 5. de auxiliis disputatione 113. sect. 12. *Pontifex majori meliorique Censorum parti adhærens, cum eisdem Cardinalibus pronuntiavit, ut omnis doctrina Molinæ indemnis consisteret, & utriusque Familiæ sententia in scholis tuto & impune docerentur, donec*

nec aliud à Sancta Sede decernatur: ea tamen lege, ut neutram quispiam censuris carpat, injuriisve lacessat. Quæ Pontificis sanctio utrique parti nota fuit facta, & ulterior hujus causæ processio interdicta. Quo eventu, evulgatum per Urbem est, majorem suffragiorum partem nobis favisse, primamque privatæ Congregationis Censuram revocasse. Cui opinioni publicæ annuerunt Cardinales & Censores, fidemque nobis certam plurima argumenta & gravia testimonia confirmarunt.

Iisdem ad divinandum ventis ducuntur alii non pauci; eorum quidem judicio secundis, sed tamen ventis: Paulus Leonardus parte 1. sect. 3. Annatus disp. 4. de Scientia media cap. 1. Ortega de divinis decretis quæst. 4. certam 3. Novissimus Societatis Actor, qui supplicem Monitionem Illustrissimo Remensium Archiepiscopo nuper inscripsit; ac demùm Theologus Societatis, qui Theses Rothomagi Theologicas habuit die 10. Januarii 1698. columna 8. *Controversia*, inquit ille, *sic composita ut liberum relinqueretur utrique parti, sententiam suam absque alterius censurâ defendere.* Eadem nuper Theses Cadomenses.

Vide Appendicem Num. XXI. 6.

Hoc ipso anno, paucis antè mensibus, idem sibi epinicium accinunt in libello pro suis Leodiensibus scripto sub nomine D. Mahieu: * *Doctrina Jesuitarum*, inquiunt, *fortiter oppugnata Romæ fuit circa præcipua illius capita, sed tam strenuè ab istis propugnata, ut post disputationum ac concertationum annos viginti, illam publicè & ubique doceri permiserint Summi Pontifices, eamdemque censura ulla notari vetuerint. Id fecissent scilicet, nisi eam doctrinam sanam sensissent omnisque malæ suspicionis immunem? Ea ratione Patres Societatis in possessione dogmatum suorum permanentes, de adversariis triumphum egerunt, illosque pugnæ loco cedere coegerunt, unde expellere Jesuitas conitebantur.*

Quid verò æquè lepidum, ac positam in suspenso litem, finitam dicere; permissam interim opinionem, probatam effutire; judicium demùm in aliud tempus transmissum, pronuntiatum appellare? Ita verò se rem habuisse, Pauli V. Rescriptum, de quo superiori capite diximus, satis probat. *In causa de Auxiliis S. D. N. Disputantibus & Consultoribus significavit, posse illos reverti ad propria. Dixitque Sanctitas Sua se opportuno tempore promulgaturam declarationem ac determinationem suam. Atque interim quàm serio injunxit, ut in hujusce argumenti tractatione, nullus partem alteram, notâ aliquâ vel censurâ notare audeat.* Declarationem ac determinationem suam daturum se Pontifex Maximus eo Rescripto profitetur; isti è contra Rescripti Pontificii violata fide, declarationem latam obtendunt, latamque pro Molina sententiam. Immo, quod festivum magis ac lepidum est, illud ipsum Pauli V. Rescriptum, judicii loco esse volunt, quo se Paulus ipse judicium opportuno tempore promulgaturum adpromisit. Adeò est illis quidlibet audendi, fingendi, negandi, summa potestas.

Hoc idem contra tot fabulas ac nænias evincit Inquisitorum Hispalensium Edictum, die 9. Septembris, sequentis anni promulgatum; necdum scilicet judicium Pontificium produisse. *Scire facimus S. D. N. circa materiam de Auxiliis divinæ gratiæ ordinasse, tam Disputatoribus quàm Consultoribus, qui Romæ hujus negotii causâ assistebant, ut domum possint reverti, asserens se opportuno tempore suam evulgaturum determinationem. Interim præcepit cum rigore, ut in tractanda hac controversia nemo audeat alteram censurare partem.* Indéque effectum est, ut qui primùm è Societate, auditâ in Hispania Congregationum solutione, vel adjudicatam Molinæ causam, vel doctrinam ejus absolutam jactitarunt, gravissimâ animadversione excepti sint, uti pleniùs sequenti capite demonstrabimus.

At nec secretiora illa instrumenta conquirere necessum erat, ut sua de pronuntiata sententiâ præjudicia exuerent Societatis Actores, & a venditandis ejusmodi fabulis abstinerent. Domesticas tabulas, suosque commentarios consulere satis erat; ubi Claudii Aquaviva Societatis ea ætate Præpositi Generalis, Epistolam transmissoriam invenissent, qua suos de rerum istarum exitu, Pontificisque voluntate commonebat die 5. Septembris. *In negotio de Auxiliis*, scribebat ille, *facta est potestas à Summo Pontifice, cum Disputatoribus, tum Consultoribus, redeundi in Patrias aut domos suas: additumque fore ut Sanctitas Sua, declarationem & determinationem, quæ exspectabatur, opportunè promulgaret.* Necdum ergo promulgata sententia est: necdum finita lis, vel amicè composita: necdum absolutus Molina, sed uti reus de suscitato Pelagianismo postulatus, sententiam etiamnum exspectat. Nihil quippe post illud Pauli V. Rescriptum ab Apostolica Sede in Molinæ causa

* La doctrine des Jesuites a été fortement attaquée à Rome sur les principaux points, elle y a été si bien soutenue qu'après vint ans de disputes & de combats, les Souverains Pontifes ont permis de l'enseigner publiquement & par tout, ont defendu de la censurer. Cela seroit-il, s'ils ne l'avoient pas jugée saine & irreprochable? Par là les Peres de la Societé demeurant en possession de leur doctrine ont triomphé de leurs ennemis, qui ont été obligés de leur ceder le champ, d'où ils avoient voulu les chasser. *Refutation du Memoire du Seminaire de Liege p. 21.*

causa prodiisse, certissimum est.

An autem spe bona obtinendæ demùm absolutionis fruatur interim, dicant qui Romanorum Censorum, quos ad motæ litis examen vocaverat Pontifex, judicia a Secretariis instructa legerint. Quis enim aliud pronuntiaturum Pontificem putet, quam quod tot illi meritissimi viri, Molinianæ doctrinæ judices dati, ferendi judicii Pontificii administri, instruendæque sententiæ adjutores adsciti, eodem ipso præsente & annuente Ecclesiæ Capite pronuntiarunt? Quis tot illa Cardinalium, Episcoporum, Theologorumque judicia, Romæ septennio & ampliùs præsente Pontifice meditata, quibus Molina Pelagianismi reus est dictus, eò demùm reditura speret, ut innocens absolvatur? Si quem illa spes alit, nostro quidem judicio vento pascitur. Nec enim id judiciorum ordinem ferre novimus: tametsi quid Pontifex suprema possit autoritate non ignoremus.

Interea tamen, quid Paulus V. egerit, satis opinor in aperto est. Sententiam jam à se latam esse, instructumque judicium, suo ipso de quo hic agimus Rescripto, significavit: nec se judicium laturum dixit, sed latum jam jam opportuno tempore promulgaturum, facturumque juris publici: *A suo tempo, la Santita Sua dare fuori la sua dichiaratione e determinatione.* Id & ipse Societatis Præpositus Encyclicis literis suos monuit: *Additumque*, inquit ille, *fore ut Sanctitas Sua declarationem aut determinationem quæ exspectabatur, opportune promulgaret.* Quodnam porrò judicium illud est à Paulo V. jam instructum, cujus promulgationem in meliorem tempestatem missam voluit? Proferant si quod habent Societatis Actores (nullum enim esse non potest, attestante id ipsum Pontifice Maximo) videamusque an in eo absolutus Molina triumphet. Nos ex Congregationis Tabulis damus, Bullæ videlicet ideam à Consultoribus Paulo jubente delineatam, quâ uti Pelagianæ sectæ restitutor damnatus est. Quanquam autem illam publici judicii loco nequaquam habendam esse fateamur, donec ultima ei solennitas Juris accesserit: id tamen inde certò colligimus, non esse cur sibi de hujusce controversiæ exitu blandiantur Molinæ Vindices, suumque Magistrum absolutum effutiant; cùm & nullum Sedis Apostolicæ judicium ex forma juris exstiterit: ac, si quod meditatum, instructum, paratumque judicium est, Molinæ profectò caput doctrinamque ferierit. Timendum etiam illis, ne quod in causa Baii accidisse notum est, id in illa demùm eveniat; ut ex sacris Vaticani Tabulis erutum Pauli V. Diploma Pontificium Successorum aliquis, nullo alio instructo examine, denuntiet: uti planè Gregorius XIII. Pii V. in Baium Diploma Pontificium è sacris Commentariis erutum promulgavit.

Sed, inquiunt Molinæ Vindices, Paulus V. Molinæ doctrinam ulla Pelagianismi alteriusve erroris notâ inuri, suo saltem Rescripto vetuit. Sit ita profectò: ut quid tamen illum Pontificii Rescripti pannulum ab altero dissuunt, ut illudant, suumque Molinam judicio Pontificio absolutum obtendant? Rescripti verba sic habent: *Dixit Sanctitas Sua se opportuno tempore promulgaturam declarationem ac determinationem suam: atque interim quàm seriò injunxit, ut in hujusce argumenti tractatione, nullus partem alteram notâ aliquâ vel censurâ notare audeat.* Jam quî fieri potest, ut eo instrumento Molinam Paulus absolverit, quo latum de ejus doctrina judicium in suspenso ponere, & in oportunum tempus transferre se, tam dilucidè, tam apertè significat? Non itaque Pontificis absolventis verba illa sunt; sed præcaventis, ne quis interim, donec lata sententia publicè prodeat, Sedis Apostolicæ judicium antevertat, præcipitique censurâ notet, quod nondum ex præscripto juris ab Apostolica Sede damnatum est. Prudens illa justaque omnino provisio est summi Judicis, non Rei absolutio. Cautio demùm, *interim*, ut Pontifex loquitur, opportunè quæsita, non lata sententia. Quid enim aliud verba ferant, quid ratio? Ego quidem, quantùm sapio, quantùm capio, neminem futurum existimem, cui tantillùm sensus communis affulgeat, qui id primo Rescripti Pontificii conspectu, non sponte fateatur ac probet. Iis ergo si lubet Rescripti verbis se muniant Molinæ Vindices, ut Magistri sui senta à privatorum censuris tueantur interim; modò ne finitam idcircò causam, absolutumque Molinam obtendant. Id enim si velint, non ipsa Paulini Rescripti verba obtusioribus ingeniis obvia utique patiantur.

Nec tamen feliciter eo scuto se munit larvatus Societatis Actor, in supplici Monitione ut Illustrissimi Remensium Archiepiscopi Censuram in suorum Theses districtam evitet. Non enim Scientiam-mediam Semipelagianismi damnaverat Illustrissimus Archiepiscopus; immò eam in Ecclesia toleratam interim, donec instructa lis extremo judicio eliquetur, fassus erat pag. 130. & 131. Decreti Pastoralis; sed stultam duntaxat eorum jactantiam fregerat, qui Molinianis triumphis plus nimio de-

delectati, Scientiam-mediam coram Summis Pontificibus tam diligenter agitatam, tanquam aurum in fornace probatam, purioremque inventam esse, & cum honore ex tot disputationum fluctibus emersisse fabulabantur. Ita quippe damnata ab ipso propositionis verba ferebant. Aliud porrò est Molinæ doctrinam Pelagianismi ex tribunali; (quod damnare donec lati judicii solennitas accesserit, non licet) aliud fatuam gloriationem retundere; qua in fornace judicii Pontificii probatus Molinismus ut aurum, purusque inventus jactitatur, æmulorumque exuviis onustus & coronatus inducitur. Uti etenim reverentia non patitur, ut quis Sedis Apostolicæ judicium in suspenso positum antevertat, eamque doctrinam proscriptam velit, quæ etiamnum ab Ecclesia toleratur: ita Pastoralis sollicitudo non sustinet, ut ii se superbiùs efferant, qui sententiam exspectant; eamque doctrinam in sacra judicii Pontificii fornace probatam, & puriorem inventam obtendant, quæ nondum admoto lydio lapide probata est. Tantùm verò abest, ut læsæ Pontificiæ autoritatis reus meritissimus Archipræsul agi possit, quasi ultimam Pauli V. voluntatem suâ censurâ violarit, uti illum audacissimus Scriptor petulanter incusat: ut potiùs eam omni ex parte cumulatissimè implevit, qui utramque Paulini Rescripti partem sartam tectamque voluit in districta Censurâ. Primam quidem, dum insulsos Triumphatores retudit, qui missam à Paulo V. in tempus aliud definitionem Apostolicam, quasi jam jam in Molinæ gratiam prodiisset, arrogantiùs obtendebant: alteram, dum Molinæ ejusque sectatoribus Pelagianismi notam, donec suspensa Apostolicæ Sedis sententia prodierit, nequaquam inurendam esse, disertissimè pronuntiavit.

Vide in Præfat. §. 4. Et hic cap. sequ.

Castigandus, immò duriori sententiâ plectendus mihi venit temerarius Monitor; qui propositionem ab eruditissimo Præsule justè petitam instauraturus, novumque Molinæ suo triumphum erecturus, publicam & constantem fidem appellat. *Quod Molina, inquit, aliorumque Theologorum doctrina, (qui ope scientiæ mediæ gratiam cum libero arbitrio conciliandam aggressi sunt) severissimâ omnium quibus Theologica doctrina committi potest, inquisitione agitata, purior evaserit..... Factum est constantissimum; cujus sacra Hispaniæ, Lusitaniæ, & Romæ Tribunalia, eorumque publicæ tabulæ fidem faciunt. Factum publicum est, & constantissimum.* O frontem nugacissimi & inverecundi fabulatoris! Ut sua figmenta venditet, illudátque speciosiùs imprudentibus, publicam fidem appellat, qui privatam deposuit. An ita publici Lusitaniæ, Hispaniæ, ac Romæ Commentarii ferant, pronuntient qui totam istam à nobis adornatam historiam legerint. Quid enim Lusitani, Hispani, atque etiam Belgici ferant, toto libro primo enarravimus: quid verò Romani, quibus in hujusce controversiæ tractatione standum magis, prolixè satis in reliquis diximus.

Stat ergo firma & inconcussa veritas, Paulum V. fiduciario Rescripto causæ meritum in suspenso reliquisse, latique judicii promulgationem in commodiorem tempestatem distulisse: nec modò finitam compositamve non esse litem, aut Molinam absolutum, liberumve dimissum, sed universa è contra promulgandæ demùm sententiæ præjudicia in ejus damnationem conspirare. Quo fit, ut quamvis neutri parti adjudicata lis dici possit, id tamen inter utramque doctrinam discriminis occurrat, quòd Thomistica præjudiciis Congregationum interim potiatur, eâque idcircò ratione doctrinalibus saltem judiciis probata, asserta, confirmataque sit: Moliniana è contra iisdem judiciis prædamnata, & ad tempus, donec ultima forma juris accesserit, tolerata.

Eam tolerantiæ notam, quâ meritissimus Remensium Archipræsul suo in Decreto Molinæ doctrinam sugillaverat, malo animo habet libelli famosi larvatus Autor, uti duram nimis & Moliniano nomini indecoram. At dura sit & amara, exedenda tamen, utpote quæ ex positis probatisque principiis sponte fluit. Quis enim doctrinam à suo ipso Autore uti novam venditam, ad Tribunal Pontificium illicò traductam, doctrinalibus Censorum deputatorum judiciis, integro ferè decennio habitis prædamnatam, instructo demum Pontificio diplomate confixam, missâ tamen in opportunum tempus sententiæ promulgatione, volitantem adhuc; quis, inquam, doctrinam eo rerum concursu positam, aliter quàm non damnatam; & toleratam appellet? Mitior profectò suaviorque nota illa est, quàm ut cuiquam movere stomachum possit, qui rerum omnium eventum & exitum certò noverit.

Verum instat ille: *Si sic est, Scholaque que Thomistica dogmata, non nisi permissa interim, ac tolerata dici poterunt. Æqua quippe utriusque Scholæ conditio: utraque perinde ab æmula parte traducta coram Summo Pontifice vadimonium obiit: utrique demum Pauli V. sententia ex æquo communis exstitit, quo-*

 vis

vis tandem nomine vocitetur, approbatio an tolerantia, an demum sentiendi pro arbitrio docendique venia: nulla Scholas inter facta discretio est.

At primò quidem sententiam a Paulo V. nullam re ipsa latam esse, sed factam dumtaxat sententiæ opportuno tempore promulgandæ denuntiationem, satis opinor ostendimus; falsum vero, utramque scholam ex æquo ab æmula parte fuisse traductam, si ipsos etiam Societatis autores consulere libet. Prædicatores enim, religioso tuendæ catholicæ fidei zelo, Moliniana dogmata ad Summi Pontificis tribunal detulisse, testis est isque locupletissimus Didacus Baeza Societatis Theologus, tametsi medullitùs Molinista, tomo 3. comment. moralium in Evangel. histor. lib 15. cap. 2. §. 7. *Laudo*, inquit ille, *sacrum Prædicatorum Ordinem, qui pro fide stans, ubi Ludovici Molinæ Societatis Jesu splendidissimi Theologi* CONCORDIAM *de libero arbitrio suspectam habuit, rem ad fidei Judicem Summum Pontificem detulit; & vel suspecta dogmata asterisco notans, coram tanto Judice alacriter pro fide pugnavit.* Contra verò Societatis Theologi, animo potiùs in transversum acto ac veluti clarigationis jure, de Thomistarum dogmatibus expostularunt, ut ea dextera machinatione objecti Pelagianismi censuram averterent. Sincerior hìc Ripaldæ Societatis Theologi fides, quàm ut res vertatur in dubium. *Bannes*, inquit ille, tom. 2. disp. 113. sect. 9. *& plerique ejus discipuli in publicis disputationibus, privatisque sermonibus, cœperunt notare Molinæ sententiam ut Pelagianam: Nostri è contra, ut notam Pelagianismi evitarent, objiciebant opposita notam Calvinismi.* Ac re ipsa quidem, nemo omnium inventus est unus, qui in hac tota gravissimæ controversiæ tractatione Prædicatores non ut Actores agnosceret, Molinianos ut Reos in judicium adductos: quòd videlicet nemo non nosset, Molinianos de Prædicatoribus expostulasse dumtaxat incœptâ causâ, ut crimen in suos Accusatores regererent, ipsique Pelagianismi suspicione liberarentur. Quin etiam fuit hæc Societatis communis opinio; quæ ubi primùm datam interim à Paulo V. utriusque Scholæ doctrinæ tuendæ veniam inaudivit, illicò adjudicatam sibi ipsi litem conclamavit, quod & Brietius jam à me appellatus suis Annalibus inseruit. Id enim nulla veri specie conclamasset, si utriusque Scholæ sententia ad Tribunal summo jure, & ex æquo ab æmula parte traducta fuisset. Sic quippe factâ utriusque sententiæ docendæ veniâ, utrique vel ex æquo adjudicata lis, vel nulli concessa dici potuisset. Soli itaque personam Rei sustinebant, qui datâ utrique parti doctrinam suam interim propugnandi veniâ, soli tamen adjudicatam sibi litem existimarunt. Quod tamen meritò ne an immeritò conclamarint, dicemus sequenti capite.

Falsum rursùs Pauli V. Rescriptum utramque Scholam ex æquo petere; aut certè utrique pariter ex tolerantia indulsisse, ut sensa sua sine alterius partis morsu tueretur, si nempe Rescriptum hoc, cum anteactis & præjudicatis in antecessum conferatur. Cùm enim Moliniana dogmata, in tota causæ tractatione, ac demum in meditata Bulla Pelagianismi damnata sint, è contrario Thomistica, sana ac planè Augustiniana pronuntiata fuerint; quæ demum à Pontifice utrique parti venia facta est, sua interim sensa tuendi, donec instructa sententia palàm prodeat, Molinianæ quidem Scholæ occulto judicio prædamnatæ indulgentia est, tolerantia, ut summè permissio; Thomisticæ eodem occulto judicio absolutæ, jus summum ac strictum. Id exemplo compertum habes. Nam si è duobus ad tribunal vocatis, alterum instructâ causâ innocentem agnitum, alterum reum convictum videris: interim tamen Judex, missâ in opportunum tempus meditatæ sententiæ promulgatione, utrumque interim suæ fortunæ permittat; nunquid indulgentiam in unum, in alterum jus summum factum agnosces? Id planè in ea, de qua nunc agimus lite, comprobatum est. Scire tantùm hìc juvat, ne quid huic ratiocinio desit, an in præjudicatis Moliniani damnati sint. At non ipsa tantùm secretiora quæ tulimus hujus Historiæ documenta probant, sed sua ipsa agendi ratione Moliniani significant, cum à Prædicatoribus toties provocati, ut conjunctis studiis pro definitionis Apostolicæ à Paulo V. meditatæ promulgatione coram Apostolica Sede supplicarent, toties retrocesserint: adeò illos instructi in Molinam judicii conscientia mordet. Qua de re pleniùs infra, ac præsertim capite ultimo.

Falsum demùm Paulum V. Rescripto suo veniam fecisse interim Molinianæ doctrinæ distinctè tuendæ, uti larvatus Societatis Monitor confidenter pronuntiat. Hoc enim unum Rescripto sanxit, ne cui in divinorum Auxiliorum tractatione partem alteram mordere liceat, *Tra tanto ha ordinato molto seriamente, che nel trattare di questa materia, nessuno ardisca, di qualificare o censurare l'altra parte.* Nulloque pacto vel leviter innuit, licere interim hujus argumenti tractatoribus, privatas Molinæ opi-

opiniones defendere. Quare non erit imprudens, qui Pontificium Rescriptum intelligendum putaverit, salvâ juris & conditionis prærogativâ, quam anno 1598. Clemens VIII. Prædicatoribus asseruerat: ut videlicet ii de divina gratia tractarent juxta D. Thomæ mentem, uti hactenus egerant; Moliniani contra, non ut hactenùs egerant, & juxta Molinæ placita, sed ea solummodò lege, ut sanam & catholicam doctrinam tuerentur. Sic enim Pontificis nomine declaraverat Cardinalis à S. Severina, die 26. Februarii 1698. uti pleniùs capite ultimo libri primi dictum est.

CAPUT VIGESIMUM.

Jesuitæ Hispani, audito rei nuntio, victoriam sibi accinunt: horum jactantiam & gloriationem Paulus V. privatis Rescriptis coercere jubet. Gallos Triumphatores censurâ notat Archiepiscopus Remensis.

UT primùm vulgari cœpit Pauli V. Rescriptum, quo judicii promulgatio in aliud tempus mittebatur, non uno eodemque vultu a partibus dissidentibus exceptum est. Prædicatores qui adjudicatam sibi litem certò noverant, auditâ sententiæ procrastinatione, consternabantur; cùm ex adverso Molinæ Vindices, qui corrugantes in fulmen nubes observaverant, jamque de doctrina sua actum penitùs existimabant; accepto dilatæ sententiæ nuntio, quasi extremo subducti periculo triumpharent.

Id in Hispaniâ maximè videre fuit: ubi usque adeo Jesuitæ falsis reportatæ victoriæ rumoribus plebem universam occupaverant, ut penè Prædicatores digito monstrarentur. Nec verò eis hujuscemodi mendaciis plebem alere, satis erat; hanc etiam Salmanticæ, Vallisoleti, Valentiæ, Villagarciæ, Toleti, publicis gaudii significationibus recrearunt. Feriæ universis studentibus triduum indictæ; volatilium ignium festivi apparatus; publicæ fabularum actiones; tauri per plateas & vicos agitati; triumphales arcus magna mole positi, quorum in fronte aureis litteris incisum erat, MOLINA VICTOR: atque inter eos profanæ gentilitatis ludos, solennia sacra in gratiarum actionem offerebantur. Fuere, qui varias inter Molinæ laudes, sacros ei titulos deferrent, victoriamque, quanta quanta erat, *Hujusce sancti Patris* (sic etenim loquebantur) meritis adscriberent.

Verùm non diu penes vanos triumphatores mendacii sui stetit usura. Romam quantociùs perlata res est. Epistolas transmissorias, quibus amicos de reportatâ victoriâ commonuerant, aut ad indictos ludos invitaverant, Notariorum fide recognitas excepit, nec sine risu legit Paulus V. unam hic Lectori dabo, ex qua cæteras discere liceat.

Epistola Antonii Montesino Societatis Jesu, ad Illustrissimum Virum Joannem Gasco, Dominum de Rioseco.

VIR ILLUSTRISSIME, *Dei optimi maximi beneficio factum est, ut nuntium longe lætiorem exciperemus, quàm unquam ex quo tempore instituta Societas est, nobis evenerit, aut unquam eveniet in posterum. Summus Pontifex Societati litem adjudicavit, in ea prægravi controversia, quam ante tot annos adversùs Scholam nostram Prædicatores, objectâ pertinaciter hæreseos accusatione, instituerant. Jam tandem oraculo Pontificio Ludovici Molinæ, in quem potissimum movebantur, doctrina omnis vera atque catholica, supra omnium nostrum vota, pronuntiata est. Atque ideircò adversa sententia, quam profitentur Prædicatores, hæretica, aut certe suspecta putanda erit. In hujus rei gratiam, nobis in animo esset, noctem hanc festivis ludis transfigere, Missamque admodùm solennem crastina luce matutinis horis celebrare, pro gratiis referendis. Quapropter dignabitur Dominatio Vestra, Castri sui Tibicines & Tympanotribas mittere quantociùs, qui hic totam noctem, diemque crastinum, ad horas usque serotinas permaneant. Pecuniam præsentium latori monstravimus, ad coemendos ignitos tubulos volatiles: id enim præ cæteris in mandatis habet. Poterit Dominatio Vestra, si libuerit, nuntium hunc intra ditionis suæ fines pervulgare: immò Prædicatoribus ipsis, si se dederit occasio, denuntiabit. Datum in Villa-Garcia die* 20. *Octobris* 1607. *Ex Hispano Latinè datur. Exstat in Collect. Lemosii.*

ANTONIUS MONTESINO.

Hæc eadem Thomam de Lemos frequentibus Epistolis monuerunt Hispaniæ Prædicatores, ut fanaticos triumphos, stolidamque gloriationem suis apud Pontificem officiis coerceri provideret. Risumne potiùs, quàm lacrymas moveant, dicat qui leget. * *Molestè omninò sensi*, scribebat Joannes de Arcediano Hispaniæ Provincialis, die 27. Octobris, *definitionem controversiæ de divinis Auxiliis adeo differri, ut So-*

* Mucho me ha pesado que la publicacion de la causa de Auxiliis se dilate tanto: que los Padres de la Compañia publiquen por aca victoria, y en Palencia corrieron Bueyes por las calles, y hizieron otras alegrias; publicando que su sentencia se havia dado por probable, y que se quedaria para siempre, como la Concepcion de Nuestra Señora. Y en Villa-Garcia y en otros Conventos, han hecho grandes fiestas. De todo lo qual se podria embiar testimonio cierto, para dar cuenta à Su Santidad.

Societatis Patres victoriam hic sibi accinant. Palentiæ tauros per plateas & vicos agitarunt, aliasque dedere publicas lætitiæ significationes: doctrinam suam uti probabilem admissam jactitantes; illamque deinceps eodem loco futuram, quo Immaculatæ Conceptionis opinio relicta est. Villagarciæ aliisque passim locis, festivi ludi indicti sunt. Quibus de rebus authentica documenta mitti possent, ut moneatur Sanctitas Sua. Addebat, ut de reliquis taceam, Petrus de Herrera, Primariæ Cathedræ in Academia Salmanticensi Professor, in suis, sub die 20. Novembris. * *Nonnulli Societatis Patres, minùs prudentes, affirmarunt Sanctitatem Suam Molinæ librum approbasse: hujusque sancti Patris Orationes, judicium hoc è cælo obtinuisse. Hic publico programmate inscriptum ab illis fuit,* MOLINA VICTOR. *Villagarcia & Palentia festivos ludos, & scenicas fabulas celebrarunt.*

Non multò post, publicas Hispaniæ Provinciæ Ord. Præd. supplicationes, datis ad Paulum V. Epistolis, detulit qui præerat Joannes de Arcediano, unà cum Collegii Vallisoletani moderatoribus, de injuria sibi à Patribus Societatis irrogatâ querebantur, quòd in ipsos facta veluti manu, & erecto minaciter supercilio petulantiùs insurgerent; suasque de reportato triumpho tabulas etiam ex pulpito venditarent. Sic illi suppliciter tristes precabantur.

BEATISSIME PATER.

„ Cùm in te uno Christiani Orbis patente, & Pontifice Summo, fidelium spes sita sit, solatiumque locatum; non possumus non summa cum fiduciâ Beatitudinem Vestram exorare, ut quæ in Republica nostra emergunt, pacique ac tranquillitati ejusdem videntur obesse, propulsanda ac repellenda curet. Quapropter cum nuper rumor quidam irrepserit, ex minùs rectâ intelligentia eorum quæ circa materiam de Auxiliis tot abhinc annis controversam, Beatitudo Vestra statuit observari; Patres Jesuitæ, nescio quo spiritu arrepti, in nos invehuntur, & quasi ex tanto brachio elevati, publicis demonstrationibus populo persuadent, doctrinam quam P. Molina edocuit, & omnia quæ in ejus libro extant, vera esse, catholica, & à fidelibus tenenda: & quod magis pensandum est, id Apostolico Decreto sancitum affirmant. Insuper doctrinam nostram hæresi subjacentem, & ad minùs suspectam astruxit quidam Pater Antonius Montesino Jesuitas ut ex ejus Epistola, data in Oppido Villagarcia, & ad Oppidum de Rioseco missa valet deprehendi. Necnon etiam in Palentia Urbe, alius ejusdem Societatis Pater suggestum conscendit, & inter concionandum, idem ut dogma certum populo proposuit. Et in multis Hispaniæ locis, ut Salmanticæ, Toleti, Medinæ-del-campo, id ipsum prodidere; & accersitis civibus, cereis luminaribus accensis, sonitu clangoreque tubarum, voti compotes contra nos evasisse gloriati sunt, & utriusque sexus fidelibus id in animum inducere student & affectant. Mulieres enim invisentes, tam supremæ quàm infimæ notæ, sine aliqua prorsùs distinctione, de hac materia verba faciunt. Et quamvis Religio nostra Prædicatorum iis veluti injuriis lacessita & labefactata videatur, eoque animo hæc facta existimet, ut nos canes Dominicos sugillare, latratusque nostros comprimere valeant, Angelicique Doctoris S. Thomæ Aquinatis doctrinam ab Apostolica Sede summis laudibus evectam, & Oecumenicorum Conciliorum Decretis approbatam carpere nitantur: hæc, inquam, licet nos mœrore afficiant; quod tamen molestiam nostram auget, acerbioremque dolorem nostrum facit recrudescere, est cognoscere, in re gravissima tantique ponderis, eos Patres ausu temerario sanctæ Sedi Apostolicæ Beatitudinique Vestræ falsum testimonium imponere, & contra mentem ire, animisque hominum, ut vera hæc inserere. Ex quo ingens scandalum in Ecclesia pullulat, multique ex fidelibus turbari incipiunt. Nos etiam rubore suffundimur, & intra privatos parietes delitescere cogimur, plurimique catholici sapientissimi deficientes animo, ab incœpto tramite defendendi veram salubremque doctrinam pedem avertunt. Si enim cum tanto detrimento & præjudicio hæc præstanda sunt, quis non succumbat & retrahatur, etiamsi multa impugnatu digna erumpant in Ecclesia? Hæc sunt quæ nostram Provinciam Hispaniæ, istudque Gregorianum Collegium summoperè affligunt. Tu ergo, Pater Sanctissime, cui pro munere incumbit, agrum Ecclesiæ sibi destinatum zizaniâ repurgare, hæc videas, pio mediteris affectu, nosque filios tuos & alumnos provolutos pedibus tuis sanctissimis foveas & respicias. En adsumus sanctissimæ tuæ dispositioni obtemperantes, & (prout moris in nostra Reli-

* Algunos Padres de la Compañia menio considerandos dixeron aver Su Santidad aprovado el libro del P. Molina: que las Oraciones d'esto santo Padre desde el Cielo lo avian alcançado. Rotularon le aqui, MOLINA VICTOR. En Villa-garcia y Palencia hizieron fiestas de cohetes, mascaras &c.

„ Religione est) catholicis decretis libenti „ animo, submissaque cervice auscultantes: „ supplicesque omnes Vestram efflagitamus „ Beatitudinem, ut quæ in eis tenenda sunt „ definiat & statuat, ut Christianus popu- „ lus feliciter incedat, pax & quies in nostris „ finibus reperiatur, omniaque optato nitori „ restituta subsistant. Vale, Sanctissime Pater, „ Teque Deus Opt. Max. incolumem servet. „ Datum in Vallisoletano D. Gregorii Col- „ legio die 26. Novembris anno D. 1607. „ Vestræ Sanctitatis humiles servi & filii. „ Fr. Joannes de Arcediano Provincialis His- „ paniæ, Ordinis Prædicatorum. Fr. Petrus „ Paladinas Rector Collegii S. Gregorii Val- „ lisoletani. Fr. Didacus Nuño Magister & „ Studii Regens.

Ex Adversariis Pegnæ.

Humiles illas Hispaniensis Provinciæ supplicationes suis apud Pontificem officiis promovit Franciscus Pegna, Rotæ Romanæ Decanus, die 28. Decembris, quâ ad secretiorem Suæ Sanctitatis audientiam admissus est. Exposuit vir pientissimus, Hispaniæ Regnum perpetuo schismate discissum iri, nisi intra breve tempus, quam promiserat sanciti judicii promulgationem palàm faceret. Regem Catholicum, hac una imminentis, ut confidebat, promulgationis exspectatione etiamnum ali, quâ solâ hujusmodi hominum audacia coerceri posse videbatur. Novas demùm in dies detegi nonnullorum artes, qui Pontificiæ autoritati petulantiùs obloquerentur, & ad Concilium generale, pro finienda controversia, provocandum existimarent.

Tria hæc alto secum animo reputavit Paulus V. mox Regi Catholico ab Hispaniarum Oratore suo nomine scribi jussit; usque adeò se Auxiliorum controversiæ non oblivisci, ut illam è contrario præ cæteris Pastoralis officii curis memoriæ defixam gereret, eamque die qualibet sacra faciens Deo commendaret. Subjunxit cum stomacho sanctissimus Pontifex, multum abesse ut suo illo Rescripto litem Jesuitis adjudicasset, cum eorum doctrinam nequidem uti probabilem admisisset. *Con mucho sentimiento*, inquit clarissimus Pegna in adversariis, *me dixo, no ser verdad, que huviesse aprovado la opinion de los Padres de la Compañia por probable.*

Non sine stomacho mihi dixit, verum non esse quod ipse opinionem Jesuitarum ut probabilem approbasset.

Interea Hispanis Episcopis, Inquisitoribus, cæterisque Viris Religiosis, qui vanos Societatis triumphos, sparsosque rumores denuntiaverant, ab Oratore Regio, Francisco Pegna, & Thoma de Lemos rescriptum est. Communem Epistolarum formulam, sibi in antecessum exhibitam, legit semel & iterum Paulus V. atque in hunc modum emendavit, quem ab eis in scribendo servari voluit. Hæc porro erat Epistolarum formula.

E visto lo que V. S. me escrive en la materia de Auxilius. Y me maravillo mucho, que contra la intencion de Su Santidad, osen afirmar semejantes cosas: por que la verdad es, que Nuestro Señor no a establecido cosa ninguna. Antes aviendo à si reservado la determinacion, actualmente piensa, y trata della. Y afirmar lo contrario, es grande desacado è injuria, que se haze à la persona de Su Santidad, y à la santa Sede Apostolica. Que es todo lo que puedo dezir en esta causa, con toda la seguridad, y certeza moral, que, se puede tener. Y de todo lo contrario que a conteciere de aviso: para que los inobedientes sean conocidos. Quod ita Latinè reddas: *Legi quæ scripsit Dominatio Vestra circa auxiliorum controversiam. Obstupesco vehementius, quòd contra Sanctitatis Suæ mentem, hujuscemodi fabulas dictitare atque in vulgus spargere audeant. Certissimum quippe est, nihil à S. D. N. definitum esse. Immò post reservatam sibi determinationem, eam etiamnum animo meditatur & tractat. Quapropter qui oppositum affirmant aut divulgant, summa impudentiæ rei sunt, & injuriæ, quæ Sanctitati Suæ & Apostolicæ Sedi irrogatur. Hoc autem est, quod mihi hac in parte, omni asseveratione omnique, quanta haberi potest, morali certitudine dicere liceat. Rescribas, si quid in oppositum tentari contigerit; ut dignoscantur inobedientes. Romæ 8. Januarii 1608.*

Statim atque Rescriptum istud (quod jubente ac veluti dictante Pontifice missum clarissimi viri significabant) in Hispaniis exceptum est, tota evanuit inanium Triumphatorum gloria, qui tot mendaciorum pigmentis stolidam plebem implanaverant: quanquam ad dissipandam vanitatem primum Pontificis Rescriptum plus satis esset. Hincque experimento comprobarunt universi, quàm injusto improboque titulo litigarent, qui ob unam judicii dilationem, victoriam sibi cecinerant: cùm ii potiùs injuriam irrogari sibi putent, qui se causâ superiores existimant; ubi sanciti judicii promulgationem in aliud tempus differri sentiunt.

Stabant nihilominus animis Molinæ vindices pristinâ licentiatione pulsi. De S. Thomæ doctrina longè quàm antea licentiùs pronuntiabant; novas in dies cudebant opiniones. Quæ res Generali Ordinis Prædicatorum Capitulo, Romæ anno 1608. celebrato, causæ fuit, ut istud pro Hispaniæ Provincia decretum ederet. *Injungimus Admodum Reverendo Patri Provinciali, ut*

de

de gravi consilio prudentum designet quatuor Patres in Provincia, doctrinâ, eruditione, scribendi usu & peritiâ præstantes; qui omni studio in hanc unam curam incumbant, ut solidam & sinceram S. Thomæ doctrinam, modis omnibus propugnent, novasque doctrinas & opiniones exorientes comprimant ac refellant, editis & publicatis hisce de rebus libris & tractatibus, ad communem utilitatem.

At deteriori adhuc res loco fuere secutis temporibus. Spretis Pauli V. & Romanæ Curiæ Rescriptis, litis exitum dissimularunt Molinæ Defensores; ut multò confidentius domesticis triumphis applauderent. Hinc Didacus Baeza tom. 3. Comment. moral. in Evang. hist. lib. 15. cap. 5. §. 7. *Ea erat*, inquit *Molinæ doctrina, quam nec anni domuere decem, nec prælia mille. Immo post tot prælia, post tot doctissimarum hominum jacula, judicante Pontifice Maximo invulnerabilis apparuit.*

Sylvester Maurolicus lib. 5. Oceani Relig. *Liber de Concordia gratiæ & liberi arbitrii, positus in fornace examinis Pontificii, & sæpius igne probatus, deprehensus est aurum omnibus numeris purgatissimum.* Quæ verba exscribit Theophilus Raynaudus Diatr. 8. §. 140. suaque facit.

Franciscus Perrinus in Thesibus Tholosæ habitis anno 1681. *Diu multumque Romæ & magnâ animorum contentione disputatum est à Doctoribus Ordinis S. Dominici & Societatis Jesu. At post longum & accuratum examen, libera mansit & incolumis Scientia-media.*

Alii passim, *Scientiam-mediam victricem*, appellant, *quia non victam.* Quos inter P. Labbe Molinam his ornat coronis & floribus, lib. 2. Elog. pro reportato Scientiæ-mediæ triumpho.

Hic est vir ille, cujus doctrina, non vita,
Publica Academiarum thesis.
Alicubi victrix, ubique hactenus invicta stetit.
Nulla pars doctrinæ contra fidem,
Non omnis tamen de fide est.
Nulla pars falsa, non omnis tamen est certa:
Nec certior adversa doctrina.
Utramque permittit Roma, neutram damnat.
Utra potior sit, judicent docti.
Hæc ad examen vocata, indemnis exiit:
Altera nondum ad examen venit.
Timeri initio cœpit, dum crederetur nova:
Timeri desiit, cum apparuit veterana.

Pergebant quo pede cœperant festivi Triumphatores. Majorum exempla secuti, novum Molinæ suo Remis triumphum excitaverant die 5. Decembris anni 1696. de quo prolixius in Præfatione, paragrapho quarto dictum est. Scientiam mediam his floribus coronaverant, in Thesibus publicis: *Doctrina Ludovici Molinæ, aliorumque Theologorum, qui doctrinam libertatis humanæ cum gratia divina ope Scientiæ-mediæ tradere enucleatius tentarunt, ita ab errore Calvini aliorumque hujus ætatis sectariorum recedit, ut ad opinionem Pelagianorum nullo modo accedat. Et ideo tam valide impetita, toties à diversi generis hostibus impugnata, & coram Summis Pontificibus tam diligenter agitata*, tanquam aurum in fornace probata, purior inventa est, *ut ait Maurolicus, & cum honore ex tot disputationum fluctibus emersit.* Verum præsto fuit Illustrissimi Archipræsulis ac Ducis vigilantia. Excitatum triumphum solenni Censurâ dejecit, ac disturbavit die 15. Julii anni 1697. Propositionem Thesibus inscriptam, uti falsam, temerariam, scandalosam, captiosam, & in errorem inducentem, damnavit, decreto publico ad Academiam Remensem directo, summâ eruditorum omnium veneratione suscepto: cujus defensioni, tametsi ope nostra non egeat meritissimus Archipræsul, magnam Historiæ nostræ partem consecravimus. Qua de re consule Præfationem, paragrapho 4.

CAPUT VIGESIMUM-PRIMUM.

Ferdinandus de Bastida Hispaniam repetit: ubi Societatis doctrinam & habitum exuit. Hujus historiæ veritas contra nonnullos Scriptores defenditur.

Fuit hæc Molinianæ Scholæ jactura non levis. De discessu in Hispaniam cogitaverant partes utriusque disputatores, cùm primùm ex Pontificio Rescripto æstimatum fuit, velle illum ut abirent universi. At secretiori Dei consilio effectum est, ut ex Prædicatoribus nemo discederet. Alvaresius enim ex Catholici Regis nominatione ad Archiepiscopatum Tranensem assumtus fuit, eodem penè tempore, quo Generalis Prædicatorum Præpositus, qui suæ etiam in hisce disputationibus eruditionis specimen dederat, Purpuram induit. Lemos, recusato Episcopatu quem illi Philippus III. obtulerat, Romæ substitit, universalis Inquisitionis Consultor institutus, die 25. Novembris 1607.

Solus Bastida Hispaniam petiit sub initium anni sequentis, post sedatam aliquantulum hiemis inclementiam. Per Galliam acceptâ occasione iter habuit, duxitque Parisiis menses aliquot, ut Cardinalem Peronium,

monium, quem Romæ Agonothetem expertus erat, salutaret, totiusque Societatis nomine exsolveret grati animi censum. Verùm obstupuit vehementiùs novum ab Eminentissimo Viro indutum ingenium. Cùm enim die quadam præsente Andrea Duvallio, Regio Sorbonæ Professore, Cardinalis aures variis rationibus obtunderet, quibus Scientiam-mediam Deo necessariam probabat, ut homines salvâ libertate converti possint; significavit Perronius, longè se aliter sentire, atque inter alia reposuit: *Quare non potest Deus dare gratiam per se & absolute victricem?* Eo responso perculsus Bastida, Perronium multùm ab illo mutatum sensit, qui Romæ fuerat; rogavitque supplex, ut rem silentio tegeret. Novit profectò fervidus Molinæ Vindex, quantùm Doctorem inter, & Regium Oratorem discriminis esset. Romæ quippe Oratoris partes Perronius egerat, eoque titulo Societatis causam ex Henrici IV. mandato promoverat. Hic jam Doctoris personam induens, non quid alii vellent, sed quid ipse sentiret, referebat. Guillelmi Gibieuf verba sunt, in MSS. prænotatione ad Opus suum de libertate Dei & Creaturæ. *Cardinalis Perronius*, inquit, *Bastidam Jesuitam ad colloquium admisit, quo tempore Lutetiâ in Hispaniam iter habens, regia in urbe aliquandiu substitit. Cumque bonus Pater magno et studio rationes exponeret quibus scientiam conditionalium Deo necessariam contendebat, ut homines illæsa libertate convertat; significavit Cardinalis, longè se ab illo sentire: ac inter alia reposuit.* Quare non potest Deus dare gratiam per se & absolutè victricem? *Aderat huic collationi præsens Dominus Duvallius. Obstupuit bonus Pater, animadvertens Cardinalem longè aliter sentire, quàm putabat ipse; eumque propterea rogavit supplex, ut rem totam silentio tegeret. Novit tunc quantùm discriminis intersit, virum inter, qui ex Oratoris officio Principis sui causam agit; & Theologum, qui Doctoris personam sustinet. Romæ dum esset Perronius, Oratoris partes agebat, voluntati Regis obsecutus, qui hanc illi Societatis causam adversùs Prædicatores commendaverat: hic verò, pro Doctoris officio, quid reipsa sentiret libere pronuntiabat. Totum id mihimet ipsi enarravit Dominus Duvallius.* *

* *Versum ex Gallico quod habetur suprà pag. 567.*

Eo exsolutus urbanitatis officio iter in Hispaniam prosecutus est. Ubi excusâ Jesuiticâ professione, Abulæ primùm, tum Vallisoleti supplicavit pro Canonicatu & Gradu Litterario in Academia suscipiendo. Scholasticas ob id exercitationes habuit ex lege sancitas, non sine eruditionis & doctrinæ fama; quâ sibi ad Antecessoris & Cancellarii Vallisoletani munus viam fecit. Novâ dignitate auctus, sui juris effectus est. Cum veste Societatis doctrinam exuit; seu fortè, quod opinari malim, intimos animi sensus, quos hactenùs prudenter abdiderat, in aperto posuit; dum gratiam per se efficacem, seu physicè prædeterminantem, ea firmitate suis in prælectionibus defendit, quâ illam oppugnaverat Romæ. Testem nobis locupletissimum profert Joannes Martines de Prado sanctitatis opinione notissimum, in Controv. Metaph. part. 2. Controv. 12. art. 2. §. 3. ubi de illis agens, qui physicam prædeterminationem docuere: *Publicè*, inquit, *nostram sententiam docuit P. Ferdinandus de Bastida, olim Romæ unus ex Scientiæ-mediæ defensoribus pro Patribus Societatis; à quibus postquam abcessit, propriam mentem explicuit Abulæ & Vallisoleti. Cujus facti testem adhibeo gravissimum, omni exceptione majorem, nempe Illustrissimum & Reverendissimum D.D. F. Petrum de Tapia, Seguntinum Antistitem; qui totum hoc publice testatus est in Tractatu de Gratia, quem dictavit publice cum esset Primarius Complutensis.*

Idem refert Thomas Sourges in Florid. ad mensem Maii. Autor Apolog. Censur. Pau'ne Fassead cap. 2. sect. 6 Compen. Historia de Auxiliis.

Mirùm quantùm se hoc loco torqueant Germanus Philaletes & Gabriel Henao, ut Bastidæ palinodiam effugiant! Desertam quidem ab illo Societatem fatentur, nulquam tamen priorem opinionem exutam. Tametsi, inquiunt, in scholasticis exercitationibus, quas pro Canonicatu aut Gradu Academico obtinendo habuit, Thomistica fortè Dogmata defenderit, tùm ad sui ostentationem ingenii, tum ad Prædicatorum gratiam demerendam. Quasi verò Bastida publicam illam sententiæ suæ simulationem magno scholæ Molinianæ detrimento cessuram, & publicæ palinodiæ loco ab æmulis exceptum iri nescivisset; aut ipsi, si non jam pro physica prædeterminatione stetisset, defuissent alii Præsides, aliáve Collegia, ubi lauream adipisci fas esset; aut solitas de more prælectiones, tacitâ præmotione habere non posset; aut non soleant publici Professores contrarias sibi opiniones Defendentium arbitrio permittere: ut tam indignâ tam projectâ simulatione Prædicatorum gratiam demereri necessium esset.

Germ. Philaletes. Gabriel Henao, & alii.

Sed, reponit Henao, usque adeò Bastidam, desertâ etiam Societate, pro Scientia-media decertasse, ut pervulgatum olim adagium Vallisoleti circumferretur: *Videtur Bastida nihil nisi Scientiam-mediam & auxilia scire*; suoque demùm Testamento quatuor habitarum Romæ Disputationum

volumina legarit Vallisoletano Societatis Collegio: ut quando per Apostolicam Sedem fas esset, darentur typis. At quid hæc tandem sibi volunt? Profecto quòd primum attinet, Molinianam causam nihilo juvat, etsi verum supponatur: cùm & Scientiam-mediam, aut quemvis errorem scire necesse sit, ut eo melius impugnetur. Alterum minùs urget, nec undecunque verum est. Quid enim si Societati elaboratas Romæ lucubrationes dono dedit? Dedit certè, quòd illas Societatis esse, non suas agnosceret; quibus elaborandis suas alii Jesuitæ operas locaverant: aut fortè, ut & ipsi rationum vanitatem experti, ejus exemplo castra mutarent. Figmentum quippe est, quod de curandæ editionis voluntate subjungit Henao: cùm ea in re a Paulo Fasseau suppositionis olim postulatus, appellatusque ut Bastidæ Testamentum proferret, vadimonium deseruerit. *Fateor*,

Sect. 174. num. 1857. inquit, *me antea non curasse de quærendo Bastidæ Testamento, numque à me diligenter quæsitum, sed non fuisse inventum.* Talibus ô vos, favete superi!

Lib. 1. Theol. fun. cap. 1. fund. 2. Thesi 3. Expeditiorem tuendæ causæ viam inierant alii. Vexillum erexerat celeberrimus Caramuel, qui novo clarigationis jure usus Bastidæ palinodiam objectantibus, Lemosii desertionem opponebat: subtimide tamen, ut primis fabularum venditoribus solenne est. *Thomistarum est*, inquiebat, *nobis ostendere, an non Pater Lemos, olim Romæ physicas Prædeterminationes esse contra D. Thomam docuerit.* Atque ut nullus ita delirat, qui non aliquem suffragatorem statim habeat; Caramuelem non longo intervallo sequebatur Christophorus Ortega, vir figmentis obtrudendis feracissimus:

Cert. 3. de Decret. disp. 1. q. 5. cert. 2. n. 3. *Magister Lemos*, addebat iste, *physicarum prædeterminationum Dominicanus Romæ propugnator, eas nihilominùs contra S. Thomam esse, publicè ibi docuisse fertur.* Nec dubitandum quin brevi unus aliquis oriturus esset, ex eadem fabulatorum natione, qui figmentum adeo putidum ut rem compertissimam affirmasset, nisi visis eximii Lemosii editis Operibus, calamum compressissent. Quæ certè si priùs publicæ luci data essent, nemo omnium, non Caramuel, non Ortega, ita famam suam in orbe litterario commisisset, ut rem adeo incredibilem effutiret. Vix enim Opere in tanto pagina occurrit, quæ physicam Prædeterminationem non spiret. Nec verò quisquam erit opinor, qui

Tom. 1. tract. 6. cap. 2. pag. 130. & 288. decantatam ab Lemosio palinodiam velit, post adornatum illud Opus. Cùm enim varia in eo recenseat adversæ sententiæ opuscula ad annum 1623. edita, necesse omnino est, ut suum ipse Opus, vel scripserit vel recognoverit saltem anno illo, qui sextus ante ejus obitum fuit: atque ita, ad illam ætatem annorum septuaginta & octo (tot enim eo tempore numerabat) physicam prædeterminationem propugnarit. Quis autem residuam ætatem, ferendis publici Regentis oneribus parem dixerit, ut quod fingitur publicè doceret? Etsi nec antea quidem, nec unquam in vita, Lemosium Romæ publicè legisse, certò probent Collegii Minervitani Tabulæ; in quibus cæteros inter studii Regentes Lemosius nusquam legitur.

Sed ecce novam eo in theatro fabulam agit Leodiensis Actor, à me non semel in superioribus & in Præfatione pro suis meritis ventilatus, suique Caramuelis, cujus ad hariolandum suffragio nititur, sensum minùs intelligens, novum Lemosio affingit palinodiæ genus. Eum scilicet adversùs physicas prædeterminationes, non solutis quidem Auxiliorum Congregationibus docuisse Romæ, sed antequam Congregationes illæ haberentur. *Noveris*, inquit ille Abbatem suum alloquens, *Dominicanum illum, qui in iis Disputationibus confidenter defendit, prædeterminationem ex D. Thomæ sententia debere admitti, eundem, inquam, illum Dominicanum, ut eruditus quidam Episcopus scribit, paulo antea Romæ oppositum docuisse.* Sic nempè, sua ut figmenta libentius obtrudant, intestino dissidio committuntur fabulatores, dum mutuas sibi videntur conferre dexteras. Nec etenim eruditi sui, ut appellare lubet, Episcopi, cujus suffragium implorat, sensum attigit audacissimus blatero; decantatam quippe post solutas Congregationes palinodiam effutierat Caramuel, jam satis à me confutatus; nec Romæ, quod caput est, unquam ante ortas disputationes aut docuit aut etiam fuit Thomas de Lemos; ut quidquam illic contra physicas prædeterminationes ante id temporis scriberet, aut suis auditoribus traderet. In Hispaniis quippè toto vitæ tempore substiterat, cùm primùm anno 1600. Romam missus, causam Divinorum Auxiliorum triennio in antecessum inceptam promovit, publico sui Ordinis nomine. Quidni ergo futurum tandem aliquando speremus, ut quidpiam fortè Parisiis a Lemosio adversùs gratiam efficacem scriptum, aut publicè dictatum in scholis obtendant, ut eandem illam decantatæ palinodiæ fabulam novis pigmentis obducant?

Idem penè in Guillelmo Estio videre fuit, cui ex eodem tripode divinatores festivâ nimis liberalitate, non absimilem palinodiam

linodiam affinxerant. Agebat Vir Maximus Duaci, ubi pro Regii Professoris munere lectiones habebat. Nescio quid ei inter docendum aut legendum exciderit, unde Molinianis in speciem favisse videretur. Nihil morati Patres, protinùs Estium à suis partibus pronuntiarunt: quod nequis ignoraret, id suis scholasticis tradiderunt. Nec dubium, quin & hodie id ipsum alii refricarent, si morte præventus Estius, impactam calumniam à se amovere non potuisset. Amovit tamen, mentemque suam, sicut & totius rei historiam nobis expositam reliquit, in Oratione publicè habitâ, 19. Decembris 1609. Quæ sic habet.

Superioribus diebus allatum est ad me scriptum quoddam, publicè dictatum à Patre Lectore Theologiæ in Aquicinctino Collegio: in quo ille dum ostendere vult, doctrinam suam, quam prolixè tradit de gratia & prædestinatione, non esse novam, neque in Lovaniensi Schola Theologica, neque in Duacensi, id inter alia probare nititur, ex quibusdam meis verbis, quæ à me in hac Duacensi Scholâ dicta vel dictata fuerunt, cum docerem primum & secundum Sententiarum, videlicet ante annos quinque vel sex. Cui, ut salvâ charitate christiana quam invicem debemus, respondeam, primum omnium, ne quis ex hujusmodi scripti lectione suspicetur me vel affectu quopiam sinistro, vel alia quavis occasione, sententiam de prædestinatione & gratia Christi, quam aliquando tenuerim, mutasse in contrariam; planè declaro, me ex quo tempore in dogmatibus Theologicis aliquid intelligere cœpi, semper ab istis opinionibus, quas Lector se tradidisse profitetur, fuisse alienissimum, semperque existimasse, eas & sacræ Scripturæ & doctrinæ SS. Patrum, maximè eorum qui de gratia Christi contra Pelagianos accuratiùs scripserunt, ut Augustini, Prosperi, Fulgentii, neutiquam esse consentaneas: adeoque meæ intentionis nusquam fuisse, ut in prælectionibus meis, aut disputationibus aliquid dicerem aut dictarem, ex quo illæ opiniones probari possent; ac multò minus, me eas, vel earum aliquam, ex professo de cathedra docuisse. Quare si quid fortè esset alicubi in scriptis aut dictatis meis, ex quo per apparentem ratiocinationem deduci posset aliquid talium opinionum, nullo modo existimare debent studiosi, me propterea tale quid aut sensisse aut docuisse: nisi putare velimus, omnes Patres, aut Doctores Scholasticos, addoque & in Scripturis Spiritum Sanctum, sensisse & docuisse ea omnia, quæ homines diversissima opinantes, pro suis opinionibus, ex illis se credunt deducere: quod quàm sit absurdum existimare, nemo est qui non videat. Si quid autem meam de absoluta Dei prædestinatione, deque efficaci gratiâ Christi sententiam agnoscere cupit, eum remitto ad ea quæ de utroque argumento ex professo docui & dictavi, super primum & secundum Sententiarum. Nam in locis tam apertè meam sententiam exposui, & quidem cum expressa refutatione dogmatum contrariorum, ut si quis eam requirere dignatus fuerit, facilè sit intellecturus, quam ego doctrinam illo tempore tenuerim, ac publicè de Cathedra tradiderim: nempè consentientem planè cum ea, quam ego ipse hodie teneo, & Facultas hæc Theologica ab initio semper tenuit: longissimè vero discrepantem ab ea, quam Lector se tradere profitetur. Et idcirco frustra ab eo in meis scriptis quæri, unde sua confirmet, & Scholam Duacensem in suas partes vel invitam pertrahat.

Unus forsan omnium erit Gonzales Albenda, quem ex Dominicanis Romæ disputatoribus defensatam ibi doctrinam exuisse velint, colligantque non ex obscuro rumore aut verbulo cursim & inaniter jactato, sed ex scriptis post habitas Congregationes elaboratis. Ita quidem colligere sibi putant Christophorus Ortega & alii, ex iis Gonzalesii verbis, 1. part. disp. 58. sect. 2. n. 1. *Dico primò, contra primam sententiam Thomistarum recentium: Non oportet quòd gratia præveniens intrinsecè inhærens, quæ in uno est efficax, sit etiam efficax in alio majori tentatione tentato. Ac proinde non est verum dicere, quòd gratia præveniens intrinsecè inhærens, quæ aliquando est efficax, debeat esse efficax semper, & in quocunque supposito æqualiter tentato..... D. Augustinus & D. Thomas explicant gratiæ prævenientis efficaciam per contemperamentum & congruentiam ejus cum subjecto in quo reperitur: ut videlicet eo modo quis vocetur à Deo, ut impedimenta & tentationes temperentur à Spiritu Sancto, juxta modum & quantitatem internæ inspirationis, quam novit se dedisse ei qui vocatur.* *Cont. 3. de Decret. disp. 1.*

Verùm nec præsentem Auxiliorum historiam satis norunt, qui Gonzalem Dominicanis Romæ Disputatoribus annumerant, nec se satis in hisce quæstionibus decoctos ostendunt, qui id palinodiæ loco esse velint, aut Molinianæ doctrinæ consonum. Novam quidem exponendæ gratiæ viam aperuit Gonzales Albenda, à reliquo Thomistarum grege minùs tritam, sed quæ à Molinismo æquè divertat, & ad intrinsecam efficaciam perinde ducat. Nihil quippe sibi vult aliud, quàm Deum pro majori minorive hominum corruptelâ, tentationumque gravitate, gratiam nativâ sui entitate plus minusve potentem elargiri: *Paul. Leon. Salmanticenses. Ortega. Suarez.*

eoque sensu privatis hominum affectibus, tentationumque periculis attemperare; ut quod uni, certâ occasione vocando, par esset auxilium, non aliis, nec quoquo tempore opportunum intelligatur. Quid hìc porrò Molinianæ congruitati commune? cùm aliàs tota passim disputatione 57. unicuique efficaci gratiæ intrinsecam & ab uno Deo profectam energiam adscribat; ut eos in unoquoque peccatore fructus edat, quibus edendis congruam fecit: eo planè modo, quo sua cuilibet, igni ingenita virtus est, à ligno nec pendens, nec accepta prorsùs; etsi quemlibet ignem ligno cuilibet comminuendo parem nemo dicat. Quantùm autem cum Thomistici dogmatis summâ cohæreat illa Gonzalesii expositio, quàm parùm ab altero recentiorum, ut vocat, Thomistarum exponendi modo dissideat, si quis scire avet, legat Antoninum Massoulieum, *in D. Thoma sui Interprete*, tom. 2. dissert. 3. quæst. 6.

CAPUT VIGESIMUM-SECUNDUM.

Thomas Campanella & Franciscus Araujo Episcopus Segoviensis adversùs novissimi Monitoris dicacitatem vindicantur.

QUid ergo? An fortè, qui nihil in primis causæ hujus Actoribus habent quod rodant, ut illos ad palinodiam adactos ostendant, alios scholæ Thomisticæ Principes obtrudent, quos domestica castra deseruisse fabulentur? Fuit hæc nuperi Monitoris ultima ratio: qui ut clavum clavo truderet, meritissimoque Remensium Præsuli Theologos nonnullos Ignatianos Molinianis novitatibus opponenti, sic suo libello, clarigationis veluti jure, reponebat. *Si Prædicatores adversùs physicam Prædeterminationem laudare velim; appellare ex iis possem, qui altiori longè apud suos loco erant, quàm unquam fuerit apud Socios Typhanius ille, quem Marianæ & Henriquesio sociasti: ac inter illos in primis, celeberrimum Campanellam & Araujum Episcopum Segoviensem; quorum ultimus, physicam Prædeterminationem verbis modisque pessimis despicatam habet; minùsque seriâ comparatione ludibrio vertit, quam referre hic pudor est.*

Quis id legat, ac non statim existimet, viros illos non modò à physicæ Prædeterminationis doctrinâ procul fuisse, sed & illam probris atque conviciis proscidisse? Eâ quippe fiduciâ suas Monitor ille fabulas agit, ut veras ac certas historias nemo non putet.

Certè quod attinet Campanellam, liberum nobis esset eum uti minùs æquum controversiarum Theologicarum arbitrum exsufflare. Quamvis enim esset ille, Philosophus, Astrologus, Medicus præstantissimus; inferioris tamen subsellii Theologus habebatur; liberioris, ne dicam audacioris, ingenii vir, novitatibus plus satis indulgens: Aristoteli verò, cujus principiis, magna parte volvitur doctrina Thomistica, adeò infensus, ut assertiones ejus omnes *Asinitates* appellaret, eumque (quod ridendum magis) nusquam ab Angelico Doctore lectum effutiret. Quam vero hujusce sui commenti rationem afferret, audi lepidam satis atque festivam: quòd nempè, aiebat ille, à Gentilium Philosophorum lectione abstinendum decernant FF. Prædicatorum instituta, quorum erat observantissimus D. Thomas: cùm tamen ignorare ipse non posset, Doctorem Angelicum, magnam Aristotelicorum librorum partem eximiis Commentariis adornasse.

Verùm nihil ista moramur, nec ejus de doctrina Thomistica judicium refugimus; modò quid de illa ultimò senserit, rebusque maturiùs tandem expensis pronuntiaverit, perpendatur. Licet enim is quo tempore junior scriberet, in suis contra Lutheranos Opusculis de gratuitâ prædestinatione & gratiâ seipsâ efficaci minùs dignè sensisset; senior tamen tactus ac sanior præproperam in sentiendo festinationem castigavit. Perspicuus est ea de re locus, & ab omni ambage defæcatissimus, Parte secundâ Metaphysicorum, lib. 9. cap. 13. art. 1. pag. 229. ubi ea recolens, quæ de Prædestinatione prævisis meritis nixâ, gratiæque efficaciâ ex bono humanæ voluntatis usu suspensâ, quondam aliàs pronuntiaverat, ab ea sententia abductum se tandem, tum piâ lectione, tum maturiori controversiæ meditatione, fassus est. Integrum Campanellæ locum dabo, ne quis hariolari me putet. *Nos in Dialogo contra Lutheranos, cum sapientioribus sentientes, ex gratiâ Dei aliquos salvari, quoniam salvare pertinet ad esse; & ideò à Deo ut Patre, omnes, voluntate prævisionem meritorum antecedente, esse Prædestinatos, tam ad summum bonum naturale, qui est Deus naturaliter adipiscendus, quàm ad supernaturalem beatitudinem in Deo. Proptereaque omnes creat ad imaginem & similitudinem suam & ad se; neque odiens fecit aliquos Deus, sed omnes ex amoris exuberantia; sicut nullus Pater facit filios propter furcam, ut Salomon & David docuere. At voluntate consequente eos tantùm reprobari à Deo, ut Judice; non quos peccatores, sed quos*

quos obstinatos scis morituros in peccatis: ergo ex prævisis demeritis damnari; quoniam damnatio ad non esse pertinet: nam Deus vult omnes homines salvos fieri, *ut docet Paulus Apostolus*; & neminem perire, *ut docet Petrus*; & illuminat omnes homines, *ait Joannes: sed quos prævidet abuti donis salutaribus, usque in finem obstinatos, sequenti ad prævisam obstinationem voluntate reprobare: & propterea usque in finem præmoveri ad bonum auxilio generali omnes, quod ex nostro bono usu efficax sit; liberi enim sumus.* "Qua in re, cùm multa meditarer & S. Brigittæ Revelationes legerem, in libro 5. Quæstionum suspendi sententiam, & divinam exspecto illustrationem. Illud tamen inconcusse sustineo, esse in nobis libertatem ad volendum & nolendum; & auxilium, ut entitas addita est, non fieri à nobis efficax; nullam enim entitatem dare possumus, nisi à primo ente, & cum primo; ergo fieri efficax à Deo effectivè, à nobis verò meritoriè tantùm, ex virtute tamen prioris gratiæ;" *quàm non respuimus, sed cooperamur acti ab eâ, sicut liberi à Patre, non sicut servi à Domino: quippe qui possumus respuere gratiam, & de facto habitam respuimus. Neque enim nos gratia deserit nisi deserta, ut probant Concilia Sanctorum, & Codices veracissimi; sine enim pœnitentiâ dat illam Deus nobis, ut testatur Apostolus.*

Ex virtute gratiæ habitualis, mereri possumus, ut largiatur nobis Deus, gratiam efficacem, quæ ab illo ipso largitore efficaciam habet. Hanc porrò gratiam habitualem, quandoque respuimus.

An itaque jactandus adeò, & in Thomisticam scholam contorquendus celeberrimus Campanella, qui Molinismum, in quem pro ingenii libertate consenserat primùm, postea retractavit? Id si liceat, quidni & Augustinum Semipelagianis annumerent: huic etenim luto hæserat primùm; at posterioribus curis emendavit errorem. Addam etiam, nec addidisse pigebit, in Molinæ sententiam præjudicasse Campanellam ipsum, quo ei tempore adhærebat. Prædestinationem enim ex præviso liberi arbitrii usu suspensam (quæ Molinæ sententia est) Origeni ut primo parenti, perpetuò tribuit: Prædestinationem è contrario, invicto decreto innixam, omniaque humanæ voluntatis merita, occasiones conditionesve antevertentem, (qualis in Thomistica Schola defenditur) Augustino, Prospero, Hilario, Fulgentio, uti primis assertoribus adscripsit. Quæ duo quantùm Molinianis indecora sint, & gloriosa Thomistis, nemo negabit, qui Origenem Pelagiani erroris fontem agnoverit, Augustini verò de Gratia & Prædestinatione sententiam, ab Ecclesiâ Romana probatam adoptatamque non dubitarit.

Sed quid tandem hoc de argumento Franciscus Aravio Episcopus Segoviensis? Ille, inquam, qui physicam Prædeterminationem (si penes Monitorem nuperum fides est) verbis modisque pessimis depicatam habuit, minusque seriis comparationibus ludibrio vertit. Dolendum maximè, si quod illi Monitor tribuit, veritate niteretur, ac ipsum physicæ Prædeterminationis caput oppugnasset. Esset illa profectò scholæ Thomisticæ labes non modica. Erat enim Aravio Theologi nomine verè dignus, Primariæ Cathedræ Salmantinæ Moderator, ad Episcopales insulas ob egregiam doctrinam assumtus, quas tandem ardentiori paupertatis & solitariæ vitæ studio abdicavit. Verùm, cum ejus scholasticos Commentarios cum ea supplicis Monitoris lasciniâ confero, videor mihi alio in mundo versari: quò plùs evolvo, lego, relego, eò major admiratio subit, atque etiam stupor ingens, qua fieri forte potuerit, ut is doctrinæ Thomisticæ oppugnator atque derisor confidentissimè pronuntietur; quem ego, nisi fortè perspiciliis deludor ac fallor, ejusdem strenuum defensorem invenio; & nulli (quod ipsum rei caput attinet) Thomistæ secundum.

Is etenim quæstionem movet ex instituto, ac prolixè satis, in suis ad 1. 2. commentariis, ad quæst. 109. art. 5. D. Thomæ, *In quo consistat efficacia divinæ gratiæ?* Multisque positis fundamentis, quibus auxilii prævii naturam exponit, *Quòd scilicet naturæ prioritate* (sunt etenim ejus verba) *præcedit operationem & determinationem voluntatis, habetque illam infallibiliter sibi conjunctam, ac prædeterminativum appellatur*; hanc demum conclusionem ponit, multisque statuit argumentis, ex Scripturis, Patribus, Conciliis, & Theologica ratione petitis: *Efficacia divinæ gratiæ vocantis & adjuvantis in eo consistit, quòd in se, & prout venit à Deo, independenter à consensu humani liberi arbitrii, illum infallibiliter inferat: ita ut non stent simul hæc duo; videlicet Deum gratiâ efficaci movere Petri voluntatem, v. g. ad actum contritionis, & quòd talis actus non ponatur in esse: ac per hoc distinguitur à gratia auxiliante quæ tantùm est sufficiens. Hæc conclusio statuitur adversùs...... Molinam lib. de Concordia liberi arbitrii, quæst. 14. disp. 37. cum aliis ejusdem Scholæ sectatoribus... Hæc nostra conclusio defenditur ab Adriano... Bannesio & Zumele, in suis ad 1. partem, quæst. 14. 19. & 22. Commentariis.*

Istudne est physicæ Prædeterminationis doctrinam, à Molina impetitam, à Bannesio & Zumele tam strenuè propugnatam, con-

confutare, ludere, verbis modisque pessimis despicatam habere? Heu quam una summis atra dies miscuit! Molinam cæterosque ipsius Scholæ sectatores aggreditur ex instituto, oppugnatque aperto marte Franciscus Aravio; Bannesium & Zumelem doctrinæ suæ duces amplectitur, sequitur, exscribit: & hic tamen, ab nostro Monitore uti Thomisticæ Scholæ desertor, ac Molinismi Patronus, confidentissime pronuntiatur!

Sed & audi Francisci Aravii probationem ex ratione petitam, quâ statutæ conclusionis sensum, tametsi per se satis apertum, cumulatiùs aperit. *Probatur tum denique ratione Theologica, à priori ostensivâ, quæ sic habet. Prædestinatio est efficax transmissio prædestinatorum ad æternam vitam, per certa & determinata supernaturalis ordinis media. At efficax hæc transmissio non potest consistere, nisi Prædestinatorum adultorum voluntates efficaci gratia vocante & adjuvante prædeterminentur & applicentur, ut infallibiliter velint uti mediis à Deo præparatis & dispositis, per quæ æterna vita est infallibiliter à prædestinatis consequenda. Ergo circa illas supernaturalis ordinis operationes, quæ sunt media quibus electi adulti perventuri sunt ad æternam salutem, humanum arbitrium efficaci gratiâ auxiliante prædeterminatur, &c.* Quid eliquatiùs, quid apertiùs? Pag. 455.

Equidem post statutum multisque confirmatum argumentis Augustinianæ ac Thomisticæ doctrinæ caput, quæstionem vocis ac nominis instituit Vir eruditus: Num ea gratia prædeterminans efficaciter, à se tam strenuè vindicata, quæ totam ab ipso Deo efficaciam obtinet, & à liberi arbitrii consensu nullatenus pendet, *appellanda sit physica, vel moralis?* mavultque moralem appellari, quàm physicam; quòd hæc ad genus moris spectare videatur potiùs, quàm physicæ & naturæ: Recentium Thomistarum loquendi modum castigari cupit; *Quia Deus*, ut ait, *voluntatem minime præmovet & applicat suo pondere naturali, ad instar agentis naturalis & physici*: Eas demùm physicæ Prædeterminationis voces, à Patribus Societatis primùm inventas observat; qui cùm à Thomistis gratiam se ipsa efficacem, & à voluntatis assensu minimè pendentem propugnari cernerent, eam ipsimet physicæ prædeterminationis nomine nuncuparunt; nostrosque, ut iisdem deinceps vocibus uterentur, penè nolentes coegerunt. Verùm sunt hæc terriculamenta puerorum, quæ præcipitem Monitorem suis servandis & amplificandis finibus nimis intentum delusere. Sunt hæc, inquam, verborum vocumque litigia, quæ doctrinæ caput non modo non lædant, sed certò supponant. Aravium audire sat erit, ut constet, quàm cautè Thomisticæ doctrinæ summam sartam tectamque reliquerit, hoc ipso in loco, quo voces ab ejus hostibus primùm inventas, minùs probat.

Si autem inquiras, num ista gratia vocans & præveniens efficax, appellanda sit physica vel moralis? Respondeo, quod non est appellanda simpliciter & sine addito, physica; sed potiùs moralis, vel physica cum hoc addito: nimirum, si physica idem sit quod realis, & in se ac de se prout venit à Deo efficax. Pro cujus declaratione adverto, quod hæc vox, physica, applicata motioni & prædeterminationi divinæ gratiæ vocantis, incognita fuit Theologis antiquioribus, & inventa ab his, qui ejusmodi gratiæ efficaciam aversantur; hocque titulo objecta novioribus Thomistis, ut ab ipsis volentibus nolentibus, aut legitima proles fœdata admitteretur, aut odiosa & invisa contra arbitrii libertatem, repudiaretur. Non secus atque infans foribus Ecclesiæ exponitur, ut ab ipsa volente nolente, in curam & tutelam recipiatur. Quare aut consultiùs, hujusmodi gratiam, moralem appellabis, cum Caietano 1. p. q. 19. art. 8. Conrado in hac prima secundæ, quæst. 10. art. 4. cum Alvaresio lib. 3. de auxiliis disp. 23. & lib. 9. disp. 91. conclusione 3. & Albenda disp. 58. sect. 1. num. 5. aut si malueris, Physicam cum hoc addito. Aut utaris hac distinctione, nimirum admittendo illam esse physicam materialiter, quatenus includit physicam & realem intellectus illustrationem, & congruam cogitationem, vel voluntatis motionem & inspirationem: formaliter vero, id est, quoad munus movendi & applicandi voluntatem, non physicam, sed moralem esse; quatenus illam præmovet & applicat, non suo pondere naturali, ad instar agentis physici & naturalis, sed moraliter per modum proponentis, illustrantis, persuadentis & inspirantis. Hæc ille, quæ fusè admodum ac latè prosequitur.

En uti vides, gratiam se ipsâ efficacem ac prædeterminantem agnoscit Franciscus Aravio: hanc à solo Deo efficaciam sortiri vult: à liberi arbitrii consensu nullo pacto pendere monet: uno verbo, illam ipsam gratiam efficacem admittit, quam & Thomistæ, sub istarum controversiarum initio propugnabant, & physicæ prædeterminationis nomine Moliniani primitùs nuncuparunt. En ipsam, ni fallor, Angelicæ doctrinæ summam. Quid verò si *physica* vocem usurpari noluit, quam ab ipsis Scholæ suæ hostibus primùm inventam existimavit?

mavit? Eſt hoc non deſertæ Scholæ Thomiſticæ, ſed prudentis cautique judicii ſpecimen. Timebat Æneas Danaos & dona ferentes: timendos quoque Molinianos judicavit Franciſcus Aravio, verba, quibus gratia ſeſe efficax exprimatur, ſubdolè miniſtrantes. Quanquam nec *phyſicæ* vocem omninò refugeret, *ſi phyſica idem ſit quod realis, & in ſe ac de ſe prout venit à Deo efficax*. Quæ porrò ab illo affertur infantis Eccleſiæ fontibus expoſiti comparatio, non ipſam ut notum eſt *phyſicæ* prædeterminationis doctrinam ludit, vertitque ludibrio; ſed eam ut ut maximè voculam, ſeu veriùs Moliniſtarum aſtutiam, qui ſpurias Scholæ Thomiſticæ voces obtulere, quas hæc ſuam in curam atque tutelam exciperet.

Gratiam igitur efficacem voluit Franciſcus Aravio, qualem Janſenius, cæterique ut vocantur Auguſtiniani Theologi, ſemotis erroribus, profitentur, in delectatione victrici poſitam, ad moris potiùs quàm phyſicæ genus attinentem, veri tamen ac proprii nominis efficacem, ſe ipſâ victricem, ex voluntatis aſſenſu minimè pendulam, à ſufficienti, re atque entitate planè diſtinctam, voluntatis aſſenſum infallibiliter & indeclinabiliter inferentem, quacum liberi arbitrii diſſenſus componi non poſſit. In eo aſſerendo probandoque ſyſtemate totus per integras viginti paginas incumbit vir eruditus: levique dumtaxat loquendi ratione ablegatâ, quam minus à Patribus uſurpatam invenit, totam Auguſtinianæ ac Thomiſticæ ſententiæ ſummam tenuit. Hinc illa ad marginem præfixa nota, *Corrigitur modus loquendi quorundam recentiorum, de gratia phyſicè prædeterminante*. Locutio ergo, non ipſa doctrinæ ſumma corrigitur.

Leve eſt itaque, quod ex Aravio ſolatium obtinet diſertiſſimus Monitor: verba, voces, præterea nihil. Minùs enim de retinendis phyſicæ prædeterminationis vocibus ſollicitos fuiſſe Thomiſticæ cauſæ publicos Actores in Congregationibus Auxiliorum, oſtendimus hoc ipſo in libro, Capite 5. modò doctrinæ caput (quod ab Epiſcopo Segovienſi ſtrenuè defenditur) tuerentur. Ex ipſo quoque indictæ diſputationis themate demonſtravimus, in hoc uno ſtetiſſe controverſiæ ſummam: Num gratia ex ſeſe & ab intrinſeco eſſet efficax; num verè, activè, propriè voluntatem inflecteret; num independenter à voluntatis aſſenſu efficaciam obtineret: quæ omnia ab Epiſcopo Segovienſi conceduntur. Alterum vero de phyſicæ prædeterminationis vocabulo, ad gratiæ victricis energiam exprimendam uſurpando, acceſſione tantùm, ac veluti de mera quæſtione nominis tractatum eſſe; modò res ipſa iis expreſſa vocibus, in tuto foret. In hoc etiam uno ſitum fuiſſe graviſſimæ controverſiæ caput, non ſemel iterumque, ſed pluries faſſi ſunt Societatis Oratores; maximè verò ſub Paulo V. Congregationibus 4. 6. 7. &c. Quæſtionem quoque nominis miſſam fecit Ferdinandus de Baſtida, Congregatione 4. ultróque Dominicano dedit, nullam de phyſicæ prædeterminationis voce fore litem, ſi res ipſa (quam hic ab Aravio propugnatam oſtendimus) veritate niteretur. Neque unquam, quod ſciam, ob impugnatam voculam illam, Molinæ negotium Dominicani faceſſiverant: de gratiâ veri ac proprii nominis efficaci, ex voluntatis aſſenſu minimè pendulâ, à ſufficiente re atque entitate planè diverſâ, voluntatis aſſenſum infallibiliter inferente, quicum liberi arbitrii diſſenſus componi non poſſet, tota lis erat, tota quæſtio.

Hæc omnia Monitorem noviſſe opus erat, ne de ea Aravii qualicunque vitilitigatione ſibi plauderet; eumque ob vellicatam *phyſicæ* vocem Molinianis annumeraret. Aliàs verendum maximè, ne ſi levi adeò & evanido fundamento Molinianas copias auget, Janſenium ipſum, cæteroſque penè omnes invidioſo Janſenianorum nomine infamari ſolitos viros, Molinæ defenſoribus, & gratiæ per ſe efficacis hoſtibus, aliquando tandem adſcriberet. Vix enim unus illorum occurrit, qui Aravii ſyſtema non ſtatuat, miſſoque phyſicæ prædeterminationis nomine, gratiam efficacem, in ſola delectatione ac ſuavitate victrici poſitam, non agnoſcat.

Qui plura volet, & Aravii mentem de ipſo doctrinæ capite intimiùs noſſe cupiet; legat prælaudati articuli quinti, & ſexti dubii calcem, ubi poſt motam de nomine litem, ita demùm Molinam, ejuſque de divinæ gratiæ efficacia ſententiam, cum univerſo Thomiſtarum grege rurſùs exagitat. *Sequitur ſecundo*, ait ille, *ex hujus noſtræ quæſtionis reſolutione, falſam omninò eſſe doctrinam noviorum quorundam Theologorum, quibus adhæſit Ludovicus Molina libro citato, quæſt. 14. diſp. 38. quæ affirmat, in libera humani arbitrii facultate poſitum eſſe, ut gratia Dei operans & præveniens, fiat cooperans & ſubſequens: & quòd auxilium Dei ſufficiens, reddatur efficax; & quod conditionata Dei voluntas, fiat abſoluta & determinata. Hujus doctrinæ falſitas ex eo conſtat, quòd oſtendimus humanum arbitrium in omni ſtudioſa operatione præveniri à Deo Auxilio efficaci, ipſum hominis arbi-*

trium

trium prædeterminante, prædeterminatione saltem morali; quæ licet nulla ex parte humanæ voluntatis libertatem minuat, efficaciter tamen, illam modo quodam suavissimo, & ejus naturæ valde accommodato, ad omnem hujusmodi actionem, præsertim supernaturalis ordinis, prædeterminat. Itaque liber ipse voluntatis consensus, quo Deo vocanti & inspiranti consentit, non determinat ipsum Dei concursum & prævium auxilium: sed è contra ipsa humana voluntas à Dei prævenienti auxilio ad talem consensum efficaciter prædeterminatur: atque adeo efficacia divinorum auxiliorum nullatenus à libero voluntatis usu pendet, nisi ad eum modum quo efficientia causæ dicitur pendere ab effectu, ut à terminante ipsam causæ efficientiam, quæ cum proprietate dependentia appellari non potest. Similiter quòd gratia Dei operans vim habeat & rationem cooperatricis gratiæ, non ab humano arbitrio desumit, sed ab ipsa Dei voluntate, ex qua utriusque gratia rationem sortitur: & tamen quòd Dei voluntas absoluta sit & efficax comparatione ad actus humani arbitrii studiosos & supernaturalis ordinis, ex semetipsa habet, sicut & habet omnem aliam sui perfectionem.

Posset forte dubitari, an potuisset Deus ita naturæ ordinem & gratiæ disponere, ut efficacia divinæ voluntatis, divinæ gratiæ, divinorumque auxiliorum, ex libero humani arbitrii usu, tanquam ex quadam conditione penderet. Verum quod de facto ita contingat, falsum omnino & improbabile esse censeo: quia neque decet ipsam divinæ providentiæ majestatem ac suavitatem: & quia sacræ litteræ nos docent oppositum, in his maximè operibus quibus æternæ prædestinationis ordo in tempore consummatur. Non enim principem tantum ac præcipuum locum divinæ gratiæ in ordine prædestinationis tribuunt; verùm & omnem dependentiam ab humano arbitrio, etiam ut à conditione quadam requisitâ, denegant &c.

Legat & ejusdem in universam Aristotelis Metaphysicam Commentarios, lib. 8. quæst. 9. art. 4. in Appendice, ubi præmotionem ex se efficacem & efficaciter prædeterminantem ad actus causarum omnium etiam liberarum, multis demonstrat. Molinam, Fonsecam, Suarem, Lessium, Conimbricenses, cæterosque hac parte Angelicæ Scholæ osores durius excipit, illorum in oppositum argumenta diluit; ut nihil ultra à studiosissimo doctrinæ Thomisticæ sectatore desiderari merito possit.

CAPUT VIGESIMUM-TERTIUM.

Paulus V. aliique subinde Pontifices, silentium de divinis Auxiliis indicunt, fovendæ interim pacis studio, donec meditatum judicium prodeat.

Litem de divinis auxiliis intentatam, atque integro planè decennio maturè discussam, in suspenso posuerat Paulus V. dato fiduciario Rescripto, fidemque Pontificiam, promulgandæ meditatæ definitionis oppignoraverat. At ut erat prætelitarum controversiarum memoria recens; nec satis litigantium animi, diuturnâ velitatione exasperati, in officio contineri poterant; silere illos omninò voluit, ne qua fortè suboriretur novæ litis occasio. Omni de divinis Auxiliis tractatione interdixit, die 1. Decembris 1611. solenni Romanæ Inquisitionis Edicto. *Sanctissimus D. N. decrevit* (sic enim habebat) *ut scribatur Nuntiis Apostolicis, quod notificent & ordinent Superioribus Religionum, Universitatibus studiorum, & Ordinariis suæ Nuntiaturæ, ne sinant imprimi in materiâ de Auxiliis, etiam sub prætextu commentandi S. Thomam, aut alio modo: Et qui volunt de hac materiâ scribere & imprimere, priùs mittant tractatus & compositiones ad hanc sanctam Inquisitionem.*

Hoc idem Urbanus VIII. die 22. Maii 1625. interminatis etiam pœnis ex ejusdem Inquisitionis Consulto confirmavit, in hæc verba.

Feria V. die 22. Maii, anno à Nativitate D. N. Jesu Christi 1625.

In generali Congregatione S. Romanæ & Universalis Inquisitionis, habita in Palatio Apostolico, apud S. Petrum, coram S. D. N. Urbano divinâ providentiâ Papa VIII. ac Illustrissimis & Reverendissimis S. R. E. Cardinalibus, in universâ Republicâ Christianâ, contra hæreticam pravitatem Inquisitoribus Generalibus, à Sanctâ Sede Apostolicâ specialiter deputatis.

Cum alias felicis recordationis Paulus Papa V. Prædecessor noster, Decretum in generali Congregatione S. Romanæ & universalis Inquisitionis ediderit, tenoris sequentis, videlicet, *Sanctissimus D. N. decrevit, ut scribatur Nuntiis Apostolicis, quod notificent & ordinent Superioribus Religionum, Universitatibus studiorum, & Ordinariis suæ Nuntiaturæ, ne sinant imprimi in materia de Auxiliis, etiam sub prætextu commentandi S. Thomam, aut alio modo: Et qui volunt de hac materia scribere & imprimere,*

prius

„ *priùs mittant tractatus & compositiones ad* „ *hanc S. Inquisitionem.*

„ Sanctissimus D. N. supradictum Decre- „ tum, hoc suo præsenti Decreto confirma- „ vit & innovavit; districtè præcipiens ac man- „ dans omnibus & singulis cujusvis Religionis, „ Ordinis, Congregationis, Instituti, & So- „ cietatis, etiam de necessitate exprimendæ, „ Regularibus, & aliis quibuscunque, tam „ Ecclesiasticis, quàm secularibus personis, „ cujuscunque statûs, conditionis, gradus & „ dignitatis, tàm Ecclesiasticæ quàm secula- „ ris, ut in posterum non audeant imprime- „ re, vel quoquo modo in lucem edere libros, „ tractatus, vel compositiones, ex professo, „ vel incidenter, aut prætextu commentan- „ di S. Thomam, vel quemlibet alium Do- „ ctorem, aut quavis alia occasione, præ- „ textu, vel modo, de materia Auxiliorum „ divinorum tractantes, sine expressa & spe- „ ciali licentiâ à Sanctitate Sua in Congrega- „ tione S. Officii obtinendâ; donec aliud in „ hac materiâ à Sede Apostolicâ fuerit ordi- „ natum. Ut autem hujusmodi Decretum in- „ violabiliter observetur, eadem Sanctitas „ Sua voluit & declaravit, contravenientes, „ pœnas privationis dignitatum & officiorum „ suorum, vocis activæ & passivæ, facultatis „ concionandi, publicè legendi, docendi, „ & interpretandi, ipso facto, absque alia „ declaratione incurrere; & nihilominus aliis „ etiam pœnis, Sanctitatis Suæ & successo- „ rum suorum Romanorum Pontificum ar- „ bitrio infligendis, subjacere. Libros porrò, „ quos in futurum contra præsentis Decreti „ tenorem edi contigerit, absque alia decla- „ ratione tanquam expressè prohibitos ha- „ beri voluit: Et Impressores præter amis- „ sionem librorum, pecuniariis aliisque cor- „ poralibus pœnis, juxta criminis gravitatem „ teneri mandavit; contrariis quibuscunque „ non obstantibus.

Hæc Urbanus VIII. cui secutis inde temporibus Innocentius X. die 23. Aprilis 1654. & Innocentius XII. die 28. Januarii & 6. Februarii 1694. consensere.

Quis horum Decretorum sensus, diu multumque initio quæsitum est. Fuere qui omnem de divinis Auxiliis tractationem vetitam dicerent; quòd ita Pontificum verba sonare videantur: alii unam de gratia se ipsa victrici & efficaci quæstionem interdictam opinabantur: nonnulli Scientiam-mediam, cæteri gratuitam prædestinationem, ac physicas præmotiones, eâdem silentii lege conclusas existimabant. At ut fatear quod res est, major fuit in exponenda lege contentio, quàm in servandâ religio. De divinis siquidem Auxiliis scriptiones benè multæ; tractationes, libri, iique plerumque spissi admodùm prodiere, nullâ licet Romanæ Inquisitionis acceptâ veniâ. Pro Schola Thomistica scripsere Didacus Alvares, Thomas de Lemos, Michaël Zanardus, Nazarius, Theophilus Muntius, Gonzales de Albenda, Scribonius, Gregorius Martines, Olivera, Corneio, Guillelmus Gibiuffus, Guillelmus Camerarius, Philippus à S. Trinitate, Petrus Jammy, Xantes Mariales, Carmelitæ Salmanticenses, Joannes à S. Thoma, Vincentius Baronius, Antoninus Reginaldus, Paulus Fassean, aliique non pauci, qui de divinis Auxiliis, deque agitata inter clarissimos Ordines controversia, seu ex instituto, seu ex occasione multa dixere, nullâ quod sciam petitâ licentiâ. Pro Molinianis partibus publico scripto decertarunt Franciscus Suares, Didacus Ruiz, Joannes Martines de Ripalda, Gabriel Henao, Joannes Martinonus, Theophilus Raynaud, Franciscus Annatus, Petrus Fuliensis, Christophorus Ortega, Stephanus Dechamps, Paulus Leonardus, Jacobus Platelius, Eugenius Philadelphus, Franciscus Perrinus, cæterique numero plures, nullâ licet Apostolicæ Sedis obtentâ veniâ.

Quin etiam istorum unus, Joannes Martinonus, qui adversùs Jansenium, sub Antonini Moraines inverso nomine (est enim illud anagramma purum) spissum Opus ANTI-JANSENIUS inscriptum elucubravit, nullâ se Pontificii interdicti religione teneri, confidenter pronuntiat, ex quo tempore *non servatur hæc prohibitio*, inquit, *à Jansenii sectatoribus*. Sed neque id pronuntiare satis habuit, probavit quoque, ac variis etiam argumentis. *Est enim*, inquit, *celebre atque indubitatum Theologorum & Jurisconsultorum effatum: quando lex aliqua, vel præceptum, aut prohibitio generaliter lata non servatur à deteriori parte communitatis, &, si ab altera servaretur, id vergeret in magnum & evidens tum ipsius, tum etiam Reipublicæ nocumentum; non tenetur pars sanior eam servare; neque intentio Principis fuit, aut esse potuit, ut servet in casu proposito. Ut si v. g. ferretur lex Ecclesiastica, ut beneficia speciali quopiam modo obtineantur; non tenerentur soli boni & timorati, quorum minor est pars, eam servare, aliis non servantibus: quia inde sequeretur, solos deteriores consequi beneficia Ecclesiastica, magno Ecclesiæ & fidelium damno. Vel si, orta gravi & publicâ dissensione inter incolas alicujus Civitatis aut Provinciæ, Rex promovendæ pacis causâ, vitandique mali impendentis, juberet statim arma deponi ab utraque parte; non teneretur* *In Admonit. ad Lectorem, in Anti-Jans.*

 pars

pars sanior ea deponere, deteriori non deponente, sed abutente alterius obedientiâ, ad sæviendum & grassandum pro libito. Sic igitur, quamvis mens Pontificis fuisset, ut omnes penitus ejusmodi controversiis vulgandis desisterent, quod ad dissidium exstinguendum pacemque revocandam & fovendam conducibile fuisset, si pars utraque Mandato, ut par erat, morem gessisset, & Jansenii Augustinus æterno silentio sepultus fuisset. Cùm tamen, ut manifestum est, non servetur hæc prohibitio à Jansenii sectatoribus, qui eâ non obstante nihil non faciunt, & hucusque fecerunt, ut tum libris editis, tum quibuscunque aliis possunt modis, sectam suam propagent, in animarum perniciem & grave damnum Ecclesiæ, non tenetur pars sanior Doctorum orthodoxorum stare prohibitioni, quæ servari nequit hoc tempore sine gravi animarum pernicie & Ecclesiæ detrimento.

Joanni Martinono dat manus Philippus Brietius, ejusdem Instituti Socius, qui quod domi didicerat, Annalibus prodidit: *Inhibitæ fuerunt*, ait ille, *de hac materia scriptiones & libri; sed eas prohibitiones Janseniani magno Ecclesiæ damno violarunt; atque ut confutari possent, catholicos ut idem facerent, penè nolentes coegerunt.*

Rogandi hìc obiter viri boni, quibus hæc nostra lucubratio stomacho forsan erit, nobisque indictum silentium fortassis objicient, num quod Martinono, quod Brietio, hoc & nobis usurpare liceat? Quodque illi pro Jansenio confutando fas esse sibi reputarunt, hoc & nobis pro confutandis ineptiis & fabellis, fas etiam fuerit? Nam & Moliniani, fabularum istarum fervidi venditores, indicta silentia violarunt: arma quæ deponi jusserat Pontifex, nullâ obtentâ veniâ resumserunt, nostraque jam ad fabulandum religione abutuntur. Quidni ergo Martinoni consiliis obsequamur, dicamusque cum Brietio: Inhibitæ fuerunt de hac materiâ scriptiones & libri; sed has prohibitiones Moliniani magno veritatis damno violarunt; atque ut confutari possent, Thomistas ut idem facerent penè nolentes coegerunt?

Theophilo Raynaudo stomachum fecit aliquandiu Pontificium hoc interdictum. Ut ab Alexandro VII. post damnatas quinque hæreticas illas propositiones rescinderetur supplicavit, edito singulari Opusculo, cui titulum fecerat, *Theologia supplex, instructa libello, pro libera quæstionum scholasticarum inter Doctores discussione, cum charitate atque modestiâ.* Multiplici argumentorum genere probandum sibi sumsit, minùs hoc interdicto Ecclesiæ dignitati & utilitati consultum esse; multaque ex eo damna propè diem oritura, nisi brevì rescinderetur. Verùm ut erat ille impotentis adversùs Prædicatorum Ordinem livoris, invidiæ, maledicentiæ, non potuit quin toto passim Opusculo ingenitum sibi virus & bilem effunderet. Prædicatores indicendi hujusce silentii apud Summos Pontifices autores fuisse, ubique passim oblaterat, ac stylo, ut assolet, salito admodùm ac piperato. De interdicto interponendo Apostolicæ Sedi ab iis suggestum queritur; quod causæ suæ diffidentes, ejusdem indemnitati prospectum voluerint suppressione librorum ac scriptionum, quas magno numero Societas profudisset. Proh supercilium & infrunitam audaciam! Ludam operam, si vaniloquium multis exagitem. Quasi verò Prædicatores, post debellatum ante dies aliquot triumphatumque Molinismum, ea arte eguissent, ut sibi suæque doctrinæ consulerent; Societatemque indicto silentio exarmarent, ne quam fortè scholæ Thomisticæ cladem inferret! Sic sanè vanissimus ac mordacissimus Scriptor illudit; ut generosissimos pugiles, qui tantâ cum gloriâ paulò antè certaverant, veluti diffidentes, meticulosos, & Molinianis armis territos traducat; cui potiùs optandum erat, ut gladium Molinismus recondidisset citiùs, atque etiam injussus: non erat illud certè fatali, quam ante susceperat, clade doliturus.

Extat tomo 20. posthumo pag. 99.

Non est ergo umbellâ Pontificiâ victricis gratiæ Defensoribus opus erat, ne per diem à Moliniano sole ureréntur, aut à lunâ Suaresianâ per noctem. Sed fuit hæc prudens Apostolicæ Sedis cautio, ne pristina litigantium odia succrescerent, causamque in suspenso positam novis ambagibus implicarent. Tantumque abest, ut Prædicatoribus supplicantibus, lex illa silentii lata sit; quin potiùs rescindi illam, statim atque à Paulo V. vulgata est, porrecto libello rogavit universus Ordo, in Comitiis generalibus anno 1612. Romæ habitis, dum pro vulganda pendentis controversiæ definitione supplicavit.

Vide infra cap. 22. & in monum. libel. in Append. Num. XVI.

Cæterùm neque id satis Urbano VIII. visum erat, omni de divinis auxiliis tractatione interdixisse; legem severiorem, diris etiam interminatis, edixerat anno 1641. pridie nonas Martii, quâ nedum omnis de divinis Auxiliis ac libero arbitrio Theologica scriptio, sed & quævis etiam de concursu Causæ primæ cum secundâ Tractatio Philosophica prohibebatur. *Mandamus omnibus*, inquiebat Edicto suo, *& singulis cujusvis Religionis, Ordinis, & dignitatis,*

Vulgatum denuò tamen est, anno 1643. die 19. Junii.

gnitatis, Abbatiali, Episcopali, Archiepiscopali, Patriarchali dignitate suffultis, Collegiis & Universitatibus, sub pœnis excommunicationis ipso facto incurrendis, interdicti Ecclesiastici, aliisque arbitrio nostro pœnis infligendis, etiam corporalibus, ne in posterum audeant imprimere, nec quoquo modo in lucem edere libros, Tractatus, Compositiones, ex professo vel incidenter, etiam sub prætextu commentandi S. Thomam, seu in physicis agendi de concursu causæ primæ cum secundâ; aut quavis alia occasione vel modo, de materia Auxiliorum divinorum, seu de gratia & libero arbitrio tractantes, sine expressâ licentiâ, à nobis in dicta S. Officii Congregatione, concedendâ; donec aliud in hac materia à Sede Apostolica prædictâ fuerit determinatum.

Verùm effectu caruit interdictum, non ipsa dumtaxat licentiâ privatorum, qui jugum licentiùs excusserint; sed & ipsa annuente Apostolica Sede, quæ in Italiâ ipsâ, atque etiam Romæ, tritas illas de humani arbitrii libertate & physica Prædeterminatione tractationes liberas facit.

In una quod sciam Inquisitione Avenionensi Urbaniani Edicti per omnia capita religio viget. Quocirca lis gravis & aspera Inquisitorem inter & Societatem emersit, anno 1659. Negaverat scilicet ille typorum veniam, volueratque ne Theses publicæ haberentur, quibus hæc propositio inserta erat: *Deus concurrit immediatè ad omnes actiones creaturæ, nec tamen est causa peccati. Determinatio quoad speciem & exercitium est à causâ secundâ liberâ; quoad individuum, à Deo. Non datur Prædeterminatio physica.* De injuriâ & vi Societati, ut putabat, illatâ expostulavit dato libello P. Labbeus coram suprema Inquisitione Romana. At re ad examen vocata, actione submotus est Actor, laudata Quæsitoris Avenionensis in servando Decreto Pontificio vigilantia, vetitumque ne Thesis à Jesuitis meditata defenderetur. Sic sanè Romanæ Inquisitionis nomine Rescripto suo significavit Franciscus Cardinalis Barberinus, in hæc verba: *Molto Reverendo Padre. Essendo ricorso alla sacra Congregatione, con l'incluso Memoriale un Padre Giesuita, ordinano questi miei Eminentissimi, che Vostra Riverenza, inherendo à gli ultimi Decreti, non ammetta la Thefe, nella quale egli asserisce,* Non datur Prædeterminatio physica. *Così dunque esequisca, e invigili per l'osservanza di Decreti Pontificii, in simili materia. E la prego contento. Roma 6. Settembre 1659. Di V. R. Come fratello, Francesco Card. Barberino.* Quam Epistolam ita Latinè reddas. *Admodum Reverende Pater. Cùm ad hanc sacram Congregationem dato adjuncto libello provocarit quidam Jesuita; jubent Eminentissimi Domini mei, ut Reverentia Vestra Decretis ultimò datis inhærens, Thesim illam nequaquam admittat, qua is asserit,* Non datur Prædeterminatio physica. *Sic ergo Congregationis jussa compleat Paternitas Vestra; & Decretorum Pontificiorum exsecutioni quavis simili occasione datâ, invigilet. Vale. Datum Romæ, die 6. Septembris 1659. Vestræ Reverentiæ, quasi Frater, Franciscus Cardinalis Barberinus.*

CAPUT VIGESIMUM-QUARTUM

Philippus III. Hispaniæ Rex Prædicatores & Jesuitas in mutuam gratiam reducit: datis servandæ inter sese, dum interim de doctrina disputare pergunt, humanitatis & caritatis conditionibus. Has Jesuitæ primi violant.

QUod aliàs Paulo V. Illustrissimus Armachanus timendum innuerat, ne si causæ definitionem intermitteret, majora inter Religiosos Ordines odia succrescerent, infeliciter illud ac longè quàm timebatur graviùs accidit. Subintrarunt in suscepta causâ pro litigantium conditione dissentiones, simultates, studia partium, aliáque hujusmodi odiorum semina; quibus præsumtio, arrogantia, livor, opinio constantiæ, defensio famæ fomitem ministrabant.

Ab anno 1594. quo prima cœperat mali labes, ad annum 1612. omnis Prædicatores inter & Jesuitas interdicta societas, commercium in scholasticis exercitationibus planè nullum: quin & illud Edicto Regio cautum erat anno 1596. ne quid fortè pejus accideret. Dicteria verò de se invicem, scommata, sales, facetiæ, oblocutiones mille; atque, quod gravius, interdum ex pulpito: quæ omnia eo majorem offensionem habebant, quòd ab eis agerentur, qui & exemplo condire plebem, & religiosâ conversatione cæteris prælucere debeant. *Lib. I. cap. 20.*

Hoc vidit Excellentissimus Dux de Lerma, supremus Hispaniarum Administer. Religioso nomini & Reipublicæ tranquillitati consultum voluit. De conciliandis affectibus cogitavit, dum interim summus Ecclesiæ Hierarcha de doctrinæ dissidiis pronuntiaret. Consilium aperuit Philippo III. à quo idem ipse pacis sequester datus est, ut in hanc curam incumberet Regio nomine.

Partes illas in se suscepit Dux pientissimus, mense Aprili 1612. Prædicatorum

 &

& Societatis Provinciales duxit in Palatium ruri sepositum; ubi cum Regio Confessore, aliisque primariæ Nobilitatis viris, qui in alterutrius partis studia venirent, contulit ea de re, qua majori pietate & studio potuit. Exposuit quàm gravis ex diuturna illa dissentione, Religioso nomini labes accederet, quæ inde secuta Ecclesiæ scandala, quæ fidelium offensio, quæ damna patriæ, quæ demùm illata Deo injuria. Agendum, inquit, de voluntatum affectuumque concordiâ, quæ dissidentibus etiam animis stare potest, ac seponenda aliquantulùm doctrinæ consideratio; de qua Summus Pontifex conjunctis studiis ac Regio nomine rogandus esset, ut quod definierat palàm ederet. Hinc priora damna resarcienda innuebat, illatumque Ecclesiæ ac Reipublicæ dedecus abstergendum: cui nisi brevì initâ pace consultum esset, deterjùs aliquid ominabatur. Subjunxit demùm, atque in id potissimùm institit, Regem id supra quàm dici potest gratissimum habiturum; immò & Deum ipsum, cui nullum semotâ caritate, tuendæ veritatis probatur studium.

Placuit universo cœtui Excellentissimi Ducis consilium. Re ad examen vocata, collatisque partium momentis, omnium una sententia fuit: nedum pacem inter Ordines ineundam; sed & externa quadam significatione probandam esse, quæ cæteris exemplo foret. Dati qui de conditionibus agerent; Prædicatorum quidem nomine, Provincialis Hispaniæ, & Hieronymus de Tiedra; pro Societatis jure, Provincialis pariter Hispaniæ cum Hieronymo de Florentia; statutumque id communi cæterorum assensu exceptum iri, quod illi mutuò decernerent.

Actum igitur inter illos de pacis conditionibus. Sex summo consensu posuerunt, quas ab Ordinum Superioribus executioni demandari necessum esset, decretis in transgressores pœnis gravissimis, citra veniam omnem infligendis. Additumque ut per utramque Provinciam, atque etiam Romam ad Ordinum Generales pacta conventa transmitterentur, unâ cum Regis Catholici, & Ducis de Lerma Epistolis efficacissimis, quibus suam de illorum observantia voluntatem testarentur. Hæc porrò fuere conditionum capita.

1. Ut se invicem Prædicatores & Jesuitæ ad scholasticas exercitationes invitarent, iisdemque invitati interesse ac disputare dignarentur. Quod ne minùs honestè fieret, vetitum ne quis in publicis congressibus opiniones à classicis Autoribus admissas invidiosis notis ac censuris afficeret.

2. Ut conjunctis votis pro controversiæ Auxiliorum definitione, Summo Pontifici supplicarent, suasque ad hoc ipsum preces adderet Rex Catholicus.

3. Ut Patres Societatis S. Thomæ doctrinam sequerentur ut plurimùm: ejusque autoritatem, in iis etiam quæstionibus quibus ab ejus Schola dissentiunt, summâ veneratione exciperent.

4. Ne quis ex pulpito partem alteram in publicis Concionibus morderet dicteriis, salibus, aut facetiis.

5. Ne in privatis colloquiis de se invicem minùs honestè loquerentur; sed ea potiùs verba usurparent, quæ charitatem spirent, humanitatem, urbanitatem.

6. Ut mutuos defectus ex charitate sustinerent, condonarent, atque interdum pro pacis studio dissimularent: ita tamen ut qui pro delicti merito castigandi forent, ad Superiores deferrentur; pars verò læsa, acceptâ satisfactione quiesceret.

Iis summo assensu constitutis, ad Regium Tribunal delata res est. Coram Duce de Lerma aliisque Magnatibus, qui à partibus stabant, necnon præsentibus delegatis qui pacta conventa definierant, de meditata pace retulit coram Rege Ludovicus Aliaga, suæ Majestati à Confessionibus. Spoponderunt qui aderant Superiores Ordinum conditionum observantiam; seque omni studio curaturos promiserunt, ut intra ditionis fines, qua majori posset fide ac religione servarentur.

Rem gratissimam habuit Rex Catholicus, conditionum capita probavit, suaque autoritate communivit. Fausta pacis initia pro sua in Religiosos Ordines humanitate gratulatus est; nusquam defuturum inquiens Regii nominis patrocinium, ut prospero exitu cederent quæcunque ab Excellentissimo Duce meditata fuerant. Præ cæteris verò pollicitus est, se apud Pontificem omni studio curaturum, ne ultimam Auxiliorum definitionem ultrà protenderet, quâ unâ pacem integram & omni parte cumulatissimam sanciri posse certò noverat. Quo dicto Provinciales illorumque socios ad Majestatis suæ pedes provolutos erexit ac dimisit. Abeuntes in Antithalamo stitit aliquantùm Dux de Lerma; nec antea exire sivit, quàm de viro ex quolibet Ordine Romam delegando convenissent, prò urgenda definitionis Apostolicæ promulgatione; cui cùm illi mutuam fidem obligassent, abiere.

Ut primùm Madriti vulgari cœpit initæ pacis compositio, non una omnium opinio

nio fuit. Erant qui perennem illam opinarentur ob solennem Provincialium fidem Regi datam, quam violare scelus esset: diuturnam nonnulli saltem ominabantur ob Excellentissimi Ducis autoritatem, qui pacis sequester & sponsor à partibus exceptus erat. Alii è regione positi brevi solvendam existimabant, ex ipsa paciscentium indole; qui cùm diuturno dissidio commissi fuissent, non ita facilè pristinos affectus eruere priorumque simultatum oblivisci possent. At qui altiùs sapiebant, quique secretiora Romæ gestorum arcana noverant, ne pacem quidem appellabant, sed violentam Jesuitarum simulationem, in quam illos proprii nominis fama vel nolentes & invitos induxerat. Et quidem, si illos nequaquam latebat, quid contra Molinam à Romanis Judicibus constitutum esset; quid repetitis censuris proscriptum; quid delineatâ Bullâ sancitum damnatumve; quis eos sincero animo spopondisse putet, unà se cum Prædicatoribus pro sanciti judicii promulgatione supplicaturos? Ita-ne, amabo, stipites erant, ut pro Scholæ suæ damnatione supplicare vellent; quos tanti potiùs intererat extremam illam juris solennitatem nusquam accedere? At honoris stimulo conditionem hanc specie saltem acceperant, ne si illam coram Rege repudiarent, suspectum sibi judicium faterentur.

Cæterùm quid rei fuerit, exitu comprobatum est. Promissis stetit Rex Catholicus: Paulo V. Litteras dedit sub finem Aprilis, quibus longè quàm antehac vehementiùs instabat pro Definitionis Apostolicæ promulgatione: nullam Regno suo pacem futuram inquiens, nisi hac ultima juris formâ Auxiliorum controversiam dirimeret: suoque in Romana Curia Oratori jussit, in hoc unum intenderet omni cæterorum negotiorum curâ sepositâ. Non absimili religione exsolvit quod promiserat Prædicatorum Provincialis, die circiter Aprilis 15. Antonio de Soto-major, Romam versus ad Generalia Ordinis Comitia iter paranti, in mandatis dedit, ut totius rei gestæ seriem Comitiis exponeret, adduceretque universos ad Apostolicam controversiæ definitionem, communibus votis ac supplicationibus postulandam. Non longè post in universam Provinciam transmisit encyclicas Epistolas, quibus interminata privationis pœnâ, aliisque gravioris culpæ reis in Ordine suo infligi solitis, pacta conventa servari jussit: primùm ob datam juramenti fidem; tum ob debitam Regio nomini reverentiam; ultimò Excellentissimi Ducis gratiâ, qui seipsum pacis sequestrum obtulerat. Epistolas ita concludebat, post prolixam gestorum omnium & conditionum enarrationem.

Moveat itaque vos ad istorum omnium observantiam contracta à nobis solenniter obligatio cum Rege Domino nostro, cum Excellentissimo Duce de Lerma, cum Reverendissimo Patre Suæ Majestatis Confessore, cum multis denique Curiæ Magnatibus, qui negotium istud omni parte absolutum arbitrantur. Ingens quippe dedecus esset, si sub tantis auspicibus ac veluti fidei nostræ vadibus, pacta conventa negligerentur. Ego quidem de vestrum omnium prudentia ac religione benè spero, futurum ut vel ipsa solâ honesti ratione ad fidem nostram liberandam adducamini. Verum ne quos fortasse statu degeneres, vel fidem in Regem cui nos obligavimus, vel Religionem in Deum qui istud Prælati voce ac ministerio jubet, violare contingeret, harum serie, nostrique autoritate officii præcipimus sub formali præcepto omnibus ad Provinciam nostram Hispaniæ quomodolibet pertinentibus, ut sex enarrata compositionis capita religiosissimè impleant & observent sub gravissimis pœnis transgressoribus infligendis. Ne quis autem ignorantiam obtendat, per præsentes declaramus, eos omnes ab officiis citra veniam absolvendos, aliisque pro arbitrio pœnis castigandos, quos in primum caput peccare contigerit, si nempè oppositis opinionibus notas ac censuras inusserint. Circa secundum & alterum caput, non est cur pœnas denuntiemus; cùm eorum exsecutio ad Patres Societatis attineat. Idem de quarto capite ac de primo declaramus in eos qui in sacro pulpito quidpiam protulerint, unde Patribus Societatis conquerendi ratio suboriri possit: qui ultra privationem ab officio concionatoris, pœnis gravioribus punientur. Qui demùm in privatis colloquiis minùs honestè de tam religioso Instituto, ejusque Professoribus locuti fuerint, pro prima vice subjicientur pœna gravis culpæ, & ad alios Conventus transmittentur: pro secunda tanquam inemendabiles & disciplinæ contemtores pœna gravis culpæ subjacebunt. Monemus verò Paternitates Vestras, indictas pœnas pro Superiorum arbitrio minui non posse: cùm & eadem illa severitas à Patribus Societatis servanda sit, juxta promissorum fidem & Suæ Majestatis voluntatem: cui ita sancire placuit, ut Superiores à statutis pœnis dispensare valeant. Me vestris orationibus plurimùm commendo. Datum in nostro Conventu nostræ Dominæ de Atocha. Matriti die 26. Aprilis anni 1612. Fr. Joseph Gonzales Prior Provincialis.

Ex Hispano Latinè datur. Exstat in Archivio General. Præd.

Dum hæc pro fide promissorum à Rege Catholico & à Prædicatoribus aguntur, pacto-

pactorum fidem Jesuitæ violant. Theses Theologicas defendunt Vallisoleti, sub Maii finem, ubi posthabitâ priori conditione Scholæ Thomisticæ præcipuo dogmati invidiosas notas inurunt. *Non est*, inquiebant, *prædeterminatio physica; quia, ut opinamur, destruit libertatem, tollit auxilium sufficiens, & Deum facit autorem peccati.* Nuntius ad Ducem de Lerma confestim perlatus est. Obstupuit ad præcipitem illam fœderis violationem, quâ sibi & Regi irrogatam injuriam sentiebat. O quàm nutantem pacem, exclamavit, quæ à Jesuitarum sinceritate ac fide pendeat! *O que arriesgada esta la paz que tiene por fundamento la fe y palabra de los Jesuitas!* Scripsit die 2. Junii ad Summum Pontificem, & Cardinalem Burghesium; ut hoc novo petulantiæ argumento ostenderet, quantæ necessitatis esset litem ultimo judicio finire, & Majestatis Catholicæ votis respondere: cùm vix alia coercendæ audaciæ via suppeteret.

Eas Excellentissimi Ducis Epistolas, uti & alteram à Rege Catholico Paulo datam, de qua mox dicebam, nusquam reperi: sed adest, quæ commodè lacunam impleat. Illa scilicet, quam hac ipsâ occasione dedit ad Generalem Ordinis Prædicatorum; cujus electionem, nondum licet quâ die scribebat celebratam, faciendam nihilominùs propè diem, & antequam adventaret Epistola, certò noverat.

REVERENDISSIME PATER.

Ex Hispano Latinè datur.

„ De summa Dei providentia benè spero „ futurum, ut in hoc proximo Capitulo Ge„ nerali, ad eum eligendum corda omnium „ & vota dirigat, qui totius Ordinis bonum „ promovere possit. Ego interim, pro ea qua „ in universum Prædicatorum Ordinem vo„ luntate & animi devotione feror, R. Pa„ ternitatis Vestræ benedictionem in ante„ cessum efflagito; Deumque supplex rogo, „ ut eam ad Religionis profectum multos an„ nos servet incolumem.

„ Fecit innatus Genti nostræ Religionis ar„ dor, ut pro viribus adniterer Prædicatores „ & Societatem in mutuam gratiam reducere. „ Illos idcircò in domum aliquam ruri posi„ tam invitaveram, simul cum Regio Con„ fessore, ubi rationes utrisque exposui, quæ „ me ad id tentandum adducerent: ac præ „ cæteris singularem voluptatem, quam Rex „ de mutua illorum concordia percepturus „ esset. Communi assensu delegati sunt, qui „ de conditionibus agerent, duo scilicet Pro„ vinciales, & Patres Magister Hieronymus „ de Tiedra, & Hieronymus de Florentia, ambo Regi à Concionibus. Sex statuerunt " conditionum capita, de quibus Paternita" tem Vestram monet Provincialis Hispaniæ, " in ea quam Romam mittit totius facti nar" ratione. Post dies aliquot, iidem illi simul " cum Regio Confessore Regem adiere; cui " post narratam totius negotii tractationem, " gratias agere maximas ob mihi demandatam " curam hujuscemodi concordiæ ineundæ, " quam sibi ac toti Ecclesiæ profuturam omi" nabamur. Id totum Rex gratissimum ha" buit, maximamque dedit perceptæ volup" tatis significationem. Plaudebam & ipse " mihi, lætabarque vehementiùs, tum ob " præstitum Deo obsequium, tum ob resar" tam fidelium offensionem, quam ex tam " diuturno dissidio patiebantur: cum ecce, " contra omnium exspectationem, id demùm " accidit, quod Reverendissima Paternitas " Vestra ex Provincialis relatione satis in" telliget. Scribo ad Sanctitatem Suam & " D. Cardinalem Burghesium, rei totius hi" storiam exhibens, iisdemque significans, " quàm ardens Regi insit desiderium, ut " Sanctitas Sua Auxiliorum controversiam " ultimò definiat. Idcircò committo Reve" rendissimæ Paternitati Vestræ, atque etiam " rogo, ut hoc idem ad ipsius pedes provo" lutus enixè postulet: quippe id unum " est, quo malis omnibus in dies emergen" tibus occurri possit. Mitto hìc adjuncta " transumta Epistolarum, quas Summo Pon" tifici & Cardinali Burghesio scribo; ut iis " omninò congruant supplicationes vestræ. " Suspicati sumus Pontificem fortassis æsti" maturum Regias Epistolas ad ipsum nuper " datas, quibus pro declaratione supplica" bat, privatorum rogatu scriptas esse: ve" rùm ita profectò non est, aut unquam fuit; " sed una illum ad id scribendum Religionis " & tranquillitatis publicæ cura sollicitavit. " Ita ergo causam urgeat, & Pontificem al" loquatur Paternitas Vestra, ut seriò intel" ligat, hancce præsentem supplicationem " (tametsi cum altera præcedenti eadem cen" seatur) novâ tamen necessitate fieri, ob " novitates à Patribus Societatis intentatas; " nec ultra jam Prædicatores tot injuriis laces" sitos contineri posse, ne ad sui defensionem " palàm erumpant. Quapropter tum ob id, " tum ob alia longè plurima, quæ longo usu " didicit Paternitas Vestra, significabit San" ctitati Suæ, nusquam futuram in Hispaniis " concordiam ac pacem, donec definitionem " promulgarit. Deus Reverendissimam Pa" ternitatem Vestram incolumem servet, uti " desidero. Datum Matriti die 2. Junii 1612. " Ego DUX ET MARCHIO DENIÆ. "

In eundem sensum scripsit Hispaniæ Pro-

Provincialis, dum anteactorum narrationem necnon Theses a Patribus Societatis contra pactorum fidem defensatas Romam transmisit.

REVERENDISSIME PATER.

Ex Hispano Latine redditur.

„ Teneor ex officii debito, Reverendissimæ Paternitati Vestræ significare, quam justa nobis totique Ordini accesserit de Patribus Societatis conquerendi ratio, ob Theses ab ipsis Vallisoleti propugnatas, quarum hic prolixiorem narrationem transmitto. Addo transumtum Litterarum patentium, quas per universam Provinciam promulgaveram die 26. Aprilis: ut hinc faciliùs intelligat, hanc nobis ab eis datam querendi rationem, quo maximè tempore stabamus initæ pacis conditionibus. D. Dux de Lerma ea de causa plurimùm offenditur, tum ob injuriam Ordini nostro illatam, quem impensè diligit, tum ob irrogatam Excellentiæ suæ contumeliam; ipse enim pacis autor fuerat. Ea de re scribit ad Summum Pontificem, ad Cardinalem Burghesium, & ad Regium Oratorem. Id ego vos moneo, ut Reverendissima Paternitas Vestra curet Sanctitatem Suam ab Oratore diligenter admoneri; quò tandem intelligat, hac una judicii procrastinatione gravissima in dies mala suboriri. In id porrò vehementer instandum est: sic enim Regi placet & Duci de Lerma, atque ad publicam pacem plurimùm interest. Admittantur etiam quotquot Romæ degunt Patres Magistri, Comitiorum occasione. Prosperum electionis exitum imprætermissè singulis diebus Deo commendamus in hacce Provincia nostra. Quia verò quo tempore Romam perveniet hæc Epistola, jam peracta erit, idcircò præcocem meo totiusque Provinciæ nomine spondeo obedientiam. Doleo ex animo quòd præsens Romæ non sim, ut primus omnium gratuler. Paternitatis Vestræ pedibus subjicio gratiam, nuper à Rege concessam, qua me Serenissimo Principi Domino meo à Confessionibus dedit. Benedictionem ad id muneris obeundum supplex rogo: dum interim Deum optimum gratiam mihi concessurum confido, qua tanti ponderis onus sustinere valeam. Obedientissimus obsequar Reverendissimæ Paternitatis Vestræ jussis, quam Deus ad Ordinis profectum multos annos servet incolumem. Datum Matriti die 1. Junii 1612. Reverendissimæ Paternitatis Vestræ filius, JOSEPH GONZALES, Prior Provincialis.

CAPUT VIGESIMUM-QUINTUM

Stant conditionibus Prædicatores: Judicii Pontificii promulgationem urgent: obsistunt Jesuitæ contra promissorum fidem.

NOn iis egebant Prædicatores hortatoriis Epistolis, ut ad promovendam Auxiliorum definitionem excitarentur; à quo, ne jussi quidem, ut opinor, abstinuissent. Statim atque, adventante Antonio Soto-Major, de pacis conditionibus nuntiatum fuit, in hanc promti & alacres incubuere quotquot Romæ Comitiis aderant. Piæ Regis Catholici sollicitudini, qui hoc idem prioribus Epistolis depoposcerat, obsecundarunt; collatis cum ejus Oratore communibus studiis, libellum supplicem, post habitam Generalis electionem, dederunt Paulo V. Pontifici Maximo, die 12. Junii, publico totius Ordinis nomine; cui subscripsere quotquot suffragii jus habuerant. Sic verò precabantur.

BEATISSIME PATER.

Capitulum Generale Ordinis Prædicatorum nomine totius Religionis exponit humillimè Sanctitati Vestræ pernecessarium esse, ut Vestra Beatitudo causam de efficacia divinæ gratiæ & humana libertate determinet; cùm multa, illaque gravissima, ex suspensione hujus determinationis emineant pericula. "

Primùm quia, ut apud utramque partem est in confesso, alterutra hujus controversiæ sententia, non solùm est hæretica, sed ferè omnium hæresum fundamentum, quæ circa materiam de gratia & justificatione hucusque exstiterunt: quâ tamen non firmiter fixâ, omnia ferè alia fidei nostræ dogmata nutant. Qua ratione semper Ecclesia summâ cum diligentiâ quam citissimè omnem exortam controversiam circa hujusmodi materiam definivit. "

Eò autem hoc periculum magis imminet, quòd defensores hujus vel illius sententiæ totis viribus opinionem suam per totum orbem divulgare & docere conantur: ita ut illa sententia ex illis duabus, quæ erronea sit, sic erit propalata, & in cordibus altè defixa, ut si remedium opportunum differatur, vix postea aliquod tanto malo inveniri queat. "

Accedit quòd Sedes Apostolica tanto studio hoc negotium inchoaverit, & accuratissimè examinari fecerit, ut si definitivam sententiam non proferat, existiment catholici rem hanc nullius esse momenti, "

&

„ & utrique suam sententiam tanquam probabilem concessam esse; & sic sine metu, cum maximo fidei catholicæ detrimento, huic vel illi adhæreant. Hæretici autem garrire solent insultando, quòd Ecclesia nesciat huic controversiæ finem imponere, & quid tenendum sit, firmiter stabilire.

„ Accedit insuper quòd adversa pars plures de hac materia libros multiplicavit & tractatus. Et in novissimè excusis à Patre Leonardo Lessio & à P. Martino Becano apertè asseritur, quòd si à principio exortæ controversiæ ita suam sententiam explicassent, nulla super hac re ad illam damnandam habita fuisset Congregatio.

„ Cùm ergo adeò urgeant prædicta, & aliàs utraque pars sit valdè catholica & huic sanctæ Sedi obedientissima, & non sit timendum quòd fidei definitioni non acquiescat, vel quòd aliqua oriatur perturbatio, sed potiùs summa pax & summa tranquillitas; instantissimè ad pedes Sanctitatis Vestræ provoluti oramus, petimus, & supplicamus, ut definitionem, à tota Ecclesia exspectatam atque desideratam, promulgare dignetur.

„ Insuper obnixè oramus, ut nobis libera concedatur facultas typis mandandi libros & tractatus nostros circa hanc quæstionem, præsertim commentando sanctæ Ecclesiæ Doctorem D. Thomam. Eò maximè, quòd hæc materia ita est per singulas ejus quæstiones & articulos dispersa, ut vix aliquid aliàs super S. Thomam edere possimus: quod tamen in maximum sanæ doctrinæ detrimentum vergere videtur.

„ F. Seraphinus Siccus Magister Ordinis.
„ F. Petrus de Amore Provincialis Franciæ.
„ F. Constantinus Gandinus de Brixia Provincialis utriusque Lombardiæ.
„ F. Dominicus Landio Provincialis Romanus.
„ F. Seraphinus de Nucera Provincialis Regni.
„ F. Servatius Lungling Provincialis Germaniæ superioris.
„ F. Joannes Chrysostomus Provincialis Poloniæ.
„ F. Joannes Santato Provincialis Græciæ.
„ F. Angelus Brixio Provincialis Terræ-Sanctæ.
„ F. Raphaël Riphoz Provincialis Aragoniæ.
„ F. Vincentius ab Antverpia Provincialis Bohemiæ.
„ F. Petrus Paulus Passaronus Provincialis Provinciæ.
„ F. Vincentius Candidus Provincialis Siciliæ.
F. Michaël Ofhovius Provincialis Germaniæ inferioris. "
F. Baptista Baccarino Provincialis Apuliæ. "
F. Paulus de Callio Provincialis utriusque Calabriæ. "
F. Vincentius le Clerc Provincialis Occitaniæ. "
F. Angelus Andronicus Provincialis Venetus. "
F. Theophilus Lupatinus Provincialis Abrutinus. "
F. Antonius de Soto-Major Diffinitor Hispaniæ. "
F. Paschasius des Jardins Diffinitor Franciæ. "
F. Hieronymus Soncinate Diffinitor utriusque Lombardiæ. "
F. Nicolaus Sermartellio Diffinitor Romanus. "
F. Andreas de Caserta Diffinitor Regni. "
F. Michaël Cremerius Diffinitor Theutoniæ. "
F. Lucas Ugolinus de Brixia Diffinitor Græciæ. "
F. Raphaël Cotta Diffinitor Provinciæ. "
F. Victorius de Zara Diffinitor Dalmatiæ. "
F. Hieronymus Sangeorgio Diffinitor Siciliæ. "
F. Sebastianus de Pavia Diffinitor Portugalliæ. "
F. Petrus Delgado Diffinitor Bethicæ. "
F. Thomas Caplotinius Diffinitor Provinciæ Germaniæ inferioris. "
F. Bartholomæus de Gallipoli Diffinitor Apuliæ. "
F. Vincentius à Saracena Diffinitor utriusque Calabriæ. "
F. Petrus Bruno Diffinitor Occitanus. "
F. Livius Leonus Diffinitor Venetus. "
F. Joannes Ambrosius ab Alexandria Diffinitor sancti Petri Martyris. "
F. Joannes Dominicus Montagnolius Diffinitor Abrutinus. "

Varias Theologorum lucubrationes addidere, quibus Pontifici Maximo & Eminentissimis Cardinalibus finiendæ controversiæ, seu veriùs promulgandi judicii, necessitatem demonstrabant. Has inter absolutissima visa est, quam jam pridem anno 1608. ediderat Hieronymus Baptista de la Nuza, Opus prælo dignum, Religionis zelum undique spirans, sed paulò prolixius, quàm ut hìc referri possit ex integro: at legi in Appendice poterit. Exstat inter Adversaria Lemosii, sub hoc titulo: Numero XVI.

Libel-

* *Libellus Memorialis à P. M. F. Hieronymo Baptista de la Nuza, Exprovinciali Provinciæ Arragoniæ Ordinis Prædicatorum editus; jubente Illustrissimo & Reverendissimo Domino Hieronymo Xavierre, Generali Ordinis Prædicatorum, & S. R. E. Cardinali, Philippo III. Hispaniarum Regi à Confessionibus. Paulo V. Summo Pontifici datus: in quo finiendæ, ultimoque judicio dirimendæ de divinis Auxiliis Controversiæ, rationes ac momenta proferuntur.*

Definitionis necessitatem probabat in primis Hieronymus de la Nuza, rationibus ad commune totius Ecclesiæ bonum spectantibus. Prima erat, quòd quæstionibus de divinæ gratiæ efficacia, totius stet fidei fundamentum.

Secunda, quòd quæstiones illæ in omnes penè Theologiæ partes diffusæ essent: quam idcircò undecunque nutare necessum erat, nisi certum de illis Canonem Ecclesia præfigeret.

Tertia, quòd aliàs vix scire liceat, quid quotidianis precibus petere, quid distinctè rogare debeamus, si nec propriarum virium infirmitatem, nec Dei virtutem agnoscimus.

Quarta, quòd aliàs nec satis humiliter, nec satis dignè gratiarum actiones referri possint, si vel nescimus quid accepimus, vel in nobis, quasi non acceperimus, gloriamur.

Quinta, quòd justa timoris & fiduciæ mensura à fidelibus servari nequeat, nisi certò sciant, quid ipsi per sese possint, quidve in eis operetur Deus.

Sexta, quòd servanda fidei unitas id exigeret; cùm communi partium dissidentium professione toties in Congregationibus expressâ, notum esset, quæstiones de intrinseca gratiæ efficaciæ ad ipsam fidei summam pertinere.

Septima, quòd omnes penè studio partium adducerentur, tantùmque paulatim utraque sententia diffunderetur, ut vix ea eradicari tandem possit, quæ in errore est.

Ejusdem definitionis necessitatem probabat deinde rationibus petitis ex conditione partium dissidentium.

Prima erat, quòd doctrinam suam novam fassus sit Molina ipse, ac prioribus Patribus ignotam, qui contra Pelagianos dimicarunt.

Secunda, quòd hujus doctrinæ Sectatores versatilem & translatitium vultum gererent, ut se omnibus commodarent; atque idcircò sua dogmata, uti recens inducta, iis venditarent, quos novitate capi cernerent; eademque uti ex Patrum traditione derivata, ab aliis haberi vellent, quos antiquitatis studio duci videant.

Tertia, quòd causam sibi adjudicatam vulgassent ubique gentium tam solennibus ac publicis gaudii significationibus, ut illicò plebs omnis decepta esset.

Quarta, quod eorum aliqui faterentur, Pelagium ultrò ad Augustini partes venturum fuisse, si easdem ac illi humanæ libertati vires sanctus Doctor dedisset.

Tum demùm id evincebat ex Romani Pontificis officio, de quo non absimili casu scribebat Bernardus Epistola 189. *Tempus est ut cognoscatis, Pater amantissime, Principatum, probetis zelum, ministerium honoretis. In eo planè Petri impletis vicem, cujus tenetis & Sedem; si vestra admonitione, corda in fide fluctuantia confirmatis; si vestra autoritate conteritis fidei corruptores.*

Iis Lanuzæ momentis addebat Thomas de Lemos alia gravissima, quæ olim Illustrissimus Armachanus attigerat, dum de resumenda ac finienda controversiâ scriberet post obitum Clementis VIII. de quibus & nos supra diximus. *Lib. IV. cap. 3. & in Append. Numero XVI.*

Interea dum in hanc curam totis viribus incumberent Prædicatores, nec modò Theologicis lucubrationibus, sed & omni solertiâ adniterentur; stabant in excubiis Jesuitæ, pactorum immemores; qui hoc idem conjunctis, ut aiunt, copiis urgere debuissent, nisi causæ propriæ diffidentia, & secreta conscientiæ censura retraxissent: boni profectò litigatores, qui adjudicatam sibi litem in Hispaniis garriebant; dum interim Romæ vulgari sententiam detrectarent! Quid enim, si veritatem à se stare putant, ac pro Molina pronuntiatum existimant, judicii promulgationem reformidant? Est enim Christi Domini vera sententia: *Omnis qui male agit, odit lucem; & non venit ad lucem, ut non arguantur opera ejus: qui autem facit veritatem, venit ad lucem, &c.*

Sed nec promissorum dumtaxat immemores ab urgenda causæ definitione abstinebant; at ne Prædicatorum rogatu in publicum prodiret, obnitebantur. Scripta vulga-

* Memorial que el P. Maestro Fray Geronymo Beptista de la Nuza, Provincial que fue de la Provincia de Aragon de la Orden de Predicadores, hiso por orden expresso del Ill. y Rev. Señor Fray Geronymo Xavierre, General de la Orden de Predicadores, y Cardinal de la S. Iglesia Romana, y Confessor de Philipe III. Rey de España, para dar al Summo Pontifice Paulo V. En el qual se escriven los motivos y razones, por las quales Su Santidad deve servirse definir y concluir la causa de los Auxilios divinos.

vulgarunt incertis autorum nominibus; ut evincerent, ab omni prorsùs definitione Apostolicâ supersedendum. Respondit Thomas de Lemos compendiosè ad singula capita; deditque responsum Paulo V. die 12. Julii.

Prima adversantium ratio erat, Molinæ Defensores adeò invaluisse, ut prorsùs difficile foret, quidquam in oppositum definire, aut certè exsecutioni demandare.

Respondebat Lemos: *Tantum abest, ut errores agniti, probati, ac præjudicati uti tales in multiplici examine juridico, permitti debeant, eo quod potentes sint Defensores eorum in seculo: quin potiùs ob illud ipsum Apostolicæ definitionis declaratione ac promulgatione obsistendum est. Certè diffusior ac potentior erat Arianismus (ut de infinitis aliis hæresibus sileam) dum in eum sententia lata est; nec tamen prætextus ille sententiæ declarationi obfuit. Ob id ipsum Clemens VIII paulatim nitebatur eis autoritatem adimere: ut in causa confessionis per litteras, & venerationis prætensorum Beatorum Societatis suæ: contra priorem prætensionem Decretum edendo; & contra secundam, instituendo Congregationem; quamvis ipsius morte interveniente, effectum sortita non sit.*

Altera ratio erat, quòd Jesuitis in omnibus penè mundi partibus commissa esset juventutis institutio: quæ res non parum Clementem VIII. à ferendo judicio retardaverat; quemadmodum ipsemet interdum clarissimo Pegnæ significaverat, dum Regis Catholici nomine pro definitione supplicaret.

Respondebat Lemos: *Cùm ea de causâ majus periculum emergat, huic quantocitiùs occurrendum est remedio. Immo potius est, juventutem ignaram habere, quàm hæreticam. Huic rationi responderunt Clemens VIII. & Paulus V. Domino Pegnæ, id sanè verum esse; sed necessarium fore de modo cogitare, significando se de substantia non dubitare.*

Tertia ratio erat, nonnullas Universitates in partes Societatis propendere; atque idcircò non ita temerè pronuntiandum.

Respondebat Lemos: *Ut huic difficultati faceret satis Dominus Pegna, expendit omnes Censuras Universitatum Catholicarum, ostenditque pro Molinæ opinione, duntaxat adduci Universitatem Complutensem; quia Lovaniensis, Duacensis, Salmanticensis, & aliæ directè contra ipsos sentiunt. Ac etiam nunc, librum ipsum Paulo Papæ V. exhibitum habet Dominus Pegna, cum notis & summario propria manu scriptis, prout Sanctitati Suæ data fuerunt.*

Quarta ratio erat, Doctores multos cum Molina sentire.

Respondit Lemos: *Ex antiquis duntaxat exstant Cassianus & Faustus, qui à sacris Canonibus notati sunt ut Semipelagiani. Ex recentioribus verò qui sententiam dicere jussi sunt, unus aut alter duntaxat ex Ordine S. Augustini; quia cæteri Molinam damnant. Ad id verò specialiter ostendendum, ostendit huic Pontifici Dominus Pegna, tomum alterum Censurarum Doctorum privatorum, qui sententiam dicere jussi fuerant, quibus hæc veritas demonstratur. Siquidem ille idem tomus nunc integer exstat, cum notis propria manu D. Pegnæ scriptis, pro instructione Suæ Sanctitatis.*

Quinta ratio erat, Definitionem periculosam Ecclesiæ fore in ea tot hæresium ingruentium tempestate.

Respondebat Lemos: *Ratio illa oppositum evincit; quia ob idipsum permittit Deus, ut tot hæreses crescant, quia ista non tollitur quæ evacuabat & evacuat passionem & meritum Jesu Christi Domini nostri, ejusque gratiæ efficaciæ. Siquidem opinio Molinæ directè tribuit libero arbitrio, quod proprium est gratiæ Jesu Christi.*

Cumque in id potissimùm insisterent Molinæ Vindices, ut idcircò à promulganda definitione esset abstinendum, quòd instituta de gratiâ per se efficaci controversia nihil ad fidem attineret, & inter quæstiones opinione liberas reputanda esset; satisfecit speciali tractatu idem Lemos, quem die 22. Julii Pontifici dedit. Stupendum inquit, quòd id etiamnum obtruderent; quasi verò obliterari illa possent, quæ in diligentissima decem annorum tractatione sancita fuerant: ubi usque adeò quæstiones illæ fidei summam spectare censebantur, ut Molina illiusque Defensores non falsitatis tantùm, sed & hæreseos Pelagianæ continuò damnarentur. Stupendum magis, subjungebat, quòd id tandem assererent, qui toties in solennibus Congregationibus, de fidei summa disputari contestabantur. In quos propterea illud Augustini de Cœlestio meritò caderet. *Perspicitis id eum egisse, hac prælocutione præmissâ, ut si quid in illo apparuisset erroris, non in fide, sed in quæstionibus quæ sunt præter fidem, videretur errasse: ubi etsi castigandus est error, non tamen tanquam hæresis corrigatur; & qui correptus fuit, ita dicatur errasse, ut non tamen hæreticus judicetur. Sed multùm eum ista fallit opinio.*

Attamen (qua sorte factum, dixerint Superi) nihil palàm hac occasione Prædicatores obtinuerunt; nisi ut omnes intelligerent, magnâ eos causæ fiduciâ, & adjudicatæ sibi litis securitate duci, qui judicii

judicii promulgationem adeo fervidè promovebant; cæteros è contra sibi male conscios secretâ conscientiæ censurâ morderi, qui judicium ita refugerent, omnique arte, sollicitudine, industriâ declinarent.

CAPUT VIGESIMUM-SEXTUM.

Claudius Aquaviva Societatis Præpositus, infaustum rerum exitum novamque tempestatem metuens, Molinæ laxitates solenni Decreto damnat; servato tamen doctrinæ capite.

TAmetsi ardenti illa Pontificii judicii postulatione nihil ex forma juris Prædicatores obtinuerint, suos tamen adversarios timore perculsos ad extrema deduxere. Claudius Aquaviva vir cautus ac prudens, nec obesæ omninò naris, novâ illa velitatione perterritus, multum industriam imitatus est, qui fracti semel fugatique, secundæ pugnæ exitum reformidant; hostibusque pristinas stationes iniquiores sponte deserunt, ut alias minùs incommodas quoquo pacto tueri possint. Auxit viri prudentis metum ac diffidentiam nova Lovaniensis Academiæ oppugnatio quæ Censuras suas adversùs Lessium & Hamelium denuò confirmavit die 2. Augusti 1613. Quare novam tempestatem excitari sentiens, ac de infausto eventu sibi metuens, qui è priore non ita sanus evaserat, vela remisit, laxioremque Molinæ sententiam prædamnavit, suâ totiusque Societatis sorte contentus, si Suaresii systema, verborum saltem honestate tolerabilius, contra subortas turbines tuerentur. Hoc enim Decretum de consilio Assistentium edidit, in universas Provincias transmittendum, uti certum tenendæ ac docendæ doctrinæ canonem.

Vide hìc lib. I. cap. 7.

„Cùm vel ad eam, quæ in Constitutionibus tantoperè commendatur, animorum conjunctionem & uniformitatem, soliditatemque doctrinæ, vel ad bonam Societatis apud exteros existimationem plurimùm referat, in rebus præsertim gravioribus, Nostris, quantùm fieri poterit, occasionem præscindere, novas subinde opiniones excogitandi; re diù multumque cum Patribus Assistentibus consideratâ ac Domino diligentissimè commendatâ visum est Nobis, serio statuendum, graviterque mandandum, quod præsentibus pro officii nostri autoritate, & obligatione statuimus & mandamus, ut in tradenda divinæ gratiæ efficacitate, Nostri eam opinionem sequantur, sive in libris, sive in lectionibus, sive in publicis disputationibus, quæ à plerisque Societatis nostræ Scriptoribus tradita, atque in controversia de Auxiliis divinæ gratiæ coram Summis Pontificibus, piæ memoriæ Clemente VIII. & S. D. N. Paulo V. tanquam magis consentanea SS. Augustino & Thomæ, gravissimorum Patrum judicio explicata & defensa est. Nostri in posterum omninò doceant, inter eam gratiam quæ effectum re ipsa habet, atque efficax dicitur, & eam quam sufficientem nominant, non tantùm discrimen esse in actu secundo, quia ex usu liberi arbitrii, etiam cooperantem gratiam habentis, effectum sortiatur, altera non item; sed in ipso actu primo; quòd, posita scientiâ conditionalium, ex efficaci Dei proposito atque intentione efficiendi certissimè in nobis boni, de industriâ ipse ea media seligit, atque eo modo & tempore confert, quo videt effectum infallibiliter habitura; aliis usurus, si hæc inefficacia prævidisset. Quare semper moraliter, & in ratione beneficii, plus aliquid in efficaci, quàm in sufficienti gratia & in actu primo contineri: atque hac ratione efficere Deum, ut reipsa faciamus; non tantum quia dat gratiam quâ facere possimus. Quod idem dicendum est de perseverantia, quæ procuidubio donum Dei est.“

Apud Julium Clementem, Tanerium, Henao, Paul. Leonarthum.

Vix credas, quantùm Decretum istud Societatem ejusque familiares offenderit. Nonnullis indignum videbatur, Molinæ doctrinam ab illis demùm deleri, qui adeò in ea tuenda desudassent: immò & ab illo ipso Præposito Generali è domesticis scholis eliminari, qui Societatem universam in ejus defensionem armaverat. Alii non satis intelligebant, quo pacto gratia in actu primo foret efficax, uti Decreto sancitur, quin simul physicè prædeterminaret; quave ratione propositum Dei efficax, & intentio boni in nobis certissimè efficiendi, absque decreto ex se & intrinsecùs efficaci, stare possent. Idcircò agnito Aquavivæ consilio, antequam meditatum Decretum vulgaretur, intercessere bene multi.

Ita refert Henao in Scientia-media Theologicè defensa, sect. 157

Distulit aliquantulum Societatis Præpositus, ne quid inconsultò & intempestivè gereret. Consuluit per Epistolas Antonium Bovium, tunc temporis Episcopum Melitensem, de Decreto emittendo sententiam rogaturus. Non abnuit ille, effœta licet ætate, novis sese Scholarum litigiis immiscere; ut hoc ultimum Molinianæ doctrinæ, quam a puero quondam ebiberat, tributum exsolveret. Respondit die 21. Novembris, non arridere sibi verba hæc, *Ex efficaci Dei proposito, atque intentione*

 tione

tione certissimè operandi in nobis boni: quibus ipsi prædefinitiones efficaces adstrui videbantur. Servatur Rescriptum Romæ in tabulario Domus Professæ, unde illud

Possinus lib. 6. cum. citatus ab Henao fol. 157.

Possinus eruit. Stetit nihilominùs propositi tenax Claudius Aquaviva, nihilque Decreto suo immutari voluit; ita decernente Cardinali Bellarmino, qui ei ad edendum illud perque totam Societatem promulgandum autor fuerat. Postulabat enim injuria temporum, ut obscura verba usurparet, unde gratiam per se efficacem decrevisse videri posset.

Decretum ergo, absque ulla omninò liturâ, in universas Societatis Provincias misit die 14. Decembris 1613. adjunctis efficacissimis Epistolis, quibus tenendam D. Thomæ doctrinam imperabat, cæterosque studiorum canones præfigebat, ne ab illa pro arbitrio discederent. Has Latino primùm idiomate scriptas suspicari licet: nusquam tamen exstant, nisi Gallico vel Italico; cogimurque fontem ex rivulis petere.

ADMODUM REVERENDE PATER.

Ex Italico Latinè redditur.

„Ob rationes vobis olim die 18. Junii 1611. significatas, necessarium existimavimus modos omnes ac vias investigare, quibus doctrinæ firmitas atque concordia in Scholis nostris statui possent. Quæ duo à B. Patre nostro quartâ Constitutionum parte præcipiuntur, tanquam Societati admodùm opportuna, ut digna Ecclesiæ Dei præstet obsequia. Idcirco Universis Europæ Provincialibus injunctum fuerat, ut habito præcipuorum Theologorum consilio, mutuò secum conferrent, quid facto esset opus, suaque ad nos judicia transmitterent. Nunc demùm acceptis Provinciarum omnium opinionibus, magnâ animi voluptate comprobavimus omnes in idem prorsùs conspirare idemque sentire. Ac licet in nonnullis rationibus proponendis non una omnium sententia sit, in multis tamen multæ Provinciæ congruunt, in aliquibus planè omnes. Verùm è propositis remediis sunt alia lenta nimis, alia plus justo difficilia, nonnulla strepitu magno minùs proficerent, quædam subaspera & Societati insolita judicantur; ut si Professores Censoresque stricto obedientiæ præcepto, aut etiam juramento, ad hoc vel illud tenendum fugiendumve astringerentur.

„Demùm post divinam opem sacrificiis & orationibus efflagitatam, habitoque Patrum Assistentium maturo consilio, in hanc sententiam descendimus, præsenti malis omnibus remedium allatum iri, si quæ olim in studiorum libro sancita sunt, religiosissimè teneantur. Quapropter Provincialibus districtè præcipimus, ut suas de studiis Regulas, per se satis apertas & copiosas, accuratissimè servent: uti & eas quæ de ipsorum officiis capite 6. notatæ sunt. Suas quoque Rectores diligentissime teneant. Illud idem studiorum Præfectis, omnibusque superiorum scientiarum ac maxime Theologiæ Scholasticæ Professoribus injungitur. Si enim hæc religiosè præstiterint, omnia pro votis prosperè succedent.

„Quod enim doctrinæ firmitatem attinet; stabimus in tuto si Divi Thomæ doctrinam tenuerimus, ut Generalis Congregationis Decreto sancitum est. Summa quoque doctrinæ consensio penes nos erit, dum eundem sequemur Autorem. Quæ sanè duo Generalis Congregatio sibi præstituerat, dum de edendo Decreto deliberavit. Nec movet si qui forè dixerint, nesciri interdum quæ mens D. Thomæ fuerit; id quippe Decretum ipsum occupavit. Si enim perspicuum sit opinionem aliquam D. Thomæ repugnare, nihil ultra morari juvat, certane sit; cum illam amplecti nobis non liceat. Si autem mentem ejus graviores & antiqui Thomistæ variè exponant; probabiliorem partem cum iisdem amplecti fas erit, citra violatæ Angelicæ doctrinæ periculum. Cavendum tamen est, & quidem serio, ne qui sponte in aliquam sententiam propendent, sparsas hinc inde S. Thomæ voculas aliquas emendicent, suumque in sensum obliquè detorqueant, ut illum à suis partibus stare jactitent; sed ejus potiùs sententiam ac mentem iis ex locis venari studeant, ubi argumentum illud tractavit ex instituto; non ubi cursim aut occasione tantum obiter attigit.

„Hoc igitur constituto, nihil interest catalogum texere opinionum probabilium aut non probabilium, tenendarum aut non tenendarum; quia uno doctrinæ duce semel posito, brevi compendio confecta res est. Nec ob id tamen aufertur ingeniorum libertas, sed intra debitos modos continetur; ut D. Thomæ doctrinam firmare, illustrare ac promovere valeant: iisque conceditur excurrendi campus, tametsi Doctori Angelico mancipentur: eo sanè modo (quanquam per omnia non stet comparatio) quo tot Ecclesiæ Doctores tam varios tamque amplos in Scripturam sacram Commentarios adornarunt; li-

cet

cet nec latum unguem ab illius sensu aberrarint.

Dubitarunt nihilominùs aliqui, num doctrinæ concordiæ repugnet opinionum varietas, quæ in autoribus nostris deprehenditur; arbitrati sane, licitum sibi fore quamlibet pro arbitrio sequi, eo saltem nomine, quod cum Superiorum licentia atque approbatione prodierint. Verùm jam abunde à nobis significatum est, nullam ob id Professoribus Scriptoribusque libertatem accedere, qui à Divo Thoma discedere vellent. Quia si quæ opiniones jam hactenus in lucem prodierunt, quæ a viris doctis utì maximè probabiles judicentur, ab erroris quidem, novitatis ac temeritatis suspicione liberantur: non ob id tamen à nobis defendi possunt, si D. Thomæ contrariæ reputentur. De dubiis verò jam satis dictum.

Congruum igitur erit, ut quotannis in publica Scholarum instauratione, nostra hæc Epistola de doctrinæ firmitate atque concordia congregatis Magistris legatur: Superioresque Seminariorum, ubi Philosophiæ ac Theologiæ studia vigent, hortatoriam simul Orationem habeant; in qua statutum de tenenda D. Thomæ doctrina serio moneant, aliorumque mandatorum nostrorum, quæ libro de ratione studiorum continentur, observantiam injungant; ut religiosè serventur.

Provinciales omni cura & sollicitudine sancitam legem observent; quà cautum est, ne ad docendæ Philosophiæ aut Theologiæ munus promoveantur, nisi qui D. Thomæ doctrinæ sunt affecti, & à novandi studio alieni. Si quos verò non ita affectos deprehenderint, qui probabilitatis obtentu ab iis legibus deflecterent; illos liberè amoveant, & ad alia Societatis officia deputent. Qui autem contrarias Angelico Doctori opiniones traderent, aut in rebus Philosophicis ad novitates declinarent, seu ex proprii ingenii levitate, seu Scriptoris cujusdam inferioris notæ autoritate illecti; ad hujuscemodi opinionum retractationem quantocitiùs adigantur: nec ad Scholastici studii vel anni finem protrahatur retractatio; cùm nedum res dilatione inveterascere & augeri soleant, sed & eas novitates discipuli tenacius ebibant, dum nullam toto anni decursu emendationem experiuntur. Nec audienda Præfectorum excusatio, si forte ignorantiam obtenderint: cùm eo ipso maximè officio suo desint: ea quippe nosse tenentur, & rationes illis suppetunt, quibus in illorum notitiam venire possint. 1. Si scholas, ut officium postulat, sæpiùs adeant ad Professorum lectiones audiendas. 2. Si lectionum Repetitionibus, circulis, disputationibus, tum publicis, tum domesticis intersint: si discipulos de acceptis in schola tractatibus interrogent: si demùm Professorum scripta lectitent. Hæc ubi præstiterint, aberrationes omnes proculdubio compertas habebunt. Ac tunc quidem impositâ pœnâ, indictâque retractatione, variis tum publicis tum privatis admonitionibus, ita errantes ad officium reducant, ut noverint, non specie tenùs ac perfunctoriè ista fieri, sed serio planè; universamque Societatem ac Superiores in id præsertim intendere; tanquam quod ad Religionis nostræ institutum, ad Ecclesiæ profectum, ad obsequium Dei conducat, longè magis quàm credi possit aut æstimari. Quare severiores potiùs, quàm mitiores esse debent studiorum Præfecti. Si autem de nonnullis opinionibus suborietur dubitatio, aut eas fortè nimiâ pertinaciâ nonnulli tueri vellent; tum Præfectus aut Rector (ut res majori autoritate ac prudentiâ componantur) plurium consultationem, aliorumque Doctorum nostrorum studium adhibeat, ac mox pertinaces illos quiescere, cæterorumque judicio stare jubeat: cùm eo dumtaxat fine doceamus, ut dignum Deo præstemus obsequium, qui nihil sibi contra leges obedientiæ oblatum, acceptum habet.

Cavendum ne Professorum alter alterum mordeat & impugnet: sed si eumdem autorem secuti, in quibusdam levioribus diversa sentirent (quod non nisi rarò accidere debet) mutuâ secum modestiâ, ac debita veneratione se gerant.

Provinciales Visitationem obeuntes in id diligenter inquirant, præsentiaque remedia ferant, eos à publicis lectionibus amovendo, qui stare nollent Decretis Congregationis Generalis, immò & Beatissimi Patris nostri, qui istud de doctrinæ firmitate ac consensione statutum, adeò diligenter injunxit. Curet ut Philosophiæ opiniones Theologiæ serviant, Aristotelemque sequi jubeat, ubi à doctrina divinitùs tradita non aberrat.

In iis quæ D. Thomas ex instituto non attigit, nec certò sciri potest, quid reipsa senserit, caveat in primis quid ex ejus principiis sponte fluat, aliisque ipsius doctrinæ capitibus optimè cohæreat. Si enim vel ejus principiis repugnet, aut cum aliis ejusdem dogmatibus minùs congruat, docendum non est. Secundo, si nec id quidem detegi potest, nova ex arbitrio

inducere non licet, nullis præeuntibus Scriptoribus gravibus ac probatis: non enim expedit in semita minùs trita propriis duci sensibus; unde & aberrare & in præceps ruere solitum est.

Studiorum Præfecti seligantur, qui in D. Thomæ doctrinam bene affecti sint, quique simul, ut multis de causis expedit, Professoris munus non obeant.

Si quis post librorum emendationem à Censoribus indictam, quidpiam sine licentiâ addiderit absque nova eorundem Censorum recognitione, pœnas luat easque gravissimas. Illi enim in re gravissimâ Societatem decipiunt.

Attendant etiam diligenter doctrinæ firmitatem multùm imminui, ingeniaque confundi plusquam credi possit, ex ea libertate quam sibi Magistri faciunt, quamlibet opinionem uti probabilem problematicè tuendi. Quo fit ut discipuli nesciant, ubi pedem figant: ideòque studeant Professores, opiniones solidiores legere ac defensare.

Quia autem in materia præsertim de divina gratia, doctrinæ consensionem servari volumus; ideò Decretum edidimus, quod huic Epistolæ adjunctum suscipiet Paternitas Vestra, jubemusque omnibus Magistris ac Theologis nostris significari; ut executioni accuratissimè demandetur. Concludam Epistolam, petitâ sacrificiorum memoriâ. Datum Romæ die 14. Decembris 1613. Servus in Christo, CLAUDIUS AQUAVIVA.

Cæterum extincto Aquaviva die 31. Januarii anni 1615. recrudescentibus Molinistarum obmurmurationibus, Decreti sensum exposuit Mutius Vitellescus, de consilio Septimæ Congregationis, ubi Præpositus Generalis electus est. Transmissorias Epistolas dedit die 7. Junii 1616. quibus præconceptas Suorum de sanctâ gratiâ physicè prædeterminante dubitationes amovebat.

Cùm difficultas aliqua (scribebat Congregatio) *inter viros doctos, super Decreto R. P. N. piæ memoriæ, anni 1613. Decembris 14. de efficacia gratiæ nata esset, variis variè id interpretantibus; R. P. Præpositus Generalis, & qui tunc Assistentes erant, & Secretarius, qui Decreto illi præsentes interfuerant, & mentem R. P. Claudii probè perspectam habebant; itemque Patres ad id à Congregatione (nempe VII. Generali) deputati, censuerunt, non intendisse R. P. Claudium hoc suo Decreto decernere, Deum sua voluntate prædeterminasse, vel prædefinisse aliquod opus nostrum bonum independenter à cooperatione libera nostræ voluntatis: nec etiam, quod in gratia efficaci sit aliqua entitas realis, aut aliquis modus physicus in actu primo, qui non sit in gratia sufficienti; sed hoc tantum, quod fuerit speciale beneficium Dei, dedisse uni, v. g. Petro, ex proposito boni in eo faciendi, gratiam eo tempore & loco, quo scientiâ conditionalium præscivit, illum ea gratia benè usurum: quod beneficium non contulit alteri, v. g. Joanni, cui dedit gratiam eo tempore & loco, quo præscivit illum sua culpâ, eâ non usurum.*

Ea porrò interpretatione Aquavivæ Decretum innovat Vitellescus; tametsi apertè significet, nullas illum gratias physicè prædeterminantes statuisse, sed unum Suaresii systema, proscripto Moliniano confirmasse. Et quidem quæ societas Scientiæ-mediæ Aquaviviano Decreto sancitæ, cum gratia physicè prædeterminante? Quid speciosæ illæ voces, *propositi efficacis, intentionis certissimæ*, ad gratiam seipsa efficacem adstruendam, si tota illa infallibilitas ac certitudo ex Scientiæ-mediæ directione petenda est? Certè, quanquàm non mediocrem ex Aquavivæ Decreto reportatum fructum existimem, ob Molinam à Suis proscriptum; non ideò tamen cum aliquibus Thomistis canendum puto, io triumphe; quasi gratiam veri nominis efficacem statuisset. Immo vero Gabrieli Henao Societatis Theologo satis assentior, dum illos *non valde doctos* appellat, qui gratiam physicè prædeterminantem ex hujusmodi decreto colligi reputabant. Quin etiam viro adeò ingenuo grates refero maximas, ita de Suis judicanti. Cùm enim viris ita censentibus primo loco annumeret Joannem Antonium Bovium, tenacem illum & infractum Molinæ patronum in Congregationibus Auxiliorum; consequens profectò est, minùs illum eruditum extitisse, qui de hisce quæstionibus pronuntiaret.

Tiam. Surgei in 4. Fin. id. ad [illegible]

Sect. 157.

Hoc idem secutis temporibus Decretum confirmavit Generalis Piccolominius de consilio Nonæ Congregationis anno 1651. celebratæ: quo tempore nonnullorum Episcoporum deputati Theologi, pro instaurandis Auxiliorum Congregationibus supplicarunt. Ita quippe in statutis de ratione studiorum ad universas Provincias directis sancitum est: *In materia de efficacia gratiæ, servetur Decretum P. Claudii Aquavivæ, conditum 14. Decembris 1613.*

Unum hic obiter notare juvat, Aquavivam minùs in Summos Pontifices æquum fuisse; qui Suaresii systema à gravissimis Societatis suæ Patribus coram

Cle-

Clemente VIII. & Paulo V. propugnatum ait, uti S. Augustino ac D. Thomæ magis consonum; damnatum tamen atque proscriptum dissimulat, ut suis fortè liberiùs illuderet. Expositum quidem illud ac propugnatum scimus in mutuo partium congressu apud Cardinalem Madrutium habito, anno 1599. die 17. Novembris: tum in Quarta Congregatione, sub Paulo V. anno 1605. die 12. Octobris: ultimò tandem & explicatiùs in Decima Congregatione, die 14. Decembris, ubi ita Societatis causam urgebat Ferdinandus de Bastida: *Dum Sancti Patres affirmant, ex pluribus eâdem gratiâ praeventis unum converti, non alium, loquuntur de eadem gratia in genere entis: non enim negant in eo qui convertitur, specialem gratiam esse, habere gratiam quâ praevisus est efficaciter convertendus. Atque adeò eam gratiam, in regeneratis, æqualem illi cum qua alter non convertitur, esse nihilominus majorem in genere gratiæ & beneficii Dei. Est enim speciale Dei beneficium, dare homini gratiam quando & quia praevidit convertendum, si per eam promoveatur. Immò in hoc consistit speciale beneficium prædestinationis; & propter hoc semper in divinam voluntatem fit ultima discretio eorum qui salvantur, ab his qui non convertuntur, nec salvantur. Nam quamvis ad libertatem arbitrii nostri spectet, consentire vel dissentire gratiæ huic; dare tamen homini eam gratiam, cum qua praevisus est convertendus, solius Dei est.* At illud idem in iis Congregationibus damnatum non ignoramus; qui in Diplomate jussu Pauli V. à Consultoribus meditato, propositionem hanc erroris notatam legimus, numero 23. ultimæ columnæ à Summo Pontifice recognitæ. *Qui praeventus à Deo consentit, non accipit aliam potentiorem gratiam praevenientem, quàm si non consentiret: sed hac tantùm consideratione majus donum, seu beneficium recipit; quia gratia illi datur in talibus circumstantiis, in quibus Deus praevidit futurum, ut pro sua innatâ libertate consentiret.*

CAPUT VIGESIMUM-SEPTIMUM

Jesuitæ, suscitatis de Conceptione Virginis invidiosis controversiis, plebem commovent, ut extremos Prædicatorum conatus, novasque pro obtinendâ judicii promulgatione supplicationes elidant.

FUit hæc ultima Jesuitarum industria, ut hostiles Prædicatorum copias diducerent, novosque conatus dissiparent, quibus Pontificii judicii promulgationem insequebantur. Tædebat viros recoctos & industrios, Reorum personam sustinere; nec se satis ad eludendos adversariorum impetus idoneos existimabant, nisi novâ intentata lite, à priori omninò dissitâ, æmulorum vires aliò diverterent. Eo ducti animo invidiosas quæstiones jam dudum consepultas quæritarunt; quæ plebem, ac præsertim Hispanos, in Prædicatores commoverent: quò, novâ inductâ rerum facie, Auxiliorum causa, quæ tanto hactenus fragore insonuerat, vel comprimeretur omninò, vel certè tepesceret. Nulla instituto accommodatior controversia fuit, quàm quæ de Conceptione Virginis Prædicatores cum Minoribus olim commiserat sub Sixti IV. Pontificatu. Noverant quippe superiorum rerum usu, quàm facilè pietatis specie caperentur nonnulli; quàm ardenter ignara plebs & consilii nescia in Prædicatores, avitæ doctrinæ retinentiores, commoveretur, ubi de asserenda Conceptionis puritate disputabatur: hincque futurum existimabant, ut Prædicatores pristina bella non instaurarent, qui vix nova signa inferentibus resistere possent.

In hoc igitur conspirarunt statim à Decreti Aquaviviani promulgatione, anno scilicet 1614. sociato cum FF. Minoribus exercitu. Sed id primùm clam & intra invidiæ modum; deinde auditæ voces, coitiones, ac minæ: postremò bella plusquàm civilia: quæ si describere vellem singula, non modò à præsentis Historiæ instituto longiùs abscedere, verùm & libros implere necesse foret. Philippum III. ac deinceps Philippum IV. adeò immissis nonnullis Ordinis Carmelitani Monialibus occuparunt, ut suam in tuenda Conceptionis puritate salutem positam existimarent; atque idcircò pro obtinendâ ejusdem definitione, tres Romam Legationes decreverint; primam sub finem Pauli V. alteram sub Gregorio XV. tertiam sub Urbano VIII. tametsi nulla eis pro voto cesserit. Plebem verò confictis revelationibus ac miraculis, institutis festivitatibus & Sodalitiis, vulgatis tabellis, numismatibus, Libris, Concionibus, eò usque commoverunt fervidi susurrones, ut Prædicatores in Claustrorum penetralibus delitescere coacti sint, ne palàm lapidibus appeterentur. Eoque perducta res est, quod vix postera credant secula, ut sacra Doctoris Angelici Imago, per ludibrium vili jumento superposita, per vicos, per fora, per compita, circumducta fuerit, dementi limphatoque insequente populo,

ac per subsannationem clamitante, *Sin peccado Original, sin peccado Original.*

Lucerus tract. de Concept. cap. 4. Salazar cap. 9. §. 3. Inter hæc tumultuantis plebis deliria scripserunt de Conceptione Gundizalvus Lucero, vir medullitùs Molinista, & Ferdinandus Salazar Societatis Jesu; qui novo astutiæ genere pro tuendo Virginis privilegio, ad Scientiæ-mediæ lumen confugere. Rati fortè novam Molinismo apud vulgus accessuram autoritatem, ubi illum ab Immaculatæ Conceptionis mysterio indivulsum audiret; nec ultra Hispaniæ Reges pro Auxiliorum definitione supplicaturos, ne piæ, quam tuebantur, opinioni vires adimerent.

Nusquam Prædicatorum Ordo magis in ambiguo fuit. Timendus popularis furor, tractandi Augustorum animi, retinenda Apostolicæ Sedis benevolentia: ne in præcipiti negotiorum concursu, quod una manu colligere vellent, perderent alterâ. Conticuit igitur aliquantulum, donec abrumpendi silentii occasionem fecerit Francisci Suaresii de divina gratiâ tripartitum Opus, anno 1620. typis editum, quo Moliniana dogmata paulò honestiùs obducta propugnabantur. Hæc verò fuit novæ molitionis origo. Binis Epistolis Cardinalem Burghesium, Pontificiæ Curiæ Administrum commonuerat Franciscus Suares de felici alterius cujusdam libri sorte, quem ante aliquot annos, pro catholicæ fidei defensione adversùs Anglicanos errores & Magnæ Brittanniæ Regis Apologiam ediderat, rogabatque ut sibi edendi Operis de gratia Christi venia fieret, quòd jam à Paulo V. vetitum esset, ne quis ea de re scriberet, citra Romanæ Ecclesiæ licentiam. Rescripsit Eminentissimus Princeps 26. Aprilis 1617. Sanctitatis Suæ nomine, litteras admodùm officiosas pro asserta Ecclesiæ fide & Apostolicæ Sedis autoritate vindicatâ. Addebat verò: *Quod ad impressionem libri de gratia pertinet, nulla propter doctrinam orta est difficultas. Existimat enim Sanctitas Sua, tam non discrepaturam ab eruditione & doctrina tot librorum dudum in lucem à se editorum, qui omnium acclamatione excepti, egregie sustinent nomen & famam, quam adepti sunt. Sed omnis emanavit difficultas ob qualitatem, quæ inibi disputatur, materiæ: de qua ne alii etiam agerent, qui de ea scripserant, efficaciterque pro facultate imprimendi institerant, gravissimis de causis, pro nunc non modo cautum, sed strictim vetitum fuit.*

Hinc Suaresii de divina gratia opiniones à Summo Pontifice probatas conclamarunt viri boni. Quasi non ea essent Romanæ Curiæ officiosa responsa, quibus viris eruditis gratificari solet, qui aliqua in Apostolicam Sedem obsequia conferunt; aut aliud sibi vellent hujus Epistolæ verba, quàm vagam commendationem Suaresii doctrinæ, eruditionis, famæ superioribus lucubrationibus comparatæ? Nihil enim illic de divinæ gratiæ opinionibus speciatim pronuntiatum; de toto dumtaxat Opere promiscuè dictum, nullam propter doctrinam difficultatem præ se ferre: quòd nempè, rebus in suspenso positis, ac nondùm vulgato Apostolicæ Sedis judicio, pro arbitrio sentire liberum esset. Immò nec Romæ quidem lectus erat Suaresii liber, quo tempore rescripsit Cardinalis Administer, honestoque dumtaxat augurio felicem ei sortem est ominatus. *Existimat*, inquiebat, *Sanctitas Sua, non discrepaturam ab eruditione & doctrina librorum dudum in lucem editorum*: quâ officiosâ commendatione virorum eruditorum libros, necdum lectos aut evolutos, excipere solitum est.

Et certè (si tantillum ab instituto discedere liceat) æquè valent hujus Epistolæ verba ad librorum antehac editorum commendationem: cùm & omnium acclamatione excepti dicantur, adeptamque famam ac nomen egregiè sustinentes. Quis verò probatas idcircò putet defensatas in illis opiniones, quas Decretis etiam Pontificiis damnatas esse, nemo nescit? De Confessione per litteras & internuntium notum est quàm distinctè Suaresii doctrina ex Clementis VIII. Decreto proscripta sit: quod dum ille in editione posteriori, speciosis expositionibus emollire vellet, ut opinionem suam eo telo minimè petitam demonstraret, meruit fulmen secundum: ac ne dissimulare jam posset, ex ipso sui nomine notatus est. Addam illud ex integro, ne & alii pro more suo dissimulare pergant. *Tom. 4. de Pænit. disp. 10. sect. 3. & disp. 21. sect. 4.*

Feria V. die 14. Julii 1605. in generali Congregatione sancta Romana & universalis Inquisitionis habita Romæ in Palatio Apostolico, in Monte Quirinali, coram S. D. N. Paulo V. ac Illustrissimis & Reverendissimis DD. Cardinalibus, contra hæreticam pravitatem generalibus Inquisitoribus: propositâ causa Patris Francisci Suares Jesuitæ, & consideratis his quæ scripsit tom. 4. in 3. partem S. Thomæ sectione 4. disp. 21. interpretando Decretum felicis recordationis Clementis Papæ VIII. die 20. Junii 1602. quo damnavit hanc propositionem, videlicet, Licere per litteras, seu internuntium, Confessario absenti, peccata Sacramentaliter confiteri, & ab eodem

dem absolutionem obtinere: ac etiam maturè discussis his, quæ idem P. Suares adduxit in defensionem suæ interpretationis: auditis votis Illustrissimorum DD. Cardinalium, Sanctissimus decrevit, dictam interpretationem non subsistere, & ideò amovendam esse ab ejus libris, juxta Decreta aliàs facta à felicis recordationis Clemente Papa VIII. de quibus in Actis sancti Officii.

3. Part. disp. 10 sect. 2. De altera Suaresii doctrina, qua Virginem Deiparam in Christi Domini Conceptione semen ministrasse opinatur; minùs quidem notum judicium est, certissimum tamen. Ad Romanæ Inquisitionis Tribunal delata est, anno 1609. Episcopos ac Theologos ad examen designavit Paulus V. die 4. Junii, numero quatuordecim: qui sua post maturum difficultatis examen suffragia contulerunt die 4. sequentis. Undecim in damnationem conspirarunt; tres solùm (quorum unus è Societate erat, Benedictus Justinianus) propositionem absolvêre. Ac tandem die 16. Julii, propositione per manus missâ, ob argumenti inhonestatem à Decreto publicè edendo temperandum censuit Sanctissimus Pontifex, ferendum tamen remedium in se sumsit: *Ordinaturum se*, inquiens, *Generali Societatis Jesuitarum, prout aliàs fecit, ut moneat Patres sui Ordinis, ut quando adest communis sensus Doctorum & Theologorum, non scribant in contrarium.* Id obiter notatum velim, non ad cujusquam invidiam; sed ut omnes intelligant, quæ sit officiosarum Epistolarum pro libris in futurum edendis autoritas; cùm etiam editos commendari videamus, quos non ita pridem spongiâ dignos, Pontifices pronuntiaverant.

In Bibli. Burgh. vol. sig. n. 18. fol. 19.

Interea, negatâ licet Romanæ Curiæ licentiâ, prodiit Suaresii tripartitum Opus anno 1620. triennio ab Autoris obitu; mediâ tamen sui parte mutilatum, quâ quæstiones de intrinseca divinæ gratiæ efficacia ex instituto tractabantur. Id ut didicit Prædicatorum Ordo, cœpit apud Apostolicam Sedem habitas olim pro controversiæ definitione supplicationes renovare, ne litem longissimo tempore emori fineret. Ea de re in Capitulo Generali Mediolanensi deliberatum anno 1622. Fuere qui iniqua tempora objectarent, ob excitatas de Conceptione disputationes, turbatos in Hispania Religiosos Ordines, commotam ubique plebem, Romanam Curiam plus nimiò defatigatam, Catholici Regis Oratorem aliis studiis occupatum; quæ omnia vulgandæ Pontificiæ definitionis spem eripiebant. Vicit nihilominùs cæterorum opinio, qui licet hujuscemodi supplicationem pro voto obtinendo intempestivam faterentur, habendam nihilominùs existimabant, ut saltem ostenderet universus Ordo, nullis se tot æmulorum ambagibus ab instituto dimoveri, certissimâque adjudicatæ sibi litis confidentiâ tutum esse. Statutum insuper, pro tuenda Ordinis famâ, communi Provinciarum assensu, apud eandem Apostolicam Sedem supplicandum pro recentis de Conceptione controversiæ definitione; non quemadmodum Hispani aliique promiscuè precabantur, qui Pontificis prærepto judicio, quam mallent ipsi controversiæ partem definiri postulabant, sed ut eam ultimò decerneret quam ipsemet, præmissâ solenni disputatione, veterumque Patrum evolutis monumentis, probaret magis. Utramque supplicationem accipe ex publicis Ordinis monumentis.

Supplicatio Ordinis Prædicatorum coram Gregorio XV. pro declaratione judicii Pontificii in Causa Congregationum de Auxiliis.

BEATISSIME PATER.

Ad Sanctitatis Vestræ pedes demissi, « gemitum Ecclesiæ fidenter exponimus, « quæ divisos videns filios suos, veluti di- « visis visceribus ingemiscit. Videt namque « inter acerrima dissidia, illos sibi ad invicem « adversari, dum alii unam fidem, alii op- « positam circa gratiam Salvatoris, divinam « Providentiam, Prædestinationem, justifi- « cationem, & merita nostra, proclamant. « Etenim censent alii alios Pelagianos; alii « è contra alios vocant in doctrina Mani- « chæos & Calvinistas. Ad quæ tollenda dis- « sidia necesse est, Beatissime Pater, hæc « ab inferis evocata auferre (idque flagita- « mus) atque speramus summâ optimi Pa- « storis vigilantiâ destruenda. Necesse est, « inquam, hæc componere, & quæ de fi- « de tenere in prædictis materiis debeant, « publicare. «

1. Quia de ratione Ecclesiæ unitas est, « secundùm illud, *Unam Sanctam Ecclesiam*, « quam divisio fidelium, circa ea quæ fide « credenda sunt, tollit sine dubio. Cùm er- « go hæc controversia divisionem contineat « circa ea quæ sunt fide credenda, nempè « Christi Domini gratiam, & liberum ho- « minis arbitrium; non dubium quin ista « divisio eò tendat, ut Ecclesiæ tollat Uni- « tatem, quam supremus Ecclesiæ Pastor, « cui Dominus suam commisit Ecclesiam, «

„ ſervabit integram, diviſionem iſtam tollendo, & omnes per ſuam definitionem ad unitatem fidei revocando.

„ 2. Ex his contradictoriis ſententiis circa prædicta, neceſſe eſt alteram ſecundùm fidem, veram eſſe; alteram verò contra fidem, falſam. Quomodo ergo cauſa iſta indeterminata manere poteſt, permittendo magnam Eccleſiæ partem, ſive hanc, ſive illam, falſam doctrinam contra fidem tenere, docere, tum verbo, tùm ſcripto & libris ubique publicare?

„ 3. Præterea, in hoc vera Eccleſia à falſis diſcernitur, & à Synagogis malignantium, quòd in illis diviſio eſt, contentio, contradictio: ex quo conſtat Deum in eis non eſſe, cùm non ſit Deus contentionis & diviſionis, ſed unitatis & pacis. In vera autem Eccleſia, multitudinis credentium debet eſſe cor unum & anima una: Omnes enim, ut clamat Apoſtolus, idem debent ſapere. Si ergo diviſio circa res fidei in Eccleſia toleratur & contradictio, non jam ita erit diſcernere hanc veram Eccleſiam ab aliis falſis; quia deficiet unitas & concordia in credendo ea quæ ad veram fidem ſpectant.

„ 4. Quòd ſi dicatur, diviſionem non eſſe cum pertinacia, quia parati ſunt omnes, quæ de fide ſunt credere: proponantur ergo, & tolletur ab Eccleſia diviſio, & unitas conſervabitur.

„ Item ab Apoſtolorum temporibus uſque ad hæc noſtra vigilarunt ſemper Pontifices Summi, exortas controverſias circa fidem quàm celeriter terminare. Quod & Gregorius etiam XIII. feliciter adimplevit in Bulla contra Michaëlem Baium, quam ſub his verbis publicavit. *Gregorius Epiſcopus, Servus ſervorum Dei, Ad perpetuam rei memoriam. Proviſionis noſtræ debet provenire ſubſidio, ut ea quæ à Prædeceſſoribus noſtris emanarunt, ſuadente maximè fidei catholicæ conſervatione, ubicunque opus eſt, producantur. Quare nos tenorem litterarum felicis recordationis, Pii Papæ V. Prædeceſſoris noſtri, in ejus regiſtro repertum deſcribi, & præſentibus annotari facimus: qui talis eſt. Pius Epiſcopus Servus ſervorum Dei, Ad futuram rei memoriam: Ex omnibus afflictionibus, quas in hoc loco à Domino conſtituti tàm luctuoſo tempore ſuſtinemus; ille animum noſtrum excruciat dolor, quòd Religio Chriſtiana tantis jam pridem turbinibus agitata, novis quotidie propoſitis opinionibus affligitur: Chriſtique populus, antiqui hoſtis ſuggeſtione diſſectus, in alios atque alios errores paſſim & promiſcuè deferatur. Quantum verò ad nos attinet, totis viribus conamur, ut illæ ſimul atque proſiliunt penitùs opprimantur. Magno etenim mœrore afficimur, quòd plerique ſpectatæ alioqui probitatis & doctrinæ, in varias ſententias, offenſionis & periculi plenas, tùm verbo tùm ſcriptis prorumpunt; deque eis in Scholis invicem controvertantur, &c.* „

Cùm ergo & modò graviſſimæ controvertantur quæſtiones de gratia Chriſti Domini, an videlicet ex Deo ipſo efficax ſit ad ſalvandum de facto homines, an potiùs illam homo ſibi faciat efficacem; cum aliis ad Dei providentiam, prædeſtinationem, divinam cauſalitatem & poteſtatem, atque dominium, quod Deus habet ſupra humanam libertatem, ſpectantibus; factæque fuerint à felicis recordationis Clemente VIII. & Paulo V. diſputationes plurimæ & deciſiones, atque reſolutiones aliquæ, humiliter ſupplicant Sanctitati Veſtræ, præſentium Oratores, ut eas ſi opus fuerit, iterùm per viros doctos reviſas pro conſervatione Catholicæ veritatis, ſicut laudabiliter fecit Gregorius XIII. Apoſtolicâ autoritate publicare dignetur: ne diutiùs tot propoſitis quæſtionibus & opinionibus Eccleſia conflictetur; inque varias ſententias offenſionis, immò erroris plenas, diſſectus Chriſti populus, paſſim & promiſcuè prolabatur; ſed ſedatis controverſiis omnibus circa prædicta, omnes eandem fidem in his graviſſimis materiis teneant atque defendant. Negotium enim hoc ampliùs differri non poteſt. Quæ enim ex relatis contradictoriis ſententiis prava fuerit, in dies magis radicabitur, ampliùs diffundetur, & periculoſiùs ubique divulgabitur. Neceſſeque eſt particulares aliquos, potiùs materialiter errantes, ſive iſtos, ſive illos, per fidei determinationem ad veritatem revocare, quàm illos ſic fluctuantes dimittere in ipſorum totiuſque Chriſtiani populi nocumentum non minimum. „

5. Poſtremò Cœleſtinus ille Primus Paſtoris ſilentio errores foveri dicebat: & Magnus Gregorius, Error cui non reſiſtitur, approbatur. Pio ergo modo, ſive hinc ſive inde defendantur errores, præſcindendi celeriter ſunt, ne ſilentio tanto nimis foveantur. „

6. Tandem, cum petimus determinationem, Theologi univerſi in confuſione morantur, & quam fidem docere debeant circa gratiam Redemtoris, & liberum hominis arbitrium penitùs ignorant. Immò Theologicæ omnes materiæ circa poteſtatem Dei in liberum hominis arbitrium, circa ejuſdem divinam cauſalitatem, ſcientiam, voluntatem, providentiam,

„tiam, prædestinationem, justificationem, „& merita nostra, sine certa regula ma- „nent: ita ut quilibet circa illas, vel catho- „licam teneat veritatem, vel oppositam fal- „sitatem defendat.

„ Suppliciter ergo & magna cum humi- „litate, parique instantiâ, orandus est Pa- „stor supremus, & naviculæ Petri Guber- „nator, sicut humiliter deprecamur, ne „permittat eam in hac opinionum tempe- „state tandiu fluctuari, cùm sit ventus val- „dè contrarius; sed suprema potestate sibi „à Domino commissâ turbulento imperet „mari, & fiet tranquillitas magna. Nec e- „nim de rebus minimis agitur; sed in ma- „gno versamur discrimine & periculo: tali „videlicet, vel Pelagianarum pelago opi- „nionum (quod, teste Hieronymo, *hæreti- „corum omnium venena complectitur*) vel Ma- „nichæorum & Calvinistarum horrendâ pro- „cellâ. Potissimè cùm parati sint omnes re- „cipere, atque defendere quidquid Sedes „Petri (cujus fides deficere non potest) om- „nibus proposuerit esse credendum.

Supplicatio Ordinis Prædicatorum coram Gregorio XV. pro definitione quæstionis de Conceptione B. Virginis.

BEATISSIME PATER.

„ Proclamat Dominicanus Ordo ad Ve- „stram Sanctitatem, & eam implorat. Pri- „mò pro Deipara Virgine Sanctissima, ut „negotium hoc definiat, & quid in hac ma- „teria de B. Virginis Conceptione de fide „tenendum sit, decernat: ut id ipsum sen- „tiamus omnes; neque sint in nobis con- „tentiones & schismata, quæ Apostolus „Paulus in Corinthiis objurgat. Sed non „petit à Vestra Sanctitate, hanc aut illam „partem, unam aut alteram opinionem de- „terminatè definiendam; hoc enim esset „ducere Spiritum Sanctum, à quo sumus „ducendi & edocendi: sed humiliter ad San- „ctitatis Vestræ pedes profusus exposcit, „definiendam illam partem, sive senten- „tiam, quam Spiritus Sanctus suggesserit; „cùm scriptum sit: *Spiritus tuus bonus dedu- „cet me in viam rectam*; & alibi: *Cum ve- „nerit Paracletus, ille vos docebit omnem ve- „ritatem.*

„ Proclamat secundò pro Matre Ecclesia „sancta Catholicâ, ut quàmprimùm Vestra „Sanctitas ad hujus mysterii definitionem „accingetur, ejus vetusta observetur con- „suetudo in Dogmatibus fidei condendis, „circa res alias dubias, & inter Doctores „controversas: nimirùm ut Vestra Sancti- tas aperiat valvas disputationis ad contro- " versiam & examen prævium, hinc & inde " æquales in numero & doctrina disputato- " res vocando; qui Patrum priscorum sen- " tentias evolvant, exactè sensum aperiant; " & mentem expendant. Nostraque Provin- " cia Hispaniæ, ex nunc pro tunc pollice- " tur, se duos viros conspicuos famâ, Theo- " logiæ scientiæ peritos, & divinarum Lit- " terarum conscios missuram, qui disputa- " tionibus coram Sanctitate Vestra contro- " vertendis intersint: neque enim aliter vi- " tari potest periculum frustrandi Decre- " tum. "

Proclamat tertiò pro SS. Patribus & " priscis Ecclesiæ Doctoribus, ne contra il- " los inauditos & indefensos feratur senten- " tia, quod omnium jura abhorrent: ut ci- " tentur ad præfatum examen, & compa- " reant in loco disputationis & circuli, eo- " rum fide digna volumina; è quibus eorum " Interpretes, veluti Procuratores & ne- " gotium agentes, verba fideliter legant, & " sententias in veritate depromant. "

Necdum satis adjudicatæ sibi causæ con- sultum arbitrabantur Prædicatores; quan- quam tertiò jam pro vulganda Auxiliorum definitione supplicassent. Instarunt rursùs secutis temporibus sub Urbano VIII. anno 1627. die 24. Septembris, ac demùm sub Innocentio XI. anno 1681. dum alii è re- gione positi sancita judicia silentio in- volvi vellent. Quo uno argumento, etsi alia nulla suppeterent, abundè dignosci posset, quæ pars in celeberrima illa Auxi- liorum controversia superior evaserit. Si enim instructâ jam, agitatâ, & à Se- natoribus præjudicatâ lite, sententiæque promulgatione ad tempus dilatâ, partem unam videas instanter ac penè continuò pro latæ sententiæ promulgatione suppli- care, omnique rationum pondere urgere, instare, adniti; alteram è contrario de su- spensâ judicii promulgatione lætari cernas, choros ducere, exilire præ gaudio, nec modò pro vulganda sententia supplicare nunquam, sed ne vulgetur omninò, co- nari pro viribus: numquid, amabo, priores illos, sancito judicio superiores, sibique de superatâ lite benè conscios exi- stimabis? Id planè in præsenti Auxiliorum controversiâ videas. Litem secretò judi- cat Summus Pontifex; lati judicii solen- nitatem suspendit ad tempus; spondet pu- blico Rescripto Definitionem Apostoli- cam datâ opportunitate promulgatum iri; quid interim diffidentes Actores? Prædi- catores, audito dilati judicii nuntio, con- sternantur; è contrario choros ducunt Jesui-

tæ: Illi pro vulganda sententia instant, urgent, obsecrant: Isti ne prodeat unquam, adnituntur. Quidni ergo adjudicatam Prædicatoribus litem colligamus, alia licet argumenta non essent? Et tamen sibi plaudunt, triumphalibusque clamoribus scholas suas implent, Thesium scriptores ridibundi, sed Sardonio risu; apud se semper victores, ubique nunquam non victi. Ecce enim dum IV. huic Libro extrema manus accedit, & ultimi hujus folii rude exemplar recenti prælo sudans eximitur, Jesuitarum Cadomensium Theses, XIII. Maii hujusce anni defensæ, meas in in manus veniunt. Has easdem, adhuc licet invisas, suprà ex amici Litteris verbulo indicaveram. Sed his nunc raptim perlectis, impletum experior, quod quarto Præfationis Paragrapho fueram ominatus: futurum scilicet ut erecta Remis ac Rotomagi Ludovico Molinæ superba tropæa, alibi passim ab ejus Concellitis excitarentur. Nec mora: en ominibus facta concinunt. Thesibus illis Moliniana de Divinis Auxiliis Paradoxa sub adorando Domini nostri Jesu Christi nomine ac patrocinio, in festam lucem proferuntur, ac etiam superbis reportatæ victoriæ titulis coronantur. *Ratio conciliandi libertatem* (verba sunt 8. columnæ) *cum gratia per scientiam conditionatorum & efficaciam gratiæ extrinsecam, Molinæ nec somnium nec inventum est, ut quidam dolo malo fingunt. Ea doctrina multis in locis judicia multa subiit; & habuit ubique præclara innocentiæ testimonia; ubique victoriæ defensivæ palmam obtinuit.* Non est cur tabulæ manum secundò admoveamus, ut præposteros ac seros triumphatores novâ velitatione exagitemus: jam satis abundè confecta res est. Atque ut nihil novi procudunt, quod à nobis in antecessum non fuerit occupatum, nihil ultra reponendum existimamus.

Vanis interim ejusmodi Epiniciis, toties repetitis, nemo non convincetur, necessarium prorsùs fuisse, ut vera Molinianæ Causæ Historia ex originalium Actorum monumentis tandem erueretur, ac publici juris fieret: ne illius ignaris diutiùs illuderent falsæ *Victoriæ defensivæ* falsi Præcones; & qua parte steterit victoria, omnes intelligerent. Intelligent porrò quotquot vel mediocriter sapiunt, ex factis per totum hujus Historiæ decursum candidè enarratis, Prædicatoribus omnibusque Augustinianæ de Gratia doctrinæ Defensoribus addictam fuisse Augustissimæ Congregationis judicio victoriam, illorumque juri sic asserto nullis temporum intervallis præscriptum esse, nullâ unquam subsecutâ definitione derogatum; sed unicam superesse sanciti judicii solennitatem, quod ubi Apostolicæ Sedi libuerit, juxta habitarum Congregationum constituta promulgabitur. Quis enim quæstiones illas, novo eoque accuratiori examine pro vulganda sententiâ limari vellet? In id siquidem solido decennio insudatum est: causa septies & ampliùs sub incude fuit: Partes ad nauseam usque voce ac scriptis auditæ: concessæ Reis induciæ, quantùm vellent: excepta Academiarum, Episcoporum, Theologorumque judicia: illud demùm adhibitum studium, quo majus in altera ventilanda quæstione nusquam videas. Quo fit ut illa Augustini verba, quodam sensu ac spectatâ saltem hujusce examinis diligentiâ, usurpare liceat: *Non ampliùs vobiscum agendum est, quantùm ad jus examinis pertinet, nisi ut prolatam de hac re sententiam* (si quando eam promulgari contigerit) *cum pace sequamini.* *Lib. 3. contra Julian. cap. 1.*

FINIS HISTORIÆ.

APPEN-



APPENDIX
HISTORIÆ CONGREGATIONUM
DE AUXILIIS.

Qua varia continentur Instrumenta seu Scripta paulò prolixiora, quàm ut Historicæ Narrationi commodè inseri potuerint; quæ idcirco in hunc locum consultò missa sunt.

I.
JOANNIS GRIMANI
PATRIARCHÆ AQUILEIENSIS
EPISTOLA
AD VICARIUM UTINENSEM,

Circa materiam de Prædestinatione, & indirectè de Gratia.

I. Ad paragraphum ultimum Præfationis Hist. de Auxiliis.

REVERENDE VICARIE, Quandoquidem scribis mihi Concionatorem Ecclesiæ Collegiatæ Utinensis proposuisse tanquam certam conclusionem: *Prædestinatum à Deo damnatum nullo modo esse posse, etiamsi contingat ipsum peccare, quia quantumcumque cadat in peccatum, Deus illum ab illo extrahit, ita ut in fine debeat salvus fieri: & similiter præscitum à Deo damnari necesse esse*: & dicis ipsum eo pacto proposuisse electionem & prædestinationem esse necessariam, ut salus & damnatio non sint in nostra voluntate & arbitrio; iisque adjungis hæc formalia verba: Hinc ortum in populo, immò in te ipso magnum scandalum & rumorem; quasi ille omninò negasset liberum arbitrium nostrum ob stabilitam electionem & prædestinationem Dei: & ideò cum scripseris mihi, te noluisse quicquam innovare, ad reparandum hoc scandalum, absque meo consilio; cogor nunc ex officio, propter onus quod sustineo, tibi dicere omnia quæ censeo, quoad id quod Deus mihi manifestat medio sacrarum Scripturarum; atque adeò sub ea brevitate, quam mihi tempus concedit. Ad confirmandam veritatem adstringor fateri, conclusionem Concionatoris, qui populo fuit scandalo, esse veram & Catholicam, hoc est, prædestinatum damnari non posse:

sicut

ſicut nec præſcitum ſalvari. Atque ut commodè hoc probetur, intendo probare autoritate Scripturæ, prædeſtinationem & reprobationem eſſe ſolùm à Deo; deinde oſtendere ipſam non poſſe impediri à Deo, vel à Satana, vel à nobis: igitur à nemine. Et hoc fiet tum vi Scripturæ, tum claris rationibus, & doctrinâ D. Auguſtini; proteſtando tibi, quòd cùm non ſuppetant tempus & memoria, non poſſum vel milleſimam probationum partem adducere pro hac catholica veritate. Sed primùm neceſſarium eſt, quòd ſi D. Paulus, Vas Spiritus Sancti, ſcribendo ad Romanos de hac electione & reprobatione, poſt multa adducta teſtimonia exclamavit in hæc verba; *O altitudo divitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei*! nos omnes etiam nunc dando gloriam Deo exclamamus cum eodem, idque tantò magis, quantò longiùs à perfectione D. Pauli diſtamus. Verùm quia Chriſtus nunquam juxta ſua veriſſima promiſſa ſubtraxit ab Eccleſiâ lumen Spiritus ſancti, quo eam induxerat in omnem veritatem, atque adeò per intervalla temporum, ſervato nobis membris ſuis ſemine ſuæ gratiæ, ne ſteriles & pejores generatione Sodomæ relinqueremur, conſervavit Spiritum ſanctum, ad conſolandos nos adverſùs errores & inimicos gratiæ. Hæc eſt veritas, quam nunc profiteor, prædeſtinatos & electos à Deo ſecundùm beneplacitum ſuæ voluntatis damnari non poſſe, & etiam præſcitos & reprobatos ſalvari non poſſe. Et hoc verum eſſe Paulus, afflatus à Deo, circa profundum hoc prædeſtinationis & reprobationis arcanum Romanam Eccleſiam & nos omnes docet, iis quæ nono capite dicit: *Non enim omnes qui ex Iſraël ſunt, ſunt Iſraëlitæ*; quibus demonſtrat prædeſtinationem filiorum præfiguratam in Iſaac, qui fuit promiſſionis filius; ut diſcernantur à reprobis, præfiguratis in Iſmaël filio carnis: & propterea dicit ad Galatas 4. loquens de his duobus filiis, *Ejice ancillam & filium ejus*; *non enim erit hæres filius ancillæ cum filio liberæ*. Et ut argumentum majores habeat vires, probat eandem electionem & reprobationem in duobus filiis uno partu genitis: *Cum nondum nati eſſent, aut aliquid boni aut mali egiſſent, ut ſecundùm electionem propoſitum Dei maneret, non ex operibus, ſed ex vocante dictum eſt, Major ſerviet minori, ſicut ſcriptum eſt: Jacob dilexi; Eſaü autem odio habui.* Ecce hìc oſtenditur Paulum apertè nedum confiteri prædeſtinationem & reprobationem, ſed ita confiteri, ut *eum multa patientia*, ſicut ipſemet ait, *ſuſtinuerit Deus aliquos vaſa iræ apta in interitum, ut oſtenderet iram ſuam, & ut manifeſtaret patientiam ſuam, ut in vaſis miſericordiæ præparatis in gloriam poſſet oſtendere divitias gloriæ ſuæ.* Unde apparet Paulum applicare prædeſtinationem & reprobationem certis ac determinatis ſubjectis; quod agnovit Auguſtinus tot in locis. Nec propterea poteſt accuſari Deus injuſtitiæ aut iniquitatis; quia ipſe, tanquam figulus univerſalis, poteſt facere ex eadem maſſa aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam. Quare concludendum, prædeſtinationem & reprobationem eſſe ſolum à Deo; tum quia Scriptura id dicit, & Paulus hoc loco apertè, ut & alibi profitetur; tum etiam quia non venit ex principiis naturalibus, cum ſit tota Divina & ſpiritualis, dependens ſolùm à liberis promiſſionibus nobis à Deo factis.

Ad Rom. 11.

Ad Rom. 9.

Ad Rom. 9.

Videamus nunc hanc prædeſtinationem, utpotè ordinationem in Deo, & non in re quapiam creata ſtabilitam, nullo modo poſſe ab ipſo Deo impediri, cum ipſe dicat per Prophetam: *Ego Deus, & non mutor*; & ipſe ſibi ipſe contrarius eſſe non poſſit: & idcircò dicebat Paulus, *Dona Dei & vocatio ſunt ſine pœnitentia*. Si autem vocatio (loquitur de interna) quam 2. ad Timotheum 1. vocat ſanctam, factam non ex operibus, ſed ſecundùm propoſitum voluntatis ſuæ, eſt ſine pœnitentia, multò magis electio, quæ præcedit, debet eſſe ſine pœnitentia. Unde dicit Chriſtus diſcipulis: Nolite gaudere quia miracula facitis, *ſed gaudete quia nomina veſtra ſcripta ſunt in cælis*: quaſi diceret, Si gaudere vultis, ne gaudeatis de his rebus, quæ citò vos deſerent, quantumvis ſublimes & magnæ: ſed nunc gaudium vobis oſtendo, quod nunquam tolletur à vobis, *Quia nomina veſtra ſcripta ſunt in cælis*, hoc eſt, ſtat in me veſtra felicitas, quæ nunquam deficiet in æternum. Idipſum confirmat Joannes in Apocalypſi, ubi deſcribens electos, numero duodecim millia, ex qualibet tribu ſcriptos in libro vitæ, dicit illos ſignatos, non alio ſanè, quàm Chriſti ſanguine; non ut ampliùs per mortem tranſeant, aliàs ejus revelatio potiùs confuſionem, quàm pacem & conſolationem noſtris mentibus intuliſſet, neque ſanguis redemtoris fuiſſet ſtabilis. Præterea Propheta pſalmo 64. dicit: *Beatus quem elegiſti & aſſumſiſti, inhabitabit in atriis tuis.* Et in ſacro Evangelio multis in locis dicitur: *Hoc totum factum eſt, ut adimpleretur Scriptura.* Et hæc Scriptura nulla alia eſt, quàm Prophetarum à Deo illuminatorum dicta. Quare vellemus

Malach. 3.

Ad Rom. 11.

Luce 10.

Cap. 7.

nos

nos minus dare Deo, quàm Prophetæ servo Dei? Prædestinatio Dei est prophetia Dei hoc sensu, quòd aliter evenire, quàm quod ab æterno prævidit, est impossibile: præterquàm quod præveniendo res (loquor modo de sanctis & bonis) miro modo cum summa pietate, bonitate, ac justitia operatur ut illæ sint. Non ergò videatur alienum, si assumtus & electus (ut ait Psalmus) non nisi beatus esse valeat, quandoquidem dicit: Habitabit in domo mea; tum quia Deus prædixit, tùm quia ipse operabitur ut hoc eveniat. A Satana verò certissimè impediri hæc prædestinatio non potest; quia hic determinatus numerus electorum, qui damnari non possunt, præfiguratus est in populo Israëlitico, quando *Exodi 12.* Deus jussit Angelo exterminatori, ut occideret omnes, quorum ostia non fuissent sanguine agni signata. Si igitur sanguis occisi animalis populum à morte corporali tutatus est, quare non est concedendum sanguinem verum Jesu-Christi, qui ab æterno signavit filios suos, posse multò efficaciùs liberare à morte animarum omnes illos, quos jam assumsit in suos? Quod probatur ex dictis Christi apud Joannem decimo Capite loquendo de ovibus, quænam ad gregem suum spectent, quæ verò non. De iis quæ non spectant, dicit eo loci Salvator: *Vos non creditis, quia non estis ex ovibus meis.* De iis verò, quæ ad Christum pertinent dicit: *Oves meæ vocem meam audiunt, & ego cognosco eas, & sequuntur me, & ego vitam æternam do eis, & non peribunt in æternum, & non rapiet eas quisquam de manu mea: Pater meus, qui dedit mihi, major omnibus est, & nemo potest rapere de manu Patris mei.* Si consideres & ponderes omnia illa verba, cogeris profiteri electos damnari non posse, nec similiter præscitos salvari. Sed quia his paucis autoritatibus & rationibus efficaciâ plenis, satis probatum est, quantùm per tempus licuit, electionem impediri non posse, sive à Deo, sive à dæmone: à Deo quidem, quia non est contrarius sibi ipsi; à dæmone autem, quia per Christum defenditur & conservatur. Adde quòd ipse dicit apud Joannem cap. 17. loquendo de omnibus discipulis: *Non pro mundo rogo, sed pro his quos dedisti mihi.* Si filius ergo æqualis est potestatis cum Patre, & Pater filio nihil denegat, quia in ipso sibi semper complacet; quis audeat dicere, quòd aliquis possit condemnare filios Dei? Potest quidem Satanas impugnare illos, persequi illos, & aliquando ferè ad mortem adducere; sed non pereunt, quia Dominus supponit manum suam, & ipsos erigit. At de Juda reprobato loquens eodem loco ait: *Nemo ex eis periit, nisi filius perditionis*, ut Scriptura impleretur, quæ habetur Psal. *Psal 108.* 108. Certum est quòd si Scriptura adimplenda est, præscitum salvari non posse necessarium est, quia ipse est filius perditionis, ut ait Christus: Filius non potest negare naturam, quam Pater illi dat, & ideò aiebat Redemtor: *Vos ex Patre diabolo estis*, quia opera ejus facitis. Et hi propriè sunt illi, quos Deus per Christum pietatis suæ oculo nunquam respicit, ut contigit Judæ; & non Petro, quem Deus respexit, nè desperaret, postquam ita miserè magistrum negarat. Superest modò demonstrandum prædestinationem minùs à nobis impediri posse. Et hæc ratio est: quia quando Deus eligit nos & prædestinat in Christo, non necessitate id præstat, sed propriâ & liberâ voluntate suâ, cui nemo resistit, cum dictum sit per Prophetam: *Job 41.* *Quis resistet à calore vultus tui Domine?* Ampliùs elegit homines miseros, non felices; pauperes, non divites; peccatores, non justos; nudos, non indutos. Et quia totum hoc fit à Divinâ bonitate cum summâ charitate, non nos simpliciter elegit, ut deserat & derelinquat in manibus propriorum consiliorum; novit enim optimè quò nos ipsos adduceremus: sed simul cum suâ electione Divina palàm suis temporibus efficit, ut effectum sortiantur omnia dona, quæ in ipsa electione continebantur. Primò nobis præparat voluntatem, ut possimus divinas inspirationes acceptare; consolatur nos, roburque suppeditat in tentationibus, ne cadamus in perditionem; dat fidem, spem & charitatem, ut his armis pugnare: & inimicos nostros vincere valeamus, & in summa omnibus bonis suis nos ornat. Nec aliter gerit se Deus erga eos, quos in filios recipit, quàm se gereret Dominus, qui videns infelicem & miserum hominem omni auxilio destitutum, in via publica jacentem, ab omnibus neglectum, pietate naturali moveretur ut eligeret ipsum in servum charissimum. Non convenit dicere satis fuisse illi misero, quòd fuisset electus in servum; nam nisi aliud fieret, in via æque in prioribus miseriis jaceret: necessarium itaque foret ad hoc ut naturalem affectum erga illum ostenderet, ut non solâ illius electione contentus foret, sed ipsum in domum propriam deferri curaret, remedia adhiberet, indueret, novisque in dies favoribus cumularet. Amor verò Divinus multò plus quàm humanus valet: hic enim externa

tantùm beneficia impertiri; Divinus autem nedum bona temporalia cumulatissimè dare potest, sed donis spiritualibus supra cœlos nos evehit, ut mentem novam induti ante conspectum Dei & hominum appareamus ut honorati servi, nec tantis beneficiis ingrati: & ideò hi servi, agnoscentes se filios esse, semper amore non timore operantur. Hæ sunt rationes, quibus ostenditur hanc Dei electionem à nobis impediri non posse. Audi Scripturæ autoritatem idem confirmantis. Paulus ad Ephesios primo sic scribit: *Benedictus Deus & Pater Domini nostri Jesu Christi, qui benedixit nos in omni benedictione spirituali in cœlestibus in Christo, sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti & immaculati in conspectu ejus in charitate, qui prædestinavit nos in adoptionem filiorum per Jesum Christum in ipsum, secundùm beneplacitum voluntatis suæ in laudem gloriæ gratiæ suæ, in quo gratificavit nos in dilecto filio suo, in quo habemus redemtionem per sanguinem ejus, quæ superabundavit in nos.* Hæc sola autoritas auribus spiritus non carnis percepta, resolvit & illustrat omne dubium, quod posset ex illius Patris conclusione suboriri. Et sanè quodlibet ex his verbis, utpotè Spiritus Sancti, carius nobis & mille mundis pretiosius esse debet: splendet enim in illo magnitudo, bonitas, pietas & misericordia Dei erga nos. Præsertim verò demonstrat, ad consolationem nostram, prædestinatos filios perire nunquam posse, quia sunt electi in Christo antè constitutionem mundi. Qui ergo electus est in Christo, innititur Christo tanquam fundamento: qui autem innititur Christo, in ruinam labi nequit: quia ipse est lapis fundamentalis, immobilis, contrà quem potestas dæmonis non prævalet, & maximè prævalere non potest contra ædificium ex vivis lapidibus constructum, quod est sancta Ecclesia & electorum numerus determinatus.
Luca 6. Quod etiam manifestat parabola domus ædificatæ supra arenam, quæ ad minimum quemque ventum cadit; & illius, quæ ædificata est supra petram, neque potest vel impetuosissimis ventis concuti. Subjungit postmodùm Paulus, & dicit: *Qui elegit nos in ipso antè mundi constitutionem, ut essemus sancti & immaculati in conspectu ejus.* Ecce quomodo prædestinatio respicit sanctas & bonas operationes, tanquam proportionatas suo fini, quæ à Deo præparantur, ut in ipsis ambulemus: & ut id præstare valeamus, dedit Spiritum Sanctum suum in Ecclesia, qui occulto sed potenti igne omnia superflua & mala absumit, animosque electorum mox in dies bonis & sanctis cogitationibus accendit, ita ut ubi abominationibus & fæcibus mundi omninò loti sunt, purissimi remaneant. Apparet hinc omnibus Sanctorum prædestinatio, cujus nulla alia ratio dari potest, quàm beneplacitum voluntatis Divinæ, à Paulo ibidem assignata. Hoc prædestinationis donum in electis à Divo Petro in Epist. 1. cap. 1. & ab omnibus veteris ac novi Testamenti libris assertum fuit: ita ut non clariùs splendeat sol, quàm divinorum hujusmodi testimoniorum veritas elucescat. Supersedeant ergo à falsis illis malè compactis & violentis consequentiis quæ inferuntur, quasi hac electione, ut dictum est, liberum arbitrium de medio tolleretur, & quasi homo velut stipes & lapis propriè remaneret, ut suis temporibus Paulus contigisse dicit; quasi magnificando gratiam carnis libertas statueretur; quasi cuilibet operari malum concederetur, ut gratia abundaret; quod sanè omninò damnandum. Ad Rom. 3.
Hæ sunt consequentiæ illorum, qui omnem, ut decet, gloriam in Deum referre nolunt, aut saltem illorum, qui quod totum Christi est, partiri cupiunt; qui non norunt, quantum fuerit beneficium mors Filii Dei, quia volens desperatam captivitatem nostram demonstrare, in se ipso veram filiorum suorum libertatem declaravit ac postmodum ore proprio docuit, dum ait: *Si vos Filius liberaverit, tunc verè liberi eritis.* Quare nosse nos convenit, prædestinationem non tollere in electis liberum arbitrium, sed dare, curare & conservare; non vim inferre alicui, sed efficere ut liberè ac suaviter velimus, experientiâ ipsâ testante, nihil in mundo liberius, nihil esse fideli Christiano potentius, qui suprà omnia, etiam suprà mortem peccati, & suprà seipsum, liberum habeat dominium, in quantum nihil ipsi nocet, dummodo libertate Christiana, ut dicit Paulus, in libertatem carnis non abutatur. Et si quandoque peccat, experitur illud, *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum*; etiam ipsa peccata, addit Augustinus, hoc sensu tamen, ut ex illis ansam arripiat recurrendi ad Deum, pœnitendi & in dies proficiendi; semper tamen agnoscendo mortem, quæ ex peccato oritur, & vitam quam Christus largitur. Verum quidem est, liberum arbitrium in reprobis nihil ad salutem valere, ut his verbis scribens Augustinus ad Simplicianum fatetur: *Liberum arbitrium plurimùm valet, immò verò equidem, sed in venundatis sub peccato, quid valet?* Et paulò post idem ait: *Præcipitur ut* Joan. 8. Ad Gal. 5. Rom. 8.

rectè

rectè vivamus; sed quis potest rectè vivere, nisi justificatus ex fide? Vides quâ ratione Sanctus ille vir non horribile arbitratur, ut hoc tempore fit, liberum arbitrium ad salutem nostram non sufficere; immò verò in totum illud condemnat quoad meritum justificationis, ut clarè videre est in omnibus operibus ejus. Cedat etiam, quod carni alienum apparet, salutem nostram non consistere in potestate arbitrii nostri: quia felices illi, quorum salus in manibus Dei posita est; & infelicissimi illi, qui à se ipsis pendent, dicente Paulo verbis Moysi à
Ad Rom. 9. Deo dictis Exodi 33. *Miserebor, cujus misereor: & miserebor, quem misereor. Igitur neque volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei.* Neque verò eo loci Apostolus negat vel respuit voluntatem nostram: sed rectè totam salutis nostræ gloriam refert in Deum, qui supra modum credentium voluntatem exoptat & deperit; &
Psal. 94. ideò apud Prophetam dolet, quod induratus populus, cum ipse velit ipsum congregare, quemadmodum Gallina congre-
Matt. 23. gat pullos suos, ipse è contra voci suæ obedire renuit. Verum quidem est, sicut nullam aliam electionis & reprobationis causam assignari posse, nisi voluntatem divinam directam ipsius justitiâ, ut ait Augustinus, ita damnationis peccatorum causam reddi culpam iniquitatum nostra-
Osee 13. rum. Et ideò dicit Scriptura: *Perditio tua ex te, Israel; salus autem ex me.*

Audisti quæ jam in hac Epistola scripsi ad confirmandam conclusionem illam, quæ tibi fuit scandalo, prædestinatos damnari, & præscitos salvari non posse: nec potui aptiùs medium ad hoc assumere, quàm verbum Dei, quod pertingit ad divisionem animæ & spiritus. Atque, ut nedum tu ipse, sed quilibet norit, me fideliter citasse Scripturas, jam breviter referam Augustini, columnæ Ecclesiæ, variis in locis sententias de hac ipsâ materia. Et primùm quod prædestinati damnari, & præsciti salvari non possint, vide quod dicit tom. 3. de fide ad Petrum cap. 25. *Firmissimè tene, & nullatenùs dubites, omnes, quos vasa misericordiæ gratuitâ bonitate Deus fecit, ante mundi constitutionem, in adoptionem filiorum Dei prædestinatos à Deo, neque perire posse aliquem eorum, quos Deus prædestinavit ad Regnum cælorum; nec quemquam eorum, quos Deus non prædestinavit ad vitam, ulla posse ratione salvari: prædestinatio enim illa gratuitæ donationis est præparatio, quâ nos Apostolus ait prædestinatos in adoptionem filiorum Dei per Jesum Christum in ipsum.* Dic nunc, hunc sanctum Doctorem non* intellexisse locum illum ad Ephesios, quem laudavi, eo modo quo ego interpretatus sum, neque esse illam hominis cujuspiam, sed Spiritus Sancti mentem, & ideò dicit illud non dubitando: *Firmissimè tene* &c. Idipsum confirmat in Psalmum 68. ad versiculum: *Deleantur de libro viventium;* & alibi scribens contra Julianum Pelagianum conceptis verbis asserit: *Absit autem ut prædestinatus ad vitam sine Sacramento mediatoris finire permittatur hanc vitam.* Et ut concludam, legatur Epistola 106. scripta ad Paulinum Episcopum, & videbitur juxta sensum harum Scripturarum, quid sentiendum de his, qui ad vitam æternam pertinent, & de his qui non pertinent: quia hujus viri autoritate quilibet poterit auribus oculisque attentis capere ac legere res sacræ Scripturæ, humiliando se, atque orando, ut Deus aperiat ipsi sensum Scripturæ. Quare cum Dei bonitas tot modis electorum prædestinationem in Ecclesia demonstrarit, & cum à sanctis Doctoribus & Prædicatoribus semper intellecta fuerit, & præcipuè ab Augustino, singulari Lumine, solidoque hæreticorum Malleo; convenit ut & ego cum iis ipsis asseram, illam esse docendam ac prædicandam in Ecclesia, & de ipsa sapienter loquendum, ut etiam absque scandalo intelligatur & admittatur, quia in ipsa tanquam in vero speculo possumus contemplari, & fide intelligere ac penetrare profunda Dei consilia; & quod in æternitate disposuit de filio suo, & membris ejus, tum quoad remissionem peccatorum, tum etiam quoad præparationem gloriæ pro electis: quia hoc modo non arripietur ansa, spiritu satanæ, ut trahatur altera consequentia, non minùs impia, quàm falsa, aliàs deducta in Ecclesia à membris putridis & resecatis, & nunc renovata: scilicet, si Deus aliquos prædestinavit, & alios præscivit, utique salvabuntur illi, & hi damnabuntur; atque adeò sive benè sive malè ii agant, concludunt, necessariò continget ipsorum salus, vel damnatio; inferendo his argumentis licitum semper malè operari, quandoquidem jam decrevit Deus vel salvare illos, vel damnare, & hoc pacto se sponte à Satana seducendos tradunt, qui transformat se in Angelum lucis, ad exstinguendum illud verbum & semen, quo tandem superari, atque in nihilum redigi eundem convenit. Neque advertunt hi miseri, quòd si Deus per Ecclesiam mysterium prædestinationis, præteritis absconsum seculis, revelavit, potiùs ipsis satagendum esset auxilio Divino, & per bona opera, certam

* particula non videtur abesse debere.

tam vocationem sanctam Dei facere, quàm malis actibus seipsos filios diaboli declarare: quia si naturale rationis lumen docet, nos carissimum amicum, liberalem, & charitate repletum, qui ut terrenam nobis restitueret libertatem, seipsum spontè carceri mancipasset, & facultatibus suis infortunia nostra resarcisset; si, inquam, lumen naturale docet, hujusmodi amicum nostrum nunquam à nobis offendendum, quâ ratione increatum lumen Spiritus Sancti non docebit nos, non esse licitum (cùm Filius Dei pro electis mortuus sit, & dixerit illos perire non posse) nos malè agere securos, offendendo adeò benevolum amicum, & amantissimum fratrem, ex illo impio prædestinationis sensu, & cum deberent seipsos cum Christo crucifigere in salutem, exemplo perfidorum Judæorum ipsum crucifigere in propriam damnationem? Christianus fidelis non debet peccatoris officio fungi; debet tamen coram Deo & hominibus se miserum peccatorem confiteri, & perpetuâ pœnitentiâ malam vitam corrigere, & emendare peccata; quia cùm regeneratione Jesu Christi factus sit filius, non decet ipsum servilibus operibus incumbere: quia qui facit peccatum, servus etiam est peccati: & si aliquando labitur, debet ferventiùs erigere sese, ac magis & magis iniquitati sese opponere, & ab ea recedere: non secus ac filius nobili stirpe natus secundùm carnem, qui nunquam in domo paternâ servilibus fungi officiis ad infimos servos spectantibus eligit: & si quandoque manum ad hæc extendit suam, mox retrahit, utpotè qui probè novit, quanto rubore suffunderetur, quantumve damnum consequeretur, si totam vitam in illis transigeret.

Ad finem perveni dicendi de his, quæ si essent sufficienter declaranda, multi labores vix sufficerent, multi, inquam, labores ad exercendum se, non ad cognoscendam veritatem, quæ paucis terminis concluditur, quia verbum abbreviatum fecit Dominus super terram. Filiis sat est, si Pater æternus vel nutu voluntatem suam significet: quia ipsi subitò illam sine tot probationibus complectuntur. Itaque ut ipsa in illis conservetur, nihil in pignus efficacius largitus est, quàm Spiritum Sanctum suum, quem rogo humillimè, ut fugatis ignorantiæ nostræ tenebris, electos suos in statum Divini luminis introducat, cui semper gratiæ infinitæ referantur. Nihil habeo aliud: Dominus Deus te servet. Venetiis die decima septima Aprilis 1549.

JOANNES *Patriarcha Aquileiensis*

EJUSDEM JOANNIS GRIMANI 2.

PATRIARCHÆ AQUILEIENSIS

APOLOGIA

Supra retroscripta Epistola.

PRIMÒ. *Conservavit semen sua gratia, ne steriles relinqueremur: conservavit Spiritum Sanctum, ad consolandos nos adversùs errores & inimicos gratiæ.*

RESPONSIO. Invocato primùm nomine Spiritus Sancti, missi à Patre & Filio, à quo omnis veritas habetur, & in quo scripsi humili corde ea, quæ scripta sunt in meo illo tractatu de prædestinatione: declaro primam propositionem excerptam ab illo meo tractatu, & appello inimicos gratiæ, quicumque & qualescumque fuerint, qui hoc gratuitum Dei beneficium dehonestant & spernunt, deducentes quod sanctum est Dei ad desideria carnis; quos impugnat sæpè Augustinus, & quos, ut ego existimo, insector in eodem meo tractatu. Appello iterum inimicos gratiæ, quos audio nunc scribere & docere, non-prædestinatis à Deo salutem posse contingere: & demum inimicos gratiæ appello, non solùm Pelagianos, qui hodie versari nobiscum solent, sed etiam eos qui præterierunt; postquam Cyprianus, ex testimonio Augustini, eosdem multo anteà quam emergerent, profligavit.

II. *Prædestinatio est à solo Deo; tum quia Scriptura id dicit, & Paulus hoc loco apertè & in multis aliis locis profitetur; tùm etiam quia non venit ex principiis naturalibus, cum sit tota Divina & spiritualis, dependens solùm à liberis promissionibus, nobis à Deo factis.*

℞. Prædestinatio est à solo Deo; *quia nihil in æternitate præcessit Divinam voluntatem prædestinantem & reprobantem.* Ideò nulla causa assignari potest, quæ efficiens dicatur, præter ejus voluntatem: Rom. 9. *Jacob dilexi, Esaü autem odio habui.* Quem locum intelligo eodem spiritu, quo eum intelligit D. Augustinus, D. Thomas, & Magister sententiarum. Et accipitur hic prædestinatio absolutè, non autem pro suis effectibus: nec propterea tollitur liberum arbitrium, quin suo loco liberè, meritoriè & non coactè operetur; quemadmodum de eodem libero arbitrio contra ejus adversarios clarè loquor in eodem meo scripto, quantum passa fuit temporis angustia. Neque rejicitur ex his bonitas Dei miserendo & non miserendo, ut habetur in meo tractatu, tanquam ratio quare Deus præ-

An non aliquid deest? prædestinet & reprobet.* Nec minùs bonus usus liberi arbitrii, quod proficit ad gratiam conferendam, id est, quando datur prædestinato gratia, ut ipse benè utendo mereatur gloriam. His stantibus verè dici potest, prædestinationem pendere solùm à liberis promissionibus nobis à Deo factis. Neque ulla erit contradictio, si sumatur prædestinatio pro suis effectibus, qui effectus originem trahunt, & vim obtinent à meritis Christi, quæ contulit gratia ex promissionibus factis credentibus in Christum. De promissionibus habemus in Ezechiele cap. 11. & 36. & Jerem. 32. cap. 1. & in locis pluribus inter Pauli Epistolas. Et Petrus omnia quæ ad vitam & pietatem pertinent nobis Divina virtute donata & promissa nobis, adeò ut etiam bona opera inter Divina nobis promissa existunt: *Dabo vobis cor carneum*, dicit Propheta, *& auferam à vobis cor lapideum, & faciam ut faciatis.* *Ezechiel cap. 36.* Augustum nobis fecit chirographum promissionum suarum; fecit se nobis Deus debitorem, quia se fecit promissorem. Cumulatissimè igitur habemus testes in Sacra Scriptura Divinarum promissionum: nec propterea ex promissionibus Divinis destruitur liberum arbitrium, quin meritoriè concurrat. Similis sententia habetur in Augustino super Joannem tractatu 3. quod a gratiâ tantum est vita æterna; quod falsum esset, si non ad originem aptarentur Augustini verba, quia tollerent opera meritoria. Et Paulus: *Gratia Dei vita æterna*: *Ad Rom. 6.* Et Joannes, *Gratiam pro gratia.* Quem locum intelligit Augustinus, gratiam meritorum pro gratia vitæ æternæ. Sententia ergo ista non excludit liberum arbitrium, quemadmodum superiùs dixi stabilitum in meo tractatu, neque minus opera bona, sed potiùs maximè amplectitur.

III. *Loquendo de præscito, quòd salvari non possit, quia ipse est filius perditionis, ut ait Christus. Filius non potest negare naturam quam Pater illi dat, & ideò aiebat Redemtor: Vos ex patre diabolo estis, quia opera ejus facitis. Et hi propriè sunt illi quos Deus per Christum pietatis oculo nunquam respicit.*

℞. Filios perditionis appellat Salvator perfidos & obstinatos, sicuti tunc temporis Judæi illi homicidæ & veritatis persecutores erant. Ad quem locum mentem adhibui, & appellati sunt à me filii diaboli, quia Salvator ita ipsos nominavit: *Vos ex Patre diabolo estis, quia opera ejus facitis.* Idem ego dico: sed filii sunt ex imitatione, non autem ex substantia, ut inquit Augustinus, quamvis nobis filii Dei viderentur, qui non simpliciter neque propriè ordinati sunt ad vitam æternam, neque scripti in libro vitæ. Dixi, respiciendo ad ultimum finem damnationis, ad finalem eorum impœnitentiam à Deo certissimè notam & præcognitam, dixi Deum eos non respicere oculo pietatis, justissimo quidem judicio, & irreprehensibili: quemadmodum Judæ dixi evenire, quem Leo Papa in sermone de Passione Domini tanquam filium perditionis, hominem inconvertibilem appellat. Ad hunc scopum respiciunt verba, non autem ad intermedia quædam, & ad justitiam præsentem & temporaneam, in qua Judam & cæteros reprobatos Deus multoties respicit oculo pietatis, cum benè agunt, & justi fiunt.

IV. *Non nos simpliciter eligit ut deserat & derelinquat in manibus propriorum consiliorum; novit enim optime, quò nos abduceremus: sed simul cum electione sua Divina palàm suo tempore efficit, ut effectum sortiantur omnia dona, quæ in ipsa electione continebantur.*

℞. Si satis mihi perspectum esset in quo dubitatum sit super hac sententia, quarta in ordine, fortassè meliùs animum meum explicarem. Volui propterea dicere, quod prædestinatis, qui peculiari quadam charitate sub tutela Dei positi sunt, Deus multa bona largitur, ut statim videre licet in sequentibus verbis, cum à me dicitur, Deum nobis bonam voluntatem præparare, juxta Apostoli sententiam, *Deus est qui operatur velle & perficere*, & alia *Ad Phil. 2.* quæ sequuntur. ad quæ me refero. Idcircò Deus electos non deserit suâ gratiâ, non relinquit ipsos in manu consiliorum. Neque hoc dicto volo in aliquo adversari dicto illi Sapientis, quod esset fatuùm, quando ipse dixit Eccles. 15. *Deum reliquisse hominem in manu consiliorum suorum*; sed id significatum est, quòd Deus in electis nullum liberum arbitrium sine gratia deserit: quod si gratiâ Dei adiutum fuerit, ipsum omnia ea agit feliciter, quæ sunt enumerata in eodem meo tractatu. Huic sententiæ adstipulatur Augustinus in quamplurimis suis operibus. Precor hic lectorem, ne credat liberum arbitrium à me positum esse necessitatum atque coactum; quia hoc esset inferre injuriam veritati: nam in eodem meo tractatu insector eos, qui transversa ratione & obliquo animo intelligunt sanctissimum donum prædestinationis, dum inducunt, pro eorum negligentia & malitia, maximam libertatem liberi arbitrii à Deo adjuti,

juti, ad turpem necessitatem atque damnabilem, contra expressam omnium Doctorum doctrinam, præsertim Augustini invictissimi contra hujusmodi hominum fæcem. Ideò concludo cum veritate Matris Ecclesiæ, & cum ejusdem Augustini auctoritate, prædestinationem non auferre liberum arbitrium, sed magis stabilire: quod à me expressis verbis positum est in eodem meo tractatu, ad quem benignum lectorem remitto.

V. *Et maximè prævalere non potest contrà ædificium ex vivis lapidibus constructum, quod est sancta Ecclesia, & electorum determinatus numerus.*

℞. In hac propositione oportet petere ea quæ superiùs dicta sunt, & quæ inferiùs dicuntur in eodem meo tractatu: quia, nisi hoc fiat, concisæ clausulæ & nudæ obscuritatem pariunt. Ad confirmandam prædestinationem & robur ejus adducta erat Divina & semper laudabilis auctoritas Pauli ad Ephesios, in qua explicantur à Paulo nuncio Divini Spiritus, ea omnia bona, quæ præparavit Deus prædestinatis. Clara sunt verba, quorum gratiâ deventum est ad id, ut dixerim, Satanam non posse prævalere adversus ædificium constructum ex vivis lapidibus, quod ædificium est sancta Ecclesia, & determinatus numerus electorum: idque affirmatum est ex parabola sumta ex ore ipsius Veritatis. Quis ignorat diabolum non posse *adversùs electos Dei*, ut inquit Paulus? Neque propter hoc negandum erit diabolum aliquando posse prævalere adversùs electos Dei, prout sæpè prævalet pro eorum malitia & negligentia. Sed quid hoc ad meum animum, qui respexit ad Divi Joannis sententiam: *Oves meæ non peribunt in æternum. Pater meus major omnibus est*; nemo eas rapiet, neque rapere potest de manu mea. Adversus hos ergo prædestinatos, de quibus erat sermo, tanquam de subjecto illius tractatus, dixi satanam non posse prævalere, eo modo quo intelligit Salvator, & cæteri sanctissimi & catholici Doctores, nulla posita necessitate, nulla coactione in libero arbitrio, quasi nihil ageret, tanquam si lignum aut lapis esset; ut de hoc breviùs tetigi in meo tractatu, cum illa temporis brevitate non valuerim majora dicere. Et propterea illud ædificium constructum ex vivis lapidibus, apellatum est à me Ecclesia, & determinatus electorum numerus; non ad exclusionem universalis Ecclesiæ; quod fuisset dementis & vecordis hominis, negantis claritatem Divini luminis: id quod inter cætera clarissimè confirmatur, dum firmiter credimus sanctam Ecclesiam Catholicam diffusam per totum orbem terrarum, sub uno capite Christo in cœlis, ut inquit Paulus, & suo altero legitimo Vicariò in terris Capite ejusdem universalis Ecclesiæ. Sed ita apellata est ædificium constructum ex vivis lapidibus Ecclesia sancta: quia Ecclesia dici potest, quamvis invisibilis, cum sic eam appellet Augustinus quinto contra Donatistas, & Bernardus super Cantica cap. 23. & 78. In hac Ecclesia coguntur electi, fide, charitate, & Sacramentis: quemadmodum in Ecclesia militante visibili, electi & reliqui fideles eisdem vinculis uniuntur: & quamvis aliqui à charitate discederent, nihilominus, si non à fide catholica exciderint, in eadem Ecclesia dicuntur consistere & residere.

Ad Rom. 8.

Joan. 10.

VI. *Et ut id præstare valeamus, dedit Spiritum Sanctum suum in Ecclesia, qui occulto, sed potenti igne omnia superflua & mala absumit, animosque suorum electorum mox in dies bonis & castis cogitationibus accendit, ita ut ubi abominationibus & facibus mundi loti sunt, purissimi remaneant.*

℞. Pergebam ad narrandas Dei benedictiones & gratias super electos, cum datus sit Dei Spiritus ad purgationem peccatorum, & ad inflammandos animos castis cogitationibus, à quibus postea exeunt bona opera ad Dei sanctificationem, adeò ut purgatissimi reddantur. Quæ veritas non est accipienda pro omnibus prædestinatis, sed in nonnullis hoc credendum est fieri, qui purgatissimi reddi possunt pro præsenti statu hujus vitæ, qui felici quodam progressu proficiunt de virtute in virtutem; quem ponit Paulus in suis Epistolis. Simili voce utitur Augustinus libro primo de Trinitate, quando dicit purgatissimas mentes intueri posse summum bonum: purgatissimas dico, quantum ad affectum, & non solùm ad intellectum, quemadmodum exponit Divus Bonaventura. Sed ut concludam, qua ratione id dici potuerit, videndus D. Thomas in 4. scripto super quartum sententiarum, cum loquitur de purgatorio, & super ædificatione ligni & stipulæ. Dicit ipse facta comparatione operum, quæ perfectorum sunt, & eorum, quæ imperfectorum, quod venialia consumuntur fervore charitatis, & non debere dici ea superædificare, quia in ipsis habitualiter non manent; securosque esse dicit, & nihil in eis purgabile remanere. Hæc autem, mea sententia, nulli injuriam infert; quia sub conditione posita est, neque omnes electos complectitur,

ut

ut manifestè apparet ex intellectione & verborum textura. Et quamvis omnes complecteretur, quid prohibet eodem ingenio dici, electos purgatissimos reddi posse, quo ingenio dicit Paulus, *Nihil damnationis esse in his qui sunt in Christo Jesu?* Et quando à christianissimo homine requirit expoliationem veteris hominis simul cum omnibus ejus concupiscentiis.

Ad Rom. 8.

VII. *Hæ sunt consequentia illorum, qui omnem, ut decet, gloriam in Deum referre nolunt; aut saltem illorum, qui, quod totum Christi est, partiri cupiunt; qui non norunt quantum fuerit beneficium mors Christi, qui volens desperatam captivitatem nostram demonstrare, in seipso veram filiorum suorum libertatem declaravit, ac postmodum ore proprio docuit, cum ait:* Si vos Filius liberaverit, tunc verè liberi eritis.

℞. Superiùs improbatum est à me quod falsò tribuitur Divinæ prædestinationi * quæ omnia quæ vera sunt pervertuntur. Nunc autem ad detestandam hominum superbiam, qui extollentes in immensum naturales vires, debitam Deo gloriam dare nolunt, quasi explosâ Dei gratiâ opus aggrederentur: & ideò contra tales, non intelligentes seipsos sine gratia quales sint, invehor, qui omnem animi gratitudinem Deo non exhibent. Gloria ergo Deo soli danda est, quia hoc canit universa Ecclesia. Paulus: *Regi seculorum immortali, invisibili, soli Deo honor & gloria.* Quâ autem ratione dictum sit hoc, subsequentia verba declarant in illo eodem tractatu, in quo testem adduco sanctum Evangelium: *Si Filius vos liberaverit, verè liberi eritis.* Gloriam ergo dico soli Deo esse dandam; nec invenietur aliquis sacræ Scripturæ locus, qui hac salutifera confessione non reluceat: pleni sunt libri Prophetarum, atque universa sancta Scriptura hoc profitetur plenissimè. Ex hac autem vera confessione omnia nobis bona proveniunt; mens ad bonam frugem reducitur, si per veram humilitatem, atque humilem confessionem, homo fateatur suam paupertatem & nuditatem sine Divino numine. Neque propterea defraudantur homines, si adjutorio Dei benè & meritoriè agant, testante Augustino, qui dicit: Credere & operari utrumque nostrum est, & Dei; nostrum, propter arbitrii libertatem; Dei autem, propter spiritum gratiæ. Deesset tempus, si quæ dicenda sunt vellem dicere: satis ero his paucis contentus, dum omnia quæ in Sacra Scriptura & apud Catholicos Scriptores conferendo, ad corroborationem superioris sententiæ inveniuntur, quæ enumerare non valeo, tanquam fautores meos lubenter suscipio.

Deest aliquid.

1. Ad Timot. 1.

VIII. *Verum quidem est liberum arbitrium in reprobis nihil ad salutem valere, ut his verbis D. Augustinus scribens ad Simplicianum fatetur:* Liberum arbitrium plurimum valet, immò verò equidem, sed in venundatis sub peccato quid valet? *Et paulò post idem ait:* Præcipitur ut rectè vivamus; sed quis potest rectè vivere, nisi justificatus ex fide? *Videri qua ratione sanctus ille vir non arbitratur horribile, ut hoc tempore fit, liberum arbitrium ad salutem nostram non sufficere.*

℞. Dum maximè complecterer liberum arbitrium à gratiâ adjutum, prout paulò superiùs dictum est, addidi, Secundùm doctrinam Augustini, quam inferiùs subjeci, in venundatis sub peccato nihil valere. Hâc & simili sententiâ aspersa sunt Augustini opera: quæ omnia intelligo, prout ipse catholicè intellexit, quia liberum arbitrium sine gratia absolutè neque benè, neque meritoriè operari potest: *Sine me nihil potestis facere*, dicit Veritas: *Deus est qui operatur velle & perficere*, ut superiùs dictum est: sine gratia justificante non salvamur. Et ut tandem concludam, in eodem articulo dico, me eumdem sensum habere, quem habuit sancta Mater Ecclesia, ut manifestissimis verbis videre possumus, quæ ipsa dicat, quæ decernat in Concilio Arausicano cap. 6. 7. 13. 14. Et quemadmodum in hoc articulo, ita etiam in omnibus eundem sensum habeo, & semper habui, quem habet sancta Mater Ecclesia: extra quam nullam positam esse salutem constantissimè profiteor, ad laudem Omnipotentis Dei, Patris, & Filii, & Spiritus Sancti: cui semper humilem & subjectum, tanquam benefactori omnium, & meo, me subjicio, ac pariter in his quæ à me dicta sunt sub hac temporis angustia; atque ingenti dolore opresso, & quæ jam dixi, humillimè atque ex animo Sanctissimo Domino nostro, & Catholicæ Ecclesiæ judicio remitto; cum ne latum quidem unguem voluerim à placitis Ecclesiæ, tanquam obediens filius & alumnus, unquam discedere. Benedictus Deus in secula seculorum. Amen.

Joan. 15.

Ad Philipp. 2.

EXCERPTUM

Ex Libello supplici Legatorum Foroliviensium ad Serenissimam Rempublicam Venetam, pro Patriarcha Joanne Grimano.

3.

PRolixiùs foret legationem Oratorum sive Deputatorum fori Julii ad Rempublicam Ve-

Venetam hic exscribere ad longum: sufficiet quæ ad intelligentiam hujus negotii faciunt transcripta notare.

Revocamus, inquiunt paulò post initium, in memoriam humillimè Serenitati Vestræ, quòd in Ecclesia Utinensi, jam tredecim anni sunt, ex quo dum concionaretur Magister Leonardus Utinensis Ordinis Sancti Dominici, qui ab omnibus existimabatur & habebatur doctissimus & Catholicissimus Prædicator, atque in suo Ordine in variis honorum ac dignitatum gradibus vitam transegerat, aptè ad propositum suum in concionibus suis, quædam dixit de præscientia & prædestinatione, quæ postmodum à Vicario, qui tunc curam Ecclesiæ gerebat, ad Reverendissimum Patriarcham scripta sunt; qui juxta morem veterum Patrum ac Pastorum, eidem Vicario & Ecclesiæ rescripsit ea de re homiliam, arbitratus fore ut ampliùs satisfieret, & ut quietarentur animi, tum Vicarii, tum omnium, qui à concionatore dicta audierant. Homilia hæc promulgata est, atque in tabularium publicum Serenitatis vestræ in civitate Utinensi relata, & passim vulgata. Ex hoc Domini Reverendissimi Patriarchæ officio per totum hoc tempus intermedium inter nos huc usque nullum auditum est murmur, nulla perturbatio exorta, nisi hæc, quam modò audimus, & experimur gravissimam ac magni momenti: quia his diebus elapsis orto rumore, quem novit Serenitas Vestra, occasione præfatæ homiliæ, quæ ipsi Reverendissimo Patriarchæ est famæ decremento, immò totali autoritatis excidio, ac maximæ molestiæ & dolori infinito, nobis verò nostrisque conscientiis scandalo, confusioni & damno, digno sanè, cui remedium adhibeatur, visum est toti illi fidelissimæ patriæ inobedientiæ & ingratitudinis magnæ fore indicium, si in tam longa oppressione amantissimi sui Prælati & Pastoris (ut enim re ipsâ nos innocentissimum ipsum arbitramur, ita & omnes ipsum habent, æstimant, & prædicant) non exhiberemus Serenitati Vestræ solidum indicium nostræ bonæ voluntatis, & officii nostri erga Serenitatem Vestram, & totum mundum, tum ob afflictionem, quam sentimus ex illâ quam patitur Dominus Patriarcha, tum etiam, quod majoris est momenti, ob jacturam, quam certò incurremus in prosecutione ac continuatione scandali imminentis in his miseris atque infelicibus seculis, in quibus omnia tumultu ac confusione replentur. Hoc nos movit ut vobis &c. Quare supplicamus humillimè Serenitatem Vestram ac totam hanc fœlicissimam & christianissimam Rempublicam, ut modò, cum causa, tempus, & omnia sese offerunt, dignetur scribere Excellentissimis Legatis suis in Concilio Generali, Tridenti congregato autoritate Summi Pontificis, & Spiritus Sancti, ut adhibitâ diligentiâ & charitate christianâ agant apud sanctos illos Patres, ex fidelissimis ac doctissimis totius christianitatis electos, quatenus inspectis oculo justitiæ dictis Reverendissimi Patriarchæ in dicta homilia, declarent utrum ipsa sint sanæ Sanctorum Patrum in Ecclesia Catholica doctrinæ conformia: ut ex secura & solida sacri Concilii declaratione conscientias nostras sedare valeamus, quæ non nisi turbatissimæ in his æstibus ac motibus esse possunt: sperantes hoc officium nostrum, planè necessarium, fore gratissimum Sanctitati Domini nostri Pii IV. tanquam Patris prudentia ac bonitate pleni &c. Judicavimus hoc medium expeditum & ordinarium; & quod finem necessitati nostræ, ac imminentibus malis cum laude allaturum sit: quia Summi Pontifices, ut sæpè Gregorius Magnus (cujus sententias pro legibus immutabilibus habet Ecclesia) sæpissimè per intervalla temporum ad tutandam innocentiam & autoritatem Prælatorum, aut etiam ad damnandos indisciplinatos, qui contrà sanctas ordinationes vivere volebant, convocarunt Synodos, quarum autoritate innocentiam & autoritatem Prælatorum tutati sunt, ac temeritatem & errores malorum castigarunt, obstruendo os omnibus. Et si sanctissimi Patres nostri Synodos coegerunt, ut jam dicta præstarent, quanto oportuniùs idipsum fiet absque ullo Ecclesiæ incommodo, nunc cùm convocatum est Concilium, à tempore Niceni omnium plenissimum & absolutissimum? &c.

PATRES ET THEOLOGI 4.

TRIDENTINÆ SYNODI

Deputati ad causæ Grimanicæ examen & judicium.

Die ultima Mensis Julii 1563.

ILlustrissimi & Reverendissimi Legati & Præsidentes Sacri Concilii Tridentini, autoritate Apostolicâ elegerunt infrascriptos Patres, ad videndum, unà cum ipsis, de litteris supradictis, & earundem Apologia, utrum essent hæreticæ, seu de hæresi suspectæ, vel sic declaratæ scandalosæ,

sæ; ut deinde sententias suas dicerent super eis: qui fuerunt hi, videlicet.

Illustrissimi Cardinales.	Segoviensis.
Lotharingus	Mutinensis,
Madrutius.	Leriensis,
Illustrissimi Oratores.	Atrebatensis,
Pragensis,	Campaniensis,
Quinque Ecclesiensis	Theanensis,
Præmiliensis, &	Iprensis,
Augustensis.	Namurcensis,
Archiepiscopi.	Legionensis,
Granatensis,	Dertusensis.
Bracarensis, &	*Abbates.*
Rheginus.	Clarevallensis,
Episcopi.	Augustinus Hispanus.
Ebroicensis,	Euthicius Flandrus.
Sagiensis,	*Generalis.*
Conimbricensis,	Augustinianus.

Qui Patres examinaverunt suprascriptas Literas cum earumdem Apologia, & omnes sententias suas dixerunt.

5. *Votum Illustrissimi Cardinalis Lotharingi de Literis supra dictis, datum Illustrissimis & Reverendissimis Legatis Concilii.*

PErlegi Epistolam Joannis Grimani Patriarchæ Aquileiensis sub die decima septima Aprilis 1549. ad Vicarium suum Utinensem in Ecclesia Utinensi, & ejusdem responsiones super certis propositionibus ab eadem Epistola extractis: quæ omnia Illustrissimæ & Reverendissimæ Dominationes vestræ mihi in præsentia sua exhiberi à Notario Concilii fecerunt. Et Christi in primis nomine invocato, ascitis etiam in meum consilium viris doctissimis Theologis Gallis, his maximè qui ad sanctam hanc Synodum à Rege Christianissimo missi sunt, ut in re tam difficili eorum doctrina juvarer; hisque auditis, & scriptis Patriarchæ diligenter examinatis, dico nihil me in Epistola prædicta hæreticum, erroneum, aut scandalosum, de hæresi aut errore suspectum reperisse: quod si quid in ea obscurum scriptum est, quod his, qui exercitatos non habent sensus, aliquam afferet suspicionem, id omne, responso lecto ejusdem Patriarchæ, facilè dilui & dissolui posse, sicut & dilutum & dissolutum existimo. Itaque eundem Joannem Patriarcham judico ab omni hæresis, erroris, & scandali suspicione liberum.

EJUSDEM EPISTOLA 6.

Ad Summum Pontificem Pium IV.

BEATISSIME PATER

Vocatus sum novissimis his diebus ab Illustrissimis Dominis meis Legatis, unà cum viginti quinque doctissimis & sapientissimis Patribus ex omnibus nationibus selectis, ut judicio Patriarchæ Aquileiensis interessem in causa, quæ contra eum instituta erat de fide ad Epistolam quamdam Vicario Utinensi scriptam. Ea, etsi difficillima esset quæstio quæ ponebatur, tamen diligentissimè examinata, judicata est omni non tantum hæresi, & errore, ac scandalo, sed etiam suspicione carere: prorsusque Reverendissimus Grimanus omnium calculo, nemineque discrepante est liberatus. Quod Sanctitati Vestræ scribere volui, ut ejus rei, ut par est, rationem reddam, quantum ad me spectat, & in hac causa Sanctitatem Vestram in his sententiis doctissimorum & Sanctorum Patrum quiescere debere, summa humilitate admoneam. Quapropter, Pater Beatissime, Sanctitas Vestra hunc hominem innocentem judicatum in gratiam suam recipiat, & Serenissimæ Reipublicæ Venetorum tantùm concedat, quæ de Sanctitate Vestra & Sede Apostolica optimè semper est merita, ut quem absolutum videt, eumdem Cardinalatus dignitate ornatum summâ Sanctitatis Vestræ justitiâ, liberalitate, & fide intueatur. Faciet profectò rem commendatione apud omnes dignam, & Venetos maximè devinciet, quibus cum sim multis semper nominibus deditissimus, fatebor in hac re ad tanta hactenus collata in me beneficia, postremum hoc beneficium, & perpetuâ memoriâ dignum à Sanctitate Vestra accessisse. Ignoscat mihi Sanctitas Vestra, molestus si illi esse pergo prolixioribus his litteris: facit hoc Sanctitatis Vestræ summa in omnes pietas; facit singularis erga me Tuus amor, & Paternæ Tuæ ad me litteræ 7. Augusti scriptæ: cogit me postremò erga Sanctitatem Vestram summa mea observantia, studium, ac nullo unquam tempore defutura fides. Datum Tridenti 16. Augusti 1563.

7.

7. ## EPISTOLA

Illustrissimorum Cardinalium Legatorum ad Dominum Cardinalem Boromæum.

ILLUSTRISSIME AC REVER. DOMINE OBSERVANTISSIME,

Episcopo Dertusensi, uno ex Deputatis in negotio Patriarchæ Aquileiensis, Mediolanum hinc discessuro, ut invisat Ducem de Sessa, Oratores Veneti curarunt, ut ante ipsius discessum Deputati supradicti referrent, ac dicerent sententias suas. Quare ut dictis Oratoribus gratum faceremus, coacti sumus intermittere Congregationem generalem postmeridianam, & huic privatæ incumbere, quæ protracta est ab hora decima octava ad vigesimam quartam. Huic adfuere omnes Deputati, quorum nomina jam Illustrissimæ & Reverendissimæ Dominationi Vestræ scripta sunt, cum adjuncta Illustrissimorum Lotharingi & Madrutii; excepto Oratore Polono, qui absens ob infirmam valetudinem interesse non potuit. Dixerunt omnes & singuli per ordinem juxta loca sua sententias. Unanimi voto censuerunt omnes, in illa Epistola Patriarchæ non esse verbum ullum hæreticum, & quod in sancto Augustino, in sancto Prospero, in sancto Bernardo, in sancto Thoma, & in aliis sanctis Doctoribus non inveniatur. Quare judicarunt omnes absolvendum à calumnia ipsi imposita, asserentes illum nedum proprium, verùm etiam suæ nationis Theologorum, quibuscum totum negotium priùs diligentissimè contulerant, sensum esse. Granatensis dumtaxat & Segoviensis tantisper cum aliquo moderamine visi sunt opinari, dicentes se hactenus modo suo non plenè discussisse negotium, sed secundùm quod eo usque perspexerant, judicabant Patriarcham absolvendum, reservantes sibi liberam facultatem aliàs dicendi securiùs sententias suas, & volentes priùs videre vota huc Româ transmissa, quæ ad hunc finem ipsis fuere exhibita. Aliqui etiam dixere autorem hujus Epistolæ in scholasticis minùs exercitatum sese exhibuisse: sed in Apologia rem totam ita luculenter elucidasse, ut nullus superesset scrupulus. Ubi omnes dixere sententias, rogavimus ut dignaretur eorum quilibet votum suum scripto compendiosè tradere, ut his attentiùs discussis ferre sententiam & judicium possemus: omnes libenter se id præstituros polliciti sunt. Nunc vestra Illustrissima Dominatio videt, quo causa Patriarchæ sit in statu, poteritque Sanctissimo Domino nostro referre: cumque præsens ad aliud non sit, osculamur manus, & humillimè nos commendamus. Tridenti 14. Augusti 1563.

Vestræ Illustrissimæ & Reverendissimæ Dominationis humillimi Servi

Cardinalis MORONUS.

LUDOVICUS *Cardinalis Simoneta.*

STANISLAUS *Cardinalis Varmiensis.*

Cardinalis NAVAGERIUS.

SENTENTIA 8.

Super Literis supradictis lata per Illustrissimos Legatos in Concilio Tridentino sub Pio IV. Pontifice Maximo die XVIII. mensis Septembris M. D. LXIII. cujus forma talis est de verbo ad verbum.

DOmini nostri Jesu Christi Nomine invocato, solum Deum præ oculis habentes, & de aliorum in Theologia peritorum consilio & assensu, judicamus, attestamur, & pronunciamus prædictas Litteras prædicti Domini Joannis Grimani Patriarchæ Aquileiensis, cum Apologia junctas, non esse hæreticas, seu de hæresi suspectas, neque sic declaratas esse scandalosas; non tamen divulgandas propter nonnulla difficilia, minùs exactè in eis tractata & explicata. Ita dicimus, declaramus, pronuntiamus, sententiamus omni meliori modo, &c.

II.

EXCERPTUM

EX LIBRO CUI TITULUS:

Theoremata ac Problemata ex Sacra Theologia universa depromta à JACOBO MARCHISETTO *Pisaurensi, ad Illust. & Rever. D.D.* EVANGELISTAM PALLOTTUM *S. R. E. Cardinalem Cusentinum, Basilicæ Principis Apostolorum Archipresbyterum, S. P. N.* SIXTI *Papæ V. Pro-Datarium. Romæ typis Bartholomæi Bonfadini anno* 1589. *cum Superiorum permissu.*

Qui fasciculus Theorematum bis mille Positiones complectitur & propositus est publicè per triduum disputandus in Collegio Romano Societatis Jesu anno 1589. cum anno proximè superiori 1588. primùm prodiisset Molinæ Concordia, & Leonardi Lessii propositiones circiter triginta per Censuras Lovaniensem & Duacensem fuissent graviter notatæ A. 1587. & 1588.

EX TITULO I. QUI *De Deo* EST, HÆC EST.

61. Futura contingentia & præterita non sunt præsentia in æternitate, nisi objectivè, non autem realiter; & quantumvis essent præsentia, neque tamen proinde cognoscerentur.

62. Vera & sufficiens ratio, cur futura contingentia à Deo cognoscantur, est infallibile divinæ voluntatis decretum, ex quo omnia futura habent esse, quod habebunt.

81. Voluntas Dei, quæ necessariò futura sunt, & liberè vult, & necessariò esse vult. Quæ verò liberè futura sunt, & liberè vult, & liberè esse vult. Unde imponit necessitatem tantùm quibus vult.

88. Ex eo quod Deus ab æterno prævidit & voluit omnia, non sequitur, ea necessariò ita esse necessitate absoluta, sed tantùm necessitate conditionata.

89. Effectus contingentes & liberi, si ad divinam scientiam comparentur, sunt necessarii secundùm quid necessitate consequentiæ, non consequentis: Quare non sunt contingentia respectu proximarum causarum.

90. Humanæ actiones liberæ, quatenus liberæ sunt, formaliter referuntur non solùm ad immediatam causam, scilicet ad facultatem liberi arbitrii creati, sed etiam ad primam causam liberam.

91. Omnis effectus bonus contingens & liber principaliter refertur ad divinam voluntatem tanquam causam primam & efficientem suæ libertatis.

92. Etiamsi voluntas Dei necessaria sit in se, tamen prima radix contingentiæ rerum est Dei voluntas.

EX 2. TITULO QUI EST *De Prædestinatione & libero arbitrio.*

100. Divinæ Providentiæ omnia esse subjecta, nihilque eam vel minimum effugere, non modò divinæ lumine fidei, sed etiam humanis argumentis cognoscimus.

101. Est autem Providentia ratio ordinis rerum in finem existens ab æternò in mente divina quoad entitatem & realitatem; in tempore autem, quoad effectus suos.

103. Deus ordinat res in suos fines creatos, non ut illi fines sint causa divinæ ordinationis; sed tantùm ratio volitorum. Vult igitur Deus hoc propter illud tanquam rationem hujus voliti, non tanquam causam suæ volitionis.

104. De ratione Providentiæ in communi, prout abstrahit à divina & humana, non est assecutio finis. Divina tamen Providentia suum semper sortitur finem.

105. Quamvis respectu causarum secundarum multa casu & fortunâ contingant, respectu tamen Divinæ Providentiæ nihil casu accidit.

111. Si Providentia sumatur pro ordine rerum in finem, Deus immediatè omnibus providit.

113. Quatenus verò Providentia dicit executionem ordinis præmeditati, Deus non immediatè omnibus providere dicitur; multa enim per secundas causas operari dicitur.

114. Cum tamen immediatè Deus concurrat, immediatione virtutis & suppositi, ad omnes & singulas operationes, quæ unquam contigerunt aut contingent.

124. Parvuli qui in uteris maternis, vel antequam ad usum rationis pervenirent, moriuntur, nihil auxilii supernaturalis in

se receperunt immediatè.

125. Si dare sumatur pro proponere, vel invitare, Deus omnibus hominibus usu rationis præditis, nemine prorsus excepto, dat auxilium sufficiens ad eorum salutem.

127. Si dare accipitur pro eo, cujus correlativum est accipere, ita ut sine hoc stare non possit, Deus non dedit omnibus hominibus etiam venientibus ad usum rationis auxilium supernaturale gratiæ præparantis vel ad credendum, vel ad pœnitentiam agendam;

128. Cum tamen Deus dicatur paratus dare omnibus hominibus, quamdiu sunt in hac vita, auxilium, quo fiant potentes converti & convertantur si velint.

129. Deus ab æterno statuit voluntate absoluta, seu consequente non dare omnibus supernaturalia auxilia, videlicet eis qui ea recepturi non sunt.

130. Causa primaria & radicalis cur aliquis convertatur, est divinum beneplacitum movens illum efficaciter & suaviter. Causa autem proxima cur aliquis non convertatur, est sua ipsius pertinacia.

131. Stante efficaci gratiæ auxilio in aliquo, is potest dissentire si velit, non in sensu composito, sed diviso, libertate antecedenti, non consequenti.

133. Nulla causa, aut ratio, aut extrinsecum motivum reperiri potest, quod Deum moveat ad æternum actum prædestinationis;

134. Cum tamen secundùm intelligentiæ nostræ rationem ratio prædestinationis videatur esse dilectio prædestinati, dilectionis autem immensa Dei bonitas, & misericordia.

137. Neque verò merita effectum prædestinationis subsequentia, qualia sunt bona opera nostra in gratia, sunt causa prædestinationis. Siquidem non essent, nisi prædestinatio præcessisset, quæ reddit salutem prædestinatorum infallibilem, libertatem ipsorum non tollit.

141. Primus effectus prædestinationis, qui est vocatio congrua, fit efficienter à solo Deo, à nobis autem cooperantibus, & assentientibus divinæ vocationi: Qui tamen assensus noster à Deo causatur.

145. Prædestinatio secundùm totum suum esse, præsertim secundùm proprium effectum, scilicet primam gratiam, non est in nostra potestate: Est tamen in nostra potestate, ut vocationi consensum præbeamus; idque non simpliciter in nostra potestate, sed supposita gratia efficaci.

146. In prædestinatis justificatio est effectus prædestinationis, & bona opera, etiamsi per peccatum mortale mortificentur.

153. Hominibus est denegata gratia efficax ex demerito nostri capitis primi parentis; Angelis verò qui perierunt, non ullo ipsorum demerito, sed ex justo Dei judicio.

155. Deus multis parvulis dedit media quibus salvari potuissent, nisi eorum parentes negligentes fuissent circa eorum salutem. Iis verò qui in utero materno pereunt, Deus dedit auxilium sufficiens in primo parente.

162. Tantum abest, ut divina prædestinatio tollat in prædestinatis arbitrii libertatem, ut potiùs ipsam perficiat per gratiam, naturæ non destructivam, sed perfectivam.

Ex titulo *De gratia, justificatione & merito.*

935. Credere totam Christi fidem & doctrinam assensu Christiano, & certo, ob eam causam, quia veritas prima revelavit, nemo potest sine speciali auxilio gratiæ Dei.

936. Hæc peculiaris gratia, quæ requiritur ad Christianè credendum, necessaria est tum ex parte voluntatis; ut scilicet voluntas piè afficiatur erga res fidei: tum ex parte intellectus, ut elevetur ad cognitionem eorum, quæ nostræ naturæ captum superant.

937. Hæc gratia requiritur non solùm ut faciliùs & firmiùs credamus, sed ut simpliciter credamus: neque verò est solus generalis Dei concursus, sed dicit auxilium speciale.

940. Omnia illa opera, quibus peccator tendit & disponitur ad justificationem, sive mediatè, sive immediatè, non possunt fieri sine speciali auxilio gratiæ Dei.

954. Ad singulos actus supernaturales etiam in homine justo requiritur auxilium speciale, ut ad credendum, sperandum, amandum Deum ex charitate. Omnes autem meritorii vitæ æternæ sunt supernaturales. Unde justi ad singulos actus meritorios indigent auxilio speciali.

963. Ad gratiam quæ est donum Dei præparantis ad bonum, nulla prærequiritur dispositio ex parte hominis quasi prævenientis divinum auxilium.

964. Homini facienti quod in se est, ut præparet se ad gratiam per actus fidei, spei, charitatis & pœnitentiæ, Deus necessario necessitate infallibili, non coactionis, confert gratiam justificantem.

965. Homini facienti id, ad quod Deus mittit auxilium præveniens, quo excitatur,

tur, ut justificetur, non semper consertur gratia justificans. At verò omnis qui facit quod in se est auxilio prævenienti, quod Deus ordinavit intentione absoluta ad gratiam justificantem, semper consequitur gratiam justificantem.

III.

EPISTOLA

SACRÆ FACULTATIS THEOLOGICÆ DUACENSIS

Ad Illustrissimum ac Reverendissimum D. OCTAVIUM *Episcopum Calatinum* GREGORII XIV. *ad partes Rheni atque inferioris Germaniæ & Belgarum Provincias Nuntium Apostolicum.*

Ad Caput 5. Libri 1. Histor. de Auxiliis.

ILLUSTRISSIME AC REV. DOMINE,

Ex Magnifico Domino Rectore Universitatis ante non multos dies intelleximus, Illustrissimam & Reverendissimam Paternitatem Vestram dedisse ad ipsum Literas, quibus, ad componendum motus (ut in iis Literis continebatur) inter Facultatem Theologicam & Professores Societatis Jesu exortos, ipsi injungit ac mandat, ut Edictum unà cum iisdem Literis missum publicari curet. Quâ re intellectâ, & tenore ejusdem Edicti ab eodem Magnifico Domino Rectore coram nobis ad hoc specialiter vocatis perlecto, vehemens admiratio, non sine ingenti dolore, nos cœpit, quod tum ex Literis ad Magnificum Rectorem datis, tum ex ipso Edicto satis apertè colligeremus, Nos sive Facultatem hanc Theologicam apud Illustrissimam ac Reverendissimam P. V. de quibusdam rebus fuisse graviter accusatam. Quæ conjectura nostra fuit eò probabilior, quòd ante mensem missæ fuerunt ex Aula Bruxellensi Literæ ad eundem Magnif. D. Rectorem, unà cum Edicto priore Ill. ac Rev. P. V. quibus Literis itidem gravissimam reprehensionem Facultatis nostræ continentibus, mandatum fuit Rectori, ut idem illud Ill. ac Rev. P. V. Edictum curaret hic publicari & observari. Quæ quidem ejusdem Edicti publicatio, non obstante eo quod ante triennium, aut circiter, idem Edictum ab Ill. & Rev. P. V. ad Facultatem nostram missum, ab eadem Facultate legitimè publicatum fuisse toti Universitati constaret, tunc per Rectorem magnâ solennitate facta est; idque non tantùm non contradicente nostrâ Facultate, verùm etiam approbante & desiderante ut publicatio fieret; tametsi non dubitaret ex falsa narratione & suggestione Mandatum hujusmodi ex Aula impetratum fuisse, eamque iteratam Edicti publicationem cum tacita sui accusatione, quasi aliàs officio suo in Edicti publicatione & observatione defuisset, ac proinde cum nonnulla sui ignominia conjunctam esse.

Igitur post geminam publicationem prioris Edicti Illust. ac Rev. P. V. semel exsequente Facultate nostra, & iterum nuperrimè exsequente Rectore & Facultate approbante factam, nullo modo potuisset hujus posterioris Edicti ab eadem Illust. & Rev. P. V. missi publicatio nostræ Facultati (quæ, ut obedientiæ filia, semper eâ quâ par est observantiâ & submissione suscepit quidquid à S. Sede Apostolica ejusque Legatis sive Nuntiis profectum esset) vel omittenda, vel saltem ad tempus, donec ad Ill. & Rev. P. V. scripsisset, differenda videri, nisi post seriam cum timore Dei deliberationem gravissimæ rationes, quas hìc subjiciemus, ad ita sentiendum eam permovissent. Quocirca rectè factura sibi videbatur, si à Magnifico Domino Rectore in pleno Concilio Universitatis peteret suspensionem publicationis novi Edicti ab Illust. & Rev. P. V. ad se missi, allegatis & summatim expositis ad eam rem rationibus. Quibus auditis, toti Concilio Universitatis, nemine prorsus dissentiente, æquissima visa fuit Facultatis petitio. Cui proinde Facultatis Theologicæ petitioni ita demum annuit Magnif. D. Rector, si Facultas suam petitionem scripto comprehensam sibi traderet, quod & factum est. Et posteà nobis confirmavit Magnificus D. Rector se idem hoc scriptum suis Literis, quas ad Ill. & Rev. P. V. dedit, adjunxisse.

Rationes igitur petitionis nostræ proferemus, si priùs omni quâ possumus humilitate rogaverimus Ill. & R. P. V. ut & petitionem, quam rationabilis necessitas expressit, in bonam partem interpretari, & rationes ipsas patienter & benignè audire atque expendere dignetur, iisdemque expensis novi sui Edicti promulgatione supersedere.

Est igitur petitionis nostræ prima & præcipua ratio, quia ut ex verbis Edicti posterioris, simulque ex Literis Illust. & Rev. P. V. ad Magnif. Rectorem datis, ac præsertim ex Literis ex Aula ad eundem Rectorem missis, ac denique ex Epistola quadam R. P. Oliverii Manaræi Societatis Jesu in his partibus Provincialis missa ad R. D. Episcopum Atrebatensem (cujus Epistolæ ac prædictarum Literarum Aulæ exempla his adjuncta transmittimus) satis intelligitur multa de hac Facultate nostra, ejusque Magistris, tum apud Illustrissimam & Reverendissimam P. V. tum apud primarios Aulæ Regiæ Viros, ad impetrandum utrumque Mandatum seu Edictum, fuisse narrata, quæ a veritate prorsus sunt aliena; velut ista

1. Quòd prius Edictum Illust. & Rev. P. V. neque fuerat hic à Facultate Theologica publicatum, saltem eo modo quo oportuit. Hoc enim Litteræ ex Aula ad Rectorem datæ non obscurè significant. Apertissimè verò id habent Litteræ Patris Provincialis, in quibus nobis impingit gravissimum & horribile crimen irreverentiæ, contemtûs atque inobedientiæ erga S. Sedem Apostolicam & Ill. & R. P. V. Ita enim inter alia de Edicto loquitur ad Rev. Episcopum: *At publicatum fuit, Reverendissime Pater. Sed eâ reverentia atque observantiæ significatione (quod horret mens cogitare) ut nulli vel pauci legerent; affixum,* inquam, *fuit non ut solent affigi quæ in honore & pretio sunt, nimirum in fronte Cathedræ Professoris Theologi, sed ab ejus tergo, ut non videretur.* Hæc ille, quem verisimile est, ad impetrandum quæ vellet, eadem in Aula narrasse, & ad Ill. & Rev. P. V. eadem vel similia scripsisse: quandoquidem tam in Literis ad Rectorem datis, quam in Edicto suo novo Illust. & Rev. P. V. ita studiosè moneat, ut affigatur loco publico in Scholis Theologicis, in loco sedis Theologorum, undè ab omnibus conspici & legi possit, & certo dierum spatio affixum remaneat: quasi hoc minùs circa prioris Edicti publicationem à Facultate Theologica fuisset observatum.

2. Quòd à nobis dubitatum fuerit, an idem Edictum Illustrissimæ & Rev. P. V. nos aut omnes Duacenses obliget.

3. Quòd insuper à nobis dubitatum sit, an Edictum illud ab Illust. & Rev. P. V. fuerit profectum. Hæc enim etiam de nobis apud Illustrissimam & Reverendissimam P. V. fuisse relata, satis indicant verba, tam narrativa, quàm dispositiva posterioris Edicti, & mandatum de publicatione prioris iteranda in Scholis publicis, id est, Facultatis nostræ, non autem in Collegio Patrum Societatis, aut in Scholis Professorum ejusdem, apud quos tamen hactenus, quod nos scimus & quidam satis mirantur, publicatum non fuit.

4. Quod idem Edictum Illustrissimæ ac Reverendissimæ P. V. non fuerit à nobis observatum. Hoc enim nomine in literis ex Aula ad Magnif. Rectorem datis, & ab eodem Rectore in pleno Universitatis concilio lectis, apertè notati sumus, non sine totius Facultatis nostræ infamatione. Idemque nobis impingit R. P. Provincialis duabus in Epistolis ad Atrebatensem Episcopum datis, & simile quid ad Illustrissimam & Reverendissimam P. V. fuisse scriptum, satis apparet ex relatione trium superiorum. Si enim non fuit à nobis ritè publicatum, si dubitatum de obligatione, immò & de Autore, facilè etiam fuit præsumere quod à nobis non observaretur.

5. Quòd convitiis actum fuerit à nostris contra Professores Societatis. Tale quid enim de nobis apud Illustrissimam & Reverendissimam P. V. fuisse relatum, apparet ex verbis Edicti posterioris, ubi præcipitur in posterum à talibus abstinendum. Cum enim ad instantiam partium impetratum fuerit ab Illustrissima & Reverendissima P. V. novum Edictum, non est verisimile talia de Professoribus Societatis, sed de nostræ Facultatis Magistris, apud eamdem P. V. fuisse narrata & exposita; præsertim cùm, ut diximus, publicè fieri jubeat, tum præcipuè in Scholis nostræ Professionis: ita ut quisque legens Edictum cum ejusmodi prohibitione in tali loco, & non in Schola Professorum Societatis affixum, non possit non suspicari ab eisdem Scholæ Professoribus, non item ab aliis, peccatum hac in parte, & novæ prohibitionis occasionem dedisse.

Præter hæc autem est & aliud quiddam, & quidem gravissimum, de quo nos accusatos scimus, non quidem apud Illustrissimam & Reverendissimam P. V., ut cui certò constet falsam esse hujusmodi criminationem, sed apud Aulicos nonnullos, quibus persuasum esse accepimus, quòd doctrina Facultatis nostræ, qua parte ab ea dissident Professores Societatis, eadem illa sit, quam certis articulis comprehensam Sanctissimi Domini Pius V. & Gregorius XIII. suis Edictis reprobarunt. Nam & privatim ejus rei significatio nobis ex Aula facta est, & seriò à duobus Episcopis moniti sumus, ut datis in Aulam

Literis

Litteris eam accusationem repelleremus; quod & factum à nobis est. Neque id sanè difficile fuit, cùm falsitas hujus criminis tum aliunde, tum apertissimè ex Edicto Illustrissimæ ac Reverendissimæ P. V. demonstraretur, in quo dicitur quòd S. R. E. neutram partem damnavit, & prohibetur ne quis alterius partis assertiones hæreticas, suspectas, offensivas & periculosas esse affirmare præsumat. Ex quo etiam intelligitur, quàm parum obsequentes se præbeant mandatis S. Sedis Apostolicæ atque Illustrissimæ & Reverendissimæ P. V. qui de doctrina Facultatis nostræ apud Aulicos, vel alios quoscumque tam sinistrè loquuntur. Sed hâc omissâ criminatione breviter apud Illustrissimam & Reverendissimam P. V. refellenda nobis sunt superiora.

Quòd igitur ad primum attinet, jam triennium est cùm Illustrissima & Reverendissima P. V. mitteret ad Facultatem nostram Edictum suum, unà cum Litteris, quibus tamen non expressum mandatum P. V. de publicando Edicto, sed tantùm voluntas & desiderium continebatur. Quibus Literis unà cum Edicto acceptis Facultas nullam moram interposuit faciendi id, quod pro reverentia, observantia & obedientia, quam se debere S. Sedi Apostolicæ omnibusque ejus ac Legatorum seu Nuntiorum ejus mandatis profitetur, faciendum esse sciebat. Nam in Scholis Theologicis proximâ solenni Disputatione, ad quam Magistri Facultatis ex more conveniunt, curavit Facultas per Bedellum, eundemque Notarium suum Juratum, affigi Edictum loco maximè conspicuo, & unde ab omnibus commodissimè legi posset, nimirum in ipsa fronte seu anteriori parte Cathedræ Professoriæ & Magistralis, parte ejus dextra. Fuit autem affixum tam accuratè & tenaciter, ut ibidem mensibus aliquot planè integrum, deinde aliis aliquot mensibus ferè usque ad annum completum quasi integrum steterit, ita ut à quampluri-mis, ac penè ab omnibus qui per id tempus Scholas frequentârunt, lectum fuerit. Quæ res etsi hìc vulgò notissima est, eam nihilominus, pro certiori informatione Illustrissimæ ac Reverendissimæ P. V. instrumento Notarii hujus Universitatis, quod unà cum his mittimus, probandum Facultas curavit, adhibito testium numero, quantus ad clarissimam probationem abundè sufficiat: cùm alioquin, si res ita postularet, probari posset tot testibus, quot eo tempore Schola nostra habuit auditores. Nam & notabiles reliquiæ Edicti in ipso loco perdurant in hunc usque diem. Quæ cùm evidentissimè nota sint, miramur supra modum R. P. Provincialem adeò falli potuisse (nam fallere voluisse non dicimus) ut in Litteris suis ad Ordinarium nostrum datis de Edicto Illustrissimæ ac Reverendissimæ P. V. indignè ac contemtibiliter tractato nos incusaret iis verbis quæ suprà posuimus.

Porrò duo sequentia crimina, quibus gravati videmur apud Illustrissimam & Reverendissimam P. V. æquè sunt à veritate aliena. Nunquam enim à nobis dubitatum fuit, sicut nec dubitari debuit, an Edictum Illustrissimæ ac Reverendissimæ P. V. post intimationem ejus & promulgationem hìc factam, nos aut omnino Duacenses obligaret: ac multò minùs dubitari à nobis potuit, an idem Edictum ab Illustrissima & Reverendissima P. V. emanasset, quandoquidem litteras ad eam rem ab Illustrissima & Reverendissima P. V. ipsius manu signatas & sigillo communitas, unà cum Edicto similiter sigillato, Facultas acceperat, quas & in arcam Facultatis repositas usque in præsentem diem diligentissimè custodit. At neque scimus quidquam à Magistris Facultatis, vel ab uno aliquo eorum, dictum aut factum fuisse, ex quo delatoribus suspicio nasci potuerit supradictæ dubitationis. Neque verò ante visum novum Edictum Illustrissimæ ac Reverendissimæ P. V. vel ipsi suspicari potuimus aliquos esse qui dubitationis crimen nobis adscriberent: nam eatenus certè fuit nobis inauditum.

Jam quod ad quartum attinet, sincerè declaramus Illustrissimæ ac Reverendissimæ P. V. Edictum jam inde à die promulgationis huc usque fuisse ab omnibus & singulis Facultatis Magistris, tanquam obedientiæ filiis, perquam diligenter & sollicitè observatum. Neque omnino credimus contrarium de quoquam Magistrorum probari posse, idemque vel ex eo satis liquet, quòd de Edicti transgressione nihil prorsùs Facultati objecerint Patres Rector & Professores Collegii Societatis Duacensis, quando inter ipsos & Facultatis nostræ Deputatos habitum fuit super dissidio sopiendo colloquium mense Februario hujus anni coram Reverendissimis Dominis Tornacensi & Atrebatensi; ubi tamen tale quid objiciendi, si quid scirent aut putarent, maxima erat occasio, præsertim cum ibidem nostri Deputati Professoribus Societatis hoc ipsum non tantùm objecerint, verùm & prolatis & coram lectis eorum scriptis probaverint & convicerint. Quod

ita esse testari poterunt iidem Reverendissimi Domini, coram quibus colloquium illud habitum fuit. Sed neque disciplina Facultatis nostræ temeritatem ejusmodi relinqueret incorrectam.

Quod idem de conviciis respondemus. Nihil enim tale scimus, nec probari posse credimus à nostris admissum. Possumus autem luculenter probare de parte adversa, uti & probavimus apud Reverendissimos Episcopos, & adhuc si opus fuerit apud Illustrissimam ac Reverendissimam P. V. & quoscumque alios probaturi sumus. Nam quòd publicis dictatis Professor eorum Theologus egerit nominatim contra quosdam de nostris, cujusmodi nihil vicissim in ipsum à nostris factum est, noverunt penè omnes Theologiæ studiosi, quorum multi dictata ipsa habent in manibus.

Satis ex his constare arbitramur, Illustrissime ac Reverendissime Domine, quàm falsò atque immeritò de supradictis criminibus Theologica Facultas ejusve Magistri fuerint, tum apud Proceres Aulæ Regiæ, tum etiam apud Illustrissimam & Reverendissimam P. V. accusati; quamvis persuasum habeamus P. V. hujusmodi delationibus non facilè solere fidem adhibere. Quæ tamen effecisse videntur, primùm ut mandatum ex Aula de publicando per Rectorem Universitatis Edicto cum gravi & injusta Facultatis reprehensione veniret: deinde ut etiam à V. Illustrissima & Reverendissima P. novum Edictum continens repetitionem prioris Edicti mitteretur. Quod quidem prius Edictum, jam ante tres ferè annos à Facultate nostra & nuperrimè à Rectore Universitatis publicatum, si nunc tertiò publicetur, idque peculiariter in Schola Theologica, quæ est nostræ Facultatis, & cum ea narratione, quod à multis dubitetur, an ipsum liget Duacenses, & an vestrum sit Edictum, vehemens in animis plurimorum, & præsertim Theologiæ studiosorum nostrorumque auditorum suspicio nascetur, & ex suspicione opinio, & ex opinione multiplex sermo, non ob aliud hanc tertiam publicationem Edicti fieri, quàm quòd à nobis post unam & alteram publicationem non fuerit observatum, quódque à nobis dubitaretur, an nos obligaret, & an vestrum esset, non sine gravi Facultatis nostræ infamia, & discipulorum à Magistris suis, quos hactenus innocentes noverunt, alienatione. Quod quàm durum ac molestum sit futurum Facultati nostræ, quantumque dispendii allaturum studiosis, etiam nobis tacentibus, facilè perspicit Illustrissima ac Reverendissima P. V. quam proinde humiliter in Christo rogamus, ut vel ob hanc causam mandato suo de publicando novo Edicto supersedere dignetur.

Verùm, quia in eodem novo Illustrissimæ ac Reverendissimæ P. V. Edicto continetur abolitio seu irritatio pacti, sive amicabilis compositionis, quæ inter Facultatem Theologicam & Patres Societatis Jesu Collegii Duacensis intervenit, & facta est mense Februario, breviter apud Illustrissimam & Reverendissimam P. V. exponendæ sunt nobis rationes ob quas & initum sit illud pactum, & in posterum videatur usu retinendum: ut iis intellectis Illustrissima & Reverendissima P. V. æquitate & prudentiâ de re tota judicet.

Prima ratio est in ipso pacto expressa, & sumta ex libro quodam Romæ in Collegio Societatis Jesu impresso anno 1586. cui titulus est: *Ratio atque institutio studiorum per sex Patres ad id jussu R. P. Generalis deputatos conscripta.* In quo libro hæc est tertia regula: *Quæ opiniones, cujuscumque autoris sint, in aliqua Provincia aut Civitate multos aut nostrorum aut externorum Catholicos & non indoctos offendere sciuntur, eas ibi nemo doceat aut defendat, quamvis alibi sine offensione doceantur.* Hucusque Regula cujus in pacto fit mentio. Neque enim pactum habet, inhibitionem fuisse factam alteri parti, ne de materiis quæ sunt in controversia doceat, uti perperam narratum fuisse Illustrissimæ P. V. ex verbis Edicti apparet; sed continet spontaneum consensum P. Rectoris & Professoris Theologi in hoc, ut juxta regulam modò dictam Patres Societatis Jesu Duaci agentes non doceant de supradictis materiis in hac Academia Duacensi contra doctrinam Facultatis Theologicæ, donec per Sedem Apostolicam &c. Hunc etiam consensum ambo subscriptis propriâ manu nominibus testati sunt. Eadem autem regula visa fuit Reverendissimis Dominis adeò rationabilis, ut dicerent, etsi talis regula non exstaret in eorum libro, tamen quia & æquitati consentanea, & paci retinendæ esset accommodatissima, omninò faciendum esse quod illa præscribit.

Secunda ratio quæ Reverendissimos movebat, ut Patres Societatis inducerent ad acquiescendum dictæ compositioni, ea fuit, quod dissentionis de novo excitatæ ipsi Professores Societatis autores exstitissent, ac de ea re, ut supra diximus, ex ipsorum scriptis ibidem prolatis & lectis coram iisdem Reverendissimis fuissent convicti. Nam Professor Theologus inter alia quæ pro-

prolixiſſimè contra doctrinam Facultatis de Gratia Chriſti docuit & dictavit, ita de ea doctrina loquitur in 1. 2. qu. 111. quæſtione ſuâ 4. propoſ. 2. probat. 11. *Difficile eſt*, ait, *videre in quo ſecundùm rem hæc ſententia differat à ſententia Calvini. Nam Calvinus dicit &c. Hæc vero opinio dicit &c. Quæ ſententiæ duæ in quo inter ſe ſecundùm rem diſcrepent, certè non video.* Et ad mitigandam Cenſuram Duacenſium addit: *Dico* SECUNDÙM REM; *quia ſcio Calvinum apertè fateri per gratiam tolli libertatem arbitrii, quod alii, utpote Catholici, non admittunt.* Phyſicus autem Profeſſor in Tractatu de cauſis ſub nomine Calvini ſententiam Facultatis per multas paginas oppugnat & variè exagitat. Ac rurſùm Profeſſor Theologus in dictato quodam extraordinario ex illis Edicti verbis, *Super quibuſdam ſanæ doctrinæ articulis*, contendit ſuam & ſuorum doctrinam eo loco ab Illuſtriſſima P. V. ſanam appellari, videlicet contra totius Edicti ſententiam & ſcopum, qui eſt neutram partem probare vel improbare, ſed totum judicium S. Sedi Apoſtolicæ integrum relinquere. Quæ illorum Profeſſorum temeritas meritò ſeveriorem aliquam coercitionem, quæ in poſterum ab hujuſmodi peccandi periculo longiùs eos removeret, poſtulare viſa fuit, & adhuc poſtulat; tametſi, ut diximus, & ut ex ipſis pacti verbis clarè intelligitur, non imperio, ſed ſolâ * rationabili perſuaſione, erga eos uſi fuerint Epiſcopi.

* *Al.* ſola amicabili ratione.

Tertia ratio. Quia cum inſtituant juventutem in diſciplinis inferioribus, eamque habeant admodùm numeroſam, magno ſtudio id agunt, ut ſuis diſcipulis ſuas vel ſuorum de Prædeſtinatione, Gratia & Libero Arbitrio opiniones inculcent & imprimant, maximè in claſſe Phyſica, theſibus etiam ad eam rem compoſitis, & excuſis, & publicè ad diſputandum propoſitis, idque ſanè cum magno præjudicio ſtudii Thologici ſtatim poſteà ſecuturi, nec parvo diſpendio temporis, quod aliis in illo diſciplinæ genere magis neceſſariis magiſque probatis doctrinis longè utiliùs impendi poterat. Ex qua re etiam compertum eſt, diſcipulos Patrum Societatis adhuc Logicos aut Phyſicos de dictis opinionibus ex dictatis ſuorum Præceptorum pugnaciter contendere cum noſtræ Scholæ auditoribus, exemplo certè non bono, quo pueri jam incipiunt de difficillimis Theologiæ controverſiis confidenter diſputare & audacter pronuntiare, & quod deterius eſt, Sacræ Theologiæ Magiſtrorum doctrinam aut contemnere aut damnare. Quibus incommodis non aliud aptius remedium videtur, quàm ut à talibus docendis Præceptores omninò abſtineant.

Quarta ratio. Quia Patres Societatis ex pacto ante annos 23. cum hac Univerſitate Duacenſi inito, cujus exemplum mittimus, tantummodò admiſſi fuerunt ad docenda Paſtoralia, idque ſimpliciter & quantum requirit ſtatus ſimplicium Sacerdotum & Curatorum. Hoc autem ut faciant nihil opus eſt ab iis tractari ſubtiles controverſias de Prædeſtinatione, Gratia & Libero Arbitrio. Ac ſanè vehementer optat Facultas noſtra, ut Patres ad illam docendi rationem, quam R. P. Maximilianus, vir verè pacificus, per annos plus minus viginti Theologus Collegii Societatis Profeſſor, ſecutus eſt, revocarentur. Neque dubitat quin longè major fructus ad Eccleſiam Dei rediret, ſimul & paci meliùs conſuleretur, ſi ita facerent, relictâ Facultati Theologicæ difficiliorum & ſubtiliorum quæſtionum, quales vel imprimis ſunt de Prædeſtinatione, Gratia, & libero Arbitrio, tractatione; maximè cum illius pacti tunc quoque ea ratio Univerſitatem moverit, ut ab initio obſtaretur, quominus aliquando evenirent incommoda qualia nunc experimur.

Quod autem objiciunt exemplum Theologicæ Facultatis Lovanienſis, quæ non obſtat quominùs Profeſſores Societatis Lovanii agentes doceant de ſupradictis materiis ſecundùm ſuas opiniones doctrinæ Facultatis contrarias; reſpondemus Lovanienſium & Duacenſium non eandem neque parem eſſe cauſam. Quamvis enim prima ratio à nobis allata communis ſit illis & nobis, ut meritò vel ob eam ſolam deberent Societatis Profeſſores, juxta regulam ſupra memoratam, abſtinere à doctrina contraria doctrinæ Facultatis, tres tamen reliquæ rationes ſunt huic loco & cauſæ peculiares ac propriæ: quod facilè patet ſingulas conſideranti.

Aliam præterea rationem Epiſcopi præ oculis habuerunt, haud ſanè negligendam. Metuerunt enim ne, ſi tam contrariæ atque inter ſe diſſidentes de Gratia & Libero Arbitrio opiniones in hac Univerſitate tradantur Theologiæ ſtudioſis, qui aliquando Parochiis per ipſorum Diœceſes præficiendi ſint, magna deinde etiam inter ipſos Parochos alioſve Verbi Dei concionatores, non ſine ſcandalo plebis emergant diſſidia & verborum contentiones, dum quiſque ea quæ à ſuo Profeſſore hauſit, vel cui magis favet opinionem auditorio proponere, &, ut in talibus contingit, animosè defen-

dere ſtudet. Quod malum non aliter melius præcaveri poſſe exiſtimàrunt Reverendiſſimi Domini, quàm ſi ea ſola de ſupradictis materiis doctrina in hac Univerſitate teneretur, quæ jam inde ab initio inſtitutæ Univerſitatis ab omnibus Facultatis Profeſſoribus, & inter eos nominatim ab Illuſtriſſimo Domino Guilielmo Alano nunc S. R. E. Cardinali, de Cathedra magiſtrali probata, tradita & dictata fuit.

Ad hæc accedit, quòd cum Patres Societatis jam aliquoties pacto à ſe approbato & ſubſcripto contravenerint, prius quàm Ordinario loci, juxta pacti formulam, ab iis indicata eſſet improbatio ſuorum Superiorum (in quo plurali numero R. P. Generalem contineri expreſſis verbis ab Epiſcopis declaratum fuerat) in pœnam illius temeritatis compellendi videntur ab Illuſtriſſima P. V. ut abſolutè deinceps pacto & regulæ ſupradictæ ſe conforment. Nam pacto eos contraveniſſe conſtat, primò quando per ſe vel ſuos in Collegio Aquicinctenſi (in quo profeſſionem exercent) palàm & publicè ipſo die Annuntiationis B. Mariæ affixerunt picturam quandam Solis omnia irradiantis, cum declaratione myſterii per carmina ſubjuncta. Dein quando Profeſſor Theologus expreſsè ſuper 2. 2. S. Thomæ qu. 6. dicto 2. docuit & dictavit quædam apertè contraria doctrinæ Facultatis. Ac tertiò quando theſes totam ferè ſuam doctrinam ſummatim complectentes in eodem Collegio diſputandam biduò ante Pentecoſten noviſſimam propoſuit, affixit & defendit, ita ut Facultatem de tam manifeſta pactorum violatione conqueri oportuerit apud Illuſtriſſimos & Reverendiſſimos Cameracenſem, Tornacenſem & Atrebatenſem: qui, partibus auditis, declararunt eos pactis adhuc teneri, quia nondum exhibita eſſet improbatio R. P. Generalis, & adhuc in poſterum eas ſervare debere, donec ſui Generalis improbationem exhibuiſſent. Quâ quidem Epiſcoporum ſententiâ auditâ, Profeſſor Theologus cum Patre Rectore diſcedens, ad noſtros Deputatos clarè & animoſè dixit: *Viciſtis hactenus*; quaſi videlicet pro victoria res ageretur, & non pro pace & veritate. Et certè mirum valdè eſt quòd Patres Societatis Collegii Duacenſis ad diſſolvenda pacta, quando ejus diſſolutionem tantoperè expetunt, impetrare & exhibere non curent ſui Generalis improbationem, juxta clauſulam ipſius pacti; ſed magis recurrendum ſibi putent, modò ad poteſtatem ſecularem (quod quàm rectè fecerint, judicet Illuſtriſſima P. V.) modò ad Illuſtriſſimam & Reverendiſſimam P. V. moleſtantes & fatigantes eam ſine cauſa, noſque immeritos variis criminibus gravantes. Quanquam ſi hæc, quæ nunc ad Illuſtriſſimam P. V. pro concordia doctrinæ retinenda perſcribimus, R. P. Generali forent cognita, confidimus nunquam fore ut pactum illud, dictæ regulæ Societatis innixum & tot rationibus factum, improbare in animum inducat.

Cum igitur, Illuſtriſſime ac Reverendiſſime Domine, juſtiſſimæ fuerint cauſæ pacti, ſeu amicabilis compoſitionis, quæ inter Facultatem Theologicam, & Patres Societatis Collegii Duacenſis facta eſt, obnixè & humiliter rogamus Illuſtriſſimam ac Reverendiſſimam P. V. ut novi ſui Edicti, quo pactum inter Facultatem noſtram Theologicam & Patres Societatis Collegii Duacenſis initum reſcinderetur, publicationi ſuperſedere velit, vel ea de cauſa, quòd pactum ipſum nunquam ſolenniter publicatum fuerit, ac vix paucis ſtudioſis innotuerit: immò ne pactum ullo modo reſcindere aut diſſolvere velit, quod, præter cauſas alias, etiam videretur intereſſe honoris Epiſcoporum, ne pactum ipſorum hortatu initum & conciliatum & ſubſcriptione firmatum quoquo modo irritetur; quin potiùs tam autoritate ſuâ, quàm per Sanctiſſimum Dominum noſtrum, hoc agere dignetur, ut etiamſi contingeret pactum à R. P. Generali improbari, tamen propter multiplices rationes ſuperiùs à nobis allegatas jubeatur Profeſſor Theologus Societatis (qui in hac Univerſitate unicus eſt, eóque minùs à tota Facultate, quæ autoritate Sedis Apoſtolicæ conſtituta eſt, & in qua ſunt quatuor Lectiones quotidianæ & quinta diebus Dominicis & Feſtis catechetica, in dogmatibus diſſidere debet) non docere contraria doctrinæ Facultatis hujus Theologicæ, juxta tenorem Regulæ tertiæ ex libro Rationis atque Inſtitutionis ſtudiorum Patrum Societatis Jeſu ſupra perlectæ. Ita maximè futurum ſperamus, ut obliteratis injuriis & ſtudio contentionis amoto, pacem, concordiam, amorem atque etiam amicitiam (quod nobis eſt & fuit ſemper in votis) Patres Societatis Jeſu & Facultatis Theologicæ Magiſtri invicem ſincerè ex animo colamus: congaudentibus omnibus bonis, & dolentibus qui in circuitu noſtro ſunt hæreticis, de fructu & incremento Eccleſiæ, quæ ex hujuſmodi doctrinæ & animorum conſenſione ac pia conſpiratione erunt haud dubiè exſpectanda, eo donante qui omnium bonorum auctor eſt Deus.

Deus. Quod si fortè ampliorem declarationem de omnibus supradictis requirat Illustrissima ac Reverendissima P. V. eam exhibere parati sumus quandocunque eidem Illustrissimæ P. Vestræ videbitur. Cujus benignitate super tota petitione nostra responsum ac judicium bona cum spe & fiducia exspectabimus; interim Christum Dominum deprecaturi, ut eandem Illustrissimam & Reverendissimam P. V. ad Ecclesiæ nostræ Belgicæ salutem & felicitatem, suique nominis honorem, quàm diutissimè sanam atque incolumem conservet. Duaci die 13. Augusti 1591.

IV.

RESPONSIO

Eximii D. M. N. Balduini Rythovii, *Regii ac Ordinarii S. Th. olim Professoris in Alma Universitate Duacena,*

Ad Joannis Deckerii de Societ. Jesu

APOLOGETICON.

Ad Caput. 5. Libri 1. Hist. de Auxiliis.

In penultima ad Baccalaureatum Disputatione, defendendas sibi sumserat Respondens, præter alias, etiam duas propositiones hasce:

Electos Deus ex pura gratia, & non ex prævisis meritis, ad ostensionem misericordiæ suæ prædestinavit: &, *Omnis voluntatis conatus, & acceptatio gratiæ est à gratia, sine qua nemo Deo inspiranti consentit.*

Evenit autem, & meministis, ut dum illæ, de more Scholæ, impugnarentur, ego, qui tum fortè Præses eram, in explicatione argumentorum dicerem, etiam Philosophiæ contrarium esse, voluntatem humanam à Deo in agendo non determinari; adderemque, cum illud ipsum privatim totidem verbis alicubi affirmassem, oppositum mihi fuisse ex dictatis cujusdam, esse eam communem antiquorum simul & modernorum sententiam. Inspectis verò iis dictatis, ac verbis D. Thomæ primo loco in probationem adductis, cum suo autore collatis, deprehendisse me discrepantiam non minimam. Nam D. Thomam quidem sic habere: *Quia voluntas est activum principium non determinatum ad unum, sed indifferenter se habens ad multa; sic Deus ipsam movet, quòd non ex necessitate ad unum determinat, sed remanet ejus motus contingens, & non necessarius, nisi in his, ad quæ naturaliter movetur.* 1. 2. q. 10. art. 4. Dictata autem in hunc modum: *Sic Deus ipsam movet, quòd non ad unum determinat, sed semper maneat ejus motus indifferens ad multa.* Ubi in tam paucis verbis & subtractio, & additio, & mutatio facta est. Recitabam præterea ex Commentariis P. Benedicti Pererii Jesuitæ in Danielem, nuper Romæ primùm in lucem editis, quæ manifestè faciebant pro dicta positione de prædestinatione: idque tum ad ejus theseos confirmationem, tum verò, quemadmodum dicebam, ne nimium abriperemini in contrariam sententiam. Quæ recitavi hæc erant ex lib. 15. ad illud cap. 12. *Stabis in sorte tua*; id est, inquit, in parte, gradu, loco, & ordine beatitudinis, quæ tibi dabitur pro mensura meritorum. *Sortem* appellat gratiam æternæ prædestinationis, quâ Deus Sanctos elegit ad participationem æternæ gloriæ. Ea dicitur sors, quæ significat aliquid, non ex propria virtute & facultate proveniens, sed quod incerto & improviso contingit eventu. Sic gratia prædestinationis contingit electis, nullo ipsorum merito, sed gratuitâ solius Dei benevolentiâ & charitate. Atque hac significatione appellatur in Scriptura *sors Sanctorum*. Et priùs eodem libro: Prædestinati, id est, inquit, solâ Dei gratiâ, non ob prævisa eorum merita electi ad vitam æternam. Tertius locus prolixior est lib. 3. ad illud cap. 3. *Omnia judicia tua vera sunt*. Prætereà in eadem disputatione, cùm quæsitum à quodam disputantium fuisset de sententia Illustrissimi Cardinalis Alani super causa prædestinationis (cui interrogationi occasionem hoc dabat, quòd Respondens illius viri in Academia Remensi discipulus alumnusque fuisset) diximus & Præses & Respondens id quod res erat. Et paucis post diebus legi vobis ex Commentariis ejusdem D. Alani in 1. Sentent. mea manu illo dictante descriptis, ejus sententiam nostræ prorsus conformem: addens (quod fide digno testimonio mihi consta-

constabat) eundem à Cathedra Remensi ideo prohibuisse quosdam, quia contrarium, uti didicerant, docturi etiam fuissent. Denique recitavi P. Ludovici Molinæ hæc verba: *Neque verò dubito*, inquit, *quin ab Augustino & ceteris Patribus unanimi consensu probata fuisset hæc nostra de Prædestinatione sententia, ratioque conciliandi libertatem arbitrii cum divina Gratia, Præscientia & Prædestinatione, si eis proposita fuisset*; dicens, mihi hoc ejus dictum mirabile videri, & subinferens, ignorasse D. Augustinum & SS. Patres germanam de Prædestinatione sententiam veramque rationem conciliandi Arbitrii libertatem cum divina Gratia, Præscientia, & Prædestinatione.

Decimo die postquam hæc facta fuere D. Lector ex Collegio Societ Jesu Duacensi in schola Aquicinctensi suis auditoribus benè prolixam adversùs prædicta omnia (tametsi nonnisi de illegitima citatione, suppresso etiam nomine, notatus esset) dictavit Apologiam à se & compluribus aliis, ut ait, maturè expensam: quâ profitetur quidem, nolle se par pari rependere, sed notam tantùm depellere. Facit tamen nimis quam manifestè, non mihi tantùm vicem rependens reprehensionis (quàm juste, nunc intelligitur) sed Universitatis hujus Cancellarium Amplissimum virum, præcipuo honore dignum, & primarium S. Theologiæ Professorem, qui in sacræ disciplinæ assiduo studio & regimine Scholæ Theologicæ jam consenuit, nominatim sugillare non est veritus, homo ætate juvenis, professione Religiosus. Qui sanè, si pro defensione truncatæ suæ citationis verbo idoneam rationem reddere voluisset, depulisset à se notam, quæ ei verbo erat asscripta, fidemque & æstimationem suam vindicasset, modestiâ servatâ. Sed dum admonitionis super errore, peculiariter verbo factæ, defensivam simul & offensivam opposuit scripturam, quid aliud saltem imprudens egit, quàm ut primarios in Ecclesia Dei viros, ac Magistros eorum, qui idonei erunt & alios docere, ubique locorum ac futuris etiam temporibus traduceret deprimeretque? Quamobrem norunt unà mecum complures ex vobis, quàm hoc ejus Scriptum optimis quibusque in Universitate hac viris displicuerit: utpote quod longè absit ab iis quæ Autor ejus sibi proposuerat, Christianâ modestiâ, profectu studiorum, gloriâ Christi: quibus tamen viris, ne etiam hoc nostrum Responsum (triste licet & dolenter meditatum) improbetur, facit justa de Scripto respondendi,

Ampl. D. Matth. Bossemium.

quæ nunc nobis vel vestri inprimis causâ, creata est necessitas, inprimisque ipsius Facultatis S. Theologiæ ita mandantis ordinatio.

Ergo, quod primo loco dixeram, contra Philosophiam esse, voluntatem ad agendum à Deo non determinari, illi D. Lector opponit, quod Apostolica Sedes appellârit *sanam doctrinam* eam, quæ negat efficacem determinationem Dei; sed locum non indicavit. Intelligi autem voluit, ut ipse declaravit, edictum Nuntii Apostolici; admodum profectò inscitè. In eo narratur quidem controversiam exortam fuisse super quibusdam *doctrinæ sanæ* articulis, sed utra pars controvertentium sanam doctrinam tradat, non explicat. Quòd si Lector intelligi vult articulos hic & Lovanii censuratos, planè incredibile est, quòd Nuntius Apostolicus illo suo Edicto indicatum voluerit illos articulos continere *sanam doctrinam*. Improbum verò dicere, Sedem Apostolicam articulos illos *sanam* appellasse *doctrinam*. Anne autem quæ de Scriptura sancta primùm iis articulis dicebantur, postmodum & castigata & silentio pressa, *sana doctrina* sunt, etiam proprio ipsorum judicio? An *sanam doctrinam* judicat D. Lector, quòd omnibus infidelibus & obduratis semper & ubique detur sufficiens auxilium ex parte Dei: cui ipse idem non semel contraria docuit in operosa ejus rei tractatione? Non dubium, Nuntium Apostolicum intelligere voluisse *sanam doctrinam* in genere, & generalia ejus capita, de Scriptura, de Gratia, de prædestinatione: quasi si dixisset, Super quibusdam capitibus salutaris seu Christianæ doctrinæ controversiam fuisse exortam. Qui intelligere volunt, quamnam Apostolica Sedes pronunciaverit *sanam doctrinam* in materia de Gratia, legant, & benè sequantur quæ de ea re definivit Cælestinus Papa in Epistola ad Episcopos Galliæ ante annos 1100. contra Presbyteros Massilienses doctrinæ B. Augustini obstrepentes: quæ item S. Leo in Concilio Arausicano. Ad quæ profectò & his similia, antiqua & probata, utiliùs, Auditores, recurretis in hac causa, quàm ad quorundam modernorum doctrinam, quæ præter alia in fundamentis suis habet illud tanquam principium: *Quidquid ex positione aliqua quæ in nostra potestate non sit, per necessariam consequentiam sequitur, id ita est necessarium, ut liberum esse non possit.* Quod quidem olim ante annos circiter 115. Romæ sub Sixto IV. damnatum est, & ab autore suo *Petro de Rivo* ibidem personaliter revocatum. Testis est Facultas Theologica

logica Lovaniensis, quâ olim procurante damnatio hæc & revocatio facta fuit, ut probant illius temporis Acta publica. Et tamen eo ipso principio etiam D. Lector, contra gratiam efficaciter determinantem differens, utitur his verbis: *Quidquid necessariò sequitur ex hypothesi, quam non est in nostra potestate tollere vel ponere, est simpliciter necessarium.* Et addit hoc concedi ab omnibus Scholasticis; nullo interim allegato. Simili plane modo alius quidam nuper palàm & confidenter declaraverat, esse istud certissimum principium, quod & omnis Philosophia clamet; nullo etiam Philosopho producto. Tantùm de illo.

Thomas Stapleton.

Quod de truncata allegatione D. Thomæ dixi, sic accipit D. Lector, quasi directè eum ejusque lectiones impetere voluerim; cùm mihi propositum fuerit errorem indicare. Memorat quòd non clam antè præmonito, palàm notam impegerim. Verùm amore veritatis mihi in ejus Cathedra sedenti falsitatem prodere licuit: imò verò, ut ita facerem, officium meum, & multitudinis, quæ chartis errorem exceperat, utilitas, rei gravitas, ac præsentis tum disputationis materia postulabant. Aliud, mihi credite, hìc non spectavi. Facilè autem est videre, nec locum fuisse, nec futurum fructum privatæ commonitioni. Quod enim ad eam publicè admissum peccatum non correxisset D. Lector, satis probant, tam studiosæ illæ ac fusæ quæ præcesserant ea de re lectiones, quàm ipsius Scriptum Apologeticum. Et certè si culpandus venio, quia privatim eum de re palàm gesta non monui; quantò magis ipse culpari dignus, qui, ut me prætercam, summum in hac Universitate Virum, quique hanc Scholam Theologicam ab anno 1566. pacificè & sine contradictione alicujus rexit, Scripto publico, nullâ præmonitione factâ, aggressus est reprehendere.

Sed defensionem truncatæ allegationis videamus.

Dicit primùm loco illo, quem mutilarat, utrumque docere D. Thomam, voluntatem non determinari, seu non esse principium determinatum ad unum, & non ex necessitate determinari à Deo.

Dicit 2. posse idoneis testibus probare additamentum hoc (*ex necessitate*) fuisse à se verbo expressum; rationemque reddidisse, cur id dictatis intexere minimè esset necessarium. Quod facere assuevi, inquit, quando Autorum sententias in pauca colligo, variatâ interdum phrasi, aut substituto vocabulo aliquo clariore.

Dicit 3. secundùm D. Thomam & veritatem, tantumdem valere, Non determinari ad unum, &, Non ex necessitate determinari ad unum, sive à Deo, sive à quocumque diverso à voluntate. Ideoque sæpè D. Thomam & Cajetanum sine illo (*ex necessitate*) & absque omni additamento dixisse, agens naturale (ut brutum) esse determinatum ad unum; liberum verò arbitrium non esse determinatum ad unum: & contrà, voluntatem humanam non ex necessitate, sed liberè agere, quia illa non est determinata ad unum.

Dicit denique, quòd quando Autores producimus, ipsorum potiùs sensum quàm verba attendere par sit.

Respondeo ad primum horum, falsum esse, D. Thomam eo loco docere voluntatem non determinari à Deo. Dicit voluntatem esse activum principium non determinatum ad unum, sed indifferenter se habens ad multa: quod indubitanter verum est. Sed sicut inde non sequitur, quòd non determinatur à se ipsa, quando operatur; ita nec sequitur, quòd non determinatur à Deo. Unde nec D. Thomas hoc dixit, sed quòd sic ipsam Deus movet, ut non ex necessitate ad unum determinet, id est, ut maneat motus ejus contingens, & non necessarius, ut D. Thomas ipse explicat. Significat ergò D. Thomas quòd Deus voluntatem movens eam determinet ad id ad quod movet, licet non ex necessitate; quod patet etiam ex responsione ad 3. ubi dicit: *Quòd si Deus movet voluntatem ad aliquid, impossibile est poni, quod voluntas ad illud non moveatur.* Observate autem hìc, Auditores, Lectorem falli & fallere in eo, quòd tanquam eadem ponat, & pro iisdem haberi velit, Non esse principium determinatum ad unum, &, Non determinari. Animadvertere autem debuerat, illud esse materiæ; hoc actualis ad agendum applicationis, seu à se, seu ab alio.

Ad 2. dico, rationem, cur hoc (*ex necessitate*) in dictando fuerit omissum, fuisse hìc addendam, præsertim cùm verbo esset expressum. Dici enim non potest omissum causâ brevitatis, cùm & verbo expressum sit, & eâdem operâ dictari ad calamum potuerit, & vanum sit in una dictione omissa, quæ sine dubio ad rem & sententiam facit, prætexere studium brevitatis. Itaque quis non potiùs (dum factum sic defenditur) malam fidem hìc suspicabitur? Nam verbo dixisse, non excusat: quod enim solo verbo dictum est, evolat è memoria audientis, maximè si ita dictum est, ut significaretur, nihil ad summam pertinere

nere, quomodo Lector ipse fatetur. Adde quod dictata, vel transcriptione, vel alienatione libri ad alios transeunt, qui quid dictum fuerit, dum dictata primùm exciperentur, scire non possunt, ideóque simpliciter putant D. Thomam hoc scripsisse, quod reperiunt in dictatis.

Jam de 3. quòd secundùm veritatem duo illa tantumdem valeant, non probat. Tantùm audacter dicit, ex terminis id liquere: quod manifestè falsum est; alioqui enim non tot doctissimi viri id negarent. Quare qui potest excusari à temeritate, imò falsitate, qui dicit ex terminis id liquere? Ex Cajetano autem, ad quem hic remittit, quasi is dicat ex terminis liquere, quòd Determinari ad unum oppositorum, &, Posse determinari ad utcumque oppositorum, è contrario dividantur, desumsisse id videri possit; sed quàm non aptè, statim intelligetur. Quod verò secundùm D. Thomam tantumdem duo ista valeant, nec hoc probat, neque probabit umquam; nisi ostendat D. Thomam suam sententiam sæpissimè inculcatam retractasse. Nam lib. 3. contra Gentiles c. 90. cùm sex rationibus ostendisset, voluntates & electiones humanas subjectas esse divinæ providentiæ, & quidem multò magis quàm actiones rerum corporalium; in fine inter alia objicit sibi locum ex Damasceno lib. 2. c. 30. dicente, quòd ea quæ in nobis sunt, Deus prænoscit, sed non prædeterminat: quod ita exponit D. Thomas, ut intelligantur ea, quæ in nobis sunt, divinæ determinationi esse non subjecta, quasi ab ea necessitatem accipientia. Eandem Damasceni sententiam eodem prorsus modo exponit 1. p. q. 23. art. 1. ad 1. Damascenus, inquit, nominat Prædeterminationem, impositionem necessitatis, sicut est in rebus naturalibus, quæ sunt prædeterminatæ ad unum. His locis clarè distinguit D. Thomas inter determinare, & determinare ex necessitate; & vult Deum determinare ac prædeterminare voluntates nostras & electiones, non determinare aut prædeterminare ex necessitate, id est, ita ut illæ ex divina determinatione aut prædeterminatione necessitatem accipiant. Quemadmodum autem D. Thomas dicit, quòd Deus voluntatem non ex necessitate determinat, sic absolutè dicit 1. p. q. 82. art. 2. voluntatem non ex necessitate determinari ad unum. Si ergo idem est, Non determinari, &, Non ex necessitate determinari, ut D. Lector vult, sequitur voluntatem simpliciter non determinari, nequidem à se ipsa. Benè D. Thomas in Quæstionibus disputatis, Quæst. de Volunt. art. 8. *Sicut*, ait, *omnis actio naturalis est à Deo, ita omnis actio voluntatis, in quantum est actio, non solum est à voluntate ut immediatè agente, sed & à Deo ut primo agente, qui vehementiam imprimit. Unde sicut voluntas potest immutare actum suum in aliud, ita & multò amplius Deus.* Et Quæst. de Causa principali art. 3. *Causa perficiens & propria voluntarii actus* (is autem nihil est aliud, inquit, quàm inclinatio quædam voluntatis in volitum) *est solum id quod operatur interiùs. Hoc autem nihil aliud esse potest, quàm ipsa voluntas sicut causa secunda, & Deus sicut causa prima. Motus voluntatis directè procedit à voluntate, & à Deo, qui est voluntatis causa, & qui solus in voluntate operatur, & voluntatem inclinare potest in quodcumque voluerit.* Sic art. 9. prioris Quæstionis, *Solus Deus potest inclinationem voluntatis, quam ei dedit, transferre de uno in aliud, prout vult.* Et lib. 3. contra Gentiles c. 88. *Solus Deus potest movere voluntatem nostram per modum agentis. Ipse solus voluntatem nostram ad aliquid inclinare potest. Solus Deus conjungitur animæ intellectuali quantum ad sua interiora. A solo ergo Deo potest motus voluntatis causari.* In Summa item sua 1. 2. quæst. 80. articulo 1. *Quod interiùs inclinat voluntatem ad volendum, non est nisi vel ipsa voluntas, vel Deus*, 1. p. q. 111. art. 2. *Solus Deus efficaciter potest movere voluntatem.* Hinc apparet, quàm non rectè hîc à D. Lectore apposita sit illa clausula (*sive à Deo*) quod rursum ex his intelligetur. *Quamvis* (inquit c. 92. lib. 3. contra Gentiles) *solus Deus directè operetur ad electionem hominis, tamen actio Angeli operatur aliquid ad eam per modum persuadentis. Non semper homo eligit id quod Angelus custodiens intendit, semper tamen hoc eligit quod Deus operatur in ejus voluntate.* Et cap. 94. *Quæcumque rerum aliquid operantur, instrumentaliter agunt ab eo motæ.* Cap. 100. *Omnia quæ sunt post Deum, sunt quasi quædam instrumenta ipsius.* In quæstionibus autem disputatis de libero arbitrio art. 1. ad 5. distinguit duplex instrumentum: unum, quod ita movetur ab altero, ut ipsum non habeat principium motûs, quod quidem fit expers libertatis; alterum verò fit quodcumque movens in genere ab alio motum. Ab instrumento sic accepto non oportere omninò excludi rationem libertatis, quia aliquid possit esse ab alio motum, quod tamen seipsum movet. Et ita est, inquit, de mente humana. Et Quæst. de Causa principali art. 3. *Cùm*, ait, *Deus sit primum principium motionis omnium,*

omnium, quædam sic moventur ab ipso, quòd etiam ipsa se movent, sicut quæ habent liberum arbitrium. 1. 2. q. 6. art. 2. ad 3. *Deus movet hominem ad agendum, sicut movens ipsam voluntatem, quia omnis motus tam voluntatis, quàm naturæ, ab eo procedit tanquam à primo movente. Et sicut non est contra rationem naturæ, quòd motus naturæ sit à Deo sicut à primo movente, in quantum natura est quoddam instrumentum Dei moventis, ita non est contra rationem actus voluntarii, quòd sit à Deo, in quantum voluntas à Deo movetur.* 1. p. q. 105. docet velle esse inclinationem in objectum voluntatis; inclinationem hanc esse Dei; Deum inclinando maximè movere voluntatem. Æquè aptè Bonaventura in 2. dist. 25. Omne liberum arbitrium immediatè est sub Deo constitutum, hanc dignitatem habet, ut in quantum liberum soli Deo sit subjectum. *Voluntas induci dicitur, quando aliqua persuasio fit, quâ disponitur, ut ad aliquod appetibile inclinetur. Mutatur eadem, quando ipsa volente unum, potenti virtute affectio ei immittitur ad contrarium, & de nolente fit volens, ita ut una actio expellatur, & contraria inducatur, sicut patet cùm Deus de amatore temporalium facit eorundem contemtorem. Cogi dicitur, quando intelligitur ipsam invitam aliquid velle, & repugnante actu voluntatis deliberativæ, alienâ virtute movente & repugnantiâ manente, ad aliquid volendo inclinari. Potest induci voluntas ab agente creato; mutari verò ab alio non potest, nisi ab agente increato: cogi verò ab aliquo non potest.* Quod autem, ait, *Dicitur in Scriptura, Deum voluntatem hominis compellere, trahere, & ad quodcunque voluerit inclinare, intelligitur hoc, non quia cogat, sed quia non solùm inducit, verùm etiam immutat, immittendo affectiones, &c.* Ita autem voluntariè volo, inquit, illud quod Deus immittit, sicut illud quod ex me ipso volo, &c. Sed & Scotus in 4. dist. 49. q. 6. reprobat opinionem, quòd voluntas creata non possit determinari à Deo, sic quòd cum hoc remaneat libera. Catechismus Romanus ad 1. Articulum Symboli: "Deus, ait, ,,universa quæ moventur & agunt aliquid, ,,intimâ virtute ad motum & actionem ita ,,impellit, ut quamvis secundarum causarum ,,efficientiam non impediat, præveniat tamen, cùm ejus occultissima vis ad singula ,,pertineat". Ubi & notate præventionem. Plura non addo, quamvis plura non desint.

Jam cùm Lector in tertia illa sua Responsione argumentatur ex testimoniis D. Thomæ & Cajetani, nihil efficit. Absolutè quidem dicunt illi, liberum arbitrium non esse determinatum ad unum; sed non dicunt, non determinari ad unum, quando agit. Cùm enim dicitur, liberum arbitrium non esse determinatum ad unum, significatur quòd secundùm se non est determinatum ad unum, sed indifferens ad utrumque oppositorum, in quo distinguitur ab agente naturali, ut clarè explicat Cajetanus loco à Lectore citato 1. p. q. 83. art. 1. Non attenditur, inquit, ista differentia in hoc, quòd quando agit, judicium liberum est indeterminatum; quia quando exit in actum, oportet omne judicium esse determinatum ad unum: sed attenditur penes hoc, quando judicium brutorum secundùm se non est indifferens ad hoc & oppositum; rationalium verò sic. Potentiæ enim rationales se habent ad opposita; irrationales, ad unum tantùm oppositorum. Et D. Thomas lib. 3. contra Gentes cap. 73. Inanimata, inquit, secundùm naturam suam sunt determinata ad unum effectum: voluntas non habet virtutem limitatam ad unum. Forma, per quam agit voluntariè agens, non est determinata: & propter hoc voluntas multiformes effectus producere potest. Quocirca quod Cajetanus eodem loco dicit, determinari ad unum oppositorum, & posse ad utrumque, è contrario dividi; & art. 2. Naturale vocamus determinatum ad unum; item, aliquid est determinatum ad unum, aliquid indifferens ad hoc & oppositum, & similia, prorsus accipienda sunt cum hujusmodi clausula, *secundùm se, ex seipsis, ex natura.* Perperàm ergo ex hoc discrimine colligit D. Lector, tantum esse, si dicatur voluntatem determinari à Deo, quantum, si dicatur illam ex necessitate determinari à Deo. Quòd autem pugnantia non involvat, voluntatem determinari à Deo ad agendum, sed liberè, quod malè etiam putat Lector, & contra D. Thomam, quo nititur, satis item opinor jam assertum habemus. Explicatum autem videbitis apud D. Thomam 1. p. q. 19. art. 8. Vide etiam de prædicta distinctione agentium necessariò & liberè D. Thomam in Quæstione disputata de Dæmonibus art. 5. Quæst. de Libero Arbitrio art. 2. & 1. p. q. 83. art. 1. quibus locis id clarè explicat. Quod verò in hac eadem 3. defensionis parte duobus quibusdam locis D. Thomæ, quos ante annos plures citaveram, tanquam iis doceret, Deum determinare causas secundas, & in his voluntatem; negat hoc inveniri, sed tantùm, quod Deus movet res ad operandum, & quasi applicet eorum vires ad operationem

Respondeo ; Priore quidem loco docet D. Thomas, quòd Deus est causa omnibus operantibus, ut operentur ; quòd omnis operatio virtutis ad operandum est principaliter & primò à Deo ; quòd omnis motus voluntatis reducitur in Deum tamquam in primum volentem ; quòd omnis operatio debet attribui Deo sicut primo & principali agenti; quòd denique Deus principalius sit causa cujuslibet actionis, quàm quælibet causa secunda. Et utitur scripturis Isaiæ 26. *Omnia opera nostra operatus es in nobis, Domine.* Et Philipp. 2. *Deus est qui operatur in nobis velle & perficere.* Quæ omnia non consistunt, nisi determinet. Posteriore autem loco docet, quòd Deus in omnibus intimè operetur, & quòd applicet res ad agendum : hoc autem est determinare. Sane si Deus omnia operatur, ergo & ipsam operationem voluntatis. Et si omnia quæcumque voluit, fecit ; vult autem determinationem voluntatis nostræ : ergò eam facit. Si omnis motus voluntatis reducitur in Deum tanquam primum volentem; volens autem est determinans : ergò reducitur in Deum tanquam determinantem. Et certè hoc sensu D. Thomas utrumque locum intellexit : & inde explicavit hanc determinationem voluntatis P. Benedictus Pererius lib. de Rerum naturalium principiis cap. 8. & 9. citatus in Censura Facultatis nostræ. Non solùm ergò docet duobus illis locis D. Thomas, quòd Deus movet res ad operandum, & quasi applicat earum vires ad operationem, quomodo vult D. Lector ; quamvis in posteriore loco in Corpore articuli dicat, Quasi applicando (quod non dicit, quia id non perfectissime Deus faciat, sed quia applicatio propriè est rerum corporearum) idipsum tamen absolutè dicit in Respons. ad 3. his verbis : *Deus non solum dat formas rebus, sed & conservat eas in esse, & applicat ad agendum.* Absolutè etiam sic locutus est priore loco : & ideò non significat hic aliquid imperfectum, ut dicat quòd omnis applicatio virtutis ad operationem sit principaliter & primò à Deo.

Ad 3. Respondeo, hic de sensu controversiam esse, ideòque verba ipsa recitanda fuerunt, sine subtractione ejus, quod maximè ad sensum indicandum pertinet, aut certè, quod negare D. Lector non potest, pertinere putatur ab iis, quorum doctrinam impugnat. Unde patet non bonâ fide actum esse, dum illud in dictando supprimitur, in quo adversarius maximam vim facit.

Ad Alanum & Pererium quod attinet, simpliciter & nudè citavi propria tantùm ipsorum verba de causa Prædestinationis. Quod quidem quinam primarii viri & quamobrem ita acceperint, quasi significare voluerim, Lectorem malâ fide, eorum etiam autoritate usum fuisse, non video. Reverà tamen neutrius autoritate sincerè satis usus fuisse videtur, & minimè Alani ; quia ob fragmentum thesis sub eo, uti dici audierat, disputatæ dictavit sententiam de sufficienti, quod omnibus detur, auxilio olim in Academia Duacena traditam (quod verbum hic dissimulat) defensam & in lucem editam fuisse, nullâ interim in dictatis factâ mentione, vel quod audisset dumtaxat præsedisse Alanum, vel fragmenti Theseos. Quo modo falluntur qui dictata legunt, & quidem eò magis, quò constat D. Alanum etiam hanc doctrinam improbasse. Neque ignorat vel Lector ipse, Respondentes contraria sententiis Præsidum suorum variis occasionibus defendenda suscipere.

De Pererio autem ita inquit: Eum numquam in testimonium vocavi, nisi in hoc uno, quod scribit 9. de Principiis rerum naturalium c. 13. motionem causæ primæ determinari & modificari à secunda causa, licet idem Autor (quod nec ego, inquit, tacui) lib. 8. c. 8. & 9. alio modo etiam loquatur. Atqui non simpliciter alio modo ibi loquitur Pererius, sed determinationem voluntatis, quæ à Deo fiat, ex proposito tractat, explicat, firmiter asserit, confirmat, dissolvit quæ contraria videri possent. Alter locus ad verbum sic habet : Motio & actio causæ primæ non recipitur in causa secunda secundùm conditionem causæ primæ, sed secundùm dispositionem causæ secundæ determinatur & modificatur. Sed statim subjungit : Causa secunda non movet nisi mota à prima, hoc est, nisi concurrente motione primæ, per quam ipsa dirigitur, determinatur, & applicatur ad movendum. Quæ posteriora verba cum sint aptissima, & eadem cum iis, quæ dixerat lib. 8. cap. 9. viderit D. Lector, quomodo priora, quæ pro se citavit, interpretari debeat. Vos, Auditores, consulite hîc etiam D. Thomam in Quæstione disputata de voluntate Dei art. 5. & 1. p. q. 19. art. 8.

Pro Molina dicit primùm : Ejus spectatam eruditionem & modestiam, Scriptis ipsius luculenter testatam, operisque per Sacram Inquisitionem Lusitanicam approbationem, ab omni eum calumnia liberare.

2. Molinam non asserere sententiam suam

suam, quam Lector nunc se quoque amplecti declarat, ab Augustini sententia discrepasse. Imò his ipsis locis, ubi Molinæ sermo mihi mirabilis visus sit, adjunxisse eum, multa quoque D. Augustinum variis locis in hanc sententiam docuisse.

Dicit 3. ambigi non posse, quin Ecclesia magis magisque in dies, tanquam aurora consurgens proficiat in sapientia.

Quin item multa à B. Thoma, Bonaventura, cæterisque Doctoribus solerter inventa, sapienterque excogitata sint, quæ si Augustino cæterisque Patribus proposita fuissent, mirificè & probassent & prædicassent.

Ad horum (quæ paucis expediam) primum, ut de eruditione taceam, dico etiamnum videri mihi, nullam verbis Molinæ à me recitatis, modestiæ, sed præsumptionis magis jactantiæque subesse speciem. Inquisitio porrò propriè instituta est contra hæreticam pravitatem, de aliis non exactè inquirit. An autem, quia unus Deputatus sacræ Inquisitionis ac librorum Censor testatus est, in opere Molinæ nihil à se animadversum esse, quod nostræ Religioni adversetur &c. ideò nihil in eo est, quod ullo nomine mirari, aut improbare quisquam possit citra calumniam?

Ad 2. Verba Molinæ, quæ initio recitavi, non obscurè significant incognitam D. Augustino & cæteris Patribus fuisse doctrinam suam de Prædestinatione, deque ratione conciliandi libertatem Arbitrii cum divina Gratia, Præscientia & Prædestinatione. Dicit quidem Ludovicus Molina multa D. Augustinum variis in locis docuisse, in quibus cum modo loquendi aliorum Patrum videatur omnino consentire, citatque unicum locum, qui tamen non est Augustini. Sed quid ad rem? Patres enim inter se consensisse, & eosdem nescisse doctrinam Molinæ, cognitam tamen amplexuros fuisse, an eodem pertinet?

Qui doctrinam, quam Lector sequitur, primi in lucem protulerunt, non hoc putârunt, quod ipse, suam nempe sententiam esse quoque Augustini; sed ingenuè professi sunt se ab Augustino recedere. Estque ubi hoc non diffiteatur Lector Societatis Jesu Collegii Lovaniensis.

Ad 3. dixerim, in doctrina fidei & quæstionibus de rebus præcipuis inhærendum esse traditioni antiquitatis; vitandam autem novitatem, depositum custodiendum, non contradicendum depositoribus. Non enim proficere potest Ecclesia, dum docentur contraria sententiis Patrum. Id quod D. Thomas, & Bonaventura, & optimi quique Doctores studiosè cavent. De profectu autem Ecclesiæ in sapientia & profectûs qualitate, videte differentem Vincentium Lirinensem, in libello adversùs hæreses.

Quod postremò dicit, non videri reprehensioni obnoxium, quòd Molina dixit: *Non exorituram fortè fuisse Pelagianam hæresim, si ratio conciliandi libertatem Arbitrii cum divina Gratia, Præscientia, & Prædestinatione à se tradita: semper data, explanataque fuisset*, id quidem alteri ejus sermoni simile est, sed à me nondum citato, necdum reprehenso; quare non necesse habeo respondere. Existimo tamen, quisquis sanum judicium adhibuerit, ei etiam hoc præsumtuosum visum iri. Quis enim toleret dicentem de sua & nuper excogitata ratione explicandi præcipuam aliquam in doctrina fidei difficultatem, si hæc ratio semper tradita fuisset, fortè illa vel illa hæresis, tali aut tali Catholicæ doctrinæ contraria, nunquam fuisset exorta? Præterquam quòd tali sermone notantur non obscurè SS. Patres, quasi mentem fidemque suam non potuerint explicare, & quasi rationem illam conciliandi, quâ hæreses averti aut in ipsis principiis extingui potuerant, non viderint illi, qui ad debellandas eas divinitùs excitati fuerunt, ut fuit profectò Augustinus ad Pelagianam, quod attinet. Honorificentiùs ad dignitatem Sanctorum patrum, S. Martyr Edmundus Campianus in libello 10. Rationum, Ratione 5. Quamdiu, inquit, apud Bibliopolas Epistolæ, conciones, homiliæ, orationes, opuscula, disputationes Patrum, in quibus ex apparatu graviter & ornatè nostra Catholicorum dogmata roborarunt, venierint; tandiu frustrà nostrorum codices prohibentur, Nullus enim Hardingus, nec Sanderus, nec Alanus, nec Stapletonus, nec Bristolius, hæc nova somnia vehementiùs, quàm quos recensui Patres insectantur.

V.

LIBELLUS SUPPLEX

Reverendi P. HIERONYMI BAPTISTÆ DE LA NUZA *Provincialis Aragoniæ, Ordinis Prædicatorum,* PHILIPPO II. *Hispaniarum Regi datus, die* 22. *Augusti* 1597.

Ad Caput. 20. Libri 1. Hist. Auxiliorum. Ex Hispano Latinè datur.

SACRA MAJESTAS.

NUntius Apostolicus, qui in vestrâ Matritensi Curiâ degit, ac generales Aragoniæ fidei Quæsitores, ad me nuper Epistolas transmisere: quibus conqueruntur, hujusce Provinciæ Religiosos, summi Pontificis Mandatum, quo nobis circa divinæ gratiæ Auxilia silentium indicitur, nequaquam observare. Eâque de causâ, mihi Sanctitatis suæ nomine præceperunt, ut omnibus Provinciæ meæ Religiosis rursùs inhibeam, ne de divinæ gratiæ Auxiliis ullo prorsus modo in disputationibus, tum publicis, tum privatis, in Concionibus, Lectionibus, seu apertè seu secretò agant; illosque moneam, summo cum illis rigore actum iri, si secùs eos agere contigerit.

Obstupui quidem ad Mandati hujus significationem. Ac licet (servatâ, quæ prædicto Nuntio, & Inquisitoribus debita est obedientiâ) statim illud per universam Provinciam denunciandum curaverim, interminatis etiam in illius violatores gravissimis pœnis: cum tamen summo Ordinis damno ea nobis injungi putem, ad Majestatis Vestræ Clementiam, qua Religiosis ita piè patrocinatur, confugere, damnaque eo mandato nobis illata demonstrare cogor, ut ei pro sua benignitate modum adhiberi provideat.

Injunxit Provincialis decessor meus, ne in materia divinorum Auxiliorum propositiones ullas Religiosi notarent, damnando alias, cæteras uti fidei dogmata propugnando. Ac licet mandato suo, nullo pacto significarit, hanc fuisse Sanctitatis suæ ejusve Nuntii, aut Generalis Inquisitoris voluntatem, summâ tamen hactenus religione servatum est. Id autem tolerabile quidem fuit. Verùm ne in Cathedris, pulpitis, privatisque disputationibus, aut aliâ quacumque ratione, de divinæ gratiæ Auxiliis agamus, ea sanè res est, quæ nobis citra gravissima incommoda præcipi nusquam potuit.

Sub falsis itaque delationibus injuriam nobis irrogari, sequentibus rationibus reverenter demonstrabo: quas omnes sacra Majestas Vestra perpendi, quæso, jubeat ac ponderari. Cùm enim Provincia nostra, datis licet nobis tot conquerendi occasionibus, ad hanc usque diem justum animi sensum silentio continuerit; nonnullas jam rationes aperiam, quibus ad Majestatis Vestræ patrocinium efflagitandum adigimur.

PRIMA RATIO.

PRima ratio hæc est. Quanquam facta nobis prohibitio legendi de divinæ gratiæ auxiliis, rebusque ad illa spectantibus, facilè admodum atque uno veluti verbo feratur; re ipsâ tamen maximam nobis Theologiæ partem interdicit. Tanta enim est hujus amplitudo argumenti, ut graviores, atque istâ ætate contra Lutheranos & Calvinistas, in quos ita seriò Tridentinum Concilium egit, magis necessarias difficultates complectatur. De Auxiliis quippe divinis agendum venit, quoties de Justificatione peccatoris, de merito æternæ gloriæ, de Libero Arbitrio, de Contritione, attritione, pœnitentiâ, de voluntate Dei, ejusque providentiâ, æternâque Prædestinatione, de impletione mandatorum, & observatione legis, de actibus virtutum Theologicarum fidei, spei, & charitatis, atque etiam moralium, dicendum occurrit. Quæ sanè amplissimam gravissimamque Theologiæ partem præ se ferunt: de qua propterea ne quid omnino dicamus, consequenter injungitur. Id verò in apertam Scholarum nostrarum eversionem, nec non Studentium ad nos confluentium detrimentum maximum cedit, quos cum excolere atque instituere debeamus, in ea tamen rerum illarum ignoratione dimittemus, quarum scientiam atque notitiam absoluta temporum istorum necessitas exigit.

SECUNDA RATIO.

ALtera summi momenti ratio, ex hac priore deducitur. Nempe ex hoc statuto Professores, Concionatores & Confessarii Ordinis nostri, infinitis propemodum scrupulis agitatum iri; ne fortè summum

mum Pontificem & Ecclesiam offenderint. Cùm enim omnes prædicti tractatus, quibus tota pene Theologia continetur, aliquid de divinæ gratiæ Auxiliis secum ferant, si ita indiscretum de iis quoquo modo agendi interdictum stet, vix fieri poterit, quin mandatum impositum Professores aliquando violent: aut certe in hujus violationis aperto discrimine versabantur. Quippe vix laudati tractatus auditoribus tradi possunt, nisi quidpiam de divina gratia ejusque auxiliis attingatur. Ac propterea licet iis in partibus irrefragabiles Sacræ Theologiæ veritates edoceant, quas ex officio pertractare cogentur, continuo tamen scrupulo tenebuntur, num mandatum impositum violarint; & in latas adversùs hujus argumenti tractatores Censuras incurrerint: quòd nonnihil de divinis Auxiliis ex occasione delibarint, à quo abstinere impossibile fuit.

Eodem in discrimine Concionatores & Confessarii versabuntur. Sacrum enim Evangelium, aut ipsa orationis series sæpissime postulat, ut de divinæ gratiæ auxiliis in Concionibus agant, ut hominem ad divinam gratiam debitè suscipiendam, in sacris pulpitis ac tribunalibus instruant; ut lapidea corda ad divinæ misericordiæ pro sui emollitione petitionem disponant; ut demùm fideles ad secretam illam Ecclesiæ orationem (quæ Dominica 4. post Pentecostem occurrit) recitandam invitent: *Oblationibus nostris, quæsumus Domine, placare susceptis; & ad te nostras etiam rebelles compelle propitius voluntates.* Quæ certè si præstent, gravissimis scrupulis tenebuntur, an injunctum nobis præceptum violarint.

Clariùs & apertiùs hujusce rationis potestas privatis ac familiaribus exemplis innotescit. Doceat, exempli gratiâ, Theologus aliquis doctrinam illam, quam in Apostoli schola didicit Ecclesia Catholica: Nimirum non stare in nobis Prædestinationis nostræ causam: aut certè eam non esse bonum liberi arbitrii usum; cum is à divina gratiâ, ipsius Prædestinationis effectu, omnino pendeat: qua profectò veritate, totius Prædestinationis divinæ tractatio nititur. Illico Professori scrupulus venit, num præceptum violarit. Hac quippe propositione altera continetur: scilicet ex eo liberi arbitrii bono usu, consensus efficaciam à divinâ gratiâ pendere: quod contra recentiores illos Theologos, nunc primùm exortos, communi Ecclesiæ Catholicæ voce prædicatur. Pari etiam ratione, incidat Theologus aliquis in illud Spiritus S. Oraculum, Osee 11. *Perditio tua ex te, Israël; tantummodo ex me auxilium tuum*: Aut in illud Christi Domini dictum, Joannis 6. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater meus traxerit eum*: Aut in illud, *Sine me nihil potestis facere: Sicut palmes non potest ferre fructum à semetipso, nisi manserit in vite, sic & vos, nisi in me manseritis*: Aut in illud Apostoli ad Philippenses 2. *Deus est qui operatur in vobis & velle & perficere, pro bona voluntate*: Aut in alia hujus generis penè sexcenta: fieri nequaquam poterit, ut Patrum interpretationes referat, nisi bonorum illorum operum efficaciam à divinâ gratiâ repetat. Qua in re in latum mandatum offendet.

Idem de Concionatoribus dicendum. Pulpitum ascendat Concionator, proferatque ex locis laudatis aliquem: si eos interpretari velit, non dicam juxta Sanctorum Patrum reconditiorem intelligentiam, sed familiari expositione dumtaxat adductâ; idem periculum imminebit. Nusquam poterit aliquem Divi Pauli contextum afferre, qui toties divinorum auxiliorum efficaciam commendat, nisi de Liberi Arbitrii infirmitate pariter dicat. Nec dabitur locus Parabolam Evangelicam vineæ interpretandi, ex qua Christus Dominus, attentâ gratiæ suæ efficaciâ, concludit, *Erunt primi novissimi & novissimi primi.* Nullatenus etiam fideles ad petendas à Deo vires poterit adhortari, ut quoties Sanctas inspirationes immittit, gratiæ efficacis auxilium addat, ne eas fortè respuat, sed excipiat: sic quippe in latum mandatum impingeret. Nec plebem devotissimas Sanctorum Orationes, quibus divinæ gratiæ auxilium petitur, docere licebit. Nec Sancti Francisci humilitatem, qua se mortalium nequissimum futurum fuisse dicebat, nisi divina gratia obstitisset, ad imitationem licebit adducere. Nec demum illud Augustini Lib. 2. Confessionum Cap. 7. usurpare fas erit: *Gratiæ tuæ deputo quæcunque non feci mala .... Omnia mihi dimissa esse fateor, & quæ mea sponte feci mala, & quæ te ducente non feci.* Procul igitur, si hujusce mandati habeatur ratio, à FF. Prædicatorum ore abscedent piissimæ illæ sententiæ, quæ Sanctis Augustino, Anselmo, Bernardo, Bonaventuræ, Catharinæ Senensi, aliisque bene multis in deliciis fuere, & ab iis ad ædificationem nostram scripto commendatæ.

TERTIA RATIO.

Nedum variis scrupulis, erga SS. Dominum nostrum tenebuntur Professores, Studentes, Concionatores, ac Confessa-

tessarii Ordinis nostri; verùm etiam continuo apud alios timore concutientur. Etenim nostri hac in parte adversarii adeo sollicitè ac diligenter invigilant, ut nulla missa occasione, tanquam venatici canes, Professores nostros, Studentes, ac Confessarios, odorentur; num verbulum aliquod de divinæ gratiæ auxiliis proferant: quò illos è vestigio, veluti mandatorum Apostolicorum violatores traducant. Viros sibi devotos ad Scholasticos actus nostros submittunt, subdolis argumentis instructos, ut multiplici consecutionum serie Theologos nostros ad nonnulla de divinis auxiliis dicenda pertrahant. Immò ipse etiam Societatis Rector, horâ octavâ serotinâ, laternam deferens (cæca quippe nox erat) nonnullos Doctores Theologos domum adiit, ut illos ad disputationem adversùs nostros concitaret. Quod quidem, si Vestræ Majestati placuerit, certissimis testimoniis demonstrabo. Nec absimili modo, mense mox elapso, post propugnatas in hocce nostro Prædicatorum Collegio Valentino Theses de scientia Dei, unde nonnulla, licet eminùs, ad divinæ gratiæ auxilia trahi possunt, consilium domi habuere, habitâ totius disputationis dictorumque notitiâ: ut secum deliberarent, num Religiosum Respondentem violati Pontificii mandati accusare possent. Videat Vestra Majestas, quo pacto solertèr & astutè se gerant, quâve ratione eorum adversùm nos accusationes declinare poterimus: cum & adeo indiscretum sit mandatum, & ii in scrutandis sermonibus nostris adeo sollicitè vigilent, tantaque demum calumnias nobis struendi materia suppetat. In metu itaque semper erunt Professores, Concionatores, ac Discipuli, num illos in judicium vocatura sit Inquisitio; num injuriam patietur aliquam Ordo noster; num severa animadversio alicui nostrûm impendeat. Quod certè perinde est, ac si nobis Sacræ Theologiæ, Doctrinæque Evangelicæ & Ecclesiasticæ professio interdicatur.

QUARTA RATIO.

Quarta ratio, quâ nos eo Mandato gravatos contendimus, magni etiam momenti videtur. Quia videlicet nos pacificâ possessione, in qua quisque servandus est, dejicit. Nota certè est communis agendi ratio, naturali jure asserta, atque ubivis gentium comprobata: Ubi quis pacificâ ac sæculari possessione alicujus rei fruitur, si alter in jus veniat, qui id suum esse velit, non illico propterea dimittitur. Omni quippe jure, Melior est conditio possidentis, quàm recentioris præsumentis. Nos autem ab annis ampliùs trecentis doctrinam S. Thomæ profitemur, eamque repugnante nemine legimus in Scholis, universâ etiam Ecclesiâ comprobante, & plaudentibus Academiis. Speciatim verò imperturbatâ possessione fruimur, ea publicè docendi, quæ de divinæ gratiæ auxiliis a Sanctissimo Doctore suscepimus. Assurgunt jam nunc, qui de novâ sibi doctrinâ præsumunt, nobisque Scholas & ora præcludi volunt. Numquid pacificæ nostræ possessioni infertur injuria, cùm nulla ejus, majorisque conditionis habita ratione, in nullo superiores, immò potiùs inferiores habeamur?

Rem clariùs aperio. Aut ea in parte sana est S. Thomæ Doctrina, vel mala. Nemo certè eam dixerit malam: quippe tota ab Urbano V. quem nonnulli ex errore sextum appellant, uti vera & Catholica; à Joanne XXII. uti miraculis plena, commendata est. Innocentius autem hujus nominis VI. illius impugnatores de veritate suspectos pronunciavit. Ac demum Pius V. unanimi Cardinalium assensu, veteres ac recentes hæreses hujus ope profligatas asseruit. Idque jam inde compertum habemus, quòd in omnibus ab ejus morte celebratis Conciliis generalibus, ac specialiter in Florentino, Lateranensi, ac Tridentino doctrina ipsius usurpata sit; multaque ex illa fragmenta de verbo fuerint deflorata. Nec id mirum, cùm & Christus illam semel atque iterùm commendaverit; eamque Virgo Deipara Sancto Doctori conspicua comprobaverit, uti gravissimorum Scriptorum fide liquet. Si igitur doctrina hæc bona est, quorsùm illam tueri ac prædicare prohibemur, quibus defensionis ejus jus speciali titulo est assertum? Tametsi enim id in uniuscujusque officio positum videatur, propterea quòd Sanctorum Patrum doctrina sit, & ab Ecclesia vulgò suscepta; singulari tamen Ordinis nostri lege tenemur, in hujus defensionem assurgere, ad ultimum usque Spiritum. Qua itaque ratione nobis injungitur, ne ad illius defensionem respondeamus; hocce potissimum tempore, quo propter damnum Scholis nostris illatum, deturbatamque possessionem nostram, ita sollicitè adversarii nostri omnia movent, tentant, adnituntur, ut ad eam evertendam collatis consiliis conspirasse videantur.

Licet porro Patribus Societatis à S. Ignatio jussum sit, quarta Constitutionum parte, Capite 14. Ut in Theologia Scholastica doctrinam D. Thomæ sequantur: jam

jam tamen satis superque demonstrarunt, quàm ardenti studio, ad eam potiùs delendam intendant. Quod quidem, tum novis in dies vulgatis opinionibus, tum inhonestis dicteriis, tum libris adversùs ejus doctrinam prælo datis, apertè conspicitur. Næ, quæso, rem ludicram, quòd speciosum D. Thomæ Interpretis titulum nonnulli eorum arripiant. Licet enim in ipso librorum limine, illum firmam Ecclesiæ Columnam, Scholasticæ Theologiæ Solem, Epitomen veritatis & sapientiæ, inexpugnabilem fidei Arcem appellent; postmodum tamen quasi illos tot elogiorum pœniteat, ejusdem doctrinam oppugnant: hancque ipsam occasionem arripiunt, ut nedum sese cum illo inhonestè conferant, sed & in eum ambitiosiùs attollant. Id in Molinâ hujusce Comediæ actore videre est: qui arrepto D. Thomæ Interpretis nomine, præmissisque magnificis illis Angelicæ doctrinæ titulis, in illam subinde adeo petulanter insurgit, dubitari ut meritò possit, an in Augustinum Pelagius impudentiùs declamarit. Postquam enim ultro fassus est, illius de divina gratia doctrinam communem esse Sanctorum sensum, illicò eam adeo falsam esse subjungit ut inferri ex illa possit, Deum sævum, ferum, ac crudelem futurum. Ac demum concludit, ex S. Thomæ aliorumque Doctorum sententiâ blasphemas opiniones necessariò consequi: sic ut nulla ratione capiam, quo pacto illa in Sanctissimum Præceptorem, seu veriùs in universos Ecclesiæ Catholicæ Doctores convitia sustineri quadamtenus possint. Propterea de Patribus Societatis dicendum venit, quod de Florentinis, sibi reverâ quidem adversariis, verbis verò sibi blandientibus dicere solebat Joannes XXII. illos Christi satellitibus jure esse conferendos, qui illum dato Regis titulo colere videbantur, sed impactis alapis illudebant.

Cæterùm ne, quæso, putet Vestra Majestas, eos præsumtionem illam lentè ac placidè promovere. Etsi enim de divinæ gratiæ auxiliis silere videantur; id nihilominus minimè præstant; quin potiùs opiniones suas, datis undequaque quaternionibus, disseminant: Lectores, ut eas in Scholis edoceant, discipulos ut illos ebibant, irrequieta sollicitudine stimulant: remque se maximam consecutos existimant, si eos à D. Thomæ doctrina, uti minùs securâ, minusve Catholicâ (Ecclesiæ licet judicio repugnante) deterruerint. Præterea plurimos sibi in Scholis devinciunt & obstringunt: quia omnes ea opinione solerter inficiunt, nimirùm ipsorum ope, quidquid libuerit facile obtineri; à Clericis Beneficia Ecclesiastica, à Jurisperitis Clientes, à studentibus Sacros Ordines, à Doctoribus publicas Cathedras, ab omnibus denique vitæ commoda: eaque arte suas per vim novitates promovent.

Sic cùm non ita pridem in Academia Valentina gradus adipisceretur Doctor aliquis, qui eorum novitates propugnabat; illuc Jesuitæ instar ingruentium imbrium confluxerunt, Autoritatem Respondenti addituri: illorumque unus assidenti sibi Clerico perillustri inquit: *Noverit Dominatio vestra, virum hunc plurimâ eruditione pollere, & Cathedram quantocitiùs occupaturum, ut veteranam hujusce scholæ doctrinam eliminet.* Jam tunc Cathedram ipsi certò spondebat ille, quòd eorum nutu ac voluntate conferri soleat: solidamque & antiquam doctrinam, ab Ecclesia hactenus probatam & usurpatam, veteranam contemtiùs appellabat. Ex quo profectò, quid machinentur ii, quidve tentent, apertè colligitur; quantaque necessitas urgeat, ut doctrinam adeo sanctam, tot titulis propugnandam, ab oblivione vindicemus.

QUINTA RATIO.

Quinta Ratio in Superiorum confirmationem, ex perpetuâ universalis Ecclesiæ consuetudine petitur. Quæ adeo diligenter intendit, ne novæ doctrinæ prodeant, easque ex ipso solo novitatis titulo suspectas habet: infinitis propemodùm Scripturæ Sacræ Oraculis nixa, potissimùm verò Apostoli dicto, 1. ad Timotheum Capite ultimo: *O Timothee, depositum custodi, devitans profanas vocum novitates, & oppositiones falsi nominis scientiæ.* Quocirca plurima ac planè divina, in rem nostram habet Vicentius Lirinensis, in aureo Libello contra profanas hæreticorum novitates. Unde novam Doctrinam inducentibus, silentium imponere consuevit Ecclesia; præsertim si cum receptis ab antiquo fidei dogmatibus contendant, donec de subductæ doctrinæ novitate planè constet non secus ac civitates pestilentiæ suspicione laborantes, neminem advenam nisi diu præpurgatum, aut probatâ diligenter sanitatis fide, intùs admittunt: notos autem cives, utpotè minimè suspectos, nullo præmisso viarum examine, sponte recipiunt. Sic Ecclesia militans, perpetuo hæresis, corporea lue deterioris, metu agitata, adjacentes plagas, uti perversarum doctrinarum peste infectas circumspicit: doctrinasque recens inductas, non ante admittit, quàm diligenter explorarit, an cum recepta Sanctorum Patrum Traditione conveniant.

niant. Verùm doctrinam antiquam, in Conciliis approbatam, prædicatam in pulpitis, à Patribus traditam, à fidelibus exceptam, nullo examinis onere præmisso in sacra pulpita & Academias admittit. Talis est S. Thomæ doctrina de divinæ gratiæ Auxiliis, ab universis hactenus excepta, nec alios nisi Pelagium, Cœlestium, Julianum, cæterosque hujus sortis hæreticos, adversarios experta: contra quorum pestifera dogmata mirum quantum Ecclesiæ suæ providerit Deus. Qua etenim die Pelagius liberi arbitrii contra divinæ gratiæ efficaciam superbus elator, in Anglia natus est; ea ipsâ Augustinus divinæ gratiæ supra liberi Arbitrii infirmitatem potentissimus Vindex, in Africâ lucem aspexit.

Quibus profectò constitutis manifestum est, nobis hujusce doctrinæ publicam professionem interdici, aut silentium imperari non posse: eos autem qui hac in parte novitates inducunt, in judicium justò vocari debere, eorum libros interdici, ora obstrui; atque interim seriò perpendi, num eas ex infectâ falsis principiis regione, an è sana Theologia derivarint: num è Sanctorum Patrum monumentis, an è lucubrationibus hæreticorum obtinuerint: num demum eos divinæ gratiæ magnificandæ zelo, an humanæ captandæ gloriæ stultâ libidine venditarint? Observat siquidem Sanctus Hieronymus, nonnullos eo fine novas opiniones cudere: quod sanè de Patribus istis non immeritò creditur. Quippe cùm ante Mandatum istud emissum, Moliniana de divina gratia dogmata, illorum nonnemo defenderet, objicienti cuipiam Theologo, frustra Augustinum cæterosque Sanctos ingenia sua torsisse, in divinæ gratiæ Mysteriis detegendis, si vera supponerentur Molinæ figmenta, respondit Jesuita disputationis Præses: *Gratias quàm maximas Molinæ referendas esse, qui ea ingenii acumine penetrarit, ac revelarit, quæ antea nemo penetrasset ac revelasset.* Quod cum præsens ipse audirem, Ecclesiæ hujusmodi propudia sustinentis tolerantiam obstupui.

SEXTA RATIO.

Sexta Ratio est, quod periculosus, & Ecclesiæ usibus planè repugnans inducatur agendi modus. Ad hanc usque diem permultæ, eæque graves, inter S. Thomæ, Scoti, Durandi, Ochami, Henrici de Gandavo Discipulos, disputationes emersere: illorum tamen nemini venit in mentem, ut adversæ parti disputandi facultatem ab Apostolica Sede aut à Sacra Inquisitione interdici postularet; sed suam quisque sententiam disputatione promovit, donec quæ verior esset, Ecclesia definiret.

Primi ea servandi silentii mandata Patres Societatis invexere, quia sibi ab aliis contradici ægerrimè ferunt. Ac licet tenuiori judicio polleam, multum in ea agendi ratione prospicio, quibus faxit Deus ut remedii detur locus, quo tempore asserri tentabitur. Nonnulla dicam obiter quæ sciri ab aliis expedit.

Primum est, Patres Societatis, Ecclesiæ Catholicæ, illius quæ Capitis Romani Pontificis judicium, tanquam ultimam rerum credendarum regulam non excipere, sed Societatis ipsius ejusdemque Doctorum definitionem. Absit ut in hoc ariolari velim. Legantur, si lubet, eorum Constitutiones, 3. parte Cap. 1. litterâ O, ubi licet cautum sit, ne novas opiniones admittant, continuò tamen additur: *Si quis aliquid sentiret, quod discreparet ab eo quod Ecclesia & ejus Doctores communiter sentiunt, suum sensum definitioni ipsius Societatis debet subjicere.* Digna sanè verba, quæ unicuique Doctori Catholico stuporem inferant! Pariter in glossa Capite 1. partis 8. earundem Constitutionum, iis qui recens studia consummarunt seriò præcipitur, ut se opinionibus in Societate communiter receptis accommodent. At non illos ad communes Ecclesiæ Catholicæ ejusve doctorum sententias auscultandas mittunt.

Alterum est, Patres Societatis, novas quotidie doctrinas & opiniones obtrudere, quas brevi tempore plurimas & gravissimas fuisse prospiciet quisquis attenderit. Hic illorum unus thesibus publicis defendit, Mulieres suscipiendis Ordinibus saltem minoribus idoneas esse. Alter, in Trinitate tres personas propriè emanare. Alter, aquam Calici infusam, vino licet non immixtam, consecrari, & in Sanguinem Christi converti. Eorum nonnulli docuere, Extremam unctionem, Japoniis Mulieribus conferendam non esse, quòd nimis sint verecundæ: cum tamen illorum unus, collatum hoc idem Sacramentum Beatissimæ Virgini scripserit; quasi ea Japoniis Mulieribus minùs verecunda esset. Alius publicis thesibus inscripsit, Præceptum fraternæ Correctionis, vulgò inter Religiosos minimè servandum, repugnante licet S. Augustini Regulâ, ab Ecclesia comprobatâ. Alter scripto tradidit, Sanctorum Imagines cultu à S. Thoma tradito coli non posse: cùm tamen eam S. Thomæ sententiam

tiam Ecclesia ipsa definierit. Alii in pulpitis perinde ac in Scholis periculosissimas opiniones disseminarunt de Confessione generali sub certis conditionibus faciendâ. Alii ex suggestu docuere Confessionem & absolutionem per litteras fieri posse. Alii in hacce Cathedrali Ecclesiâ prædicarunt, non esse pro universali Ecclesia orandum, quòd videlicet illa falli non possit; Deumque specialiorem de peccatore, quàm de petra providentiam non habere. Quæ omnia si seriò perpendantur, perspicuum fiet, synodos olim, ad errores minoris momenti proscribendos convenisse; Theologosque Societatis novitates in omnibus penè tentasse, eum imitatos, qui ut vulgari fertur adagio, experiri voluit, an Ecclesiæ dentes eximere posset.

Tertium est, quòd cum ita fingendis novitatibus intendant Jesuitæ, adeo tamen ægrè ferunt sibi ab aliis contradici, ut Principum Ecclesiasticorum ac secularium aulas clamoribus impleant: & pia (quod mirandum magis) sibi adversantium studia, quasi suscitata scandala criminentur. Novam profectò, sed illis interim familiarem industriam! Statim atque Religiosus aliquis Ordinis nostri nonnulla docet, contra quæ ipsi vel dixère vel docuere; tametsi, nudè propugnatâ veritate, illos nullo pacto indigitarit; statim devotorum suorum ac devotarum domos circumeunt; id sui occasione factum conqueruntur; nosque ipsis implacabile bellum inferre; pacem perturbare; Apostolica mandata pessumdare, oblaterant. Multa hàc de causa sinistrè expostulant, quibus & populum commovent, & suis partibus addicunt; sic ut è re Catholica Superiores existiment, novis nos pro bono pacis præceptis onerare. Hæc ergò si feratur agendi ratio, nedum cæterorum, uti moliuntur, Scholas occludent, libros præpedient; sed & crescentibus in dies novitatibus, & interdictâ confutandi veniâ, quidquid demum sanæ Doctrinæ est, eliminabunt. Ac si semel contra debitam summo Pontifici; Regibus, Episcopis, Inquisitoribus obedientiam, notent aliqua, eo etiam suscitandi scandali prætextu, ad præcludenda sibi adversantibus ora mandata rogabunt, & obtinebunt. Quibus propterea sacrum illud Eliæ ad Regem Achab responsum, accommodari meritò potest: dum dicenti Regi, *Tune es ille, qui conturbas Israël?* Respondit Propheta, *Non ego turbavi Israël, sed tu & domus Patris tui, qui dereliquistis mandata Domini, & secuti estis Baalim.*

3. Reg. 18.

Compertum omnibus est, tandiu in Hispania pacem esse servatam inter Religiosos Ordines, quandiu divinorum auxiliorum illorumque efficaciæ doctrina, juxta S. Augustini & Thomæ principia, tradita fuit: multaque Hispanos hujus doctrinæ Vindices, à Deo beneficia fuisse consecutos. Verùm ex quo tempore Ludovicus Molina, ejusque gregales, fanaticos propriæ vertiginis partus Patrum sententiæ prætulerunt, Scholæ depravatæ sunt, mutuisque dissidiis, ut aliàs Gibellinorum ætate, Hispania jactata est.

App. Hist. Cong.

Et certè, quis æquo animo ferat, quæ à Patribus illis continuò proferuntur; illos scilicet scandala excitare, qui eorum novitatibus contradicunt? Siquidem ab institutione Ordinum SS. Dominici & Francisci, contrariæ inter utriusque Instituti viros opiniones exstitere; nec tamen eorum aliquis partem alteram excitati scandali accusavit: sed cum opinionum repugnantiâ summa stetit animorum conjunctio. Idem de cæteris Ordinibus, ac ipsis etiam Sanctissimis antiquæ Ecclesiæ Patribus Augustino & Hieronymo dicendum venit. At quis Patres Societatis ea uti arte miretur, si injectâ suis adversariis, suscitati scandali accusatione, res suas feliciter promoveant, & pro votis obtineant?

Cæterùm quæ nunc inde futura mala prospicio, prospexit etiam Illustrissimus Episcopus Canariensis, Melchior Cano, cujus verba refero, ex Epistolâ data ad optimum Patrem Regla, Ordinis S. Augustini, Carolo V. Imperatori à Confessionibus, ubi sic scribit: *Utinam & mihi, quod olim Cassandræ, non accidat: cui non est data fides, donec Troja incendio periisset. Si quo pede cœperunt Patres Societatis, pergere permittantur, faxit Deus, ne tempus tandem adveniat, quo Reges obsistere iis velint, nec possint.* Nihil miror hæc ab eo dicta: quippe unus ex præcipuis viris, qui inter ipsos hac in patria floruere, (dum visitationem Societatis, Autoritate Majestatis vestræ, ab Illustrissimo Episcopo Manriques obeundam, atque ab illo vehementer optatam, averterunt) cuidam è nostris dolore tactus ac gemebundus ait: *Effecerunt jam Patres nostri, ne Illustrissimus Episcopus apud nos visitationem obiret. Contra ipsam etiam Ecclesiam Dei, Societas prævalere tentabit, & admitetur.*

SEPTIMA RATIO.

SEptima Ratio est, quòd Mandatum hoc, perpetuum Societatem inter & Ordinem nostrum rixarum seminarium sit. Tantâ enim proprii honoris invidiâ tanguntur, ut in eos viribus omnibus adnitantur

tur. qui ipsis non adulantur, aut illorum consiliis obsistunt. Sic ob id unum, quòd F. Hieronymus Roman, Ordinis Sancti Augustini, non eo in libris suis de Societate, decore alicubi scripserit ad illorum voluntatem; non antea quièvere, quàm folium illud expungi fecerint. Idem, immò quid pejus, in Patrem Madariagam Carthusianum moverunt; quòd in S. Brunonis Vitâ, serenissimo Principi Domino nostro dicatâ, dixisset, Patres Societatis, ad Carthusiensem Ordinem transvolare posse. Quin etiam Barcinone, cùm ea contra se dicta suspicarentur, quæ P. M. Medina in Summâ suâ de Confessione generali & complicibus asseruerat; hæc privatâ autoritate, quasi Inquisitorum jure pollerent, sustulerunt, dum secundis typis mandata est: quæ res gravissimæ adversùs illos expostulationi materiam subministraret. Implacabiles itaque querimonias contra Professores & Concionatores nostros quotidie deferent. Nunc Professorem, tunc Concionatorem, de emisso circa divinæ gratiæ auxilia verbulo accusabunt. Nullus demum illis criminationum finis erit: nobisque illatarum injuriarum, de quibus postea dicam, sensus nunquam deficiet.

Addam præterea, Mandatum hoc perpetuæ nobis in Jesuitas amaritudinis ansam daturum. Quoties enim de divinis Auxiliis agendi data occasione, se præpeditos sentient Professores ac Concionatores nostri, toties ipsis injuriæ, ut putant, à Jesuitis illatæ memoria recurret, tantóque graviùs, quantò cæteros seu Clericos seu Religiosos, ea de re liberiùs tractantes, ac Societatis causam agentes animadvertent. Illos enim ubique gentium suas in partes pertrahere adnituntur; hac præsertim ætate, qua silentibus nobis, eorumque gregalibus palàm loquentibus triumphum agunt.

Id autem diu perseveraturum existimo. Quia omni conatu contendunt, ut controversia ista nunquam definiatur, & à Sacra Inquisitione non declaretur, quid sit ea in parte tenendum. Sciunt etenim Thomistarum Doctrinam, utpote Augustinianam & ex pluribus Scripturæ Sacræ locis petitam, (quibus divinorum Auxiliorum efficacia ad singulos actus bonos commendatur) damnationis periculo minimè subesse: nec tanquam hæreticam, vel suspectam, vel malesonantem, proscribi ullomodo posse: Molinianam verò iis omnibus titulis, aut certè illorum aliquo afficiendam suspicantur, si ad definitivam sententiam venitetur. Verenturque ne pœnis addicatur Autor, tum ob turbas in Hispania excitatas, tum ob contemtam petulanter SS. Augustini & Thomæ autoritatem; tum potissimùm ob susceptum in aliquibus Pelagianorum & Lutheranorum patrocinium, dum videlicet Augustinum contra Pelagium, recentiores verò Theologos contra Lutheranos, duriùs egisse contendit. Propterea causam illam non secretò sopiendam, nec benigna & occultâ animadversione componendam præsentiunt: sicut ob propugnatas Valentiæ Theses, quibus pertinaciter asseruerunt, tres Sanctissimæ Trinitatis Personas propriè emanare. Tunc enim adeo occulta animadversione castigati fuere, ut perpaucis innotuerit, obstupente meritissimo istius urbis Præsule, cui publicus error publicâ retractatione luendus videbatur.

OCTAVA RATIO.

Octava ratio est, quòd jam aliter nobiscum agatur, quàm ab ipso Ordinis exordio actum sit. Accepta à Sanctissimo Parente nostro Dominico obsequia, ad sanæ Doctrinæ defensionem, adeò grata habuit Ecclesia, ut in grati animi significationem summi Pontifices & Antistites plurima Ordini nostro beneficia, ab ipsa sui institutione rependerint. Infinitos propemodum Albigenses, tum disputatione tum prædicatione, tum impleto per S. Dominicum Inquisitionis officio, profligavit Ordo. Subinde, agente ac promovente S. Petro Martyre, recentes Manichæos, in universa Longobardia grassantes fudit. Postmodùm Sabatharios, urgente S. Raymundo de Pennafort in Catalonia debellavit. Tum Alberti Magni & S. Thomæ Aquinatis gloriosis laboribus Guillelmum à S. Amore ejusque gregales, nec non hæreticos flagellantes exagitavit. Innùmeros subinde Begardos, Beguinas & Fraticellos, toto Orbe dominantes, variorum Inquisitorum industriâ, exilio, igne damnavit. Demum Religiosissimi Patris Bartholomæi, ejusque sociorum Zelo, integram hæreticorum regionem in Armenia vocavit ad fidem, teste summo Pontifice Innocentio VI. Hæc primo instituti Ordinis seculo FF. Prædicatores gloriosè præstiterunt. Nec minora deinceps, ad hæc usque tempora ab ipsis gesta demonstrare facile esset. Quibus permotus Philippus Bergomensis Augustiniensis, Prædicatorum Ordinem fluvio Tigris magno impetu profluenti comparavit; quòd videlicet adversùs hæreticos, perversáque dogmata, summo semper impetu decertarit.

Jam verò dicant, amabo, hujus Ordinis obtrectatores, quas hæreticorum sectas

confutarint,

confutarint, quæ obsequia Ecclesiæ insignia præstiterint? Quod hactenus præstitit Ordo Prædicatorum, deinceps opitulante Dei gratiâ, ejusque faventibus efficacibus auxiliis, uti benè speramus, præstare non destinet. Aut certe venerabilis Mater Theresia à Jesu, varias inter Revelationes, quibus à Deo donata est, vidit aliquando FF. Prædicatores evaginato gladio plurimam hominum multitudinem interficientes: ipsique cœlitùs significatum est, eo Symbolo stragem adumbrari, quam adversùs hæreses illaturi erant: sicut refert Ribera Societatis Jesu.

Nec exigua, favente Deo, Hispaniæ beneficia contulit idem Ordo. Non hìc retulerim, serenissimis Regibus, seu bello, seu pace obsequia præstita: Non illa memorem, quæ ad fovendam in Scholis & Academiis sanam doctrinam exhibuit. Ea obiter indigitare sufficiet, quæ relata probataque sunt, in causa solennis Canonizationis S. Raymundi de Pennafort, qui paulò post S. Dominici obitum Inquisitionem in Hispaniam invexit; unde integritas fidei servata est. S. Vincentius Ferrerius, viginti primùm, tum octo Judæorum Millia vocavit ad fidem: ac demum, promovente servo Dei Joanne de Turre cremata, infiniti propemodum ejecti sunt. Quod tanto Hispaniæ emolumento fuit, ut quæcunque accusatores nostri hactenus egere, cum eo conferri minimè possint. Qua igitur ratione, ita durè cum iis agitur, qui tantâ fide, sua Ecclesiæ obsequia devoverunt? Quo jure iis ora præcludentur, qui ea tanto Ecclesiæ & Regni bono aperuere? Quo demum titulo tot obsequiis nota probataque Ecclesiæ famula, cum alterâ recens admissâ æquali sorte conferetur? Per hæc igitur obsequia Majestatem Vestram supplex obsecro, ut hancce meam Supplicationem seriò perpendi jubeat. Quieti enim ac paci provisum iri benè spero, si quæ mox dicturus sum, attentiùs ponderentur: omnes quippe æmulorum nostrorum criminationes cumulatissimè diluunt.

Querimoniæ Patrum Societatis adversùs Fratres nostros.

Cum mecum seriò cogitarem, quid Superiores nostros adeo adversùm nos commovere potuisset, ex eorum tandem transmissis Epistolis apertè novi, id ex Patrum Societatis criminationibus ortum ducere. Quæ licet re ipsâ futiles sint atque sinistræ, ita tamen ab illis larvatè obductæ sunt, ut Superiorum fidem extorserint, eosque ad mandata nobis quasi inobedientibus imponenda, in dies adduxerint. Et quidem id negligentiæ nostræ debitum fuit: siquidem nedum illatas nobis frequentes injurias silentio tegimus, verùm nec iis quidquam reponimus, quæ adversùm nos maximo damno criminantur. De his etsi longus mihi sermo esse posset, nonnulla saltem breviter dicam, ne officio omninò desim: Vestræque Majestati sincero corde testabor illos ipsos eas nobis injurias intulisse, quas sibi ipsis à nobis illatas conqueruntur: nosque iis in capitibus læsos esse, quibus se lædi criminantur; solitoque adagio hìc locum esse: Qui plus furatur, plus clamitat, & qui graviùs peccat, altius queritur.

In primis coram Majestate Vestra, aut certè coram Inquisitoribus Generalibus, & Nuntio Apostolico, de hujusce Provinciæ inobedientiâ expostularunt; quòd in isto Valentino Ordinis Prædicatorum Collegio, Theses publicè propugnatæ sint, contra Doctrinam Ludovici Molinæ, de interdictis divinæ gratiæ quæstionibus, die 27. Aprilis, Præside R. P. Hieronymo de Gamarra. Hujusque prætensi delicti gravitatem auxerunt adeò, ut R. P. Generalis noster, urgentibus prædictis Inquisitoribus & Nuntio Apostolico, post probatam licet per plures menses pronam nostram erga Præpositos obedientiam, mihi geminatis litteris distinctè præceperint, ut facti reos ad cæterorum exemplum severissimè castigarem. Equidem si talis esset falsitas ista & machinatio, ut aliquo veritatis colore duci posset, non mirarer admodùm illos criminationem hujusmodi detulisse, Theses proferendo, Præsidem designando, notando diem: at ille ipse, qui contra nos ita clanculùm expostulavit, evidenter ostendit, id non historiæ, sed fabulæ & machinationis loco habendum esse. Non enim Theses illæ apud nos propugnatæ sunt, aut hujus nominis Religiosum hìc novimus: paratusque sum extrema quæque ferre supplicia, si talis apud nos Religiosus exstet, aut si in hacce Provincia nostra, hujusmodi Theses habitæ sint. Nullatenus capio, quo pacto ita audaciter expostulationem adeò apertè falsam deferre potuerint; nisi quòd nos, etiam à Superioribus durè exceptos, silentium servaturos existimarint: sicut re ipsâ servavimus hactenus. Si verò se in ea accusatione deceptos fateantur, easque Theses non in ista Provincia, sed alibi habitas dicant; hinc innotescet, quàm enormiter ac cæca fronte nos onerent, ut culpam in nos transferant; quámque res ultra modum augeant, ut nos putidis imposturis,

ris, Superioribus nostris odiosos faciant.

Nec verò ea falsis nos expostulationibus infamandi ars apud illos nova est, sed antiqua admodùm, & annis elapsis usurpata. Dum ad Visitationem simul cum quodam Inquisitore pergeret P. M. Petrus Blascho, Inquisitionis Edictum in Insula Cretensi publicaturus, necessarium duxisset, acceptâ occasione, nonnulla de Confessionibus generalibus, in concionibus habere: illicò Patres Societatis eundem ipsum Inquisitorem talibus adversùs illum accusationibus convenerunt, ut (sicut ipsemet fassus est) nisi Concioni præsens ipse fuisset, prædictum Patrem in gravissimum periculum conjecissent, adeò sinistrè ac diversè dicta ejus exposuerant. Apposuerat non ita pridem in Thesibus suis R. Pater Præsentatus Didacus Mas propositionem aliquam, apud Theologos receptissimam, de Autoritate summi Pontificis, ad Leges pro privatis Ecclesiis aut Religionibus ferendas: continuò Thesim illam suis Constitutionibus repugnantem existimarunt Jesuitæ; unde Inquisitorem circumvenientes, propositionem fidei repugnantem à prædicto Patre Thesibus inscriptam fuisse conquesti sunt; rogaruntque ne illas publicè defendi sineret. Rem ita versutè exposuerunt, ut illum re ipsâ Inquisitor accersiri jusserit. Comparuit ille thesium suarum rationem redditurus, aperuitque quàm falsò rem accusatores exposuissent. Vetuit Inquisitor, ne ullo pacto delatam propositionem expungeret, sed illam cum cæteris publicè defenderet. Idem aliis vicibus accidit; nec dissimili arte silentibus nobis manifestas injurias intulerunt.

Conqueruntur secundò, & quidem apud plurimos Superiores (quemadmodum ex transmissis ipsorum Epistolis accepi) adversùm eundem Patrem Didacum Mas, Universitatis Valentinæ Professorem, & hujusce Conventus filium, quòd publicè & magno cum scandalo de divinæ gratiæ auxiliis legerit: eumque uti excommunicatum, ob violata Pontificia mandata, hic apud devotos suos passim traducunt. Qua in re gravissimam nobis injuriam irrogant. Nulli enim hujusce Provinciæ Religioso, Sedis Apostolicæ aut S. Officii nomine, significatum fuerat Mandatum aliquod, antequam ipse, susceptis Arragoniæ Inquisitorum Epistolis, mense Julio mox elapso significaverim. Equidem P. M. Joannes Vincentius Provincialis Decessor meus, privato dumtaxat nomine prohibuerat, ne propositiones ullas de divinæ gratiæ Auxiliis aliquâ Censurâ afficeremus; nequaquam tamen vetuit, ne hoc de argumento in Cathedris aut pulpitis privatim aut publicè tractaretur: quod summa religione servatum est. Immò, licet Constitutionum nostrarum præscripto Provincialium Mandata post consummatum officium ligare desinant, illud nihilosecius perinde servatum fuit, ac si Provincialatum suum minimè consummasset. Quo itaque jure eos ut inobedientes accusant, quibus Mandata non innotuerant, dicente Apostolo, *Ubi non est lex, nec prævaricatio*? Quo etenim tempore de divina gratia legit P. Didacus Mas., nihil de legendi interdicto noverat, nec illud prælectionum suarum argumentum propriâ sponte selegerat, sed jubente Academiæ Rectore. Quo autem loco agit S. Thomas de gratiæ necessitate, ejus dumtaxat mentem nudè ac simpliciter aperuit, Molinâ aut quocumque Societatis Autore perinde insalutatis, ac si nunquam in vivis exstitissent. Tantumque abest, ut scandalum excitarit, quin potiùs supra trecentos Discipulos Auditores habuit, Jesuitis admodùm dolentibus, quòd illorum Professor vix decem aut duodecim haberet. Viderint itaque qui prædictum Patrem adeò indecorè velut excommunicatum infamant, nosque omnes ut inobedientes accusant, quantùm probatione deficiant, & ad famam resarciendam teneantur.

Tertiò, gravari se conqueruntur Patres Societatis à Patribus nostris Majoricensibus, quos simul cum Minorum Provinciali propositionem aliquam de divinâ gratiâ, à quodam Franciscano Professore Thesibus inscribi curasse aiunt. Id nonnullis circumstantiis auxerunt, quas nequidem possibiles existimaverim: Fratresque nostros, ob id potissimùm reos agunt, quòd jam tunc Interdictum emissum esset. At ex iis quæ supra, occasione alterius injuriæ dicta sunt, liquet nullam eis re ipsâ illatam esse: cum Majoricæ nullum unquam ea in re Provincialis Mandatum exstiterit, multò minùs Apostolicæ Sedis. Addam quæ proprio ipse experimento hac in parte novi, ac etiam gessi. Dum Bilbili ante Natalem Domini versarer, invisit me Societatis Provincialis, ac de Fratribus nostris Majoricensibus conquestus est. Respondi, permolestum mihi esse, quòd Societatem offendissent; me tamen illos innocuos existimare, ob ignorantiam Mandati Decessoris mei, quo ab omni Conclusionum aut Propositionum Censurâ temperandum injunxerat: cæterùm ipsi satis notum esse affectum meum, quo Societati ad integram satisfactionem gratificari vellem. Id à me sincero animo dictum

dictum excipere meritò poterat; cùm satis universa Societas norit, quæ sibi præstitissem officia, quantaque humanitate me gessissem, ut omnes offensionis occasiones averterem, potissimùm anno elapso, in Capitulo Generali in ista domo celebrato. Cùm enim juxta Ordinis morem, è Provincia Lusitaniæ Theses publicas defensurus accessisset aliquis, in quibus nonnihil de divinæ gratiæ Auxiliis habebatur; significantibus Patribus Societatis, id Nuntio Apostolico minimè probatum iri, seque illud injuriæ loco habituros; effeci ne de ea Conclusione tractaretur; tametsi id ægrè ferrent nonnulli aliarum Provinciarum Magistri, quibus videbar, cum Ordinis nostri damno, Societati plus æquò gratificari. Quapropter Majoricam protinùs scripsi, Fratribus nostris injungens, ut Patres Societatis satisfactione convenirent; id ignorantiâ mandati factum dicerent, seque summâ pace cum ipsis velle agere, atque etiam obsequi significarent: nec absimilia Patribus Jesuitis Majoricensibus scripsi. Satisfactionem grato animo Provincialis cæterique Patres Societatis exceperunt, quemadmodùm ex Epistolis Præfecti Collegii Majoricensis perspicuum est; quibus nedum Societati factum satis attestatur, sed & lætari se vehementiùs significat, quòd desideratam diù pacem, Societatem inter & Ordinem nostrum promovissem. Addidit vir bonus hanc statuendæ inter nos pacis rationem satis lepidam; quòd scilicet in nullo prorsùs duæ istæ Religiones discriminentur; nihilque sit aliud Societas ipsa, quàm Ordo Prædicatorum, quo primùm tempore sub S. Dominico floruit. Quæ profectò verba cachinnum mihi commoverunt. Quasi verò communia nobis ista forent, Chori assidua tum de die tum de nocte frequentatio, perpetua à carnibus abstinentia, septimestre Jejunium, laneorum indusiorum usus, dura paupertas, cæteraque quibus maceratur Ordo noster? Ut ut est, inter tot illa honestatis & humanitatis officia, clanculùm coram Nuncio Apostolicò adversùm nos expostularunt, ac etiamnum ubique expostulant. Qua in re, ipsa per se patet injuria, qua nobis pacificè licet & amanter agentibus bellum inferre satagunt.

Quod quartam injuriam attinet, ea certè minor est, quam sibi illatam conqueruntur, quàm quæ nobis illata est. Dolent etenim hac in domo fuisse propugnatum, teneri Religiosos ad observantiam præcepti, de Correctione fraternâ, nobis à Christo Domino in Evangelio traditi, quia id suis Constitutionibus contrarium existimant. Equidem non capio, qua fronte id injuriæ loco habeant; cùm ipsi potiùs, & Religioni nostræ, & Sacro Evangelio injuriam irrogarint anno 1595. Mense Octobri, dum contra S. Augustini Regulam, nostrasque Constitutiones à Sede Apostolica approbatas, atque etiam contra Sacrosanctum Evangelium propugnarunt, nullam Religiosos inter, fraternæ Correctionis legem servandam esse; sed illorum culpas quantumcunque secretas, Superioribus denuntiandas. Ac licet perversa fuerit propositio typis mandata; pejor tamen ea fuit, quam verbo in ipsa Theseos defensione protulerunt: nimirùm Religiosos omnes ex purâ malitiâ peccare, nullamque in eis spem emendationis superesse; adeoque vanam in eis fore fraternam correctionem. Quæ quidem non nisi ab iis, qui ita perversè de Religionibus omnibus sentiunt, proferri unquàm potuerunt. Quanquam porro Cajetani autoritate propudium illud tueri velint, qui nonnulla eâ de re obiter scripsit; si tamen legatur ille, ac D. Thomas, necnon Sancti Patres, quos in Secunda-secundæ laudat, agendo de peccatis Religiosorum, constabit quàm scandalosa fuerit ea propositio ac Doctrina Theologorum illorum. Cæterùm, tametsi illos ad injuriam nobis irrogandam Theses illas defendisse videamus adversùs Regulam S. Augustini, quam profitemur, quàmque adeò probat Ecclesia, ut eam Ordines plusquam Viginti profiteantur (ex quibus unus, videlicet Canonicorum Regularium, tot Sanctos peperit, ut pro qualibet anni die, trecenti sexaginta numerentur; quemadmodum Anastasius Bibliothecarius in Catalogo Sanctorum, Carolo II. Imperatori nuncupato attestatur.) tametsi eam propositionem expressè positam videamus, adversùs Constitutiones nostras; quæ, ut ait Pius II. scribens ad Mahumetem Constantinopoleos Imperatorem, universo Orbi lucem afferunt, quæque à S. Dominico aspirante divino numine exaratæ fuerunt, uti sibi à Christo revelatum S. Brigitta in approbatis revelationibus fidem fecit: tametsi, inquam, hæc omnia probè noscamus, non tamen Orbem commovimus, nec in oppositum expostulavimus; sed solùm in Thesibus, ante paucos dies, in ista Valentina domo propugnatis, propositionem hanc apposuimus: *Servanda est inter Religiosos correctio fraterna. Hæc opportuna est ad proximi emendationem; nec potest his in casibus privatus Religiosus cedere juri suo.* Illi autem protinus ad Inquisitores, ad Nun-

Nuntium Apostolicum, & ad quoscunque potuere Superiores, confugerunt, adversùm nos expostulaturi. Quis id patienti ferat animo? Quasi verò liceat ipsis palàm in Thesibus declamare adversùs Constitutiones & Regulas nostras, immò etiam, ut videtur, contra Evangelium, fraternæ correctionis solatium nobis eripiendo: nequaquam autem nobis liceat propugnare, ea sanctè statuta esse, quæ nostris Regulis & Constitutionibus sanciuntur? Profectò quid futurum de nobis ignoro, si qui nobis eas injurias inferunt, se ipsos injuriâ affici conquerantur.

Quintam injuriam, quam sibi à nobis illatam dicunt, in eo constituunt, quòd illos infamemus, ipsorumque Scriptoribus obloquamur. Quæ sanè quo jure ab ipsis venditentur, prorsùs ignoro. Hoc enim in capite, uti & in superioribus, ipsimet ab illis graviùs afficimur. Si enim de scriptoribus ipsorum agimus, id ad summum in Scholis nobis accidit, juxta cæterorum omnium consuetudinem. At illi in Scriptores nostros, arreptâ Inquisitorum autoritate, animadvertunt: nec iis dumtaxat obloquuntur, sed & illos emendare præsumunt. Nec satis ipse capio, an excusari patientia nostra possit, dum ea recolo, quæ annis elapsis Barcinone contigerunt Animadvertentibus Bibliopolis, quanto applausu excepta fuisset Patris Magistri Medinæ Summa Confessorum Salmanticæ typis edita, eam secundis typis edendam judicarunt. Huic se negotio immiscuit Rector Societatis Collegii Barcinonensis, qui quæcunque de Confessionibus generalibus, & de complicibus in Confessione non revelandis, in Summa suâ scripserat Medina, propria autoritate expunxit, quæ Societatis praxi repugnabant. Eáne auderent illi, nisi patientiam nostram, immò veriùs negligentiam in illorum ausibus propulsandis exploratam haberent? Certè cum adeò vitiosa esset Molinæ in 1. partem elucubratio, nemo tamen nostrum procurare ausus est, ut illam Typographi aliqua sui parte circumciderent. Quid itaque suam illi in nostros Autores autoritatem exercent?

Sextam injuriam obtendunt, quòd illos debito honore non prosequamur. Rem ludicrè festivam! Cùm accepissem Patres Societatis Majoricæ de Fratribus nostris graviter conqueri, ob illatam sibi, ut ajebant, solennem injuriam, Visitatorem delegavi P. M. Andream Valaquer, hujusce Conventus Valentini Priorem, qui in facti veritatem inquireret, ipsosque Patres Societatis distinctim interrogaret, quid rei esset: qui se à nostris despici responderunt, quia in publicis Thesibus primum locum duobus Patribus Franciscanis supra duos Societatis Theologos dederant. Gravem certè injuriam, cujus occasione universum Orbem commovere necesse fuerit! Quasi verò Societas Seraphico Ordine sit antiquior, aut Sanctorum multitudine celebrior; vel aliqua exstet pro disputantium ordine Thesiumque distributione constituta Lex! Accessit tamen specialis quædam ratio ultimum Patribus Societatis locum concedendi. Invaluit scilicet ibi consuetudo, ut qui ultimo loco disputat, extemporaneam oratiunculam sub finem habeat: hancque Conventus nostri Prior Patri Societatis ibidem præsenti committendam censuit, quòd peritus Rhetor haberetur. Verùm potiori jure dixerim, eos pro viribus adniti, ut famam nobis eripiant. Illi enim ipsi sunt, qui nobis præripere moliuntur titulum Prædicatorum, quem ad S. Dominici obsequia recognoscenda nobis concessit & confirmavit Ecclesia. Idque clanculùm moliuntur, devotis suis injungendo, ne nos Fratres Prædicatores, sed Dominicanos appellent. Adeo ut qui rem paulò attentiùs adverterit, inductam satis in Hispania hujus appellationis mutationem, ex quo ipsi sunt instituti, facilè deprehendet. Officium pariter Magistri sacri Palatii Apostolici, quod ab ipso S. Dominico, ad hæc usque tempora imperturbatè tenuimus; auferre nobis Romæ tentarunt. Gregorium XIII. ad id impulerunt. At re tanti momenti in publico Consistorio pertractatâ, censuerunt DD. Cardinales, recentiores esse Jesuitas, quàm ut locum hunc præripere Prædicatoribus possent, qui tanta pro Ecclesia sustinuerant. In urbibus in quibus constitutæ sunt Academiæ, omnia movent, ne Cathedras obtineamus. Hinc videre est, num ii potiùs injurii nobis sint, qui se à nobis injuriâ affici conqueruntur. Sexcenta proferrem alia, de quibus justò conqueri possumus: at ne quidem mussitamus, aut ea recolimus, Sacro Evangelio religiosè obsecuti. Quin etiam quæ hactenus dicta sunt, minimè refricassem, nisi nobiscum ita injustè actum esset, ut dum injuriam sustinemus, illatæ injuriæ accusemur.

Demùm eas de nobis querimonias perseveraturas sentio, donec quidquid habemus sponte cesserimus: nec omninò scimus, quo pacto cum illis nobis agendum sit. In Augustinum, Thomam Aquinatem, Bonaventuram, si jam viverent, quantæcunque

cunque sanctitatis sint, declamaturos illos crediderim, ac etiam longè duriùs, quàm unquam in nos declamarunt. Quapropter ad præscindendas omnes querelarum occasiones, constitui & injunxi, ne nos ad illorum actus Scholasticos disputaturi accedamus, nec ipsi vicissim ad nostros. Quia facilius mihi visum est, per extentum funem ire, quam cum ipsis pacificè conversari. Si enim post suscitatas novitates illas ad disputationem accedunt, non sicuti nobiles luctatores, oblectationis & exercitationis causâ, sed uti sanguinolenti bellatores, omnia pro arbitrio venditant: ac de D. Thoma tanquam de commentitio Doctore obloquuntur. Id non ita pridem evenit in quadam Scholastica Exercitatione apud nos habita, ita contemtim de D. Thoma ejusque Doctrina disseruere, ut meritissimus P. Magister Salon Ordinis S. Augustini, hujusce Academiæ Professor emeritus, eorum audaciam indignè ferens, nec patientiam nostram in sustinenda injuriâ satis probans, in causam palàm ingressus sit, & in Jesuitam disputantem severe animadverterit. Addidit vir eruditus, Patres Societatis, ea in D. Thomam petulanti elatione malum aliquod grande portendere. Quæ cùm ita sint, longè satius erit, si omnes propriis domibus commoremur. Probabimus an eo saltem pacto, bonâ nos pace frui sinent: Vestramque Majestatem, ejusve Administros perpetuarum contra nos expostulationum, quibus ab iis oneramur, fastidio liberabunt. Faxit Deus, ne ob id ipsum novam in nos quæstionem instruant, quòd ad illos disputaturi non accedamus. Sed clamitent quantum libuerit, Deum adprecor, ut illis simul ac nobis veritatis suæ lumen infundat, Sanctorumque doctrinam, qui tot ad salutem eruditæ sunt animæ, ipsemet tueatur.

Concludendum ergo. Cùm pacem Jesuitas inter & nos vehementer optet Vestra Majestas; spondeo me eam pro viribus promoturum. Cùmque ad eam promovendam necesse sit, ut ad illos qui de nobis ita temerè conqueruntur non accedamus, rogo Majestatem Vestram, ut id nobis benignè concedat, atque ad omnes rixarum occasiones præscindendas, nobis inhibeat, ne de nobis invicem ullo modo dicamus; neve autores vel nominemus, vel notis afficiamus; ne demum ad Scholasticos Actus mutuò veniamus. Spondemus nos omnia ad amussim servaturos, nec de iis eorumve autoribus, opinionibus, aut libris memoriam ullam habituros. Quemadmodum enim trecentis annis adeo sine illis floruit Ordo noster, ut universo Orbi in deliciis & admiratione fuerit; ita sine ipsis Deo favente perseverabit, ad omnia tamen officia paratissimus. Tanti accepti beneficii memores, Deo Optimo Maximo supplicabimus pro Regiæ Majestatis Vestræ incolumitate, quam ad felices annos Ecclesiæ suæ diu servet. Datum in nostro Conventu Valentino Ordinis FF. Prædicatorum, die 22. Augusti, anni 1597.

F. HIERONYMUS BAPTISTA DE LA NUZA, *Provincialis Arragoniæ.*

INDI-

VI.

INDICULUS

Locorum omnium LUDOVICI MOLINÆ, *quæ ad quatuor ejusdem* Concordiæ *principia revocata fuere; & in primo Causæ hujus Examine expensa damnataque sunt, à* GREGORIO CORONELLO *Congregationis Secretario digestus.*

Ad Caput. 2. Libri 2. Hist. Auxiliorum. IN primâ, secundâ & tertiâ Congregatione, actum dumtaxat de scopo & principiis Ludovici Molinæ.

In quarta Congregatione agi cœptum, de concursu Dei generali, an sit influxus in causas secundas?

1. Ludovici Molinæ opinio est, quòd Dei concursus generalis, non sit influxus in causas secundas, quasi illæ priùs motæ agant, & producant suum effectum. Ita habet in Concordia, Editionis Antverpiensis, quæst. 14. art. 13. disp. 26. §. *Dicendum*: & in Commentariis ad 1. Partem, eadem quæstione, disp. 6.

2. Quæ de concursu Dei generali cum causis secundis docet, eò dirigit, ut similiter philosophandum esse dicat de concursu Dei cum libero arbitrio. Ita declarat in Concordia quæstione 14. art. 13. disp. 29. & 30. in principio utriusque. In Concordia Vlisipponensi, disp. 28. & 29. Et in Commentariis ad 1. Partem, quæstione eadem, disp. 9. §. *Ad primum*. Et disp. 10. §. *Cum ex dictis*.

3. Dicit deinde, Deum per Concursum generalem cum causis secundis, efficere unam integram causam, coalescentem ex duabus partialibus; non secùs ac cùm duo trahunt navim. Ita habet in §. *Ex dictis*, quæst. 14. art. 13. disp. 26. similiter philosophatur de auxilio generali supernaturali & libero Arbitrio, in Concord. quæst. 23. art. 4. & 5. disp. 1. membr. 6. ad 1. Et quæst. 14. art. 13. disp. 12. §. *Est tantum*.

4. Hanc opinionem ea potissimùm ratione sustinet, quia existimat præmotiones & applicationes causarum secundarum ad suas operationes multùm præjudicare libertati arbitrii nostri. Ita asserit disput. 27. §. *In primis*, §. *Adde*, Et §. *Attende* dicit autores contrariæ opinionis arbitrii libertatem de medio tollere, & rem efficere de solo titulo. Unde §. *Item*, & §. *Præterea*, ait Concursum illum, cum quo causæ applicantur, esse omninò commentitium. Similiter docet in Comment. ad 1. partem disp. 7.

Hæc disp 27 fuit addita post Editionem Vlisippon.

In 5. Congregatione actum de modo divinitùs influendi in actiones liberi arbitrii naturales.

5. Proponit Ludovicus Molina, principium, quo Deus simul cum causis secundis producit effectus, in Deo nihil aliud esse, quàm generalem quandam voluntatem, qua statuit, ita omnibus causis præstò esse, per hujusmodi generalem concursum, ut quoties illæ naturæ necessitate, vel sponte sua ac voluntate cooperarentur, ejusmodi influxus sequeretur. Ita in Concordia, quæst. citatâ, disp. 26. §. *Ut melius*. Et in commentariis, eadem quæst. disp. 6.

6. Huc spectat quæ docet in Concordia, quæst. 14. art. 13. disp. 33. §. *Novem*, ubi sic inquit: *Deus opera nostra bona moralia, quæ à cooperatione libera nostri arbitrii, & non à solo Concursu Dei generali pendent ut existant, vult in primis voluntate conditionata, si & nos pro nostra libertate ea velimus. &c. Prævidens ergo, quæ eorum pro nostra libertate sint futura, complacet in illis, vultque absolutâ voluntate ut fiat.* Ita in Editione Antverpiensi: sed in Vlisipponensi, & venetâ habetur disp. 32.

7. Et §. *Decimum*, inquit, Deum indifferenter esse velle, universalem causam quarumvis realium actionum & effectuum, quasi in confuso, quos nos voluerimus: eo quòd ita ad nostrum meritum ac libertatem expediat.

8. Similiter philosophatur de concursu speciali ad actus supernaturales. Nam in Concordia, quæst. 19, art. 6. disp. 2. & in commentariis eadem quæstione, ait voluntatem divinam non determinari absolutè ad actus humanos studiosos, sive naturales sive supernaturales, ante prævisionem liberæ cooperationis humanæ, nec applicare voluntatem creatam ad earum productionem: aliter enim existimat tolli libertatem arbitrii.

9. Hinc quæstione 14. art. 13. disp. 30. in

in editione Antverpiensi. In Concordia verò Vlisipponensi disp. 37. sicut & in Veneta, §. *Illud prætereà*, docet, liberum hominis arbitrium modificare æquale auxilium gratiæ adjuvantis.

10. Dicit etiam, influxum generalem Dei, pro diversitate concursuum causarum secundarum, ad varias operationes & effectus distrahi ac limitari. Ita habet in Concordia Antverpiensi, quæst. 14. art. 13. disp. 26. §. *Et verò*, & §. *Ut melius*, prope finem. In Edit. Veneta disp. 6.

11. Ex hoc principio colligit, eodem numero concursu Dei generali, & particulari liberi arbitrii, quo producitur unus & idem numero actus in genere naturæ, posse indifferenter produci actum virtutis moraliter bonum, & actum vitii. Ac proinde interdum neque majorem, neque alium Dei concursum requiri, ut producatur actus virtutis moraliter bonus, & actus vitii & peccati. Ita habet in Concordia, disputatione 32. §. *Legitima*, & disp. 33. §. *Quartum*, quæstione 14. art. 13. & in disp. 32. §. *Tertium*.

Id edit. Vlisipp. disp. 31. 32. Similiter & in Veneta disp 32. In Antv. 33. §. Tertium.

In eadem Congregatione, de viribus liberi arbitrii ad actus Morales, & ad actus qui sunt ad Justificationem necessarii.

12. Cum solo concursu generali Dei, absque alio dono vel auxilio gratiæ, potest homo efficere opus bonum morale, quod fini naturali hominis accommodatum, atque comparatione illius sit verè bonum, & virtutis opus. Ita habet in omnibus Editionibus in Concordiâ, quæst. 14. art. 13. disp. 5. in principio.

Augustinus, vel autor libri 3. Hypognosticon cap. 4. loquitur de bonis vitæ præsentis, ut velle laborare, habere vestimenta; Molina verò de actibus virtutum moralium. In quo videtur adversari Augustino, lib. 4. contra Julianum cap. 3. ubi contendit in Ethnicis aut nullas fuisse virtutes veras, aut Dei dona fuisse.

13. Potest homo cum solo concursu generali elicere actus, qui ad Justificationem infidelis adulti sint necessarii, quoad eorum substantiam, nimirum credendi, sperandi, diligendi, & pœnitendi. Ita docet in Concordia, quæst. 14. art. 13. disp. 7. per totam disputationem.

Quòd non requiratur habitus supernaturalis, ut assensus ex parte credentis sit certus.

14. Propositis & explicatis iis, in quorum cognitionem solo lumine naturali non possumus devenire &c. in facultate liberi arbitrii est, cum solo concursu generali Dei, iisdem rebus assentiri, tanquam à Deo revelatis. Ita habet in Concordia disp. citatâ §. *Ut ergo*, & §. *Affirmans pars*.

15. A culpâ mortali non sunt excusandi, qui auditis iis quæ fides docet, post adductas rationes, quæ afferri solent ad persuadendum à Deo esse revelata, assensum non præbuerunt ex viribus naturæ. Ibidem.

16. Et disp. 11. Probat infidelitatis peccatum posse incurri, etiam dum gratia præveniens liberum arbitrium non tangit; quia Deus suo auxilio præsto est ad præveniendum in eodem instanti quoscumque præviderit ex suis naturalibus ad assensum conaturos. Legatur tota disputatio.

17. Non ob eam causam ponendus est habitus fidei, ut intellectus facilè assentiatur, neque ut actus assentiendi sit certus & firmus, certitudine & firmitate ex parte credentis. Sed quoniam, ut illi actus sint accommodati fini supernaturali, opus est ut eliciantur, vel per auxilium particulare, vel per habitus supernaturales. In Concordia quæst. 14. art. 13. disp. 8. §. *Ex dictis*.

18. Rudes levibus persuasionibus, autoritateque aliorum potiùs quàm judicio adducuntur ad credendum. Ita habet in Concordia quæst. 14. art. 13. disp. 7. §. *Quinto*. Loquitur autem de fidelibus Baptizatis, ut ex antecedentibus liquet.

19. Solet Deus, dum adultus notitias accipit prædicatione & instructione alicujus &c. quasi se inserere per dona gratuita. Ita docet in Concordia quæst. 14. art. 13. disp. 9. §. *Hinc*, & §. *Potest tertiò*.

20. Interna Dei vocatio ad fidem, licet donum Dei sit, multùm tamen à Ministris & conatu Ecclesiæ pendet. Ibidem §. *Ex dictis*.

21. Quia regulariter propter miseriam naturæ humanæ, nullus in Deo naturaliter cognoscendo, colendo, eique obtemperando, facit totum quod potest: inde fit ut vix ullus supra communem cursum, aut præter leges ordinarias à Deo institutas, supernaturaliter illuminetur. Ita habet eadem disputatione §. *Patet inde*. Possumus colligere secundùm Molinam: Ergò si faciat totum quod potest naturaliter, illuminabitur supernaturaliter.

In 6. Congregatione de actibus diligendi & pœnitendi.

22. Vocatio Dei interna multùm pendet à libero arbitrio, in eadem disputatione §. *Patet tertiò*.

23. Magis indignus est, ut supernaturaliter adjuvetur & vocetur, is qui sinistra intentione, quàm qui paratus obedire veritati, eamque amplecti, ad audiendum accedit

cedit: rationique valdè consentaneum est, ut hunc potiùs quàm illum misericorditer adjuvet &c. Ibidem.

24. Idem docet de excitatione interna fidelis ad pœnitentiam, per gratiam prævenientem: immò & de illuminationibus & auxiliis, quibus justificati à Deo adjuvantur &c. Pendet enim, ait ille, à ministris & conatu Ecclesiæ, atque à libero arbitrio &c. Sic habet in eadem disputatione §. *Quod.*

25. Ibidem inquit, dum similibus cogitationibus excitatur voluntas, quasi inserere se solet Deus, infundereque affectum amoris aut timoris supernaturalis, quibus prævenit, allicit, & quasi invitat voluntatem ad contritionem aut attritionem, &c. Legatur totus ille paragraphus, & §. *Illud deinde.*

26. Tandem disput. 14. inquit: Potest homo impius & peccator, cum solo concursu generali Dei, per solas vires suæ naturæ, habere dilectionem Dei super omnia, & contritionem, qua doleat de omnibus peccatis, cum proposito servandi omnia mandata Dei. Ita habet membro 1. §. 1. ubi asserit, hanc propositionem negari non posse. Rationem reddit §. *Ratio.* Vide diligentèr & attentè perpende quæ asserit membro 5. §. *Post hanc*, & sequenti.

Actum quoque fuit in hac 6. Congregatione de victoria tentationum ex solis naturæ viribus. Expensus Molinæ locus, in Concordia, quæst. 14. art. 13. disp. 19. mem. 2. ubi hanc sententiam quasi Augustinianam & Thomisticam amplectitur: Quòd in statu naturæ lapsæ, cum solo concursu generali Dei, dum rationis judicium non omninò absorbetur, cuicunque gravi tentationi, magnæque difficultati, in quocunque temporis momento, potest homo ex viribus naturæ resistere.

In 7. Congregatione rursùs actum de viribus liberi arbitrii ad actus qui ad Justificationem sunt necessarii, scilicet fidei, spei & charitatis.

27. Quotiescunque liberum arbitrium ex suis viribus naturalibus conatur, &c. à Deo confertur gratia præveniens. Ita habet in Concordia, quæst. 14. art. 13. disp. 10. in principio.

28. Et post alia, in eodem §. Quare sicut Deus semper præsto est per Concursum generalem libero arbitrio, ut naturaliter velit aut nolit, prout placuerit; ita præsto illi est per auxilium gratiæ sufficientis, ut quoties ex viribus naturalibus aggredi voluerit opus aliquod, ex iis quæ ad Justificationem spectant, illud exsequatur prout ad salutem oportet.

In hoc sensu explicat illud Joannis 1. *Dedit eis potestatem filios Dei fieri*, & illud Pauli, *Deus vult omnes homines salvos fieri.*

29. Explicans verò illud, *Sto ad ostium & pulso*, inquit: Planè sine ulla intermissione ad ostium cordis stat, paratus semper conatus nostros adjuvare, desiderans que ingressum.

30. In Concordia quæst. 14. art. 13. disp. 19. mem. 1. & sequenti: cùm viderit Molina sententiam Patrum esse valdè consonam decretis Conciliorum, quòd homo in naturâ corrupta non potest suis viribus naturalibus resistere, etiam per breve tempus, tentationibus difficilioribus, sine speciali auxilio & dono Dei, conatur nihilominùs defendere oppositum, & solvere argumenta ex Patribus & Conciliis desumta.

31. In Editione Antverpiensi a. 1595. membro 6. addidit Paragraphum quendam, qui incipit *Fortè mirabitur*: in quo satis apertè quid de hac re sentiat, explicavit.

32. In Concordia, quæst. 14. art. 13. disp. 38. In editione Antverpiensi, disp. 39. §. *Quod*, inquit: Quare cum solo concursu generali Dei, puto post acquisitos habitus fidei, spei & charitatis supernaturales infusos, posse liberum arbitrium unum aut alterum actum fidei, spei & charitatis elicere, qui à concursu habituum supernaturalium habebunt, ut sint supernaturales. Idem dicit disp. 4. §. *Quod.*

Ibidem ait: Eodem modo credo, intellectum perfusum lumine gloriæ, cum solo concursu generali Dei posse producere visionem beatificam. Idem existimo de cæteris supernaturalibus causis secundis: quæ suapte naturâ aptæ fuerint ad supernaturales effectus producendos.

In 8. Congregatione, de dono perseverantiæ, & divinæ gratiæ efficaciâ.

33. Primi Parentes in statu innocentiæ, ad vitanda lethalia peccata, perseverandumque in gratia, non eguerunt auxilio supernaturali superaddito, sed per quodcunque tempus potuerunt ab omni peccato, tàm veniali quàm mortali abstinere. Ita habet in Concordia, quæst. 14. art. 13. disp. 4. §. *Quare.* In tota autem illa disputatione, nihil aliud facit, quàm more suo persuadere, potuisse Adamum in illo statu, per accepta dona perseverare de facto, si voluisset, absque alio novo auxilio, sed tamen de facto non perseverasse, quia noluit.

34. Potuit homo in eodem statu per dona

dona supernaturalia fidei, spei & charitatis, ac gratiæ, cum communi auxilio Dei, operari salutem suam, vitamque æternam promereri, absque aliis auxiliis specialibus. In eadem disputatione, §. *Communis*.

35. Cum auxilio quo unus usque ad finem vitæ perseverat, potest, si velit, non perseverare. Et cum auxilio quod Deus confert, præstóve est conferre ei, qui non perseverat, potest perseverare, per eumque stat, quod non perseveret. Ita docet in Concordia, quæst. 23. art. 4. & 5. disp. 1. mem. ultimo, §. *Secundum est*.

36. Hinc colligit duo esse necessaria ad donum Perseverantiæ; unum ex parte Dei, videlicet ut ea auxilia conferre voluerit, cum quibus prævidebat adultum pro sua libertate perseveraturum: alterum ex parte arbitrii, tanquam conditio sine qua voluntas conferendi talia auxilia non habuisset rationem voluntatis conferendi donum Perseverantiæ; nempè, ut adultus pro sua libertate ita sit cum eis cooperaturus, ut perseveret, quod in potestate ipsius est collatum. Ibidem.

Huc spectant, quæ de gratiæ efficacia docet: sed de his in alia Congregatione.

In eadem Congregatione, quid sentiat Molina de gratiæ efficacia, seu de duobus æqualiter vocatis ad fidem?

37. Ludovicus Molina in Concordia, quæst. 14. art. 13. disp. 12. §. 1. propè medium hanc ponit Conclusionem: Si duo æquales per omnia, & in omnibus, conspiciant eandem mulierem pulchram, evenire potest à sola libertate arbitrii utriusque, ut unus consentiat in peccatum concupiscendo, alter non item.

38. Hinc colligit: Eadem est ratio, de eodem modo affectis, æqualiterque à Deo ad fidem vocatis: pro sola namque eorum libertate evenire, ut unus amplectatur fidem, alter verò eandem contemnat.

39. Et disput. 40. in Editione Antverpiensi, in Editione verò Ulisipponensi disp. 38. §. *Antequam*, hæc habet: Sciendum est, nos non negare communem illam distinctionem auxilii sufficientis in efficacem & inefficacem. Ita tamen ut efficax libertatem arbitrii, ac proinde meritum & laudem ab eo non tollat, sed in potestate ipsius sit, nihil tali auxilio impediente, non converti; atque adeò cassum inefficaxque illud reddere.

40. Quo fit, addit ille, ut divisio sufficientis auxilii in efficacem & inefficacem, nostrâ sententiâ, ab effectu, qui simul ab arbitrii libertate pendet, sumatur; illudque auxilium sufficiens, sive majus, sive minus in se sit, efficax dicatur, cum quo arbitrium, pro sua libertate convertitur; cùm tamen, nihil eo auxilio impediente, potuerit non converti.

41. Et §: *Hinc*: Asserimus, inquit, auxilia prævenientis atque adjuvantis gratiæ, quæ lege ordinariâ viatoribus conferuntur, quòd efficacia aut inefficacia ad conversionem seu Justificationem sint, pendere à libero concursu, & cooperatione arbitrii nostri cum illis: atque adeò in libera potestate nostra esse, vel illa efficacia reddere, consentiendo & cooperando cum illis ad actus, quibus ad Justificationem disponimur, vel inefficacia illa reddere, continendo consensum, & cooperationem nostram, aut etiam eliciendo contrarium dissensum.

42. Deinde §. *Multa sanè*, asserit hanc doctrinam esse expressè definitam à Concilio Tridentino; gratiamque cooperantem unam & eandem numero esse cum præveniente excitante; sortirique rationem cooperantis, quatenus consentiente jam libero nostro arbitrio, gratiæ prævenienti & cooperanti per liberum consensum, ad actus quibus convertimur, atque ad Justificationem disponimur, ipsa quoque gratia cooperatur ac influit in eosdem actus. Et ait, se minimè videre, quomodo salvâ fide Catholicâ possit defendi communis Theologorum sententia.

43. Postea verò, quæst. 23. art. 4. & 5. disp. 1. membro 6. §. *Certe*, ait: Certè non dubitaverim sententiam hanc &c. (S. Thomæ & Scholasticorum) errorem in fide appellare. Etenim eâ datâ, non video quâ ratione libertas arbitrii nostri possit salva consistere.

44. Et §. *Postremò*, inquit: Autores hujus sententiæ nunquam potuerunt satisfacere apertissimæ definitioni Ecclesiæ, in Concilio Tridentino, sess. 6. cap. 5. & can. 4. Etenim apertè illis definitur, ab arbitrio nostro pendere, quòd auxilia divina efficacia aut inefficacia reddantur, ad nostram conversionem & Justificationem, &c.

45. Post-modum §. *Ad primum*, suam repetit opinionem. Et §. *Utrum autem*, S. Thomæ & Scholasticorum sententiam, nisi juxta suam opinionem explicentur, nimis duram esse dicit.

In 9. Congregatione, rursùs de Gratia efficaciâ.

46. In Concordia, quæst. 14. art. 13. disp. 39. §. *Verum*, sic ait: Non video, præter auxilia gratiæ prævenientis, & concursum Dei generalem, necessarium esse auxi-

In edit Vlis. & Ven. exstat. disp. 37. auxilium aliud peculiare gratiæ, ut liberum arbitrium, aliquem illorum actuum possit elicere. Etenim illa tria unam integram causam efficiunt. Idem docuerat disp. 27. §. *Cùm autem.* Expendatur totus paragraphus.

47. Et eadem quæstione & articulo, disp. 39. §. *Illud prætereà*, ait: Etenim cùm liberum arbitrium &c. Utique ab inæquali conatu & influxu liberi arbitrii provenire potest, ut conferente Deo duobus hominibus, æquale AUXILIUM GRATIÆ ADJUVANTIS, unus eorum intentiùs operetur, meliùsque se disponat ad gratiam justificantem, quàm alius: & ut conferente eisdem inæqualia auxilia æquè operentur; aut is interdum plus, qui minori suffultus est auxilio. Quòd etiam verba Concilii sonare contendit.

48. In Concordia, quæst. 23. art. 4. & 5. disp. 1. mem. 11. §. *Postremò*: Cum auxiliis ex parte Dei, cum quibus unus justificatur & salvatur, alius pro sua libertate nec justificatur nec salvatur; & è contrario.

49. Neque, ait ille, dubitandum est, multos torqueri apud inferos, qui multò majoribus auxiliis, ad salutem à Deo donati fuêre, quàm multi qui in cœlo divino conspectu fruuntur &c. Sed quòd hi cum majoribus auxiliis prædestinati & salvi non fuerint, non aliunde fuit, nisi quia pro innata libertate noluerunt uti ita suo libero arbitrio, ut salutem consequerentur; hi verò maximè.

50. Item §. *Denique*: Sint duo homines justi, animo & corpore, cæterisque adjunctis per omnia pares; ponamusque Deum constituisse eodem prorsùs modo, utrique ex parte sua opitulari ac providere: tunc collatâ utrique eadem peccandi occasione, ex aspectu ejusdem mulieris pulchræ, pro sola innata libertate utriusque fieri potest, ut unus in peccatum consentiat, alter minimè, sed se ipsum cohibeat.

In edit Vlisip. disp. 29. In edit Veneta habetur in commune. eadem quæst & art. disp. 10. 51. Quæst. 14. art. 13. disp. 30. §. *Dicendum*, docet Deum concursu generali, non præmovere voluntatem, neque influere priùs naturâ quàm illam, in effectum naturalem, sed simul.

52. Auxilium verò particulare, gratiamve prævenientem, dicit, semper vel tempore vel naturâ antecedere influxum liberi arbitrii, ad actiones suas supernaturales, quibus ad gratiam gratum facientem disponitur, tanquam causam principiumque efficiens, in liberum arbitrium immissum.

53. At verò, hujus oppositum docet disp. 39. §. *Deinde esto.* Non tamen, ait, esset illis concedendum, esse concursum immediatum in liberum arbitrium, ut in causam, quasi priùs eo concursu motum, & à Deo applicatum ad agendum, tales actus eliceret. *In edit Vlisip. & in Veneta disp. 37.*

54. Disput. 41. à principio, & postea §. *Dixi toties*, videtur sententiam mutare, & quod prius dixerat, corrigere. Dicit enim gratiam prævenientem, quâ gratia præveniens est, tempore vel naturâ antecedere influxum liberi arbitrii: eandem verò gratiam, si sumatur ut posteriùs tempore vel naturâ, & sortitur rationem gratiæ cooperantis, tunc nec tempore nec naturâ antecedere influxum liberi arbitrii &c. Legatur cum paragrapho sequenti. *In edit Vlisip. & Ven. disp. 39.*

55. Verùm disp. 54. §. *Accipe*, dum ordinem motuum gratiæ prævenientis explicat, si ejus doctrina attentè perpenditur, ostendit se non rectè de auxiliis divinis sentire. Inquit enim: Dum homo nondum ad fidem supernaturaliter interiùs vocatus cogitat, & expendit res credendas, per notitias Concionatoris ministerio aut aliunde comparatas, influit Deus in easdem notitias influxu quodam particulari ac supernaturali, quo cognitionem illam adjuvat &c. Influxus verò ille dicitur motus gratiæ prævenientis ad fidem supernaturalem, & illuminatio &c. *In edit. Vlisip & Ven. disp. 43.*

56. Ex cognitione verò earum rerum &c. oritur naturaliter in voluntate motus affectionis in res ita cognitas; quo allicitur & quasi invitatur, ad imperandum intellectui assensum, quo eis assentiatur. Cùm hoc ergo nutu, quasi se inserit etiam Deus; influens in illum per auxilium particulare, illumque eo auxilio quasi acuit, ut magis urgeat & alliciat, efficitque illum supernaturalem, ut in suo ordine & gradu sit etiam ad salutem accommodatus. Auxilium itaque particulare, quo Deus in illum motum influit, appellatur auxilium gratiæ prævenientis &c.

Vides ergo dari à Molina influxum Dei in notitias aliunde acquisitas; & hunc influxum dici motum gratiæ prævenientis. Vides secundùm eundem, ex tali notitia & cognitione oriri in voluntate naturaliter motum affectionis ad res cognitas, & in illo motu quasi se inserere Deum.

Nusquam autem vides, asseri à Molina, influxum Dei in intellectum & voluntatem, ut intelligenti apparet.

In 10. Congregatione, de scientia Dei, mediâ inter naturalem & liberam à Ludovico Molina traditâ.

57. In Commentariis ad 1. partem, quæst. 14. art. 13. disp. 17. §. *Triplicem*, sic ait:

In Conc. Vlisip. qu. 14 art. 13. disp 50. In edit. Antv. disp 52.

ait: Triplicem scientiam oportet distinguamus in Deo, nisi periculosè in conciliandà arbitrii nostri libertate, & contingentià rerum cum divinà præscientià hallucinari velimus &c..... Tertiam denique mediam scientiam, qua ex altissima & inscrutabili comprehensione cujusque liberi arbitrii in sua essentia intuitus est, quid pro sua innatâ libertate, si in hoc vel illo, vel etiam infinitis rerum ordinibus collocentur, acturum esset; cùm tamen posset, si vellet, facere ipsa oppositum.

58. Et §. *Sciscitabitur.* Item memento, quòd res libero arbitrio prædita, si in certo ordine rerum & circumstantiarum collocetur, in unam aut alteram partem se flectat, nec provenire ex præscientia Dei: quin potiùs ideò Deum id præscire, quia ipsa res libero arbitrio prædita liberè id ipsum agere debet; neque provenire ex eô quòd Deus velit id ab ea fieri, sed ex eo quòd ipsa liberè velit illud facere.

59. Paragrapho *Ex his*: Quamvis Deus nullam scientiam sumat à rebus, sed quidquid agnoscit, id in sua essentia, & in determinatione libera suæ voluntatis cognoscat & comprehendat: attamen non quia scit aliquid esse futurum, ideò illud futurum est; sed è contrario, quia illud futurum est ex suis causis, ideò cognoscit illud esse futurum.

60. Et quæst. 23. art. 4. & 5. disp. 1. membro ultimo, §. *Nos pro nostra*, asserit, Si hæc de præscientia Dei sententia, ac nonnullæ aliæ à se traditæ, & tanquam principia ex quibus deduxit novam Concordiæ suæ rationem, explanatæ semper fuissent, ut ipse eas explicavit, quòd neque Pelagiana hæresis fuisset exorta, neque Lutherani tam impudenter arbitrii nostri libertatem fuissent ausi negare, obtendentes cum divina gratia, præscientia & prædestinatione cohærere non posse: neque ex Augustini opinione concertationibusque cum Pelagianis, tot fideles fuissent turbati, ad Pelagianosque defecissent; facilèque reliquiæ illæ Pelagianorum in Gallia fuissent extinctæ.

In eadem Congregatione, de rerum existentia in æternitate, quam Molina negat, ut Scientiæ-mediæ necessitatem probet.

In Conc. Vlisip. disp 49.

61. Quæst. 14. art. 13. disp. 49. §. *Verùm*, negat præscientiam Dei esse certam, quòd sint omnia præsentia Deo.

In Com. quæst. 14. art. 13. disp 14.

62. Et addit §. *Secunda Conclusio*, Res omnes non esse Deo existentes in sua æternitate. Unde infert, non aliâ de causâ esse Dei cognitionem & præscientiam certam, nisi quia Deus in sua æternitate habet ideas & rationes omnium futurorum &c.

63. Et §. *Quod autem*, inquit: Si ponatur, res priùs existere in æternitate, quàm in tempore, tollitur libertas arbitrii. In impressione Venetâ habetur hæc disputatio in Commentariis ad 1. Partem, eodem articulo, disp. 14.

64. Et §. *Ex dictis*: Scientia Visionis hujusmodi futurorum non est in Deo ab æterno, sed in tempore, quando res ipsæ producuntur.

65. Paragrapho *Sit ergò*: Deus novit certò futura contingentia, antequam sint ex concurrentià causarum & circumstantiarum in tali ordine rerum.

66. Paragrapho *Verum*, dicit doctrinam S. Thomæ, circa modum quo Deus cognoscit futura contingentia dependentia à libero arbitrio, esse periculosam in fide.

In 11. Congregatione, de Providentia Dei.

67. Ordo Causarum ac mediorum, qui divinà providentià constitutus est, nullam omninò necessitatem libero arbitrio affert: quòd intelligendum est, non solùm de necessitate consequentis, sed etiam consequentiæ. Ita habet in Concordia, quæst. 22. art. 1. disp. 2. §. *Alterum est.* In Editione Veneta non habetur hæc disputatio, exstat tamen in Commentariis, eadem quæstione & articulo.

68. Et §. *Quoniam ergò*, sententiam D. Thomæ & Boëtii de certitudine divinæ providentiæ, quoad effectus assecutionem, falsam esse dicit; & quòd non dubitaret eam errorem in fide appellare.

69. Deinde §. *Arbitror tamen*, ait: Quare non omnis ordo divinæ providentiæ est certus, immobilis, & indissolubilis quoad effectus assecutionem.

70. Articulo 4. ejusdem quæstionis §. *Illud igitur*, inquit: Nulla ratione admittendum est, effectus omnes qui in hoc mundo eveniunt, prævisos esse à Deo, ut ita fierent.

71. Et §. *Hinc patet*: Interfectiones, quibus aliqui interdum, præter ipsorum spem, à grassatoribus interficiuntur, suffocationesque aliorum in fluminibus, & his similia; cum saltem à peccato primorum parentum tanquam pœnæ ex eo subsecutæ pendeant &c. certitudini divinæ providentiæ inniti; eaque sublatâ non esse certos hujusmodi effectus. Et articulo 2. §. *Circa effectus*, idem docuerat.

72. Paragrapho *Illud etiam*, Cajetano dandum non est divinam providentiam, qua

quà divina providentia est, includere assecutionem finis, ad quem media præparavit. &c.

73. Et articulo 1. disp. 2. §. *Ex his*, docuerat ordinem divinæ providentiæ in multis frustrari posse, & frustratum esse &c.

In eadem Congregatione, de Prædestinatione.

74. Acturus Ludovicus Molina de Prædestinatione in Concordia quæst. 23. art. 1. & 2. disp. 3. cùm præmisisset, quid prædestinationis nomine intelligatur, articulo 3. definit, quid sit reprobatio, qui etiam illius effectus. Posteà verò novum paragraphum exorditur in hunc modum: Advertendum tamen est, splendorem divinæ justitiæ in damnatis. non solùm non fuisse solum & integrum finem, ob quem Deus statuerit permittere peccata, sed neque ulla ratione videri concedendum fuisse vel præcipuam, vel tantùm totius finis partem, quæ sola sufficeret, ut Deus vellet peccata permittere. Absit namque à fidelium cordibus, de totius bonitatis & clementiæ fonte suspicari, vel solam vel præcipuam rationem, quare peccata permittere voluerit, fuisse ut cum tantâ creaturarum jacturâ & damno, haberet quòd puniret, & in quo justitia ipsius splenderet.

Hic Paragraphus fuit additus post 1. Editionem. 75. Articulo 4. & 5. disput. 1. membro 6. §. *Utrum autem*, D. Thomæ sententiam de prædestinatione duram nimis sentit. Unde quibusdam præmissis, quibus D. Thomæ mentem excusare videtur, addit: Mihi non est dubium, non tam durè de prædestinatione & reprobatione sensisse, quàm durè sentiunt, qui auxilia ex se efficacia prædefinitionesque per concursum Dei ex se efficacem constituunt.

76. Deinde §. *Quod ad Augustinum attinet*, agens de Augustini sententia, inquit: Multùm sanè eo tempore nonnullos ex fidelibus turbavit eâ quippe sententiâ contineri videbatur illud secundum valdè durum, quòd multos hodie amplecti ac defendere, paulò ante diximus.

77. Paucis verò interjectis inquit, se suspicari Augustinum & Thomam si fuissent consulti de communi Scholasticorum sententiâ, continuò responsuros fuisse, Prædestinationem & Reprobationem non sine præscientiâ qualitatis usûs liberi arbitrii, habitâque consideratione illius usûs factam esse. Interim verò, dum sub ea quasi caligine D. Augustinus ad hoc non attendit, arbitratus primo aspectu, cum sua de prædestinatione opinione esse conjunctum &c.

78. Cùm interim finxisset, velle se Divum Thomam & Augustinum interpretari, potiùs quàm negare, §. *Ex his patet*, contumeliosè in eos agit. Immò verò, inquit, Esto hi duo Patres in eam sententiam inclinassent, salvâ eorum reverentiâ, quæ illis debetur maxima, quoad illud secundum admittenda non esset. Quæ enim non dicam bonitas & clementia, sed æquitas patitur, ut nullâ omninò usûs liberi arbitrii habitâ ratione, eo vel solo, vel præcipuo fine Deum certos quosdam homines ex æternitate elegerit & prædestinaverit; reliquos verò pœnè innumeros, non electos & non prædestinatos reliquerit, sciens continuò eos futuros reprobos, ut haberet quos puniret, & in quibus justitiam suam vindicativam commendaret? Certè potiùs duri, & feri atque crudelis, &c. eaque ratione magis obscuraretur divina justitia, quàm commendabilis redderetur.

79. Rejectâ itaque Sancti Thomæ & Augustini sententiâ, suam de Prædestinatione opinionem explicaturus, mem. 11. §. *Secunda Conclusio*, ita inquit: Licet adultus ita prædestinatus certò, hoc est absque ulla deceptione Dei, vitam æternam consequeretur; certitudo tamen non est ex parte mediorum, effectusque Prædestinationis, sed ex parte divinæ præscientiæ, qua Deus altitudine, illimitatâque perfectione sui intellectus, certò cognoscit prædestinatum taliter pro sua libertate cooperaturum per suum arbitrium, ut eisdem mediis, in vitam æternam re ipsâ debeat pervenire &c. contenditque nihil omninò firmo prædestinationis fundamento impediente, in potestate cujusvis adulti esse positum, emendare se, fierique vas in honorem, sive in contumeliam.

80. Et §. *Tertia Conclusio*, asserit idem de certitudine Prædestinationis parvulorum: Non est, inquit, ex certitudine mediorum effectusve prædestinationis, qui in se non est certò futurus, sed ex certitudine divinæ præscientiæ, qua Deus altitudine sui intellectus, quod in se est incertum, cognoscit certò futurum.

81. Deinde §. *Septima conclusio*, ait, Prædestinationis adulti, quoad actum voluntatis divinæ, per quem completur ratio prædestinationis, nempe quoad propositum conferendi illi ea media, quibus Deus altitudine sui intellectus prævidit illum pro sua libertate perventurum in vitam æternam; nec rationem nec conditionem dari ex parte prædestinati: Præscientiæ tamen, qua Deus ante eum actum id prævidit ex hypothesi, quòd ex sua parte conferre illi velit ea media, dari conditionem & rationem

nem ex parte usus, seu cooperationis liberæ talis prædestinati, sine qua ea scientia non præextitisset in Deo.

82. Hinc colligit, §. *Octava Conclusio*: Ex eadem libera cooperatione talis prædestinati pendere, ut prædestinatio, quæ re ipsâ jam ex æternitate fuit in Deo, quòd reliquum quod ipsa prædestinatio includit, sortiatur rationem prædestinationis, vel retineat solam rationem providentiæ circa illum in beatitudinem.

83. Tandem §. *Hinc jam facile*, conatur quam multis verbis persuadere, non esse magis perfectam providentiam, quantùm est ex parte Dei & auxiliorum gratiæ, circà electos, quàm circa reprobos.

84. Sequenti verò Paragrapho, necnon §. *Ut verò*, Nititur confirmare unam & eamdem rationem Dei æternam providendi unicuique adulto, sive is sit de numero prædestinatorum, sive non, pendere à qualitate usus liberi arbitrii ejusdem prævisi, vel quòd rationem prædestinationis illius habeat, vel providentiæ duntaxat circa illum, in beatitudinem.

85. Unde §. *Duo* sic colligit, Quòd verò hæc aut illa providendi ratio tali adulto in particulari, rationem habeat aut non habeat prædestinationis comparatione illius, ex eo etiam pendet, quòd ipse uno vel altero modo per suum arbitrium sit cooperaturus.

86. Angeli boni non fuerunt prædestinati, nisi ex prævisione boni usus liberi arbitrii ipsorum. Ita ut decretum providendi illis eo modo, quo rationem habuit prædestinationis, sicut ab usu liberi arbitrii Angelorum, in unam aut alteram partem, pro sua innatâ libertate futura sit dependens, tanquàm à conditione sine qua non, quòd ratio & decretum providendi illis eo modo, vel haberet rationem prædestinationis, vel solùm providentiæ singulorum in beatitudinem. Ita docet in Concordia, quæst. 23. art. 4. disp. 1. mem: 11. §. *Possumus confirmare*. In impressione Veneta, in Comment. ad 1. partem, eadem quæstione & disputatione. In Ulisipponensi, eadem disputatione membro 9.

87. Paragrapho *Quinta Conclusio*, docet, prædestinationis parvulorum, quoad integrum illius effectum, non dari causam seu rationem ex parte eorum, sed in Dei voluntatem, tanquam in causâ reducendam esse.

88. Sed postea ultimo paragrapho, hanc constituit postremam Conclusionem: Id unde fuit dependens, quod rationem prædestinationis parvulorum haberet ratio illis providendi, voluntasque divina ex sua parte, illis conferendi ea media quibus beantur, est non solum ipsa libera parentum conjunctio ad generationem, & cætera quibus prolis conservatio, usque ad susceptionem remedii contra peccatum originis pendet, sed etiam libera ipsa remedii applicatio, à quocunque ea fiat.

89. Admodum verisimile est, animam Christi & B. Virginis ea ratione fuisse prædestinatas in tantam dignitatem; quia prævidit Deus illas pro sua innatâ libertate bene usuras suo arbitrio. Ita docet in Concordia, quæst. 23. art. 4. disp. 1. mem. 11. §. *Illud etiam*: In editione Ulisipponensi membro 9.

Observandum, Ludovicum Molinam, non semel in sua Concordia, & in Commentario ad 1. partem S. Thomæ & Augustini doctrinam de prædestinatione veram asserere. Sed cum in hac re parum sibi constet, hæc circumstantia magis suspectam reddit ipsius doctrinam.

Nam in Commentariis ad 1. partem, quæst. 22. art. 4. §. *Illud etiam Cajetano* asserit, Deum electis suis Beatitudinem, & media ad illam assequendam necessaria, non quidem voluntate simplici & absolutâ conferre, sed conditionatâ voluntate, si ipsi idem quoque velint. Deinde verò eodem paragrapho infert, divinam prædestinationem non esse certam, ex divina electione salvandorum, & quòd eos prædestinaverit, sed quod ab æterno prævideris eos bene usuros suo libero arbitrio. Et quæstione 23. art. 4. & 5. disp. 1. membro 6. §. *Nunc ad Augustini*, qui fuit additus post primam editionem: Et membro 11. Conclusione 4. & 6. latè docet non dari causam vel conditionem sine qua non ex parte prædestinati. Tamen Conclusione 7. oppositum docet. Tradit enim, præscientiam, qua Deus prævidit per hæc media vel auxilia Petrum illis benè utentem perventurum ad gloriam, præcedere in Deo prædestinationem Petri: illius verò perseverantiæ dari causam ex parte prædestinati, nempè bonum usum liberi arbitrii. In quo longe decipitur. Agens enim per intellectum & voluntatem, priùs vult finem, quàm media ad illum. Deinde satis aperit mentem suam. Si enim bonus usus esset causa præscientiæ, idem etiam esset causa prædestinationis. Quidquid enim est causa antecedentis, est causa consequentis.

Cùm autem argumentorum pondere premeretur, confugit ad novam quandam distinctio-

distinctionem, ut aliud sit quærere, An Deus prædestinaverit aliquos pro qualitate, vel propter qualitatem boni usus liberi arbitrii à Deo prævisi, ita ut illa qualitas talis boni usus, sit causa & conditio sine qua non prædestinationis: aliud verò sit quærere, An illius præscientia boni usus liberi arbitrii, à qua pendet prædestinatio, detur causa sive conditio sine qua non. In primo sensu dicit, Patres & Doctores disputasse de proposita quæstione, quibus assentitur, talem qualitatem boni usus liberi arbitrii, non esse causam prædestinationis. In secundo verò sensu, sub quo dicit Patres non disseruisse de hac quæstione novâ, suam constituit conclusionem: Prædestinatio adultorum fuit secundùm præscientiam boni usus, habuitque Deus rationem illius in eis prædestinandis. Ita habet citata disputatione §. *Illud magnopere.*

Membro verò 9. §. *In prædestinatione*, aliâ se munit novâ distinctione. Observa, ait, me non dixisse, Prædestinatos esse propter propria merita, sed per propria merita.

In edit. Vlissipp. est membr. 8.

Cum autem hæc expressè locis citatis docuerit eademmet disputatione, membro 13. §. *Quod verò Deus*, oppositum omninò docet: neque ullam prorsus investigandam esse causam prædestinationis, præter divinam voluntatem.

In edit. Vlissipp. est memb. 10.

Verùm homo parùm sibi constans, §. sequenti, qui incipit, *Dicimus nihilominus*, reducit causam prædestinationis ad præscientiam boni usus liberi arbitrii. Et §. *Si ergo*, Certitudinem prædestinationis constituit in scientia illa media, quâ prævidit bonum vel malum usum arbitrii hominum. Quamobrem colligit §. *Hinc jam facile*: quòd si non essemus bene usuri nostro libero arbitrio, non fuissemus à Deo prædestinati.

Ex quibus liquidò apparet, voluisse quidem Molinam docere, bonum usum liberi arbitrii prævisum à Deo, esse causam prædestinationis: sed propter efficacissimas rationes, quibus nititur doctrina S. Augustini & S. Thomæ, varia diverticula quæsisse. Ac tandem, eadem disputatione, membro ultimo §. *Quantum est*, satis apertè mentem suam expressit, cùm hanc opinionem constituerit, tanquàm scopum totius Operis, & præcipuum fundamentum novæ suæ rationis, conciliandi liberum arbitrium cum gratiæ donis.

VII.

SCRIPTA

Ab utraque parte ultimò data, ad exponendam utriusque Scholæ doctrinam, in amica collatione anno 1599. tentata, & absoluta anno 1600.

Responsio Patrum Societatis ad tres Cardinalis Madrutii Quæstiones, data die 5. Augusti 1599.

Ad Caput 8 Libri 2. Historiæ Anxil.

ETsi putamus cumulatè jam satisfactum à nobis, iis omnibus quæ hic quæruntur, quò tamen clariùs appareat, quantopere veritatem perspici cupiamus, ad eadem iterum respondere conabimur; illud obnixè, quod omnino æquissimum videtur, petentes, ut quid de his quæ à nobis proposita sunt Patres Dominicani sentiant, dicere ne recusent.

Gratia efficax dupliciter (1) accipi potest: primò pro ea quæ, ex S. Augustini sententiâ, facit (2) ut voluntas convertatur, & piè operetur: secundò pro ea quæ simul cum voluntate conversionem & piam operationem producit.

Si primo modo accipiatur prævenientis gratiæ efficacia, (3) existimamus ex S. Augustini & aliorum Patrum & Scholasticorum sententiâ, non posse consistere in aliqua simplici entitate, quæ informando voluntatem & physicè eam prædeterminando, faciat ut voluntas convertatur & piè operetur. Quare ut explicemus in quo propriè & formaliter consistat, tria in gratia efficaci hoc primo modo acceptâ distinguenda sunt. Primum est motio (4) intrinseca & realis vis ad movendum voluntatem: secundum est congruitas, quâ ea motio congruit & contemperatur voluntati: tertium est infallibilitas qua conversio

ſio conſequitur gratiam congruam, & contemperatam voluntati. In primo quidem convenit (5) gratia efficax cum ſufficienti, ſed ab illa differt in aliis. Nam licet utraque ſit intrinſeca motio, & realis vis ad movendam voluntatem; efficax ſemper eſt voluntati congrua (6) & contemperata, ad illamque infallibiliter converſio ac pia operatio ad quam movet, conſequitur; cùm à nullo duro corde reſpuatur: (7) quod non habet ſufficiens.

Ad hanc autem infallibilitatem, ex S. Auguſtini ſententia non ſatis eſt ipſa entitas motionis, cùm non prædeterminet (8) phyſicè voluntatem: Immò nec ſola congruitas ejus motionis cum voluntate: ſed præterea requiritur præſcientia Dei, qua certò & infallibiliter (9) præſcit ejuſmodi motionem aptari & congruere voluntati, ut, ſi per eam præmoveatur, ſit præſtitura ſuum conſenſum. Motio ergo congrua, & præcognita (10) à Deo in talibus circumſtantiis habitura conſenſum, eſt gratia efficax. Et iis tribus ejus efficacia completur.

Sed jam ad hujus efficacis gratiæ cauſas explicandas accedamus, & ad reſponſiones ad quæſtiones propoſitas.

Circa primam, certum eſt primùm, hanc efficacem gratiam à Deo eſſe ex intentione efficaci, ac propoſito abſoluto (11) convertendi hominem. Qua de cauſa, ſæpè Auguſtinus hanc gratiam vocat, ſecundùm propoſitum.

Secundò exiſtimamus, ſi ſermo ſit, ut eſſe videtur, de ſola cauſa propriè efficienti, totam gratiæ prævenientis efficaciam eſſe à ſolo Deo, ſicut à ſola & totali propriè efficienti cauſà liberè operante, non autem à Deo & à libero arbitrio, ut à duabus cauſis propriè liberè efficientibus; nihilominus eandem efficaciam gratiæ prævenientis, (12) cùm ſit quædam vitalis motio, à voluntate aliquo modo eſſe, non quidem ſicut à principio liberè agente, ſed ante ullum liberum conſenſum vitaliter influente.

Tertiò dicimus, auxilium prævenientis gratiæ (13) non eſſe completè efficax, præcisè de ſe, hoc eſt, ex ſola ipſius motionis naturâ: nec reperiri exiſtimamus Doctorem Calvino antiquiorem, qui gratiam prævenientem de ſe efficacem eo ſenſu dixerit; ut adnotarunt viri doctiſſimi, qui contra Calvinum ſcripſerunt. Etenim ſi talis motio de ſe haberet infallibilem connexionem cum libero voluntatis conſenſu, nullo modo ſineret voluntatem ſua ad aſſenſum uti libertate. Idcircò ſuprà diximus, nec ſolam intrinſecam gratiæ motionem, immò nec ejus congruitatem cum voluntate ſatis eſſe, ut effectus ad quem movet, infallibiliter conſequatur, niſi accedat certitudo divinæ ſapientiæ, ut ibidem declaravimus.

Quartò aſſerimus, idem auxilium præveniens, ut eſt præcisè à Deo, ejuſque ſapientiâ & voluntate, ſine alia cauſa liberè agente, eſſe completè efficax in genere gratiæ prævenientis. A Deo enim accipit entitatem & vim agendi ſupernaturalem & quam habet cum voluntate congruitatem, & denique infallibilitatem (14) ad voluntatis converſionem, quatenùs procedit ab eo præcognoſcente voluntatem in talibus circumſtantiis tali gratiæ, ex ipſius gratiæ motione, eſſe conſenſuram.

Quintò, licet efficacia prævenientis gratiæ ſit à ſolo Deo, ſicut à cauſà propriè ac directè illam efficiente, nec in ſua entitate ac vi ſupernaturali, à libertate voluntatis ullo modo dependeat, infallibilis tamen ejus cum futuro conſenſu connexio (15) quæ in completa efficaciâ etiam comprehenditur, cùm ſine libero arbitrio, ex motione gratiæ operaturo, ſecundùm fidem eſſe non poſſit; aliquo modo ab ea eſſe debet, ſaltem remotè & indirectè; (16) non quidem tanquàm à cauſa in ipſam gratiam ullo modo influente, aut ex ſe propriâ virtute operatura: ſed ſicut à cauſa minùs præcipuâ, Deoque ſubordinatâ, ex motione gratiæ cum ipsâ gratiâ conſenſum effecturâ, ad quem, tanquam ad effectum, efficacia completè refertur, & cum quo infallibiliter connectitur.

Ad ſecundam quæſtionem reſpondetur, in poteſtate liberi Arbitrii ſitum non eſſe, auxilia prævenientis gratiæ efficacia propriè reddere, quaſi in illa arbitrium noſtrum vim aliquam aut efficaciam influat, aut faciat ut illa operentur; cùm potiùs è contra, auxilia ipſa efficacia efficiant, ut liberum arbitrium operetur. Eſt tamen in poteſtate liberi arbitrii, quam habet ab ipſa motione ſupernaturalis gratiæ, pium conſenſum efficere, ſine ordine ad quem tanquam ad effectum, infallibiliter ex gratia & libero Arbitrio futurum, prævenientis gratiæ auxilia efficacia non ſunt; ratione cujus ordinis aut reſpectus ſi quis eodem ſenſu (17) quo dicimus, ſine illo reſpectu ea auxilia efficacia non eſſe, & cum illo efficacia eſſe, diceret ſine illo non reddi efficacia, & cum illo efficacia reddi; certè cum eo quæſtio de nomine ſolùm eſſe videretur.

Denique in poteſtate arbitrii noſtri ſitum eſt, ut auxilia gratiæ prævenientis propriè inefficacia ſint aut reddantur. Non quidem

quia liberum Arbitrium virtutem intrinsecam, quam per se aut ex se illa auxilia habent, ipsis detrahat aut detrahere possit; sed quia potest illis resistere (18) & obicem ponere, ne aliquid necessariò connotatum ponatur, sine respectu ad quod hæc gratiæ auxilia completè efficacia non sint. Quod satis est ut non impropriè dicatur illa reddere inefficacia, hoc est, non habentia illud efficaciæ complementum, quod ordinem ad consensum infallibiliter ex gratia & libero arbitrio futurum comprehendit.

Ad tertiam quæstionem respondetur. Posito gratiæ omnibus modis prævenientis (19) auxilio verè & propriè efficaci, stare potest simul cum tota ejus intrinseca entitate, virtute, ac motione, dissensus liberi Arbitrii: (20) non tamen stat nec stare potest (21) cum ordine gratiæ ad consensum, ex ipso & libero arbitrio infallibiliter futurum; quem tamen ordinem in efficaciæ completa ratione diximus comprehendi. Et hæc de gratiæ efficaciâ primo modo acceptâ.

Si verò gratia efficax secundo modo accipiatur, pro ea quæ simul cum voluntate conversionem & piam operationem producit, ad prædictas quæstiones facilè respondeti potest.

Ad primam siquidem respondetur, totam efficaciam auxilii prævenientis gratiæ, non esse à Deo tanquam sola, totali, & propriè efficiente causa; (22) sed potiùs esse à Deo & libero Arbitrio, ut à duabus causis propriè efficientibus; (23) quarum liberum arbitrium Deo in agendo subordinatur: unde tale auxilium nec de se, nec ut est præcisè à Deo, completè est efficax eâ efficaciâ, quæ efficientiam actualem involvit. (24)

Ad secundam. In potentia naturali liberi Arbitrii situm non est, auxilia prævenientis gratiæ propriè reddere efficacia, hoc est, vim aliquam aut efficacitatem absolutè ipsis tribuere; (25) in ejus tamen supernaturali potestate, quam ex gratiæ motione habet, situm est pium consensum efficere, quo sicut constituitur ac redditur actu efficiens, ita etiam efficax, (26) juxta hanc secundam acceptionem.

At in potestate naturali liberi arbitrii situm est, auxilia prævenientis gratiæ propriè inefficacia reddere; non quia possit ab illis virtutem quam per se habent auferre; sed quia impedire potest, ut non efficiant, ac proinde facere ut non sint efficacia, ea efficacitate, quæ cum actuali efficientiâ conjuncta est, de qua nunc agimus.

Ad tertiam. Posito in voluntate gratiæ prævenientis auxilio verè & propriè efficaci, cum tota ejus entitate & intrinseca virtute: (27) stare simul potest dissensus voluntatis humanæ: cum integrâ tamen ac completâ prævenientis auxilii efficaciâ, quia actualem ipsam efficientiam consensus involvit, nec stat nec stare simul potest dissensus voluntatis.

OBSERVATIONES FF. PRÆDICATORUM

Circa has Responsiones Patrum Societatis, ad Ultimas Quæstiones ab Illustrissimo Madrutio propositas.

1. DIstinctio videtur redundans: quia quæstiones solùm loquuntur de efficaciâ auxilii prævenientis. Rursus hæc distinctio non sic est accipienda, ut gratia efficax præveniens, & gratia efficax coadjuvans, sint duæ gratiæ entitativè distinctæ: solùm enim distinguuntur juxta diversos effectus, sicut de gratia operante & cooperante sæpiùs habet D. Thomas. *Numeri istarum observationum respondent numeris qui Superioris Responsionis litteris inferri habentur.*

2. Facit gratia efficax, ut voluntas convertatur & piè operetur; non tamen suadendo, disponendo, consiliando, præcipiendo, aut etiam proponendo interiùs congrue & opportunè objectum, sed etiam efficiendo & propriè ac realiter causando per modum agentis & transmutantis voluntatem de uno in aliud, ac demùm ex nolente volentem faciendo.

3. Et nos existimamus, ex S. Augustini & D. Thomæ sententiâ aliorumque Patrum ac Scholasticorum, efficaciam auxilii prævenientis gratiæ consistere in reali & intrinseca motione, receptâ in intellectu & voluntate, ex cujus sola vi & virtute voluntas juxta modum suum præparatur proximè ad gratiam, & tanquam a prima causa supernaturali prædeterminatur à Deo priùs natura & ordine causalitatis, non autem tempore, ut latiùs dicetur numero nono.

4. Et nos ponimus motionem intrinsecam, & realem vim ad movendum efficaciter, ut dictum est, sed distinctam realiter à motione gratiæ sufficientis; quam tamen Patres Societatis, eandem esse realiter cum gratia sufficienti intelligere videntur.

5. Si convenire intelligant in genere, quòd utraque sit intrinseca motio ac realis vis, fatemur: si autem velint ita convenire, ut sit eadem numero motio; negamus, ut superiùs dicebatur.

6. Congruit, non congruitate quam invenit,

inveniat & præsupponat, sed quam verè & realiter ipsa faciat.

7. Verè durum cor invenit gratia efficax; at id suâ vi & efficaciâ emollit ac frangit. Nulla itaque alia congruitas est imaginanda, nisi ea quam ipsamet efficax motio realiter causat.

8. Si nomine prædeterminationis physicæ intelligant prædeterminationem ad unum, imponendo necessitatem, sicut est in rebus naturalibus; absit ut gratia efficax, seu Deus per gratiam efficacem ita prædeterminet voluntatem. Si autem intelligatur gratia Dei quæ efficit quòd voluntas infallibiliter liberè se determinet, tanquam secundum determinans liberum sub potenti manu primi determinantis, verissimum est, Deum hoc modo physicè seu efficaciter prædeterminare voluntatem priùs naturâ, simul autem tempore.

9. Hæc infallibilitas non potest certò colligi ex præscientia Dei ante decretum.

10. Ex his patet, apud Patres Societatis nullum dari auxilium efficax, quod quatenus efficax sit intrinsecum voluntati; siquidem congruitas & præscientia, quæ secundùm illos faciunt auxilium esse formaliter efficax, sunt extrinsecæ voluntati; quod tamen falsùm omninò arbitramur.

11. Admittimus primum dictum, ut jacet. Advertimus tamen juxta sententiam Patrum Societatis, illud Dei propositum esse non posse re verâ & propriè absolutum: quandoquidem secundùm illos non datur tale propositum in Deo, nisi præsuppositâ præscientiâ consensus liberi arbitrii futuri ex hypothesi: qui sanè consensus est objectum suæ illius Scientiæ-mediæ.

12. Falsum est quòd efficacia auxilii prævenientis gratiæ formaliter pro ipsa vi & virtute auxilii, sit vitalis motio, & per consequens propriè loquendo non est, ut sit à voluntate vitaliter influente, sed à solo Deo, qui solus dat vires efficacissimas eidem voluntati, & facit ut faciamus.

13. Nos contra, dicimus quòd potiùs tota efficacia auxilii prævenientis gratiæ consistit in illa motione de se & ex naturâ sua, hoc est, secundùm virtutem intrinsecam, quam habet à Deo, per quam ipse efficit quòd nos liberè & infallibiliter cooperamur. Unde si in recto & catholico sensu expendatur illa dictio, *per se sive ex se ipsa*, quatenus est quasi instrumentum efficacissimum Dei voluntatis, per quod voluntas nostra juxta modum suæ naturæ movetur à Deo, Doctores impio Calvino (quem dolemus inter Doctores numeratum legere) longè antiquiores, & præcipuè Sancti Augustinus & Thomas, in hoc sensu ipsum docuerunt. Nam Calvinus, non minùs impius quàm insipiens, eâ phrasi usus est, ut intelligeret gratiam prævenientem, de se vel ex se ipsa esse efficacem, quæ sola totum operatur, & per quam nos liberè non cooperamur. Unde ineptissimè hanc consequentiam fecit: Auxilium prævenientis gratiæ est de se efficax, ergo tollitur libertas arbitrii. Quam consequentiam Patres Societatis in hoc scripto recensent & approbant; cùm tamen viris doctis & piis ridicula sit.

14. Non est cognoscibile infallibiliter, etiam à Deo, neque sequitur infallibiliter ex tali præscientiâ, quòd si sola auxilia gratiæ sufficientis dentur homini, in quibuscunque circumstantiis loci & temporis, infallibiliter consentiet; sed ad hujusmodi præscientiam infallibilem prærequiritur, quòd adsit in Deo decretum dandi novum auxilium reale gratiæ efficacis.

15. Hæc connexio infallibilis, & virtualiter in ipsa vi intrinseca auxilii efficacis, tanquam in sua causa efficienti. Nam per illud auxilium efficit Deus fortiter & suaviter, quòd voluntas infallibiliter & liberè consentiat, & piè operetur; neque in ista ratione dependet ullo modo, vel remotè, vel indirectè, ab ipsa voluntate. Actualis autem connexio, qua in exercitio connectitur tale auxilium cum consensu & pia operatione, non fit sine nostro arbitrio liberè consentiente & operante; cum non sola gratia efficax, sed liberum etiam arbitrium motum efficaciter ab illa, talem consensum eliciat, & piam operationem exerceat.

16. Nostrum liberum arbitrium, motum efficacis gratiæ auxilio, non remotè & indirectè, sed proximè & directè concurrit ad actualem connexionem, modo qui nunc explicabitur: cum sit verè causa totalis proxima illius consensus & piæ operationis, subordinata Deo.

17. Id * est de modo propriè vel impropriè loquendi: à quo eò magis ab omnibus viris Catholicis & piis cavendum est, quò vel falsum hoc supponitur, videlicet auxilia prævenientis gratiæ in se ipsis & ut veniunt à Deo non esse efficacia, vel apertè significatur. Et certè, si ille quis vel alii dicerent, nullum auxilium prævenientis gratiæ esse efficax ex natura intrinseca motionis divinæ, & reali vi ipsius ad movendum liberum arbitrium, ut infallibiliter & liberè consentiat, & piè operetur; alii verò

* *fortè, illu*

verò contradicerent, nec idem esset sensus, nec esset quæstio de solo nomine, sed de re gravissima.

18. Si loquatur de auxiliis præveni entis gratiæ sufficientibus, verum est quòd liberum arbitrium potest illis resistere, & sæpe de facto resistit: sed hoc non est reddere propriè illa auxilia inefficacia, ut aliàs diximus. Si autem sermo sit de auxiliis prævenientis gratiæ intrinsecè efficacibus, potest quidem liberum arbitrium illis dissentire, si velit; nunquam tamen dissentiet: nec subinde potest reddere inefficacia auxilia, quæ prout veniunt à Deo, sunt intrinsecè efficacia.

19. Auxilium verè & propriè efficax, non est omnibus modis præveniens: quandoquidem idemmet juxta unam rationem est præveniens, qua scilicet operatur in nobis; secundùm aliam, qua videlicet nobiscum operatur, est concomitans.

20. Ecce quomodo præter motionem, alia quæ ponunt requiri ad efficaciam gratiæ, sunt extrinseca; atque adeo præter auxilium sufficiens, nihil intrinsecum ponunt in voluntate, ut latiùs numero decimo diximus.

21. Si intelligant, in sensu diviso, falsum dicunt: si in sensu composito, verissimum, ut nos sæpè diximus.

22. Respondentibus modò Patribus de gratia illa, quæ simul cum voluntate conversionem ac piam operationem producit, & eam in decursu Responsionum prævenientem dicentibus, sermo videtur minùs formalis & proprius, siquidem rationes formalis prævenientis & concomitantis gratiæ confunduntur.

23. Quamvis pia operatio sit à Deo & libero arbitrio, ut à duabus causis totalibus subordinatis, efficacia tamen & vis ipsius auxilii etiam concomitantis est à solo Deo, tanquam à causa efficiente, & illam libero arbitrio communicante: atque adeò non est à libero arbitrio, ut à causa efficiente; ut vis Solis communicata generanti proximo, non est à generante.

24. Remittimus nos ad numerum 12.

25. Confundunt vim causæ cum actuali ejus operatione, ut dictum est numero decimo quinto.

26. Fit utique actu efficiens formaliter per suam operationem, quæ est consensus; non tamen per ipsam redditur efficax: sed totam efficaciam recipit ab auxilio efficaci prævenientis gratiæ, à Deo collato.

27. Remittimus ad numeros 20. & 21.

NOTATIONES PP. SOCIETATIS,

Ad Superiores Observationes PP. Prædicatorum: datæ ab Illustrissimo Card. Bellarmino 17. Novembris, & transmissæ ad R. P. Procuratorem Gen. Ordinis S. Dominici, die 19. Novemb. 1599.

IN numero 1. Patres Dominicani asserunt redundare distinctionem, qua nos utimur, cùm sit tantùm quæstio de gratia præveniente. Respondemus gratiam efficacem dupliciter accipi; & pro ea quæ facit ut voluntas convertatur, & pro ea quæ simul cum voluntate conversionem efficit.

Nos verò eam distinctionem necessariam existimamus: cùm gratia præveniens non solùm dicatur efficax in actu primo, quatenùs subest scientiæ & directioni Dei, qui per eam facit ut homo infallibiliter convertatur; sed etiam dicitur efficax in actu secundo, ut est efficiens ipsam conversionem; qua ratione Fulgentius dixit gratiam prævenientem adjuvare.

In 2. numero, ajunt gratiam efficacem facere ut voluntas convertatur, non tamen suadendo & proponendo interiùs congruè objectum, sed etiam propriè & realiter suadendo per modum agentis. Hæc certa sunt & citrà dubitationem, coram illustrissimis communi consensu constituta, die 16. Maii: quare frustra repetuntur, quasi de illis usquam fuerit inter nos controversia.

In numero 3. ita loquuntur: Efficacia auxilii prævenientis gratiæ consistit in reali & intrinsecâ motione, recepta in intellectu & voluntate, ex cujus solâ vi & virtute voluntas juxtà modum suum præparatur proximè ad gratiam. Hoc minimè probandum videtur. Quamvis enim voluntas, dum præparatur proximè ad gratiam, potissimè agat in virtute gratiæ, non tamen ex sola vi & virtute illius, sed propriâ etiam activitate prævenienti gratiæ liberè consentit, & Deo adjuvanti cooperatur; id quod vel ipsum adjuvantis nomen ostendit, ut dicit S. Augustinus: adjuvari enim non potest, nisi qui aliquid sponte conatur.

In eodem numero 3. addunt, voluntatem nostram priùs naturâ & ordine causalitatis à Deo prædeterminari. Hoc existimamus sanæ & antiquæ doctrinæ, præsertim S. Augustini & Thomæ, adversari, non posse stare cum indifferenti potestate consentiendi & dissentiendi gratiæ prævenienti, quam esse in libero arbitrio per gratiam moto & excitato

excitato, Concilium Tridentinum apertè definivit: & quia sequeretur similem Dei prædeterminationem esse necessariam ad alias operationes naturales, etiam ad realem entitatem actus peccati.

Numero 4. dicunt, videri nos intelligere, eamdem esse motionem gratiæ efficacis cum gratia sufficienti. Nulla sunt nostra verba, in quibus id insinuetur; sed potiùs numero 5. & sequentibus non obscurè significatur contrarium. Censemus enim motionem gratiæ efficacis illam esse, per quam Deus facit ut homo velit, & quæ à divina sapientia & voluntate procedit, ut efficax medium quo voluntas infallibiliter convertatur; motionem verò gratiæ sufficientis illam esse, per quam Deus tribuit homini ut possit converti. Addimus tamen motionem, quæ est gratia sufficiens, potuisse à Deo procedere ut efficacem, hoc est, ut medium efficax ad faciendum ut homo infallibiliter convertatur. Quòd verò PP. Dominicani hìc significant, in his qui convertuntur necessarias esse simul duas motiones realiter diversas, alteram gratiæ sufficientis, alteram gratiæ efficacis, nobis non probatur: tum quia positâ hac efficaci, prior illa quæ dicitur sufficiens superflueret: tum maximè, quia illa prior non erit re verâ sufficiens, quando existeret sine altera, quæ etiam dicitur antecedenter esse necessaria.

Numero 5. dicunt, motionem gratiæ efficacis in genere convenire cum motione gratiæ sufficientis: has autem motiones numero differre. Si velint motionem gratiæ efficacis in genere tantùm convenire cum motione gratiæ sufficientis, ita ut in specie motionis nequeant convenire, falsum esse arbitramur: alioquin ex sua intrinsecâ naturâ & essentiâ, motioni gratiæ sufficientis repugnaret, sine alia motione habere effectum: ac proinde non esset vere sufficiens: distinguuntur tamen illæ motiones, in ratione gratiæ & beneficii Dei.

Numero 6. & 7. affirmant, gratiam esse congruam, non congruitate quam motio divina præsupponat, sed quam ipsa realiter causet & efficiat. Nos verò putamus, si de congruitate gratiæ sit sermo, illam propriè non esse effectum diversum ab ipsa gratia, qui ab ipsa realiter efficiatur; sed potius esse ipsam talis gratiæ entitatem, comparatam cum tali voluntate, tali modo, & in talibus circumstantiis existente, in quibus si per eam præveniatur, illa consensura sit. Si verò sermo sit de circumstantiis ex quibus nascitur, ut uni congruat quædam motio gratiæ, quæ non congruit alteri; certum est aliquas illarum non effici à gratia efficaci, sed ab eadem præsupponi, interdùm ex naturali temperamento, aut ingenii, ut S. Augustinus ait; interdùm verò ex ablatione tentationum, & externâ prædicatione, & similibus; quæ licet dona sint & gratiæ divinæ, supponuntur tamen ad eam motionem gratiæ efficacis, de qua est sermo.

Numero 8. Deum ajunt Physicè efficaciter & priùs naturâ prædeterminare voluntatem hominis, non tamen imponendo illi necessitatem. Addunt deinde, Deum Physicè determinando voluntatem, facere ut ipsa voluntas se determinet. Hæc inter se pugnare existimamus: cum antecedens prædeterminatio ad unum, nihil aliud sit quàm impositio necessitatis. Id enim quod inducit determinationem antecedentem, necessariò tollit vel impedit antecedentem indeterminationem & indifferentiam, quæ est de ratione libertatis. Illud etiam involvit contradictionem quod dicunt voluntatem à prima causa priùs naturâ determinatam, determinare se ad operandum. Id enim tantùm ad agendum se determinat, quòd priùs naturâ quàm se determinet, intelligitur esse indifferens & indeterminatum, nec à priori causâ determinatum est.

In numero 9. ajunt ex præscientia Dei ante decretum divinæ voluntatis, non posse infallibiliter cognosci, positâ tali motione hominem consensurum. Oppositum videtur certum, etiam in sententiâ PP. Dominicanorum. Nam si gratia est de se efficax, & ex propria naturâ habet infallibilem connexionem cum subsequenti consensu, ut dicunt numero 12. & 15. fateri necesse est, Deum ante liberum suum decretum, cognoscendo talis gratiæ naturam, cognoscere etiam consensum, ut futurum sub conditione quòd talis gratia ponatur.

Nos verò ob aliam rationem id affirmandum putamus. Quia Deus non habet efficax decretum ad aliquid faciendum, nisi cognoscat modum quo illud exsequi possit, nec antequam cognoscat media, quibus consecuturus sit illud quod intendit. Ea autem media cognoscit Deus scientiâ qua cognoscit, Tyrios & Synodios acturos fuisse pœnitentiam, si apud illos factæ essent virtutes, quæ apud alios factæ sunt. Eandem sententiam Augustinus manifestè tradit, dum inquit: *Cujus autem miseretur Deus, sic vocat, quomodo scit ei congruere, ut vocantem non respuat.*

Numero 10. colligunt, apud Patres Societatis

cietatis nullum dari auxilium efficax, quod quatenus efficax sit intrinsecum voluntati: quia congruitas & præscientia, quæ secundùm eosdem Patres Societatis faciunt auxilium infallibiliter efficax, extrinsecæ sunt voluntati. Non est legitima collectio. Nam auxilii efficacis entitas & congruitas intrinsecæ sunt voluntati: talis videlicet Dei motio, quam Deus in nobis in talibus circumstantiis, sine nobis liberè concurrentibus operatur: quòd satis est, ut auxilium in quantum efficax, sit illi intrinsecum. Licet enim ad infallibilem auxilii efficaciam infallibilitas divinæ sapientiæ necessaria sit, formalis tamen efficaciæ ratio non consistit in sola illa infallibilitate, sed potissimè in motione congruâ, quæ à Divinâ sapientiâ procedit, ita voluntati contemperata quemadmodum opus est, ut infallibiliter per illam convertatur.

Numero 11. Advertunt, juxta sententiam Patrum Societatis efficaciam gratiæ non posse esse à proposito absoluto: quoniam secundùm illos non est tale propositum in Deo, nisi præsuppositâ præscientiâ consensûs liberi arbitrii futuri, & hypothesi quòd consensus, inquiunt, est objectum suæ illius Scientiæ-mediæ. Observatio hæc levissimo nititur fundamento. Quia præscientia consensûs liberi arbitrii futuri ex hypothesi, quæ semper in Deo præcedit, non potest absoluto proposito derogare. Absolutum enim fuit propositum, quo Deus proposuit educere de medio iniquitatum eum, cujus anima illi erat placita, quamvis præcesserit scientia, fore ut si diutiùs vixisset malitia mutaret intellectum illius. Similiter propositum ægroti, quo proponit accipere aliquod remedium contra propinatum venenum, absolutum sanè est quamvis antè illud supponatur præscientia sanitatis futuræ, ex hypothesi si tale antidotum accipiatur. Constat ergò nullam esse illationem illam. Atque hujusmodi sunt alia, quæ cùm sint à nostra sententiâ aliena, nobis tamen tribuuntur, solùm quia simili judicio putantur ex nostrâ sententiâ colligi.

Quòd verò dicunt de Scientiâ-mediâ, si de nomine sit quæstio, parùm curamus: si de re ipsa, negare non possumus Deum conditionalia præscire. Nec hujus scientiæ inventionem nobis tribuimus, cujus autores Sanctos Patres esse constat. Quando autem non est res nova, sed antiqua, si ad majorem claritatem & distinctionem aliquid novum dicitur, nihil est absurdum: ut Vincentius Lirinensis gravis & antiquus Doctor animadvertit. Et quidem si de vocis novitate agitur, illæ voces *Physica prædeterminatio*, & *gratia de se efficax*, antiquum autorem non habent, quarum posterior à Stapletonio dicitur, novum esse Calvini commentum.

Numero 12. Falsum esse ajunt, quòd efficacia gratiæ prævenientis formaliter sumta pro ipsa vi & virtute auxilii, sit vitalis motio. Hoc non videtur congruere doctrinæ Concilii docentis, prævenientem gratiam, qua Deus nos convertit, in vocatione positum esse, id est in illuminatione, & inspiratione, & vocatione, ut dicit Augustinus, prorsùs agi & peragi ut credamus, in cogitationibus piis & in affectionibus, quibus animus imbuitur, positum esse, ut post S. Augustinum Prosper & Bernardus explicant.

Numero 13. Dicunt totam efficaciam positam esse, in motione de se & ex natura sua efficaci. Calvinum autem (quem dolent inter Doctores numeratum legere) hac phrasi usum fuisse, ut significaret solam gratiam totum operari, & ineptissimè hanc fecisse consequentiam: Gratia est de se efficax, ergo tollit libertatem: quam consequentiam Patres Societatis approbant, cùm tamen viris piis, & doctis ridicula sit.

Meritò dolent Calvinum ab aliquo inter Doctores numerari; à quo tamen, nescimus. Nos enim dicendo, nullum Doctorem Calvino antiquiorem, gratiam de se efficacem docuisse non illum tanquam Doctorem audiendum, sed tanquam novatorem refellendum; non in doctrinâ, sed in antiquitate cum Doctoribus comparavimus. Dum autem dicunt ineptissimè Calvinum fecisse illam consequentiam, minùs sibi ipsi consentiunt. Nam si ille per gratiam efficacem de se illam intellexit quæ sola totum operatur, ut interpretantur, in antecedenti fuit ineptus, non in consequentia, quæ ex illo antecedenti evidentissima est. Multò certiùs est, Calvinum nomine gratiæ de se efficacis non negasse spontaneam, hoc est, non coactam voluntatis operationem (quod Doctores Catholici asserunt, & illius verba apertè significant) sed potiùs per illam vocem significasse gratiam, quæ ex sola sua essentia sit infallibiliter efficax, ac proinde ex sua naturâ necessariò faciat voluntatem consentire, suppositâ scilicet tali gratiâ. Ex quo antecedenti non illius consequentia inepta fuit, nec est ullus gravis Doctor qui eam negaverit, & non potiùs antecedens; sicut nos à Calvini sententia omninò recedentes, cum consequenti negandum esse putamus. At

Patres

Patres Dominicani apertè concedunt illud antecedens de gratia efficaci, id est, ex sui essentia & natura infallibiliter connexâ cum hominis consensu. Quod esse contra doctrinam præcedentium seculorum, Calvinus ipse fatetur: nec concesso illo Calvini antecedente, ejus consequens negari congruenter potest. Et hoc est quod Patres Dominicani vitio vertunt, nos scilicet consequentiam approbasse. Approbamus quidem illam, ejus antecedens & consequens reprobantes: quod nihil aliud est quàm affirmare, illum in utroque consequenter errasse.

Numero 14. Dicunt, non esse cognoscibile à Deo, quòd si sola auxilia gratiæ sufficientis homini dentur, in quibuscumque circumstantiis conferantur, infallibiliter convertetur. Observatio est supervacanea: nam verba nostra in quæ illud observant, non de gratia sufficienti, sed de efficaci apertissima sunt. Ea enim auxilia dicimus efficacia, quæ à Deo præcognoscuntur, si homini dentur, esse effectum habitura: quam cognitionem in Deo esse ante decretum dandi talia auxilia, diximus ad 8. & 9.

Numero 15. Dicunt infallibilem connexionem cum subsequenti consensu, esse in intrinseca virtute auxilii efficacis, nec illam ullomodo, nec remotè quidem, à voluntate dependere. Prior pars illius observationis non videtur congruere doctrinæ Conciliorum, quæ tradunt non tale esse Dei trahentis auxilium, cui resisti non possit. Constat enim infallibilem connexionem, cum subsequenti connexu, inniti non posse in sola virtute & naturâ motionis, cui homo potest resistere. Idcirco nos asserimus, infallibilem illam connexionem efficaciæ gratiæ concurrere dependenter à præscientia Dei cognoscentis effectum ex illa esse futurum, si per eam voluntas præmoveatur. Illa verò Dei præscientia objecti veritatem requirit: quod objectum non solùm à gratia, sed etiam à libera voluntate pendet. Ac proinde infallibilis illa connexio indirectè etiam pendet à voluntate, tanquam à concausa ex motione gratiæ illum consensum effecturâ, si per eam gratiam à Deo promovetur.

Numero 16. Quæ numero 16. dicunt de dependentiâ actualis connexionis gratiæ cum consensu à voluntate tanquam à causa proximâ & directâ, sine controversia sunt.

Numero 17. Asserunt, dum divina auxilia dicuntur efficacia reddi, cum respectu ad futurum liberum consensum, præsupponi aut significari auxilia prævenientis gratiæ in se ipsis, & ut veniunt à Deo, non esse efficacia. Hanc nos consecutionem non videmus: nam si quis affirmet divina auxilia efficacia reddi per respectum ad liberum consensum tanquam ad effectum suum futurum, affirmando etiam eadem auxilia à Deo procedere, cum illo respectu ad effectum; constanter & congruenter affirmari potest, ea auxilia à Deo procedere cum infallibili efficacia, & in se ipsis & ut veniunt à Deo efficacia esse. Quòd verò addunt, quæstionem illam, An auxilium præveniens sit infallibiliter efficax ex sola sua virtute & essentia, non esse de nomine, sed potius de re gravissima. . . . . . *Deest aliquid, ad sensus integritatem.*

Numero 18. Hæc scribunt de auxiliis prævenientis gratiæ intrinsecè efficacibus: Potest liberum arbitrium dissentire si velit, nunquam tamen illis dissentiet, nec potest ea auxilia inefficacia reddere. Hæc inter se pugnant, nam si auxilia illa intrinsecè & ex natura sua efficacia sunt, quemadmodùm voluntati Dei efficaci nemo resistit, nec resistere potest, ita nec auxiliis intrinsecè efficacibus resistere aliquis poterit. Deinde si homo potest illis si velit dissentire, non esset infallibile, nunquam illis esse dissensurum. Infallibilitas enim dissensus futuri oriri non potest ex motione cui homo potest dissentire. Quare infallibilitas illa, fundata, non in præscientia Dei, ut nos asserimus, sed in naturâ auxilii, dissentiendi impossibilitatem clarè demonstrat. Præterea in quo sensu liberum arbitrium dicitur posse auxiliis intrinsecè efficacibus dissentire, etiam dici debet posse illa inefficacia reddere. Idem enim sunt posse illa reddere inefficacia, & posse facere ut non faciant. Ex eo verò quòd liberum arbitrium illis actu non dissentiat, solùm infertur nunquam illa inefficacia reddere, non verò illa inefficacia reddere non posse.

Numero 19. Advertunt auxilium propriè efficax non esse omnibus modis præveniens, quia quatenus nobiscum operatur, est concomitans. Verùm quamvis auxilium, qua ratione nobiscum operatur, sit concomitans; nihilominus tamen secundùm suam entitatem, omnibus modis, id est in omni genere causæ, dicitur esse præveniens liberum consensum.

Numero 20. Colligunt præter motionem, alia, quæ nos asserimus requiri ad efficaciam gratiæ, esse extrinseca; ac proinde præter auxilium sufficiens nihil intrinsecum voluntati à nobis poni. Verum est primum quod dicunt, præter entitatem talis congruæ motionis, alia quæ dicimus requiri ad infallibilem efficaciam, Dei scilicet

præscien-

tione alius convertitur, alius non convertitur, ex dispositione eorum qui moventur: unde ab eventu, non ex se, motio illa est efficax in uno, non in altero.

Quod autem superaddunt, motionem gratiæ efficacis illam esse, per quam Deus facit ut homo velit; & quæ à divina sapientia & voluntate procedit, ut efficax medium, quo voluntas infallibiliter convertatur, voluntariè asseritur. 1. Namque hoc auxilium morale non propriè causat, ut ex S. Thomâ diximus numero 3. nec procedit à divina sapientia ut efficax medium quo voluntas infallibiliter convertatur: quoniam hæc divina cognitio, cum sit de objecto conditionato, quod nihil ponit in esse, speculativa est, non operativa conversionis. Nec insuper à divina voluntate procedit hæc moralis motio ut medium efficax, ut voluntas convertatur; quia procedit à Deo ut à proponente tantùm objectum, monente, & consulente, cum talibus circumstantiis, non autem ut ab efficiente propriè actum conversionis. Nam, ut docet D. Thomas 1. parte quæst. 82. art. 2. & quæst. 106. art. 2. & quæst. 111. art. 2. & quæst. 3. de malo, art. 3. ab objecto non potest moveri voluntas efficaciter, nisi à Deo clarè viso: quia quodcunque bonum creatum est bonum deficiens, nec habet necessariam connexionem cum beatitudine, quæ est naturaliter volita. Bonum autem perfectum, quod est Deus, licet habeat necessariam connexionem cum beatitudine hominis, quia sine eo non potest homo esse beatus; tamen necessitas hujus connexionis non manifestè apparet homini in hac vita. Atque adeò etiam hoc objectum, quantumvis congruo tempore proponatur, non movet efficaciter voluntatem. Tota etiam infallibilitas quam illi Patres constituunt, à sola præscientia desumitur; bene namque sequitur: Deus præscit hoc futurum, Ergo erit: sicut bene sequitur: Video Petrum ambulantem, Ergo ambulat. Cæterùm nec visio mea est causa illius quod Deus præscit: solùm enim ponit cognitio in re cognita relationem rationis. Et ita sequitur, quòd divina prædestinatio, quantùm ad effectus assecutionem, solùm esset certa certitudine præscientiæ, & non certitudine ordinis seu causalitatis mediorum. Atque adeò, ut colligit S. Thomas quæst. 6. de Veritate art. 3. in Corpore, præscientia esset causa prædestinationis, nec prædestinatio esset per electionem prædestinantis. Quod S. Doctor ibidem asserit esse contra autoritatem Scripturæ, & dicta Sanctorum. Nos autem in his qui convertuntur, duas motiones realiter distinctas constituimus; alteram sufficientem, alteram efficacem. Prima dat posse converti, altera dat actum conversionis. Hæc de lege ordinaria dicta sint: *Facile enim est in oculis Domini, supra legem honestare pauperem.* Quandoque enim perfectè movet hominem ad bonum, & subitò gratiam accipit, ut ait S. Thomas 1. 2. quæst. 112. art. 2. ad 2.

Quando verò primo loco arguunt; Tunc sequitur gratiam sufficientem superfluere: nisi hoc eodem numero ipsi dixissent, auxilio sufficiente dari posse tantùm, efficaci verò dari actum, hoc idem nobis pro responso facilè dandum fuisset: quod etiam satisfacit secundæ deductioni. Si enim auxilium sufficiens confert posse, sufficiens profectò est. In his verò nihil est nobis immorandum, quippè quæ à S. Thoma, & aliis priscis Doctoribus soluta viderimus. Immò ex posteriori sua deductione sequeretur, quod in peccatore qui remotè ad justificationem disponitur, & tamen re ipsa non justificatur, sed resistit (in quo proinde non est gratia justificationis efficax formaliter sumpta, quæ etiam secundùm Patres Societatis est antecedenter necessaria) non fuisset auxilium re verà sufficiens: quod Conciliorum doctrinæ adversatur.

5. Damus repugnare motioni gratiæ sufficientis, quòd sine alia motione habeat effectum sive actum quem facit auxilium efficax. Cùm ex his quæ dicunt ipsi, & nos dicimus, sufficiens det solùm posse; efficax, operari. Neque sequitur gratiam sufficientem non esse sufficientem, ut superiori numero dictum fuit.

6. & 7. Satis apertè diximus, gratiam efficacem causare & efficere congruitatem, qua voluntas congrua fit & attemperata divinæ motioni, ut illi infallibiliter consentiat. Verùm ex prædicta illa motione in voluntate existente, qua præparatur à Domino, consurgit relatio, qua voluntas est attemperata Deo moventi, & Deus se attemperat voluntati.

Quod verò dicitur de motione quæ congruit uni & non alteri, si sermo sit de motione gratiæ efficacis, verum non censemus, cùm quævis efficacia quamcunque superet resistentiam, cùm secundùm S. Augustinum de Prædestinatione Sanctorum cap. 8. à nullo duro corde respuatur, & ideò tribuatur ut cordis duritia primitus auferatur. Ex quo patet, falsum omninò esse, ex circumstantiis nasci motionem esse congruam, quam ipsi vocant efficacem. Nunquid Paulus conversus est, quia opportuno

opportuno tempore datum est illi auxilium, quando in flagranti delicto vocatus est à Christo? Nam differentia latronum, qui cum Christo crucifixi sunt, opportunitati temporis adscribenda est, aut complexioni & affectioni corporis? Valeant igitur hujusmodi temporis opportunitates, & laudetur gratia Dei vocantis, qui *cujus vult miseretur, & quem vult indurat*, scilicet per substractionem auxilii efficacis, quod quibus datur, misericorditer datur; quibus autem non datur, ex justitia non datur, in pœnam præcedentis peccati, saltem originalis, ut ex S. Augustino docet S. Thomas Secunda Secundæ, quæst. 2. art. 5. ad 1.

Prætereà cùm ipsi non possint reddere causam, quare Deus huic opportuno tempore dederit auxilium, non alteri, præter divinam voluntatem, quare in circuitu ambulant, & non statim voluntatis Dei efficaci auxilio, prout ab illo progreditur, illam differentiam attribuunt?

Tandem in discretione Angelorum bonorum & malorum, quoad perseverantiam & confirmationem in gratia, quomodo poterunt naturali temperamento, aut ingenii qualitati, aut cuivis circumstantiæ loci & temporis, congruitatem motionis, & consequenter efficaciam divini auxilii tribuere? Nam supremus Angelus in aliquibus circumstantiis ex prædictis excedebat alios, in aliis verò erat æqualiter dispositus: & tamen ille cecidit, & multi ex inferioribus perseverarunt in gratia, & in illa fuerunt confirmati.

Quòd verò mox subdunt, interdùm nasci ex naturali temperamento, aut ingenii qualitate, ut quædam motio gratiæ uni sit congrua, & non alteri, non parùm videtur errori Pelagiano favere, cùm unius ab altero discretionem in aliquid naturale ultimatè reducere videatur. Immò verò hæc sententia Patrum Societatis parùm differre videtur à sententia quorundam, quam referunt S. Hilarius & S. Prosper in Epistolis ad S. Augustinum, quæ habentur inter opera illius tomo 7. ante librum de Prædestinatione Sanctorum. Etenim illam referens hæc scribit Hilarius: *Cum autem dicitur eis, quare aliis vel alicubi prædicetur, vel non prædicetur vel nunc prædicetur; quod aliquando penè omnibus, sicut nunc aliquibus gentibus non prædicatum sit: dicunt id præscientiæ esse divinæ, ut eo tempore, & ibi, & illis veritas annuntiaretur, vel annuntietur quando & ubi prænoscebatur esse credenda. Et hoc non solùm aliorum catholicorum testimoniis, sed etiam Sanctitatis tuæ disputatione antiquiore se probare testantur.* Et S. Prosper rogans S. Augustinum, ut dilueret difficultatem, quam autores citati, circa prædestinationem, ex dictis aliorum, & aliis etiam ejusdem Augustini ingerebant, ad finem Epistolæ sic ait: *Penè omnium par invenitur & una sententia, qua propositum & prædestinationem Dei, secundùm præscientiam receperunt; ut ob hoc Deus alios vasa honoris, alios contumeliæ fecerit, quia finem uniuscujusque prævideri, & sub ipso gratiæ adjutorio, in qua futurus esset voluntate & actione præscierit.* Certè si attentè inspiciatur idem videntur docere Patres Societatis in hac sua sententiâ. Etenim illi concedebant primò, Deum sua vocatione gratuitâ prævenire hominis voluntatem ad bona opera incipienda, quæ fidei initium sequebantur. Ita enim legimus apud Hilarium, eorum sententiam referentem, à principio ferè Epistolæ: *Cæterum ad nullum opus vel incipiendum, nedum perficiendum, quemquam sibi sufficere posse consentiunt.* Quod ipsum referens S. Augustinus lib. de Prædest. SS. Cap. 1. de iisdem loquens dicebat, *Proficerent etiam ut præveniri voluntates hominum Dei gratiâ fateantur; atque ad nullum opus vel incipiendum vel perficiendum sibi quemquam sufficere posse consentiant.* Et ut apertè ex eadem Hilarii Epistola colligitur, illud perseverantiæ donum agnoscebant, sine quo homines per liberum arbitrium perseverare non possent; non autem illud quo nonnisi perseverantes sint. Asserebant secundò, ut ex Hilario discimus, præscientia esse divinæ, ut eo tempore, & ibi, & illis, veritas annuntiaretur, vel annuntietur, quando & ubi prænoscebatur esse credenda. Quod non solùm aliorum Catholicorum testimoniis sed etiam ex ipsius S. Augustini disputatione antiquiore se probare testabantur. Dicebant tertiò propositum & prædestinationem Dei secundùm præscientiam accendi, quâ Deus uniuscujusque fidem præviderit, & sub ipso gratiæ adjutorio, in qua futurus est voluntate & actione præscierit: quemadmodum ex Prospero dictum est. Quæ omnia Patres Societatis, tum in hoc, tum etiam in superiori Scripto docere apertè colligitur.

Nunc tomo 10. & tomo 2 Epist. 215. & 216.

Nec S. Augustinus id unquam somniavit, quod Patres Societatis hoc loco ei tribuunt, dum tacitè adducunt ipsum, lib. de dono Perseverantiæ Cap. 14. ubi ait: *Ex quo apparet, habere quosdam in ipso ingenio divinum naturaliter munus intelligentiæ, quo moveantur ad fidem, si congrua suis mentibus, vel audiant verba, vel signa conspiciant.* Etenim

enim per divinum naturaliter munus intelligentiæ; quo moveantur ad fidem, non intelligit Sanctus Augustinus aliquod naturale; alias visis miraculis, vel auditis verbis ingenio naturali congruis, solo illo naturali munere homines ad fidem moverentur, & credere possent: quod sicut à sana doctrinâ est omnino alienum, ita etiam ab eodem S. Augustino, qui (ut alia loca omittamus) de Prædestinatione Sanctorum, Capite 5. ostendens nihil omninò facere quidpiam naturale in Justi ab Injusto discretione, sic ait: *Dona Dei naturalia suspicari, sive ipsam totam perfectam naturam, qualis in prima conditione donata est, sive vitiatæ naturæ qualescumque reliquias, nimis quantum existimo absurdum est.* Et ad finem quæstionis 2. ad Simplicianum lib. 1. recensens omne ingenii temperamentum naturale, & quodvis aliud quod à natura proficitur enumerans, dum de gratiæ electione agitur, omninò excludit dicens: *Non enim video quod intuear in eligendis hominibus ad gratiam salutarem, si ad examen hujus electionis aliqua cogitatione permittor, nisi vel majus ingenium, vel minora peccata, vel utrumque: addamus etiam, si placet, honestas utilesque doctrinas. Quisquis ergo fuerit quàm minimis peccatis irretitus, atque maculatus (nam nullis quis potest?) & acer ingenio, & liberalibus artibus expolitus, eligendus videtur ad gratiam. Sed cum hoc statuero, ita me ridebit ille, qui infirma mundi eligit ut confundat fortia, & stulta mundi, ut confundat sapientes; ut eum intuens & pudore correctus, ego irrideam multos, & præ quibusdam peccatoribus castiores, & præ quibusdam piscatoribus oratores.* Et multa deinceps in hunc eumdem sensum prosequitur. Igitur per divinum illud naturaliter munus intelligentiæ, intelligit munus quod naturaliter divinum est & supernaturale, quo mens hominis à Deo interiùs illustratur, ut possit credere, si aut verba audiant, aut signa conspiciant, ut satis patet ex antecedentibus verbis, ex quibus verba proposita deducit. De qua illustratione idem S. Augustinus super caput 6. Joannis inquit: *Etsi ab hominibus audiunt, tamen quod intelligunt, intus datur, intus coruscat, intus revelatur.*

8. Diminutè nimis referunt quod hoc loco observavimus. Et præcipuè tacent distinctionem illam ex S. Thoma 3. contra Gentes, Cap. 90. & 1. parte, quæst. 23. art. 1. ad 1. & de Veritate, quæst. 5. art. 5. ad 1. a nobis allatum, de duplici acceptione prædestinationis: ex qua tamen rectè intellectâ ruunt quæ hoc loco congerunt argumenta. Cùm enim primò arguunt, quòd antecedens prædeterminatio ad unum, nihil aliud est quàm impositio necessitatis, falsum est de determinatione illa ad unum, quod relinquat absolutam potentiam, qua potest in oppositum, si velit, qualis est prædeterminatio de qua modò agimus, quæ efficit ut voluntas ita infallibiliter se determinet ad operandum pie, & operetur, ut absolutè possit, si velit, non operari: & dum sic determinatur à prima causâ priùs naturâ, intelligitur indifferens ex se; quia illa determinatio primæ causæ est determinatio potentiæ liberæ, juxta modum suum. Unde omnes causas secundas sic Deus determinat, ut eas à proprio operandi modo non distrahat; sed causam necessariam determinat, ut necessariò operetur; contingentem, ut contingenter; liberam quoque, ut actum suum liberum producat: quoniam non tollit indifferentiam judicii, quæ radix est libertatis, sicut explicat S. Thomas, quæst. 3. de Malo art. 3. in Corpore, & 1. contra Gentes cap. 85. ratione 4. & de Veritate quæst. 24. art. 1. & 1. parte quæst. 83. art. 1. Secunda etiam ratio nihil concludit: supponit enim quòd in aliquo instanti voluntas sit determinata à Deo, & in alio determinet se; quod falsum est, cùm prioritas naturæ non sit prioritas in quo, sed a quo. A Deo enim, ut à primo determinante, ita voluntas determinatur, quòd simul se ipsam liberè ut causâ proxima determinet: quemadmodum eadem voluntas ita à Deo movetur, ut simul se ipsam moveat, sicut explicat S. Thomas 1. parte quæst. 87. art. 1. ad 3. Nisi quis usque adeò desipiat, ut dicat voluntatem nostram esse vel primum se movens, vel primum se determinans; ita ut à nulla priori causâ moveatur vel determinetur.

9. Mirum est quòd Patres Societatis, incommoda quæ ex sua Scientia-media, decretum omne divinæ voluntatis antecedente, sequuntur, in nostram sententiam retorquere nitantur. Nos enim ponimus scientiam conditionatorum, quorum consequens sequitur necessariò necessitate consequentiæ, ex antecedente conditionali; quæ scientia non est media, sed simplicis intelligentiæ. Quare Deus per hanc scientiam cognoscit, quòd si alicui dares auxilium de se efficax, ille infallibiliter ac liberè converteretur. Et hæc verè scibilia sunt, non autem illa conditionata ab illis posita; quorum consequens non sequitur necessariò ex antecedenti, etiamsi ponatur in esse. Non enim aliquid scibile est, quod non sit aliqua necessitate necessarium. Et

ideò

ideò in voluntate omnino indeterminata & indifferenti, etiam in quibusvis circumstantiis posita, non potest certò & infallibiliter ab illo intellectu cognosci, quid sit determinatè futura; quia etiam in illis circumstantiis posita, est omninò indifferens & indeterminata: in qua subinde non potest certò & infallibiliter cognosci determinatum effectus, ut docet expressè S. Thomas 1. p. q. 14. art. 13. in corpore, ubi sic ait: *Contingens, ut est in sua causa, consideratur ut futurum & ut contingens, nondum determinatum ad unum: quia causa contingens se habet ad opposita; & sic contingens non subditur per certitudinem alicui cognitioni. Unde quicunque cognoscit effectum contingentem, in causa sua tantum, non habet de eo nisi conjecturalem cognitionem.* Et idem docet quæst. 57. art. 3. & quæst. 86. art. 3. in corpore, & art. 4. etiam in corpore, & quæst. 16. de Malo art. 7.

Augustinus autem quæstione 2. ad Simplicianum a Patribus relatus, dum ait: *Deum sic eum vocare, quomodo scit congruere illi, ut vocantem non respuat*; nihil aliud voluit quam gratiæ suæ vim & energiam Deum non ignorare, quâ occultè quosdam ita vocat, ut vocando convertat obsequentesque faciat; & ideò ita vocatos videat secuturos, quia vocando facturus est ut sequantur. Ita scit dona sua & beneficia sua, ut apud eundem Augustinum legimus, lib. de dono perseverantiæ cap. 14. ubi ait: *An quisquam dicere audebit, Deum non præscivisse quibus esset daturus ut crederent, aut quos daturus esset Filio suo, ut ex iis non perderet quemquam? Quæ utique si præscivit, profectò beneficia sua, quibus nos dignatur liberare, præscivit.* Et idem repetit eo libro, cap. 17. 18. 21. & 24. Et lib. de Prædest. SS. cap. 10. explicans illud ad Romanos 4. *Quoniam quæcumque promisit Deus, potens est & facere*, inquit: *Non ait, Prædicere ac præscire, sed ait, Potens est & facere, & per hoc facta non aliena, sed sua.* Et cap. 19. inquit: *Cum ergo nos prædestinavit, opus suum præscivit, quo nos sanctos & immaculatos facit*: atque ita scientia hæc non antecedit, sed sequitur divinæ voluntatis decretum. Unde eodem libro de Prædestinatione Sanctorum cap. 9. explicans illud quòd dixerat in libro de sex quæstionibus paganorum quæst. 2. *Quod tunc voluit Christus hominibus apparere, & apud eos prædicari doctrinam suam, quando & ubi sciebat esse, qui in eum fuerant credituri*; quibus verbis contendebant Semipelagiani, ut refert Hilarius ubi supra, suum errorem confirmare, inquit: *Certius, ac sine præjudicio latentis consilii Dei aliarumque causarum, hoc de præscientia Christi dicere voluisse, quod convincendæ Pelagianorum infidelitati, qui hanc objecerant quæstionem, sufficere videretur. Quid enim est verius, quam præscisse Christum, qui, & quando, & quibus locis, in eum fuerant credituri? Sed utrum prædicato sibi Christo, à se ipsis habituri essent fidem, an Deo donante sumturi: id est, utrum tantummodo eos præsciverit, an etiam prædestinaverit, de iis quærere ac disserere tunc necessarium non putavi. Proinde quod dixi, tunc voluisse hominibus apparere Christum, & apud eos prædicari doctrinam suam, quando sciebat & ubi sciebat esse, qui in eum fuerant credituri, posset etiam sic dici: Tunc voluisse hominibus apparere Christum, & apud eos prædicari doctrinam suam, quando sciebat & ubi sciebat esse, qui electi fuerant in ipso ante mundi constitutionem.*

Potest etiam dici, quòd S. Augustinus, dum verba illa profert, scribens ad Simplicianum, procedit ventilando quæstionem, non eam determinando, ut patet ex fine ejusdem quæstionis, ubi illam ex propria sententia resolvit dicens: *Intueamur superiora, & inde nostram, quantum ipse Dominus adjuvat, sententiam dirigamus. Ait enim paulò ante*: Quid ergo dicemus, numquid iniquitas apud Deum? Absit. *Sit igitur hoc fixum atque immobile in mente sobria pietate atque stabili in fide, quòd nulla est iniquitas apud Deum, atque ita tenacissimè firmissimèque credatur id ipsum, quòd Deus* cujus vult miseretur, & quem vult indurat, *hoc non est cujus vult miseretur, & cujus vult non miseretur, esse alicujus occultæ atque ab humano modulo investigabilis æquitatis.* Unde & in margine hoc ipsum notatur, cum dicitur, *Conclusio quæstionis.*

Numero 10. Non fideliter referunt nostra, quæ impugnare nituntur. Nos enim diximus, quòd congruitas & præscientia, (quæ juxta Patres Societatis faciunt auxilium esse formaliter efficax) sunt extrinsecæ voluntati: ipsi autem, loco τὸ *formaliter*, substituere τὸ *infallibiliter*; ut nostræ collectionis difficultatem evaderent: quæ etiam juxta tunc ab ipsis dicta, & modò concessa, legitima est. Nam si præscientia quam ponunt, est unum de illis tribus, quæ volunt necessariò requiri ad formalem auxilii efficacis constitutionem, ut dixerunt in superiori Scripto; cum ipsam à voluntate extrinsecam fateantur, illud sequitur, nullum auxilium prævenientis gratiæ, ut formaliter efficax, esse voluntati intrinsecum: quæ erat nostra collectio. Omittimus etiam, quòd circumstantiæ il-

læ, ex quibus volunt nasci congruitatem motionis, cùm ut plurimùm extrinsecæ sint, nihil reale intrinsecum ponunt entitati illius motionis: sicut gladio dato tempore belli, nihil intrinsecum reale additur, ex hoc quòd tempore belli datur.

Numero 11. Reverà præscientia consensus liberi arbitrii futuri ex hypothesi, tollit rationem propositi verè & propriè absoluti: quoniam si illud propositum non est in Deo, nisi supposita præscientiâ, quòd voluntas si ponatur in talibus circumstantiis se determinabit, profectò decretum illius nequit esse absolutum. Siquidem illa motio congrua præcognita, quam efficacem Patres Societatis vocant, non determinat voluntatem ad consensum, sed illam exspectat, ut si voluerit, se determinet. Ac proinde hujusmodi propositum nequit esse absolutum; sicut si Prælatus decerneret quòd subditus jejunaret si voluerit, non esset decretum absolutum, sed conditionatum, etiamsi ponatur ipsum præscire, quod subditus sit jejunaturus.

Exemplum verò quod Patres Societatis primo loco adducunt, non est ad rem: quia præscientia illa sequitur divinum decretum, quo vellet permittere illum, si diutiùs vixisset, peccaturum: quod permittendi decretum includatur virtualiter in decreto illo absoluto, quo Deus statuit illi dare salutem per tale medium, eductionis scilicet animæ illius de medio iniquitatum tali tempore.

In secundo verò casu seu exemplo, de ægroto, præsupponitur juxta ordinem naturæ cognitio finis & intentio, ut juxta eundem ordinem operetur agens, ad illum finem habendum in re: unde etiam non tollit rationem propositi absoluti sumendi medicinam.

De novo autem nomine Scientiæ-mediæ, nos quoque parùm curaremus, nisi rem ipsam novum commentum esse, ad gratiæ efficaciam enervandam, videremus. Quæ certè scientia, aut non vera scientia est, sed conjecturalis notitia, ut ex D. Thoma dicebamus numero 9. ac proinde à Deo prorsùs aliena: aut si vera scientia est, vel erit de conditionalibus necessariis, in quibus consequens necessariò necessitate consequentiæ sequitur ex antecedenti; & ita est scientia simplicis intelligentiæ: vel de conditionalibus non necessariis; & hæc non est certa, nisi supposito divino decreto, quod ubi præcedere intelligitur, mox sequitur esse visionis. Et hanc solam scientiæ divinæ partitionem, in eam quæ est simplicis intelligentiæ, & eam quæ visionis appellatur, agnovere universi Scholastici Doctores antiqui, & præsertim S. Thomas 1. p. q. 14. art. 9. & 12. & 3. parte quæst. 10. art. 2. & primo contra Gentes cap. 66.

Quòd autem ad voces, *physicæ prædeterminationis*, attinet, non semel diximus, in vocibus illis vim non esse faciendam; quando per eas non nova dogmata significamus, sed antiqua Patrum declaramus. Immò vocem Prædeterminationis, seu prædefinitionis, ex vetustissimis Patribus accepimus, præcipuè ex Dionysio cap. 5. de divinis nominibus, titulo de exemplaribus, Lectione 3. apud Sanctum Thomam, ubi sic ait: *Exemplaria autem esse dicimus in Deo existentium rationes substantificas, & singulariter præexistentes, quas Theologia prædefinitiones vocat, & divinas & bonas voluntates existentium prædeterminativas & effectivas, secundum quas supersubstantialis essentia omnia prædefinivit & produxit.* Quæ verba explicans S. Thomas inquit: *Hujusmodi rationes Scriptura vocat prædefinitiones seu prædestinationes:* post pauca subdens, hujusmodi rationes supersubstantialis Dei esse prædeterminativas. Quam etiam prædeterminationis vocem manifestè ex eodem S. Thoma colligimus, q. 5. de Veritate, art. 5. ad 1. & 3. contra Gent. cap. 70. in fine, & 1. parte, quæst. 23. art. 1. ad 1. similiter vocem Prædefinitionis, quam voci prædeterminationis æquivalere putamus, habemus apud S. Athanasium, super caput 2. Epistolæ ad Ephesios, in illa verba, *Quæ præparavit Deus &c.* pag. 104. in Editione Lugdunensi 1532. & apud Sanctum Chrysostomum homilia 1. super eandem Epistolam, & apud S. Leonem Papam Serm. 7. de Passione Domini; & apud Sanctum Anselmum libro de Concordia Prædestinationis & liberi arbitrii cap. 2. apud Theodoretum in illa verba, Rom. 8. *Quos prædestinavit.* Quòd si illa vox *physica*, nova Patribus Societatis videtur, ipsi nos coegerunt illâ uti. Non enim novum est in Ecclesia, adinventis novis Doctrinis, ad eas impugnandas nova etiam nomina invenire. Si nos dicimus auxilium efficax prævenientis gratiæ operari per modum agentis, illi Patres similiter dicunt, moralem operari per modum agentis. Si nos dicimus gratiam efficacem infallibiliter assequi suum effectum in hominis voluntate, idem asserunt de morali. Ac demum in omnibus nostra verba sonare curant; cùm tamen in his quæ dicunt nostra verba non consentiant. Cogimur ergo ad illas voces recurrere, quæ strictissimè vim causæ per se verè & realiter efficientis, & transmutantis

mutantis voluntatem explicant; ut dissidium quod inter nos & illos est, liquidò appareat. Omittimus quosdam etiam inter ipsos præcipuos uti eodem nomine, *causa physica*, dum asserunt Deum esse causam physicam nostræ Justificationis, & physicè cooperari conversionem nostram.

Quòd denium de Stapletonio dicunt, hanc vocem, *gratia de se efficax*, esse inventum Calvini, verum fortassis erit in eo sensu quem impius sibi Calvinus finxit, ut arbitrii libertatem omninò tolleret, non verò in sensu qui multis ante seculis traditus est, & creditus ab Orthodoxis Ecclesiæ Patribus, ut ipsemet Calvinus lib. 2. Institutionum cap. 3. num. 10. eodem Stapletonio referente fatetur: quem proinde in hoc nobis contradicentem habere, valde gaudemus.

Numero 12. Diximus & semper dicemus, prævenientem gratiam esse illuminationem, vocationem &c. quibus illuminamur, vocamur, & volentes trahimur; verumtamen vim atque virtutem illi insitam, quâ Deus prævenit voluntatem, dum efficaciter facit ut homo liberè convertatur & piè operetur, esse à solo Deo, est non à libero arbitrio: Quòd licet vocationibus illis & illuminationibus liberè assentiatur, & piè operetur; solius tamen Dei est illud prævenire, efficiendo ut liberum consensum præstet: quod sacra Concilia, Augustinus, Prosper, Bernardus, & cæteri omnes Catholici Patres semper docuerunt. Et in hoc verè consistit ratio efficaciæ formaliter sumtæ, pro illa videlicet vi & virtute auxilii prævenientis gratiæ efficacis.

Numero 13. Nobis ipsis etiam in verbis consentientes, ineptissimam esse Calvini consequentiam, denuò dicimus. Quoniam ex hoc antecedenti, Gratia est de se efficax, vel à se ipsa efficax, intulit, Ergo tollitur libertas arbitrii. Quam consequentiam tertiò dicimus ineptissimam: cùm sæpe dictum à nobis fuerit, gratiam de se efficacem ita voluntatem movere, ut liberè se ipsam moveat. Inquit enim Augustinus lib. de correp. & gratiâ cap. 2. *Non se fallant qui dicunt, ut quid nobis prædicatur & præcipitur, ut declinemus à malo, & faciamus bonum; si hoc nos non agimus, sed id & velle & operari Deus operatur in nobis? Sed potius intelligant, si Filii Dei sunt, Spiritu Dei se agi, ut quod agendum est agant; & cum egerint, illi à quo aguntur, gratias agant. Aguntur enim ut agant, non ut ipsi nihil agant.* Immò verò ex efficacia, quam habet motio divina de se, ut venit à Deo, perficitur libertas nostri arbitrii, & ad piam operationem roboratur, ut definivit Cœlestinus I. in Epistola ad Episcopos Galliæ, cap. 12. Unde hanc consequentiam illi oppositam, necessariam esse existimamus: Gratia est de se efficax, Ergo non tollitur per eam, sed perficitur libertas arbitrii. Quia, ut docet S. Thomas secunda secundæ quæst. 9. art. 4. ad 1. magis repugnaret divinæ motioni, si voluntas ex necessitate moveretur, quod suæ naturæ non competit, quàm si moveretur liberè, prout competit suæ naturæ. In illo autem antecedente non expressit Calvinus pessimum sensum, quem ipse fingebat in illa dictione; nec verba illa talem sensum præ-se-ferunt; ut scilicet ita esset gratia de se efficax, quòd sola tantùm operaretur, & per eam nos liberè non cooperaremur. Si enim antecedens cum hac expressione formasset, utique antecedens ineptissimum assumsisset. Ex quo nihil mirum si clarâ consequentiâ ineptissimum pariter consequens intulisset. Quia verò id quod intendebat in antecedente, verbis non expressit, & subinde accipiendum fuit tale antecedens in sensu quem verba ipsa faciebant; ideò jure diximus, ex illo antecedente ipsum ineptissimam collegisse consequentiam. Certissimum tamen est, quem modo referebamus fuisse impii Calvini sensum, ut animadvertit Stapletonius, & ejusdem hæretici verba apertissimè ostendunt. Ita enim ait: *Movet voluntatem Deus, non qualiter multis seculis traditum est, & creditum, ut nostræ postea sit electionis motioni aut obtemperare, aut refragari.* Et lib. 2. Institutionum cap. 3. §. 7. *Sed erunt*, inquit, *qui concedant, voluntatem à bono suapte ingenio aversam, solâ Domini virtute converti, sic tamen ut præparata suas deinde in agendo partes habeat, quemadmodum docet Augustinus, omne bonum opus gratiam præcedere & id concomitante non ducente, pedissequâ non prævia voluntate.* Et infra, *Sed quia reformata opus Domini præstat, hoc perperam homini tribuitur, quod gratiæ prævenienti pedissequa voluntate obsequatur.* Hactenus Calvinus. Quamobrem dum adjiciunt, nos apertè antecedens illud Calvini concedere; si nomine antecedentis intelligant hæc præcisè verba, gratia est de se & ex natura sua efficax, sensu late à nobis numero hoc 13. in præcedentibus Observationibus, & hic & aliàs explicato, transeat. Si autem intelligant illa verba in sensu hæretico quem habuit Calvinus, est falsissimum. Vult enim iste hæreticus, Gratiam ita de se esse efficacem, ut sola totum operetur, & per quam voluntas nostra non cooperetur liberè.

libere: quòd esse contra doctrinam præcedentium seculorum, & contra Sanctum Augustinum, Calvinus ipse fatetur. Nos Catholici doctrinam præcedentium seculorum, & præsertim S. Augustini, sequentes, dicimus gratiæ efficaci voluntatem libere cooperari, & ab ejusdem gratiæ vi & efficacia, quòd voluntas operetur, & quòd libere cooperetur, ut ex eodem Augustino lib. de correp. & gratia cap. 8. colligitur. Quamobrem in tanta sensus diversitate, omnium esto judicium, quàm sine causa sensum Calvini nos vel unquam somniasse, Patres isti subindicent.

Numero 14. Necessaria fuit Observatio: quoniam dum diximus auxilia gratiæ sufficientis, addentes, In quibuscunque circumstantiis loci & temporis conferantur, idem est ac si dicatur, In via Patrum Societatis, auxilia gratiæ efficacis, saltem potissimè; ut patet ex his quæ numero 10. dicunt. Ad quam sanè eorum efficaciam non sequitur infallibilis præscientia ante decretum divinæ voluntatis: ut late diximus numero 9.

Numero 15. Non fideliter referunt Patres Societatis id quod diximus, cùm sileant *virtualiter*, & reduplicationis notam hoc respicientem. Diximus enim, quòd infallibilis hæc connexio gratiæ prævenientis cum consensu liberi arbitrii futuro est virtualiter in ipsa vi intrinseca auxilii efficacis, tanquam in sua causa efficiente: nec in ista ratione dependet ullo modo vel directè vel remotè ab ipsa voluntate: quoniam non de quavis connexione locuti sumus, sed de infallibili duntaxat. Cujus certè infallibilitas virtualiter est in vi tantùm ipsius gratiæ, ut, quemadmodum Apostolus ait ad Romanos 4. Secundùm gratiam sit promissio. Quòd egregiè Augustinus notavit lib. de Prædestinatione Sanctorum cap. 10. voluntas enim cùm de se sit indifferens & contingens causa, nullo modo hujus infallibilitatis potest esse fundamentum, ut diximus numero 9. Quemadmodum autem verissimè Concilia dicunt, auxilium Dei trahentis hujusmodi esse, cui homo, si velit, possit dissentire; ita falsissimum est, infallibilem connexionem cum subsequenti consensu, eidem auxilio inniti non posse. Nam sicut vult Deus, ut motioni suæ efficaci, possit voluntas dissentire si velit, ita vult quòd liberè semper consentiat: ex quo nascitur prædicta infallibilitas. Modus autem quem proponunt Patres Societatis de infallibili connexione, exclusus facile manet ex dictis Numero 9.

Numero 16. Si hæc sine Controversia sunt, non erat cur in Scripto superiori, numero 16. apponerent voces illas, *saltem remotè & indirectè*.

Numero 17. Videmus nos, quia efficacia causæ non dependet à respectu ad suum effectum; quia causa & virtus ipsius absoluta est, nec dependet à suo effectu. Et subinde auxilii prævenientis efficacia non dependet à respectu ad liberum consensum, qui est ejus effectus, sed potiùs talis respectus consequitur ad efficaciam auxilii prævenientis gratiæ. Præterea cum relatio nec agat nec patiatur, sed fundamenta relationis in subjecta materia sint actio & passio; ille respectus vel relatio nullam potest præstare efficaciam, sed eam necessariò præsupponit.

Numero 18. Nulla est repugnantia: quoniam ut absolutè & in sensu diviso potest quis resistere efficaci Dei voluntati, ita etiam auxiliis de se efficacibus. Et oppositum asserere, est Calvini hæresim profiteri: quam nos cum Sanctis Patribus & Concilio Tridentino perpetuò rejecimus. At ex suppositione & in sensu composito, nec efficaci Dei voluntati, nec auxiliis ejusdem efficacibus quis potest resistere. Est autem inanis collectio: nam motio illa intrinsecè efficax ponit infallibiliter actum consensus voluntatis liberè cooperantis, non autem unquam tollit potentiam dissentiendi. Et certè si illatio facta à Patribus Societatis bona illis videtur, hanc etiam consimilem approbabunt: Quilibet reprobus dum vivit in hac vita, potest salvari: Ergo non infallibiliter damnabitur. Et tamen antecedens est de fide, consequens autem est hæreticum. Nulla similiter est alia deductio, ut scilicet idem sit posse dissentire auxiliis intrinsecè efficacibus, & illa posse inefficacia reddere. Nam primum denotat, simul cum auxiliis illis esse in libero arbitrio potentiam ad dissentiendum, si velit; quod est de fide: secundum verò significat, esse potentiam in libero arbitrio, quæ vim illam, quam auxilia intrinsecè in se habent, detrahat aut detrahere possit; quod est impossibile; ut etiam Patres illi hoc eodem numero in superiori Scripto, & infra numero 26. verissimè dixerunt. Eadem ratione non est idem, posse facere oppositum ejus quòd Deus scivit, & posse falsam reddere scientiam Dei.

Numero 19. Dant Patres Societatis quod observavimus, auxilium videlicet efficax non esse secundùm omnem rationem præveniens.

Numero 20. Ad ea omnia quæ hoc numero

pietò congerunt, patet solutio ex dictis numero 10.

Numero 21. Cùm in illa propositione, quam hîc referunt, adsit vox illa *simul*, quæ cadere potest, vel super potentiam, ut scilicet cum integra efficaciæ ratione stet simul potentia ad dissentiendum, qui est sensus divisus, vel super actum, ut cum eadem integra efficaciæ ratione stet simul actus dissensus, qui est sensus compositus; propositio illa ex se non clariùs involvit sensum compositum quàm divisum. Atque adeò illam distinximus, nec in sensu composito sensum divisum fiximus. Ex quibus unà cum his quæ diximus numero 18. iis quæ hoc numero deinde dicuntur, planè satisfactum est.

Numero 22. Dum dicunt, gratiam prævenientem, propriè cum voluntate conversionem efficere; si per ly *propriè*, intelligant formaliter, id est, quatenùs præveniens est, apertè sibi ipsis contradicunt: Nam supra numero 19. dixerunt, auxilium, qua ratione nobiscum operatur, esse concomitans. Si autem quid aliud intelligant, quàm *formaliter*, insolutum manet quod in eos observatione nostra ad hunc numerum retulimus. Ad id verò quod ex S. Fulgentio dicunt, numero primo responsum fuit.

Numero 23. Perperàm usurpari existimamus nomen efficaciæ pro efficientiâ. Nam efficientia actualis, quæ ipsa effectus productio est, pendet ab efficacia producentis. Idem autem non dependet à se ipso. Unde terminos quos nos distinximus, ipsi confundunt.

Ex quibus patet ad numeros 24. & 25.

CONSECTARIA

A Patribus Societatis deducta,

Ex superioribus PP. Prædicatorum Animadversionibus.

EX his Animadversionibus PP. Prædicatorum constant octo sequentes propositiones, in quibus est controversia inter ipsos & nos.

1. Voluntas per motionem gratiæ efficacis, tanquam à causâ primâ supernaturali prædeterminatur à Deo, priùs naturâ & ordine causalitatis, non autem tempore. Ex numeris 7. & 8.

2. Efficacia gratiæ prævenientis posita est in intrinsecâ motione, ex cujus sola vi & virtute, voluntas juxta suum modum proxime præparatur ad gratiam.

3. Scientia qua Deus cognoscit motionem gratiæ ita congruere voluntati, ut si per eam præmoveatur, sit infallibiliter præstitura consensum, non est in illo ante decretum divinæ voluntatis.

4. Efficacia auxilii prævenientis non est vitalis motio; ac proinde nec à voluntate sicut à principio vitali, sed à solo Deo. num. 12.

5. Efficacia auxilii prævenientis tota consistit in sola naturâ intrinsecâ motionis: ac proinde ex sola sua naturâ & virtute est complete efficax. Ex num. 13.

6. Infallibilis connexio auxilii efficacis cum voluntatis consensu, sicut in causa, est in virtute talis auxilii: ac proinde nullo modo a creata voluntate dependet. num. 15. & 17.

7. Quamvis liberum arbitrium sæpè resistat auxiliis gratiæ sufficientis, non tamen illa reddit inefficacia. Num. 18.

8. Dissensus liberi arbitrii in sensu composito non potest stare simul cum tota entitate motionis gratiæ prævenientis. num. 21.

Nec tamen in his solis controversia est, sed etiam in aliis, quæ facilè constabunt, si quemadmodum nos respondimus ad quæstiones ab ipsis propositas, (a) in quibus sunt quæ ad controversiam non pertinent; ita & ipsi respondeant ad eas, quæ in 3. Congregatione à nobis propositæ sunt; in quibus potissimæ controversiæ partes & fundamenta attinguntur: quibus Patres Prædicatores, speciali aliqua ratione ducti, respondere huc usque detrectarunt: ea fortasse, (b) ne vel periculosa approbare, vel à suis asserta reprobare cogerentur. Sic enim omnes illæ inter se sunt connexæ, ut nec possint ad eas respondere, non destruendo modum quo sentiunt voluntatem per gratiam efficacem à Deo præmoveri, nec sine illis possunt omni ex parte intelligi, quid aut in quo reposita sit efficacia gratiæ prævenientis; ac proinde neque à quibus causis oriatur. (a) (b)

Si enim ad 2. quæstionem negetur prædeterminatio voluntatis ad realem entitatem actus mali, (c) sicut necessariò videtur neganda; manifestè colligitur eam prædeterminationem non esse necessariam ad actus liberos bonos ordinis naturalis, atque adeò neque ad supernaturales. Quare efficacia auxilii prævenientis non poterit consistere in ea prædeterminatione. (c)

Simili ratione, si hæc prædeterminatio dicatur esse necessaria ex parte actus primi, & ut voluntatem compleat in actu primo, re ipsa negatur esse auxilium verè sufficiens ad operandum (d): quod nisi tribuat omnia (d)

App. Hist. Cong.

cietatis nullum dari auxilium efficax, quod quatenus efficax sit intrinsecum voluntati: quia congruitas & præscientia, quæ secundùm eosdem Patres Societatis faciunt auxilium infallibiliter efficax, extrinsecæ sunt voluntati. Non est legitima collectio. Nam auxilii efficacis entitas & congruitas intrinsecæ sunt voluntati: talis videlicet Dei motio, quam Deus in nobis in talibus circumstantiis, sine nobis liberè concurrentibus operatur: quòd satis est, ut auxilium in quantum efficax, sit illi intrinsecum. Licet enim ad infallibilem auxilii efficaciam infallibilitas divinæ sapientiæ necessaria sit, formalis tamen efficaciæ ratio non consistit in sola illa infallibilitate, sed potissimè in motione congruâ, quæ à Divinâ sapientiâ procedit, ita voluntati contemperata quemadmodum opus est, ut infallibiliter per illam convertatur.

Numero 11. Advertunt, juxta sententiam Patrum Societatis efficaciam gratiæ non posse esse à proposito absoluto: quoniam secundùm illos non est tale propositum in Deo, nisi præsuppositâ præscientiâ consensus liberi arbitrii futuri, & hypothesi quòd consensus, inquiunt, est objectum suæ illius Scientiæ-mediæ. Observatio hæc levissimo nititur fundamento. Quia præscientia consensus liberi arbitrii futuri ex hypothesi, quæ semper in Deo præcedit, non potest absoluto proposito derogare. Absolutum enim fuit propositum, quo Deus proposuit educere de medio iniquitatum eum, cujus anima illi erat placita, quamvis præcesserit scientia, fore ut si diutiùs vixisset malitia mutaret intellectum illius. Similiter propositum ægroti, quo proponit accipere aliquod remedium contra propinatum venenum, absolutum sanè est quamvis ante illud supponatur præscientia sanitatis futuræ, ex hypothesi si tale antidotum accipiatur. Constat ergò nullam esse illationem illam. Atque hujusmodi sunt alia, quæ cùm sint à nostra sententiâ aliena, nobis tamen tribuuntur, solùm quia simili judicio putantur ex nostrâ sententiâ colligi.

Quòd verò dicunt de Scientiâ-mediâ, si de nomine sit quæstio, parùm curamus: si de re ipsa, negare non possumus Deum conditionalia præscire. Nec hujus scientiæ inventionem nobis tribuimus, cujus autores Sanctos Patres esse constat. Quando autem non est res nova, sed antiqua, si ad majorem claritatem & distinctionem aliquid novum dicitur, nihil est absurdum: ut Vincentius Lirinensis gravis & antiquus Doctor animadvertit. Et quidem si de vocis novitate agitur, illæ voces *Physica prædeterminatio*, & *gratia de se efficax* antiquum autorem non habent, quarum posterior à Stapletonio dicitur, novum esse Calvini commentum.

Numero 12. Falsum esse ajunt, quòd efficacia gratiæ prævenientis formaliter sumta pro ipsa vi & virtute auxilii, sit vitalis motio. Hoc non videtur congruere doctrinæ Concilii docentis, prævenientem gratiam, qua Deus nos convertit, in vocatione positum esse, id est in illuminatione, & inspiratione, & vocatione, ut dicit Augustinus, prorsùs agi & peragi ut credamus, in cogitationibus piis & in affectionibus, quibus animus imbuitur, positum esse, ut post S. Augustinum Prosper & Bernardus explicant.

Numero 13. Dicunt totam efficaciam positam esse, in motione de se & ex natura sua efficaci. Calvinum autem (quem dolent inter Doctores numeratum legere) hac phrasi usum fuisse, ut significaret solam gratiam totum operari, & ineptissimè hanc fecisse consequentiam: Gratia est de se efficax, ergo tollit libertatem: quam consequentiam Patres Societatis approbant, cùm tamen viris piis, & doctis ridicula sit.

Meritò dolent Calvinum ab aliquo inter Doctores numerari; à quo tamen, nescimus. Nos enim dicendo, nullum Doctorem Calvino antiquiorem, gratiam de se efficacem docuisse non illum tanquam Doctorem audiendum, sed tanquam novatorem refellendum; non in doctrinâ, sed in antiquitate cum Doctoribus comparavimus. Dum autem dicunt ineptissimè Calvinum fecisse illam consequentiam, minùs sibi ipsi consentiunt. Nam si ille per gratiam efficacem de se illam intellexit quæ sola totum operatur, ut interpretantur, in antecedenti fuit ineptus, non in consequentia, quæ ex illo antecedenti evidentissima est. Multò certiùs est, Calvinum nomine gratiæ de se efficacis non negasse spontaneam, hoc est, non coactam voluntatis operationem (quod Doctores Catholici asserunt, & illius verba apertè significant) sed potiùs per illam vocem significasse gratiam, quæ ex sola sua essentia sit infallibiliter efficax, ac proinde ex sua naturâ necessariò faciat voluntatem consentire, suppositâ scilicet tali gratiâ. Ex quo antecedenti non illius consequentia inepta fuit, nec est ullus gravis Doctor qui eam negaverit, & non potiùs antecedens; sicut nos à Calvini sententia omninò recedentes, cum consequenti negandum esse putamus. At Patres

Patres Dominicani apertè concedunt illud antecedens de gratia efficaci, id est, ex sui essentia & natura infallibiliter connexâ cum hominis consensu. Quod esse contra doctrinam præcedentium seculorum, Calvinus ipse fatetur: nec concesso illo Calvini antecedente, ejus consequens negari congruenter potest. Et hoc est quod Patres Dominicani vitio vertunt, nos scilicet consequentiam approbasse. Approbamus quidem illam, ejus antecedens & consequens reprobantes: quod nihil aliud est quàm affirmare, illum in utroque consequenter errasse.

Numero 14. Dicunt, non esse cognoscibile à Deo, quòd si sola auxilia gratiæ sufficientis homini dentur, in quibuscunque circumstantiis conferantur, infallibiliter consentietur. Observatio est supervacanea: nam verba nostra in quæ illud observant, non de gratia sufficienti, sed de efficaci apertissima sunt. Ea enim auxilia dicimus efficacia, quæ à Deo præcognoscuntur, si homini dentur, esse effectum habitura: quam cognitionem in Deo esse ante decretum dandi talia auxilia, diximus ad 8. & 9.

Numero 15. Dicunt infallibilem connexionem cum subsequenti consensu, esse in intrinseca virtute auxilii efficacis, nec illam ullomodo, nec remotè quidem, à voluntate dependere. Prior pars illius observationis non videtur congruere doctrinæ Conciliorum, quæ tradunt non tale esse Dei trahentis auxilium, cui resisti non possit. Constat enim infallibilem connexionem, cum subsequenti connexu, inniti non posse in sola virtute & naturâ motionis, cui homo potest resistere. Idcirco nos asserimus, infallibilem illam connexionem efficaciæ gratiæ concurrere dependenter à præscientia Dei cognoscentis effectum ex illa esse futurum, si per eam voluntas præmoveatur. Illa verò Dei præscientia objecti veritatem requirit: quod objectum non solùm à gratia, sed etiam à libera voluntate pendet. Ac proinde infallibilis illa connexio indirectè etiam pendet à voluntate, tanquam à concausa ex motione gratiæ illum consensum effecturâ, si per eam gratiam à Deo promovetur.

Numero 16. Quæ numero 16. dicunt de dependentiâ actualis connexionis gratiæ cum consensu à voluntate tanquam à causa proximâ & directâ, sine controversia sunt.

Numero 17. Asserunt, dum divina auxilia dicuntur efficacia reddi, cum respectu ad futurum liberum consensum, præsupponi aut significari auxilia prævenientis gratiæ in se ipsis, & ut veniunt à Deo, non esse efficacia. Hanc nos consecutionem non videmus: nam si quis affirmet divina auxilia efficacia reddi per respectum ad liberum consensum tanquam ad effectum suum futurum, affirmando etiam eadem auxilia à Deo procedere, cum illo respectu ad effectum; constanter & congruenter affirmari potest, ea auxilia à Deo procedere cum infallibili efficacia, & in se ipsis & ut veniunt à Deo efficacia esse. Quòd verò addunt, quæstionem illam, An auxilium præveniens sit infallibiliter efficax ex sola sua virtute & essentia, non esse de nomine, sed potius de re gravissima. . . . . . *Deest aliquid, ad sensus integritatem.*

Numero 18. Hæc scribunt de auxiliis prævenientis gratiæ intrinsecè efficacibus: Potest liberum arbitrium dissentire, si velit, nunquam tamen illis dissentiet, nec potest ea auxilia inefficacia reddere. Hæc inter se pugnant, nam si auxilia illa intrinsecè & ex natura sua efficacia sunt, quemadmodùm voluntati Dei efficaci nemo resistit, nec resistere potest, ita nec auxiliis intrinsecè efficacibus resistere aliquis poterit. Deinde si homo potest illis si velit dissentire, non esset infallibile, nunquam illis esse dissensurum. Infallibilitas enim dissensus futuri oriri non potest ex motione cui homo potest dissentire. Quare infallibilitas illa, fundata, non in præscientia Dei, ut nos asserimus, sed in naturâ auxilii, dissentiendi impossibilitatem clarè demonstrat. Præterea in quo sensu liberum arbitrium dicitur posse auxiliis intrinsecè efficacibus dissentire, etiam dici debet posse illa inefficacia reddere. Idem enim sunt posse illa reddere inefficacia, & posse facere ut non faciant. Ex eo verò quòd liberum arbitrium illis actu non dissentiat, solùm infertur nunquam illa inefficacia reddere, non verò illa inefficacia reddere non posse.

Numero 19. Advertunt auxilium propriè efficax non esse omnibus modis præveniens, quia quatenus nobiscum operatur, est concomitans. Verùm quamvis auxilium, qua ratione nobiscum operatur, sit concomitans; nihilominus tamen secundùm suam entitatem, omnibus modis, id est in omni genere causæ, dicitur esse præveniens liberum consensum.

Numero 20. Colligunt præter motionem, alia, quæ nos asserimus requiri ad efficaciam gratiæ, esse extrinseca, ac proinde præter auxilium sufficiens nihil intrinsecum voluntati à nobis poni. Verum est primum quod dicunt, præter entitatem talis congruæ motionis, alia quæ dicimus requiri ad infallibilem efficaciam, Dei scilicet præscien-

præscientiam, esse tali motioni extrinseca. Inde tamen malè infertur, nihil à nobis poni intrinsecum voluntati, præterquam gratiam sufficientem. Illa enim motio quæ à Deo prævidetur esse congrua voluntati, per quam infallibiliter operatur, non est gratia solummodo sufficiens, sed propriè est motio gratiæ infallibiliter efficacis. Ea autem intrinseca voluntati est, ut superiùs diximus.

Numero 21. Circa illa nostra verba, (Dissensus liberi arbitrii non potest stare simul cum integra & completa efficaciæ ratione) hoc advertunt, si intelligatur in sensu diviso falsum esse; si verò in sensu composito, esse verissimum.

Cùm sensus compositus non posset clariùs in propositione involvi, quàm asserendo dissensum non posse stare simul cum integra efficaciæ ratione; hoc rursus distinguere, est in ipso sensu composito, sensum divisum non sine aperta repugnantia fingere. Et verò, si in sensu diviso falsum est, ut ipsi dicunt, dissensum non posse stare simul cum integra efficaciæ ratione, erit ergo in eodem sensu diviso, atque adeo absolutè verum, dissensum posse stare simul cum integra efficaciæ ratione, quòd non minùs repugnat, quàm posse stare simul resistentiam hominis, cum efficaci voluntate Dei.

Numero 22. Sermonem videri ajunt minùs formalem, cùm respondentibus nobis de gratia illa, quæ simul cum voluntate efficit conversionem, in Responsionibus eam appellamus prævenientem. Gratia præveniens propriè dicitur cum voluntate conversionem efficere. Sic enim loquitur Beatus Fulgentius S. Augustini Sectator, in eo libro, quem de Incarnatione & gratia inscripsit.

Numero 23. Quamvis, inquiunt, pia operatio sit à Deo & libero arbitrio; efficacia tamen & vis auxilii etiam concomitantis est à solo Deo. Immeritò vis auxilii confunditur cum efficacia, secundo modo acceptâ pro efficientiâ; pro quo illam vocem accipi posse, hoc ipso loco nos diximus. Ea autem efficacia, sicut non distinguitur à pia operatione, ita ab illis causis procedit, à quibus est pia operatio.

Numero 24. Remittimus, inquiunt, nos ad numerum 12. illa quæ dicta sunt de efficacia in actu primo, sumtâ pro virtute auxilii, non posse convenire efficaciæ secundo modo sumtæ pro actuali efficientiâ, de qua est sermo in hoc numero 24.

Numero 25. Confundunt, inquiunt, vim causæ cum actuali operatione. At tantum abest ut eas confundamus, ut potiùs duobus modis ad quæstionem respondeamus. Quia vim causæ ab ejus actuali operatione, quæ nomine efficaciæ aliquando intelligitur, distinctam esse animadvertimus.

Ad Numeros 26. & 27. patet ex dictis.

ANIMADVERSIONES PP. PRÆDICATORUM

Circa has Notationes P P. Societatis, datæ Cardinali Madrutto, 12. Februarii 1600.

1. VEre diximus redundare, quia quæstiones propositæ erant solùm de gratia præveniente; & secundum distinctionis membrum, tunc ab illis illatum, & modò explicatum, erat de gratia concomitante. Neque gratis distinctionem illam redundare diximus, quandoquidem ipsi hac de re nunquam clarè locuti sunt; nec veram prævenientis gratiæ efficacis formalem rationem, à concomitantis ratione distinctam, visi sunt agnovisse. S. Fulgentius autem Libro de Incarnatione verbi sic ait: *Tunc verè recteque ait, ejus esse hoc velle cum Deus gratiâ præviâ cœperit adjuvare:* satis certè innuens se loqui de gratia prævenienti formaliter, quâ Deus incipit; cùm eam præviam & incipientem dixerit: quam eandem prævenientem gratiam Concilium Tridentinum Sessione 6. cap. 5. excitantem & adjuvantem vocat.

2. Ergo certum est, etiam ex sententiâ Patrum Societatis, auxilium efficax gratiæ prævenientis, non modò esse efficax moraliter, sed etiam verè & propriè efficienter, seu ad modum causæ physicæ: cùm die 16. Maii, concesserint auxilium prævenientis gratiæ, per quod Deus facit ut homo convertatur, & piè operetur, esse donum peculiare Dei, distinctum à sufficienti, intrinsecum tam intellectui, quàm voluntati, consistens in utriusque excitatione atque inspiratione, in illuminatione intellectus, atque motione voluntatis, esseque supernaturale & interiùs immissum à Deo, non solùm se tenens ex parte objecti, sed etiam potentiæ; ac esse motionem realem, & antecedentem applicationem voluntatis, moventem & inclinantem voluntatem ad aliquem actum determinatum. Et modò concedentes omnia à nobis proposita in numero illo secundo, fatentur

fatentur quòd gratia illa efficax (& Sermo est de præveniente) facit ut voluntas convertatur, & piè operetur, non tantùm suadendo &c, sed etiam perficiendo, & propriè ac realiter causando per modum agentis & transmutantis voluntatem de uno in aliud, ac demum ex nolente volentem facientis. Quod præstare non potest auxilium præveniens morale; quia hoc non propriè & realiter causat, nec propriè transmutat voluntatem de uno in aliud, ut expressè docet S. Thomas, quæst. 3. de malo, art. 3. in Corpore, ubi ait; Quòd causa aliquid movens multipliciter dicitur: quandoque enim dicitur causa, id quod est disponens, vel quod est consilians, vel quod est præcipiens; quandoque verò dicitur causa id quod est perficiens: & hæc propria & vera causa dicitur; quia causa est ad quam sequitur effectus: ad actionem autem perficientis statim effectus sequitur, non autem ad actionem disponentis, vel consulentis, vel imperantis. Suasio enim non cogit invitum, ut Augustinus dicit in lib. 83. quæstionum quæst. 1. quod etiam nonnulli inter Patres Societatis præcipui ingenuè fatentur, ut Franciscus Suarez 3. p. q. 62. art. 4. sect. 2. disp. 9. ubi hac ratione probat Sacramenta novæ legis causare gratiam ad modum causæ physicæ: quia causalitas moralis non est propriè causalitas, sed tantùm metaphoricè. Et ita juxta sententiam quæ asserit talia Sacramenta causare gratiam solùm moraliter, non salvarentur, cum proprietate, Conciliorum verba, quæ determinant illa gratiam causare.

3. Cùm voluntas à solo Deo præparetur, juxta illud, *Præparatur voluntas à Domino*; & solus ipse sit, qui prævenit voluntatem faciendo ut faciamus, relinquitur verissimè nos dixisse, ex solâ vi & virtute auxilii prævenientis efficacis, voluntatem nostram juxta modum suum proximè præparari. Oppugnare autem hoc, ex eo quòd voluntas propriâ activitate prævenienti gratiæ liberè consentit, & Deo adjuvanti cooperatur, nihil ad rem facit: ut enim velimus, (S. Augustino autore lib. 1. ad Simplicianum) & suum esse voluit & nostrum; quod autem voluerimus solus præstat. Unde cùm idem Augustinus inquit, voluntatem aliquid sponte conari, intelligit præventa à Deo, sicut ipse ait in Enchiridio cap. 32. quòd præparat Deus adjuvandam, & adjuvat præparatam, ut verum habeatur verbum Apostoli, *Quid habes quod non accepisti?* &, *Quis te discernit?*

Quod verò eodem numero addunt, sententiam nostram de prædeterminatione; sanæ & antiquæ doctrinæ, præsertim S. Augustini & S. Thomæ, adversari, hæc gratis dicta videntur. Nos sanam doctrinam sequimur, sacris Conciliis & Patribus consentaneam, præsertim Sanctis Augustino & Thomæ, quam necesse est ipsos admittere ex concessis, modo à nobis explicato, numero 8. nisi quæ jam dixerunt, aut negare, aut à proprio sensu extrahere velint. Jam enim concessere auxilium gratiæ efficacis prævenientis propriè & realiter transmutare voluntatem, & antecedere applicationem illius, movereque illam ad aliquem actum determinatum: quod nihil aliud est quàm prædeterminare voluntatem, juxta libertatis suæ naturam; quæ sanè prædeterminatio minimè tollit indifferentiam voluntatis, quantùm ad potentiam; quæ est de ratione libertatis, quin immò eam perficit, de qua loquitur Concilium Tridentinum, dum ait, ita liberum arbitrium à Deo excitatum illi assentiri, ut possit dissentire si velit: licet voluntas sic à Deo prædeterminata non maneat omninò indifferens quoad actum. Unde & S. Prosper libro 2. de vocat. gentium cap. 9. inquit, *Quod Deus voluit eos velle, voluerunt; qui ad obediendum sibi ipsum velle sic donat, ut illam mutabilitatem, qua potest nolle, non auferat.* Denique qua in forma sit illorum consequentia, facilè doctus quisque Theologus videre potest; quidquid sit de consequentibus, quæ sæpè sæpiùs diximus esse impertinentia, & omninò aliena à negotio, quod modò agimus, de efficacia gratiæ.

4. Nunquam diximus Patres Societatis nullam agnoscere distinctionem inter motionem auxilii sufficientis & efficacis; sed quòd nullam realem distinctionem inter eas admittant: quod cùm sæpiùs innuerint, modò apertissimè tradunt. Dicunt enim duas esse motiones, sufficientem & efficacem; unam tamen in re constituunt. Positis enim hominibus duobus, qui sufficienti motione moveantur, unus convertitur secundùm eos, qui illi motioni obtemperat. Igitur differentia est ex parte eorum qui moventur; quoniam unus se disponit conformiter ad motionem, alter non item. Et quidem si qui non convertitur, se motioni attemperaret, etiam converteretur. Non autem sumitur discrimen ex parte motionis, quæ eadem prorsus est in utroque: sicut calor solis idem omninò manens, liquefacit ceram, & lutum indurat, non ex differentia ipsius, qui unus est, sed ex diversa dispositione ipsorum quæ calefiunt. Sic in proposito, ab una motione

tione alius convertitur, alius non convertitur, ex dispositione eorum qui moventur: unde ab eventu, non ex se, motio illa est efficax in uno, non in altero.

Quod autem superaddunt, motionem gratiæ efficacis illam esse, per quam Deus facit ut homo velit; & quæ à divina sapientia & voluntate procedit, ut efficax medium, quo voluntas infallibiliter convertatur, voluntariè asseritur. 1. Namque hoc auxilium morale non propriè causat, ut ex S. Thoma diximus numero 3. nec procedit à divina sapientia ut efficax medium quo voluntas infallibiliter convertatur: quoniam hæc divina cognitio, cum sit de objecto conditionato, quod nihil ponit in esse, speculativa est, non operativa conversionis. Nec insuper à divina voluntate procedit hæc moralis motio ut medium efficax, ut voluntas convertatur; quia procedit à Deo ut à proponente tantùm objectum, monente, & consulente, cum talibus circumstantiis, non autem ut ab efficiente propriè actum conversionis. Nam, ut docet D. Thomas 1. parte quæst. 82. art. 2. & quæst. 106. art. 2. & quæst. 111. art. 2. & quæst. 3. de malo, art. 3. ab objecto non potest moveri voluntas efficaciter, nisi à Deo clarè viso: quia quodcunque bonum creatum est bonum deficiens, nec habet necessariam connexionem cum beatitudine, quæ est naturaliter volita. Bonum autem perfectum, quod est Deus, licet habeat necessariam connexionem cum beatitudine hominis, quia sine eo non potest homo esse beatus; tamen necessitas hujus connexionis non manifestè apparet homini in hac vita. Atque adeò etiam hoc objectum, quantumvis congruo tempore proponatur, non movet efficaciter voluntatem. Tota etiam infallibilitas quam illi Patres constituunt, à sola præscientia desumitur; benè namque sequitur: Deus præscit hoc futurum, Ergo erit: sicut benè sequitur: Video Petrum ambulantem, Ergo ambulat. Cæterùm nec visio mea est causa illius quod Deus præscit: solùm enim ponit cognitio in re cognita relationem rationis. Et ita sequitur, quòd divina prædestinatio, quantùm ad effectus assecutionem, solùm esset certa certitudine præscientiæ, & non certitudine ordinis seu causalitatis mediorum. Atque adeò, ut colligit S. Thomas quæst. 6. de Veritate art. 3. in Corpore, præscientia esset causa prædestinationis, nec prædestinatio esset per electionem prædestinantis. Quod S. Doctor ibidem asserit esse contra autoritatem Scripturæ, & dicta Sanctorum. Nos autem in his qui convertuntur, duas motiones realiter distinctas constituimus; alteram sufficientem, alteram efficacem. Prima dat posse converti, altera dat actum conversionis. Hæc de lege ordinaria dicta sunt: *Facile enim est in oculis Domini, supra legem honestare pauperem.* Quandoque enim perfectè movet hominem ad bonum, & subitò gratiam accipit, ut ait S. Thomas 1. 2. quæst. 112. art. 2. ad 2.

Quando verò primo loco arguunt: Tunc sequitur gratiam sufficientem superfluere: nisi hoc eodem numero ipsi dixissent, auxilio sufficiente dari posse tantùm, efficaci verò dari actum, hoc idem nobis pro responso facilè dandum fuisset: quod etiam satisfacit secundæ deductioni. Si enim auxilium sufficiens confert posse, sufficiens profectò est. In his verò nihil est nobis immorandum, quippe quæ à S. Thoma, & aliis priscis Doctoribus soluta viderimus. Imò ex posteriori sua deductione sequeretur, quòd in peccatore qui remotè ad justificationem disponitur, & tamen re ipsa non justificatur, sed resistit (in quo proinde non est gratia justificationis efficax formaliter sumta, quæ etiam secundùm Patres Societatis est antecedenter necessaria) non fuisset auxilium re verà sufficiens: quod Conciliorum doctrinæ adversatur.

5. Damus repugnare motioni gratiæ sufficientis, quòd sine alia motione habeat effectum sive actum quem facit auxilium efficax. Cùm ex his quæ dicunt ipsi, & nos dicimus, sufficiens det solùm posse; efficax, operari. Neque sequitur gratiam sufficientem non esse sufficientem, ut superiori numero dictum fuit.

6. & 7. Satis apertè diximus, gratiam efficacem causare & efficere congruitatem, qua voluntas congrua fit & attemperata divinæ motioni, ut illi infallibiliter consentiat. Verùm ex prædicta illa motione in voluntate existente, qua præparatur à Domino, consurgit relatio, qua voluntas est attemperata Deo moventi, & Deus se attemperat voluntati.

Quod verò dicitur de motione quæ congruit uni & non alteri, si sermo sit de motione gratiæ efficacis, verum non censemus, cum quævis efficacia quamcunque superet resistentiam, cùm secundùm S. Augustinum de Prædestinatione Sanctorum cap. 8. à nullo duro corde respuatur, & ideò tribuatur ut cordis duritia primitus auferatur. Ex quo patet, falsum omninò esse, ex circumstantiis nasci motionem esse congruam, quam ipsi vocant efficacem. Numquid Paulus conversus est, quia opportuno

opportuno tempore datum est illi auxilium, quando in flagranti delicto vocatus est a Christo? Num differentia latronum, qui cum Christo crucifixi sunt, opportunitati temporis adscribenda est, aut complexioni & affectioni corporis? Valeant igitur hujusmodi temporis opportunitates, & laudetur gratia Dei vocantis, qui *cujus vult miseretur, & quem vult indurat*, scilicet per substractionem auxilii efficacis, quod quibus datur, misericorditer datur; quibus autem non datur, ex justitia non datur, in pœnam præcedentis peccati, saltem originalis, ut ex S. Augustino docet S. Thomas Secunda Secundæ, quæst. 2. art. 5. ad 1.

Preterea cùm ipsi non possint reddere causam, cur Deus huic opportuno tempore dederit auxilium, non alteri, præter divinam voluntatem, quare in circuitu ambulant, & non statim voluntati Dei efficaci auxilio, prout ab illo progreditur, illam differentiam attribuunt?

Tandem in discretione Angelorum bonorum & malorum, quoad perseverantiam & confirmationem in gratia, quomodo poterunt naturali temperamento, aut ingenii qualitati, aut cuivis circumstantiæ loci & temporis, congruitatem motionis, & consequenter efficaciam divini auxilii tribuere? Nam supremus Angelus in aliquibus circumstantiis ex prædictis excellebat alios, in aliis verò erat æqualiter dispositus: & tamen ille cecidit, & multi ex inferioribus perseverarunt in gratia, & in illa fuerunt confirmati.

Quòd verò mox subdunt, interdùm nasci ex naturali temperamento, aut ingenii qualitate, ut quædam motio gratiæ uni sit congrua, & non alteri, non parùm videtur errori Pelagiano favere, cùm unius ab altero discretionem in aliquid naturale ultimatè reducere videatur. Immò verò hæc sententia Patrum Societatis parùm differre videtur a sententia quorumdam, quam referunt S. Hilarius & S. Prosper in Epistolis ad S. Augustinum, quæ habentur inter opera illius tomo 7. ante librum de Prædestinatione Sanctorum. Etenim illam referens hæc scribit Hilarius: *Cum autem dicitur eis, quare aliis vel alicubi prædicetur, vel non prædicetur vel nunc prædicetur, quod aliquando pene omnibus, sicut nunc aliquibus gentibus non prædicatum sit: dicunt id præscientiæ esse divinæ, ut eo tempore, & ibi, & illis veritas annuntiaretur, vel annuntietur quando & ubi prænoscebatur esse credenda. Et hoc non solùm aliorum catholicorum testimoniis, sed etiam Sanctitatis tuæ disputatione anti-*

Nunc tomo 10. & tomo 2. Epist. 225. & 226.

quiore se probare testantur. Et S. Prosper rogans S. Augustinum, ut dilueret difficultatem, quam autores citati, circa prædestinationem, ex dictis aliorum, & aliàs etiam ejusdem Augustini ingerebant, ad finem Epistolæ sic ait: *Pene omnium par invenitur & una sententia, qua propositum & prædestinationem Dei, secundùm præscientiam receperunt; ut ob hoc Deus alios vasa honoris, alios contumeliæ fecerit, quia finem uniuscujusque præviderit, & sub ipso gratiæ adjutorio, in qua futurus esset voluntate & actione præscierit.* Certè si attentè inspiciatur idem videntur docere Patres Societatis in hac sua sententià. Etenim illi concedebant primò, Deum sua vocatione gratuitâ prævenire hominis voluntatem ad bona opera incipienda, quæ fidei initium sequebantur. Ita enim legimus apud Hilarium, eorum sententiam referentem, à principio ferè Epistolæ: *Ceterum ad nullum opus vel incipiendum, nedum perficiendum, quemquam sibi sufficere posse consentiunt.* Quod ipsum referens S. Augustinus lib. de Prædest. SS. Cap. 1. de iisdem loquens dicebat, *Pervenerunt etiam ut præveniri voluntates hominum Dei gratiâ fateantur; atque ad nullum opus vel incipiendum vel perficiendum sibi quemquam sufficere posse consentiant.* Et ut apertè ex eadem Hilarii Epistola colligitur, illud perseverantiæ donum agnoscebant, sine quo homines per liberum arbitrium perseverare non possent; non autem illud quo nonnisi perseverantes sint. Asserebant secundò, ut ex Hilario discimus, præscientiæ esse divinæ, ut eo tempore, & ibi, & illis, veritas annuntiaretur, vel annuntietur, quando & ubi prænoscebatur esse credenda. Quod non solùm aliorum Catholicorum testimoniis sed etiam ex ipsius S. Augustini disputatione antiquiore se probare testabantur. Dicebant tertiò propositum & prædestinationem Dei secundùm præscientiam attendi, qua Deus uniuscujusque fidem præviderit, & sub ipso gratiæ adjutorio, in qua futurus est voluntate & actione præscierit: quemadmodum ex Prospero dictum est. Quæ omnia Patres Societatis, tum in hoc, tum etiam in superiori Scripto docere apertè colligitur.

Nec S. Augustinus id unquam somniavit, quod Patres Societatis hoc loco ei tribuunt, dum tacitè adducunt ipsum, lib. de dono Perseverantiæ Cap. 14. ubi ait: *Ex quo apparet, habere quosdam in ipso ingenio divinum naturaliter munus intelligentiæ, quo moveantur ad fidem, si congrua suis mentibus, vel audiant verba, vel signa conspiciant.* Etenim

enim per divinum naturaliter munus intelligentiæ, quo moveantur ad fidem, non intelligit Sanctus Augustinus aliquod naturale; alias visis miraculis, vel auditis verbis ingenio naturali congruis, solo illo naturali munere homines ad fidem moverentur, & credere possent: quod sicut à sana doctrinâ est omnino alienum, ita etiam ab eodem S. Augustino, qui (ut alia loca omittamus) de Prædestinatione Sanctorum, Capite 5. ostendens nihil omninò facere quidpiam naturale in Justi ab Injusto discretione, sic ait: *Dona Dei naturalia suspicari, sive ipsam totam perfectam naturam, quæ illis in prima conditione donata est, sive vitiatæ naturæ qualescumque reliquias, nimis quantum existimo absurdum est.* Et ad finem quæstionis 2. ad Simplicianum lib. 1. recensens omne ingenii temperamentum naturale, & quodvis aliud quod à natura proficitur enumerans, dum de gratiæ electione agitur, omninò excludit dicens: *Non enim habeo quod intuear in eligendis hominibus ad gratiam salutarem, si ad examen hujus electionis aliqua cogitatione permittor, nisi vel majus ingenium, vel minora peccata, vel utrumque: addamus etiam, si placet, honestas utilesque doctrinas. Quisquis ergo fuerit quàm minimis peccatis irretitus, atque maculatus (nam nullis quis potest?) & acer ingenio, & liberalibus artibus expolitus, eligendus videtur ad gratiam. Sed cum hoc statuero, ita me ridebit ille, qui infirma mundi elegit ut confunderet fortia, & stulta mundi, ut confunderet sapientes; ut eum intuens & pudore correctus, ego irrideam multos, & præ quibusdam peccatoribus castiores, & præ quibusdam piscatoribus oratores.* Et multa deinceps in hunc eundem sensum prosequitur. Igitur per divinum illud naturaliter munus intelligentiæ, intelligit munus quod naturaliter divinum est & supernaturale, quo mens hominis à Deo interiùs illustratur, ut possit credere, si aut verba audiant, aut signa conspiciant, ut satis patet ex antecedentibus verbis, ex quibus verba proposita deducit. De qua illustratione idem S. Augustinus super caput 6. Joannis inquit: *Etsi ab hominibus audiunt, tamen quod intelligunt, intus datur, intus coruscat, intus revelatur.*

8. Diminutè nimis referunt quod hoc loco observavimus. Et præcipuè tacent distinctionem illam ex S. Thoma 3. contra Gentes, Cap. 90. & 1. parte, quæst. 23. art. 1. ad 1. & de Veritate, quæst. 5. art. 5. ad 1. a nobis allatum, de duplici acceptione prædestinationis: ex qua tamen rectè intellectâ ruunt quæ hoc loco congerunt argumenta. Cùm enim primò arguunt, quòd antecedens prædeterminatio ad unum, nihil aliud est quàm impositio necessitatis, falsum est de determinatione illa ad unum, quod relinquat absolutam potentiam, qua potest in oppositum, si velit, qualis est prædeterminatio de qua modò agimus; quæ efficit ut voluntas ita infallibiliter se determinet ad operandum piè, & operetur, ut absolutè possit, si velit, non operari: & dum sic determinatur à prima causâ priùs naturâ, intelligitur indifferens ex se; quia illa determinatio primæ causæ est determinatio potentiæ liberæ, juxta modum suum. Unde omnes causas secundas sic Deus determinat, ut eas à proprio operandi modo non distrahat; sed causam necessariam determinat, ut necessariò operetur; contingentem, ut contingenter; liberam quoque, ut actum suum liberum producat: quoniam non tollit indifferentiam judicii, quæ radix est libertatis, sicut explicat S. Thomas, quæst. 3. de Malo art. 3. in Corpore, & 1. contra Gentes cap. 85. ratione 4. & de Veritate quæst. 24. art. 1. & 1. parte quæst. 83. art. 1. Secunda etiam ratio nihil concludit: supponit enim quòd in aliquo instanti voluntas sit determinata à Deo, & in alio determinet se; quod falsum est, cùm prioritas naturæ non sit prioritas in quo, sed à quo. A Deo enim, ut à primo determinante, ita voluntas determinatur, quòd simul se ipsam liberè ut causa proxima determinet: quemadmodum eadem voluntas ita à Deo movetur, ut simul se ipsam moveat, sicut explicat S. Thomas 1. parte quæst. 87. art. 1. ad 3. Nisi quis usque adeò desipiat, ut dicat voluntatem nostram esse vel primum se movens, vel primum se determinans; ita ut à nulla priori causâ moveatur vel determinetur.

9. Mirum est quòd Patres Societatis, incommoda quæ ex sua Scientia-media, decretum omne divinæ voluntatis antecedente, sequuntur, in nostram sententiam retorquere nitantur. Nos enim ponimus scientiam conditionatorum, quorum consequens sequitur necessariò necessitate consequentiæ, ex antecedente conditionali; quæ scientia non est media, sed simplicis intelligentiæ. Quare Deus per hanc scientiam cognoscit, quòd si alicui daret auxilium de se efficax, ille infallibiliter ac liberè converteretur. Et hæc verè scibilia sunt, non autem illa conditionata ab illis posita, quorum consequens non sequitur necessariò ex antecedenti, etiamsi ponatur in esse. Non enim aliquid scibile est, quod non sit aliqua necessitate necessarium. Et

ideò

ideò in voluntate omnino indeterminata & indifferenti, etiam in quibusvis circumstantiis posita, non potest certò & infallibiliter ab illo intellectu cognosci, quid sit determinatè futura; quia etiam in illis circumstantiis posita, est omninò indifferens & indeterminata; in qua subinde non potest certò & infallibiliter cognosci determinatus effectus, ut docet expresse S. Thomas 1. p. q. 14. art. 13. in corpore, ubi sic ait: *Contingens, ut est in sua causa, consideratur ut futurum & ut contingens, nondum determinatum ad unum: quia causa contingens se habet ad opposita; & sic contingens non subditur per certitudinem alicui cognitioni. Unde quicunque cognoscit effectum contingentem, in causa sua tantum, non habet de eo nisi conjecturalem cognitionem.* Et idem docet quæst. 57. art. 3. & quæst. 86. art. 3. in corpore, & art. 4. etiam in corpore, & quæst. 16. de Malo art. 7.

Augustinus autem quæstione 2. ad Simplicianum a Patribus relatus, dum ait: *Deum sic eum vocare, quomodo scit congruere illi, ut vocantem non respuat*; nihil aliud voluit quam gratiæ suæ vim & energiam Deum non ignorare, quâ occulte quosdam ita vocat, ut vocando convertat obsequentesque faciat; & ideò ita vocatos videat secuturos, quia vocando facturus est ut sequantur. Ita scit dona sua & beneficia sua, ut apud eundem Augustinum legimus, lib. de dono perseverantiæ cap. 14. ubi ait: *An quisquam dicere audebit, Deum non præscivisse quibus esset daturus ut crederent, aut quos daturus esset Filio suo, ut ex iis non perderet quemquam? Quæ utique si præscivit, profectò beneficia sua, quibus nos dignatur liberare, præscivit.* Et idem repetit eo libro, cap. 17. 18. 21. & 24. Et lib. de Prædest. SS. cap. 10. explicans illud ad Romanos 4. *Quoniam quæcumque promisit Deus, potens est & facere*, inquit: *Non ait, Prædicere ac præscire, sed ait, Potens est & facere, & per hoc facta non aliena, sed sua.* Et cap. 19. inquit: *Cum ergo nos prædestinavit, opus suum præscivit, quo nos sanctos & immaculatos facit*: atque ita scientia hæc non antecedit, sed sequitur divinæ voluntatis decretum. Unde eodem libro de Prædestinatione Sanctorum cap. 9. explicans illud quòd dixerat in libro de sex quæstionibus paganorum quæst. 2. *Quod tunc voluit Christus hominibus apparere, & apud eos prædicari doctrinam suam, quando & ubi sciebat esse, qui in eum fuerant credituri*; quibus verbis contendebant Semipelagiani, ut refert Hilarius ubi supra, suum errorem confirmare, inquit: *Certius, me sine præjudicio latentis consilii Dei aliarumque causarum, hoc de præscientia Christi dicere voluisse, quod convincendæ Pelagianorum infidelitati, qui hanc objecerant quæstionem, sufficere videretur. Quid enim est verius, quàm præscisse Christum, qui, & quando, & quibus locis, in eum fuerant credituri? Sed utrum, prædicato sibi Christo, à se ipsis habituri essent fidem, an Deo donante sumturi: id est, utrum tantummodo eos præsciverit, an etiam prædestinaverit, de iis quærere ac disserere tunc necessarium non putavi. Proinde quod dixi, tunc voluisse hominibus apparere Christum, & apud eos prædicari doctrinam suam, quando sciebat & ubi sciebat esse, qui in eum fuerant credituri, possit etiam sic dici: Tunc voluisse hominibus apparere Christum, & apud eos prædicari doctrinam suam, quando sciebat & ubi sciebat esse, qui electi fuerant in ipso ante mundi constitutionem.*

Potest etiam dici, quòd S. Augustinus, dum verba illa profert, scribens ad Simplicianum, procedit ventilando quæstionem, non eam determinando, ut patet ex fine ejusdem quæstionis, ubi illam ex propria sententia resolvit dicens: *Intueamur superiora, & inde nostram, quantum ipse Dominus adjuvat, sententiam dirigamus. Ait enim paulò ante*: Quid ergo dicemus, nunquid iniquitas apud Deum? Absit. *Sit igitur hoc fixum atque immobile in mente sobria pietate atque stabili in fide, quòd nulla est iniquitas apud Deum, atque ita tenacissimè firmissimeque credatur id ipsum, quòd Deus* cujus vult miseretur, & quem vult indurat, *hoc non est cujus vult miseretur, & cujus vult non miseretur, esse alicujus occultæ atque ab humano modulo investigabilis æquitatis*. Unde & in margine hoc ipsum notatur, cum dicitur, *Conclusio quæstionis*.

Numero 10. Non fideliter referunt nostra, quæ impugnare nituntur. Nos enim diximus, quòd congruitas & præscientia, (quæ juxta Patres Societatis faciunt auxilium esse formaliter efficax) sunt extrinsecæ voluntati: ipsi autem, loco τὸ *formaliter*, substituere τὸ *infallibiliter*; ut nostræ collectionis difficultatem evaderent: quæ etiam juxta tunc ab ipsis dicta, & modò concessa, legitima est. Nam si præscientia quam ponunt, est unum de illis tribus, quæ volunt necessariò requiri ad formalem auxilii efficacis constitutionem, ut dixerunt in superiori Scripto; cum ipsam à voluntate extrinsecam fateantur, illud sequitur, nullum auxilium prævenientis gratiæ, ut formaliter efficax, esse voluntati intrinsecum: quæ erat nostra collectio. Omittimus etiam, quòd circumstantiæ il-

 læ,

læ, ex quibus volunt nasci congruitatem motionis, cùm ut plurimùm extrinsecæ sint, nihil reale intrinsecum ponunt entitati illius motionis: sicut gladio dato tempore belli, nihil intrinsecum reale additur, ex hoc quòd tempore belli datur.

Numero 11. Reverà præscientia consensus liberi arbitrii futuri ex hypothesi, tollit rationem propositi verè & propriè absoluti: quoniam si illud propositum non est in Deo, nisi supposità præscientià, quòd voluntas si ponatur in talibus circumstantiis se determinabit, profectò decretum illius nequit esse absolutum. Siquidem illa motio congrua præcognita, quam efficacem Patres Societatis vocant, non determinat voluntatem ad consensum, sed illum expectat, ut si voluerit, se determinet. Ac proinde hujusmodi propositum nequit esse absolutum; sicut si Prælatus decerneret quòd subditus jejunaret si voluerit, non esset decretum absolutum, sed conditionatum, etiamsi ponatur ipsum præscire, quòd subditus sit jejunaturus.

Exemplum verò quod Patres Societatis primo loco adducunt, non est ad rem: quia præscientia illa sequitur divinum decretum, quo vellet permittere illum, si diutiùs vixisset, peccaturum: quod permittendi decretum includatur virtualiter in decreto illo absoluto, quo Deus statuit illi dare salutem per tale medium, eductionis scilicet animæ illius de medio iniquitatum tali tempore.

In secundo verò casu seu exemplo, de ægroto, præsupponitur juxta ordinem naturæ cognitio finis & intentio, ut juxta eundem ordinem operetur agens, ad illum finem habendum in re: unde etiam non tollit rationem propositi absoluti sumendi medicinam.

De novo autem nomine Scientiæ-mediæ, nos quoque parùm curaremus, nisi rem ipsam novum commentum esse, ad gratiæ efficaciam enervandam, videremus. Quæ certè scientia, aut non vera scientia est, sed conjecturalis notitia, ut ex D. Thoma dicebamus numero 9. ac proinde à Deo prorsùs aliena: aut si vera scientia est, vel erit de conditionalibus necessariis, in quibus consequens necessariò necessitate consequentiæ sequitur ex antecedenti; & ita est scientia simplicis intelligentiæ: vel de conditionalibus non necessariis; & hæc non est certa, nisi supposito divino decreto, quod ubi præcedere intelligitur, mox sequitur esse visionis. Et hanc solam scientiæ divinæ partitionem, in eam quæ est simplicis intelligentiæ, & eam quæ visionis appellatur, agnovere universi Scholastici Doctores antiqui, & præsertim S. Thomas 1. p. q. 14. art. 9. & 12. & 3. parte quæst. 10. art. 2. & primo contra Gentes cap. 66.

Quòd autem ad voces, *physicæ prædeterminationis*, attinet, non semel diximus, in vocibus illis vim non esse faciendam; quando per eas non nova dogmata significamus, sed antiqua Patrum declaramus. Immò vocem Prædeterminationis, seu prædefinitionis, ex vetustissimis Patribus accepimus, præcipuè ex Dionysio cap. 5. de divinis nominibus, titulo de exemplaribus, Lectione 3. apud Sanctum Thomam, ubi sic ait: *Exemplaria autem esse dicimus in Deo existentium rationes substantificas, & singulariter præexistentes, quas Theologia prædefinitiones vocat, & divinas & bonas voluntates existentium prædeterminativas & effectivas, secundum quas supersubstantialis essentia omnia prædefinivit & produxit.* Quæ verba explicans S. Thomas inquit: *Hujusmodi rationes Scriptura vocat prædefinitiones seu prædestinationes*: post pauca subdens, hujusmodi rationes supersubstantialis Dei esse prædeterminativas. Quam etiam prædeterminationis vocem manifestè ex eodem S. Thoma colligimus, q. 5. de Veritate, art. 5. ad 1. & 3. contra Gent. cap. 70. in fine, & 1. parte, quæst. 23. art. 1. ad 1. similiter vocem Prædefinitionis, quam voci prædeterminationis æquivalere putamus, habemus apud S. Athanasium, super caput 2. Epistolæ ad Ephesios, in illa verba, *Quæ præparavit Deus &c.* pag. 104. in Editione Lugdunensi 1532. & apud Sanctum Chrysostomum homilia 1. super eandem Epistolam, & apud S. Leonem Papam Serm. 7. de Passione Domini; & apud Sanctum Anselmum libro de Concordia Prædestinationis & liberi arbitrii cap. 2. apud Theodoretum in illa verba, Roman. 8. *Quos prædestinavit.* Quòd si illa vox *physica*, nova Patribus Societatis videtur, ipsi nos coegerunt illà uti. Non enim novum est in Ecclesia, advenientis novis Doctrinis, ad eas impugnandas nova etiam nomina invenire. Si nos dicimus auxilium efficax prævenientis gratiæ operari per modum agentis, illi Patres similiter dicunt, moralem operari per modum agentis. Si nos dicimus gratiam efficacem infallibiliter assequi suum effectum in hominis voluntate, idem asserunt de morali. Ac demum in omnibus nostra verba sonare curant; cùm tamen in his quæ dicunt nostra verba non consentiant. Cogimur ergo ad illas voces recurrere, quæ strictissimè vim causæ per se verè & realiter efficientis, & transmutantis

mutantis voluntatem explicant; ut dissidium quod inter nos & illos est, liquidò appareat. Omittimus quosdam etiam inter ipsos præcipuos uti eodem nomine, *causa physica*, dum asserunt Deum esse causam physicam nostræ Justificationis, & physicè cooperari conversionem nostram.

Quòd denum de Stapletonio dicunt, hanc vocem, *gratia de se efficax*, esse inventum Calvini, verum fortassis erit in eo sensu quem impius sibi Calvinus finxit, ut arbitrii libertatem omninò tolleret, non verò in sensu qui multis ante seculis traditus est, & creditus ab Orthodoxis Ecclesiæ Patribus, ut ipsemet Calvinus lib. 2. Institutionum cap. 3. num. 10. eodem Stapletonio referente fatetur: quem proinde in hoc nobis contradicentem habere, valde gaudemus.

Numero 12. Diximus & semper dicemus, prævenientem gratiam esse illuminationem, vocationem &c. quibus illuminamur, vocamur, & volentes trahimur; verumtamen vim atque virtutem illi insitam, quâ Deus prævenit voluntatem, dum efficaciter facit ut homo liberè convertatur & piè operetur, esse à solo Deo, est non à libero arbitrio: Quòd licet vocationibus illis & illuminationibus liberè assentiatur, & piè operetur; solius tamen Dei est illud prævenire, efficiendo ut liberum consensum præstet: quod sacra Concilia, Augustinus, Prosper, Bernardus, & cæteri omnes Catholici Patres semper docuerunt. Et in hoc verè consistit ratio efficaciæ formaliter sumtæ, pro illa videlicet vi & virtute auxilii prævenientis gratiæ efficacis.

Numero 13. Nobis ipsis etiam in verbis consentientes, ineptissimam esse Calvini consequentiam, denuò dicimus. Quoniam ex hoc antecedenti, Gratia est de se efficax, vel à se ipsa efficax, intulit, Ergo tollitur libertas arbitrii. Quam consequentiam tertiò dicimus ineptissimam: cùm sæpe dictum à nobis fuerit, gratiam de se efficacem ita voluntatem movere, ut liberè se ipsam moveat. Inquit enim Augustinus lib. de correp. & gratiâ cap. 2. *Non se fallant qui dicunt, ut quid nobis prædicatur & præcipitur, ut declinemus à malo, & faciamus bonum; si hoc nos non agimus, sed id velle & operari Deus operatur in nobis? Sed potiùs intelligant, si Filii Dei sunt, Spiritu Dei se agi, ut quod agendum est agant; & cum egerint, illi à quo aguntur, gratias agant. Aguntur enim ut agant, non ut ipsi nihil agant.* Immò verò ex efficacia, quam habet motio divina de se, ut venit à Deo, perficitur libertas nostri arbitrii, & ad piam operationem roboratur, ut definivit Cœlestinus I. in Epistola ad Episcopos Galliæ, cap. 12. Unde hanc consequentiam illi oppositam, necessariam esse existimamus: Gratia est de se efficax, Ergo non tollitur per eam, sed perficitur libertas arbitrii. Quia, ut docet S. Thomas secunda secundæ quæst. 9. art. 4. ad 1. magis repugnaret divinæ motioni, si voluntas ex necessitate moveretur, quod suæ naturæ non competit, quàm si moveretur liberè, prout competit suæ naturæ. In illo autem antecedente non expressit Calvinus pessimum sensum, quem ipse fingebat in illa dictione; nec verba illa talem sensum præ-se-ferunt; ut scilicet ita esset gratia de se efficax, quòd sola tantùm operaretur, & per eam nos liberè non cooperaremur. Si enim antecedens cum hac expressione formasset, utique antecedens ineptissimum assumsisset. Ex quo nihil mirum si clarâ consequentiâ ineptissimum pariter consequens intulisset. Quia verò id quod intendebat in antecedente, verbis non expressit, & subinde accipiendum fuit tale antecedens in sensu quem verba ipsa faciebant; ideò jure diximus, ex illo antecedente ipsum ineptissimam collegisse consequentiam. Certissimum tamen est, quem modo referebamus fuisse impii Calvini sensum, ut animadvertit Stapletonius, & ejusdem hæretici verba apertissimè ostendunt. Ita enim ait: *Movet voluntatem Deus, non qualiter multis seculis traditum est, & creditum, ut nostræ postea sit electionis motioni aut obtemperare, aut refragari.* Et lib. 2. Institutionum cap. 3. §. 7. *Sed erunt*, inquit, *qui concedant, voluntatem à bono suapte ingenio aversam, solâ Domini virtute converti, sic tamen ut præparata suas deinde in agendo partes habeat, quemadmodum docet Augustinus, omne bonum opus gratiam præcedere & id concomitante non ducente, pedisequâ non prævia voluntate.* Et infra, *Sed quia reformata opus Domini præstat, hoc perperam homini tribuitur, quod gratiæ prævenienti pedisequa voluntate obsequatur.* Hactenus Calvinus. Quamobrem dum adjiciunt, nos apertè antecedens illud Calvini concedere; si nomine antecedentis intelligant hæc præcisè verba, gratia est de se & ex natura sua efficax, sensu latè à nobis numero hoc 13. in præcedentibus Observationibus, & hic & aliàs explicato, transeat. Si autem intelligant illa verba in sensu hæretico quem habuit Calvinus, est falsissimum. Vult enim iste hæreticus, Gratiam ita de se esse efficacem, ut sola totum operetur, & per quam voluntas nostra non cooperetur liberè.

liberè: quòd esse contra doctrinam præcedentium seculorum, & contra Sanctum Augustinum, Calvinus ipse fatetur. Nos Catholici doctrinam præcedentium seculorum, & præsertim S. Augustini, sequentes, dicimus gratiæ efficaci voluntatem liberè cooperari, & ab ejusdem gratiæ vi & efficacia, quòd voluntas operetur, & quòd liberè cooperetur, ut ex eodem Augustino lib. de correp. & gratia cap. 8. colligitur. Quamobrem in tanta sensus diversitate, omnium esto judicium, quàm sine causa sensum Calvini nos vel unquam somniasse, Patres isti subindicent.

Numero 14. Necessaria fuit Observatio: quoniam dum diximus auxilia gratiæ sufficientis, addentes, In quibuscunque circumstantiis loci & temporis conferantur, idem est ac si dicatur, In via Patrum Societatis, auxilia gratiæ efficacis, saltem potissimè; ut patet ex his quæ numero 10. dicunt. Ad quam sanè eorum efficaciam non sequitur infallibilis præscientia ante decretum divinæ voluntatis: ut latè diximus numero 6.

Numero 15. Non fideliter referunt Patres Societatis id quod diximus, cùm sileant *virtualiter*, & reduplicationis notam hoc respicientem. Diximus enim, quòd infallibilis hæc connexio gratiæ prævenientis cum consensu liberi arbitrii futuro est virtualiter in ipsa vi intrinseca auxilii efficacis, tanquam in sua causa efficiente: nec in ista ratione dependet ullo modo vel directè vel remotè ab ipsa voluntate: quoniam non de quavis connexione locuti sumus, sed de infallibili dumtaxat. Cujus certè infallibilitas virtualiter est in vi tantùm ipsius gratiæ, ut, quemadmodum Apostolus ait ad Romanos 4. Secundùm gratiam sit promissio. Quòd egregiè Augustinus notavit lib. de Prædestinatione Sanctorum cap. 10. voluntas enim cùm de se sit indifferens & contingens causa, nullo modo hujus infallibilitatis potest esse fundamentum, ut diximus numero 9. Quemadmodum autem verissimè Concilia dicunt, auxilium Dei trahentis hujusmodi esse, cui homo, si velit, possit dissentire; ita falsissimum est, infallibilem connexionem cum subsequenti consensu, eidem auxilio inniti non posse. Nam sicut vult Deus, ut motioni suæ efficaci, possit voluntas dissentire si velit, ita vult quòd liberè semper consentiat: ex quo nascitur prædicta infallibilitas. Modus autem quem proponunt Patres Societatis de infallibili connexione, exclusus facilè manet ex dictis Numero 9.

Numero 16. Si hæc sine Controversia sunt, non erat cur in Scripto superiori, numero 16. apponerent voces illas, *saltem remotè & indirectè*.

Numero 17. Videmus nos, quia efficacia causæ non dependet à respectu ad suum effectum; quia causa & virtus ipsius absoluta est, nec dependet à suo effectu. Et subinde auxilii prævenientis efficacia non dependet à respectu ad liberum consensum, qui est ejus effectus, sed potiùs talis respectus consequitur ad efficaciam auxilii prævenientis gratiæ. Præterea cùm relatio nec agat nec patiatur, sed fundamenta relationis in subjecta materia sint actio & passio; ille respectus vel relatio nullam potest præstare efficaciam, sed eam necessariò præsupponit.

Numero 18. Nulla est repugnantia: quoniam ut absolutè & in sensu diviso potest quis resistere efficaci Dei voluntati, ita etiam auxiliis de se efficacibus. Et oppositum asserere, est Calvini hæresim profiteri: quam nos cum Sanctis Patribus & Concilio Tridentino perpetuò rejecimus. At ex suppositione & in sensu composito, nec efficaci Dei voluntati, nec auxiliis ejusdem efficacibus quis potest resistere. Est autem inanis collectio: nam motio illa intrinsecè efficax ponit infallibiliter actum consensus voluntatis liberè cooperantis, non autem unquam tollit potentiam dissentiendi. Et certè si illatio facta à Patribus Societatis bona illis videtur, hanc etiam consimilem approbabunt: Quilibet reprobus dum vivit in hac vita, potest salvari: Ergo non infallibiliter damnabitur. Et tamen antecedens est de fide; consequens autem est hæreticum. Nulla similiter est alia deductio, ut scilicet idem sit posse dissentire auxiliis intrinsecè efficacibus, & illa posse inefficacia reddere. Nam primum denotat, simul cum auxiliis illis esse in libero arbitrio potentiam ad dissentiendum, si velit; quod est de fide: secundum verò significat, esse potentiam in libero arbitrio, quæ vim illam, quam auxilia intrinsecè in se habent, detrahat aut detrahere possit; quod est impossibile; ut etiam Patres illi hoc eodem numero in superiori Scripto, & infra numero 26. verissimè dixerunt. Eadem ratione non est idem, posse facere oppositum ejus quòd Deus scivit, & posse falsam reddere scientiam Dei.

Numero 19. Dant Patres Societatis quod observavimus, auxilium videlicet efficax non esse secundùm omnem rationem præveniens.

Numero 20. Ad ea omnia quæ hoc numero

mero congerunt, patet solutio ex dictis numero 10.

Numero 21. Cùm in illa propositione, quam hîc referunt, adsit vox illa *simul*, quae cadere potest, vel super potentiam, ut scilicet cum integra efficaciae ratione stet simul potentia ad dissentiendum, qui est sensus divisus, vel super actum, ut cum eadem integra efficaciae ratione stet simul actus dissensus, qui est sensus compositus; propositio illa ex se non clariùs involvit sensum compositum quàm divisum. Atque adeò illum distinximus, nec in sensu composito sensum divisum fiximus. Ex quibus unà cum his quae diximus numero 18. iis quae hoc numero deinde dicuntur, planè satisfactum est.

Numero 22. Dum dicunt, gratiam praevenientem, propriè cum voluntate conversionem efficere; si per ly *propriè*, intelligant formaliter, id est, quatenùs praeveniens est, apertè sibi ipsis contradicunt: Nam supra numero 19. dixerunt, auxilium, qua ratione nobiscum operatur, esse concomitans. Si autem quid aliud intelligant, quàm *formaliter*, insolutum manet quod in eos observatione nostra ad hunc numerum retulimus. Ad id verò quod ex S. Fulgentio dicunt, numero primo responsum fuit.

Numero 23. Perperàm usurpari existimamus nomen efficaciae pro efficientiâ. Nam efficientia actualis, quae ipsa effectus productio est, pendet ab efficacia producentis. Idem autem non dependet à se ipso. Unde terminos quos nos distinximus, ipsi confundunt.

Ex quibus patet ad numeros 24. & 25.

CONSECTARIA

A Patribus Societatis deducta,

Ex superioribus PP. Praedicatorum Animadversionibus.

EX his Animadversionibus PP. Praedicatorum constant octo sequentes propositiones, in quibus est controversia inter ipsos & nos.

1. Voluntas per motionem gratiae efficacis, tanquam à causâ primâ supernaturali praedeterminatur à Deo, priùs naturâ & ordine causalitatis, non autem tempore. Ex numeris 7. & 8.

2. Efficacia gratiae praevenientis posita est in intrinsecâ motione, ex cujus sola vi & virtute, voluntas juxta suum modum proximè praeparatur ad gratiam.

3. Scientia qua Deus cognoscit motionem gratiae ita congruere voluntati, ut si per eam praemoveatur, sit infallibiliter praestitura consensum, non est in illo ante decretum divinae voluntatis.

4. Efficacia auxilii praevenientis non est vitalis motio; ac proinde nec à voluntate sicut à principio vitali, sed à solo Deo. num. 12.

5. Efficacia auxilii praevenientis tota consistit in sola naturâ intrinsecae motionis: ac proinde ex sola sua naturâ & virtute est completè efficax. Ex num. 13.

6. Infallibilis connexio auxilii efficacis cum voluntatis consensu, sicut in causa, est in virtute talis auxilii: ac proinde nullo modo à creata voluntate dependet. num. 15. & 17.

7. Quamvis liberum arbitrium saepè resistat auxiliis gratiae sufficientis, non tamen illa reddit inefficacia. Num. 18.

8. Dissensus liberi arbitrii in sensu composito non potest stare simul cum tota entitate motionis gratiae praevenientis. num. 21.

Nec tamen in his solis controversia est, sed et aliis, quae facilè constabunt, si quemadmodum nos respondimus ad quaestiones ab ipsis propositas, (a) in quibus (a)
sunt quae ad controversiam non pertinent; ita & ipsi respondeant ad eas, quae in 3. Congregatione à nobis propositae sunt; in quibus potissimae controversiae partes & fundamenta attinguntur: quibus Patres Praedicatores, speciali aliqua ratione ducti, respondere huc usque detrectarunt: ea fortasse, (b) ne vel periculosa approbare, vel (b)
à suis asserta reprobare cogerentur. Sic enim omnes illae inter se sunt connexae, ut nec possint ad eas respondere, non destruendo modum quo sentiunt voluntatem per gratiam efficacem à Deo praemoveri, nec sine illis possunt omni ex parte intelligi, quid aut in quo reposita sit efficacia gratiae praevenientis; ac proinde neque à quibus causis oriatur.

Si enim ad 2. quaestionem negetur praedeterminatio voluntatis ad realem entitatem actus mali, (c) sicut necessariò videtur (c)
neganda; manifestè colligitur eam praedeterminationem non esse necessariam ad actus liberos bonos ordinis naturalis, atque adeò neque ad supernaturales. Quare efficacia auxilii praevenientis non poterit consistere in ea praedeterminatione.

Similî ratione, si haec praedeterminatio dicatur esse necessaria ex parte actus primi, & ut voluntatem compleat in actu primo, re ipsa negatur esse auxilium verè sufficiens ad operandum (d): quod nisi tribuat om- (d)

nia antecedentia, quæ in voluntate ante consensum ex parte Dei sunt necessaria, re ipsa non est ad operandum sufficiens.

Denique si in altera quæstione admittatur communis definitio potentiæ liberæ, quæ sine temeritatis periculo rejici non potest, rectè infertur, aut prædeterminationem auxilii prævenientis non esse ad operandum necessariam, aut voluntatem non esse in operando liberam; quippe quæ cum prædeterminatione quæ ad operandum prærequiritur, non potest non operari, & (c) illa deficiente operari non potest. (e)

Ex quibus patet, quæstiones à nobis propositas intimius attingere controversiam de efficacia gratiæ, quam illas quas Patres Dominicani proposuerunt: videlicet an prædestinati sit diminuta in mediis necessariis ad salutem; & an positâ prædestinatione ac præscientiâ, homini relinquatur libertas: de quibus inter Theologos Domicanos & Societatis nulla unquam controversia fuit.

CONSECTARIA

A Patribus Prædicatoribus deducta,

Ex suis ipsorum Animadversionibus.

Cum Patres Societatis, in his octo Propositionibus ab ipsis collatis, quas ex nostro Scripto constare dicunt, quædam addiderint, quædam etiam subtraxerint, quæ sensum non parùm mutare videantur: visum est eas accuratè & fideliter, ut in eodem Scripto tradidimus, referre.

1. Prædeterminatio accipitur dupliciter, primò pro determinatione ad unum, cum impositione necessitatis, sicut est in rebus naturalibus. Et isto modo nec gratia efficax, nec Deus per gratiam efficacem, prædeterminit voluntatem ad piam operationem. Secundò accipitur pro motione gratiæ, quæ efficit ut voluntas liberè & infallibiliter se determinet, tanquam secundum determinans liberum, sub potenti manu primi determinantis. Et isto modo verissimum est, Deum physicè, seu efficaciter determinare voluntatem ad piam operationem, priùs naturâ & ordine causalitatis, non autem temporis.

2. Efficacia actualis auxilii prævenientis gratiæ consistit in reali & intrinsecâ motione, recepta in intellectu & voluntate; ex cujus sola vi & virtute voluntas juxta modum suum præparatur proximè ad gratiam.

3. Hæc infallibilitas (qua scilicet certò & infallibiliter præscit Deus hujusmodi motionem, etiam Patres Societatis congruam ponunt, ita aptari & congruere voluntati, ut si per eam præveniatur, sit præstitura consensum) non potest certò colligi ex præscientia Dei ante decretum divinæ voluntatis.

4. Efficacia auxilii prævenientis, formaliter pro ipsa vi & virtute auxilii, non est vitalis motio; & per consequens propriè loquendo non est à voluntate virtualiter influente, sed à solo Deo, qui solus dat vires efficacissimas voluntati, & facit ut faciamus.

5. Tota efficacia auxilii prævenientis gratiæ consistit in illa motione de se ex natura sua, hoc est, secundùm virtutem intrinsecam, quam habet à Deo, per quam ipse efficit, quòd nos liberè & infallibiliter cooperemur.

6. Infallibilis connexio gratiæ efficacis cum futuro consensu, est virtualiter in ipsa vi intrinsecâ auxilii efficacis, tanquam in sua causâ efficienti. Nam per illud auxilium efficit Deus fortiter & suaviter, quòd voluntas liberè & infallibiliter consentiat, & piè operetur: nec in illa ratione dependet ullo modo, vel remotè vel indirectè ab ipsa voluntate.

7. Auxiliis prævenientis gratiæ intrinsecè efficacibus potest quidem semper liberum arbitrium resistere, vel dissentire, si velit, nunquam tamen dissentiet. Nec subinde potest reddere inefficacia auxilia, quæ prout veniunt à Deo sunt intrinsecè efficacia.

8. Dissensus liberi arbitrii in sensu composito, nec stat nec stare potest simul cum integrâ & completâ efficaciæ ratione; bene tamen in sensu diviso.

Ad ea quæ nobis consequenter opponunt reponimus. Ad τὸ (a) dicimus nullas nos in mutua collatione quæstiones proposuisse: quare nunquam ipsi responderunt ad quæstiones, quas nos proposuerimus, sed solùm ad illas, quas Illustrissimus Cardinalis Madrutius utrique parti proposuerat.

Ad τὸ (b) Suspicio hæc primi Societatis vanissima est. Rationes enim propter quas impertinentibus istis ac inutilibus quæstionibus, quas nonnulli in negotio de gratiæ efficaciâ proponere voluerunt, respondere noluimus, jam aliàs diximus: quas cùm Patres viderint, mirum est quòd certa relinquentes, ad suspiciones confugiant.

Ad τὸ (c) Quod de prædeterminatione ad entitatem actus peccati, & ad actus bonos ordinis naturalis asserunt, ad rem ut sæpe diximus, præsertim numero 3. nihil faciunt.

Ad τὸ (d) Quàm vana sit hæc illatio, num. 4. planè ostendimus.

Ad τὸ (e) Istis denique plenè aliàs & modò numero 3. & 8. satisfecimus. VIII.

VIII.

EXCERPTA
EX MANUSCRIPTIS CODICIBUS LUDOVICI MADRUTII,
S. R. E. Cardinalis, & Episcopi Tridentini:

Ex quibus ejus, de controversis inter Prædicatores & Iesuitas quæstionibus, sententia dignosci potest.

Judicium Card. Madrutii de Doctrina Societatis: quòd non differat ab errore Semi-pelagianorum. Ex M. SS. paginâ 5. & seq.

Ad Caput. 8. libri 2. Historiæ de divinis Auxiliis.

PAtres Societatis, quia vident sententiam S. Augustini fuisse sæpè per Ecclesiam approbatam, nec posse illi repugnari sine nota temeritatis, conantur ostendere se illam sequi: cùm tamen qui ex ipsis primò has controversias excitarunt, apertè confessi sint se ab illa recessisse.

Tamen etiam ex antiquis concertationibus apparet, an hæc sententia Patrum Societatis sit ea quam S. Augustinus tenuit. Nam Pelagiani S. Augustino affingebant Manichæismum, quasi omnia fato fieri diceret, & absolutâ necessitate, ac penitùs arbitrii libertatem tolleret; nec tamen unquam S. Augustinus confugit ad ista media, quæ Patres Societatis ponunt. Quòd si S. Augustinus sensisset gratiam congruam illam esse, quæ contemperatur libero arbitrio, eamque infallibiliter operari, præsuppositâ ea cognitione Dei, qua liberum arbitrium sic vocatum, consensurum ex innatâ libertate prævidet, profectò exemisset à mente Pelagianorum illam opinionem, quam non solùm de ipso, sed de omnibus sententiæ suæ sectatoribus conceperant. Nam S. Augustinus semper hoc agit, ut contendat non fato, sed Dei voluntatis absoluto decreto, hominem vocatum & excitatum consentire, consensumque internum facere, qualem vult, non qualem invenit.

Massilienses Pelagiani, & alii qui se à Pelagio segregabant, doctrinæ tamen S. Augustini plura objiciebant, quibus se scandalisatos contendebant. At nunquam S. Augustinus ad istas doctrinas aut positiones confugit. Immò si attentè legantur libri de Prædestinatione Sanctorum, & de dono Perseverantiæ, apparet ipsum suis solitis inhæsisse fundamentis. Neque unquam illam gratiam * dixit, quæ contemperetur congruatque voluntati, & libero arbitrio. Nec illius infallibilitatem ponit in eo quòd Deus viderit consensurum hominem, sed in eo quod ipse est facturus, & quid homo suæ gratiæ dono sit futurus.

* *deesse videtur vox efficacem.*

Idem quod S. Augustinus agit in hoc, sequuntur Prosper & Hilarius & Fulgentius; idem Cœlestinus Papa, idem Concilium Africanum & Milevitanum, idem Anselmus & Bernardus. Semper enim efficacia tribuitur ipsi divinæ motioni, & ejus gratiæ auxilio: nullibi illa congruentia ex tali contemperatione & proportione, nisi quatenus est à gratia, proponitur.

At interim est considerandum, quòd eadem quæ objiciebantur doctrinæ S. Augustini, modò objicere solent Patribus Dominicanis. Sunt enim qui arbitrantur, si datur auxilium efficax, quo liberum arbitrium motum agit, quòd tollitur ratio meriti, & plura alia. Objiciunt passim si datur talis motio, quòd nullus habebit auxilium sufficiens, quo possit salvari; quòd in desperationem adiguntur homines; quòd tollitur omne studium bonorum operum, tolluntur exhortationes; quæ omnia objiciebant Pelagiani Augustino. At ut isti confugiunt ad gratiam congruam, & prævisa in tali circumstantia, cur S. Augustinus non confugit? Cur illos vicit unâ judicii & misericordiæ Dei occultâ & inscrutabili regulâ?

Non poterant Massilienses capere, Deum inclinare voluntates ad id quod vult, salvâ illorum libertate: quod tamen S. Augustinus asserebat. Nec solvit illorum dubitationem, quia Deus utitur illis mediis quibus videt illos liberè consensuros: sed quia potenter & efficaciter operatur voluntatem in cordibus eorum quos movet.

JUDICIUM CARD. MARDUTII *de principiis ac distinctionibus, quibus Prædicatores & Jesuitæ suas tuentur assertiones. Quod illa à Calvinismo optimè vindicentur, non item ista à Pelagianismo.*

Ex M. 88. pag. 15. & seq.

APpetitus naturalis eodem modo movetur, quo appetitus rationalis, per propriam nempe inclinationem, licet præsupponat repræsentationem objecti congruo modo, & licet necessariò non sit determinatus ad unum.

Physica determinatio est naturalis respectu inclinationis physicæ potentiæ elicitivæ actus, non respectu potentiæ in se. In agentibus necessariis est determinatio potentiæ ad actum, respectu potentiæ. Nam brutum determinatur ad unum respectu potentiæ per actum: homo respectu actus non potentiæ: quia iste, quando actum unum elicit, potest illum non elicere, vel elicere oppositum respectu potentiæ: respectu actus non potest, quando elicit, non elicere; nec potest pro illo tunc elicere oppositum, quia actus oppositi sunt incompossibiles.

Appetitus voluntatis in actum peccati, est quoddam bonum naturæ, licet sit inordinatum ex inordinatione voluntatis, quæ appetitum movet ad illud bonum, avertendo & se & appetitum à bono incommutabili; & convertendo & se & appetitum ad bonum commutabile.

Gratia ex sua entitate est efficax, est tamen impedibilis. Unde ex entitate sola gratiæ non sequitur infallibiliter effectus; sed bene ex motione divinâ & voluntate Dei: quia tali gratiâ liberum arbitrium tantùm valet & potest, quantùm Deus vult illâ valere & posse. Unde ex motione & determinatione divinâ fit, quòd gratia habeat completam rationem causæ efficacis, utpote quæ à libero arbitrio ut causâ secundâ non impeditur, quia insuperabiliter operatur liberi arbitrii consensum: cùm eadem gratiâ adjuvante Deus præparet voluntatem, faciendo eam ex malâ bonam, ex pravâ rectam. Concurrit tamen ex innata sua libertate; quia per propriam inclinationem, & ipsa est quæ vult & se determinat, licet mota ut causa secunda, sui tamen actus Domina; utpote quæ secundùm conditionem & potentiam propriam possit actum non elicere & dissentire. Quod tamen non facit, non quia cogatur aut absolutè necessitetur: sed quia ita movetur & inclinatur, ut delectabiliter feratur in objectum, illudque liberè amplectatur.

Lutherus & Calvinus sæpè utuntur aliquibus principiis Catholicis, ex quibus colligunt hæreticas conclusiones; nec ideo principia sunt impugnanda, sed conclusiones. Nec est utendum locutione ipsorum, quando est ab ipsis conficta, sed quando est ab ipsis usurpata. Propterea quæ notantur à Patribus Societatis in Prædicatorum doctrinâ principia, conclusiones, & distinctiones, reducuntur ad sensum Catholicum, & sunt de mente S. Thomæ, cujus etiam sunt distinctiones & vel sunt communes Scholis, vel certè ab omnibus habitæ hucusque ut probabiles: nec quisquam illis unquam objecit, quòd liberum arbitrium tollerent.

Præterea quæ notantur à Patribus Dominicanis in Molina, & defendunt Patres Societatis (& videtur ipsorum doctrina) non habent assertorem aliquem probatum Doctorem, neque sumuntur ab aliquo probato Doctore: & in sensu in quem ex sententia Dominicanorum resolvuntur, non vindicantur per distinctiones & supposita communia & recepta in Scholis, sed per nova quæ vel improbantur à multis, vel non satis dilucidè explicantur; cùm ex opposito Patrum Dominicanorum propositiones resolvantur & reducantur ad sensum Catholicum, non solùm in ipsis, sed etiam in primis autoribus.

Qui D. Thomæ doctrinam sequuntur, cum distinctionibus solitis non confictis, quibus vindicantur ab omni sensu hæreticorum, non solùm effugiunt suspicionem, sed maximè probabiliter loquuntur. At contra, qui se doctrinæ D. Thomæ opponunt per insolitas & confictas distinctiones & suppositiones, quique doctrinam D. Thomæ rapiunt in sensum hæreticorum, negantes apertas & solitas distinctiones, calumniosè procedunt, & periculosè invertunt bonam & sanam doctrinam, illam sensuum conformitatem attribuentes: reducunt doctrinam D. Thomæ, contra manifestas sensuum distinctiones in Scholis receptas, ad sensum hæreticorum, ipsius Sancti Doctoris sententiæ manifeste contrarium.

Quæ verò resolvuntur per bonas consequentias in sensum Pelagii, vindicantur ab eo sensu novis insolitisque distinctionibus. Nec ipsorum doctrina subsistet, nisi veteri probatâ & receptâ, ut contraria fidei ejiciatur.

JUDI-

JUDICIUM CARD. MADRUTII,

de doctrina Bannesii & Molinæ: quod illa vere ac certo Thomistica sit & Augustiniana, ista non item.

Ex M SS. pag. 23.

VIdetur quòd sententia Bannes sit deducta ex principiis D. Thomæ, & quòd tota fluat ex ipsius doctrina, licet in modo loquendi aliqualiter differat. Nullibi enim S. Thomas dicit liberum arbitrium moveri concursu physico, sive gratia efficaciter physice prædeterminante liberum arbitrium. Si tamen attente legatur, in re non videtur ab ista Bannesii sententiâ, aut modo loquendi distare.

Primò enim S. Thomas tenet, Deum uti causam primam & universalem concurrere cum omni agente naturali, non solùm conservando vires illius, sed etiam influendo in ipsum, & movendo & applicando ad opus. Dicit enim Prima secundæ q. 109. art. 1. *Quod omnes motus tam corporales quàm spirituales reducuntur in primum movens, quod est Deus: & ideò quantumcunque natura aliqua corporalis vel spiritualis ponatur perfecta, non potest in suum actum procedere, nisi moveatur à Deo; quæ quidem motio est secundùm suæ providentiæ rationem, non secundum necessitatem naturæ.* Et art. 9. in corpore: *nulla res creata potest in quemcunque actum prodire, nisi virtute motionis divinæ.* Similiter 1. parte quæst. 105. art. 5. *Quòd Deus operetur in omni operante, & quòd primum agens movet secundum ad agendum: & secundùm hoc omnia agantur in virtute ipsius Dei: & ita ipse est causa omnium actionum agentium.* Ibidem ad tertium ait, quòd *applicat formas ad agendum.* Quæstione de potentia art. 9. idem. dicit. & art. 4. ait: *Quòd Deus operatur in omnibus rebus, sicut causa prima in causâ secundâ.* Idem dicit quæst. 3. de potentia art. 2. Unde etiam quoad actiones liberi arbitrii ponitur Deus ut primum movens. Dicit enim Prima secundæ quæst. 109. art. 2. *Quòd natura humana secundum utrumque statum, indiget auxilio divino ad faciendum vel volendum quodcunque bonum, sicut primo movente.* Unde ponit S. Thomas Deum, ut primum moventem, voluntatem etiam in particulari, ut Prima secundæ quæst. 9. art. 6. ad 3. dicit, *Quod interdum Deus aliquos movet specialiter ad aliquid determinate volendum, quod est bonum; sicut in his quos movet per gratiam.*

Et licet S. Thomas ponat voluntatem ex se moveri per propriam inclinationem; tamen centies dixit hoc non excludere motionem divinam: & voluntatem quidem se ipsam movere, nec tamen primò, nec ut causa prima, sed ut causa secunda. Unde S. Bernardus lib. de gratia & lib. arbitrio, *Attingit autem fortiter, non quidem mobili discursione, vel locali diffusione, vel subditæ creaturæ tantùm officiali administratione, sed substantiali quadam & ubique præsenti fortitudine: quia ubique universa potentissime movet, ordinat & administrat.*

Etiam D. Thomas ponit, quòd motio Dei sit efficax & efficaciter determinans. Prima secundæ quæst. 10. art. 4. ad 3. *Si movet Deus voluntatem ad aliquid, impossibile est poni, quod voluntas ad id non moveatur: non tamen est impossibile simpliciter.* 1. p. quæst. 112. art. 3. *Potest considerari præparatio hominis, ut est à Deo movente, & sic habet necessitatem ad id ad quod ordinatur à Deo, non quidem coactionis, sed infallibilitatis: quia motio Dei deficere non potest; secundum quod dicit S. Augustinus de Prædestinatione Sanctorum, quod per beneficia Dei certissimè liberantur, quicunque liberantur. Unde si ex motione Dei moventis est, quòd homo cujus cor movet, gratiam consequatur, infallibiliter ipsam consequetur.*

Et secunda secundæ q. 29. art. 11. in corpore dicit: *Impossibile est hæc duo simul esse vera, quod Spiritus Sanctus velit aliquem movere ad actum charitatis, & ipse charitatem amittat peccando.* Similiter & ubique dicit Deum sua motione præmovere liberum arbitrium: prima secundæ q. 109. art. 2. ad 1. *Quod liberum arbitrium deliberet vel non deliberet, etsi hujusmodi etiam sit Dominus, oportet quod hoc sit ex deliberatione præcedenti. Et cùm hoc non procedat in infinitum oportet quod finaliter deveniatur ad hoc quòd hominis liberum arbitrium moveatur ab exteriori principio, quod est Deus. Quod etiam Philosophus probat de bona fortuna. Unde indiget voluntas sana moveri à Deo, & multò magis liberum arbitrium hominis infirmi post peccatum.* Eadem quæst. art. 6. in corpore: *Unde patet quod homo non potest se præparare ad hujusmodi gratiæ susceptionem, nisi per auxilium divinum interius moveatur.* Et ad secundum: *Cum dicitur homo facere quod in se est, dicitur hoc esse in potestate hominis, secundùm quod est motus à Deo.* Quæstione 3. de causa peccati, dicit: *Quòd causa perficiens & propria voluntarii actus, est solùm id quod operatur interiùs. Hoc autem nihil aliud esse potest, quàm ipsa voluntas ut causa secunda, & Deus sicut causa prima.* Et ibidem: *Iste motus voluntatis procedit à voluntate & à Deo, qui est voluntatis causa, qui solus in voluntate operatur, & voluntatem*

tatem inclinare potest in quodcumque voluerit.

S. Augustini doctrinam esse longè diversam ab ea quæ est Molinæ, non solùm convincitur apertissimis sententiis illius S. Patris, sed ex eo maximè, quòd quæ in controversiam fuerunt deducta per plures qui à Pelagio se profitebantur alienissimos, facilè fuissent diluta, si sententia ipsius Augustini illum sensum habuisset, quem aliquando confingit Molina. Nec ipse S. Augustinus, nec Prosper ejus defensor, nec Cœlestinus Papa, nec alii qui adversarios & calumniatores doctrinæ S. Augustini damnarunt & vicerunt, unquam sensum Augustini putarunt aliud ab eo in quo capiebatur ab ipsius calumniatoribus. Sed & ipsemet Prosper & Cœlestinus illum tuentur in eo sensu, quo alii scandalisabantur & tristabantur.

Exstant ibidem alia multa in eundem finem.

JUDICIUM CARD. MADRUTII,

De Propositionibus PP. Societatis, quibus Doctrinæ suæ sensum exposuerunt Scripto ab ipsis dato die 5. Augusti 1599.

Ex M. SS. pag. 163.

1. Propositio Patrum Societatis.

Dupliciter accipi potest gratia efficax. Primo modo facit, ut voluntas convertatur, & pie operetur: secundo modo simul cum voluntate conversionem & piam operationem producit.

Judicium Card. Madrutii.

Hæc distinctio non videtur necessaria. Et apud S. Augustinum, eadem gratia quâ voluntas convertitur, & ex nolente fit volens, cum voluntate conversionem & piam operationem producit. Illa enim vires efficacissimas tribuit voluntati. Nec potest intelligi quomodo gratia efficax faciat quòd voluntas convertatur & piè operetur, & producat cum voluntate conversionem, & piam operationem; cum gratia efficax ut causa prima voluntatem moveat ut causam secundam: quæ proinde operatur in virtute prima, & ab illa recipit tantùm ut possit prodire in actum supernaturalem, & excedentem proportionem suæ virtutis innatæ.

2. Propositio Patrum Societatis.

Primo modo gratiæ prævenientis efficacia, non potest consistere in aliqua simplici entitate, informando voluntatem, & physice eam prædeterminando.

Judicium Card. Madrutii.

Hoc ideo forsitan dicunt, quia arbitrantur prævenientem efficacem gratiæ determinare priùs tempore voluntatem, quàm ipsa se determinet: quod falsum est; cùm conversio sit una numero actio procedens simul tempore à duobus agentibus essentialiter subordinatis. Unde auxilium efficax non præcedit, nisi ordine naturæ & causalitate, liberi arbitrii concursum & conversionem.

3. Propositio Patrum Societatis.

Efficacia propriè & formaliter consistit in tribus: & primò in motione intrinsecâ & reali: 2. in congruitate, quâ motio contemperatur voluntati: 3. in infallibilitate, quâ conversio consequitur gratiam congruam, & contemperatam voluntati.

Judicium Card. Madrutii.

In his qui secundùm propositum miserendi vocantur, omnes partes vocationis quæ non spernitur, habent efficaciæ connexionem; sed in ultimo completur tota & perfecta ratio efficaciæ. Tria enim ponit S. Augustinus, quibus completur vocatio congrua, nempe vocationem ipsam, illuminationem, & dilectionis seu delectationis infusionem: ad quæ sequitur, quòd sic vocati moventur, illuminantur, & sequuntur. Verùm quia vocati & illuminati non possunt infallibiliter consensum liberi arbitrii, ex se non sunt efficacia, & pertinent ad auxilium sufficiens. At sequi, & animo atque effectu complecti objectum, non est sine actu liberi arbitrii. Unde efficacia in hoc ultimo constat, quo tota vocatio completur.

4. Propositio Patrum Societatis.

Motio efficax est semper voluntati congrua & contemperata, ad illamque infallibiliter consequitur effectus.

Judicium Card. Madrutii.

Motio quatenus motio, etiam in congrua vocatione, non est efficax ex se, quia semper tempore præcedit liberi arbitrii consensum, & potest rejici, ut etiam illuminatio, nondum accedente delectationis inspiratione. Et vocatio, & illuminatio, quæque per illam offeruntur animo, non complectuntur, unde infallibiliter sequatur conversio. Et hæc est tota vocatio congrua. Et in instanti quo infunditur delectatio est efficax, per consensum liberi arbitrii, quem gratia causat, per infusionem delectationis.

5. Propositio Patrum Societatis.

Ad hanc infallibilitatem, ex S. Augustini sententiâ, non est satis ipsa entitas motionis, cum non prædeterminet physicè voluntatem, immò nec sola congruat.

Judicium Card. Madrutii.

Entitas gratiæ efficacis determinat voluntatem, cùm illa primitùs auferat cordis duritiem, & delectatione infusa voluntatem faciat ex nolente volentem, eique tunc

tunc tribuat, ut actus superioris ordinis eliciat.

6. & 7. Propositio Patrum Societatis.

Sed praeterea requiritur praescientia Dei, qua certò & infallibiliter praescit hujusmodi motionem aptari & congruere voluntati.

Judicium Card. Madrutii.

S. Augustinus infallibilitatem conversionis tribuit vocationi, quae fit secundùm propositum miserendi. Et Deus in operationibus gratiae scit, quid ipse sit facturus; & quid homo dono suae gratiae sit futurus. Deus quando vult, quomodo vult, & ubi vult, convertit homines. Congruit tamen conversio, quia miris & innumeris modis in homine operatur: & semper ea congruit ipsi voluntati, quia nullus invitus credit; aut invitus trahitur. At si Deus infundit delectationem, an non congruit semper quod delectat?

8. Propositio Patrum Societatis.

Ergo congrua & praecognita à Deo in talibus circumstantiis habitura consensum, est gratia efficax.

Judicium Card. Madrutii.

Quando Deus aufert cor lapideum, & convertens vivificat mortuum impium, quae congruitas est quam Deus praecognoscit? At certe eam praecognoscit, quam facit dono efficacis gratiae. Congruitas verò quae legitur apud D. Augustinum ad Simplicianum, pertinet ad gratiam sufficientem; quae non ex se, sed ex gratiae efficacis auxilio, pertinet ad Electorum vocationem; cum etiam vocatio eorum qui spernunt vocantem, sit congrua, cùm illâ possent si vellent converti. Quòd ergo operentur electi, non est ex congruitate, quae pertinet ad vocationem & illuminationem, sed ex inspiratione delectationis & dilectionis, ardoris & charitatis; quibus fit ut homo infallibiliter convertatur, & pie operetur.

Illuminatio praebetur omnibus: illuminat enim omnem hominem venientem in hunc mundum: at qui diligunt tenebras, non amplectuntur lumen, nec ad illud se convertunt. Sed inspiratâ delectatione, vel dilectione tantâ, quae superet delectationem, vel dilectionem tenebrarum, protinùs fit liberè hominis conversio: quod enim libenter fit, libere fit.

9. Propositio Patrum Societatis.

Efficaciam gratiae esse ex motione efficaci, & proposito absoluto convertendi hominem. Qua de causa semper S. Augustinus hanc gratiam vocat, Secundùm propositum.

Judicium Card. Madrutii.

Dicit Augustinus gratiam efficacem, quae datur electis, & qua certissimè convertuntur, dari secundùm propositum miserendi. Cur ergo refugiunt uti verbis sacrae Scripturae & S. Augustini, quando advertunt quòd propositum secundùm S. Augustinum est propositum voluntatis miserendi? Unde si dicunt gratiam efficacem esse ex Dei efficaci proposito miserendi, clariùs loquuntur, & magis ad sensum Apostoli & Augustini. At intentio efficax & propositum absolutum, non per omnia aequipollent, quoad modum nostrum intelligendi, absoluto & efficaci divinae voluntatis decreto, à quo pendet praeparatio beneficiorum Dei, quibus certissimè liberantur quicunque liberantur.

10. Propositio Patrum Societatis.

Si sermo sit de sola causâ propriè efficienti, totam gratiae praevenientis efficaciam esse à solo Deo, sicut à sola & totali propriè efficienti causâ liberae operationis.

Judicium Card. Madrutii.

Verum est quod dicit. Licet enim illa sit gratia efficax, cum qua liberum arbitrium liberè convertitur & cooperatur; non tamen concurrit in constituenda efficacia gratiae, sed ab illa ut causâ efficaciter movetur, & determinatur ad conversionem, & alios actus supernaturales. Unde liberum arbitrium non concurrit ut causa secunda ad constituendam efficaciam gratiae, ad eliciendos actus, quibus disponitur ad Justificationem, & ad vitam aeternam pervenit. *Meritò quidem id verum esse judicat Card. Madrutius ut infra in Judicio de 16 propositione declarat, cum loquendi modum Patrum Societatis, consiliari non posse cum iis qua de gratia vulgò docent.*

11. & 12. Propositio Patrum Societatis.

Nihilominus eadem efficacia gratiae praevenientis, cum sit quaedam vitalis vocatio à voluntate aliquomodo est; non quidem sicut à principio liberè agente, sed ante ullum liberum consensum vitaliter influente.

Judicium Card. Madrutii.

Quòd gratia sit vitalis motio, non negatur, si ly *vitalis* capiatur pro eo quod est vivificare, excitare, & movere. Verùm dubium est, ne utantur his terminis *vitalis motionis*, ut saepè aliis utuntur, praeter morem communem Scholae, ut effugia habeant, & involutè suam sententiam proferant. At quomodo est aliquo modo à voluntate, si non ut à potentiâ liberâ? Quomodo est à voluntate, si est ante ullum liberum consensum? Nota

13. Propositio Patrum Societatis.

Dicimus auxilium praevenientis gratiae non esse completè efficax praecisè de se, hoc est, ex sola istius motionis naturâ.

Judicium Card. Madrutii.

Nullus catholicus reducit efficaciam auxilii praevenientis gratiae ad solam ipsius motionis naturam. Qua completa vocatio, ultra

ultra motionem & illuminationem, requirit delectationis, vel dilectionis aut ardoris inſpirationem, quas S. Auguſtinus tribuit altiori vel potentiori gratiæ, cujus motio ex ſua natura eſt completè efficax. Quia impreſsâ delectatione, homo infallibiliter convertitur, & piè operatur.

14. Propoſitio Patrum Societatis.

Nec reperiri exiſtimamus Doctorem Calvino antiquiorem, qui gratiam prævenientem, de ſe efficacem eo ſenſu dixerit.

Judicium Card. Madrutii.

Calvinus gratiam non dixit prævenientem naturâ aut cauſalitate, ſed ponit illam omninò prævenientem, ut determinantem voluntatem, antequam ſe determinet: immò nullam agnoſcit voluntatis activam determinationem. Unde conſtituit gratiam efficacem ex ſe, ſine eo quod cauſet liberi arbitrii conſenſum, vel concurſum. Unde legit: *Non ego autem, ſed gratia Dei, quæ eſt in me.* Et contra ejus hæreſim eſt determinatio Concilii Tridentini: nempe quòd liberum arbitrium ſe habeat in ſua converſione mere paſſivè &c. Certè nullus Doctor Catholicus eo ſenſu docuit gratiam efficacem. Sed quia ut cauſa influit in liberum arbitrium, & illud efficaciter movet ad ſuam converſionem, & actuum operationes, ad quas liberum arbitrium lapſæ naturæ ſe determinare non poteſt per proprias vires, inde Catholici Doctores dicunt, unam numero actionem converſionis eſſe gratiæ & liberi arbitrii, non ut duarum cauſarum partialium, ſed ſubordinatarum. Unde tota converſio & conſentio eſt gratiæ, & etiam liberi arbitrii. Unde mirum eſt quòd arbitrentur ſic ſentientes cum Calvino ſentire, qui nullum liberi arbitrii conſenſum activum admittit: nec vult gratiam libero arbitrio vires tribuere, aut illi virtutem impartiri, qua liberè, ut ſuæ naturæ competit, in opus converſionis & fidei prorumpat. In quo cum Calvino ex parte conſentiunt, qui dicunt primam cauſam non influere in ſecundam, nec ſuo motu facere ut operetur.

15. Propoſitio Patrum Societatis.

Si talis motio de ſe haberet infallibilem connexionem cum libero voluntatis conſenſu, nullo modo ſineret voluntatem ſuâ ad conſenſum uti libertate.

Judicium Card. Madrutii.

Si talis motio præcederet omninò etiam tempore, profectò ſequeretur quod dicitur: & hoc etiam verificaretur in motione ſumta, ut præcedit ordine & tempore illuminationem & delectationis inſpirationem. Sed ſi capitur motio pro auxilii efficacis impulſu; illa non quidem ſinit voluntatem uti ſua ad aſſenſum libertate, qua nullomodo in naturâ per peccatum corrupta uti poteſt voluntas, niſi elevetur, & per gratiam efficacem determinetur ad id, ad quod per ſe determinare ſe non poteſt. Determinat ſe autem mota talis gratia prævenientis auxilio.

16. Propoſitio Patrum Societatis.

Idcircò non ſolam intrinſecam gratiæ neceſſitatem, immo nec ejus congruitatem cum voluntate ſatis eſſe, ut effectus ad quem movet infallibiliter ſequatur.

Judicium Card. Madrutii.

Si gratia ut eſt à Deo, etiam ut eſt congrua non producit effectum, ad quem movet infallibiliter, neſcio quomodo efficacia ejus tota pendet à Deo & ex ſe.

JUDICIUM CARD. MADRUTII,

De doctrinâ phyſicæ Prædeterminationis.

PRædeterminationis phyſicæ doctrina, quæ aliquibus videtur non abſurda tantùm & nova, ſed etiam horum temporum hæreſibus favens, ſi juſtè conſideretur, divinæ, ſummæ, & infallibili providentiæ, & incomprehenſibili ejus ſapientiæ, potentiæ & voluntati maximè congruit. Unde nec nova dici poteſt, nec ullo pacto cum falſis hæreticorum dogmatibus convenit, aut illis deſervit, &c. *Ex M. SS. pag. 171.* *Id multis probat argumentis Card. Madrutius.*

IX.

ORATIO

A Clemente VIII. P. M. Habita 20. Martij 1602.

In I. Congregatione de Auxiliis coram ipso Pontifice celebrata.

Ad cap. 8. Lib. 3. Hist. de Auxiliis.

QUamvis soli Deo, non autem ulli mortalium, actionum mearum teneat rationem reddere, placet tamen impræsentiarum consilii mei causas aperire: cur, inquam, hanc universam de Auxiliis divinæ gratiæ controversiam ad mentem S. Augustini expendendam duxerim. Etenim sanctum Prosperum à Ruffino hac in re consultum sapientissimè respondisse semper existimavi; si verè de his quæstionibus instrui desiderabat, sicut desiderare par erat, ipsis S. Augustini disputationibus cognoscendis curam impenderet: ut in confitenda Dei gratia defæcatissimam ac saluberrimam Evangelicæ Apostolicæque doctrinæ intelligentiam consequeretur. Quo factum est, ut Summi Pontifices Romani, mei prædecessores, Zosimus, Bonifacius, Cœlestinus, Leo & Hormisdas S. Augustini doctrinam contra Pelagianos ita laudaverint, ut illius scripta, quæ intrà Gallias à novis Pelagianæ hæresis sectatoribus reprehendebantur, consultò approbaverint. Quemadmodum enim isti credebant se omnia autoritatum munimina posse convellere, si hanc pastoralis speculæ validissimam turrim crebra Pelagiani arietis illisione pulsavissent, ita illi considerantes sanctissimum virum sapientissimè Pelagianorum versutias deprehendisse, & machinas omnes, quibus gratiæ divinæ virtutem effringere & conterere moliebantur, copiosè in multis voluminum disputationibus destruxisse, & funditùs evertisse, illius doctrinæ & argumentis adversùs hujusmodi pestem semper usi sunt. Adeò certè ut S. Bonifacius Prædecessor meus, cùm esset doctissimus, adversùs libros tamen Pelagianorum B. Augustini Episcopi responsa semper poposcerit. Quos si ego in definiendis his quæstionibus imitarer, id & rationi congruum & Deo acceptum fore ratus sum: quippe, dum potestatis autoritate mihi cum illis communi cœlitùs à Deo concessâ utor, & eisdem cum illis vestigiis insisto, & ex eodem fonte, jure hæreditario, defæcatissimam & saluberrimam Evangelicæ Apostolicæque doctrinæ intelligentiam hauriri volo, & eam quam ab illis hac in parte accepi hæreditatem posteris meis relinquo, justissimam Deo facti mei reddam rationem.

S. Prosper cont. Collat. c. 14.

Quibus omnibus accedit, ita S. Augustinum omnes difficultates, quæ vel à Pelagianis & eorum sectatoribus tunc movebantur, vel potiùs moveri possent, penetrasse & explicuisse, & ita illorum omnia sophismata dissolvisse, ut nihil hac nostrâ tempestate de gratia Dei in controversiam vertatur, quod à S. Augustino non fuerit jam olim copiosè pertractatum. Vanum est enim quod à nonnullis dicitur putari, præsentes quæstiones esse recenter à Theologis Scholasticis excogitatas; cùm nihil contra divinæ gratiæ necessitatem & virtutem à recentioribus quibusdam nunc asseratur, quod à Pelagianis & Semipelagianis olim assertum non fuerit: nihil etiam adversùs illos pro ejusdem divinæ gratiæ virtute atque efficacia & necessitate dici oporteat, quod S. Augustinus ante mille ferè & ducentos annos non docuerit.

Etenim celebrem illam distinctionem quâ veteres Theologi gratiam partiti sunt in sufficientem & adjuvantem seu efficacem, ex doctrina S. Augustini desumtam fuisse, apparet ex lib. de corrept. & grat. cap. 12. ubi expressè dicit adjutoria divina ita distinguenda esse, ut aliud sit adjutorium sine quo aliquid non fit; & aliud, quo aliquid fit. „ Unde, inquit, *Primo homini*, *&c.*

X.

SEXTUM SCRIPTUM

A Summo Pontifice CLEMENTE VIII. *Congregationi* de Auxiliis *exhibitum, in quo præcipua Sancti Augustini de gratia Christi dogmata, ipsius Augustini verbis exponuntur.*

Adsit Spiritus Sancti gratia.

I.

Secundùm Sanctum Augustinum datur duplex adjutorium gratiæ divinæ.

S. AUGUSTINUS.

Ad Caput. 8. lib. 3. Hist. de Auxiliis. IPsa adjutoria distinguenda sunt: aliud est adjutorium sine quo aliquid non fit, & aliud est adjutorium quo aliquid fit. *D. August. de corr. & grat. cap. 12.*

Primo itaque homini, qui in eo bono quo factus fuerat rectus, acceperat posse non peccare, posse non mori, posse bonum ipsum non deserere, datum est adjutorium perseverantiæ, non quo fieret ut perseveraret, sed sine quo per liberum arbitrium perseverare non posset. Nunc verò Sanctis in regnum Dei per gratiam Dei prædestinatis non tantùm tale adjutorium perseverantiæ datur, sed tale ut eis perseverantia ipsa donetur. Non solùm ut sine isto dono perseverantes esse non possint, verùm etiam ut per hoc donum nonnisi perseverantes sint, &c. Fortissimo quippe Adamo dimisit atque permisit facere quod vellet, infirmis servavit ut, ipso donante, invictissimè quod bonum est vellent, & hoc deserere invictissimè nollent. *Ibid.*

Tale erat adjutorium quod primus parens desereret cum vellet, & in quo permaneret, si vellet; non quo fieret ut vellet. Hæc prima est gratia, quæ data est primo Adam; sed hæc potentior est in secundo Adam. Prima est enim quâ fit ut habeat homo justitiam, si velit: secunda ergo plus potest, quâ etiam fit ut velit, & tantum velit, tantoque ardore diligat, ut carnis voluntatem contraria concupiscentem, voluntate Spiritus vincat. *In eodem libro cap. 11.*

Ipsi autem (reprobi) vocati dici possunt, non autem electi, quia non secundùm propositum vocati. *In eodem libro cap. 13.*

Vocat enim Deus prædestinatos multos filios suos, ut eos faciat membra prædestinati unici Filii sui; non eâ vocatione quâ vocati sunt qui noluerunt ad nuptias venire, (illa enim vocatione & Judæi vocati sunt, quibus Christus crucifixus scandalum est, & gentes) quibus crucifixus stultitia est, sed ea vocatione prædestinatos vocat, quam distinxit Apostolus, &c. Sic enim ait, *Ipsis autem vocatis*, ut alios ostenderet non vocatos; sciens esse quandam certam vocationem eorum qui secundùm propositum vocati sunt, quos præscivit, &c. Dixit ergo, *sed ex vocante*, non quacunque vocatione, sed qua vocatione fit credens. *De prædest. Sanct. cap. 16. similiter cap. 17.*

II.

Duplex gratia operans & cooperans.

S. AUGUSTINUS.

ET quis istam etsi parvam dari cœperat charitatem, nisi ille qui præparat voluntatem, & cooperando perficit, quod operando incipit? Quoniam ipse ut velimus, operatur incipiens, qui volentibus cooperatur efficiens. Propter quod Apostolus: *Certus sum, quoniam qui operatur in vobis opus bonum, perficiet usque in diem Christi Jesu.* Ut ergo velimus, sine nobis operatur: cum autem volumus, & sic volumus ut faciamus, nobiscum cooperatur: tamen sine illo, vel operante ut velimus, vel cooperante cum volumus, ad bona pietatis opera nihil valemus. *De grat. & lib. arb. cap. 17.*

III.

Gratia Dei est, quod quis habeat suasores ad bonum.

S. AUGUSTINUS.

SUscitans nubes ab extremo terræ. Quas nubes? Prædicatores verbi veritatis suæ: de quibus nubibus alio loco irascens vineæ suæ dicit: *Mandabo nubibus meis, ne pluant super illam imbrem*, &c. De ipsis autem nubibus quid operatur? *Fulgura in pluviam fecit.* Minas ad misericordiam flexit,

flexit, de terroribus irrigavit. Quomodo de terroribus irrigavit? Quando tibi minatur Deus per Prophetam & per Apostolum, & times; nonne corruscatio terruit te? Sed cum pœnitendo corrigeris & agnoscis hoc misericordiâ fieri, in pluviam vertitur fulguris terror. *In Psal. 134. in Expositione mystica.*

Nimis enim occulta Dei gratia est, quâ hominum mentes quodammodo reviviscunt, ut possint à quibuslibet ejus ministris præcepta sanitatis audire, &c. *in Psal. 87.*

Propterea, inquit, *dixi vobis, quia nemo potest venire ad me, nisi fuerit ei datum à Patre meo*, ut ostenderet eam ipsam fidem, quâ credit, & ex morte sui cordis anima reviviscit, dari nobis à Deo. Quantumlibet ergo existant excellentes verbi Prædicatores & veritatis, etiam per miracula sua fortes, tanquam magni medici agunt cum hominibus, si mortui sunt, & gratia sua non revixerint; *Numquid mortuis facies mirabilia, an medici exsuscitabunt, & si quos exsuscitabunt, confitebuntur tibi?* &c. *Ibid.*

IV.

Secundùm S. Augustinum datur gratia efficax, immo efficacissima, nec tamen per eam læditur libertas humani arbitrii.

S. AUGUSTINUS.

Reluctanti enim priùs aditus divinæ vocationis ipsâ Dei gratiâ procuratur, ac deinde in illo jam non reluctante spiritus Veritatis accenditur. Verumtamen quæ quisque agit secundùm Deum, misericordia ejus prævenit eum. *L. 4. ad Bonif. cap. 6.*

Oramus non solùm pro volentibus, verùm etiam pro repugnantibus & oppugnantibus. Quid ergo petimus, nisi ut fiant ex nolentibus volentes, & ex repugnantibus consentientes, & ex oppugnantibus amantes? A quo, nisi ab illo de quo scriptum est, *Præparatur voluntas à Domino? In eodem lib. cap. 9.*

Sed nos eam gratiam volumus iste aliquando fateatur, quâ futuræ gloriæ magnitudo non solùm promittitur, verùm etiam creditur & speratur; nec solùm revelatur sapientia, verùm etiam & amatur; nec suadetur solùm omne quod bonum est, verùm & persuadetur, &c. Quorum autem fit fides, & quibus persuadeatur ut ad Deum veniant, satis ipse demonstravit, ubi ait, NEMO VENIT AD ME, NISI PATER QUI MISIT ME, TRAXERIT EUM. *Lib. de gratia Christi cap. 10.*

Hæc autem gratia quâ virtus in infirmitate perficitur, prædestinatos & secundùm propositum vocatos ad summam perfectionem glorificationemque perducit. Qua gratia agitur, ut non solùm facienda noverimus, verùm etiam ut cognita faciamus; nec solùm ut diligenda credamus, verùm etiam ut credita diligamus. *De gratia Christi cap. 12.*

Ut autem de cœlo vocaretur (Saulus) & tam magna & efficacissimâ vocatione converteretur, gratia Dei erat sola, quia merita ejus erant magna, sed mala, &c. *Lib. de gratia & libero arbitrio cap. 5.*

Si dixerimus meritum præcedere orationis, ut donum gratiæ consequatur, impetrando quidem oratio quidquid impetrat, evidenter donum Dei esse ostendit, ne homo existimet à se ipso sibi esse, quod si in potestate haberetur, non utique posceretur, &c. Quid enim oremus, ait Doctor gentium, *sicut oportet, nescimus; sed ipse Spiritus interpellat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.* *Rom. 8. 26.* Quid est autem interpellat, nisi interpellare nos facit? Indigentis enim certissimum indicium est, interpellare gemitibus. Nullius autem rei esse indigentem fas est credere Spiritum Sanctum. Sed ita dictum est, interpellat, quia interpellare nos facit, nobisque interpellandi & gemendi inspirat affectum, sicut illud in Evangelio: *Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis.* *Matth. 10. 20.* Neque enim & hoc ita fit de nobis tanquam nihil facientibus nobis. Adjutorium igitur Spiritus Sancti sic expressum est, ut ipse facere diceretur quod ut faciamus facit. *Epist. 105. nunc 194. num. 16.*

Quod est ergo meritum hominis antè gratiam, quo merito percipiat gratiam, cùm omne bonum meritum nostrum non in nobis faciat nisi gratia, & cùm Deus coronat merita nostra, nihil aliud coronet quam munera sua? *Ibidem. num. 19.*

Sed neque ab illo quod originaliter trahitur, neque ab his quæ unusquisque in vita propria; vel non intelligendo, vel nolendo intelligere, mala congregat, vel etiam instructus ex lege, additamento prævaricationis exaggerat, quisquam liberatur & justificatur, nisi gratiâ Dei per Jesum Christum Dominum nostrum, non solùm remissione peccatorum, sed priùs ipsius inspiratione fidei & timoris Dei, impartito salubriter orationis affectu & effectu, donec sanet omnes languores nostros, & redimat de corruptione vitam nostram, & coronet

net nos in miseratione & misericordia. *Ibidem. num.* 30.

Quomodo dicuntur negare liberum voluntatis arbitrium, qui confitentur omnem hominem, quisquis suo corde credit in Deum, nonnisi suâ liberâ credere voluntate, cùm potiùs illi oppugnent arbitrium liberum qui oppugnant Dei gratiam, quâ verè ad bona eligenda & agenda fit liberum. *Epist.* 107. *nunc* 217. *num.* 23.

Hæc enim voluntas libera, tantò erit liberior, quantò sanior; tantò autem sanior, quantò divinæ misericordiæ gratiæque subjectior. *Epist.* 89. *nunc* 157. *num.* 8.

Neque enim voluntatis arbitrium ideò tollitur, quia juvatur; sed ideo juvatur, quia non tollitur. *Ibidem. num.* 10.

Deus est enim qui operatur in nobis & velle & operari, pro bona voluntate; nos ergo volumus; sed Deus operatur in nobis & velle. Nos ergo operamur; sed Deus in nobis operatur & operari, pro bona voluntate. Hoc nobis expedit & credere & dicere; hoc est pium, hoc verum: ut sit humilis & submissa confessio, & detur totum Deo. *De Dono perseν. cap.* 13.

V.

Hæc gratia habet suam efficaciam ab Omnipotentia Dei & à dominio quod summa divina Majestas habet in voluntates hominum, sicut in cætera omnia quæ sub cælo sunt secundùm S. Augustinum.

S. AUGUSTINUS.

SCriptura divina, si diligenter inspiciatur, ostendit non solùm bonas hominum voluntates, quas ipse facit ex malis, & à se factas bonas in actus bonos, & in æternam dirigit vitam, verùm etiam illas quæ conservant seculi creaturam, ita esse in Dei potestate, ut eas quò voluerit, quando voluerit, faciat inclinari, vel ad beneficia quibusdam præstanda, vel ad pœnas quibusdam ingerendas, sicut ipse judicat occultissimo quidem judicio, sed sine ulla dubitatione justissimo. *Lib. de grat. & lib. arb. c.* 20.

..; quamvis non negetur Deus posse quem velit, etiam nullo hominum corripiente, corrigere, & ad dolorem salubrem pœnitentiæ occultissimâ & potentissimâ medicinæ suæ potestate perducere. Et sicut non est ab oratione cessandum pro eis, quos corrigi volumus, etiam nullo hominum orante pro Petro, Dominus respexit eum, & fecit eum suum peccatum flere: ita non est negligenda correptio, quamvis Deus quos voluerit, etiam non correptos, facit esse correctos. *De corrept. & grat. cap.* 5.

Cum autem homines per correptionem in viam Justitiæ seu veniunt seu revertuntur, quis operatur in cordibus eorum salutem, nisi ille qui quolibet plantante vel rigante, & quolibet in agris atque arbustulis operante, dat incrementum Deus, cui volenti salvum facere, nullum hominis resistit arbitrium? Sic enim velle & nolle in volentis aut nolentis est potestate, ut divinam voluntatem non impediat, nec superet potestatem. De his enim qui faciunt quæ non vult, facit ipse quæ vult. *Lib. de corrept. & grat. cap.* 14.

Non est itaque dubitandum voluntati Dei qui in cælo & in terra omnia quæcunque voluit facit, & qui etiam illa quæ futura sunt fecit, humanas voluntates non posse resistere quo minùs faciat ipse quod vult, quandoquidem etiam de ipsis hominum voluntatibus quod vult, cum vult facit, &c. *Ibidem.*

Qui tamen hoc non facit nisi per ipsorum hominum voluntates; sine dubio habens humanorum cordium, quò placeret inclinandorum omnipotentissimam potestatem, &c. *Ibidem.*

Quis autem non videat multò majus esse, indignationem à contrario in lenitatem convertere atque transferre, quàm cor neutra affectione præoccupatum, sed inter utramque medium, in aliquod declinare? Legant igitur & intelligant, intueantur atque fateantur, non lege atque doctrina sonante forinsecus, sed interna atque occulta, mirabili atque ineffabili potestate, operari Deum in cordibus hominum, non solùm veras revelationes, sed etiam bonas voluntates. *De grat. Christi cap.* 14.

Si ergo Dominus omnipotens, cum voluerit Reges in terrâ constituere, magis habet in potestate voluntates hominum, quàm ipsi suas: quis alius facit ut salubris sit correptio, & fiat in correpti corde correctio, ut cælesti constituatur in regno? *De corrept. & grat. cap.* 14.

Si fides est liberi tantummodò arbitrii, nec datur à Deo, propter quid ergo pro eis, qui nolunt credere, oramus ut credant? Quod prorsus faceremus inaniter, nisi certissimè crederemus, etiam perversas & fidei contrarias voluntates omnipotentem Deum ad credendum posse convertere. Liberum quidem hominis arbitrium pulsatur ubi dicitur, *Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra*; sed nisi posset istam Deus duritiam cordis auferre, non diceret per Prophetam, *Auferam ab eis cor lapideum, & dabo eis* COR CARNEUM. *Lib. de grat. & lib. arb. cap.* 14.

Si

Si ad liberum arbitrium hominis, quod non secundùm Dei gratiam, sed contra eam defendis, pertinere dicis, ut perseveret in bono quisque, vel non perseveret; non Deo donante si perseveret, sed humana voluntate faciente, quid moliturus es contra verba dicentis: *Rogavi pro te, ne deficiat fides tua?* An audebis dicere etiam rogante Christo ne deficeret fides Petri, defecturam fuisse, si Petrus eam deficere voluisset, hoc est, si eam perseverare usque in finem noluisset; quasi aliud Petrus ullo modo vellet, quàm pro illo Christus rogasset ut vellet. *Lib. de corrept. & grat. cap.* 8.

Tu in te ipso non facis quidvis; Deus autem noster in cœlo & in terra omnia quæcunque voluit fecit. Ipse tibi dat gratiam, ut in te ipso facias quod vis, nisi enim ipso adjuvante, nec in te facis quod vis. *In Psal.* 134.

Intelligite Deum, quomodo omnia quæcunque voluit fecit in cœlo in terra, ipse & in vobis faciet, quod vultis; ipso adjuvante voluntatem vestram implebitis. Sed dum non potestis, confitemini; cùm poteritis, gratias agite, &c. *Ibidem.*

Ergo & in Ecclesia sua & in Prædicatoribus suis, & in plebibus suis, tanquam in cœlo & in terra, omnia quæcunque voluit fecit. Parum est in eis; in mari & in omnibus abyssis omnia quæcunque voluit fecit: mare sunt omnes infideles, omnes nondum credentes; & in eis omnia quæcunque voluit fecit. Et qui sunt abyssus? Latentia corda mortalium, profundæ cogitationes hominum, &c. Latet cor bonum, latet cor malum: abyssus est in corde bono & in corde malo; sed hæc nuda sunt Deo, quem nihil latet. Consolatur cor bonum, torquet cor malum. Omnia igitur quæcunque voluit fecit in cœlo & in terra, in mari & in omnibus abyssis. *In Psal.* 133. *in Exp. myst.*

Cogitantes credimus, cogitantes loquimur, cogitantes agimus quidquid agimus; quod autem attinet ad pietatis viam, & verum Dei cultum, *non sumus idonei cogitare aliquid tanquam ex nobismet ipsis, sed sufficientia nostra ex Deo est:* non enim est in potestate nostra cor nostrum & nostræ cogitationes. Undè idem qui hoc ait, item dicit Ambrosius: *Quis autem tam beatus qui in corde suo semper ascendat? Sed hoc sine divino auxilio quomodo fieri potest? Nullo profectò modo.* Denique inquit: *Supra eadem Scriptura dicit: Beatus vir cujus est auxilium abs te, Domine, ascensus in corde ejus.* Hoc utique ut diceret, non solùm in litteris sacris legerat; sed, sicut de illo viro sine dubitatione credendum est, etiam in corde suo sentiebat Ambrosius. Quod ergo in Sacramentis fidelium dicitur, *ut sursum corda habeamus ad Dominum*, munus est Domini: de quo munere ipsi Domino Deo nostro gratias agere, à Sacerdote post hanc vocem quibus hoc dicitur, admonentur, *Et dignum & justum esse* respondent. Cùm enim non sit in nostra potestate cor nostrum, sed divino sublevetur auxilio, ut ascendat, & *quæ sursum sunt sapiat, ubi Christus est in dextera Dei sedens, non quæ super terram*, cui de hac tanta re agendæ sunt gratiæ, nisi hoc facienti Domino Deo nostro, qui nos per tale beneficium liberando, de profundo hujus mundi eligit & prædestinavit ante constitutionem mundi. *Lib. de dono persev. cap.* 13.

VI.

Per hanc gratiam secundùm Augustinum agit Deus omnipotens in cordibus hominum motum voluntatis eorum faciendo ex nolentibus volentes, ex repugnantibus consentientes, ex oppugnantibus amantes.

S. AUGUSTINUS.

Quis autem non videat multò majus esse indignationem à contrario in lenitatem convertere atque transferre, quàm cor neutrà affectione præoccupatum; sed inter utramque medium in aliqua declinare? Legant igitur & intelligant, intueantur ac fateantur, non lege atque doctrinâ sonante forinsecùs, sed internâ atque occultâ, mirabili atque ineffabili potestate operari Deum in cordibus hominum non solùm veras revelationes, sed etiam bonas voluntates. *De grat. Christi, cap.* 14. *Similiter cap.* 25.

Ipsam denique pœnitentiam, quam procul dubio voluntas agit, Domini misericordiâ & adjutorio fieri ut agatur, in 10. ejusdem operis libro beatus dicit Ambrosius ita loquens: *Bonæ lacrymæ, quæ culpam lavant: denique quos Jesus respicit, plorant delictum. Negavit primò Petrus, & non flevit, quia non respexerat Dominus. Negavit secundò Petrus & non flevit, quia adhuc non respexerat Dominus. Negavit & tertiò, respexit Jesus, & amarissimè flevit.* Legant isti Evangelium & videant Dominum Jesum tunc intùs fuisse, cùm à Sacerdotum Principibus audiretur; Apostolum verò Petrum foris & deorsum in atrio cum servis ad focum nunc sedentem, nunc stantem, sicut veracissima & concordissima Evangelistarum narratione monstratur. Unde non

Ambrosius in Lucam.

potest dici quòd corporalibus oculis eum Dominus, visibiliter eum admonendo, respexerit: & ideò quod ibi scriptum est, Respexit eum Dominus, intus actum est, in mente actum est: misericordia Domini latenter subvenit, cor tetigit, memoriam revocavit, interiori gratia sua visitavit Petrum, interioris hominis usque ad exteriores lacrymas movit & produxit affectum. Ecce quemadmodum Deus adjuvando adest voluntatibus & actionibus nostris. Ecce quemadmodum *& velle & operari operatur in nobis. De gratia Christi, cap. 45.*

Si ergo ita præpararet atque ita operaretur Deus hominis voluntatem, ut tantummodo legem suam atque doctrinam libero ejus adhiberet arbitrio, nec vocatione illa alta atque secreta sic ejus ageret sensum, ut eidem legi atque doctrinæ accommodaret assensum; procul dubio eam legere, vel intelligere legendo, vel etiam exponere ac prædicare sufficeret, nec opus esset orare, ut Deus ad fidem suam infidelium corda converteret, & conversis proficientem perseverantiam ejusdem gratiæ suæ largitate donaret. *Epist. 107. nunc 217. num. 5.*

Inaniter igitur & perfunctoriè potiùs quàm veraciter pro eis, ut doctrinæ, cui adversantur, credendo consentiant, Deo fundimus preces, si ad ejus non pertinet gratiam, convertere ad fidem suam ipsi fidei contrarias hominum voluntates. Inaniter etiam & perfunctoriè potiùs quàm veraciter magnas cum exultatione agimus Deo gratias, quando aliqui eorum credunt, si hoc in eis ipse non facit. Non fallamus homines, nam Deum fallere non valemus. Prorsùs non oramus Deum, sed orare nos fingimus, si nos ipsos, non illum, credimus facere quod oramus. Prorsùs non Deo gratias agimus, sed nos agere fingimus, si unde illi gratias agimus, illum facere non putamus, &c. *Ibidem. num. 6. & 7.*

Non enim est homo bonus si nolit, sed gratia Dei etiam ad hoc adjuvat ut velit: quoniam non inaniter scriptum est: *Deus est enim qui operatur in nobis & velle & operari, pro bona voluntate.* Et, *Præparatur voluntas à Domino. Lib. 1. ad Bonif. cap. 18.*

Jam sequentia commemorare quid opus est, ubi Deum complevisse, quod illa rogaverat, divina Scriptura testatur, operando in corde Regis? Quid aliud quàm voluntatem quâ jussit & factum est, &c. qui cor Regis, ante quam mulieris potentis sermonem audisset, occultissima & efficacissima potestate convertit, & transtulit ab indignatione ad lenitatem, hoc est, de voluntate lædendi ad voluntatem favendi? *Lib. 1. ad Bonif. c. 2.*

Quibus meritis voluntatis Deus illum (Saulum) ab his malis ad bona mirabili & repentina vocatione convertit? &c. *Lib. 1. ad Bonif. cap. 19.*

Quam multi inimici Christi quotidie subitò, Dei occultâ gratiâ trahuntur ad Christum? &c. Trahitur ergo miris modis ut velit, ab illo qui novit intùs in ipsis hominum cordibus operari, non ut homines, quod fieri non potest, nolentes credant, sed ut volentes ex nolentibus fiant. *Ibidem.*

Oramus non solùm pro nolentibus, verum etiam pro repugnantibus & oppugnantibus. Quid ergo petimus, nisi ut fiant ex nolentibus volentes, ex repugnantibus consentientes, ex oppugnantibus amantes? A quo? nisi ab illo de quo scriptum est: *Præparatur voluntas à Deo. Lib. 4. ad Bonif. cap. 9.*

Dicit Dominus ad Jesum Nave, *Non poterunt filii Israël subsistere à facie inimicorum suorum.* Quid est, *non poterunt subsistere?* Quare non subsistebant per liberum arbitrium, sed per timorem turbatâ voluntate fugiebant; nisi quia Deus dominatur & voluntatibus hominum, & quos vult in formidinem convertit iratus? Nunquid non hostes Israëlitarum adversùs populum Dei quem ducebat Jesus Nave, sua voluntate pugnarunt? Et tamen dicit Scriptura, *Quia per Dominum factum est confortari cor eorum, ut obviam irent ad Israël ad bellum, ut exterminarentur. De grat. & lib. arb. cap. 20.*

Agit omnipotens in cordibus hominum etiam motum voluntatis eorum, ut per eos agat quod per eos agere ipse voluerit, qui omninò injustè aliquid velle non novit, *Ibidem cap. 21.*

Quomodo virtus Dei alios adjuvat in bello, dando eis fiduciam? alios immisso timore vertit in fugam? nisi quia ille qui in cœlo & in terra omnia quæcunque voluit fecit, etiam in cordibus hominum operatur? &c. *Ibidem.*

Non enim hoc non ex animo aut non ex bona voluntate fecerunt corde pacifico; & tamen hoc in eis egit, qui in cordibus hominum quod voluerit operatur, &c. *De correptione & gratia, cap. 14.*

Ac per hoc Dominus omnipotens, qui erat cum illo (Davide) adduxit istos ut eum Regem constituerent. Et quomodo adduxit? Nunquid corporalibus illos vinculis alligavit? Intus egit, corda tenuit, corda movit, eosque voluntatibus eorum

eorum quas ipse in illis operatus est, traxit, &c. *Ibidem.*

VII.

Hanc gratiam efficacem secundùm S. Augustinum infundit Deus in cordibus nostris per operationem Spiritus Sancti innumerabilibus & occultissimis modis.

S. AUGUSTINUS.

CErtum est enim nos mandata servare si volumus: sed quia *præparatur voluntas à Domino*, ab illo petendum est ut tantùm velimus, quantùm sufficit, ut volendo faciamus. Certum est nos velle, cum volumus; sed ille facit ut velimus bonum, de quo dictum est, quod paulò ante posui, *Præparatur voluntas à Domino*; de quo dictum est, *A Domino gressus hominis dirigentur, & viam ejus volet*; de quo dictum est, *Deus est qui operatur in vobis & velle.* Certum est nos facere cum facimus; sed ille facit ut faciamus, præbendo vires efficacissimas voluntati; qui dicit, *Faciam ut in justificationibus meis ambuletis & judicia mea observetis & faciatis.* Cum dicit, *Faciam ut faciatis*, quid aliud dicit nisi, *Auferam à vobis cor lapideum*, unde non faciebatis; *& dabo cor carneum*, unde faciatis. *Lib. de grat. & lib. arb cap.* 16.

His & talibus testimoniis divinorum eloquiorum, quæ omnia commemorare nimis longum est, satis quantùm existimo manifestatur, operari Deum in cordibus hominum ad inclinandas eorum voluntates quocumque voluerit, sive ad bona pro suâ misericordiâ, sive ad mala pro meritis eorum, judicio utiquè suo, aliquando aperto, aliquando occulto, semper autem justo. *Ibidem cap.* 21.

Si autem potens est, sive per Angelos vel bonos vel malos, sive quocumque alio modo operari, etiam in cordibus malorum pro meritis eorum, quorum malitiam non per se fecit, sed aut originaliter tracta est ab ipso Adam, aut crevit per propriam voluntatem; quid mirum est, si per Spiritum Sanctum operetur in cordibus electorum suorum bona, qui operatus est, ut ipsa corda essent ex malis bona? *Ibidem.*

Hæc gratia si doctrina dicenda est, certè sic dicatur, ut altiùs & interiùs eam Deus cum ineffabili suavitate credatur infundere, non solùm per eos qui plantant & rigant extrinsecùs, sed etiam per seipsum, qui incrementum suum ministrat occultus: ita ut non ostendat tantummodò veritatem, verùm etiam impertiat caritatem. Sic enim docet Deus eos qui secundùm propositum vocati sunt, simul donans & quid agant scire, & quod sciunt agere. *De gratia Christ. cap.* 13.

Legant ergo & intelligant, intueantur atque fateantur, non lege atque doctrinâ insonante forinsecùs, sed interna atque occulta, mirabili atque ineffabili potestate operari Deum in cordibus hominum; non solùm veras revelationes, sed etiam bonas voluntates. *De grat. Christ. cap.* 24.

Quoniam de quibus scriptum est, *Quotquot enim Spiritu Dei aguntur, hi filii sunt Dei*, profectò ut agant quod bonum est, ab illo aguntur qui bonus est: quomodo dicit Pelagius, quod bene loqui possumus Dei est; quod benè loquimur, nostrum est: cum dicat Dominus: *Spiritus Patris vestri est qui loquitur in vobis*, &c. *De grat. Christ. cap.* 25.

Quamvis non negetur, Deum posse quem velit, etiam nullo homine corripiente, corrigere, & ad dolorem salubrem pœnitentiæ occultissima & potentissima medicinæ suæ potestate perducere. *De corrept. & grat. cap.* 5.

Tunc autem correptione proficit homo, cum miseretur atque adjuvat qui facit quos voluerit etiam sine correptione proficere. Sed quare iste sic, ille aliter, atque alii aliter diversis & innumerabilibus modis vocentur & reformentur, absit ut dicamus judicium luti esse debere, non figuli. *Ibidem.*

Nostrum enim est credere & velle, illius autem, dare credentibus & volentibus facultatem benè operandi per Spiritum Sanctum, per quem caritas diffunditur in cordibus nostris. Verum est quidem, sed eâdem regulâ: & utrumque ipsius est, quia ipse præparat voluntatem: & utrumque nostrum, quia non fit nisi volentibus nobis. *De præd. Sanct. cap.* 3.

Credere vel non credere est in arbitrio voluntatis humanæ: sed in electis præparatur voluntas à Domino. *De prædest. Sanct. cap.* 5.

Non enim posceremus à Deo, quæ præcipit fieri, nisi ab illo donaretur, ut fierent. *Ibid. cap.* 4.

Agit quippe Deus quod vult in cordibus hominum, vel adjuvando, vel inclinando, ut etiam per eos impleatur, quod manus ejus & consilium prædestinavit fieri. Frustra itaque etiam illud, quod Regum & Paralipomenorum Scripturâ teste probavimus, cum Deus vult fieri, quod nonnisi volentibus hominibus oportuit fieri, inclinavit eorum corda ut hoc velint, eo sic inclinante, qui in nobis mirabili modo & ineffabili operatur & velle, ad causam de quâ

qua diximus, non pertinere dixerunt. *Ibid. cap.* 20.

Hæc itaque gratia, quæ occultè humanis cordibus divina largitate tribuitur, à nullo duro corde respuitur, &c. *Ibid. cap.* 8.

Quando enim cum Spiritu Dei operante, spiritus hominis cooperatur, tunc quod Deus jussit impletur: & hoc non fit nisi credendo in eum qui justificat impium. Quam fidem non habuit generatio prava & amaricans: & ideò de illâ dictum est: *Non est creditus cum Deo spiritus ejus.* Multùm enim hoc expressiùs dictum est ad significandam gratiam Dei, quæ non solùm operatur remissionem peccatorum, sed etiam cooperantem sibi facit hominis spiritum in opere bonorum factorum. *In Psal.* 77.

VIII.

Hæc gratia Dei efficax secreta est secundùm S. Augustinum.

S. AUGUSTINUS.

SI enim omnis qui audivit à Patre & didicit, venit; profectò omnis qui non venit, non audivit à Patre, nec didicit: nam si audivisset & didicisset, veniret, &c. Valde remota est à sensibus carnis hæc Schola, in qua Pater auditur & docet ut veniatur ad Filium. *De præd. Sanct. cap.* 8.

Valde, inquam, remota est à sensibus carnis hæc Schola, in qua Deus auditur & docet. Multos enim venire videmus ad Filium, quia multos credere videmus in Christum: sed ubi aut quomodo à Patre audierint hoc, & didicerint, non videmus. Nimirum gratia ista secreta est; gratiam verò esse quis ambigat? *Ibidem.*

Quantæ enim gentes credendo venerunt? Quanti fundi, quanta loca deserta modò veniunt? Veniunt inde nescio quanti, credere volunt, & dicimus eis, quid vultis? Respondent, nosse gloriam Dei. Credite, fratres, mirari nos & gaudere ad talem vocem rusticanorum. Veniunt nescio unde, excitati à nescio quo. Quid dicam, à nescio quo? Immò scio à quo, *Quia nemo venit*, inquit, *ad me, nisi quem Pater traxerit.* Veniunt subitò de sylva, de deserto, de remotissimis & arduis montibus ad Ecclesiam, & hanc vocem habent plerique, & penè omnes eorum, ut videamus verè intus docentem Deum. *In Psal.* 134. *in Exposit. myst.*

Nimis enim occulta Dei gratia est, qua hominum mentes quodammodo reviviscunt, ut possint à quibuslibet ejus ministris præcepta sanitatis audire. *In Psal.* 87.

IX.

Hæc gratia efficax secundùm S. Augustinum est prævia, non pedissequa: datur enim, non quia volumus, sed ut velimus: adeò per ipsam efficit Deus nedum ut operemur, sed etiam ut velimus.

S. AUGUSTINUS.

QUæstio quæ inter nos agitur, est Utrùm hæc gratia præcedat, an subsequatur hominis voluntatem, hoc est, ut planiùs id eloquar, Utrùm ideò nobis detur, quia volumus, an per ipsam Deus etiam hoc efficiat ut velimus. *Epist.* 107. *nunc* 217. *n.* 17.

Quomodo Deus exspectat voluntates hominum, ut præveniant eum quibus det gratiam, cum gratias ei non immeritò agamus de iis, quibus non ei credentibus, & ejus doctrinam voluntate impia persequentibus, misericordiam prærogavit, eosque ad seipsum omnipotentissima facilitate convertit, ac volentes ex nolentibus fecit? Ut quid inde ei gratias agimus, si hoc ipse non fecit? Ut quid tantò magis eum magnificamus, quantò magis nolebant credere, quos credidisse gaudemus, si gratiâ divinâ voluntas in melius non mutatur humana? *Ibidem. num.* 24.

Quomodo autem eum magnificum prædicabant, si magnum illud factum de Pauli conversione ipse non fecerat? Nempe manifestum est, ex illis duodecim sententiis, quas pertinere ad catholicam fidem negare non sineris, non solùm omnibus, verùm etiam singulis id confici, ut confiteamur gratiâ Dei præveniri hominum voluntates, & per hanc eas præparari potiùs, quàm propter earum meritum dari. *Ib. n.* 24. *&* 25.

Hæc & alia testimonia divina, quæ commemorare longum est, ostendunt Deum gratiâ suâ auferre infidelibus cor lapideum, & prævenire in hominibus bonarum merita voluntatum: ita ut voluntas per antecedentem gratiam præparetur, non ut gratia merito voluntatis antecedente donetur. Hoc & gratiarum actio indicat quod oratio; oratio pro infidelibus, gratiarum actio pro fidelibus. *Ibidem. num.* 28.

Oportet sine dubitatione fatearis voluntates hominum Dei gratiâ præveniri, & ut bonum velint homines, quod nolebant, Deum facere, qui rogatur ut faciat, & cui nos novimus agere gratias dignum & justum esse cum fecerit. *Ibid. num.* 30.

Cum igitur fides impetrat justificationem,

nem, ficut unicuique Deus partitus eſt etiam ipſius menſuram fidei, non gratiam Dei aliquid meriti præcedit humani, ſed ipſa gratia meretur augeri, ut aucta mereatur perfici, comitante non ducente, pedisequa non prævia voluntate. *Epiſt.* 106.

nunc 186. num. 13. Sed ſi vocatio iſta ita eſt effectrix bonæ voluntatis, ut omnis eam vocatus ſequatur &c. *Lib.* 1. *ad Simpl. q.* 2. *num.* 13.

Si autem ſic intelligerent quod dictum eſt, *Si volueritis*, ut etiam bonam voluntatem ipſam illum præparare confiterentur, de quo ſcriptum eſt, *Præparatur voluntas à Domino*, tanquam Catholici uterentur hoc teſtimonio, & non ſolùm hæreſim veterem Manichæorum vincerent, ſed novam Pelagianorum non conderent *, &c. Sed intelligerent & confiterentur, etiam ipſum bonum propoſitum quod conſequens adjuvat gratia, non eſſe potuiſſe in homine, ſi non præcederet gratia. Quomodo enim eſt hominis bonum propoſitum ſine miſerante priùs Domino, cum ipſa ſit bona voluntas, quæ præparatur à Domino? *Lib.* 4. *ad Bonif. cap.* 6. *num.* 12. & 13.

* Aliàs contererent.

Reluctanti enim priùs auditus * divinæ vocationis ipſa Dei gratia procuratur, ac deinde in illo jam non reluctante ſtudium virtutis * accenditur. Verumtamen in omnibus quæ quiſque agit ſecundùm Deum, miſericordia ejus prævenit eum. *Ibidem.*

* Aliàs aditus.

* Aliàs Spiritus virtutis.

Poſtremò nec propoſitum bonum, nec ſtudium virtutis, nec mentes bonas ſine gratia Dei incipere & eſſe in hominibus confitetur (Cyprianus) cum dixit, *In nullo gloriandum, quando noſtrum nihil ſit. Eodem libro cap.* 9. *ſimiliter docui: Lib.* 4. *ad Bonif. cap.* 8. 9. 10.

Prævenit ergo & fidem gratia, alioquin ſi fides eam prævenit, procul dubio prævenit & voluntas, quoniam fides ſine voluntate non poteſt eſſe. Si autem gratia prævenit fidem, quoniam prævenit voluntatem, profectò prævenit omnem obedientiam, prævenit etiam caritatem, qua una Deo veraciter & ſuaviter obeditur, & hæc omnia gratia in eo cui datur, & cujus hæc omnia prævenit, operatur. *Lib. de dono perſev. cap.* 16. *num.* 4.

Quid aliud dicit: *Sicut ros Hermon qui deſcendit ſuper montes Sion*? Hoc voluit intelligi, fratres mei, gratiam Dei eſſe, quod fratres habitant in unum, non ex ſuis viribus, non ex ſuis meritis, ſed ex illius dono, ſed ex illius gratia, ſicut ros de cœlo. Non enim terra ſibi pluit, aut non quidquid genuerit areſcit, niſi pluvia deſuper deſcendat, dicit quodam loco in Pſalmo, *Pluviam voluntariam, Deus, ſegregabis hæreditati tuæ.* Quare dixit voluntariam? Quia non meritis noſtris, ſed illius voluntate. Quid enim boni meruimus peccatores, quid boni meruimus iniqui? ... Quiſquis naſcitur, Adam naſcitur, damnatus de damnato, & addidit malè vivendo ſuper Adam. Quid enim boni meruit Adam? Et tamen miſericors amavit, & ſponſus dilexit, non pulchram, ſed ut faceret pulchram: ergo gratiam Dei dixit rorem Hermon, &c. Ergo lumen exaltatum, Chriſtus. Inde eſt ros Hermon. Sed quicunque vultis habitare in unum, optate rorem iſtum, compluimini inde, alioquin non poteritis tenere quod profitemini, nec profiteri audere poteritis, niſi ille intonuerit, nec permanere poteritis, niſi ejus ſagina non deſit vobis: ipſa enim ſagina deſcendit ſuper montes Sion. *In Pſal.* 132. *num.* 10.

X.

Effectus hujus gratiæ efficacis ſecundùm S. Auguſtinum eſt certus & infallibilis.

S. AUGUSTINUS.

Non ſolùm enim dixit, *Sine me nihil poteſtis facere*, verùm etiam dixit, *Non vos me elegiſtis, ſed ego elegi vos, ut eatis & fructum afferatis & fructus veſter maneat.* Quibus verbis eis non ſolùm juſtitiam, verùm etiam in illa perſeverantiam ſe dediſſe monſtravit. Chriſto enim ſic eos ponente, ut eant, & fructum afferant, & fructus eorum maneat, quis audeat dicere, forſitan non manebit? Sine pœnitentia enim ſunt dona & vocatio Dei, ſed vocatio eorum, qui ſecundùm propoſitum vocati ſunt. Pro eis ergo interpellante Chriſto ne deficiat fides eorum, ſine dubio non deficiet uſque in finem, ac per hoc perſeverabit uſque in finem: neque enim niſi manentem vitæ hujus finis inveniet. *De corrept. & grat. cap.* 12.

Tantum quippe Spiritu Sancto accenditur voluntas eorum, ut ideò poſſint, quia ſic volunt, ideò ſic velint, quia Deus operatur ut velint: nam ſi in tanta infirmitate vitæ hujus, in qua tamen infirmitate propter elationem reprimendam perfici virtutem oportebat, ipſis relinqueretur voluntas ſua, ut in adjutorio Dei ſine quo perſeverare non poſſent, manerent ſi vellent, nec Deus operaretur in eis ut vellent, inter tot & tantas tentationes infirmitate ſuâ voluntas ipſa ſuccumberet, & ideò perſeverare non poſſent, quia deficientes infirmitate nec vellent, aut non ita vellent infirmitate

voluntatis, ut possent. Subventum est igitur infirmitati voluntatis humanæ, ut divinâ gratiâ indeclinabiliter & insuperabiliter ageretur, & ideò quamvis infirma, non tamen deficeret, neque adversitate aliqua vinceretur. *Ibidem.*

Infirmis servavit Deus, ut ipso donante invictissimè quod bonum est vellent, & hoc deserere invictissimè nollent. *Ibidem.*

Quando Deus docet non per legis litteram, sed per Spiritus gratiam, ita docet ut quod quisque didicerit, non tantùm cognoscendo videat, sed etiam videndo appetat, volendoque perficiat. Et isto divino docendi modo etiam ipsa voluntas & ipsa operatio, non solùm volendi & operandi naturalis possibilitas adjuvatur. Si enim solùm posse nostrum hac gratiâ juvaretur, ita diceret Dominus: Omnis qui audivit à Patre & didicit, potest venire ad me. Non autem ita dixit: sed, *Omnis*, inquit, *qui audivit à Patre & didicit, venit ad me.* Venire posse, in natura posuit Pelagius; vel etiam, ut modò dicere cœpit, in gratia, qualemlibet illam sentiat, quâ ipsa, ut dicit, possibilitas adjuvatur; venire autem, jam in voluntate & opere est. Non est autem consequens, ut qui potest venire etiam veniat, nisi id voluerit atque fecerit: sed omnis qui didicit à Patre, non solùm potest venire, sed etiam venit: ubi jam & possibilitatis profectus, & voluntatis affectus, & actionis effectus est. *De grat. Christ. cap.* 14.

Ego dixi in abundantia mea non movebor in æternum: putaverat enim suum fuisse bonum quod ei sic abundabat, ut non moveretur: sed ut ostenderetur illi, cujus esset illud bonum, de quo tanquam suo cœperat gloriari, paululùm gratiâ Dei deserente admonitus dicit: *Domine, in voluntate tua præstitisti decori meo virtutem, avertisti faciem tuam à me, & factus sum conturbatus.* Ideò necessarium est homini, ut gratiâ Dei non solùm justificetur impius, id est, ex impio fiat justus, cum redduntur ei bona pro malis: sed etiam cum fuerit jam justificatus ex fide, ambulet cum illo gratia, & incumbat super ipsam, ne cadat. Propter hoc scriptum est in Canticis Canticorum de ipsa Ecclesia: *Quæ est ista quæ ascendit dealbata incumbens super fratruelem suum?* Dealbata est enim, quæ per seipsam alba esse non potest. Et à quo dealbata est, nisi ab illo qui per Prophetam dicit, &c. Quando ergo dealbata est, nihil boni merebatur: jam verò alba facta, benè ambulat; sed si super eum à quo dealbata est, perseveranter incumbat, &c. *De grat. & lib. arb. c.* 6.

Quomodo enim potest amitti, per quod fit ut non amittatur etiam quod potuit amitti? &c. *De dono persev. cap.* 6. *num.* 10.

Imperavit autem Deus, ut ei Sancti ejus dicant orantes, *Ne inferas nos in tentationem.* Quisquis igitur exauditur hoc poscens, non infertur in contumaciæ tentationem, quâ possit, vel dignus sit perseverantiam sanctitatis amittere. At enim voluntate suâ quisque deserit Deum, ut meritò deseratur à Deo. Quis hoc negaverit? Sed ideò petimus ne inferamur in tentationem, ut hoc non fiat. Et si exaudimur, utique non fit, quia Deus non permittit ut fiat. *Ibidem.*

Ut enim non dicam, quàm sit possibile Deo aversas & adversas in fidem suam hominum convertere voluntates, & in eorum cordibus operari, ut nullis adversitatibus cedant, nec ab ipso aliqua superati tentatione discedant, &c. *De dono persev. cap.* 9. *num.* 22.

X I.

Hæc gratia efficax secundùm S. Augustinum non inducit fatum, nec efficit propterea Deum acceptorem personarum, nec tollit prædicationem & correptionem, sed cum libertate humanæ voluntatis optimè consistit.

S. AUGUSTINUS.

Nunquid homines Dei qui hoc scripserunt, immò ipse Spiritus Dei, quo auctore per eos ea conscripta sunt, oppugnavit liberum hominis arbitrium? Absit. Sed Omnipotentis in omnibus & judicium justissimum, & auxilium Dei misericordissimum commendavit. *Lib.* 1. *ad Bonif. cap.* 10.

Nec sub nomine gratiæ fatum asserimus, quia nullis hominum meritis gratiam dicimus antecedi, &c. *Lib.* 2. *ad Bonif. cap.* 5.

Nunquid sub nomine gratiæ fatum asserit Cyprianus, quamvis dicat, *In nullo gloriandum, quando nostrum nihil sit?* &c. *Lib.* 4. *ad Bonif. cap.* 9.

Nunquid quoniam hæc dicit vir tantus S. Ambrosius, & gratiam Dei, sicut filio promissionis congruit, grata pietate commendat, ideò destruit liberum arbitrium? &c. *In eodem libro cap.* 11. *num.* 30.

Atque ut ostenderet liberum arbitrium, mox addidit: *Et gratia eius in me vacua non fuit, sed plus omnibus illis laboravi.* Hoc enim liberum arbitrium hominis exhortatur & in aliis quibus dicit, *Rogamus ne in vacuum*

vacuum gratiam Dei suscipiatis. Ut quid enim eos rogat, si gratiam sic susceperunt, ut propriam perderent voluntatem? *Libro de gratia & libero arb. cap. 5.*

Semper est autem voluntas libera, sed non semper est bona: aut enim à justitia libera est quando servit peccato, & tunc est mala; aut à peccato libera est, quando servit justitiæ, & tunc est bona. Gratia verò Dei semper est bona, & per hanc fit ut sit homo bonæ voluntatis, qui priùs fuit voluntatis malæ. *cap. 15.*

Satis me disputasse arbitror adversùs eos qui gratiam Dei vehementer oppugnant, quâ voluntas humana non tollitur, sed ex mala mutatur in bonam, & cum bona fuerit, adjuvatur, &c. *cap. 20.*

Quis autem non videat, & venire quemquam & non venire arbitrio voluntatis? Sed hoc arbitrium potest esse solum, si non venit; non autem potest nisi adjutum esse, si venit: & sic adjutum, ut non solùm quid faciendum sit sciat, sed quid scierit etiam faciat. *Lib. de grat. Christ. cap. 14.*

Et Spiritus Domini induit Amasai Principem inter triginta: Tui sumus, David, & tecum futuri, fili Jesse. Nunquid ille posset adversari voluntati Dei, & non potiùs ejus facere voluntatem, qui in ejus corde operatus est per Spiritum sanctum, quo indutus est, ut hoc vellet, diceret, & faceret. Item paulò post ait eadem Scriptura: *Omnes hi viri bellatores dirigentes aciem, corde pacifico venerunt in Hebron, & constituerunt David super omnem Israël.* Sua voluntate utique constituerunt Regem David, quis non videat? quis hoc neget? Non enim non ex animo, aut non ex bona voluntate fecerunt corde pacifico; & tamen hoc in eis egit, qui in cordibus hominum quod voluerit, operatur, &c. *De corrept. & grat. cap. 14.*

Quando rogavit ergo, ne fides ejus deficeret, quid aliud rogavit nisi ut haberet in fide liberrimam, fortissimam, invictissimam, perseverantissimam voluntatem? Ecce quemadmodum secundùm gratiam Dei, non contra eam libertas defenditur voluntatis. Voluntas quippe humana non libertate consequitur gratiam, sed gratia potiùs libertatem; & ut perseveret, delectabilem perpetuitatem, & insuperabilem fortitudinem. *De corrept. & grat. cap. 8.*

Neque velle possumus nisi vocemur, & cum post vocationem voluerimus, non sufficit voluntas nostra, & cursus noster, nisi Deus & vires currentibus præbeat, & perducat quò vocat. *De prædest. Sanct. cap. 5.*

Quod enim putant sibi auferri liberum arbitrium, si nec ipsam bonam voluntatem sine adjutorio Dei hominem habere consenserint, non intelligunt non se firmare humanum arbitrium, sed impellere ut per inania feratur, non in Domino tanquam in stabili petra collocetur. *Epist. 105. nunc 194. n. 3.*

Sic & Dei gratia non negatur; sed sine ullis humanis præcedentibus meritis vera monstratur, & liberum ita defenditur, ut humilitate solidetur, non elatione præcipitetur arbitrium: & qui gloriatur, non in homine vel quolibet alio, vel se ipso, sed in Domino glorietur. *Epist. 107. nunc 217. n. 8.*

Proinde arbitrium voluntatis humanæ nequaquam destruimus, quando Dei gratiam quâ ipsum adjuvatur arbitrium, non superbiâ negamus ingratâ, sed gratâ potiùs pietate prædicamus. Nostrum enim est velle, sed voluntas ipsa etiam movetur ut surgat, & sanatur ut valeat, & dilatatur ut capiat, & impletur ut habeat, &c. *De bono viduitatis, cap. 17.*

Nec ideò (beati) liberum arbitrium non habebunt, quia peccata eos delectare non poterunt; magis quippe erit liberum à delectatione peccandi, usque ad delectationem non peccandi indeclinabilem liberatum. Nam primum liberum arbitrium quod homini datum est, quando primùm creatus est rectus, potuit non peccare, sed potuit & peccare: hoc autem novissimum eò potentius erit, quod peccare non poterit. Verùm hoc quoque Dei munere, non suæ possibilitate naturæ; &c. Servandi autem erant gradus divini muneris, ut primum daretur liberum arbitrium, quo peccare posset homo; novissimum, quo peccare non posset: atque illud ad comparandum meritum, hoc ad recipiendum præmium pertineret. Sed quia peccavit ista natura cum peccare potuit, largiore gratiâ liberatur, ut ad eam perducatur libertatem in qua peccare non possit. *Lib. 22. de civitate Dei. cap. 30.*

XII.

Hæc gratia efficax cur uni detur & non alteri, occultioris judicii Dei est.

S. AUGUSTINUS.

QUare autem velit illos convertere, illos pro aversione punire, quamquam & in beneficio retribuendo nemo justè reprehendat misericordiam, & in vindicta exercenda, nemo justè reprehendat veritatem: sicut in illis Evangelicis operariis, aliis placitam mercedem reddentem, aliis non placitam largientem, nullus justè culpa-

culpaverit, consilium tamen occultioris justitiæ penes ipsum est. *Lib. 2. de peccat. merit. cap.* 18.

Sed cur, inquit, gratia Dei non secundùm merita hominum datur? Respondeo, quoniam Deus misericors est. Cur ergo, inquit, non omnibus? Et hic respondeo; quoniam Deus judex justus est; ac per hoc & gratis ab eo datur gratia, & justo ejus in aliis judicio demonstratur, quid eis quibus datur, conferat gratia; &c. *De dono persev. cap.* 8.

Ex duobus itaque parvulis originali peccato pariter obstrictis cur iste assumatur, ille relinquatur; & ex duobus ætate jam grandibus impiis, cur iste ita vocetur ut vocantem sequatur, ille autem aut non vocetur, aut non ita vocetur, inscrutabilia sunt judicia Dei. Ex duobus autem piis cur huic donetur perseverantia usque in finem, illi autem non detur, inscrutabiliora sunt judicia Dei. *De dono persev. cap.* 8.

Sed quare illos potiùs quàm illos? Iterum atque iterum dicimus, nec nos piget: *O homo, tu quis es qui respondeas Deo! Inscrutabilia sunt judicia ejus & investigabiles viæ ejus*; & hoc adjiciamus, *Altiora te ne quæsieris, & fortiora te ne scrutatus fueris. Lib. de dono persev. cap.* 12.

Etiam quomodo illa dispenset, faciens alios secundùm meritum vasa iræ, alios secundùm gratiam vasa misericordiæ; *Quis cognovit sensum Domini, aut quis consiliarius ejus fuit?* &c. *Lib. 1. ad Bonif. cap.* 20.

XIII.

Hæc Dei gratia necessaria est ad singulos actus.

S. AUGUSTINUS.

QUòd gratia Dei per Jesum-Christum Dominum nostrum, quod fides vera & catholica semper tenet Ecclesia, pusillos cum magnis à morte primi hominis ad vitam secundi hominis, non solùm ad peccata delenda, verùm etiam ad non peccandum justéque vivendum, eos qui jam uti possunt voluntatis arbitrio, sic adjuvando, ut nisi adjuvet, nihil pietatis atque justitiæ, sive in opere, sive etiam in ipsa voluntate, habere possimus. *Epist.* 106.
nunc 186. *num.* 3.

Præter illa enim, quæ quomodo potuit ausus est (Pelagius) qualicunque ratione defendere, objecta quædam sunt, quæ nisi remota omni tergiversatione anathematizasset, ipse anathematizatus exisset. Objectum est enim eum dicere, &c. Et gratiam Dei atque adjutorium non ad singulos actus dari, sed in libero arbitrio esse, vel in lege atque doctrina. *Ibidem. num.* 32.

Fateatur gratiam Dei & adjutorium etiam ad singulos actus dari, eamque non dari secundùm merita nostra, ut vera sit gratia, id est, gratis data per ejus misericordiam, qui dixit, *Miserebor cui misertus ero, & misericordiam præstabo cui misericors fuero. Ibid. num.* 33.

Simus gratiam Dei nec parvulis nec majoribus secundùm merita nostra dari. Scimus majoribus ad singulos actus dari. Scimus non omnibus hominibus dari: & quibus datur, non solùm secundùm merita operum non dari, sed nec secundùm merita voluntatis eorum quibus datur; quod maximè apparet in parvulis. Scimus eis quibus datur, misericordiâ Dei gratuitâ dari. Scimus eis quibus non datur, justo judicio Dei non dari. *Epist.* 107. *nunc* 217. *num.* 16.

XIV.

Hæc gratia nullis meritis nostris redditur, sed gratuitâ bonitate donatur; nullum enim nostrum bonum meritum illam antecedit.

S. AUGUSTINUS.

QUòd autem personarum acceptorem Deum se credere existimant, si credant quòd sine ullis præcedentibus meritis, cujus vult miseretur, & quos dignatur vocat, & quem vult religiosum facit; parùm attendunt, quòd debita reddatur pœna damnato, indebita gratia liberato, ut nec ille se indignum queratur, nec dignum se iste glorietur; atque ibi potiùs acceptionem nullam fieri personarum, ubi una eademque massa damnationis & offensionis involvit, ut liberatus de non liberato discat, quòd etiam sibi supplicium conveniret, nisi gratia subveniret. Si autem gratia, utique nullis meritis reddita, sed gratuitâ bonitate donata. *Epist.* 105. *nunc* 194. *num.* 4.

Nolunt autem ut sit ipsi (Deo gloria) in justificandis impiis gratuitâ gratiâ, qui ejus ignorantes justitiam, suam volunt constituere: vel jam conclamantium religiosorum & piorum vocibus pressi, ita se fatentur ad habendam seu faciendam justitiam divinitùs adjuvari, ut sui præcedat aliquid meriti, quasi priores volentes dare, ut retribuatur eis ab illo, de quo dictum est: *Quis prior dedit illi, & retribuetur ei?* & suo putantes præire merito illum, de quo audiunt, aut potiùs audire nolunt, *Quoniam ex ipso, & in ipso*,

ipso, & per ipsum sunt omnia, &c. Et ideò percipiendæ hujus gratiæ, merita nulla præcedunt, quoniam meritis impii non gratia, sed pœna debetur; nec illa esset gratia, si non daretur gratis, sed debita redderetur. *Ibidem. num. 6. & 7.*

Quærimus autem meritum misericordiæ, nec invenimus, quia nullum est, ne gratia evacuetur: si non gratis donatur, sed meritis redditur. Si enim dixerimus fidem præcessisse, in qua esset meritum gratiæ, quid meriti habebat homo ante fidem, ut acciperet fidem? *Quid enim habet quod non accepit*, &c. Si dixerimus meritum præcedere orationis, ut donum gratiæ consequatur, impetrando quidem oratio quidquid impetrat, evidenter donum Dei esse ostendit, ne homo existimet a seipso sibi esse, quod si in potestate haberetur, non utique posceretur: verumtamē ne saltem orationis putarentur præcedere merita, quibus non gratuita daretur gratia, sed jam nec gratia esset, quia debita redderetur, etiam ipsa oratio inter gratiæ munera reperitur. *Ib. n 14. 15. & 16.*

Quod est ergo meritum hominis ante gratiam, quo percipiat gratiam, cum omne bonum meritum nostrum non in nobis faciat nisi gratia: & cum Deus coronat merita nostra, nihil aliud coronet quàm munera sua. *Ibidem. num. 19.*

Calumniaris me dicere nihil studii exspectari ab humana voluntate deberi, contra illud Evangelii, quo ait Dominus, *Petite & accipietis*, &c. Ibi enim vos, ut video, ponere jam cœpistis merita, gratiam præcedentia, quod est petere, quærere, pulsare, ut his meritis debita illa reddatur, ac sic gratia inaniter nuncupetur, tanquam gratia nulla præcesserit, & cor tetigerit ut beatificum bonum peteretur à Deo, ut quæreretur Deus, ut pulsaretur ad Deum, frustraque sit scriptum, *Misericordia ejus præveniet me.* Frustra etiam nos pro inimicis jubeat orare, si non est ejus, aversa & adversa corda convertere. *Contra Julianum Pelagianum. lib. 4. cap. 8.*

Fortassis ergo ipsi eo modo saltem servant locum gratiæ, ut sine illa putent hominem posse habere boni, sed imperfecti cupiditatem; perfecti autem non facilius per illam posse, sed nisi per illam omninò non posse: verùm & sic gratiam Dei dicunt secundùm merita nostra dari, quod in Oriente Pelagius Ecclesiasticis gestis damnari timendo damnavit. Si enim sine Dei gratia per nos incipit cupiditas boni, ipsum cœptum erit meritum, cui tanquam ex debito gratiæ Dei veniat adjutorium; ac sic gratia Dei non gratis donabitur, sed secundùm meritum nostrum dabitur, &c. *Lib. 2. ad Bonif. cap. 8. & 10.*

Et ipsum igitur initium fidei nostræ ex quo nisi ex ipso est? Neque enim hoc excepto, ex ipso sunt cætera, sed *ex ipso & per ipsum & in ipso sunt omnia.* Quis autem dicat eum qui jam cœpit credere, ab illo in quem credidit, nihil mereri? Unde fit, ut jam merenti cætera dicantur addi retributione divinâ, ac per gratiam secundùm merita nostra dari: quod objectum sibi Pelagius, ne damnaretur ipse, damnavit. *De prædest. sanct. cap. 2.*

X V.

Donum perseverantiæ est singulare quoddam Dei donum, non omnibus commune, per quod fit, ut perseveret in bono quisque usque in finem.

S. AUGUSTINUS.

Natura humana etiamsi in illa integritate, in qua condita est, permaneret, nullo modo seipsam Creatore suo non adjuvante, servaret. Cum igitur sine Dei gratia salutem non posset custodire quam accepit, quomodo sine Dei gratia posset reparare quod perdidit? *Ep. 106. nunc 186.*

Cur non permitteret, ut ab illo (Angelo malo) primus homo, qui rectus, hoc est bonæ voluntatis creatus fuerat, tentaretur, Quandoquidem sic erat institutus, ut si de adjutorio Dei fideret, bonus homo malum Angelum vinceret; si autem creatorem atque adjutorem Deum superbe sibi placendo desereret, vinceretur: meritum bonum habens in adjuta divinitùs voluntate recta, malum verò in deserente Deum voluntate perversa: quia & ipsum confidere de adjutorio Dei non quidem posset sine adjutorio Dei, nec tamen ideò ab his divinæ gratiæ beneficiis sibi placendo recedere non habebat in potestate, &c. Benè vivere sine adjutorio Dei, etiam in paradiso non erat in potestate: erat autem in potestate malè vivere, sed beatitudine non permansura & pœnâ justissima secutura. *De civit. Dei lib. 14. cap. 27.*

Bona ista quid inter se differant, diligenter & vigilanter intuendum est, posse non peccare & non posse peccare: posse non mori & non posse mori; bonum posse non deserere & bonum non posse deserere. Potuit enim non peccare primus homo, potuit non mori, potuit bonum non deserere: numquid dicturi sumus, non potuit peccare, qui tale habebat liberum arbitrium? aut non potuit mori, cui dictum est, *Si peccaveris,*

veris, morte morieris? aut non potuit bonum deserere, cum hoc peccando deseruit, & ideò mortuus sit? Prima ergo libertas voluntatis erat posse non peccare: novissima erit multò major, non posse peccare: prima immortalitas erat posse non mori, novissima erit multò major, non posse mori; prima erat perseverantiæ potestas bonum posse non deserere; novissima erit felicitas, perseverantiæ bonum non posse deserere. *De correpț. & grat. cap.* 11.

Itemque ipsa adjutoria distinguenda sunt, &c. Primo itaque homini, qui in eo bono quo factus fuerat rectus, acceperat posse non peccare, posse non mori, posse bonum non deserere, datum est adjutorium perseverantiæ, non quo fieret ut perseveraret, sed sine quo per liberum arbitrium perseverare non posset. Nec verò sanctis in Regnum Dei per gratiam Dei prædestinatis, non tantùm tale adjutorium perseverantiæ datur, sed tale ut eis perseverantia ipsa donetur, non solùm ut sine isto dono perseverantes esse non possint, verùm etiam ut per hoc donum nonnisi perseverantes sint: non solùm enim dixit, *Sine me nihil potestis facere*: verùm etiam dixit, *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos, & posui vos ut eatis & fructum afferatis, & fructus vester maneat.* Quibus verbis eis non solùm justitiam, verùm etiam in illa perseverantiam se dedisse monstravit. Christo enim sic eos ponente, ut eant, & fructum afferant, & fructus eorum maneat, quis audeat dicere forsitan non manebit? Sine pœnitentia enim sunt dona & vocatio Dei, sed vocatio eorum qui secundùm propositum vocati sunt. *De correpț. & grat. cap.* 12.

Ac per hoc nec de ipsa perseverantia boni, voluit Deus Sanctos suos in viribus suis, sed in ipso gloriari, qui eis non solùm dat adjutorium quale primo homini dedit, sine quo non possint perseverare si velint, sed in eis etiam operatur & velle. Ut quoniam non perseverabunt nisi & possint & velint, perseverandi eis possibilitas & voluntas divinæ gratiæ largitate donetur: tantùm quippe Spiritu sancto accenditur voluntas eorum, ut ideò possint, quia sic volunt; ideò sic velint, quia Deus operatur ut velint. Nam si in tanta infirmitate vitæ hujus, in qua tamen infirmitate propter elationem reprimendam perfici virtutem oportebat, ipsis relinqueretur voluntas sua, ut in adjutorio Dei, sine quo perseverare non possent, manerent si vellent; nec Deus in eis operaretur ut vellent; inter tot & tantas tentationes infirmitate suâ voluntas ipsa succumberet, & ideò perseverare non possent, quia deficientes infirmitate, nec vellent, aut non ita vellent infirmitate voluntatis, ut possent. Subventum est igitur infirmitati voluntatis humanæ, ut divinâ gratiâ indeclinabiliter & insuperabiliter ageretur: & ideò quamvis infirma, non tamen deficeret, neque adversitate aliqua vinceretur, &c. Fortissimo quippe dimisit atque permisit facere quod vellet; infirmis servavit, ut ipso donante invictissimè quod bonum est vellent, & hoc deserere invictissimè nollent. *Ibidem.*

Jam verò cum dicunt Sancti: *Et ne nos inducas in tentationem, sed libera nos à malo, amen*; quid aliud quàm ut in sanctitate perseverent precantur? Nam profectò concesso sibi isto Dei dono, ne inferantur in tentationem, nemo Sanctorum est qui non teneat usque in finem perseverantiam sanctitatis, neque enim quisquam in proposito Christianitatis perseverare desistit, nisi in tentationem primitùs inferatur. Si ergo concedatur ei quod orat, ut non inferatur in tentationem, in sanctificatione utique, quam Deo donante percepit, Deo donante persistit. *De dono persev. cap.* 6.

Perseverantiam usque in finem quoniam non habet quisquam, nisi qui perseveraverit usque in finem, multi eam possunt habere, nullus amittere. *Ibidem.*

Quomodo enim potest amitti per quod fit ut non amittatur etiam quod posset amitti? *Ibidem.*

Potens ergo est & à malo in bonum flectere voluntates, & in lapsum pronas convertere, ac dirigere in sibi placitum gressum, &c. *Ibidem.*

Post casum autem hominis non nisi ad gratiam suam Deus voluit pertinere, ut homo accedat ad eum; neque nisi ad gratiam suam voluit pertinere, ut homo non recedat ab eo. Hanc gratiam posuit in illo, in quo *Sortem consecuti sumus, prædestinati secundùm propositum ejus qui universa operatur*: ac per hoc sicut operatur ut accedamus, sic operatur ne discedamus. Propter quod ei per Prophetam dictum est; *Fiat manus tua super virum dexteræ tuæ, & super Filium hominis quem confirmasti tibi, & non discedemus à te. De dono persev. cap.* 7.

Cum ergo sit super eum manus Dei, ut non discedamus à Deo, ad nos utique provenit opus Dei, (hoc est enim manus Dei) quo opere Dei fit ut simus in Christo permanentes cum Deo, non sicut in Adam discedentes à Deo. *Ibidem.*

Prorsus in hac re non operosas disputationes exspectet Ecclesia, sed attendat quotidianas orationes suas. Orat ut increduli cre-

credant, Deus ergo convertit eos ad fidem. Orat ut credentes perseverent, Deus ergo donat perseverantiam usque in finem. *Ibidem.*

Ex duobus autem piis cur huic donetur perseverantia usque in finem, illi autem non donetur, inscrutabilia sunt judicia Dei. Illud tamen fidelibus debet esse certissimum, hunc esse ex prædestinatis, illum non esse. Nam *si fuissent ex nobis*, ait unus prædestinatorum, qui de pectore Domini biberat hoc secretum, *mansissent utique nobiscum. De dono persev. cap.* 8.

Ut enim non dicam quàm sit possibile Deo aversas & adversas in fidem suam convertere voluntates, & in eorum cordibus operari, ut nullis adversitatibus cedant, nec ab ipso aliquâ superati tentatione discedant. *Ibidem*, *& cap.* 11.

An quisquam dicere audebit, Deum non præscisse quibus esset daturus ut crederent, aut quos daturus esset Filio suo, ut ex eis non perderet quemquam? Quæ utique si præscivit, profectò beneficia sua quibus nos dignatur liberare præscivit. Hæc prædestinatio Sanctorum nihil aliud est quàm præscientia scilicet & præparatio beneficiorum Dei, quibus certissimè liberantur quicunque liberantur. Cæteri autem ubi nisi in massa perditionis justo divino judicio relinquuntur, ubi Tyrii relicti sunt & Sidonii, qui etiam credere potuerunt, si mira illa Christi signa vidissent? Sed quoniam ut crederent non erat eis datum, etiam unde crederent est negatum. Ex quo apparet habere quosdam in ipso ingenio divinum naturaliter munus intelligentiæ, quo moveantur ad fidem, si congrua suis mentibus vel audiant verba, vel signa conspiciant, & tamen, si Dei altiori judicio à perditionis massa non sunt gratiæ prædestinatione discreti, nec ipsa eis adhibentur vel dicta divina vel facta per quæ possent credere, si audirent, utique talia vel viderent. In eadem perditionis massa relicti sunt etiam Judæi, qui non potuerunt credere factis in conspectu suo tam magnis clarisque virtutibus &c. Sed nec illis profuit quòd poterant credere, quia prædestinati non erant ab eo cujus inscrutabilia sunt judicia, & investigabiles viæ: nec istis obfuisset quòd non poterant credere, si ita prædestinati essent, ut eos cœcos Deus illuminaret, & induratis cor lapideum vellet auferre, &c. Audiunt enim hæc & faciunt, quibus datum est, non autem faciunt, sive audiant, sive non audiant, quibus non datum est. *Lib. de dono persev. cap.* 14.

A Domino gressus ejus diriguntur & viam ejus volet. Non dixit, Et viam ejus discet, aut tenebit, aut ambulabit, aut aliquid hujusmodi, quod posset dicere à Domino quidem dari, sed homini jam volenti, ut sit beneficium Dei quo gressus hominis dirigit, ut viam ejus discat, teneat, gradiatur, sua homo voluntate præcedat, hoc Dei donum præcedente sua voluntate mereatur. Sed ideò dixit, A Domino gressus hominis diriguntur, & viam ejus volet, ut intelligeremus ipsum voluntatem bonam, quâ incipimus velle credere, (quoniam Dei via quid est nisi fides recta?) illius esse donum, qui gressus nostros propterea dirigit primitùs ut velimus. Non enim ait Scriptura, à Domino gressus hominis diriguntur, quia viam ejus voluit: sed diriguntur, inquit, & volet. Hic tu rursùs fortasse dicturus es hoc fieri à Domino, dum doctrina ejus legitur vel auditur, si homo veritati, quam legit vel audit, suâ consentiat voluntate; &c. Cui si consentit, inquis, quod in ejus libero arbitrio constitutum est, rectè utique dicuntur dirigi gressus ejus, ut viam ejus velit, cujus doctrinam suasione præcedente, subsequente consensione sectatur, quod libertate naturali si vult facit, pro eo quod fecerit præmium vel supplicium recepturus. Hæc est illa Pelagianorum mala, malè diffamata, meritoque reprobata, & ab ipso etiam Pelagio timente damnari, in Orientalium Episcoporum Judicio damnata sententia, quâ dicunt gratiam Dei non ad singulos actus dari, sed in libero arbitrio esse, vel in lege atque doctrina. *Epist.* 107. *nunc* 217.

Sed neque ab illo quod originaliter contrahitur, neque ab his quæ unusquisque in vita propria vel intelligendo, vel nolendo intelligere, mala congregat, &c. quisquam liberatur & justificatur, nisi gratiâ Dei per Jesum Christum Dominum nostrum, non solùm remissione peccatorum, sed priùs ipsius inspiratione fidei & timoris Dei, impartito salubriter orationis affectu & effectu, donec sanet omnes languores nostros, & redimat de corruptione vitam nostram, & coronet nos in miseratione & misericordia. Verùm ipsi qui personarum acceptorem existimant Deum, si in una eademque causa super alios veniat misericordia ejus, super alios verò maneat ira ejus, nempe totas vires argumentationis humanæ in parvulis perdunt, &c. Quid hic dicturi sunt, qui ut gratia dari possit, nonnulla præcedere humana merita contendunt,

ne sit personarum acceptor Deus ? &c. Sinant Filium hominis in qualibet ætate quærere & salvum facere quod perierat, nec de inscrutabilibus judiciis ejus audeant judicare, cur in una eademque causa super alium veniat misericordia ejus, super alium maneat ira ejus. *Epist.* 105. *nunc* 194.

SUBSCRIPTUM

An ista sit doctrina Sancti Augustini in materia gratiæ.

CLEMENS PAPA VIII.

Pro proxima Congregat.

XI.

EXCERPTUM

Ex Actis Congregationum de Auxiliis.

Ad Caput. 8. lib. 3. Hist. de Auxiliis. DE hoc Scripto, quod publicatum fuerat à Clemente VIII. 9. Julii anno 1603. nonnisi post ejus mortem in prima Congregatione sub Paulo V. habita 20. Septembris anno 1605. disputatum est inter Dominicanos & Jesuitas.

Bastida Jesuitarum causam agens dixit se prædictum Scriptum communicasse cum omnibus Patribus ex Societate per diversas Provincias dispersis, cum Hispanis, Italis, Gallis, & ex eorum sententia hæc quæ sequuntur, dicere atque proponere: Se nimirum admittere, omnia quæ in prædicto Scripto continentur, esse de mente S. Augustini, id est, esse doctrinam conformem doctrinæ S. Augustini, sive formalibus sive æquivalentibus verbis, excepto uno tantùm Capite quinto: *Hec gratia habet suam efficaciam ab omnipotentia Dei, & à dominio quod summa divina Majestas habet in voluntates hominum: sicut & cætera omnia quæ sub cælo sunt; secundum S. Augustinum;* & exceptis quæ in illo dicuntur.

Ex adverso autem P. Thomas de Lemos ad propositum dubium ita directè & strictè respondit: Respondeo dicendum, Omnia & singula, quæ in prædicto Scripto felicis recordationis Clementis VIII. continentur, tam in Capitulorum titulis, quàm in inductis ex S. Augustino testimoniis, sunt ipsissima S. Augustini doctrina in materia gratiæ. Veritatem hanc ad præsens probare minùs convenit, cùm ipsa litera illam apertè demonstret.

Sed veniam ad illud quod principaliter Pater proposuit, negando Caput V. continere doctrinam S. Augustini, cùm ait, *Gratiam habere efficaciam ex Omnipotentia Dei, & ex dominio quod Omnipotens habet in voluntates hominum, sicut & in cætera quæ sub cælo sunt.* Quod autem ista sit doctrina S. Augustini, constat ex formalibus verbis. Sic enim primum inductum testimonium habet: *Bonas hominum voluntates, &c. ita esse in Dei potestate, ut eas quo voluerit faciat inclinari.* Ecce ad Omnipotentiam Dei reducit in terminis efficaciam gratiæ convertentis hominum voluntates. Et in secundo testimonio ita dicitur: *Deum occultissima & potentissima medicinæ suæ potestate perducere hominis voluntatem quò vult.* Ergo apertis verbis dicit, ad Omnipotentiam pertinere illam efficacem gratiam. Et in testimonio tertio loco inducto ita dicitur: *Sic enim velle & nolle in volentis & nolentis est potestate, ut divinam voluntatem non impediat, nec superet potestatem.* Igitur manifestum est, esse formalem & expressam S. Augustini sententiam, quòd gratia habet suam efficaciam ad convertendum hominum corda ex Dei Omnipotentia, cum ad Dei Omnipotentiam recurrat Augustinus, cum de efficaci Dei gratia loquitur.

Sed Patres Reverendi ideò negant Deum suâ Omnipotentiâ efficaciter movere liberum arbitrium, & habere dominium super illud, quia constituunt liberum hominis arbitrium exemtum à dominio Dei, ita ut possit illud rogare & suadere, non autem possit illud *immutare, inflectere, & transferre,* (istis enim terminis utitur S. Augustinus) *quocunque ipse voluerit.* Præterea dicit S. Augustinus de illa efficacissima gratia de qua in præcedenti capite dictum fuerat, *Quod Paulus tam efficacissima voluntate converteretur, gratia Dei erat sola.* Ecce efficaciam habet vocatio ex sola gratia, ex Deo ipso, & non illam emendicat à libero arbitrio, nec est efficax dependenter ab illo, ut Patres volunt. Ideò enim negant efficaciam sumere ex Dei Omnipotentia & ejus dominio quod habet super liberum hominis arbitrium. Non igitur potest negari, quod secundùm S. Augustinum gratia habeat efficaciam ex Dei Omnipotentia & dominio, quod habet supra liberum hominis arbitrium. Cum autem ista sit S. Augustini doctrina, & Summus Pontifex dicat illam esse S. Augustini, mirandum est valde, quod audeat Pater illam damnare. Certè quomodo

quomodò ista ab illo dicantur, planè non video.

Quod autem affirmat, doctrinam hujus capitis esse contra Concilium Tridentinum Sess. 6. c. 4. & quod constituit hominum voluntates moveri ut inanime quoddam, pravius est multo: absit enim ut ex doctrina, non dico S. Augustini, sed ex doctrina Pontificis summi tradita in isto capite & ordinata, contradicatur Concilio Tridentino?

His utrinque disputatis, in Congregatione sequenti conclusum est à Consultoribus, eam esse Augustini mentem, quam Clemens VIII. ex multis hujus S. Doctoris locis proposuerat.

XII.

SCRIPTUM

Illustrißimi D. PETRI LOMBARDI,

Doctoris Theologi in Academia Lovaniensi, Archiepiscopi Armachani,

Primi in Congregationibus Auxiliorum Consultoris;

DATUM

SANCTISSIMO PATRI AC DOMINO

PAULO PAPÆ V.

INITIO PONTIFICATUS

De Erroribus contra Gratiam, & finiendæ Controversiæ necessitate.

Ad Caput. 3. libri 4. Hist. auxil.

INter curas omnes Romano Pontifici pro Apostolici muneris Principatu incumbentes, cùm prima & maxima sit, quâ debet invigilare, ut doctrina fidei Christianæ per universam Christi Ecclesiam in ea conservetur integritate, quam Timotheo suo pro parte sollicitudinis ejus commendat D. Paulus, ita illum admonens: *O Timothee, depositum custodi, devitans profanas vocum novitates, & oppositiones falsi nominis scientiæ*: id tui Prædecessores, Beatissime Pater, tum contra errores alios circa hanc doctrinam temporibus suis emergentes, tum præcipuâ quadam sedulitate, cooperantibus etiam aliis Catholicis Episcopis, contra illas præstiterunt opiniones, quibus beneficium gratiæ Dei, qua per Christi meritum ad bene vivendum adjuvamur, evacuari aut quoquo modo extenuari animadverterant.

Et meritò: quippe illarum opinionum contagium ejusmodi esse noverant doctissimi Sanctissimique Pontifices, ut præter communem cum reliquis hæresibus perniciem, quam certò affert animis, soleat etiam ab eo peculiare imminere iis periculum, qui alioqui in Ecclesia Dei supra alios virtutum laude videntur eminere: quorum proindè vita uti pluribus prodesse apta, si fundata sit in ea humilitate, *cujus proprietas*, sicut ait D. Prosper, *in confessione est gratiæ Dei, quæ tota repellitur, nisi tota suscipitur*: ita si in elationem rapiantur, quâ se cum Deo componentes, suarum laudum atque meritorum partem aliquam tanquàm propriam sibi vendicent, quantò altiùs virtutis arcem se conscendisse existimant, tantò graviùs & corruunt ipsi, & plures secum prosternunt in ruinam.

Cùm autem ab annis hactenus mille circiter & ducentis sæpiùs sint exortæ opinionum concertationes circa orthodoxam de gratia doctrinam; qui primi eam apertiùs & acriùs impugnarunt, fuerunt Pelagius, Cælestius, & his se associans Julianus; quorum priores duo, Autores primi notissimæ hæreseos, cujus sectatores Pelagiani & Cœlestiani pariter ab iis nuncupati, cùm essent ambo Monachi, magnæ uti apparebat Sanctitatis & perfectionis, è Britannicis egressi insulis, virus sui dogmatis longè latèque disseminarunt, Romæ & alibi, in Italiâ, in Palæstinâ, in Africâ, in Siciliâ. Tertius verò Julianus Episcopus Celanensis in Campaniâ, ubi alios decem & octo Episcopos erroris secum habuit com-

complices, cùm eſſet Rhetor peritiſſimus, & ipſe utique à bonorum operum ſpecie non parùm commendatus, eandem hæreſim præ cunctis ejus ſectatoribus propugnavit audaciſſimè, & calidiſſimè ſategit propugnare.

Quare qui tunc Romani Pontifices erant Innocentius primus, Zozimus, & Bonifacius, adjuvantibus eos compluribus aliis Epiſcopis, & diverſis Epiſcoporum Conciliis, doctrinam Eccleſiæ de hoc argumento tam ſtrenuè & ſollicitè defenderunt, ut iſtorum inimicorum gratiæ Dei damnatis erroribus, ipſos etiam, poſtquam his pertinaciùs inhærere deprehenſi ſunt, à communione fidelium, priores duo ejecerunt: Tertius inſuper ſic coercuit, ut contra eos uſus fuerit, non ſolùm Apoſtolicis, ſed etiam Regiis piiſſimorum Imperatorum Edictis, in illius hæreſeos autores & ſectatores latis.

Porrò Concilia, quæ temporibus illis pro hac cauſâ celebrata fuere, quàm plura extiterunt. Primum fuit in Palæſtina Dioſpoli habitum. in quo errorum quos Pelagius coactus fuit anathematizare, duodecim Capitula recenſet S. Auguſtinus; & ſubjungit duodecim oppoſitas veritates, quas ſemper, inquit, tenuit Catholica Eccleſia. Alia Concilia numero quatuor, quantùm poteſt colligi ex eodem Auguſtino, & aliis qui eo ſcripſerunt tempore, celebrata ſunt in Africâ. Unum Provinciæ Carthaginenſis, in ipſâ civitate Carthaginenſi: alterum Provinciæ Numidiæ, in civitate Milevitanâ; ambo tempore Innocentii Papæ, ſicut patet ex Epiſtolis diverſis quæ etiamnum extant, ſcriptæ partim ab iiſdem Conciliis, & ab aliquibus tunc Epiſcopis Africæ ad Innocentium, partim ab Innocentio ipſo ad horum viciſſim Epiſtolas reſpondente. Reliqua duo Concilia fuerunt magis plenaria, tempore Papæ Zozimi celebrata: in quorum uno ducenti quatuordecim, in alio trecenti Epiſcopi convenerant. Extant etiam in Concilio Milevitano octo Capitula, quæ ibidem & antea in Concilio Carthaginenſi contra Pelagianos fuerunt definita; eademque repetuntur in Concilio alio Africano, quod tempore Papæ Bonifacii, Carthagine à ducentis & ſeptemdecim Epiſcopis refertur celebratum.

Inter Epiſcopos verò, qui iiſdem Romanis Pontificibus in tam pia cauſa ſunt cooperati, ſpectando quidem loci eminentiam, præcipuæ quod ſciatur autoritatis fuerunt, Aurelius Carthaginenſis in Africa, deinde Atticus Conſtantinopolitanus in Græcia. At ingenium, eruditionem, induſtriam, librorum copiam æſtimando, præfulgebat longè univerſis D. Auguſtinus Epiſcopus Hipponenſis: qui verbis atque ſcriptis adverſariorum dolos tam dexterè detexit, tam validè devicit errores, & defæcatiſſimam ſaluberrimamque Evangelicæ Apoſtolicæque doctrinæ de gratia Dei intelligentiam, tam ſolidè ac ſincerè explicavit, ut in primis Divus Hieronymus, cùm poſt libros quoſdam, contra iſtam hæreſim à ſe etiam ſcriptos, quos D. Proſper meritò prædicat valdè excellentes, vidiſſet aliquos ex iis quos edidit Divus Auguſtinus, admiratus in illo donum Dei ſingulare ad eam refellendam, ſuperſederit labori contra eandem plura conſcribendi. Ac alii deinceps quicunque de hoc argumento rectè ſentientes, doctrinam quæ de eo ab eodem explicata eſt, ſemper venerati ſunt, amplexi, & ſecuti. Quinimmò eandem eſſe ab omnibus amplectendam & ſequendam, tanquàm Eccleſiæ Romanæ doctrinam, judicium fuit hactenus ipſius Sedis Apoſtolicæ. Unde Cœleſtinus I. *Auguſtinum*, inquit, *ſanctæ recordationis virum, tantæ ſcientiæ olim fuiſſe meminimus, ut inter Magiſtros optimos à meis ſemper Prædeceſſoribus haberetur.* Et Hormiſdas Papa: *De libero arbitrio & gratia Dei quid Romana, hoc eſt, Catholica ſequatur & aſſeveret Eccleſia, in variis libris B. Auguſtini, & maximè ad Hilarium & Proſperum, poteſt cognoſci.* Et Joannes Papa II. generaliùs loquens, *Sancti Auguſtini doctrinam*, inquit, *ſecundùm Prædeceſſorum noſtrorum ſtatuta, Romana ſequitur & ſervat Eccleſia.*

Poſtquam his primis certaminibus proſtrata ſatis videbatur iſta hæreſis, & cum ipſa condemnati eſſent autores ejus atque aſſertores primi & præcipui in tot aliis Orbis partibus; accidit deinde in Galliis quoque de eodem argumento concertationes novas, & quidem aliquoties, per alios quoſdam ſuſcitari: qui licet ab Eccleſia ſe non ſepararent, immò quantùm ad iſtam ſpectat hæreſim, Pelagii & Cœleſtii deteſtarentur nomina, & dogma condemnarent verbis, tamen doctrinam contra eos eorumque ſectatores à Divo Auguſtino de gratia Dei & Prædeſtinatione traditam, auſi fuerunt paſſim reprehendere imperitè; quaſi in ſententiis, quas is de hoc argumento, ſecundùm Scripturas Sanctas defendit, receſſiſſet ab opinione veterum Eccleſiæ Patrum, & in adverſariorum confutando dogmate neceſſarium modum exceſſiſſet; ineptas aliquas immò & impias Propoſitiones

ctiones ostentando, tanquam ex in illius & qui eum sunt secuti libris, quoad sensum saltem, continerentur. Quos proinde excessus, ut viderentur ipsi evitare, moderatiorem quandam viam in eodem argumento explicando, eligere sibi præsumserunt: sed in qua reverà, quantum recesserunt à doctrina D. Augustini, tantum accesserunt ad Pelagii dogma. Unde qui viam istam sunt secuti appellantur meritò Reliquiæ Pelagianorum & Semipelagiani; quoniam Pelagianismi partem adhuc in sensu retinent, in qua damnatam pridem hæresim conabantur, quantùm ad hoc argumentum, denuò suscitare.

Cœperunt hi vivente adhuc D. Augustino caput erigere in Massiliensi urbe, & aliis etiam locis in Gallia, sicut patet ex duobus Epistolis, quas ad Sanctum hunc & senem tunc Episcopum Prosper & Hilarius scripserunt; in quibus recensent ordinatè illorum opiniones, ipsosque sic describunt, ut narret D. Prosper fuisse claros & egregios in omni virtutum studio viros, quorum apud simpliciores quosque tam magna fuit de probitatis contemplatione reverentia, ut hoc tutissimum sibi æstimarent, quod audirent eos, quorum autoritatem sine judicio sequebantur, asserere. Ad quas Epistolas respondens D. Augustinus, rescripsit ad Prosperum & Hilarium duos libros, unum de Prædestinatione Sanctorum, alterum de dono Perseverantiæ inscriptum: in quibus licet novas istas, seu renovatas potiùs opiniones, solidissimè & sincerissimè refellat, tamen tantùm abfuit, quòd per eos corrigerentur ejusmodi novatores, ut potiùs inde occasionem sumserint in præconceptis opinionibus obstinatiùs firmandi animos, & doctrinam D. Augustinis infestiùs quàm antea reprehendendi & calumniandi.

Quapropter, cùm eodem Augustino jam defuncto viderent Prosper & Hilarius, quòd Episcopi Galliarum ad ista connivèrent & tacerent, pro remedio tantis malis adferendo contulerunt se ad Sedem Apostolicam, in qua tunc præsidebat Cœlestinus primus: qui querelis eorum benignè susceptis, quali zelo in negotiis aliis se gessit contra ipsos Pelagianos, tali succurrit Galliæ, ne ulteriùs ibi serperent illorum reliquiæ. Ejus in Pelagianos zelus antea enituerat, quòd Cœlestium à Prædecessoribus suis antea condemnatum, & adhuc quasi non discusso negotio audientiam postulantem, totius Italiæ finibus jusserit extrudi; quòd ejus cura per Sanctos Episcopos Germanum & Lupum à Pelagiano morbo Britannia sit liberata; quod autoritate ejus per B. Cyrillum Alexandrinæ urbis Antistitem, in Concilio Ephesino, errores Pelagiani cum cognatis sibi Nestorianis iterùm sint prostrati. Itaque & ad Episcopos Galliarum gravissimam direxit Epistolam, in D. Augustini & doctrinæ ejus defensionem & commendationem, adjunctis certis Capitulis sive Regulis, quibus ex Sanctionibus præcedentium Romanorum Præsulum Innocentii & Zozimi, & sententiis Africanorum Conciliorum, contra hæresim Pelagianam compendio digeritur, quid contrà reliquias ejusdem hæreseos de gratia Dei sit tenendum.

Cœlestino succellit Sixtus tertius, & Sixto Leo Magnus. Ex quibus Sixtus, cùm ejus tempore Julianus Pelagianus, correctionis speciem fallaciter prætereus, molitus esset in Ecclesiæ Communionem irrepere, his ejus insidiis vigilanter occurrens, hortatu maximò Leonis tunc adhuc Diaconi, nullum aditum patere ei permisit: & ità omnes Catholicos de rejectione ejùs gaudere fecit, quasi tunc primùm istam hæresim Apostolicus gladius detruncasset. Sub eodem etiam Pontifice, cum Semipelagiani in Galliis, non obstante Epistola à Cœlestino priùs eò missâ, novis ex ea ipsi quæsitis occasionibus, pro opinionibus suis animosiùs decertarent; Prosper quidem in libro, quem contra Collatorem de hoc argumento scripsit, hanc partem gloriæ Pastori huic exoptat, & ad eam ex Epistola, quam ad ipsum adhuc Presbyterum scripsit Augustinus, suppliciter exhortatur; ut sicut Prædecessores ejus Innocentius, Zozimus, Bonifacius, Cœlestinus, Lupos abegere manifestos, ita Sixtus depellat (inquit) occultos. Id verò volens prosequi S. Leo, postquam esset factus Pontifex, ad coercendam istorum impudentiam & imperitiam, alia plura & magis particularia Capitula; seu Canones ex D. Augustini libris, pleraque etiam verbatim collecta, submisit ad Galliarum Episcopos, quæ illi Arausicæ congregati ad Concilium publicarunt; & suis firmarunt subscriptionibus.

His etiam Pontificibus, cùm alii plures Episcopi & viri eruditione atque zelo clari in hac causâ cooperarentur, præcipuus sollicitando ac scribendo extitit D. Prosper, doctrinæ & industriæ D. Augustini contra Pelagianos insignis imitator adversùs Semipelagianos, in quo tam pio negotio opera ejus Sedi Apostolicæ adeò fuit probata, ut in primis Cœlestinus Papa de ipso loquens & Hilario, *Filii*, inquit,

nostri præsentes Prosper & Hilarius, quorum circa Deum nostrum sollicitudo laudanda est. Et postea Gelasius I. Papa in Concilio Romano, inter Opuscula sanctorum Patrum, quæ in Ecclesia Catholica recipiuntur, Opuscula ejus recensendo, hoc, peculiariter epitheto eum honorat, ut Virum vocet Religiosissimum. In quibus sanè opusculis doctrinam D. Augustini ita est secutus, ut eorum pleraque & præcipua, sint veluti commentaria & apologiæ, in quibus ex omnibus quæ copiosiùs atque sparsiùs contra Pelagianam hæresim disputavit Augustinus, ea pressiùs stringuntur atque adstruuntur, quæ spectant propriè ad prosequendum argumentum de gratia & Prædestinatione, quantum exigebat disputatio per Semipelagianos de eo renovata.

Inter hæc fuerunt aliqui, tam superstite adhuc Augustino, quam post ejus obitum, qui licet pio affectu bonæ voluntatis, doctrinam de argumento hoc ab eo traditam, id est, Catholicam, se sequi profiterentur & studerent assequi, tamen judicio adeò erant tardi, ut eorum captum & eloquium nonnulla superarent, quæ pro ejusdem argumenti sublimitate is in suis libris scripserat; ideò non valentes horum sensum verum comprehendere & exprimere, vel substiterunt vel simpliciùs erraverunt, affingentes eis sensum falsum, vel verbis ea absurdis seu duris nimiùm protulerunt; & hoc præcipuè quando de Prædestinatione agebatur. De quibus proinde admoniti & consulti, primùm ipse D. Augustinus, & postea D. Prosper, etiam pro istorum instructione & correctione Tractatus novos conscripserunt; quibus de ejusmodi difficultatibus quid esset sentiendum & loquendum, sive non loquendum modò, quantum fieri poterat dilucidiùs explicarunt.

Ex his autem qui, doctrinæ D. Augustini opponentes se, aliam, ut dictum est, de hoc argumento sunt secuti, cùm nonnulli essent Presbyteri, aliqui etiam Episcopi, qui noti sunt pro doctrinâ sua scripsisse, primus fuit Joannes Cassianus natione Scytha, qui Constantinopoli à B. Joanne Chrysostomo diaconus ordinatus postea Massiliæ fuit Pres-byter. Secundus Vincentius natione Gallus, etiam Presbyter, quem arbitrantur aliqui fuisse Lirinensem illum, cujus exstat Opusculum adversùs profanas hæresium novitates. Tertius tempore his posterior, sed superior dignitate, Faustus ex Abbate etiam Lirinensi, post B. Prosperum Episcopus Rhegiensis. Et hi quantò sanctiores habiti & doctiores, tantò magis scire modò expedit, quòd obnoxii fuerint erroris hujus nævo; & quòd non obstante illa sanctitate & eruditione, errores eorum alii rectiùs sentientes impugnaverint, & Sedes ipsa Apostolica reprobaverit.

De Cassiano quidem certum est, quòd in Opere suarum Collationum, in quibus alioqui multa continentur utilia documenta, unam inscribat de Protectione Dei, in qua sub nomine Abbatis Chæremonis, de gratia & libero Arbitrio sententia explicatur & approbatur, opposita doctrinæ de his à D. Augustino contra Pelagianos traditæ & defensæ; quam proinde Collationem refellens B. Prosper, contra autorem istum scripsit, non proprio sed Collatoris expresso nomine.

Quod verò ad Vincentium attinet, illius quem dixi Lirinensem, sunt qui arbitrantur esse Objectiones adversùs doctrinam D. Augustini, contra quas scripsit D. Prosper, Vincentianas ipsas vocans. Et in illo ipso contra hæreses libello alioqui valde insigni, videri poterit idem Vincentius, offensiore fuisse animo in defensores D. Augustini, quando sollicitudinem Prosperi & Hilarii, quam Cœlestinus Papa adeò commendavit, interpretatur criminationem apud eundem Pontificem, urbium & Provinciarum Galliæ. Quæ interpretatio, qui id non satis fortè observarunt hactenus, advertere possunt, an non ex eodem spiritu profecta sit, quo Gennadius Massiliensis Presbyter, notissimus Semipelagianorum fautor, de eodem censuit Prospero, quòd *Opuscula Cassiani, quæ* (inquit) *Ecclesia Dei salutaria probat, ille infamat nociva.*

Porro Faustus callidiore usus stratagemate, tanquam agens contra illos, qui doctrinam D. Augustini non intelligentes, in absurdas quasdam opiniones de Prædestinatione & gratia sunt prolapsi, duos scripsit libros de gratia Dei, & humanæ mentis libero arbitrio, in quibus reverà doctrinam D. Augustini, tacito ejus nomine oppugnat atque reprobat. Qui libri, cùm olim nonnullos etiam Episcopos, sed simpliores illos quàm doctiores, in Galliis, in Græcia, in Africa seduxissent, alii eruditiores ex omnibus istis Provinciis, detectâ tandem fraude, contra libros illos scripserunt. Inter quos præcipuus B. Fulgentius Episcopus Ruspensis in Africa, qui, ut refert Isidorus, scripsit de gratia Dei & libero arbitrio, Libros Responsionum Septem, in quibus Fausto Rhegiensis in Gallia urbis

Epis-

Episcopo, pravitati Pelagianæ consentienti respondens, *Obmittitur*, inquit, *ejus profundam destruere calliditatem.* Qui Septem Libri quamvis interea interciderint, exstant tamen diversa alia Opuscula ejusdem autoris, in quibus secutus D. Augustinum & B. Prosperum, doctrinam orthodoxam de Prædestinatione & gratia solidè & sincerè explicat.

Sed & his temporibus, postquam libri isti Fausti è tenebris denuò eruti sunt industriâ Erasmi Roterodami, similiter imposuerunt quibusdam viris doctis, qui arbitrantes sub titulo specioso sinceram doctrinam contineri, eam sunt amplexi & interpretati, tanquàm conformem ei, quam de eodem argumento D. Augustinus tradidit. Et quia impostura ista etiamnum serpit, sunt qui censent censuram, contra istos libros ab Apostolica Sede olim factam (de qua paulò infra) valde expedire denuò renovari: quandoquidem certum sit ipsos eosdem esse; qui, sicut dictum est, è tenebris eruti in manibus nunc habentur, & qui olim à Scriptoribus orthodoxis refutati. Cujus rei argumentum sit ad oculum: quòd cum Joannes Maxentius unus ex antiquis illis impugnatoribus, diversas sententias ex eo transcribat, quibus contrariam ostendit doctrinam D. Augustini, eæ sicut ab illo tunc transcriptæ, sic & nunc in illis libris reperiantur.

Post Leonem Magnum, qui in Pontificatu successit quarto loco, Gelasius Papa I. tam vigilans fuit & sedulus in iisdem præveniendis & exstinguendis erroribus; ut inprimis, cùm ei nuntiatum esset, in Regionibus Dalmatiarum quosdam recidivæ Pelagianæ pestis initia seminasse, tametsi de hoc nondum acceptâ notitiâ certiori, quàm quæ per rumorem spargebatur, considerans nihilominùs quòd error iste nefarius, ut inquit, sit tantò perniciosior ad subripiendum, quantò ad fallendum verisimilitudinis colore versutior, ad occurrendum isti malo, Epistolam eò direxit ad Honorium Episcopum: ubi cùm inter alia referat, hæresim istam per suos Prædecessores Innocentium, Zozimum, Bonifacium, Cœlestinum, Sixtum, Leonem, continuis sententiis fuisse prostratam; & sectatores ejus non tantùm Ecclesiæ Catholicæ legibus, sed Principum quoque Romanorum fuisse damnatos, subjicit notabilem hanc sententiam: *Si studerent adversis eos Majorum nostrorum libros responsaque cognoscere, illis modis omnibus cerneretur, nihil esse prorsus, quod ab istis fuerit ventilatum, & non ab illis magnificâ veritate contritum.* Deinde cùm intelligeret in Provinciis Piceni ejusdem hæreseos errores subrepere, ex segnitie & dissimulatione sacerdotum, alias eò direxit Epistolas, quibus præcipua ejus capita eruditè refutat. Denique in Concilio Romano, dum Opuscula ea recenset, quæ inquit à Catholicis vitanda sunt, & idcircò Apocrypha ipse vocat; de duobus illis in Gallia Scriptoribus, qui ut dictum est, de gratia & libero arbitrio opiniones à doctrina D. Augustini discrepantes sunt secuti, Censuram hanc expressè & distinctè subjicit: *Opuscula Cassiani Galliarum Presbyteri, Apocrypha: Opuscula Fausti Rhegiensis Galliarum Episcopi, Apocrypha.*

Qui Gelasio successit tertio loco Hormisdas Papa, & Judicium ejus de libris Fausti est secutus, & Epistolam Cœlestini in defensionem D. Augustini ejusque doctrinæ sic amplexus & interpretatus, ut cum Semipelagiani laudationem in ea collatam in D. Augustinum, ad anteriores ejus libros duntaxat referrent, referri autem nollent ad posteriores, in quibus ipsorum errores expressiùs refutantur, sic ille exponat: *Quid de libero arbitrio & gratia Dei Romana sequitur & servat Ecclesia, ex libris Augustini esse cognoscendum*; ut expressè addat, id maximè intelligendum de libris ejus ad Hilarium & Prosperum, qui sunt postremi, quos de hoc argumento contra Semipelagianos ex professo scripsit. Subjungit etiam de hoc argumento Romæ in scriniis Ecclesiasticis Capitula contineri: quæ sunt illa indubiè quæ eidem Epistolæ sunt adjuncta, & fortè etiam quæ à D. Leone ad Concilium Arausicanum destinata.

Interjectis multis annis, Joannes Papa IV. anteriores tot Pontifices providentiâ simili imitatus, cùm agnosceret quòd in Hibernia apud Scotos Pelagianæ hæresis virus denuò revivisceret, litteras eis magnâ autoritate atque eruditione plenas direxit, sicut recenset Venerabilis Beda, qui in fragmento quod ex his transcripsit, quædam refert verba, quibus declarans idem Pontifex continuam Ecclesiæ Romanæ sollicitudinem, Episcopos, Presbyteros, Doctores, & Abbates in extremis illis terræ finibus, ut Beda loquitur, ad quos eæ directæ sunt, hoc modo affatur: Nam qualiter ipsa quoque execranda hæresis damnata est, latere vos non debet; quia non solùm per istos ducentos annos abolita est, sed & quotidie à nobis perpetuo Anathemate sepulta damnatur: & hortamur, ne quorum arma combusta sunt, apud vos eorum cineres suscitentur.

Poſt alios adhuc plures annos, qui apud urbem Valentinam in Galliis ad Concilium collecti erant Epiſcopi, etiam contra Scotos ſimiliter errantes id ipſum de gratia & libero arbitrio conſtantiſſimè & fide plenà profeſſi ſunt: *Quod*, inquiunt, *Sanctiſſimi Patres autoritate Scripturarum tenendum reliquerunt, quod Africana, quod Arauſicana Synodus profeſſa eſt, quod Beatiſſimi Pontifices Apoſtolicæ Sedis Catholicâ fide tenuerunt.*

Unde, ut propiùs ad noſtra deſcendam tempora, quæ quantò propinquiora fini mundi, tantò errorum abundantiora fore prædicantur in Scripturis Sacris, ex quo vir doctiſſimus Petrus Lombardus Epiſcopus Pariſienſis, Magiſter ſententiarum dictus, Theologiam ex ſententiis Patrum, & præcipuè Divi Auguſtini redegit in methodicam ſummam, qui interea illum interpretati fuerunt diverſorum Ordinum Religioſi, quamvis & ipſi paſſim profiterentur, & propoſitum habere viderentur D. Auguſtinum ſequi; tamen cùm ſecuriores ab externo hoſte, liberiùs quæſtiones multas intrinſecùs diſputarent, accidit re verâ ut aliqui ex iis circa argumentum de quo agitur communiſcerentur opiniones quaſdam, adverſas ſatis doctrinæ de eo ab Auguſtino contra Pelagianos & Semipelagianos traditæ & explicatæ. Quæ opiniones licet ab Eccleſia nunquam approbatæ, immò & ab aliis Scholaſticis de iiſdem rebus meliùs ſentientibus aut rejectæ aut non receptæ; attamen qui poſterioribus his temporibus à Sedis Apoſtolicæ obedientia apoſtatarunt, tot ſectarum aſſertores & ſequaces, ſumſerunt inde occaſionem uſque adeò calumniandi, ut & opiniones iſtas ſupra id quod verè ſuberat nimium exaggerarint, & ſic à ſe exaggeratas Catholicis omnibus impoſuerint, tanquam Romana Eccleſia, ſeveriore desertâ doctrinâ de gratia & libero arbitrio, prolapſa eſſet ad Pelagianiſmum, & qui ſe Catholicos profitentur (Papiſtas illi vocant) degeneraſſent in Pelagianos.

A quibus propterea dum videri volunt iidem ſectarii juſtam habuiſſe occaſionem, quantùm ad hanc doctrinæ partem, ſejungendi ſe & diſſentiendi, aliam ipſi ſunt ſecuti: non illam certè doctrinam orthodoxam, quæ olim contra Pelagianos à Pontificibus & Conciliis definita eſt ac defenſa à D. Auguſtino, ac ſecutis aliis Catholicis Doctoribus: quin potiùs quod contra Petrum Lombardum & Theologos Scholaſticos videbantur ex profeſſo ſuſcepiſſe bellum, id etiam convertetunt contra hujuſmodi definitiones ac Patrum ſententias. Et quod ad ipſum ſpectat Auguſtinum, quamvis illum, tanquam ſolum, ut dicunt, ex veteribus ſecum conſentientem, aliquo loco habere videantur; tamen re verâ doctrinam ejus plerumque non intelligere ſe oſtendunt, immò & corrumpere deprehenduntur aliquando quoad ſenſum, nonnunquam quantùm ad verba. Fingunt verò gratiam Dei ſic prædicandam & credendam, ut (quod juſto Dei judicio eis accidit) velut in inſaniam rapti Manichæorum non minorem, teneant atque tradant, liberum arbitrium in hominibus vel extinctum prorſus, vel naturali ſua proprietate ſpoliatum: ignorantes ſe hoc dogmate auferre quoque energiam & effectus, quos veræ Dei gratiæ Scriptura Sacra paſſim tribuit.

Quapropter Concilium Generale Tridentinum (ut Provincialia omittam, Senonenſe & Moguntinum) dum contra iſtos agit, ſic liberi arbitrii naturalem aſſerit proprietatem, ut agnoſcat atque renovet quod de virium ejus per peccatum attenuatione & inclinatione antiquitùs definitum eſt: ſic aſtruit ejuſdem cooperationem & ſequelam, ut quod de gratiæ præoperantis, id eſt prævenientis ipſum adjuvando & excitando, neceſſitate & efficacitate * juxta Sacras Scripturas & antiquas Eccleſiæ definitiones prædicandum & credendum, denuò definiat ac declaret: ob id nimirum, quia non ſatis illi viſum, iſtorum Sectariorum errores condemnare, niſi etiam ab eorum calumniis Eccleſiam præſentem vindicaret.

* *videtur deeſſe,* olim ſanxit Eccleſia, *idem vel quid aliud ſimile.*

Cæterùm ex Doctoribus Catholicis, qui Sectarios iſtos oppugnantes, de iiſdem argumentis prolixiores inſtituerunt diſputationes, aliqui in iis liberi arbitrii vires adeò extulerunt, ut aliis viſi ſint Chriſtianæ Gratiæ neceſſitatem & efficacitatem nimium extenuare; atque ita dum errores vellent eliminare Lutheranorum & Calviniſtarum, alias introducere opiniones, quibus ſterneretur via ad toties expugnatum Pelagianiſmum, ſeu Semi-pelagianiſmum, ſub finem ſæculorum poſtliminiò ſuſcitandum. Indeque ſunt exortæ diſſenſiones, quæ unà cum iiſdem opinionibus, diutiùs quàm à pleriſque videtur animadverſum, intra Eccleſiæ gremium fotæ ſunt.

Neque negari poteſt, quin ſub initiis, ſaltem à quibuſdam qui in iſtas impegerunt opiniones, ſive defendendo, ſive confutando, vel ignoratum aliquouſque, vel non ſufficienter obſervatum fuerit, quid

de

de rebus quas tractabant, antiquitùs in Ecclesia edoctum defensum atque definitum: id quod excusationem fortè habuit. Et quidem utriusque dissentientium partis, tantò majore quantò meliore zelo una ex iis intenta fuit tota ad præsentium errorum incendium exstinguendum; altera magis provida, ne alii in futurum suscitarentur seu succenderentur, recolendo altiùs ex antegressis hactenùs Ecclesiæ Dei decursibus, quòd, quandoquidem sic res ita habeat, ut quamdiu hæc in terris militat, oporteat, sicut prædixit D. Paulus, & hæreses esse, cùm hæreseos unius interitu oriri ferè soleat ejus contraria.

Progressu autem annorum aliquot, eædem opiniones apertiùs & periculosiùs proruperunt in disceptationem multùm controversam, quam vidi ipse in Belgio urgeri satis acriter, & novissimis omnes diutiùs & ardentiùs gliscere in Hispaniis. Quæ tamen, ut aliàs, quantùm observare potui, à turbis illis, quas in tot aliis Provinciis Christianis quæstiones de hoc argumento sæpiùs concitarunt, magno Dei beneficio immunes semper conservatæ; & ad eas modò præservandas interest quàm plurimùm totius Christiani Orbis, ut qui Dei in terris vices gerunt, sollicita provideant curâ.

Qualem proinde adhibens Prædecessor nuper Vestræ Sanctitatis Clemens fælicis recordationis Papa VIII. controversiam hanc, ut cum majori autoritate decideretur, ex Hispaniis evocavit ad Sedem Apostolicam, & pro eâ decidendâ per annos aliquot, tametsi ætate plurimâ fractus, aggravatus multis morbis, & negotiis aliis penè obrutus, instanter laboravit. Sed dum in laboribus ejus dies diei eructat verbum, & nox nocti indicat scientiam, optimæ voluntatis Pontifex (quod judicio Dei accidit) finivit antea vitam suam, quàm de eâdem controversiâ definire quidquam posset.

Quæ tamen ne sic hæreat indecisa, prospiciens Collegium Illustrissimorum ac Reverendissimorum Cardinalium, quòd non possit Ecclesiæ Dei non esse multum noxium, vacante per ejus obitum Sede Apostolica, prudenter ordinavit, ut futurus Pontifex pro ea satageret quàm primùm dirimenda. Id quod exsequi Successor proximus Leo Papa XI. declaravit quidem inter primas curas sicut esse debuit commendatum: sed is tanquam unda maris in terras projecta, recessit antea ex hac vita, quàm in Pontificatus sui labores posset ingredi.

His autem quòd videmus modò Te succedere, Pater Beatissime, Pontifex Maxime, de quo & gaudemus sanè supra quàm possumus vel exprimere verbis, vel cogitatione ipsâ satis comprehendere, spem facit maximam, id ab æterno Deo inter alia plurima, quæ ad Ecclesiæ suæ præsidium per te operaturus est, etiam ad hoc destinatum, ut qui hactenus Clementi Pontifici in examinanda ista controversiâ Præsidenti, cum aliis Illustrissimis & Reverendissimis Cardinalibus S. R. E. Inquisitoribus Generalibus, sollicitè assedisti, eam ipse factus Pontifex fæliciter definias. Ad quod tam suaviter invitatus es in ipsa tui ad Pontificatum assumtione, qua tunc manifesto opere demonstratum est, quàm habet Deus potestatem voluntates hominum (quod hic præcipuè controvertitur) quò vult, quando vult, quomodo vult, quandiu vult, inclinandi, inflectendi, transferendi. Et dudum ad id ipsum subsidiis omnibus præparatus (id ita providente Deo) quibus quod Clemens Papa laboriose seminavit, successor ejus fructuose colligas.

Quapropter præsumere ego nolo sententiam, quam per Os tuum de controversia hac pronuntiabit Sanctus Dei Spiritus, præveniendo Censuram ferre in præsentiarum: An opiniones illæ, de quibus controvertitur, ex radice Pelagianismi, seu Semipelagianismi fibrâ reipsâ prodeant; quibuscunque colorentur verbis, vel proditæ sive per calumniam traducantur, sive præsumantur ex imperitiâ aliqua, & hoc vel sensuum quibus concipiuntur, vel verborum quibus aut ea exprimuntur, aut sententiæ orthodoxæ de iisdem rebus, ut prætenditur, exprimendæ; sive denique pro cautela tantùm ex ejusmodi fibra, seu radice prodire timeantur.

Verùm quia superioribus diebus, vivente adhuc Leone Papa, dignabaris mihi indicare gratum fore, si rationes aliquot in ordinem redigerem, quibus potissimùm ostendatur, quàm magni sit momenti, ut controversia de his mota quàm primùm dirimatur, prout Illustrissimi ac Reverendissimi Cardinales ordinarunt; ego quidem ejusmodi rationes confestim digessi, tametsi eas ob invaletudinem, qua correptus fui subitò, non potuerim tunc proferre: sic etiam providente Deo, ut quod Cardinalis imperasti, Pontifici tibi offeram. Cui proinde ut eadem sint majori usui, interea mihi visum præmittere illa, quæ jam recensui, de præcedentium hactenùs Pontificum vigilantiâ & sollicitâ curâ in remediis

mediis adhibendis, quoties de argumento hoc suspectas quoquo modo quæstiones suscitari intellexerant.

Subjungam autem modò rationes petitas ex rebus, de quibus adeò controvertitur; ex quæstionibus, quæ cum controversia hac nectuntur; ex Personis inter quas præcipuè jam versatur; ex damno quod ex eadem in universam diffunditur Ecclesiam; ex lucro demùm quod Sectariis inde provenit. Ex quibus ut existimo evadet manifestum, momenti esse maximi, ut eadem controversia sine diuturniore morâ definiatur, idque tam plenâ & expressâ veritatis declaratione, quam requirunt quæstiones, quæ in ea ultrò citròque disceptantur. Suggeram deinde considerationes quasdam de modo, quo videri possit definitio ista facienda, & pro declaranda rerum veritate, & pro partium, quæ de hac disceptant, quantum fieri potest, honore conservando.

Et in primis spectando res, de quibus controversia ista mota est, pertinent illæ ad Catholicam fidem, etiam ex professione quam partes ipsæ de iis dissidentes in libris suis & scriptis passim faciunt: adeo ut utraque sentiat, doceat, scribat, dogma quod ipsa sequitur, ab omnibus certissimè credendum: una objiciat alteri, non posse sententiam illius sustineri salvâ fide, quæ contra Pelagianos & Semipelagianos est definita: altera vicissim opponat, non posse istius teneri sententiam salvâ fide, quæ defendenda est contra Lutheranos & Calvinistas. Quod si aliqui, ut periculum vitent hujus præjudicii (ne, si fortè deprehendantur in errore, contra fidem errare convincantur) malint modò dicere, quæstiones hìc motas esse præter fidem; scire illi debent, quòd an ejusmodi verè sint; pertineat declarare ad Tribunal fidei; in quo de controversiâ hac tractatur. Qui autem proprio interim judicio eligunt ita dicere, advertant in primis, ne suspicionem

August. lib. 2 de pecc. Orig. cap 4. & 23. lib. 1. cont. Julian. cap. 6.

inde incurrant apud illos, qui noverunt id esse suffugium, ad quod olim recurrebant Cœlestius & Julianus Pelagianus, dum in quæstione quadam à Catholicis premi se viderent, & quod universæ suæ doctrinæ prætexebant Semipelagiam. Deinde cavere debent, ne id dicendo, non tam diminuant quàm aggravent potiùs errandi gradum, ad sententiam in fide erroneam addendo errorem, quo dicatur esse præter fidem. Nempe si, quod olim observatum fuit, caput quæstionum contra Pelagianos & Semipelagianos, de origine in hominibus bonarum voluntatum (ut de aliis quæstionibus nihil dicatur hìc) id ipsum sit, ut apparet esse, de quo præcipua quæstio in hac controversia agit; tametsi cum discrimine, quòd non distinguat quæstionem præter fidem, à quæstione quæ de fide est; quia quod tunc Sacrarum Scripturarum ferè verbis, & positivo Sanctorum Patrum modo tractabatur, id nunc agitatur Philosophicis terminis, & Scholasticâ methodo.

Secundò quæstiones, quæ connexæ sunt cum hac controversia, adeo sunt diffusæ per totum corpus sacræ Theologiæ, ut quantùm & quandiù alterius partis ejusdem controversiæ (quæcunque illa sit quæ sanior est) veritas in suo gradu doceri perhibetur, aut libertas utriusque partis in Scholis promittitur, tantùm & tandiù Theologi Professores, nominatim in Hispaniis, quò ejusmodi prohibitio & permissio prætenditur emanasse, impediuntur à danda suis auditoribus satisfactione integra, in tot aliis materiis Theologicis, per quas diffunduntur istæ quæstiones. Quales sunt de scientiâ, de voluntate & etiam de potentia Dei, de providentia, prædestinatione, gratia, perseverantia, de fide, spe, Charitate, & aliis veris virtutibus, de libero arbitrio, merito & demerito seu peccato, & præcipuè de originali, de lege, prohibitione, præcepto, præmio, pœnâ, de pœnitentia, & toto Justificationis negotio. Unde quæ est necessitas, ut controversia hæc quàm primùm decidatur, eadem etiam non patitur, ut decisio ejus tandiu differatur, quàm illi volunt, qui hanc referendam putant ad Concilium propter eam congregandum: quomodò neque differendam esse Ecclesiastica probat consuetudo. Id quod inferiùs ostendetur ex judicio D. Augustini in causâ quæ de argumento hoc, ejus tempore tractabatur.

Tertiò considerando personas eorum, inter quas præcipuè controversia hæc versatur, sunt illi, ut notum est, viri Religiosi, è duobus in Ecclesia Dei doctissimis sanctissimis & celeberrimis Ordinibus. Qui proinde cùm ex instituto suo sal terræ & lux mundi debent esse, certum est quòd ad officia ista illuminandi & condiendi exhibenda, ante omnia necesse sit, ut inter ipsos vigeant, in his præsertim quæ ad doctrinam fidei spectant, concordia, unanimitas, pax, & charitas. Verùm virtutes has tam necessarias, timendum in primis ne languere plurimùm faciant contrariæ affectiones, quæ pro ipsa conditione controversiæ adeo gravis, inter utrosque succrescere possunt, ut sunt dissensiones, simultates, lites, & hujusmodi alia odiorum semina. Deinde ne & has tam pravas affectiones, magis

magis magiſque in dies corroborent ſubintrantes in ſuſceptâ ſemel cauſâ opinio conſtantiæ & defenſio famæ & honoris: quibus ſi fomitem ſubminiſtrent præſumptio & arrogantia de proprio Ordine & ejus Doctoribus, invidia & livor de aliorum bonis ſtudiis & progreſſibus, incurabilius multò malum reddunt. Super omnia autem timendum & tremendum inter hæc Judicium Dei, ne ſcilicet, ſi qui fortè ab initio in controverſiam hanc vel paulò ignorantiùs, vel indiſcretiùs tantùm ſunt ingreſſi, adhuc permittuntur progredi ex iſtiuſmodi momentis rationum, quales modò indicavi, Deus, qui per id offenditur, meritò patiatur eos ſic prolabi, ut oſtenſam veritatem, vel cognoſcere non valeant, vel non velint. Unde licet adhuc qui in cauſâ hac tam multùm diſſentiunt, utrinque profiteantur ſe Sedis Apoſtolicæ futuram de ea deciſionem reverenter & humiliter amplexuros, id quod facilius multo remedium omnis mali modò reddidit: tamen dilatione nimiâ evenire poteſt, ut quod tandiu ſub tegumentis jam deſcriptis eſt confotum, id uſpiam tandem (liceat
Iſaiæ 59. v. 5. hic uti verbis Iſaiæ) erumpat in regulum.

Quartò, Intereà in univerſam Chriſti Eccleſiam ex eâdem controverſiâ damnum ſic diffunditur, ut & multi ſint utrinque, qui iſtarum partium ſtudia ſe ſequi, præcipiti nimis zelo profitentur, & inter eos (quippe cùm ſint multiplicati etiam uſque ad idiotas & fœminas) plerique earumdem partium diſſenſiones magis æmulantes, quàm certè intelligentes opiniones. Unde paſſim iis qui tenerioris conſcientiæ ſunt, naſcuntur ſcandala; iis qui laxioris, contemtus doctrinæ Religionis; inter Doctores qui magis pii ac modeſti ſunt, mæror atque gemitus, etiamſi illis ſilere integrum ſit. Sin autem pro officio in quo conſtituti ſunt, ſententiam ſuam cenſuramque proferre debent, accreſcit inſuper offenſa partium, à quibus fortè pro conſcientiâ ſuâ diſſentiunt; quaſi non liceret ipſis inter homines & opiniones ſic diſtinguere, ut illos ſincerè ament & honorent, & tamen iſtis neque velint neque poſſint ſe ſervos exhibere; his verò qui ſe quoque doctos profitentes, audaciores verè ſunt quàm ſolidiores, licentia nimia de quæſtionibus ita
Paulus Benius Eugubinus Eloquentiæ Profeſſor controverſis docendi & ſcribendi. Cujus rei exemplum unum ſit, cujuſdam Profeſſoris Patavini Opus, de controverſiâ hâc componendâ, Patavii excuſum anno 1603. quod licet huc allatum, & ex ſententiâ Officii S. Inquiſitionis ad ignem condemnatum, non tamen id tam citò factum, quin ut audio complura ejus exemplaria Francofurtum pervenerint, quæ ab hæreticis avidiſſimè coëmta ſunt. Alterum, Doctoris cujuſdam in Germania, qui in opere quodam, quod de mortis Chriſti efficacia ſcripſit, & eodem anno Coloniæ excudi fecit, cùm multa immiſceat ad controverſiam iſtam ſpectantia, in quibus ſequitur Fauſtum illum, de quo ſupra, Epiſcopum Rhegienſem, veritus ne in hoc offendere videatur in Cenſuram Gelaſii Pontificis de Opuſculis Fauſti, hanc de eo fingit fabulam (in qua non advertit ſe errare inſuper in temporibus notandis) quod videlicet cùm Pelagiana labe infectus eſſet, a B. Fulgentio correptus & emendatus, errore deſerto ad Catholicæ Eccleſiæ gremium ſe recepit; in cujus rei argumentum, egregium volumen ſcripſit de gratia & libero arbitrio, teſte (inquit) Gennadio in Catalogo Scriptorum Eccleſiaſticorum, in quo erronea dogmata revocavit & emendavit. Nec quod ſic inceptum eſt cacoëthes ſcribendi libros de eadem controverſia ceſſabit facile, niſi à Sede Apoſtolicâ per tempeſtivam deciſionem remedium adferatur.

Quintò ac poſtremò, Sectariis qui ſunt extra Eccleſiam, è contrario ex ea, quandiu pendet indeciſa, lucrum magnum videtur provenire, ſed quod etiam cedit in ipſorum majus malum: quale eſt in primis communis inter eos gaudii, quo exultant, quia quod Catholici hactenus objicere us ſolent, tanquam argumentum non fundatæ Religionis, eorum inter ſe in præcipuis doctrinæ capitibus diſſenſionem, id ipſi nunc viciſſim ex occaſione hujus controverſiæ putant ſe poſſe in nos regerere, quòd ſimiliter in multis atque magnis diſſentiamus fidei quæſtionibus. Præterea aliqui ex his audent improperare, quòd tam diu hæreatur in ejuſdem tractatione, quaſi in hoc ſeculorum fine, ad eam definiendam in Eccleſia Romana, perierit lex à Sacerdote, conſilium à Sapiente, & ſermo à Propheta. Alii ſuſpicari ſe contingunt, quòd quia diuturniore hâc & diligentiore tractatione, meliùs innotuit Sedi Apoſtolicæ doctrina verior de hoc argumento, ideo ne ab alia quam hactenus eſt profeſſa recedere videatur; ad deciſionem ullam venire tergiverſetur. Nonnulli præſumunt gloriari, quòd quoniam res non poteſt in litigio hoc permanere ſemper, futurum tandem, ut Sedes Apoſtolica ipſorum de ea doctrinam, tanquam veriorem, amplectatur. Ex quo ſanè capite ſcriptum eſt ad me ex Belgio, quòd primarius Profeſſor Theologus in Hollandiæ hæreticâ Univerſitate, quæ Ley-

da seu Lugdunum Batavorum dicitur, auditores ad constantiam in doctrina sua non ita pridem hortabatur. Unde apparet quàm magnum etiam impedimentum ad bonum conversionis suæ & salutis eadem controversia Sectariis afferat, cùm omnibus generatim, ob has omnes rationes, tum speciatim nostris Insularibus, & præcipue Anglis, ob aliam insuper propriam sibi rationem. Nam cùm post pacem initam inter Reges Hispaniarum & Britanniarum, restituantur cum his commercia, & communicatio familiaris interveniat in Hispaniæ Regnis; immò & plures ex iis, quam hactenùs advenient in Italiam, ex quibus nonnulli saltem, vel ab errore converti, vel in Catholica fide confirmari possent, quandò audiunt atque vident, quòd inter Religiosos diversorum Ordinum apud nos non minùs disceptetur & dissentiatur, ut videtur ipsis, quàm inter suos Protestantes atque Puritanos, facile nimiùm persuadebunt sibi, Religionem nostram non niti solidioribus quàm suam fundamentis.

Quod jam ad considerationes spectat de modo, quo controversiæ hujus definitio facienda est: in primis quorundam audiuntur voces, qui mediatores se inter partes constituendo, non alio modo debere eam definiri putant, quàm ut ulteriorem tractationem finiendo, utrique parti vel silentium de ea perpetuum imponatur, vel permittatur ut in suo de eadem sensu quælibet pars abundet, sicut hactenùs electione propria, sic & in posterum conniventia Superiorum. Sed isti non videntur satis ponderasse, ne silentium illud imponendo, veritas fidei (ad quam uti dictum est in prima adducta ratione pertinent res, de quibus hic controvertitur) in aliquibus sui partibus supprimatur: ne Catholicis Doctoribus in tot suæ professionis quæstionibus, quot in secunda ratione tactæ sunt, restringantur ora: ne hæreticis dilatentur & corda ad gaudium ac suspiciones, & ora ad improperium & gloriationem, de quibus in ratione quinta. Denique nec iidem videntur satis penetrasse, ne per istam liberiorem permissionem utrique parti in suo sensu abundandi, in tot quæstionibus, per totum corpus Sacræ Theologiæ diffusis, & falsitas in negotio fidei in aliquibus re ipsa confirmetur, & veritas doctrinæ Scholæ Christianæ in pluribus videatur transformari in incertitudinem opinionum Academiæ Stoicæ.

Verùm qui hanc tuentur partem jam dictæ mediationis, ut id videantur doctiùs agere, solent allegare ex Epistola Cœlestini Papæ verba illa, quibus post adductas quasdam fidei regulas, ultimò concluditur: *Ad confitendam gratiam Dei satis sufficere arbitramur, quidquid secundum nos Apostolicæ Sedis prædictas regulas scripta docuerunt.* Adduntque hæc præterea: *Profundiores verò difficilioresque partes incurrentium quæstionum, quas latius pertractarunt, qui hæreticis restiterunt, sicut non audemus contemnere, ita non necesse habemus astruere.* Atque addunt ipsi ad hoc genus quæstionum eas pertinere, de quibus modò controvertitur. Ubi considerare deberent, primùm quòd sic mediando recedunt à professione partium, quarum causam agunt, cum earum utraque (ut dictum est in prima ratione) profiteatur sententiam quam tuetur ipsa, tenendam esse fide. Secundò, quòd etiam illi ob quos scripta est Epistola Cœlestini, ad suam ab aliis rectiùs sentientibus dissensionem excusandam, prætendebant, ut ibidem additur, Christianam fidem per eam non violari, sed id an ita esset referri oportebat ad Apostolicam Sedem. Tertiò, quòd de ipsa doctrina in Regulis illis definita, quæstiones aliquæ in hac controversia disceptentur, qualis ea in primis est, quæ in eadem ratione indicatur, *Unde primus bonus usus, seu motio bonæ voluntatis*? Et *An aliquid divinæ gratiæ subtrahatur*?

Sed & aliqui ex iisdem mediatoribus, sepositâ prorsùs doctrinæ consideratione, istius sui judicii rationem petunt, ex personis eorum inter quos versatur controversia. Nam cùm sint utrique magnæ, non tantùm eruditionis & pietatis, sed etiam existimationis & sequelæ, timendum, inquiunt, ac proinde cavendum (etiam sic postponendo doctrinæ causam) ne si alterutrius partis opiniones condemnentur, gravem id Ecclesiæ Dei allaturum sit ruinam. Et hanc rationem tantò magis urgent, quòd existiment, prout eorum quisque alicui parti est addictus, alteram non tam doctrinæ & veritatis zelo, quam invidiâ & æmulatione contra eam ferri. At qui ratiocinantur isto modo, non videntur considerare, quòd præter temeritatem judicii de aliis, in quam fortè incurrunt, illis etiam quorum suscipiunt patrocinium, injuriam potiùs ita irrogant, quam defensionem præstent: cùm deberent sibi aliisque persuadere, & de eorum pietate & eruditione confidere, quòd Sedis Apostolicæ futuram decisionem, sicut se facturos utrinque profitentur, ut dictum est in tertia ratione, reverenter & humiliter amplectentur; & de eorundem existimatione bene sperare, quòd per eam sopient & sedabunt, si ali-

qui motus per aliquos qui præcipitantiùs eos sequuntur (ut additum est in quartâ ratione, excitandi forent. Insuper recolendum hujusmodi mediatoribus, quòd olim, uti est superiùs indicatum, magnæ fuerunt sanctitatis & eruditionis, immò & supereminentis in Ecclesiâ gradus & autoritatis, ac proinde sequelæ copiosæ, qui de argumento hoc diffidebant: & quòd tunc etiam auditæ sunt querelæ graves, qualis illa fuit Juliani, qua velut comminando, *Doctores*, inquit, *nostri temporis*, *& nefariæ quæ adhuc fervet seditionis autores, ad hominum quorum sanctis studiis utuntur contumelias & exitium, decreverunt per ruinam totius Ecclesiæ pervenire?* non intelligentes, quantum his contulerint honoris, quorum ostenderent gloriam, nisi cum Catholicâ Religione non potuisse convelli. Et tamen istis omnibus non obstantibus Apostolica Sedes, pro consuetâ suâ sollicitudine, circa argumentum hoc superiùs declaratâ, quotiescunque de eo mota est controversia, remedium semper adhibuit, docendo ac definiendo, quid tenendum, quid vitandum. Tandem & hoc deberent considerare, non deesse modò Ecclesiæ Dei Reges atque Principes, qui si quos contingeret reperiri, refractarios in Sedis Apostolicæ definitione recipiendâ, ad id eos, Honorii & Theodosii instar, legibus suis compellerent.

Secundo loco sunt, qui cùm videant necessarium, ut ad definitionem aliquam veniatur, putant eam sufficere, quæ fiat suspendendo seu prohibendo libros, in quibus evulgata est doctrina non probanda, de præsenti controversia. Sed & hi deberent considerare, quòd ut se res habuisset, si libri illi, de quorum doctrina controversia hæc est primùm mota, fuissent ab initio suspensi aut prohibiti, vel si adhuc spes haberi posset, quoad suspendendos seu prohibendos alios libros de eodem argumento posteà evulgatos, satis esset; attamen post tam diuturnam ejusdem argumenti examinationem, in quâ permissum est Partibus utrinque de eo disputare, probandane sit, an improbanda, si non sequatur tandem peculiarior declaratio, quænam ejus propositiones improbandæ, quænam sint probandæ; id præterquam quod videtur daturum occasionem Sectariis liberiùs judicandi, & aliis perplexiùs suspicandi, cur non fiat, ac etiam quousque fiat ejusmodi declaratio, si qui adhuc tenere velint, aut tueri Propositiones aliquas ex iis quæ merentur improbari, prætexere poterunt, non propter illas, sed ob alias factam librorum suspensionem, seu prohibitionem. Et si alii alias aliquas Propositiones in iisdem libris alioqui veras & Catholicas, sed quas ipsi fortè non intelligunt, voluerint repudiare, prætextum ad id similiter petent ex eadem suspensione seu prohibitione. Quales & futuros aliquos faciliùs sibi persuadebunt, qui ex his quæ olim acciderunt in hac causâ, propiùs consideraverint; quòd quando Cœlestinus Papa insignem illam commendationem, de qua supra, in D. Augustinum, ob ejus hoc de argumento doctrinam, post ipsius obitum protulit, qui tunc in Galliis reliquias Pelagianismi sequebantur, occasione inde sumtâ, quòd non essent expressi libri à Pontifice, in quibus doctrina ejus continetur, commendationem sic interpretati fuerant, ut ad priores Augustini libros de hoc argumento scriptos, eam referrent; sed posteriores, in quibus ipsi expressiùs refutati erant, eidem subtraherent. Unde necesse fuit Hormisdæ Papæ, declarare doctrinam hanc in postremis his Augustini libris maximè contineri. Quod cùm tunc ita accidit circa encomium librorum, qui jam antea erant omnes editi, certè si nunc post ejusmodi examinationem, qualis jam facta est, doctrinæ controversæ non alia sequatur declaratio, quàm suspendendo seu prohibendo libros, in quibus tamen certum est non totam doctrinam esse improbandam, proclivius multò erit, pro variis hominum judiciis, ut suspensio ista & prohibitio à diversis ad diversas Propositiones referatur: atque ita vix, immò ne vix quidem controversiâ hâc sedatâ, aliæ fortè suscitentur. Accedit denique & exemplum illius temporis Pontificum, quod & modò meritò imitandum est. Nam ex quo in Galliis à Semipelagianis suscitata est de hoc argumento doctrina erronea, priùs per Cœlestinum & Leonem Pontifices, circa doctrinam istam definita sunt particularia quædam Capitula & Canones, postea per Gelasium Papam, libri Cassiani & Fausti doctrinam eam continentes, inter Apocrypha opuscula sunt rejecti.

Tertiò igitur loco agnoscunt alii, pro hâc controversiâ finiendâ, necessariam esse definitionem, in qua particulariter declarentur Propositiones, quæ in ea approbandæ sint, vel improbandæ: sed definitionem istam referendam volunt ad Concilium, quod putant necessarium, propter eam congregari. Sed & isti scire debent, quamvis prima & præcipua causa Concilia congregandi sit propter Controversias, quas de doctrina fidei contingit exoriri; tamen

ut Sedes Apostolica de his definire quidquam differat, quousque ad Concilium deferantur, esset postulatio nimis insolens, quod res ipsa sæpe id nec patitur, ut in præsenti causâ, nec plerumque etiam poscit. Et certè consuetudo Ecclesiastica id ipsum minimè probat. Qua de re quia præjudicata sententia est D. Augustini, in causa quæ de argumento hoc, ejus tempore tractabatur, libet ipsius verba hìc subjungere. Ait igitur: *Aut vero Congregatione Synodi opus erat, ut aperta pernicies damnaretur; quasi nulla hæresis aliquando, nisi Synodi congregatione damnata sit, cùm potius rarissimæ inveniantur, propter quas damnandas necessitas talis exstiterit, multò que sint atque incomparabiliter plures, quæ ubi exstiterunt, illic improbari damnarique meruerunt; atque inde per cæteras terras devitandæ innotescere potuerunt. Verùm istorum superbia, quæ tantùm se extollit adversus Deum, ut non in illo velit, sed potiùs in libero arbitrio gloriari, hanc etiam gloriam captare intelligitur, ut propter illos Orientis & Occidentis Synodus congregetur. Orbem quippe Catholicum quoniam, Domino eis resistente, pervertere, nequeunt, saltem commovere conantur. Cùm potiùs vigilantiâ & diligentiâ Pastorali, post factum illis competens sufficiensque Judicium, ubicunque isti lupi apparuerint, conterendi sint, sive ut sanentur atque mutentur, sive ut ab aliorum salute atque integritate muteutur.*

Lib. 4. ad Bonif. cap. 12.

Quibus addendum insuper, cùm præcipuæ quædam quæstiones, de quibus in hac controversiâ disceptatur, pendeant ex interpretatione quorundam Capitulorum seu Canonum, quæ à Sede Apostolica olim definita renovantur etiam in decretis Concilii Tridentini, quòd eadem Sancta Sedes difficultates & controversias, si quæ ex eis decretis ortæ fuerint, sibi declarandas & decidendas reservavit.

Cùm igitur Controversia hæc ad Sedem Apostolicam dudum evocata, & coram ea tandiu tractata sit, ab eadem etiam exspectanda ejus definitio & exoptanda, tam felice expeditione, tam plena & expressa veritatis declaratione, quàm necesse est, ut & eadem controversia cum omnibus suis incommodis sedetur tempestivè, & aliis suscitandis perfectè via præcludatur. Ad quæ Ecclesiæ suæ præstanda beneficia, est quidem laudanda Dei providentia, qua ex his unum præfecit Pontificem summum, qui in tractandâ istâ controversiâ hactenus præfuerunt. Verùm ne pro ea tractanda atque terminanda, existimetur is debere se ipsum nimium aggravare, juvabit spero ut in memoriam revocetur, quomodo olim Pontifices summi in similibus causis, etiam quæ de hoc ipso argumento tractabantur, alios sibi adhibuerunt idoneos collaboratores. Nam, quod notum est ex ipso D. Augustino, & notavit D. Prosper paucis hisce verbis, *Bonifacius Papa, cum esset doctissimus, adversùs libros tamen Pelagianorum Beati Augustini Episcopi Responsa poscebat.* Et ipsius D. Prosperi industriâ atque operâ contra Semipelagianos usi sunt & adjuti non parùm Cœlestinus atque Leo doctissimi sanctissimique Pontifices.

Qui autem laborem hunc & operam præstituri sunt, in primis propositam sibi quam sequantur habere debent doctrinam, quæ de hoc argumento olim definita est à Pontificibus & Conciliis, defensa à D. Augustino & secutis eum Doctoribus, nominatim S. Prospero & B. Fulgentio, & inter Scholasticos à D. Thoma præcipuè explicata. Et de doctrina quidem S. Augustini, quin ea hìc sequenda sit, non potest movere quæstionem, nisi qui vult Sedis Apostolicæ de ea sequenda judicium & statuta antiqua in dubium revocare, quibus insistens meritò Clemens Papa VIII. in prima Congregatione, quam pro controversia hac in præsentia sua tractanda, indixit, audientibus nobis omnibus, has voces Pontifice summo dignas gravissimè pronunciavit: *Cùm à suis Prædecessoribus doctrinam D. Augustini, tanquam hæreditariam quandam Apostolica Sedes dotem acceperit, firmissimo sibi propositum est decreto, eandem ad successores quoque suos transmittere illibatam.* Et certè experientiâ hactenus notum est, quòd & olim qui eam doctrinam ausi sunt reprehendere vel convellere, in hoc ab Ecclesia Dei fuerunt semper repudiati, & nostris his temporibus, qui eâdem postpositâ, voluerunt aliam sequi, tanquam magis opportunam ad Sectarios confutandos, in ejusmodi opiniones sunt prolapsi (hoc ipsum justo Dei judicio promeriti) quæ unà cum erroribus Sectariorum ab Ecclesia sunt reprobatæ. Quod verò ad Prosperum & Fulgentium attinet, cùm doctrinam Augustini ad amussim sint secuti, eò sunt in causa hac oportuniora ipsorum Opuscula, quòd Augustinianæ doctrinæ eam partem sint præcipuè prosecuti, in qua refelluntur peculiariter Semipelagianorum errores, ad quas propiùs accedere reputantur opiniones, de quibus in controversia hac tractatur. Inter Scholasticos autem præcipuo hìc habendus loco D. Thomas, quippe qui B. Augustini uti Spiritum puriùs hausit, sic & doctrinam perfectiùs imbibit, & copiosiùs explicavit.

Secundò

Secundò necesse est iidem tales sint, qui cum proposito doctrinam hanc sequendi, etiam verum ejus sensum & intelligentiam sint assecuti: quod idcirco magnopere considerandum, quia & annis jam elapsis praecesserunt, & modò reperiuntur Doctores aliqui & Scriptores, qui cùm profiteantur se doctrinam sequi D. Augustini, tamen sic eam intelligunt & exponunt, ut certum sit, quòd non ex Augustino intelligentiam istam atque sensum hauserint, sed cùm aliis aliàs imbuti opinionibus, ad D. Augustini lectionem accesserint, ex iis doctrinam illius eo modo sunt interpretati, quo commodiùs apparebat posse trahi ad easdem opiniones confirmandas. Atque ita quia legendo D. Augustinum non observant insignem illam & necessariam conditionem, quam in lectore bono requirit Divus Hilarius, ita scribens, *Optimus lector est, qui dictorum intelligentiam exspectet ex dictis potius, quam imponat, & retulerit magis, quàm attulerit; neque cogat id videri dictis contineri quod ante lectionem praesumserit intelligendum*: propterea mirari minimè debent, si postquam se dederunt ad scribendum, quamvis libros suos testimoniis D. Augustini impleant (id quod optimum est ad persuadendum simplicibus quidquid volunt) nihilominus qui sunt intelligentiores, deprehendunt, ostendunt, & non immeritò ostenduntur ejusmodi libros sensu & saepe spiritu Augustini esse destitutos.

Lib. 1. de Trin.

Tertiò, qui jam dictam operam praestituri sunt, perspectos habere debent Pelagianorum & Semipelagianorum errores, quos (praeter ea quae de iis habentur in Conciliis Africanis, & Arausicano & in Epistolis Pontificum) S. Augustinus & D. Prosper in variis locis certiore fide & notitiâ referunt. Et pro praesenti quidem controversia penitiùs expedit ponderare doctrinam Semipelagianorum, quae recensetur à Prospero & Hilario in Epistolis suis ad D. Augustinum, & ab eodem Prospero in Carmine De Ingratis comparatur cum doctrina Pelagianorum, à Cassiano in Collatione De Protectione Dei, & à Fausto Rhegiensi in duobus suis libris (de quibus supra) traditur & explicatur; & etiam in Capitulis Coelestini Papae, & in Canonibus Concilii Arausicani condemnatur, opposita veritate in iisdem confirmatâ. Atque cum doctrina hac ita ponderatâ conferendae sunt opiniones de quibus in praesenti controversiâ disceptatur, tam quoad sensum, quàm etiam quoad verba. Quae quoniam utrobique apparent sic diversa, ut ibi consueta Scripturis sacris, & antiquis Patribus adhibeantur verba, hic substituantur termini in Scholis ob docendi commoditatem usurpati, ad certiùs cognoscendum & declarandum quomodò quae Scholasticis terminis sunt expressa, explicari possint atque debeant verbis, ut vocantur, positivis.

Quibus subsidiis praeparatis, potest, invocatâ ante omnia Spiritus S. gratiâ, quae hîc fiet definitio, ad hunc modum digeri & ordinari: nempe ut ad imitationem ferè Capitulorum Coelestini Papae, & Canonum Leonis Magni in Concilio Arausicano, Propositiones quae declarabuntur condemnatae, sigillatim disponantur, appositâ, si videbitur, qualitate Censurae quam merentur, & ad singulas adjunctis brevissimè aliquot testimoniis, tum ex Scripturis Sacris, tum ex antiquis in hac causa Definitionibus & doctrinâ, quibus ejusdem condemnationis & reddatur ratio, & opposita veritas probetur & confirmetur. Et ut in damnandis ejusmodi Propositionibus suspicio omnis & calumnia accedendi, sive ad Lutheranismum aut Calvinismum, sive ad Pelagianismum aut Semipelagianismum, sive ad quemcunque alium aut in sensu aut in verbis de argumento hoc errorem, prorsùs evitetur; expediet fortè, ubi id occasio exiget, damnationem addere quarumdam Propositionum, errores ejusmodi quomodocunque sapientium, quae fucum aliquem facere possint suspicionibus istis atque calumniis. Nec videtur adhuc necessarium, ut in his omnibus ulla fiat mentio, immò expedit fortè pro honore partium conservando, ut nulla fiat, vel Doctorum quorum sunt damnandae Propositiones, vel librorum ex quibus depromentur. Nam si post hac, per quamcunque ex iisdem partibus occasio detur ita faciendi, facile fuerit sine ulteriori strepitu ejusmodi libros in Prohibitorum Catalogum referre.

Haec, Beatissime Pater, quae instigante Te accepi, & pro perpetuo meo in Te amore & observantiâ hactenus pertractavi, pro ea quam nunc majorem debeo reverentiâ & honore Sanctitatis tuae, sub ejusdem correctione & censura humiliter offero: Quem ad supremum hunc in terris gradum, tam inexspectata electione, tam insolitâ hactenus vocatione, pro omnium tamen votis, à summo Coeli Deo assumtum, quò altiùs considero, & certiùs inde spero, id à divinâ ejus providentiâ destinatum ad beneficia maxima & plurima per ministerium tuum Ecclesiae suae praestanda, &

& inter alia ad controversiam hanc, quæ tam magni est momenti, feliciter definiendam. Eò fidentius opto & devotus oro, in primis generatim pro Ecclesia Dei, ut hæc tua assumtio sit Romæ in triumphum antiquis illustriorem, Italiæ in gloriam, Hispanis gaudii incrementum, Gallis in securitatem, Britannis in spem certam, in robur Germanis & finitimis nationibus, Christianis omnibus in consolationem, Catholicis in constantiam, Hæreticis in resipiscentiam, Schismaticis in reconciliationem, Paganis in notitiam veri Dei, Judæis in agnitionem Jesu Christi, Militiæ Christianæ in præsidium, & Christiani nominis hostibus in exterminium. Deinde pro hac speciatim causâ, ut Princeps Pastorum Deus ac Dominus noster Jesus Christus, qui per tuos Prædecessores, Innocentium, Zozimum, Bonifacium, abegit lupos manifestos, per Cœlestinum, Sixtum, Leonem, Gelasium, Hormisdam, Joannem, coercuit occultos, idem per Pastorem bonum, Rectorem Sanctum, Paulum Pontificem, sic pascat regatque Oves, Oviculas, & Agnos suos, ut qui hîc tentat seu timetur Spiritus, sive superbus Pelagianus aut Semipelagianus, non eos elidat, sive stolidus Lutheranus aut Calvinianus, iisdem non illudat.

SANCTITATIS TUÆ

PETRUS LOMBARDUS
Archiepiscopus Armachanus.

XIII.

CANONES

DOCTRINÆ DAMNANDÆ

A Consultoribus ultimò elaborati, jubente PAULO V.

Ad Caput 15. libri 4. Historia de Auxiliis.

DIcere quod in statu naturæ lapsæ vires naturales liberi arbitrii eædem prorsùs seu tales secundùm se in nobis manserint, quales illas essemus habituri, si homo fuisset conditus in statu merè naturali, ad finem tantùm naturalem, quasi peccatum primi hominis nonnisi in supernaturalibus nocuisset ejus posteris, adversatur doctrinæ in Ecclesiâ, tum olim contra Pelagianos eorumque reliquias definitæ ac defensæ, tum novissimè in Concilio Tridentino confirmatæ; quandò, agendo de vi naturæ, expresse tradit, liberum arbitrium viribus esse attenuatum & inclinatum. Est & hoc conforme antiquis definitionibus, & doctrinæ in Ecclesia semper traditæ & creditæ, quod in eodem Concilio contra hæreticos hujus temporis declaratur ac definitur, liberum arbitrium post Adæ peccatum non esse exstinctum aut amissum. Quod quia similiter intelligitur quoad vires conditionis suæ naturalis, idcò hunc definitioni non repugnat, quòd liberum arbitrium, spectando vires quas ex largitate gratiæ accepit, dicatur amissum ac perditum: quomodò non repugnat, quòd retentâ libertate naturali, libertas gratiæ dicatur periisse.

In Epist. Cœlest. 1. cap. 4. In Conc. Arausi. Can. 13 & 25. In Concil. Trid. sess. 6. cap. 1. & Can. 5.

Ita sentio Petrus Lombardus Archiepiscopus Armachanus.

Ita est Archiepiscopus F. Joannes de Rada Episcopus Pactensis.

Ita sentio F. Julius Sanctucius Episcopus S. Agathæ Gothorum.

Ita sentio Lælius Landus Episcopus Neritonensis.

Ita sentio F. Hieronymus Palantierus Episcopus Bitontinus.

Ita sentio F. Anastasius à Brixia, Abbas Farfensis.

Ita sentio F. Joannes Baptista de Plumbino Ordinis Sancti Augustini Procurator Generalis.

Ita sentio F. Gregorius Nunnius Coronellus Secretarius.

Ita sentio F. Jacobus le Bossu, Religiosus S. Dionysii in Francia, & Doctor in facultate Theologiæ Parisiensis.

Dicere quòd parvuli, cum post Judicii diem resumserint sua corpora, liberabuntur supernaturaliter ab omnibus molestiis, & ærumnis, quibus in hac mortali vita subjacemus, melioremque in naturalibus vitam, vitio omni mentis & corporis immunem, in perpetuas æternitates ducent, quàm ullus unquam mortalium duxerit, temerarium est, nimiumque accedens ad illum, ab Ecclesia Dei errorem semper habitum, adeoque in Pelagiano & Celestiano dogmate condemnatum, quo dicebantur parvuli, etiamsi non baptizentur, adeòque exclusi maneant à Regno Cœlorum, æternam ac beatam quandam vitam, sed extra Cœlum, habere.

S. August. Epist. 106. lib. de hæres. cap. 8.

Ita

Ita sentio Petrus Lombardus Archiepiscopus Armachanus.

Ita est Archiepiscopus F. Joannes de Rada Episcopus Pattensis.

Ita sentio F. Julius Sanctucius Episcopus S. Agathæ Gothorum.

Ita sentio Lælius Landus Episcopus Neritonensis.

Ita sentio F. Hieronymus Palantierus, Episcopus Bitontinus.

Ita sentio Dom. Anastasius Abbas S. Mariæ Farfensis, Ordinis S. Benedicti.

Ita sentio F. Joannes Baptista de Plumbino Ordinis Eremitarum S. Augustini Procurator Generalis.

Ita sentio F. Gregorius Nunnius Coronel, Secretarius.

Ita sentio F. Jacobus le Bossu, Religiosus S. Dionysii in Francia, Doctor in facultate Theologiæ Parisiensi.

Dicere quòd in statu naturæ lapsæ homo solo concursu Dei generali, absque alio dono vel auxilio gratiæ, possit efficere opus bonum morale, quod fini naturali hominis accommodatum, atque comparatione illius sit verè bonum, veræque virtutis opus, referendo illud in Deum naturaliter cognitum, id doctrinæ illi contradicit, quâ contra Reliquias Pelagianismi olim definitum est, quòd post peccatum primi hominis, nullus operari propter Deum quod bonum est possit, nisi gratia eum & misericordia divina prævenerit. Ex qua tamen doctrina nequaquam sequitur, quòd omne opus quod sine speciali gratiâ fit ab homine etiam infideli, sit peccatum.

De Concil. Aransic. Can. 25.

Ita sentio Petrus Lombardus Archiepiscopus Armachanus.

Non placet Censura sed propositio, nisi intelligatur quoad opera ardua & difficilia. Archiepiscopus F. Joannes de Rada Episcopus Pattensis.

Assero hanc Propositionem verificari, non dum de opere arduo, sed etiam de bono ornato omnibus circumstantiis F. Julius Sanctucius Episcopus S. Agathæ Gothorum.

Ita sentio ut in Censura, Lælius Landus. Episcopus Neritonensis.

Ita sentio ut in Censura F. Hieronymus Palantierus Episcopus Bitontinus.

Placet mihi propositio ut jacet in Censura, Anastasius Abbas Farfensis.

Placet propositio, modo addatur ly arduum, cum debitis circumstantiis, & ab homine posse fieri opera præsentis vitæ ex sola facultate naturali. F. Joannes Baptista de Plumbino, Ordinis Eremitarum S. Augustini Procurator Generalis.

Approbo Censuram propositionis, F. Gregorius Nunnius Coronel.

Approbo simpliciter Censuram: immò dico esse duplicem in dictam propositionis: unam, quod possit homo sine gratia facere bonum opus: alteram, quod possit illud referre in Deum. Ego F Jacobus le Bossu Doctor Sorbonicus.

Qui dixerit, quòd quotiescunque homo ex viribus naturalibus sui arbitrii, cum solo concursu generali Dei, facit seu conatur facere præstòve est ad faciendum seu conandum totum id quod ex sese potest, circa ea quæ ad Justificationem pertinent, Deus ipsi conferat gratiam prævenientem, auxiliave quibus id faciat ut oportet ad salutem: Errat, & supponendo posse hominem aliquid facere, seu conari sine gratia Dei quod ad Justificationem consequendam pertinet; & humano operi seu conatui in negotio Justificationis, gratiam Dei re ipsa subjiciendo.

Et qui, quamvis verba hæc addat, Quòd homo eo conatu seu opere non efficiatur dignus talibus auxiliis, nullaque ratione ea promereatur, attamen dixerit, quòd inter leges, quas Christus Dominus cum Patre æterno constituit de auxiliis & donis, quæ nobis promeruit merè gratis conferendis, una eaque rationi maximè consentanea hominibus subveniendi, fuerit, ut quoties ex nostris viribus naturalibus conaremur facere quod in nobis est, præsto nobis essent auxilia gratiæ, quibus ea ut oportet ad salutem efficeremus: ut ea ratione dum essemus in via, semper in manu liberi arbitrii nostri posita esset salus nostra: Errat.

Item, Qui dixerit, quòd Deus sæpe, etiam ob Christi merita, liberum nostrum arbitrium, quasi sopitum & torpens omninò excitat, id ita exponendo sive intelligendo, tanquam non semper sive in omnibus gratia præveniat conatum liberi arbitrii, sed in aliquibus liberum arbitrium conatu suo præveniat gratiam, circa ea quæ ad Justificationem consequendam pertinent; gravissimè Errat contra doctrinam quæ ex Scripturis Sacris olim definita est contra Pelagianos, eorumque Reliquias, & hactenus tradita à probatis maximè in Ecclesia Dei Doctoribus. Juxta quam firmissimè tenendum est & docendum, quòd omne opus omnisque conatus liberi arbitrii ad Justificationem & salutem consequendam pertinens, à gratia Dei per Christi merita ad id movente prævenitur. Quippe quæ gratia, ut definitum est, non operantibus seu conantibus sine ipsa, sed ut per ipsam operentur & conentur homines, quæ oportet ad salutem, datur. Et sic datur

Ex Concil. Aransic. Can 6.

Ex S. Prosp. lib. 1. de voc gent. cap. 9. & in Carm. De Ingratis.

tur sine lege & conditione, qua vel ullis detur intuitu alicujus operis seu conatus; (cum nihil ex se operari seu conari possint homines, quod prosit ad gratiam obtinendam) vel qua nullis non detur, qui qualecunque sit, quod ex se summum possunt, operantur & conantur. Verùm Dei gratia & Spiritus, qui ubi vult spirat, ob hoc omne ingenii genus in filiis misericordiæ non præterit, idem omne ingenii genus in gehennæ filiis præterit: ut qui gloriatur, in Domino glorietur. Ac sicut generaliter omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt; non est qui faciat bonum, non est usque ad unum; sic & in omnibus omnino hominibus, qui operantur seu conantur aliquid pertinens ad salutem, gratia prævenit omne hujusmodi opus, & conatum.

S. August. lib. de peccat. meri. cap. 22. Ad Rom. 3. v. 12. Ex Concil. Arausi. Can. 8.

Ita sentio Petrus Lombardus Archiepiscopus Armachanus.

Ita sentio Archiepiscopus F. Joannes de Rada Episcopus Pattensis.

Ita sentio F. Julius Sanctucius Episcopus S. Agathæ Gothorum.

Ita sentio Lælius Landus Episcopus Neritonensis.

Ita sentio F. Hieronymus Palantierus Episcopus Bitontinus.

Ita sentio Anastasius Abbas S. Mariæ Farfensis.

Ita sentio F. Joannes Baptista de Plumbino, Ordinis Eremitarum S. Augustini Procurator Generalis.

Ita sentio F. Gregorius Nunnius Coronel, Secretarius.

Ita sentio F. Jacobus le Bossu, Doctor Sorbonicus.

Qui dixerit, hominem ex facultate liberi sui arbitrii, cum solo concursu generali Dei, posse iis quæ credenda sunt assentiri, tanquàm à Deo revelatis, & quia à Deo revelata sunt, quando proponuntur & explicantur, adhibitis argumentis quæ afferri solent, ut homines meritò sibi persuadeant, ea revelata esse à Deo, & justa credi; & accedente externâ vocatione ad fidem, per Concionatores, aliosque Ecclesiæ Ministros, converti, Errat.

Qui dixerit, posse præexistente assensu hoc in intellectu, elicere actum sperandi à Deo, quæ à Deo revelata & promissa sunt nobis: Errat.

Qui dixerit, similiter posse actum elicere absolutum dilectionis Dei super omnia, placendi Deo in omnibus, & propositum servandi mandata omnia naturalia, obligantia sub peccato lethali, Errat.

Qui dixerit, similiter posse, præexistente maximè lumine fidei, qua Dei beneficia cùm naturæ tum gratiæ, præmia justis & supplicia impiis proposita agnoscimus, elicere ex Dei timore actum attritionis cum spe veniæ; & ex Dei amore, actum contritionis de peccatis commissis, cum proposito non peccandi ampliùs lethaliter, Errat, etiamsi dicat, actus hujusmodi esse merè naturales.

Qui dixerit, hominem postquam edoctus fuerit auxilium gratiæ supernaturale sibi esse necessarium ad Justificationem & salutem, similiter posse illud optare, desiderare, petere sibi donari, & satagere se disponere ad illud recipiendum, Errat contra doctrinam, quæ constat revelatum esse in Scripturis Sanctis, actus illos, prout jam descripti sunt, esse dona Dei per Christi gratiam & merita, idque ex ipsa prima in iis cognitione. Ideò ab Ecclesia meritò definitum est, non posse eos fieri sine speciali gratiæ Dei adjutorio. Quæ deinde doctrina in Ecclesia Dei tam severè definita & constanter asserta est, ut si quis affirmaret hominem per naturæ vigorem, sine præveniente Spiritus S. gratia, posse aliquem ex iisdem actibus operari, seu conari sicut oportet, sive ut expedit, quod est operari seu conari secundùm circumstantias omnes debitas ab homine in ejusmodi actibus adhiberi ad misericordiam & Justificationem consequendam; cum is in antiquis definitionibus contra Pelagianos eorumque Reliquias, hæretico falli Spiritu pronunciatus fuerit & novissimè in Concilio Tridentino, contra calumnias hæreticorum hujus temporis eandem doctrinam confirmando, Anathemate feriatur.

Ita sentio Petrus Lombardus Archiepiscopus Armachanus.

Ita sentio Archiepiscopus F. Joannes de Rada Episcopus Pattensis.

Ita sentio F. Julius Sanctucius Episcopus S. Agathæ Gothorum.

Ita sentio Lælius Landus Episcopus Neritonensis.

Ita sentio F. Hieronymus Palantier Episcopus Bitontinus.

Ita sentio Anastasius Abbas Farfensis.

Ita sentio F. Joannes Baptista de Plumbino, Ordinis Eremitarum S. Augustini Procurator Generalis.

Ita sentio F. Gregorius Nunnius Coronel, Secretarius.

Ita sentio F. Jacobus le Bossu, Doctor Sorbonicus.

Qui dixerit, in homine post lapsum talem esse libertatem ad quamcunque tentationem seu difficultatem, cum solo Concursu generali Dei, in quocunque tempo-

rem

tis momento superandum, quam pro servanda in quolibet ejusmodi instanti lege naturali, necesse sit vincere, etiamsi ea de causa mors sit toleranda; ut si consentiat ideò peccet, quia secluso quocunque alio majori auxilio, in potestate ipsius positum est, non transgredi tunc legem, & non transgrediendo victoriam reportare: Errat.

Qui dixerit, hominem posse, etsi non sine ingenti difficultate, vincere ex solis viribus naturalibus singulas tentationes, quantumvis graves & molestas, dummodò non longo tempore durent: gratiam verò esse tantùm necessariam ad faciliùs, vel solùm ad superandas omnes simul exsurgentes concupiscentias, ne dilatione temporis vincamur; adversatur Ecclesiasticis definitionibus de imbecillitate humanæ naturæ post lapsum, ad tentationes superandas.

S. Aug lib. 21. de Civit. cap. 26 & Epist. 106.

Juxta quas definitiones, declaramus tenendum ac docendum, quia tunc victa vitia deputanda sunt, cùm Dei amore vincuntur, quem nisi Deus ipse non donat, nec aliter nisi per Mediatorem Dei & hominum, Hominem Jesum Christum. Et sic in vitiis & illicitis concupiscentiis evincendis, in diaboli insidiis superandis; & tam in resistendo, quàm in succumbendo quibuscunque tentationibus, licet habeat homo libertatem, id est liberum usum propriæ voluntatis, tamen ad vincendam seu superandam quamcunque tentationem, ita nimirum ut præceptum circa quod tentatur quispiam, servetur propter Deum, id est, ne offendatur Deus, non sufficiunt vires naturales liberi arbitrii: sed necessarium est quotidianum, id est continuò seu contra tentationes singulas subministrandum adjutorium specialis gratiæ Dei: idque non tantùm ad faciliùs & meliùs comparandam victoriam, sed adjutorium illud simpliciter est necessarium, juxta illud quod olim à Sede Apostolica responsum est in hac causa: Necesse est, ut quo auxiliante vincimus, eo iterum non adjuvante vincamur.

Innoc. I. ad Patres Concilii Carthag. Cœlestinus I. in Epist. ad Epis. Gallia.

Ita sentio Petrus Lombardus Archiepiscopus Armachanus.

Episcopus Agathensis tunc & deinceps absfuit ob agram valetudinem.

Ita sentio Archiepiscopus Joannes de Rada Episcopus Pattensis.

Ita sentio Lælius Landus Episcopus Neritonensis.

Ita sentio F. Hieronymus Palantierus Episcopus Bitontinus.

Ita sentio Anastasius Abbas Farfensis.

Ita sentio F. Joannes Baptista de Plumbino Procurator Ordinis S. Augustini.

Ita sentio F. Gregorius Nunnius Coronel, Secretarius.

Ita sentio F. Jacobus le Bossu Doctor Sorbonicus.

Qui dixerit, gratiam qua Deus operatur in nobis velle & perficere, non sic movere nostram voluntatem, ut ex virtute motionis Dei per eam operantis sit infallibile, quòd actu consentiamus & operemur; Errat.

Ita sentio Petrus Lombardus Archiepiscopus Armachanus.

Ita sentio Archiepiscopus F. Joannes de Rada Episcopus Pattensis.

Ita sentio Lælius Landus Episcopus Neritonensis.

Ita sentio F. Hieronymus Palantier Episcopus Bitontinus.

Ita sentio Anastasius Abbas Farfensis.

Ita sentio F. Joannes Baptista de Plumbino, Ordinis S. Aug. Procurator generalis.

Ita sentio F. Gregorius Nunnius Coronel Secretarius.

Ita sentio F. Jacobus le Bossu Doctor Sorbonicus.

Qui dixerit, gratiam istam ad volendum & operandum quæ pertinent ad salutem; aut non esse ita efficacem, ut præveniendo voluntatem nostram, ipsam verâ & reali efficientiâ præmoveat; & faciat velle atque operari, aut sine ea posse aliquem actu velle & operari; Errat.

Ita sentio Petrus Lombardus Archiepiscopus Armachanus.

Ita sentio Archiepiscopus F. Joannes de Rada Episcopus Pattensis.

Ita sentio Lælius Landus Episcopus Neritonensis.

Ita sentio F. Hieronymus Palantierus Episcopus Bitontinus.

Ita sentio Anastasius Abbas Farfensis.

Ita sentio F. Joannes Baptista de Plumbino, Procurator Ordinis S. Augustini.

Ita sentio F. Gregorius Nunnius Coronel Secretarius.

Ita sentio F. Jacobus le Bossu Doctor Sorbonicus.

Qui dixerit, gratiam efficacem excitare allicere, invitare, & suadere voluntatem, non tamen ita ut Deus efficienter moveat voluntatem ipsam ad consentiendum, sed ipsâ jam consentiente & cooperante, simul cum eâ influat tantùm in actum; Errat.

Ita sentio Petrus Lombardus Archiepiscopus Armachanus.

Ita sentio Archiepiscopus F. Joannes de Rada Episcopus Pattensis.

Ita sentio Lælius Landus Episcopus Neritonensis.

Ita sentio F. Hieronymus Palantierus Episcopus Bitontinus.

Ita sentio Dom. Anastasius, Abbas Farfensis, Secretarius.

Ita sentio F. Joannes Baptista de Plumbino, Procurator Ordinis S. Augustini.

Ita sentio F. Gregorius Nunnius Coronel, Secretarius.

Ita sentio F. Jacobus le Bossu, Doctor Sorbonicus.

Qui dixerit, Deum per auxilium gratiæ, & liberum hominis arbitrium, tanquam duas causas partiales se habere in negotio nostræ Justificationis; ita ut una ab altera non præmoveatur, nec ab ea virtutem agendi, recipiat; Errat.

Qui dixerit, efficaciam gratiæ, seu hoc quod est auxilium gratiæ esse efficax pendere à consensu & cooperatione liberi arbitrii hominis, aut liberum hominis arbitrium suo consensu & cooperatione efficere auxilium gratiæ efficax, adversatur doctrinæ, quæ ab Ecclesia Dei definitum est, Deum etiam in illis quos vocat gratis, non exspectare eorum voluntates, seu consensum, ad ipsos gratiâ suâ adjuvandum; quasi ab ipsorum libero arbitrio sic pendeat, quòd consentiant vocationi, aut velint id ad quod sunt vocati, ut Deus in iis hoc non operetur efficaci suâ gratiâ, sed ab iis exspectet, pro innata ipsis libertate.

Concil. Arausic. can. 4. S. Aug. Epist. 107. Petrus Diaco cap. 9. fulge. cap 18. 18. 19. 20 de Incarn. & gratiâ.

Ita sentio Petrus Lombardus, Archiepiscopus Armachanus.

Ita sentio Archiepiscopus F. Joannes de Rada, Episcopus Pactensis.

Ita sentio Lælius Landus, Episcopus Neritonensis.

Ita sentio F. Hieronymus Palantierus, Episcopus Bitontinus.

Ita sentio Dom. Anastasius, Abbas Farfensis Secretarius.

Ita sentio F. Joannes Baptista de Plumbino, Ordinis S. Augustini Procurator.

Ita sentio F. Gregorius Nunnius Coronel, Secretarius.

Ita sentio F. Jacobus le Bossu, Doctor Sorbonicus.

Qui dixerit, Perseverantiam in bono usque ad finem vitæ, non esse ex tali singulari Dei dono, quo non solùm dat, quòd quis perseverare possit si velit, sed etiam quo operatur efficaciter, & ex virtute ipsius doni, ut velit & perseveret: aut dixerit cum hoc dono non cohærere arbitrii creati libertatem; Errat.

Ita sentio Petrus Lombardus, Archiepiscopus Armachanus.

Ita sentio Archiepiscopus Rada, Episcopus Pactensis.

Ita sentio Lælius Landus, Episcopus Neritonensis.

Ita sentio F. Hieronymus Palantierus, Episcopus Bitontinus.

Ita sentio Dom. Anastasius, Abbas Farfensis Secretarius.

Ita sentio F. Joannes Baptista de Plumbino, Procurator S. Augustini.

Ita sentio F. Gregorius Nunnius Coronel, Secretarius.

Ita sentio F. Jacobus le Bossu, Doctor Sorbonicus.

Qui dixerit, Deum ab æterno non ita constituisse, proposuisse, prædefinisse, seu prædeterminasse illos omnes & singulos consensuros, credituros, operaturos, perseveraturos, quicunque in tempore à Deo vocati ad salutem consentiunt, & consentientes credunt, operantur & perseverant, ut decreto absoluto, id est, quo absolutè vult ut consentiant, credant, operentur, seu perseverent, præordinaverit unicuique eorum dare auxilium gratiæ, cujus virtutem seu motionem præscit tam esse efficacem ad subjiciendum sibi liberum arbitrium ejus cui datur, ut ex ea certum sit & infallibile & insuperabile, quòd is consentiet, credet, operabitur, seu perseverabit: aut ejusmodi decretum Dei absolutum, seu efficacem motionem libertatem arbitrii tollere, vel ei adversari; Errat.

Placet doctrina in propositione hac & sequentibus duabus comprehensa. Sunt tamen redigendæ in breviorem formam; & paulò clarius exprimendum, in quo falsa sit ratio illius præscientiæ conditionatorum, quam ante decretum Dei ponit Molina.

Ita sentio Petrus Lombardus, Archiepiscopus Armachanus.

Ita sentio Archiepiscopus Rada, Episcopus Pactensis.

Ita sentio Lælius Landus, Episcopus Neritonensis.

Ita sentio F. Hieronymus Palantierus, Episcopus Bitontinus.

Ita sentio Dom. Anastasius, Abbas Farfensis Secretarius.

Ita sentio F. Joannes Baptista de Plumbino, Procurator Ordinis S. Augustini.

Ita sentio F. Gregorius Nunnius Coronel, Secretarius.

Ita sentio F. Jacobus le Bossu, Doctor Sorbonicus.

Qui dixerit, Præscientiam Dei de hominum salute, seu quocunque illorum actu ad salutem pertinente, fundari non in virtute auxilii, seu motionis efficacis, ad subdendum sibi arbitrium ejus cui datur; sed in prævisio usu humani arbitrii, pro sua libertate auxilio Dei utentis, vel non utentis: aut hujusmodi præscientiam esse necessariam

cessariam, ad conciliandum inter se auxilium gratiæ Dei & liberum usum humani arbitrii; Errat, ponendo in Deo scientiam, quæ nullum prorsus habet vel habere potest objectum.

Qui dixerit, Prædestinationem electorum, sic pendere ab ipsorum arbitrio, ut non per efficaciam seu virtutem auxiliorum, quæ Deus sua prædestinatione decrevit dare, fiat quòd benè iis utantur; sed quia Deus in præscientia sua videns, quibus auxiliis pro sua libertate bene utentur electi, hæc ipsis dare decreverit; Errat, in illud incidens, Prædestinationem Dei esse ex meritis hominis; ita nimirum, ut gratia qua adjuvantur homines, ad consequendum effectum & finem, ad quem sunt prædestinati ideò iis detur, quia ipsi volunt usu illo sui arbitrii, quem pro libertate sua adhibent; non autem ideò velint, quia per gratiam adjuvantur.

XIV.

IDEA BULLÆ

JUSSU PAULI V. PONTIFICIS MAXIMI MEDITATÆ.

Pro finiendâ Auxiliorum Controversiâ.

Ad Caput 25. libri de Historia de Auxiliis.

PAULUS EPISCOPUS SERVUS SERVORUM DEI.

Ad perpetuam rei Memoriam.

I. *Cura & sollicitudo Rom. Pontificum, circa doctrinam de beneficio gratiæ Dei.* *Joan. cap. 21. 1. Pet. cap. 5. Matth. cap. 10. Ibidem cap. 16. Lucæ 22. 1. ad Tim. 6. v. 20.*

GRegis Dominici curandi, pascendi, regendique Princeps Pastorum Jesus Christus supremam in terris potestatem Apostolorum suorum primo Beato Petro, vice sua sic commisit, ut perpetuæ in illa firmitatis privilegio eum munierit. Quæ porrò incumbit cura ejusdem Beati Petri Successoribus Romanis Pontificibus cæterisque Ecclesiæ Catholicæ Episcopis, cùm prima & præcipua sit satagere, ut tradita divinitùs doctrina fidei custodiatur inviolata, devitando, sicut B. Apostolus admonet, *Profanas vocum novitates, & oppositiones falsi nominis scientiæ*; pro hac Prædecessores nostri, cùm providere soliti de remediis opportunis, contra opiniones, quas à doctrina ista discrepantes, suis quique temporibus emergere advertissent, in id sollicitiùs multò invigilabant, quoties essent opiniones, quibus beneficium gratiæ Dei, qua per Christi meritum homines excitantur atque adjuvantur, ad salutem suam operandam, evacuari, aut quoquo modo extenuari videatur.

II. *Quanti sit momenti, quod de hoc beneficio nonnisi sincera intelligentia in Ecclesia admittatur.*

Qua in re ut essent tam solliciti & vigilantes, permovebat eos meritò, quia de beneficio hoc ut nonnisi sincera intelligentia, in Ecclesia Dei admittatur, sciebant cùm primis interesse Catholicæ fidei de præcipuis aliquot & primis Religionis Christianæ fundamentis, velut de ruinâ humani generis per delictum primi hominis, deque Dei dono & proposito, quo per Jesum Christum liberantur, quicumque inde liberantur; deinde & intimiùs pertinere, ad informandam pietatem erga Deum; quippe quæ in hoc maximè constituta est, ut anima ei non sit ingrata: & ad fovendam in hominibus humilitatem; nam & hujus boni proprietas in confessione est Gratiæ Dei.

Ex Augustino Epist. 90. 92. 94. De verbis Apostol. Serm. 12. Lib. de pecc. orig. cap. 24. & 29. lib. 2. De nup. & conc. cap. 5. De spir. & litt. cap. 4.

III. *Fides Ecclesiæ ab initio, & sensus antiquorum Ecclesiæ Patrum de eodem beneficio. S. Aug. Epist. 59. 96 lib. de Spi. & litt. cap. 9. lib. de correct. & gratia cap. 2. lib. de Præd. SS. cap. 14 lib. de dono Persev. cap. 14.*

Cum autem juxta sinceram & salutarem intelligentiam eorum, quæ de istis fidei fundamentis in Propheticis, Evangelicis & Apostolicis Scripturis revelavit Spiritus Sanctus, quid Ecclesia semper crederet, & sentirent orthodoxi Patres de beneficio gratiæ Dei, id ab initio fundatæ in terris Christianæ Religionis simpliciter apparebat, in Ecclesiæ tum Obsecrationibus, Orationibus, Postulationibus, Gratiarum actionibus, maximè illis quæ in ipso verissimo, & singulari Christianorum Sacrificio frequentantur: tum in admonitionibus & exhortationibus tam ad istas, quàm ad alias quasque virtutes, quibus Deo vivo & vero servitur: & id ipsum indicatum reperitur ab antiquioribus Ecclesiæ Scriptoribus, in aliquibus tractatuum suorum locis; tametsi non nisi breviter, transeunter, & faciliori ac congruo veritati modo, quo res tam arduæ intelligerentur, quantum sufficere poterat, quandiu nulla adhuc major necessitas operosiorem de iis urgebat tractationem.

IV. *Occasio subministr-*

Successu vero temporis, de iisdem Religionis fundamentis operosiùs pertractare coegit

strata per hæreticos Pelagianos operosius tractandi de gratia & libero arbitrio.

coegit occasio per illos subministrata gratiæ Dei inimicos, qui catholicam de ipsa doctrinam aggressi callidissimè oppugnare, invexerunt pernitiosam hæresim, à primis suis autoribus sumto nomine Pelagianam, & etiam Cœlestianam nuncupatam. In qua sic progressum est per varios gradus, dum ejus Assertores atque Sectatores, aliquando plus, aliquando minùs, virtuti gratiæ detrahere aut tribuere viderentur; & ut hærerent semper in errore, quo noluerunt illam, quæ propriè gratia Dei est per Jesum Christum Dominum nostrum, quemadmodum confitenda est confiteri, & calumniarentur in doctrina Catholicorum sic prædicari gratiam, ut liberum arbitrium ab hominibus auferretur.

Aug. lib. de hæres. cap. 88. Aug. lib. de gratia Christi cap. 30. & 47. Lib. 4. ad Bonifac. cap 5. Epist. 106. Lib. 3. cont. Jul. cap. 1. Lib. 1. ad Bonifac. cap. 2. 15. 25. & Lib. 2. cap. 5.

V. *Error quorundam in Ecclesia ex ignorantia negantium liberum arbitrium.*

In qua calumnia, quod illi falsò objiciebant, id tanquam esset verum, adeóque Catholicorum contra ipsos disputantium dogma, quidam etiam in Ecclesia ex simplici quadam ignorantia secuti, sic gratiam Dei prædicabant & defendebant, ut hominis esse liberum arbitrium & negarent ipsi, & à defensoribus gratiæ negari existimabant.

Augustin. Epist. 46. Lib. de lib. arbit. cap. 2.

VI. *Occasio particulariùs tractandi de gratia & libero arbitrio, per illos aliquoties renovata qui reliquias Pelagianismi suscitabant.*

Subsecuti sunt & alii, qui ad contrarium errorem deflectentes, licet Pelagii & Cœlestii detestarentur nomina, & dogma condemnarent verbis, tamen eorum sensum in ipso errorum capite, quod est de sanctarum origine voluntatum, & de fidei charitatisque principiis, seu pravitate seu imperitiâ, & quidem plus aliqui, aliqui minùs sectabantur. Quoniam igitur prout quique ipsorum de isto capite sentiebant, deprehendebantur eorundem hæreticorum reliquias denuò suscitare; id renovavit aliquoties occasionem, ex qua necesse fuit doctrinam de gratia Dei & libero hominis arbitrio adhuc particulariùs declarare.

SS. Prosper & Hilarius in Epist. ad S. August. Cœlestinus I. Epist. ad Episc. Galliæ cap. 3. Prosp. libro contra Collat. cap. 11. & Car. de ingratis cap. 16. & 20.

VII. *Cura variis temporibus adhibita, in remediis contra hujusmodi errores adhibendis.*

Quæ omnia quibus temporibus accidebant, qui interea in B. Petri Cathedrâ præsidebant nostri Prædecessores, collaborantibus aliis passim Episcopis & Patribus orthodoxis, atque etiam Conciliis aliquot Ecclesiasticis, quæ diversis locis celebrata fuerant, de remediis eâ curâ providebant, quæ in tam gravi causa debebant meritò adhiberi, sive ad ignorantes instruendos, sive ad errantes corrigendos, sive ad calumniatores redarguendos, sive ad pertinaces castigandos. Et hoc censuris severioribus, quarum executionem etiam pii Imperatores Edictis suis religiosè promovebant.

S. Prosper cont. Collat. cap. 21. & Carm. de Ingrat. S. August. Epist. 47. S. Prosp. ad cap. Gall. Resp. 8. & lib. cont. Collat. cap. 10. Conc. Val. cap. 6. Possid. in vita S. August. cap. 18. S. Aug. lib. de pec. orig. cap. 17. & lib. 3. cont. Jul. cap. 1. Gelasius Epist. 3. & 5.

VIII. *Encomia S. Augustini ejusque doctrinæ in hac causa definiendæ.*

Inter omnes porrò Episcopos & Patres, qui iisdem temporibus in hac fidei & pietatis causâ collaborabant Sedi Apostolicæ, sic præfulgebat S. Augustinus ingenio, industriâ, & librorum copiâ, quibus pro uberiore, quam ad id accepit ipse à Deo gratiâ, defæcatissimam ac saluberrimam Evangelicæ Apostolicæque de gratiâ Dei doctrinæ intelligentiam defendit ac declaravit, ut quemadmodum doctrina ista ab eo intellecta & asserta est, sic eam & reliqui de ipsa orthodoxè sentientes seu scribentes amplexi sint, & deinceps prosecuti, tam in confutandis quibuscunque contra eandem erroneis opinionibus, quàm in veritate ejus, prout recurrentes occasiones exigebant propriùs astruenda & elucidanda.

S. Hieron. dial. 3. cont. Pelag. S. Prosp. de Ingr. cap. 2. & 3. in Præf. ad cap. Gall. lib. contra Collat. c. 1.

IX. *S. Augustinum ejusque doctrinam nominatim de hoc dogmate Sedes Apostolica quanti semper fecerit.*

Ipsa quoque Sedes Apostolica eundem Sanctum virum ejusque doctrinam adeò semper æstimavit, commendavit, atque approbavit, ut ab eo dum viveret, adversùs libros Pelagianorum responsa posceret, ejusque postquam obierat doctrinam comprobando, suam esse declaravit. Ideircò quando illi qui errorum Pelagianorum reliquias suscitabant, de eodem obloquebantur, tanquam in defendenda gratia Dei necessarium modum excesserit, aut aliàs discrepantem à doctrinâ ejus modum in hoc dogmate explicando sectabantur, Romani Pontifices attestati sunt, quod S. Augustinum inter Magistros optimos sui semper Prædecessores habuerint; quodque ipsius doctrinam, & nominatim de gratiâ Dei & libero hominis arbitrio, & maximè in libris qui ab istis sugillabantur, Romana, hoc est Catholica sequatur & servet Ecclesia.

S. Prosp. lib. cont. collat. S. August. lib. 1. ad Bonif. c. 1. S. Cœlest. I. Epist. ad Episc. Gallia. Hormisd. Epist. 97. ad Possess.

X. *Quod Scholastici Theologi Augustinum in primis secuti sint, & signanter in hoc dogmate.*

Quapropter S. Augustini nomen & doctrina in Theologorum Schola meritò sic obtinuit, ut Doctores & Scriptores, qui tanto post tempore Theologicam disciplinam via & ratione tradiderunt, illum in primis sint secuti. Quod cùm iis signanter propositum esset, in dogmate de gratiâ & libero arbitrio, etiam potiores inter ipsos id assecuti sunt feliciter; potissimè verò & felicissimè S. Thomas Aquinas, quem Sedes Apostolica hoc dudum Elogio commendavit, quòd Beati Augustini vestigia insequens, Ecclesiam universalem doctrinis & scientiis quamplurimis adornaverit.

Elogium de S. Thoma Aquin. Urbanus VI. in Bulla Translationis corp. S. Thomæ.

XI. Quod autem è Scholasticis Theologis, dum

Quod Scholastici aliqui Theologi opiniones quasdam habeant minùs probandas, de viribus liberi arbitrii, sed quæ nequaquam imputanda sunt Ecclesiæ Dei.

dum minutiùs tractarent, quàm de iis necesse fuerat, contra Pelagianos errores olim disputantes, aliqui plus tribuerint viribus liberi hominum arbitrii, quàm admittat doctrina vel defensa à S. Augustino, vel definita ab Ecclesia Dei, de necessitate seu efficaciâ gratiæ Christi; quidam etiam minùs quàm ea doctrina exigat; non ex illo fuit, quòd intenderent aut se putarent à S. Augustino dissentire. Immò existimabant qui minùs tribuebant arbitrio humano, quòd doctrina S. Augustini id exigeret: & qui plus, quòd eadem doctrina id ipsum admitteret. Itaque hi quidem, cum de quæstionibus quas ita pertractabant, non perinde scirent, aut judicarent certiùs quidpiam posse statui, ex doctrina antiquitùs definita seu defensa in Ecclesia; ideò arbitrati sunt, liberiùs sibi esse ita opinari, sicut videbantur ex aliquibus aliis rationibus non improbabiliter concludere: sed Ecclesiam Dei ejusmodi opiniones quorumcunque essent, nunquam approbavit: quin etiam contrarias sententias alii Scholastici Theologi quoad eas in Ecclesia magis approbati, tenuerunt atque docuerunt.

Concil. Trid. sess. 14. cap. 4.

XII. Sectarii horum temporum, quam improbè & impiè calumnientur Ecclesiam, doctrinamque de hoc dogmate.

Unde facilè innotescit, quo Spiritu incitati fuerint, qui novissimis his temporibus segregantes semetipsos, doctrinam Catholicorum, ad eam apparentiùs impugnandum, ita calumniantur, ut accepto qualicunque prætextu, ex sententiis minùs probandis quorundam autorum Scholasticorum, tribuentium plusquam par est viribus liberi arbitrii, sententias hujusmodi aggravent, & multiplicent supra id quod in ullo ex iisdem autoribus repetitur; eoque modo à se aggravatas & multiplicatas, tanquam communes Scholarum opiniones universis Theologis, quos propterea traducunt passim Pelagianorum nomine: immò Ecclesiæ Dei vivi, quæ est Columna & firmamentum veritatis, per summam improbitatem & impietatem ausi sunt imponere.

In Epistola S. Judæ v. 19.

1. ad Tim. cap. 3. v. 15.

XIII. Errores eorundem Sectariorum in impugnando libero arbitrio.

A quibus proinde sententiis ipsi ut recederent, cum caussentur recedendum sibi à doctrina Ecclesiæ sui temporis, tanquam discrepante à veritate antiquitùs definitâ, & defensa contra Pelagianos errores, accidit eis justo Dei Judicio, quòd videri volentes recedere ab opinionibus minùs probandis in extremo uno, delapsi sint in errores magis improbandos in extremo altero, oppositos doctrinæ, quam re vera Ecclesia Dei semper approbavit, S. Augustinus defendit à suo tempore, & Scholastici Theologi rectiùs sentientes postea sunt secuti. Nam contra hanc doctrinam, isti sic impugnant liberum arbitrium humanæ voluntatis, ut illud post peccatum vel omninò tollant ex hominum natura, vel nimiùm coarctent, vel ad alienum ab eadem doctrinâ sensum detorqueant.

XIV. Quòd sic errando insipientiam suam manifestent.

In quo sic aberrant, ut necesse habeant Pelagianorum contra Catholicos sui temporis calumniam justificare, tanquam vera sit imputatio, quòd tunc in doctrina Catholicorum aufertur ab hominibus liberum arbitrium; & suam ipsi insipientiam magis manifestam reddant, quàm etiam tunc illorum fuerit, quos simpliciùs negantes liberum arbitrium Sanctus Augustinus instruens percunctabatur: Si non est Dei gratia, quomodo Dominus noster Jesus Christus salvat mundum? Si non est liberum arbitrium, quomodo judicat mundum? Eos denique ita admonebat: Ubi sentitis vos non intelligere, interim credite divinis Eloquiis; quia & liberum est hominis arbitrium, & gratia Dei, sine cujus adjutorio liberum arbitrium nec converti potest ad Deum, nec proficere in Deo.

S. August. Epist. 46. Lib. de gr. & lib. arb. cap. 1. & 2.

XV. Quòd de gratia Dei iidem etiam errent.

Quin immò iidem Sectarii, cum illos de libero arbitrio errores amplectendo non possent simul retinere orthodoxum sensum de gratia Dei, deprehenduntur in hoc pervertendo sic progressi, ut commune illud cum Pelagianis eorumque reliquiis errandi principium, prævenientem Dei gratiam non esse adjuvantem, resuscitent etiam ipsi, tametsi ad oppositum illis errorem stabiliendum id convertant. Quemadmodum etiam illi admittentes, hominem in bono opere à Dei gratia semper adjuvari, noluerunt confiteri quod illa cum præveniat, sic in excitanda ejus ad bonum opus voluntate operetur, efficiendo ipsam illud velle; quoniam hoc putabant adversari voluntatis libertati: similiter & isti docent, quòd gratia præveniens sic in homine operatur velle, ut negent quòd adjuvet hominem ad volendum, ne cogantur libertatem humanæ voluntatis confiteri: cùm juxta doctrinam S. Augustini, in Ecclesia semper approbatam, qui ad aliquid adjuvantur, etiam ipsi sponte, adeoque voluntatis suæ arbitrio id conantur.

S. Aug. lib. 1. ad Bonif. cap 19 & 19. Et Lib. 4. c. 7. Lib. de gratia Chr. cap. 10. Epist. 112.

S. Prosp. in Epist ad S. Aug.

Lib. de pecc. meritis cap. 5. Et Epist. 84.

XVI. Concilium Tridentinum contra eorundem errores & Calvinistarum

His igitur ita se habentibus, Concilium generale Tridentinum, quod novissimè magna Omnipotentis Dei providentia celebratum esse constat, sic à Spiritu Sancto fuit directum, ut in suis de dogmatibus fidei Decretis & Canonibus, non tantùm confutarit atque condemnarit errores eorundem Sectariorum; sed etiam renovarit doctrinam olim definitam contra Pelagianam hæresim ejusque reliquias. Quod licet modò illi tanquam superfluum laborem

ſpernant ac derideant; tamen neceſſarium id fuiſſe agnoſcunt omnes illi, qui norunt ipſos eſſe non tantùm hæreticos, contra quorum errores inſtruendi muniendique erant fideles populi; ſed inſuper falſos accuſatores, à quorum calumniis Eccleſia Dei erat vindicanda. In quo illuſtre etiam teſtimonium datum eſt, quod apud quoſcunque Scriptores, quantumvis alioquin doctos atque celebres, reperiantur opiniones aliquæ, quæ Pelagianiſmi errores aut reliquias ſapiunt, eas Eccleſia Dei nequaquam approbet.

Inter Theologos Catholicos, qui ſcripſerunt contra eoſdem hæreticos, diverſitas quædam in ſententiis.

XVII. Cæterùm qui in Eccleſia, pro ſuo quoque zelo ac talento contra hæreticos iſtos, tam ante Concilium Tridentinum, quàm poſt illud congregatum ac celebratum, pertractarunt copioſiùs de hoc dogmate, cum in eo conſentiant, quòd quæcunque ſcripſerunt atque docuerunt, illa ſubjiciant judicio & correctioni Sedis Apoſtolicæ (id quod tanquàm indicium catholici animi conſuevit accipi in Eccleſia, tametſi contingeret illum in errore, citra intentionem ſuam verſari, qui ita profitetur) etiam præcipui ex iis ac plerique eoſdem Eccleſiæ hoſtes validiſſimè confutarunt. Verùm non perinde omnes ſic ſcribentes, & ſe ſubmittentes, aut rectè aut verè ſenſum S. Auguſtini vel Eccleſiæ Dei declararunt atque defenderunt. Quin immò aliqui, licet pauci, non diſſimulanter præ ſe ferebant velle ſe de aliquibus & quidem ex præcipuis capitibus, ad idem dogma pertinentibus, diverſam inducere ſententiam à doctrina S. Auguſtini; ſed in quo nequaquàm approbati ſunt. Quin potiùs eorum præſumtio ſimul cum ſententiâ reprehenſa meritò eſt ab aliis in Eccleſia Scriptoribus & Doctoribus.

S. Aug. lib. de peccat. Orig. cap. 6. 7. & 23.

Quòd diverſitas ſententiarum in hoc dogmate ſubingreſſa inter Catholicos proruperit tandem in apertam controverſiam.

XVIII. Sed & inter illos qui ſe profitebantur & etiam nunc profitentur doctrinam eam ſequi, aut ſaltem ab ea non diſſentire, quæ defenſa fuit à S. Auguſtino, ſubingreſſa eſt diverſitas in ſententiis, in modo explicandi dogma de gratia & libero arbitrio, quæ tandem in diverſis Chriſtiani orbis partibus, in claris aliquot ſtudiorum Univerſitatibus, & inter celebres quoſdam Religioſorum Ordines prorupit in apertam controverſiam, qua in publicis diſputationibus, in editis libris, vocatum eſt in quæſtionem quæ ſit ſincera & genuina intelligentia ejuſdem dogmatis, intenta tum à S. Auguſtino in tractatibus ſuis, tum ab Eccleſia Dei in ſuis definitionibus, tam antiquis, quàm per Concilium Tridentinum noviſſime ſtabilitis.

XIX. Neque novum, aut hoc tempore primùm eſt auditum, ſed antiquis etiam temporibus accidiſſe ſcitur, quòd cum catholica de hoc dogmate veritas defenderetur contra fidei hoſtes, aut aliàs ab iis aggrederetur, qui de ipſa rectè ſentiebant, invenientur & qui cauſam ejus zeloſiùs quàm ſolidiùs agerent; & qui cùm eſſent alioquin clari & egregii in omnium virtutum ſtudio viri, adducerentur in opiniones ab eadem veritate diſcrepantes; tanta eſt ipſius dogmatis difficultas & ſubtilitas! Neque de illis inter quos irrepſit iſta controverſia, & nunc præcipuè fervet, aliter nobis perſuaſum eſt, quàm quòd & ipſi bono utrinque zelo diverſas de eo ſententias initio ſint amplexi & ſecuti: alii quòd viam opinarentur faciliorem ad præſentium hæreſum incendium exſtinguendum: alii quòd alteram viderentur ſcire ſolidiorem ad incendium iſtud ita exſtinguendum, ut errorum antiquorum reliquiæ non ſuſcitarentur. At ne ſucceſſu temporis accideret forte ipſos abripi in effectus aliquos minùs rectos, quales cum hujuſmodi diſſenſionibus conjuncti eſſe ſolent; utroſque oportet Apoſtolicæ admonitionis notanter meminiſſe, nihil per contentionem, neque per inanem gloriam.

Judicium de iis inter quos controverſia vertitur.

Ad Philip. cap 2. v. 3

Diligentia adhibita à Clemente VIII. in controverſia illa examinanda & diſcutienda.

XX. Conſiderans ergo felicis recordationis Clemens Papa VIII. noſter in ſummo Pontificatu nuper Prædeceſſor, quanti ſit momenti, ut omnes in Eccleſia, & in primis illi qui pro vitæ ſuæ inſtituto & profeſſionis ſtatu, pertinent ad decorem domus Dei, unanimes id ipſum dicant, atque ſentiant, præcipuè de dogmate uſque adeò ſalutari; controverſiam iſtam, quando de ea gliſcente alibi certior factus eſt, ad Sedem Apoſtolicam evocavit, ubi delectis ad examen ejus & Cenſuram diverſarum Nationum Theologis; ex quibus aliqui Epiſcopi, quidam etiam Archiepiſcopi, ac deputatis quibuſdam S. R. E. Cardinalibus, coram quibus tractaretur, tam ab his quàm ab illis ſæpiſſimè ſunt auditi, qui à partibus inter quas præcipuè verſabatur, conſtituti erant, ſuæ cujuſque ſententiæ defenſores, ſeu oppugnatores ſententiæ adverſæ. Atque ut plenior adhuc daretur ſatisfactio, idem ſummus Pontifex etiam coram ſe, per annos aliquot, tandem controverſiam ſic curavit examinari & diſcuti, ut auditis primùm rationibus & argumentis partium, deinde examinatis Cenſuris & Judiciis, quid ſecundùm hæc concludendum foret, aſſiſtentibus in hoc ſibi Illuſtriſſimis & Reverendiſſimis Cardinalibus S. R. E. Inquiſitoribus Generalibus pronunciaverit.

XXI. De quorum numero cùm nos tunc fuerimus,

Continuatio ejusdem diligentiæ à Paulo V. usque ad decisionem controversiæ.

rimus; ubi translato ad meliorem vitam eodem Prædecessore, assumti essemus, non nostris meritis, sed solius Dei benignitate, ad hoc fastigium Pontificatus, in istos Prædecessoris nostri labores, tanquàm qui ad officii Pastoralis primam curam spectant, statim introeuntes, curavimus examen istud coram nobis continuari; ac alias denuò diligentias ac labores superaddidimus. Quibus, dirigente nos & adjuvante Spiritu Sancto, omnis disputatio, discussio, & tractatio perducta est ad Conclusionem. In qua insistendo Concilii Tridentini decretis & canonibus, & cum eodem Concilio antiquioribus Ecclesiæ Dei de hoc dogmate definitionibus; atque adhibitâ, ubi res id exigit, illorum explicatione, quæ in iisdem decretis, canonibus, & definitionibus, ad præsentis controversiæ decisionem propiùs spectant: veritas doctrinæ quæ de ea controversia est tenenda, docenda, & prædicanda, per Capita quædam declaratur; & erroneæ de eadem controversia opiniones, à quibus abstinendùm & declinandum est, per propositiones aliquot exprimuntur, prout hîc subjicitur.

DE VIRIBUS LIBERI ARBITRII, & de Efficaciâ Auxiliorum gratiæ Dei, doctrina sana & Catholica.

CAPUT PRIMUM.

De lapsu humani generis in prævaricatione primi hominis.

S. August. lib. de gratia & lib. arb. cap. 5. de peccato orig. cap. 24. Ad Rom. 5. Actor. cap. 4. & 12. Matt. cap. 1. Psal. 8. & 48.

IN causa duorum hominum, quorum per unum, qui est primus parens noster, Adam, peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors: per alterum, qui est Jesus-Christus Dominus noster, oportet nos salvari à peccatis: fides quæ propriè Christiana dicitur, sic consistit, ut de primo quidem homine, secundùm definitiones Sanctorum Patrum, fundatas in Scripturis Sacris, debeamus credere & prædicare, quòd cum creatus esset in gloria & honore, quo ultra bona omnia humanæ conditioni naturalia, accepit ex largiore Conditoris sui gratiâ supernaturalia multa dona, quæ ab ipso, si non peccaret, in propaginem quoque suam derivanda erant. Postea mandatum Dei prævaricando, in tam gravem secum & in se ruinam humanum genus præcipitavit, ut universi qui communi propagationis lege originem suam ex illo trahunt, nascantur non tantùm spoliati gratuitis Dei donis, verùm etiam vulnerati in bonis suis naturalibus, contrahentes singuli simul cum natura peccatum Originale: quo præterquam quòd coram Deo immundi sunt, & sub ejus offensâ constituti rei æternæ damnationis, insuper in iis arbitrium voluntatis (quod, quantùm exigit ratio libertatis naturalis, & conditio hominis, adhuc in via constituti, manet verè liberum) est valde infirmatum, attenuatum, & vitiatum, in sua naturali possibilitate, & inclinatione ad bonum: etiamsi inclinatio hæc & possibilitas non sit ita perdita, ut omne opus hominis jacentis sub ista ruina, peccatum esse oporteat.

CAPUT SECUNDUM.

Quòd ad salutem recuperandam, gratia Dei prævenitat hominem, non autem homo ullo suo opere aut conatu gratiam.

AD salutem verò recuperandam, similiter debemus credere & prædicare, oportere hominem, in actibus ad Justificationem suam pertinentibus, à gratia Domini nostri Jesu Christi, ejusque auxiliis præveniri. Quam gratiam, quoniam Scripturæ Sacræ passim docent, gratuitò prorsùs hominibus dari, secundùm propositum voluntatis Dei, quorum vult miserentis; ideò in definitionibus Sanctorum Patrum damnantur dicentes, Dei gratiam secundùm merita nostra dari; & nobis sine gratia desiderantibus, conantibus, petentibus, misericordiam conferri divinitùs. Juxta quas Scripturas & definitiones sincerè intellectas, tenendum est, non esse ejusmodi aliquam legem à Deo constitutam, per quam auxilia, quibus nos ipse præveniendo vocat, excitat, atque adjuvat, dentur homini tanquam ex suis viribus facienti, seu conanti quod in se est, ad gratiam obtinendam: sive ex ea lege ponatur illis dari gratiam, qui præsumuntur ex se quidpiam facere seu conari, quod ita bonum sit, ut ad illam dandam Deum provocet, contradicente & docente Scripturâ Sacrâ, quòd Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt, non est qui faciat bonum, non est usque ad unum: sive ex ea lege ponatur, illis dari gratiam, qui qualecumque sit quod ex se possunt, pro suo quisque ingenio id totum faciunt, seu conantur facere. Sed contra verissimè docetur, Dei gratiam & Spiritum, qui ubi vult spirat, ob hoc omne ingenii genus, in filiis misericordiæ non præterire: itemque omne ingenii genus, in gehennæ filiis præterire, ut qui gloriatur, in Domino glorietur.

Psal. 58. Ad Rom. cap. 3. Ad Eph. 2. In Concil. Palæst. & ex eo S. Aug. Epist. 106. & 107. Concil. Araus. II. Can. 6. S. Bona. in 2 dist. 38. art. 2. quæst. 2. Ad Rom. 3. & Psal. 13. S. Aug. lib. de peccat. mer. c. 21. Joan. 3. 2. Cor. c. 10.

C A-

CAPUT TERTIUM.

Quomodò intelligendum sit, quòd actus ad Justificationem & salutem requisitos non possit homo sine gratia Dei operari sicut oportet.

CUm in Ecclesiasticis definitionibus damnatum sit, per naturæ vigorem hominem posse aliquid quod ad salutem pertinet, cogitare ut expedit, absque illuminatione & inspiratione Spiritus Sancti; ac rursus, sine Spiritus S. inspiratione, atque ejus adjutorio, hominem credere, sperare, diligere, aut pœnitere posse, sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur; in iis definitionibus, per id quod exprimitur, sicut oportet, sive, ut expedit, hoc intelligendum esse, quod est, cum circumstantiis debitis ab homine adhiberi, in commemoratis actibus, satis insinuatur, tam in doctrinâ à SS. Patribus definitâ & traditâ, quàm in ipsâ Scripturâ Sacrâ, quando actus qui fiunt sicut oportet, per hujusmodi circumstantias describuntur. Siquidem tales actus sunt, verbum auditus Dei (ut Scriptura loquitur) accipere, non ut verbum hominum, sed sicut est verè verbum Dei; bonum aliquid quod ad salutem pertinet vitæ æternæ cogitare, sic ut eligatur salutari, id est Evangelicæ prædicationi consentire; credere in Deum; operari propter Deum quod bonum est; diligere Deum propter se ipsum, hominem verò, sive alium, propter Deum. Quapropter iisdem definitionibus adversatur dicere, quòd possit homo actus sic descriptos operari, aut velle operari sine gratia Dei, etiamsi intelligatur tunc non fore supernaturales, sed naturales actus.

Concil. Trid. sess. 6 cap. 5.
Ad Thess. 2.
Concil. Arausic. c. 7. & 25.

CAPUT QUARTUM.

Quàm sit homo imbecillis ad resistendum tentationibus, nisi speciali Dei auxilio adjuvetur.

AD resistendum tentationibus, & difficultates superandas, quæ nos incitant ad transgrediendum Dei mandata, tanta est relicta ex peccato imbecillitas, etiam in ipsis justificatis hominibus, ut olim hac de re ab Apostolicâ Sede rescriptum fuerit, pares nos ad resistendum, non liberum arbitrium, sed Dei solum facere posse auxilium: & necesse esse, ut quo auxiliante vincimus, eo iterum non adjuvante vincamur. Ubi non id significatum est, ut in illud ipsum peccatum inducamur; ad quod nos tentatio urget: verùm quia tunc victa vitia deputanda sunt, cùm Dei amore vincuntur, quem nisi Deus ipse non donat, nec aliter nisi per Mediatorem Dei & hominum, hominem Jesum Christum: idcirco licet in vitiis & illicitis concupiscentiis evincendis, in diaboli insidiis superandis, & tam in resistendo quàm in succumbendo quibuscunque tentationibus, homo habeat liberum usum propriæ voluntatis, tamen ut tentatus vincat, resistendo propter Deum, aut si gravior sit tentatio, ei resistat, ut in nullum ex ea peccatum inducatur, non sufficiunt vires naturales liberi arbitrii: sed necessarium est quotidianum, id est, continuò subministratum adjutorium speciale Dei; idque non tantùm ut faciliùs, sed omninò ut vincatur tentatio.

Innoc. I. Epist. ad Concil. Carth. Cœlestin. I. Epist. ad Episcop. Galliæ.
S. Aug. lib. 21, de civit. c. 16.
S. August. Epist. 106.

CAPUT QUINTUM.

De efficaciâ Auxiliorum gratiæ Dei.

JUxtà doctrinam in Scripturis Sacris revelatam, atque in Scripturis sine ambiguâ generalitate intellectis approbatam, semper ab Ecclesiâ Catholicâ de auxiliis gratiæ quâ Deus per merita Domini nostri Jesu Christi, interiùs nos vocando ad salutem, & præveniendo in quocunque actu salutari, non solùm excitat, sed etiam adjuvat, ad assentiendum & cooperandum, debemus credere & prædicare, ejusmodi auxilia, ex virtute quam Deus excitando atque adjuvando pro sua omnipotentia subministrat, esse adeo efficacia ad movendam cujusque hominis voluntatem, secundùm propositum voluntatis Dei, ut per illa præmovens nos Deus voluntates nostras sic inclinet, quòd operatione verè & propriè efficiente perducat ipsas ad consensum. Unde cùm constet per motionem Dei efficaciter præoperantis hominem ad volendum & agendum, quæ ad salutem suam pertinent, determinari, juxta significationem hujus verbi dudum in Theologorum Scholis & libris usurpatam; illud ad hunc modum fieri intelligitur, ut qua Deus motione prævia determinat hominis voluntatem, eâdem efficiat voluntatem se determinare; adeóque id consensu suo eligere, ad quod determinatè volendum Deus eam per gratiam suam movendo præoperatur; & in quo volendo & agendo eidem cooperatur. Id quod homo tam liberè vult & agit, ut cum determinatione, per quam fit ut consentiat Deo excitanti atque vocanti, consistat possibilitas & mutabilitas, qua pro libertate suæ naturæ & conditionis, potest dissentire si velit: & ex qua dissentiunt, tum qui nolunt inspirationem illam consensu suo recipere, qua Deus per Spiritus

S. Aug. lib. de gratiâ Chr. c. 47.
Conc. Trid. sess cap 5. S. Aug. lib. 2. de pecc. merit. cap. 18. lib. 1. ad Bonif. cap. 18. & 19. lib. de grat. Chr. cap. 2. & 34. lib. de cor. & gra. cap. 14 Epist 107. lib. 4. ad Bonif. c. 6.
S. Thomas 1. 2. q. 9. a. 6. ad 3.
Conc. Trid. sess. 6. cap. 5. & can. 4. S. Prosp. lib. 2. de vocat. gent. cap. 8. 12. & 28. Conc. Trid. sess 6. can. 4. & cap. 5.

tus Sancti illuminationem eorum corda tangens, interius excitando & vocando, gratiam ejus offert; tum qui postquam Deus ulterius adjuvando, per gratiam suam fecit ipsos consentire, resiliunt denuò pro sua libertate. At quàm verum est, quòd cùm determinatione, undecunque ea sit, stat libertas, quam consensus & electionis propria ratio exigit; tam est etiam verum, quòd cum operatione Dei, quando ita efficax est, ut per eam præventa voluntas hominis efficiatur se determinare, non possit simul consistere, quòd homo dissentiat, seu velit dissentire.

S. Thomas 1. 2. q. 15. art. 3. in 1. part. q. 87. art. 3. ad 2.

Scot in 4. sent. dist. 49.

CAPUT SEXTUM.

De modo motionis gratiæ Dei.

S. Aug. lib. de gratia Chr. cap. 10.

QUi de gratia Dei doctrinam sanam & sinceram olim impugnabant, cum asseruissent non adjutorio Dei, sed ex nobis ipsis in nobis effici voluntatem bonam, id est, ut velimus, benè videntes illud Apostoli, *Deus est qui operatur in nobis velle*, dogmati suo vehementer esse contrarium; ut hanc oppositionem solverent, interpretabantur, Deum operari in nobis velle quod bonum est & sanctum, dum nos futuræ gloriæ magnitudine & præmiorum pollicitatione succendit; dum revelatione sapientiæ in desiderium sui torpentem excitat voluntatem; dum nobis suadet omne quod bonum est. Sed tam illa eorum assertio proprii dogmatis, quàm ista interpretatio sententiæ Apostolicæ, ab Ecclesia catholica judicata semper est erronea. Quare & illi judicandi sunt errare, qui hoc quoque tempore, licet agnoscant quòd Deus sua gratiâ præveniendo voluntatem hominis, virtutem subministret, quâ sic excitat atque adjuvat, ut per eam possit homo, si & ipse velit, quæ ad salutem suam pertinent operari; & quòd per eandem virtutem indeliberati quidam actus, in voluntate hominis efficienter producantur; tamen asserunt, quòd ulteriùs ad actus liberos volendi & agendi non aliter moveat Deus, quàm interiùs suadendo, invitando, & excitando, sive alio quomodocunque exprimatur, moralis seu metaphoricæ, ut eam ipsi vocant, motionis modo attrahendo. Nam & huic assertioni contrarium est, quod Apostolus prædicavit, *Deus est qui operatur in nobis velle & perficere*; quod Deus ipse promisit per Prophetam, *Faciam ut in præceptis meis ambuletis, & judicia mea custodiatis, & operemini*; quod Ecclesia Dei definivit, *Quoties bona agimus, Deus in nobis atque nobiscum ut operemur operatur.* Siquidem testimonia ista certi-

Ad Phil. 2.

Concil. Arausi. II. can. 3.

App. Hist. Cong.

sinè intelligenda sunt de operatione Dei verè & propriè, atque in hoc sensu physicè nos efficiente velle & operari, & perficere. Quo modo, Deum per gratiam suam in nobis operari, quando Catholici quidam ita exprimunt, quòd Deus ad actus liberos, salutares voluntatem hominis physicè prædeterminet, non aliud eo loquendi modo significare volunt, quàm quòd Deus per virtutem, quam efficaci sua gratiâ voluntatem hominis præveniendo subministrat, sic eam inclinet atque applicet ad hujusmodi actus, ut non tantùm metaphoricè seu moraliter ipsam moveat, sed etiam physicè, id est operatione verè & propriè activa, efficiat hominem ad eosdem actus se determinare. In quo sensu qui negant Deum efficaci sua gratiâ determinare seu prædeterminare hominis voluntatem, errant quidem illi; verumtamen, quod ad loquendi modum attinet, quo dicitur Deus physicè voluntatem prædeterminare seu determinare, in quantùm est expositus alicui alteri sensui qui adversatur humanæ voluntatis libertati, in tantùm minùs convenienter adhibetur, ad explicandum dogma de efficaci operatione, seu præoperatione gratiæ Dei.

CAPUT SEPTIMUM.

De necessitate gratiæ Dei.

AUxilia gratiæ Dei, & quidem efficacis, sunt adeò ad salutem necessaria, ut oporteat confiteri de hac gratia verum esse quod in Sanctorum Patrum definitionibus traditur atque declaratur, gratiam Dei & adjutorium etiam ad singulos actus dari; seu nos per singulos actus adjuvare, ita ut sine illa nihil veræ sanctæque pietatis habere, cogitare, dicere, & agere valeamus. Quæ gratia cum certum sit quòd post naturæ lapsum, quibus datur, misericordiâ Dei gratuitâ datur; quibus autem non datur, ex justitia Dei non datur, ita ut quòd eâ non adjuventur homines, in ipsis causa sit, non in Deo. . . . . .

SS. cap. 6. lib. 2. de Pecc. mer. cap. 17.

In Concil. Palæst. & ex illo S. Aug. Epist. 106. & 107 in Conc. Afr. S. Prosp. ib. resp. ad cap. gall. c. 8. contra Coll. c. 10. S. Aug. in Ench. cap. 98. lib. 1. ad Bonif. cap. 20. lib. de Prædest.

CAPUT OCTAVUM.

De potentia & Providentia Dei, à quâ auxilia gratiæ habent, quòd sint efficacia.

QUòd auxilia Dei sint efficacia, id ita referendum est in omnipotentiam voluntatis Dei, quâ prout attestatur Scriptura Sacra, Omnia quæcunque voluit Dominus fecit, ut in illo agnoscere oporteat domi-

S. Aug. lib. 5. de civ. c. 8. l. 4. cont. Jul. cap. 8. S. Prosp. lib. 1. de voc.

cap. 22. 8. Th. 1. p. q. 19. art. 6. Psal. 137. S. Aug. lib. de grat. & lib. arb. c. 20. S. Th. 1. p. q. 85. art 1. ad 3. & 4. lib. 3. con. gen. cap. 68. quaest. 3. de pot. art. 7. ad 3. Scot. in 3. dist. 17. qu. 1. S. Aug. in Ench. cap. 98. lib. de grat. Chr. cap. 24. lib. 4 con. Jul. cap. 3. lib. 2. cap. 10. lib. de grat. & lib. arb. cap. 4. & 21. lib. de prad. SS. cap. 20. lib. de don. Pers. cap. 6. & 7. S. Aug. Ep. 105. S. Prosp. cont. Coll. cap. 38. & in Carm. de ingr. cap. 15. S. Aug. lib. 2. de pecc. merit. cap. 10.

nium ejusmodi in voluntates hominum, etiam ut sunt liberæ, quo eas, & quidem magis habens in potestate sua, quàm ipsi suas, quas voluerit, quando voluerit, ubi voluerit, quantumvis aversas & adversas sic mutet, flectat, convertat, transferat, firmet, ac stabiliat, ut juxta hoc quod de divina sapientia prædicat Scriptura Sacra, *Attingat à fine usque ad finem fortiter, & disponat omnia suaviter* Deus, & per potentiam suam in voluntatibus & per voluntates hominum operando, certò & infallibiliter & insuperabiliter efficiat illas facere quod vult per eas fieri; & per suam pariter providentiam easdem sic gubernet & dirigat, ut id ipsum suo arbitrio, quod hùc atque illùc liberum flectitur, etiam ipsæ faciant. Sap. 8.

CAPUT NONUM.

De præscientia & proposito voluntatis Dei, secundùm quod auxilia gratiæ dantur.

S. Aug. de dono Perse. cap. 14.

QUòd dentur hominibus auxilia efficacis gratiæ, est ex proposito voluntatis Dei, id est ex decreto quo Deus, quos vult ipse, quando & ubi; assentiri & cooperari, absolutè prædefinivit assensuros & cooperaturos: & in quo iisdem auxilia talia præparat & prærordinat, ex quorum efficaciâ certum est & infallibile, quòd assentientur & cooperabuntur. Cujusmodi decretum cùm se habeat antecedenter ad præscientiam Dei de concursu hominum absolutè futuro, etiam præsupponit in Deo scientiam, qua ante omnem liberum actum suæ voluntatis, quæ de actibus hominum ad salutem pertinentibus quidpiam decernat, sic cognoscit quid possit tam gratuita virtus auxiliorum suæ gratiæ in quolibet eorum gradu, quàm naturalis possibilitas liberi arbitrii uniuscujusque hominis in quibuscunque circumstantiis, ut id cognoscendo, prout perfectæ suæ providentiæ ratio exigit, præsciat sub hujusmodi conditione sui actus, qualia si velit ipse dare auxilia, futurum sit ut is consentiat cui dantur. Verùm quòd in Deo ante omnem liberum actum suæ voluntatis, ideóque ante decretum, quo prædeterminat hominem consensurum, ponatur à quibusdam scientia (ab ipsis media, vel alio quocunque nomine appellata) qua decretum illud sive excludendo sive prævemendo communiscuntur, Deum præscire consensum hominis futurum, sub hujusmodi conditione in objectos si homo constituatur in certo quodam ordine rerum, auxiliorum & circumstantiarum, ex infinitis illis ordinibus, qui per divinam omnipotentiam esse possent; & quòd consensus hominis, in quocunque ordine constituti, putetur futurus non ex efficaciâ decreti, & auxiliantis gratiæ Dei, sed pro innata libertate voluntatis humanæ; positio ista & opinio aliena est a vero sensu doctrinæ, qua de præscientia propositi, & beneficio gratiæ Dei in Ecclesia Christi approbatum definitum, & hactenùs receptum est, quòd in Deo licet dividi præscientia à proposito temporali distinctione non possit; præscientia tamen quodam ordine sit subnixa proposito, quo in sua prædestinatione Deus ea præscivit, quæ fuerat ipse facturus: quia etsi faciunt homines bona, quæ pertinent ad colendum Deum, tamen ipse facit ut illi faciant: & quòd ita Deus in cordibus hominum atque in ipso libero operetur arbitrio, ut omnis motus bonæ voluntatis sit à Deo. Etenim juxta hanc doctrinam, ad hoc ut Deus præsciat, quæ facturi sumus aut essemus bona, ad salutem nostram pertinentia; sicut agnoscimus, quòd ipse ea faciat seu faceret, nos faciendo facere, sic & agnoscere oportet, illum suo similiter decreto, id ipsum prædefinire. Atque adeò usus beneficiorum gratiæ sic est in Deum referendus, ut quòd homo iis benè utatur, aut uteretur, sit & esset ex efficaci operatione ipsius gratiæ, discernentis utentem à non utente, salvâ in utroque arbitrii sui libertate.

S. Prosp. Epist. ad S. August. S. Aug. lib. de Præd. SS. cap. 10. Cælest. I. in Ep. ad Episc. Gall.

CAPUT DECIMUM.

De perseverantia in Justitia usque ad finem vitæ.

Conc Trid. sess. 6. c. 6. S. Aug. de corrept & grat. cap. 6. & lib. de dono Perse. cap. 6. August. de corr. & grat. cap. 11. & 12.

EFfectus gratiæ Dei in hac vita perfectissimus, est magnum illud perseverantiæ donum, quo in accepta per gratiam Dei justitia perlistitur usque in finem vitæ. Ad quem quidem effectum auxilia quæ dantur nunc per Jesu Christi merita, sunt re ipsa multò potentiora, quàm quæ in statu Innocentiæ donata erant, aut parata primo homini. Quippe qui & ipse, licet à Deo, qui eum fecerat rectum, creatus esset in bona voluntate, nec in se haberet quidpiam, quod concupiscentialiter ei resisteret. Unde nec indigebat adjutorio gratiæ, quo fieret bonæ voluntatis, aut interiores illas superaret tentationes. Tamen quia non talis natura ejus facta erat, ut sine divino adjutorio posset permanere, etiamsi vellet, in integritate in qua Deus ipsum fecerat:

rat; accepit adjutorium quo datum ei fuit, ut posset perseverare si vellet; & quod quandiu vellet, non esset ei defuturum. Sed adjutorium gratiæ, quod nunc hominibus quantumvis justis opus est ad perseverandum, tam potens sit oportet, ut per illud iis donetur, & quod possint & quod velint perseverare: & cum possint atque velint, ut etiam perseverent: id quod Deus in suis electis, secundùm propositum voluntatis suæ, ipsos dirigendo & protegendo ita operatur, ut ex beneficiis quæ ad operandum iis præparat & donat, sit certum, infallibile & insuperabile, quòd non nisi perseverantes sint futuri, & simul ipsi in sua perseverantia liberè cooperentur tam potenter in se operanti Deo, qui ad obediendum sibi ipsum velle sic donat, ut etiam in perseveraturis illam mutabilitatem, qua possent nolle, non auferat.

S. Tho. 1. 2. qu. 109. art 10. S. Aug lib. de Correp. & gra. cap. 7. & lib. de dono Pers. cap. 14. S. Prosp lib. de voc. gent. cap. 28.

ERRONEÆ DE EADEM CONTROVERSIA OPINIONES.

Propositiones erroneæ ab Archiepiscopo Armachano, primùm delineatæ.

1. PEccatum primi hominis solùm in donis supernaturalibus nobis nocuit.

2. Vires naturales liberi arbitrii tales prorsùs secundùm se in nobis post peccatum manserunt, quales illas essemus habituri, si homo fuisset conditus in statu merè naturali.

3. Parvuli sine Baptismo decedentes meliorem post diem Judicii in naturalibus vitam, vitio omni mentis & corporis immunem in perpetuas æternitates ducent, quàm ullus unquam mortalium duxerit.

4. In statu naturæ lapsæ, potest homo, cum solo concursu generali Dei, efficere opus bonum morale, quod in ordine ad finem hominis naturalem, sit veræ virtutis opus, referendo illud in Deum, sicut referri posset ac deberet in statu naturali.

5. Ut sit in potestate hominis salutem recuperare, necessarium est fateri, quòd quandiu est in via, possit præveniendo Dei gratiam ex suis naturalibus facere, seu conari aliquid facere, ad Justificationem consequendam.

6. Actum unumquemque, qui si fieret peculiari

Propositiones erroneæ ab eodem Archiepiscopo Armachano secundis curis castigatæ.

1. POst prævaricationem Adæ, vires naturales liberi arbitrii tales prorsùs secundùm se in nobis manserunt, quales illas essemus habituri, si homo fuisset conditus in statu merè naturali.

2. In statu naturæ lapsæ, potest homo cum solo concursu generali Dei, efficere opus bonum morale, quod in ordine ad finem hominis naturalem, sit veræ virtutis opus, referendo illud in Deum, sicut referri posset ac deberet in statu naturali.

3. Ad hoc ut sit in potestate hominis salutem recuperare, necessarium est fateri, quòd quandiu est in via, possit præveniendo Dei gratiam, ex suis naturalibus facere seu conari facere aliquid eorum, quæ ad Justificationem consequendam spectant.

4. Quotiescunque homo conatur, præstòve est ad conandum totum id quod ex sese potest, circa ea quæ ad Justificationem spectant; Deus illi confert gratiam prævenientem, auxiliave quibus id faciat ut oportet ad salutem.

5. Christus Dominus

Propositiones erroneæ à PP. Secretariis digestæ & à reliquis Consultoribus ultimò recognitæ, atque à summo Pontifice probatæ.

1. IN statu naturæ lapsæ, potest homo, cum solo concursu generali Dei, efficere opus bonum morale, quod in ordine ad finem hominis naturalem, sit veræ virtutis opus, referendo illud in Deum, sicut referri potest ac deberet in statu naturali.

2. Si homo quandiu est in via, non posset ex suis naturalibus, cum solo concursu generali Dei aliquid facere seu conari ad Justificationem consequendam, in potestate illius non esset salutem recuperare.

3. Nullus est actus qui, si fieret ex peculiari impulsu Spiritus Sancti, esset supernaturalis, quem homo cum solo concursu Dei generali non possit ex viribus naturalibus liberi sui arbitrii elicere quoad substantiam, & omnes debitas circumstantias.

4. Postquam homo edoctus fuerit, auxilium gratiæ Dei sibi esse necessarium ad eliciendos actus supernaturales, posset ex suis solis viribus naturalibus illud desiderare, petere à Deo sibi donari, &

impulsu Spiritus Sancti esset supernaturalis, atque ita ad salutem accommodatus, potest homo faciendo quod in se est ex solis viribus naturalibus liberi sui arbitrii, sic operari, ut sit merè naturalis.

7. Postquam edoctus fuerit homo, auxilium supernaturale gratiæ Dei, esse necessarium ad eliciendos actus supernaturales, potest ex solis suis naturalibus illud desiderare, petere à Deo sibi donari, & satagere se disponere ad illud recipiendum.

8. Quotiescunque homo conatur præstóve est ad conandum totum id quod ex se solo potest, circa ea quæ ad Justificationem pertinent, Deus illi confert gratiam prævenientem, auxiliave quibus idem ipsum ut oportet ad salutem efficiat.

9. Christus Dominus cum Patre æterno legem hanc constituit, ut quoties homo ex sola facultate naturali conaretur facere quod in se est, præstò illi essent auxilia, quibus id ut oportet ad salutem efficeret.

10. Licet Deus sæpè liberum hominis arbitrium omninò præveniendo excitet sua gratiâ; tamen in aliquibus liberum arbitrium conatu suo prævenit gratiam, circa ea quæ ad Justificationem consequendam pertinent.

11. Interna Dei vocatio seu excitatio per gratiam prævenientem ad actus salutares, sic relinquit locum usui libero humanæ voluntatis, ut ab hominum arbitrio pendeat non solùm actus quilibet salutaris, ad quem operandum vocantur atque excitantur, sed etiam ipsa Dei vocatio & excitatio ad ejusmodi actum.

12. Cogitationes & actiones hominum, quæ solent antecedere internam Dei

cum Patre æterno legem hanc subveniendi hominibus constituit, ut quoties homo ex naturali facultate conatur facere quod in se est, præstò illi essent auxilia gratiæ, quibus id ut oportet ad salutem efficeret; tametsi sæpè Deus præter istam legem, liberum hominis arbitrium omninò præveniendo, quasi sopitum ac torpens excitet.

6. Interna Dei vocatio sive excitatio, per gratiam prævenientem ad actus salutares, sic relinquit locum usui libero humanæ voluntatis, ut ab hominum arbitrio pendeat, non solùm actus quilibet salutaris, ad quem operandum vocantur atque excitantur, sed etiam ipsa Dei vocatio & excitatio ad ejusmodi actum.

7. Cogitationes & actiones hominum, quæ solent antecedere internam Dei vocationem & excitationem ad salutem, quales sunt legere & audire verbum Dei, accedere & intendere ad conciones, etiam animo addiscendi, atque amplectendi quod verum bonumque esse judicatur, quòd ad ejusmodi vocationem seu excitationem ordinetur, solùm est ex ipsorum hominum libero arbitrio.

8. Potest homo ex facultate sui liberi arbitrii cum solo concursu generali Dei, mysteriis fidei sibi propositis & explicatis, & quidem omnibus atque firmiter assentiri, tanquam à Deo revelatis, & quia à Deo revelata sunt: ac præexistente ejusmodi assensu in intellectu sperare à Deo quæ à Deo revelata & promissa sunt nobis: & in statu naturæ lapsæ elicere actum absolutum dilectionis Dei su-

satagere se disponere ad illud recipiendum.

5. Quotiescunque homo conatur, præstóve est ad conandum totum id quod ex se solo potest, circa ea quæ ad Justificationem pertinent, Deus illi conferret gratiam prævenientem, auxiliave quibus id faciat ut oportet ad salutem.

6. Christus Dominus cum Patre æterno legem hanc constituit, ut quoties ex nostris viribus naturalibus conaremur facere quod in nobis est, præstò nobis essent auxilia gratiæ, quibus ea ut oportet ad salutem efficeremus.

7. Deus secundùm communem cursum, non omninò prævenit & excitat gratiâ suâ liberum hominis arbitrium; sed interdum tantùm illud sopitum ac torpens prævenit & omninò excitat.

8. Si interna Dei vocatio & excitatio per gratiam prævenientem non pendet à libero nostro arbitrio, nullus relinquitur locus usui libero humanæ voluntatis.

9. Potest homo ex facultate sui liberi arbitrii, cum solo concursu generali Dei, iis quæ credenda sunt sibi propositis & explicatis assentiri assensu merè naturali, tanquàm à Deo revelatis, seu quia à Deo revelata sunt.

10. Præexistente in intellectu assensu quo revelatis assentimur, in facultate liberi arbitrii, cum solo concursu generali Dei est, elicere actum naturalem sperandi à Deo quæ ab eo revelata & promissa sunt nobis.

11. Potest homo in statu naturæ lapsæ, solis viribus naturalibus arbitrii sui, & concursu generali Dei, elicere actum absolutum

vocationem & excitationem ad actus salutares; quòd ad eam ordinentur, solùm est ex ipsorum libero arbitrio, non autem ex proposito, quo statuit illos Deus vocare & excitare.

13. Potest homo ex facultate sua liberi arbitrii, cum solo concursu generali Dei, iis quæ credenda sunt sibi propositis & explicatis assentiri tanquam à Deo revelatis, & quia à Deo revelata sunt.

14. Præexistente in intellectu assensu, quo revelatis assentimur, in facultate liberi arbitrii, cum solo concursu generali Dei est, elicere actum sperandi à Deo, quæ à Deo revelata & promissa sunt nobis.

15. Potest homo in statu naturæ lapsæ solis viribus naturalibus arbitrii sui, & concursu generali Dei, elicere actum absolutum dilectionis Dei super omnia, placendi Deo in omnibus, & propositum absolutum servandi omnia mandata naturalia obligantia sub culpa lethali.

16. Liberum nostrum arbitrium cum solo concursu generali Dei, præexistente maximè lumine fidei, elicere potest ex timore actum attritionis, & ex Dei amore actum contritionis de peccatis commissis, cum proposito non peccandi amplius lethaliter.

17. Ad ejusmodi actus fidei, spei, dilectionis, attritionis & contritionis gratia non est necessaria, ut eliciantur; sed solùm ut qui eliciti ex solis viribus liberi arbitrii essent merè naturales, constituantur in ordine supernaturali; atque ita commensurentur supernaturali fini.

18. Homo in natura lapsa interim dum judicium rationis in eo non absorbetur, potest arbitrii sui viribus per omnia, placendi Deo in omnibus, & propositum absolutum servandi omnia mandata naturalia, obligantia sub culpa lethali, atque ex timore Dei atteri, & ex Dei amore conteri de peccatis commissis: utrumque cum proposito non peccandi amplius lethaliter; modò actus isti omnes & singuli sic eliciti, intelligantur esse merè naturales, non autem supernaturales.

9. Postquam edoctus fuerit homo, auxilium gratiæ Dei sibi esse necessarium ad eliciendos actus supernaturales, potest ex solis suis naturalibus illud desiderare, petere à Deo sibi donari, satagere se disponere ad illud recipiendum.

10. Homo in natura lapsa interim dum judicium rationis in eo non absorbetur, arbitrii sui viribus, cum solo concursu generali Dei, quamcunque gravem tentationem, quam pro servanda lege naturali necesse sit vincere, si non longo tempore duret, potest toto illo tempore superare; & quantumcunque duret, potest similiter eam superare, in quocunque temporis momento: ita ut quandocunque ei consentit, ideò peccet, quia secluso quocunque majori auxilio; in potestate ipsius positum est non transgredi tunc legem.

11. Homo etiam qui sordibus lethalium peccatorum est infectus, potest conari ex suis naturalibus, cum solo concursu generali, mortem pro Deo subire, efficereque pro oblata occasione; ut suorum peccatorum pœnitentiâ veniam consequatur; quod quicunque conaretur, reponeretur in gratia, essetque verè Martyr.

tum naturalem dilectionis Dei super omnia, placendi Deo in omnibus; & propositum absolutum servandi mandata omnia naturalia, obligantia sub culpa lethali.

12. Liberum nostrum arbitrium, cum solo concursu generali Dei, præexistente maximè lumine fidei, elicere potest ex Dei timore actum attritionis, & ex Dei amore actum contritionis de peccatis commissis, cum proposito non peccandi amplius lethaliter.

13. Auxilia divinæ gratiæ non sunt necessaria ad prædictos actus, credendi, sperandi & diligendi simpliciter eliciendos; sed solùm ut fini supernaturali accommodati & commensurati efficiantur.

14. Homo in naturâ lapsâ, interim dum judicium rationis in eo non absorbetur, potest arbitrii sui viribus, cum solo concursu generali Dei, superare in quocunque temporis momento, quamcunque tentationem, quam pro servanda tunc lege naturali necesse est vincere.

15. Qui cum solo concursu generali Dei non resistit cuicunque tentationi, ideò peccat consentiendo, quia secluso quocunque majori auxilio, in potestate ipsius positum est, tametsi non sine ingenti difficultate, præceptum non transgredi.

16. Ad tentationem quamcunque, quæ non longo tempore durat, toto illo tempore superandam, satis sunt vires naturales in libero arbitrio post lapsum remanentes.

17. In statu naturæ lapsæ, ad superandas tentationes, non est aliter gratia necessaria, quàm ut

 faci-

cum solo concursu generali Dei, superare, in quocunque temporis momento quamcunque tentationem, quam pro servanda tunc lege naturali necesse sit vincere.

19. Qui cum solo concursu generali non resistit cuicunque tentationi, ideò peccat consentiendo, quia secluso quocunque majori auxilio, in potestate ipsius positum est, tametsi non sine ingenti difficultate, præceptum tunc non transgredi.

20. Ad tentationem quamcunque, quæ non longo tempore durat, toto illo tempore superandam, satis sunt vires naturales in libero arbitrio post lapsum remanentes.

21. In statu naturæ lapsæ ad superandas tentationes, non est aliter gratia necessaria, quàm ut faciliùs superentur singulæ, aut ut omnes superentur; sic ut decursu temporis nulli succumbatur, aut ut victoria sit vitæ æternæ meritoria.

22. Homo qui sordibus etiam lethalium peccatorum est infectus, potest conari ex suis naturalibus, cum solo concursu generali mortem pro Deo subire, efficereque pro oblatâ occasione, ut suorum peccatorum pœnitentiâ veniam consequatur: quod quicunque conaretur, reponeretur in gratia, essetque verè Martyr.

23. Ut in actibus ad salutem pertinentibus libertas humanæ voluntatis conciliari possit cum efficacia auxiliorum prævenientis gratiæ Dei, agnoscere oportet auxilia hujusmodi non habere à Deo, quòd sint efficacia; sed id dependere à liberi arbitrii nostri consensu & cooperatione.

24. Auxilia gratiæ Dei sic subduntur humanæ voluntati, ut homo ipse sit,

12. Ut in actibus ad salutem pertinentibus libertas humanæ voluntatis conciliari possit cum efficaciâ auxiliorum prævenientis gratiæ Dei, agnoscere oportet auxilia ejusmodi non habere à Deo quòd sint efficacia; sed id pendere ab arbitrii nostri libero cum illis concursu & cooperatione; eademque sic esse subdita potestati humanæ voluntatis, ut homo ipse sit, qui pro innata sua libertate iis utendo efficacia reddit atque efficit: nec Deum per illa vocando hominem, donare seu efficere propriè, ut iis consentiat, sed ab ipso consensum exspectare: nec per eandem determinare voluntatem ad consentiendum, sed inclinare per modum proponentis objectum: nec proinde à virtute motionis Dei gratiam dici efficacem; sed ab effectu, quem per hoc sortitur, quòd illi voluntas hominis cooperatur.

13. Qui à Deo præventus virtutem accipit, per quam intellectus ejus sic illuminatur, & voluntas sic afficitur, ut possit consentire; si ei consentit, non accipit ad hoc virtutem aliquam prævenientis gratiæ re ipsa majorem, quàm si non consentiret, sed hac tantùm consideratione majus donum seu beneficium dicendus est accipere, quia gratia in talibus circumstantiis illi datur, in quibus futurum erat, ut pro innatâ sua libertate consentiret.

14. Auxilium gratiæ esse efficax, non aliud est, quàm vocationem Dei interiorem ita esse congruam seu contemperatam ingenio, complexioni, & conditioni naturali hominis secundùm circunstantias, in quibus adhibetur, ut is faciliùs superentur singulæ, aut ut omnes superentur. Sic ut decursu temporis nulli succumbatur, & ut victoria meritum vitæ æternæ contineat.

18. Homo etiam qui sordibus lethalium peccatorum est infectus, potest conari ex suis naturalibus, cum solo concursu generali Dei, mortem pro Deo subire, efficeréque pro oblata occasione, ut suorum peccatorum pœnitentiâ, veniam consequatur; quod quicunque conaretur, reponeretur in gratia, esset que verè Martyr.

19. Si auxilia prævenientis gratiæ Dei non ita subduntur humanæ voluntati, ut à libero consensu & cooperatione arbitrii nostri cum illis, habeant quòd efficacia sint, libertas humana conciliari non potest cum illorum efficacia in actibus ad salutem pertinentibus.

20. Si liberum nostrum arbitrium ab efficacia divini auxilii habeat quòd consentiat & cooperatur, perit libertas, qua potest homo inspirationem Spiritus Sancti cor. tangentis abjicere, & Deo excitanti atque vocanti dissentire si velit.

21. Ex sola arbitrii humani libertate provenit quòd ex duobus æquali auxilio interiùs à Dei vocatis, unus convertatur, altero in peccato permanente.

22. Nullum est auxilium prævenientis gratiæ, quod potentiùs adjuvet liberum arbitrium, ad producendos actus salutares, quàm quod interiùs illuminando intellectum & afficiendo voluntatem, illud excitat, allicit, & invitat ad operandum.

23. Qui præventus à Deo consentit, non accipit aliam

qui pro innatâ suâ libertate iis utendo, reddit efficacia.

25. Si liberum nostrum arbitrium ab efficacia divini auxilii habeat, quòd consentiat & cooperetur, periit libertas, quâ homo potest inspirationem Spiritus Sancti cor tangentis abjicere, & Dei excitanti atque vocanti dissentire si velit.

26. Auxilium quodcunque prævenientis gratiæ, qua præveniens est ex virtute quam habet à Deo, non potentiùs adjuvat liberum arbitrium ad producendos actus salutares, quàm quòd interiùs illuminando intellectum, & afficiendo voluntatem, illud excitat, allicit, invitat ad operandum.

27. Qui præventus à Deo consentit, non accipit ad hoc virtutem aliquam prævenientis gratiæ re ipsa majorem, quàm si non consentiret; sed hac tantùm consideratione majus donum seu beneficium accipit, quia gratia in talibus circumstantiis ipsi datur, in quibus futurum erat, ut pro innata suâ libertate consentiret.

28. Gratia quantumvis efficax, nihil aliud est nisi suasio, quæ non determinat voluntatem, sed inclinat per modum proponentis objectum quod delectet.

29. Auxilium gratiæ esse efficax idem est, quod esse ita congruum seu contemperatum ingenio, complexioni & conditioni naturali hominis, secundùm circumstantias in quibus datur, ut is pro innata sibi libertate eidem consentiat.

30. Efficacia auxiliorum divinæ gratiæ, in movendâ hominis voluntate ad consentiendum, est tantùm moralis seu metaphorica.

31. Deus præveniente suâ gratiâ quantumvis efficaci, non sic interiùs vocat, ut propriè efficiat homini pro innatâ sibi libertate consentiat.

15. Qui interiùs vocatur, seu excitatur à Deo, ideò ab eo adjuvatur, quia vult ipse operari; non autem ideò vult homo operari, quia à Deo adjuvatur.

16. Deus efficaci suâ gratiâ voluntatem hominis præveniendo, movet eam ad actus liberos bonos, solùm interiùs suadendo, invitando, excitando, aut alio (quomodocunque nominetur) moralis seu metaphoricæ motionis modo, ipsam attrahendo; non etiam verè & activè propriè efficiendo velle & operari.

17. Auxilium quo Deus efficienter influendo ad actus salutares producendos, liberum hominis arbitrium adjuvat, non est influxus in ipsum arbitrium, ut in causam, sed simul cum arbitrio in ipsos actus.

18. Auxilium gratiæ Dei & liberum hominis arbitrium sunt causæ partiales, à se mutuò pendentes, actuum salutarium ab utroque procedentium.

19. Auxilium Dei efficax, quod præter vocationem atque excitationem est homini necessarium ad conversionem & salutem, consistit in infusione habituum gratiæ & virtutum.

20. Homo comparato habitu fidei, spei, & caritatis supernaturalis, potest cum generali Dei concursu, elicere unum vel alterum actum fidei, spei, aut caritatis supernaturalis eliceréque unum aut alterum opus meritorium.

21. Constitutus in gratia potest per suum liberum arbitrium, absque alio speciali auxilio, secum statuere, vel in observa- aliam potentiorem gratiam prævenientem, quàm si non consentiret; sed hac tantùm consideratione majus donum seu beneficium recipit, quia gratia illi datur in talibus circumstantiis, in quibus Deus prævidit futurum, ut pro sua innata libertate consentiret.

24. Auxilium gratiæ esse efficax, idem est quod esse ita congruum seu contemperatum ingenio, complexioni, & conditioni naturali hominis, aliisque exterioribus circumstantiis, ut is pro innatâ sibi libertate eidem consentiat.

25. Deus sua efficaci gratiâ movet hominis voluntatem ad actus liberos bonos, solùm interiùs suadendo, invitando & excitando, aut aliter moraliter seu metaphoricè attrahendo.

26. Si Deus per gratiam suam efficacem verè & activè propriè, hoc est, verâ & reali actione ita præmoveret voluntatem humanam, ut eam inclinaret & applicaret ad actus pietatis liberos, tolleret ejus libertatem.

27. Deus suâ gratiâ præveniente quantumvis efficaci, non sic interiùs vocat, ut propriè efficiat hominem consentire, sed ab ipso exspectat consensum.

28. Auxilium quo Deus efficienter influendo, ad actus salutares producendos, liberum hominis arbitrium adjuvat, non est influxus in ipsum arbitrium, ut in causam, sed simul cum arbitrio in ipsos actus.

29. Qui interiùs vocatur seu excitatur, id eò adjuvatur, quia vult ipse operari; non autem ideò vult homo operari, quia à Deo adjuvatur.

30.

nem consentire; sed ab ipso exspectat consensum.

32. Auxilium quo efficienter influendo ad actus salutares producendos, liberum hominis arbitrium adjuvat, non est influxus in ipsum arbitrium, ut in causam, sed simul cum arbitrio in ipsos actus.

33. Qui interiùs vocatur sive excitatur, ideò adjuvatur, quia vult ipse operari; non autem ideò vult homo operari, quia à Deo adjuvatur.

34. Auxilium gratiæ Dei & liberum hominis arbitrium, sunt causæ partiales à se mutuò pendentes actuum salutarium, ab utroque procedentium.

35. Auxilium Dei efficax quod, præter vocationem atque excitationem, est homini necessarium ad conversionem & salutem, consistit in infusione habituum gratiæ & virtutum.

36. Homo comparato habitu fidei, spei aut caritatis supernaturalis, potest cum communi auxilio Dei, elicere unum aut alterum actum fidei, spei aut caritatis supernaturalis; eliciereque unum aut alterum opus meritorium.

37. Constitutus in gratia potest per suum liberum arbitrium absque alio speciali auxilio secum statuere, vel in observatione præceptorum divinorum perpetuò manere, Deumque nunquam lethaliter offendere, vel castitatem servare, aliquidve aliud difficile per longum tempus efficere.

38. Voluntas hominis non est sic subjecta potestati & dominio Dei, ut possit Deus verè & propriè efficere, hominem actum aliquem elicere; ita ut eumdem actum etiam ipse homo pro voluntatis suæ arbitrio liberè exerceat.

39. Si voluntas hominis tione præceptorum divinorum perpetuò manere, Deumque nunquam lethaliter offendere, vel castitatem servare, aliquidve aliud difficile, per longum tempus efficere.

22. Voluntas humana non est sic subjecta potestati & dominio Dei, ut possit Deus verè & propriè efficere, hominem actum aliquem exercere, quem & ipse homo salvâ suâ libertate exerceat.

23. Si voluntas aliqua tam prava esset, ut omnibus temporibus & momentis resisteret cuicunque vocationi, moraliter tantùm eam moventi ad consentiendum; non posset Deus ipsam convertere efficaciter, sic ut liberè converteretur.

24. Ad conciliandam libertatem humanæ voluntatis, in actibus ad salutem pertinentibus, cum certitudine divinæ præscientiæ, providentiæ & prædestinationis in Deo, ante omnem liberum actum suæ voluntatis, quo decernat quidpiam pertinens ad salutem hominis, ponenda est hujusmodi scientia, qua præcognoscat ejusdem consensum futurum sub conditione, si in certo quodam ordine rerum, auxiliorum, & circumstantiarum constituantur, in quo alioquin ex auxiliorum efficaciâ non sit infallibile quod consentiet.

25. Certitudo qua Deus infallibiliter præscit hominem prævenienti suæ gratiæ consensurum & cooperaturum, non innititur decreto absoluto, quo ipse prædefinivit, quòd consentiat aut cooperatur, sed in usu auxiliorum gratiæ pro innatâ hominis libertate futura.

26. Quòd Providentia Dei in distribuendis auxi-

30. Auxilium gratiæ Dei & liberum hominis arbitrium, sunt duæ causæ partiales, à se mutuo pendentes, actuum salutarium ab utroque procedentium.

31. Ad conciliandam libertatem humanæ voluntatis, in actibus ad salutem pertinentibus, cum certitudine divinæ præscientiæ, providentiæ & prædestinationis in Deo, ante omnem liberum actum suæ divinæ voluntatis ponenda est scientia, ab aliquibus media appellata, qua certò & infallibiliter cognoverit, in quam partem cujusque hominis arbitrium pro sua libertate se esset flexurum, ex hypothesi quòd illud in hoc vel illo ordine rerum, circumstantiarum & auxiliorum collocare vellet.

32. Cum libertate humani arbitrii non potest consistere, quòd Deus antecedenter ad scientiam de consensu hominis futuro, prædefiniat absolutè, ut is divinæ vocationi seu excitationi consentiat.

33. Certitudo qua Deus infallibiliter præscit, hominem prævenienti suæ gratiæ consensurum & cooperaturum, non innititur decreto absoluto, quo ipse prædefiniat, quòd consentiat & cooperatur, sed in usu auxiliorum gratiæ pro innata libertate hominis futuro.

34. Quòd Providentia Dei in distribuendis auxiliis suæ gratiæ, rationem sortiatur prædestinationis, non est ex proposito voluntatis Dei. Sed pendet à præviso usu humanæ voluntatis.

35. Prædestinationis divinæ certitudo, non est ex virtute beneficiorum, quibus prout veniunt à Deo certissimè liberantur quicunque liberantur, sed ex præ-

aliqua tam prava esset, ut omnibus temporibus & momentis resisteret cuicunque vocationi moraliter tantùm eam moventi ad consentiendum, non posset Deus ipsam convertere efficaciter sic ut liberè converteretur.

40. Quamvis voluntas humana absque præjudicio suæ libertatis se ipsam determinet, tamen non posset Deus eam determinare ad volendum aut agendum, nisi auferendo aut impediendo ejusdem libertatem.

41. Ad conciliandam libertatem humanæ voluntatis, in actibus ad salutem pertinentibus, cum certitudine divinæ præscientiæ, providentiæ & prædestinationis in Deo, ante omnem liberum actum suæ voluntatis, quo decernat quidpiam ad salutem hominis pertinens, ponenda est hujusmodi scientia, quâ præcognoscat ejusdem consensum futurum sub conditione, si in certo quodam ordine rerum, auxiliorum, circumstantiarum constituatur, in quo alioqui ex auxiliorum efficaciâ non sit infallibile quòd consentiat.

42. Cum libertate humani arbitrii non potest consistere, quòd Deus antecedenter ad scientiam de consensu hominis futuro, prædefiniat absolutè, ut is divinæ vocationi seu excitationi consentiat.

43. Certitudo qua Deus infallibiliter præscit, hominem prævenienti suæ gratiæ consensurum & cooperaturum, non innititur decreto absoluto, quo ipse prædefinivit, quòd consentiat aut cooperetur; sed in usu auxiliorum gratiæ, pro innatæ libertatis hominis arbitrio.

44. Quod providentia Dei in distribuendis auxiliis suæ gratiæ rationem

App. Hist. Cong.

liis suæ gratiæ sortiatur rationem prædestinationis pendet ex præscientiâ usus, atque adeò ex usu eorumdem futuro; & quòd usus iste non ita sit in Deum referendus, ut quòd homo bene utatur auxiliis Dei, sit ex efficacia gratiæ aut prædefinitionis divinæ.

27. Certitudo salutis prædestinatorum non est ex virtute beneficiorum; quæ Deus sic præparaverit atque donat, ut iis prout ab ipso veniunt certissimè liberentur quicunque liberantur sed ex præscientiâ Dei conditionata de usu eorumdem beneficiorum futuro, pro innatâ utentium libertate.

28. Accidere potest ut ex duobus æqualiter per omnia affectis, & æquali omninò auxilio gratiæ Dei præventis, unus convertatur, alter verò non; & quomodocunque is qui vel æque æquali, vel etiam minori auxilii divini motione interius invitatus seu suasus est, convertitur; id quod discernit ipsum ab illo qui non vult converti, est quia pro innatâ libertate sic auxilio isto utitur, ut consentiendo faciat prævenientem gratiam transire in cooperantem.

29. Ad perseverandum in justitia usque ad finem vitæ, non potentiora per Christi merita donat Deus adultis auxilia, quàm quibus unà cum habituali gratia perseverare possunt, si & ipsi velint: neque cum arbitrii ipsorum libertate consistere potest, quòd per efficaciam auxiliorum Dei fiat, ut velint perseverare, atque infallibiliter & insuperabiliter perseverent.

30. Perseverantia adultorum non est aliter donum Dei, quàm quòd ipsis auxilia ejusmodi de-

præscientiâ Dei conditionata de usu eorundem beneficiorum futuro, pro innata utentium libertate.

36. Usus divinorum auxiliorum & beneficiorum non est sic in Deum referendus, ut quòd homo bene iis utatur, sit ab efficacia gratiæ aut prædefinitionis Dei.

37. Deus voluntate absoluta nulli adultorum voluit beatitudinem, & merita ad illam assequendam necessaria.

38. Perseverantia in bono usque in finem vitæ, non est ex singulari aliquo dono, quod Deus electis suis misericorditer pro suo beneplacito concedat; sed potiùs omnibus adultis indifferenter dat adjutorium quod ad se ipsa perseverandum satis sit.

39. Si donum perseverantiæ ex divina virtute, & prout venit à Deo, efficaciter facit, ut homines velint perseverare, & re ipsâ in bono per omnia perseverantes sint usque in finem vitæ, ita ut illud contumaciter non amittant, tollitur ab iis, quibus concessum fuerit, libertas arbitrii.

40. Ad perseverandum in justitia usque in finem vitæ, Deus præter habitualem gratiam adultis ea tantùm dat auxilia, ex quibus possunt perseverare si velint; non quæ faciant ut velint & perseverent.

41. Quòd certò perseveraturi sint quicunque perseverant, non est ex virtute decreti divini, seu ex efficaciâ auxiliorum: sed ex prævisione usus auxiliorum, pro innata libertate futuri.

42. Quod voluntas Dei, conferendi adultis auxilia quæ solùm dant posse perseverare, in perseveraturis habeat rationem voluntatis

sortiatur prædestinationis, non est ex proposito voluntatis Dei: sed pendet à prævisio usu humanæ voluntatis.

45. Prædestinationis divinæ certitudo non est ex virtute quam à Deo habent beneficia, quæ ipse sic præ-

creverit dare, quibuscum possint perseverare. Etiam prævidit si darentur, illos sic usuros, non quidem ex efficaciâ auxiliorum, sed pro innatâ sibi libertate, & usque in finem vitæ in justitia perseverent.

tis conferendi donum perseverantiæ, ex eo est quòd Deus antequam quidquam prædefinierit de eorum perseverantia, prævidit est pro sua innatâ libertate ita cum illis cooperaturos, ut perseverent.

paravit & donat, ut iis certissimè liberentur quicunque liberentur; sed ex præscientia Dei conditionata, de usu eorundem beneficiorum futuro, pro innatâ utentium libertate.

46. Usus divinorum auxiliorum & beneficiorum non est in Deum referendus, ut quòd homo benè iis liberè utatur, sit ab efficaciâ gratiæ, aut prædefinitionis Dei.

47. Ad perseverandum in justitia usque in finem vitæ, præter gratiam habitualem, non potentiora per Christi merita dantur adultis auxilia, quàm quibus possunt usque in finem perseverare, & ipsi pro innatâ sibi libertate velint.

48. Si ab efficacia auxiliorum divinæ gratiæ haberent homines quòd velint perseverare, atque perseverent, tolleretur ab ipsis arbitrii sui in perseverando libertas.

49. Differentia inter auxilia ad perseverandum data primo homini in statu innocentiæ, & quæ in statu naturæ reparatæ dantur Christianis, non tam est ex differenti auxiliorum virtute, quàm ex diversitate effectuum in utrisque, pro innata sibi libertate subsequentium.

50. Perseverantia adultorum non est aliter donum Dei, quàm quòd ipsis auxilia hujusmodi decrevit dare, quibuscum possint perseverare: prævidit etiam illos non ex auxiliorum efficacia, sed pro innata sibi libertate ita cooperaturos ut perseverent.

X V.

RESPONSIO

Eximii D. N. Guilielmi Estii *Regii ac Ordinarii S. Th. olim Professoris in Alma Universitate Duacena,*

Ad objecta sibi à quodam Societatis Jesu Professore.

Ad Cap. 219. Lib. 4. Hist. de Aux.

SUperioribus diebus allatum est ad me Scriptum quoddam publicè dictatum à P. Lectore Theologiæ in Aquicinctensi Collegio, in quo ille, dum ostendere vult doctrinam suam, quam prolixè tradidit de Gratia & Prædestinatione, non esse novam in Lovaniensi Schola Theologica, neque in Duacensi; id inter alia probare nititur ex quibusdam meis verbis, quæ à me in hac Duacensi Schola dicta & dictata fuerunt, cùm docerem 1. & 2. sentent. videlicet ante annos 5. aut 6. Cui ut, salvâ caritate Christianâ, quam invicem debemus, respondeam, Primùm omnium, ne quis ex hujusmodi scripti lectione suspicetur, me vel affici quodam sinistro affectu, vel aliquâ quàvis occasione, sententiam de Prædestinatione & Gratia Christi, quam aliquando tenuerim, aliquando mutasse in contrariam, planè declaro me, ex quo tempore in dogmatibus Theologicis aliquid intelligere cœpi, semper ab istis opinionibus, quas Lector se tradidisse fatetur, fuisse alienum, semperve existimasse eas & Scripturæ Sacræ, & doctrinæ SS. Patrum, maximè eorum qui de Gratia Christi contra Pelagianos accuratiùs scripserunt, ut Augustini, Prosperi, Fulgentii, neutiquam esse consentaneas: ideóque meæ intentionis nunquam fuisse, ut in Prælectionibus meis aut Disputationibus aliquid dicerem aut dictarem, ex quo illæ opiniones probari possent: ac multò minùs me eas, vel earum aliquam ex professo de Cathedra docuisse.

Quare si quid fortè esset alicubi in scriptis aut dictatis meis, ex quo per apparentem ratiocinationem deduci posset aliquid talium opinionum, nullo modo existimare debent studiosi, me propterea tale quid aut sensisse aut docuisse, nisi putare velimus omnes Patres & Doctores Scholasticos, adeóque & in Scripturis Spiritum Sanctum sensisse & docuisse ea omnia, quæ homines diversissima opinantes, pro suis opinionibus ex illis se credunt rectè deducere. Quod

quam

quàm sit absurdum existimare, nemo est qui non videat. Si quis autem meam de absoluta Dei Prædestinatione deque efficaci Gratia Christi sententiam agnoscere cupit, eum remitto ad ea quæ de utroque argumento ex professo docui & dictavi super 1. & 2. Sentent. Nam iis locis tam apertè sententiam meam exposui, & quidem cum expressa refutatione dogmatum contrariorum, ut, si quis ea perquirere dignatus fuerit, facilè sit intellecturus, quam ego doctrinam illo tempore tenuerim, ac publicè de Cathedra tradiderim: nimirum planè consentientem cum ea, quam & ipse hodie teneo, & Facultas hæc Theologica ab initio semper tenuit; longissimè verò discrepantem ab ea quam Lector se tradere profitetur. Et idcirco frustrà ab eo in meis Scriptis quærit, unde sua confirmet, & Scholam Duacensem in suas partes vel invitam pertrahat.

Sed ad Scriptum ejus venio, qua parte vel Scholam Lovaniensem, suam conatur facere, vel idem de Duacensi tentat, ex iis quæ ego docui.

Nam de Schola Lovaniensi aliquid respondere, puto equidem esse mearum partium, qui in ea multis annis inter præcipuos illius Scholæ Magistros fui versatus, ita ut etiam antiquiorem ejus statum potuerim utcunque exploratum habere.

Occurrens igitur objectioni quam sibi facit de novitate suorum dogmatum, dicit primò: Non posse vocari nova & peregrina dogmata, quæ & Augustinus ipse &c. Sed hoc ab eo assertum totidem verbis negamus. Legantur quæ scripsit Augustinus contra Pelagianos, legantur opuscula Prosperi & Fulgentii, legantur Epistola Cœlestini Papæ ad Episcopos Galliæ, & Canones Arausicani Concilii Autore Leone, facilè ex iis perspiciet studiosus quisque, quàm nulla sit horum dogmatum cum illorum Patrum & Pontificum doctrina consensio.

Secundò dicit sua dogmata in antiqua Schola Lovaniensi non ita pridem fuisse vulgatissima, atque, inquit, ab Adriano Pontifice, Driedone, Ruardo, Cunero, aliisque multis ad nos usque transmissa.

Quæro quo tempore fuerint vulgatissima: Ruardi; an Cuneri?

Ubi obiter moneo, ne quis audiens Adrianum Pontificem, existimet eum, quando Pontifex fuit, tale aliquid scripsisse. Nam scripsit multò ante Pontificatum. Certè si aliquis diceret Adrianum Pontificem scripsisse, quòd certum sit Romanum Pontificem posse errare etiam in iis quæ tangunt hæresim, per suam determinationem seu Decretalem, asserendo plures fuisse Romanos Pontifices hæreticos; rectè ei ostenderetur, Adrianum quidem id scripsisse, sed multò ante Pontificatum, nec verisimile esse quòd Cathedram Apostolicam tenens, tale quid scribere aut dicere in animum induxisset.

Ad eundem igitur modum de Pontifice Romano, ne quis ex eo nomine ita studiosè apposito fallatur. Quid autem scripsit Adrianus? Tantùm de sufficienti auxilio; quam tamen doctrinam, neque ut Scholæ doctrinam, neque ut communem proposuit, sed ut suam & peculiarem. Proponens enim eam dicit, *ut probabiliter teneo*; tametsi nec illa ipsius sententia multùm faveat dogmati istorum: quia quamvis ponat Adrianus omnibus offerri sufficientem gratiam, docet tamen apertè nullum peccatorem per solam illam sufficientem gratiam converti; sed ad actualem peccatoris conversionem requiri auxilium gratiæ abundantioris. De cæteris dogmatibus nihil ad Adrianum. Quomodo ergo ejus tempore dicuntur hæc dogmata in Schola Lovaniensi fuisse vulgatissima?

At nec Driedonis, nec Ruardi temporibus etiam fuisse ibi vulgatissima probatur, quandoquidem illi singuli suis temporibus nonnulla quæ cum his dogmatibus consentire putantur, non tam tradiderunt, quàm disputando & opinando, cum modesta protestatione proposuerunt, ut ex eorum Scriptis patet. Unde rursum intelligitur, non fuisse ea Lovaniensis Scholæ vulgatissima dogmata.

Quòd autem viri illi docti in ejusmodi opiniones nonnihil deflexerint, non adeò mirum, cum illo tempore, & ab illis legeretur liber de Ecclesiasticis dogmatibus, tanquam Augustini, qui est Presbyteri Massiliensis, & liber Fausti de libero arbitrio, tanquam Catholici ac Venerabilis Patris, quem tamen satis constat fuisse hæreticum; cumque brevis ille in Epistolas Pauli commentarius, qui inter opera Hieronymi exstat, tanquam Hieronymi legeretur, cum sit ipsius Pelagii. Quàm tamen Driedo, non prorsùs cum illis sentiat, vel ex eo monstratur, quòd Driedo non uno loco fatetur & docet, Deum suâ prædestinatione voluntates humanas determinare ad opera prædestinata, & facere ut homines determinent seipsos. Quæ doctrina verissima ab his tantopere oppugnatur.

At nec illud de Ruardo prætermittendum est: eum aliquando à magnis viris, & nominatim à Petro Soto doctissimo ac sanctissimo

ctissimo Theologo admonitum & reprehensum fuisse & coram, & per litteras, quòd in illis suis de gratia & prædestinatione opinionibus non rectè ambularet secundùm veritatem Ecclesiasticæ & Apostolicæ doctrinæ. Qui etiam aliquando à quodam Collega * Scholæ admonitus de Fausto, quòd non *Venerabilis*, ut ille eum vocabat, sed damnabilis Autor esset, eâ re sibi indicatâ vehementer obstupuit; ut ego ex illo ipso Collegâ accepi. Nam ab eo Collegæ sui, iique præcipui, dissentiebant: ut intelligas quàm nec ejus tempore fuerint vulgatissima, quæ ille opinando dicebat. Videatur autem de Ruardo Justificatio Censuræ Facultatis Theologicæ Lovaniensis.

* *Ajunt fuisse Jodocum Tiletanum.*

Ad Cunerum venio, inter quem & Ruardum anni aliquot intercesserunt.

Quod igitur Cuneri tempore non fuerint hæc dogmata in Schola Lovaniensi vulgatissima, ac ne vulgata quidem, mihi certissimè constat, qui ab anno 1561. quo Cunerus nondum erat Professor, usque ad annum 1582. eas Scholas trivi, partim ut discipulus, partim ut Licentiatus, aut Magister; quique sententias & doctrinam Professorum illius temporis probè cognitam habui. Eo enim loco tunc habebant hæc dogmata, ut si quis ea publicè vel docendo proponeret, vel disputando defenderet, non parùm offenderet. Quamvis præter Cunerum, vix aliquem novi qui id tentârit; etsi per id tempus, quod nominavi, habuerit ea Schola multos doctissimos Professores. Unde valdè miror, qui sint illi alii Scholæ Lovaniensis Professores, à quibus sua dogmata fuisse tradita Lector affirmat; cum nec ipse Cunerus, quem solum illius temporis nominat, aut quotidianus Professor fuerit, aut omninò constanter ejusmodi doctrinam tradiderit. Nam & in libro, quem post mortem ejus, doctis ac prudentibus quibusdam viris frustra dissuadentibus, Sacellanus ejus Coloniæ excudi curavit, ingenuè fatetur, eam sententiam esse Scripturis & rationibus conformiorem, quàm tradunt D. Thomas, Bonaventura, & reliqui alii Scholastici Doctores, dum præter virtutum naturalium conservationem, volunt ipsas vires & potentias divinitùs ad opera & actus applicari, & ab ipso tanquam à primo immobili motore motus omnes & actiones procedere. Ubi & generaliter affirmat, quòd non solùm in naturalibus, sed in aliis etiam quæ mala non sunt, Deus causas secundas ad actus & motus suos determinet. Et alio loco, omnia ab æterno esse divinitùs determinata, Deumque suâ providentiâ bonum opus ab homine faciendum determinare.

Hæc docet ab ipsa veritate compulsus, sciens ea sine absurditate negari non posse: quæ tamen nunc ab iis, qui dogmata ista profitentur, ut sibi constent, negari videmus. Idem Cunerus alibi dicit, hoc ad magnam Dei potentiam spectare, quòd alterius libero arbitrio utatur pro suo arbitrio. Et alia quædam quæ parum his dogmatibus favent. Quare nec Cunerus quidem, quem solum ab annis ampliùs 30. inter Lovaniensis Scholæ Professores suæ doctrinæ patronum adducunt, illis per omnia consentit. Patet insuper quàm sit à veritate alienum, quod tam fortiter asseritur, fuisse non ita pridem hæc dogmata in Schola illa vulgatissima.

Sed nunc ea quæ sequuntur videamus. Probaturus ista dogmata, ne ab hac quidem Duacensi Academia debere peregrina censeri, primùm monet, ut affectum nonnihil seponamus; idemque postea repetit. Ipse viderit quàm modestè, quàm Christianè id faciat. Neque enim leve crimen est, ubi de dogmatibus religionis agitur, in judicando affectum adhibere. Quod si à nobis in eum diceretur, fortè nec immeritò incurrisse videremur in illud: *Nolite judicare* &c. Quod autem addit: *Ut pauca è multis interseram*, rhetoricè magis, quam verè dictum: ut illud pauld antè: *Aliisque multis.* Facilè est enim ad hunc modum loqui, etsi difficilè probare. Quomodo enim *multa*, cum nec ista pauca è multis illis excerpta tanquam præcipua, rem institutam probent?

Omitto D. Scapletonum, quem audio dum hìc Professorem ageret, nihil tale unquam ex professo docuisse, sed quædam diversa, quæ etiam editis libris evulgavit. Omitto etiam D. Alanum, de quo ex fide dignis testibus accepi, hæc dogmata ei toto genere fuisse improbata: quod & liquidò monstrant ea quæ hìc publicè docuit, & in manibus aliquorum adhuc versantur.

Ad ea venio, quæ ex meis Scriptis contra me & Scholam hanc nostram objiciuntur: haud multò secùs, atque olim a Pelagianis, & postea à Massiliensibus quædam S. Augustino ex anterioribus ejus scriptis, tanquam posteriori suæ doctrinæ contraria, objiciebantur.

Primùm dicit sententiam illam, quam de prædestinatione tradidit, eam ipsam esse quam ego ante annos sex scriptus consignaverim.

Ad hæc valere putat sententiam, quam sequor super Distinct. 40. libri 1. sentent. de Angelorum prædestinatione: de qua quid senserim tum eodem loco, tum iterùm super Distinct. proximè sequentem, apertissimè exposui. Cum

Cum igitur inter prædestinationem Angelorum, & hominis lapsi, cum Augustino latè distinxerim, non potest ex illa sententia, quam ibi sequor de Prædestinatione Angelorum sumi argumentum, me similiter docuisse de prædestinatione hominis lapsi; cum potiùs contrarium inde sequatur. Si enim distinxi, non ergo volui esse utriusque eandem rationem. Utrum reverà quicquam faciat illa de prædestinatione Angelorum sententia pro istis dogmatibus, nunc non excutio, sed postquam, vitâ comite, rursum ad eum locum venerimus, de ea re dicemus quod Dominus dederit.

Porrò in verbis, quæ deinde ex meis dictatis super Distinct. 41. commemorat, non video quid secundùm ejus doctrinam dictum magnopere videri possit, nisi illud quod & Pater Leonardus in Apologia pro se adduxerat. Dum enim laboro in solvendis argumentis, quæ contra absolutam prædestinationem adferri solent ex quibusdam Patribus qui ante Pelagium vixerant, apud quos aliquando legitur, idcirco Deum aliquos vel prædestinasse vel elegisse, quia bonos futuros prævidit, dixi ejusmodi sententias sic rectè intelligi: Deum quibusdam æternam gloriam præparasse, quia perseveranter benè victuros prævidit. At iis verbis non volui prævisionem bonorum operum esse priorem electione ad gloriam, ac multò minùs bona opera sic esse prævisa, ut non sint hominibus à Deo præparata. Nam hunc errorem disertè exclusi verbis sequentibus, & à Lectore positis,
„ cum dixi: " Neque enim ejusmodi sermo-
„ ne negatum est & ipsa bona opera electis
„ præparata esse, ut in iis ambularent, ut
„ testatur Apostolus ad Ephes. 2. Sed hoc
„ tantùm volui, quod Patres illi voluerunt,
„ Deum quibusdam æternam gloriam præpa-
„ rasse dandam pro bonis operibus, quæ præ-
„ vidit eos perseveranter operaturos: prævi-
„ dit autem, quia & præparavit. Considera-
„ runt autem illi Patres in ejusmodi senten-
„ tiis gloriam, seu vitam æternam, tanquam
„ mercedem & præmium; quod ut tale præ-
„ paratur homini propter meritum præceden-
„ tis operis. In quo sensu nihil est quod his-
„ ce dogmatibus faveat; uti nec in verbis
„ D. Alani à Lectore allatis. Exponens enim
„ D. Alanus eorundem Patrum dicta de ul-
„ timo effectu prædestinationis, qui est vita
„ æterna, subjungit: Illam enim prædesti-
„ navit Deus dare propter prævisa merita,
„ utique tanquam mercedem.

Recitat deinde Lector quædam mea verba ex dictatis super Distinct. 43. lib. 2. Sentent. quibus ostendo nullius quantumcunque maximi peccatoris in hoc seculo desperandam esse salutem. Ea omnia hic repetere non est opus; sed hoc affirmo: nihil in iis esse quo vel leviter suspicari potuissem, ea sic à quopiam accipi posse, quasi faveam aliquo modo iis dogmatibus quæ ab istis asseruntur.

Colligit ex iis verbis primò, Deum omnes omninò peccatores citra exceptionem, ad pœnitentiam invitare, & omnibus spem veniæ facere, & hoc non frustrà neque irrisoriè, sed sincerè & ex animo. Respondeo Deum per ministrum Evangelicum omnes omninò peccatores, quatenus ad eos ejusmodi ministerium pervenit, invitare ad pœnitentiam, omnibusque spem veniæ facere; idque non frustrà, quia divina sapientia in suis operibus nunquam frustratur fine proposito, quamvis ille sæpè longè sit diversus ab eo quod nos cogitamus. At neque irrisoriè, quia reverà possunt omnes converti: non quòd semper & ubique iis præstò sit sufficiens auxilium ex parte Dei, præter quod ad eorum conversionem nihil ampliùs ex parte Dei sit necessarium; sed quia dum sunt in hoc seculo flexibilem habent ad bonum voluntatem, ita ut per hoc hominum ministerium & maximè per orationes piorum, possit iis efficax illa Dei gratiâ, quâ convertantur, impetrari. Quocirca non est consequens, Deum ex parte sua, & quantum in se est, cupere omnes omninò peccatores, & cætera quæ Lector benè colligit.

Vidit hoc & ipse Driedo non esse consequens; fatetur enim non sequi: Non est desperandum de salute cujusquam quandiu hic vivit, ergo quandiu hic vivit sufficiens habet auxilium quo valeat resurgere. Ratio ejus est, quia quamvis non habeat auxilium, potest tamen ei à Deo orationibus & supplicationibus impetrari, ut ad pœnitentiam revocetur. Nec enim scimus, inquit, si Deus orationibus etiam proposuerit illius misereri.

Colligit secundò, non esse aliquos tam graves peccatores, ut eos Deus absoluto decreto &c. At hoc ex meis verbis non sequitur. Dixi enim non esse aliquam peccatorum, vel gravitatem, vel multitudinem, quæ certo aliquo Dei decreto à venia excludatur. Hoc de peccatis ipsis eorumque gravitate vel numero. Cum quo tamen optimè consistit, Deum absolutè nolle hujus vel illius peccatoris misereri, etiamsi fortè non tam multa, neque tam magna peccata commiserit, atque alius peccator, cujus misereri constituit. Scimus enim ad inscru-

tabilia Dei judicia pertinere, quare hunc trahat, illum non trahat; quamvis ille qui trahitur interdum multò deterior sit eo qui non trahitur.

Colligit tertiò, non omnia in particulari esse absoluto & efficaci decreto prædefinita à Deo ab æterno, ante prævisam malitiam vel determinationem causæ secundæ.

Hanc sequelam perinde nego ac superiores. Et ratio satis patet ex dictis. Quod autem attinet ad tria subjuncta, ex quibus putat confici idem corollarium:

Respondeo, ea quæ in doctrina Theologica, vel obscura sunt, vel minùs certa, nullo modo præjudicare iis, quæ nobis ut clara & certiora, in eadem scientia traduntur, neque ex illis ista debere infirmari, sed ex his potiùs illa debere dijudicari.

Subjungit deinde, se semper Auditoribus persuadere conatum, non requiri ad conversionem, vel opus bonum, aliquam gratiam prævenientem, quæ naturâ suâ, & independenter à voluntatis nostræ cooperatione, ita sit efficax, ut voluntatem efficaciter ad opus determinet, vel etiam prædeterminet. Quam autem rectè ex Concilio Tridentino aliisque Patribus, ac maximè Augustino, nec non ex evidenti ratione putat suam doctrinam illam se probasse, nunc non examino; sed studiosos remitto ad ea quæ indicavi, & ad alia doctissimorum Virorum scripta. Ponitur, inquit, ab illis contra quos disputabam, gratia ista efficax priùs naturâ efficaciter movere ac determinare voluntatem ad opus. At illa verissima est doctrina, tradita in Scripturis Sacris, maximè à Christo Domino, & Apostolo ejus Paulo, tradita à Summis Ecclesiæ Doctoribus Augustino, Thoma, & aliis, & in nullo contraria iis quæ in Concilio Tridentino decreta sunt.

Ponitur, inquit, talis, ut dicant, non esse in potestate hominis eam habere, immò nec Deum paratum &c.

Respondeo nobis meritò displicere eorum doctrinam, qui docent gratiæ cooperationem esse in potestate nostræ voluntatis, & voluntati nostræ esse velut subjectam. Inde enim multa absurda sequuntur, & in primis illud: Non esse opus, ut pro ea Deum oremus. Quid enim stultius, ait Augustinus, quàm orare quod in potestate habes? Et quomodo, obsecro, non tollitur necessitas, immò & utilitas orationis pro gratia adjuvante seu cooperante, si ea non aliud est, quàm concursus quidam, vel influxus omnibus simpliciter paratus & expositus, quique in omnium sit potestate? Sanè non ibi locum habet orare, sed sola gratiarum actio, sicut de lumine Solis omnibus exposito. Si tamen hactenus dicitur esse in potestate hominis habere gratiam, quia eam habere potest, Deo videlicet hominis miserente juxta beneplacitum suæ voluntatis, eo sensu facilè id concedimus.

Quod addit, nos dicere, Deum non esse paratum gratiam omnibus dare (si enim paratus esset, inquit, non obstaret mala hominis voluntas) sed eis solis, quibus, quando, & quomodo de facto dat.

Ad hoc respondeo: Deus paratus est gratiæ suæ auxilium dare omnibus petentibus: quædam etiam dat non petentibus & si vult dare, non obstant malæ hominum voluntates, quo minùs ille quod vult, quando, & quomodo vult perficiat & malas hominum voluntates in bonas efficacissimâ suâ gratiâ convertat. *Omnia enim quæcunque voluit, fecit.* Hæc apertissima est multis in locis doctrina B. Augustini, eademque in Scripturis fundatissima.

Dicit deinde nos dicere, quòd quando habetur illa gratia, non potest eam voluntas (quæ voluntas, inquit, secundùm illos se habet ut pedissequa) inefficacem reddere. Respondeo, respui quidem potest gratia quando habetur; at non simul consistunt, ut habeatur, & non habeatur; item, ut habeatur, & cassa atque inefficax reddatur, quia eo ipso quo habetur, jam efficax est. Facit enim ut faciamus, quod nisi faceret, nondum haberetur. Quare nec malè dixit, quicunque hoc dixit, fieri non posse ut actu gratia ipsa respuatur, modò rectè intelligas, in sensu nimirum composito. Non enim possunt hæc duo simul consistere, ut gratia habeatur, & respuatur. Nam qui respuit, jam gratiam non habet.

Illud autem de pedissequa voluntate, me dixisse in scriptis meis de gratia, plane confiteor: & vehementer miror id reprehendi, cum non mea, sed S. Augustini sint verba. Cum enim, ut etiam Driedo testatur, Pelagius vellet humanam voluntatem esse ducem & antecessorem; Dei autem gratiam, comitem & pedissequam; contra dixit Augustinus Epist. 106. voluntatem comitari gratiam, non ducere; pedissequam esse, non præviam. Hoc ab Augustino verissimè dictum, & illis verbis à me repetitum, non ita temerè reprehendi debuit. Uti nec illud quod sequitur: Nulla esse detestanda facinora, quæ arcere Christi gratiam

tiam possint, sicut nulla tam præclara opera, quæ eam possint accersere. Hæc enim rursum non mea, sed penè ad verbum 13. Prosperi sententia est. Cujus etiam nomine & loco adscripto, eam citavi: ut mirum sit, bonum virum sic falli potuisse, qui tanti viri sententiam pro mea nigro calculo notandam sibi sumeret. Et quidem sententia dubitationem non habet, seu priorem ejus partem spectes, quia nititur omnipotentiæ Dei, qui in libero arbitrio, illæsâ libertate, sicut vult potest operari; sive posteriorem; quia dogma jam olim in Ecclesia definitum est: GRATIAM NON SECUNDUM MERITA NOSTRA DARI.

XVI.

LIBELLUS MEMORIALIS.

DATUS PAULO V. ANNO 1612.

Quo tempore Capitulum Generale Ordinis Prædicatorum pro vulgandâ Pontificiâ Definitione, circa divinorum Auxiliorum Controversiam, supplicavit:

Editus ante annos aliquot à R. P. F. HIERONYMO BAPTISTA DE LA NUZA, Exprovinciali Provinciæ Aragoniæ, Episcopo, Albarracinensi, Mandante Eminentissimo S. R. E. Cardinali HIERONYMO XAVIERRES, tunc Ordinis Prædicator. Generali Magistro; Novisque per R. P. THOMAM DE LEMOS, rationibus auctus.

Ad Caput. 25. Lib. 4. Hist. de Auxiliis. Ex Hispano Latinè redditur.

BEATISSIME PATER.

Enatis adversùs Ecclesiam, Petri Abaelardi, ejusque discipuli Arnaldi Brixiensis erroribus, obstitit virili ac generoso prorsùs animo Bernardus Claræuallensis: ac post multos utrinque conflictus, re demum ad Innocentium Pontificem hujus nominis secundum delatâ, multis ad eum datis Epistolis supplicavit Sanctissimus Doctor, ut veritatem ab Ecclesiâ catholica tenendam definiret. Id porrò ut brevi conficeretur, singulari ad Sacrum Cardinalium Collegium missâ Epistolâ, quæ cæteras inter centesima octogesima octava numeratur, significavit, quantâ ipsi religione tenerentur ad Sanctitatem suam instare, pro Apostolica definitione, in tam patenti necessitate, maturandâ. *Nulli dubium est*, inquiebat, *quin ad vos specialiter spectet, tollere scandala de Regno Dei, surgentes succidere spinas, sedare querelas* &c. Alteram quoque ad Guidonem, qui postmodùm sub Cœlestini nomine Pontifex fuit, dedit Epistolam, numero Centesimam nonagesimam primam, quâ post multa in eam rem prolixiùs enarrata; ultimò tandem colligit, necessum omninò esse, definitionem Apostolicam edere de quæstionibus recens in Ecclesiam inductis, & ad Romanæ Sedis Judicium tanta animorum contentione delatis. Atque id quidem tribus de causis, à SS. Patribus maximè commendatis, præstandum ostendit. Primùm quidem, ob Apostolicæ Sedis officium, tum ob universalis Ecclesiæ bonum; tum ultimò ob illorum, qui controversias illas concitaverant, audaciam cohibendam: *Illud autem*, inquit, *scitote, quia expedit vobis, quibus potestas data est à Domino; expedit Ecclesiæ Christi; expedit illi homini, ut ei silentium imponatur.*

Idem & nobis impræsentiarum usurpare liceat, ac potiori quidem jure. Nec verò dubium, si hæc aliàs Apostolicam Sedem ad enatas controversias extremo judicio dirimendas impulerunt, quin & in isto rerum eventu, illam ad judicium tandem aliquando ferendum impellant. Salvâ quippe quæ Apostolicæ Sedi reverentia debetur maxima, necessaria videtur omninò quæstionum de divinæ gratiæ auxiliis definitio. Primò quidem, quia expedit Ecclesiæ Christi: secundò quia expedit partibus in causam venientibus: tertiò quia expedit Apostolicæ Sedi.

CAPUT PRIMUM.

Quantùm Ecclesiæ Christi expediat controversiam definiri.

§. 1.

ID in primis compertum videri potest, quia divinæ gratiæ virtus & efficacia, Catholi-

Catholicæ fidei basis ac fundamentum est; uti Concilii Milevitani Patres adversùs Pelagium & Cœlestium, gratiæ efficacis implacabiles hostes, professi sunt in Epistola ad Innocentium I. quæ inter Augustinianas nonagesima secunda est, seque gravissimæ culpæ reos fore confessi sunt, si ab urgendâ apud Summum Pontificem gravissimæ controversiæ definitione abstinerent.

Duo potissimum statuebant Pelagius & Cœlestius. Primum, naturam humanam primi hominis peccato nequaquam corruptam esse. Secundum, Efficaciam gratiæ Christi non esse homini necessariam, cum satis ex se se virium habeat liberum arbitrium. Quæ duo, ut ajebant Africani Patres, Christianæ religionis fundamentum concutiebant. *Hæc duo sunt, quibus omninò totum quod Christiani sumus, nituntur evertere.* Quia nimirum, ut Augustinus illorum unus Epistolà 94. ad Hilarium ait, duo illa, quid natura ex Adamo contracta possit, quid gratia per Christum operetur in nobis, totius Christianæ fidei fundamenta sunt. Quocirca etiam Theologi omnes, Sacram Theologiam ad duo capita revocant, naturæ videlicet ab Adamo contractæ, & gratiæ à Christo Domino restitutæ: sic ut tota penè in hisce duobus Theologia vertatur, quid à Christo, quid ab Adamo teneamus.

Ea de causâ, præteritis olim temporibus voluit Ecclesia, ut ea potissimùm capita nitidâ atque distinctâ definitione sancirentur. Ac licet divinæ gratiæ necessitas in Concilio Carthaginensi definita esset; quia tamen Pelagii ac Cœlestii sectatores, eosdem errores recudebant, Concilium Milevitanum paulò postea celebratum est, ne quod in re tanti momenti dubium superesset, uti ejusdem Concilii Patres Epistolà mox laudatâ significant, suoque etiam suffragio confirmavit Innocentius I. in suo ad præfatos Patres dato Rescripto: ubi post laudatum illorum zelum ac studium, necessarium prorsùs atque æquissimum ait, ut quæ divinæ gratiæ & liberi arbitrii vires attinent distinctissimè sanciantur. Quin id quoque etiam observat, in omnibus Sacrarum Scripturarum paginis divinæ gratiæ necessitatem & efficaciam commendari; ut intelligerent universi, quàm certò, quàm distinctè teneri ab omnibus debeant. quæ nobis toties in Sacris Litteris inculcat Spiritus Sanctus.

Hinc profectò compertum est, quanto studio invigilarit Sedes Apostolica in dirimendis controversiis circa naturam Adami peccato vitiatam, & divinæ gratiæ à Christo reparatæ virtutem enatis: nec satis fidelibus fore existimarit, si veritates illas utcunque compertas haberent, nisi illas quoque distinctè & explicate profiterentur. Id ipsum sub Gelasio summo Pontifice videre fuit. Cùm enim naturæ humanæ vitium agnoscerent aliqui, nec tamen peccatum originis in quolibet Adæ filio re ipsà ac propriè inhærens faterentur; catholicam veritatem singulari verborum proprietate exponendam aggressus est Pontifex Maximus, in Epistola ad Episcopos per Picænum constitutos, *substantiam hominis peccato originali depravatam* appellans. Quocirca observat Cardinalis Baronius ad annum 406. eam loquendi rationem à Gelasio usurpatam, gravissimâ difficultate laborare; cùm non ipsa naturæ substantia, sed ejusdem potiùs accidentia ex protoparentis peccato vitiata sint: eam tamen consultò Pontificem usurpasse, ut peccati originalis nostris animabus verè ac propriè inhærentis veritatem eliquatiùs & apertiùs definiret. Illud ipsum in causâ divinorum auxiliorum observatum est. Enim verò (quemadmodum Patres Carthaginenses in sua ad Innocentium I. Epistola adnotarunt) non idcirco Pelagium ac Cœlestium damnandos existimavit Ecclesia, quòd verbis gratiam abnegarent, sed quod re ipsâ gratiæ virtutem diffiterentur, quam speciosis verbis profiteri videbantur: quippe qui gratiæ necessitatem prædicabant, ut agendi facultatem obtineremus; alteram verò gratiam necessariam detrectabant, ut re ipsa ageremus & mereremur. Nec tamen illos idcircò catholicos habuit Ecclesia, quòd gratiæ necessitatem & efficaciam promiscuè & in commune faterentur, nisi ejusdem necessitatem & efficaciam ad singulos actus agnoscerent. Quod ut apertè distinctèque definiretur, conjunctis studiis apud Innocentium I. instarunt, ne veritatem catholicam vaga illa Pelagianorum professione eludi sineret. Non absimiliter D. Augustinus, una cum aliis quatuor Episcopis, in Epistola ad eundem Innocentium 95. quanti interesset significavit, divinæ gratiæ efficaciam specialiter definire; cùm vaga illa divinæ gratiæ divinique auxilii nomina Pelagius usurparet, ejusque necessitatem aliquo sensu fateretur, ne fideles penitùs exacerbaret ac commoveret. Id porro Ecclesiæ minùs sufficere monuit Augustinus, nisi eam quoque gratiam agnosceret, quæ operatur in nobis velle & perficere, quæ adjuvat infirmitatem, facitque ut sit in nobis bona voluntas.

Ep. 90 inter Augustinianas.

Non itaque impræsentiarum Ecclesiæ

Dei

Dei sufficere putandum est, ut divinæ gratiæ efficaciam vagis tantùm speciosisque vocibus Theologi profiteantur; quas non nisi ex abusu Doctores nuper exorti, ad fucum incautis faciendum usurpant: sed Apostolico Judicio distinctè & explicatè definire necessum est, quam re ipsa vim & efficaciam in hominum voluntates obtineat; ne quam voce tenùs efficaciam profitentur, re ipsa ac facto negare pergant. Quantùm enim efficacis gratiæ nomine turpiter abutantur, nedum abundè in solennibus Congregationibus nuper ostendimus, censueruntque delegati judices, verùm etiam ingenuè fassus est Cardinalis Bellarminus, lib. 1. de gratia & libero arbitrio cap. 12.

§. 2.

Accedit ratio altera, superiori admodùm affinis, qua palàm ostenditur, quantùm Ecclesiæ Dei congruat, controversiam istam ultimo judicio eliquari. Cùm etenim quæstiones de divinæ gratiæ efficacia, liberique arbitrii viribus, fundamenti loco sint universæ Theologiæ, ex iis profectò pendent omnes penè gravissimæ controversiæ, quæ de Divina Prædestinatione, Scientiâ, Justificatione, Providentiâ, Voluntate, Merito, Redemtione Christi, Sacramentorum efficaciâ, aliisque benè multis agitari solent. Quas omnes idcirco nutare necessum est, quandiu certum firmumque de divina gratia & libero arbitrio canonem non habemus: universamque Theologiam novitatibus infici proclive erit, si nova & hactenus inaudita fundamenta poni sinat Ecclesia.

Lothario Imperante, anno circiter 855. Theologi nonnulli, captandæ humanæ gloriæ plus æquo avidi, multa circa Dei præscientiam, gratiam, liberum arbitrium, Justificationem & Prædestinationem novarunt, innatâ quadam garriendi prurigine. Protinùs inspecto orituri damni periculo Concilium Valentinum habuere Præsules Gallicani, ac eos inter potissimùm Laudunensis, Rhemensis & Arelatensis, iis ad enatas novitates dissipandas verbis Apostolicis concitati: *O Timothee, depositum custodi, devitans profanas vocum novitates, & oppositiones falsi nominis scientiæ, quam quidam promittentes circa fidem exciderunt.* 1. ad Timot. 6. Et rursùs: *Profana autem & vaniloquia devita: multum enim proficiunt ad impietatem, & sermo eorum ut cancer serpit.* 2. ad Timot. 2. Quibus demum adducti sunt, ad enatas profanas vocum novitates eliminandas, veteresque loquendi rationes suo calculo comprobandas, ne nova in Ecclesiam Theologia induceretur. Iisdem se Apostoli verbis adductum ostendit D. Bernardus, Ep. 189. dum sua apud Innocent. II. officia contulit, ut Petri Abaelardi & Arnaldi Brixiensis novitates solenni definitione proscriberet: quia cùm iis in capitibus peccarent, quibus veluti fundamentis stabat Christiana Religio, periculum erat, ne novum prædicaretur populis & gentibus Evangelium, fides nova proponeretur. Quod & latiùs prosequitur sanctissimus Abbas Epistola 190. quam unà cum nonnullis Episcopis ad eundem Innocentium Pontificem dedit.

Profanis spuriisque vocum novitatibus, omni retrò tempore obstitit Ecclesia, uti Conciliorum penè omnium usu compertum est, multisque ostendit argumentis Hormisdas in Epistola ad Justinianum Comitem, apud Baronium tomo 7. pag. 55. *Ne hæretici stabilitatem fidei verborum novitate confunderent.* Quantò magis ergo iis novitatibus obsistendum est hodie, quæ non verbis solummodò peccant, sed & ipsa fidei nostræ fundamenta concutiunt; de quibus Innocentius I. in Epistolâ ad Patres Concilii Carthaginensis (numero 91. inter Augustinianas) occasione Pelagii ac Cœlestii, liberè pronunciavit: *Totam veri dogmatis quærunt invertere disciplinam.* Quàm nova liquidem sint dogmata Moliniana, non modò in solennibus illis Congressibus probatum à nobis est, & à Censoribus judicatum; sed & illorum præcipuus Architectus usque adeò fassus est, ut de inducta novitate sibi gratuletur & plaudat in Concordia quæst. 14. art. 4. & 5. disp. 1. mem. ultimo, & 1. parte quæst. 23. art. 4. & 5. mem. 6. §. *Quoad S. Augustinum.*

§. 3.

Alia quoque de causa expedit Ecclesiæ Dei, causam istam ultimò definiri, ut nimirum fideles noverint, quid à Deo suis in orationibus debeant postulare. Hanc rationem potissimùm urget Concilium Carthaginense, in suâ ad Innocentium I. Epistolâ, ut eum ad divinæ gratiæ efficaciam contra Pelagium & Cœlestium statuendam adducat. Quia nimirum nostris ad Deum precibus efflagitamus, quæ propriis conatibus præstare ex nobis ipsis minimè possumus. Idcircò quid propriè vires possint nosse congruit, ut Deum prudenter oremus. *Consideret enim Sanctitas tua*, inquiebant præfati Concilii Patres, *& pastoralibus nobis compatiatur visceribus, quàm sit pestiferũ & exitiale ovibus Christi, quod istorum sa-*

crilegas disputationes necessariò consequitur, ut nec orare debeamus ne intremus in tentationem, quod Dominus Discipulos monuit &c... Si enim hæc possibilitate naturæ & arbitrio voluntatis in potestate sunt constituta, quis non videat, ea à Domino inaniter peti, & fallaciter orari, cum orando poscuntur quæ naturæ... viribus obtinentur? Nec debuisse Dominum Jesum dicere, Vigilate & orate, sed tantum modo, Vigilate ne intretis in tentationem; nec Beatissimo Petro primo Apostolorum: Rogavi pro te, sed, Moneo te, vel, Impero ac præcipio, ne deficiat fides tua. Quam quidem rationem usque adeò probavit Sanctissimus Pontifex; eàque se ad maturandam Pelagianismi damnationem adductum fuisse significavit, ut illam potissimùm in suo ad eosdem Rescripto ponderarit & inculcarit. *Non consequitur*, inquit, *gratiam, qui eam à Deo pendere minimè confitetur.* Et infrà: *Nescientes, quòd nonnisi magnis precibus gratia in nos implorata descendat.* Ac demum de Pelagio & Cœlestio sermonem habens, *Isti*, inquit, *qui tales sunt, nullam Dei gratiam consequuntur, qui sine illa tantum se posse confidunt, quantum vix illi qui ab illo postulant & accipiunt, promerentur.* Hoc ipsum statuit idem Pontifex in altero ad Patres Concilii Milevitani Rescripto, frustra à Deo peti inquiens, quod in liberi arbitrii facultate positum est. *Quid enim acerbiùs*, ait ille, *in Deum fingere potuerunt, quàm cùm adjutoria divina cassarent, causamque divinæ, id est, quotidianæ precationis auferrent? Hoc est dicere, Quid mihi opus est Deo? Meritò in eos dicat Hymnidicus: Ecce homines, qui non posuerunt Deum adjutorem sibi. Negantes ergo auxilium Dei, inquiunt hominem posse sibi sufficere, nec gratiâ egere divinâ.*

Nil minùs eleganter D. Augustinus, Epistolâ 89. ad Hilarium, multis momentis ostendit, frustra ad Deum preces à nobis fundi, nisi ejus dona noverimus. Quocirca oraculum illud Sapientiæ 8. maximè ponderat: *Scivi quoniam aliter non possem esse continens, nisi Deus det; & hoc ipsum erat sapientiæ, scire cujus esset hoc donum: adii Dominum, & deprecatus sum illum:* singulaque hujus oraculi verba minutatim expendens, neminem quidquam à Deo obtinere colligit, nisi petat; neminem petere, nisi norit quid à Deo pendeat: atque idcircò necessum esse id scire, ut prudenter & religiosè petamus; frustraque illos preces ad Deum fundere, qui nec gratiæ potentiam, nec humanæ libertatis infirmitatem exploratam habent. Hoc idem ex statuto principio intulerant prælaudati Patres Synodi Carthaginensis: *Negatâ*, inquiunt, *divinæ gratiæ necessitate, contradicitur Benedictionibus nostris, ut incassum super populum dicere videamur, quidquid eis precamur à Domino, ut rectè & piè vivendo illi placeant; & quod Apostolus petebat: Oro per fidem interiùs corroborari in interiori homine per Spiritum ejus. Si enim voluerimus benedicendo super populum dicere: Da illis, Domine, virtute corroborari per Spiritum tuum; istorum nobis disputatio contradicit, si hoc à Deo poscitur quod in nostra est potestate.*

Non absimiliter impræsentiarum inferre licet. Si etenim Deus omnipotentissimâ gratiæ suæ prævenientis energiâ voluntates nostras interiùs non inflectit, agit, rapitque ad sese, frustrà petimus ut id præstet, immeritóque orat Ecclesia, *Ut nostras ad se etiam rebelles compellas propitius voluntates:* frustrà rogamus, ut auferat à nobis cor lapideum, detque cor carneum: frustrà, ut voluntates nostras ad se convertat, corda mutet, efficaciter ad bonum inclinet. Ita quippe colligebat aliàs S. Augustinus, Epistolâ 89. ad Hilarium quæst. 3. *Cùm de suis viribus præsumunt homines, adjutorium gratiæ non implorant, & addunt infirmitati superbiam. Cùm autem vocatione divina intelligunt, cur sit ingemiscendum, & invocant eum in quem corde credunt, dicentes: Miserere mei, Deus, secundùm magnam misericordiam tuam.... & alia multa, quæ propterea scripta sunt, ut nos admonerent ad implenda ea quæ nobis jubentur, ab illo petendum esse adjutorium, à quo jubentur.*

§. 4.

Hoc ipsum etiam definiri Ecclesiæ congruit, ut fideles agnoscant, quas Deo grates rependere debeant. Tametsi enim Apostolus dixerit, *In omnibus gratias agentes*, satis nihilominùs significavit, non esse iis de rebus gratias Deo optimo referendas, quæ in liberi arbitrii potestate sunt posita; sed quæ Dei liberalitate conferuntur, ut Fides, Caritas, Justificatio, &c. Hinc illa longè celebratissima Apostoli verba: *Quis te discernit? Quid habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?* quæ toties Augustinus in Pelagianos retorsit. Si ergo Deus non operatur in nobis motum voluntatis humanæ, nec eam interiùs & efficaciter movet ad bonum, sed externis solummodò suasionibus, & invitationibus allicit, non est cur illi potiùs, quàm nobismetipsis gratias rependamus: nec certè plus illi bonum opus acceptum referre debemus, quàm cuipiam cœlesti Magistro, qui nos suis adhortatio-

nibus

nibus invitaret; nec plus posset Deus in motibus voluntatis ad bonum, quàm diabolus possit ad malum, ad quod liberum arbitrium solis suasionibus & invitationibus allicit, non efficaciter trahit. Atque idcircò quo jure potiorem in peccatis perpetrandis dæmone ipso partem habemus, utpotè qui voluntatem nosmetipsi determinamus ad malum, is verò exteriùs dumtaxat invitat; ita sanè potiorem Deo ipso in Justificatione partem habebimus, si solis ille suasionibus agit in nobis, ipsi verò voluntatem efficaciter inclinamus: nobisque non Deo referemus acceptum, quod in nostræ Justificationis opere potissimum est: in libero arbitrio non in Domino gloriabimur, quasi ab illo non acceperimus. Quæ certè quantùm divinæ gratiæ derogent, nemo non videt.

Receptissima S. Augustini sententia est, à S. Cypriano petita, Nihil in nobis esse, in quo tanquam in nostro glorietnur. Unde & illud Psalmistæ ubi dicitur, *Præcinite Domino in confessione*, legendum putat; *incipite Domino in confessione*: quod primùm exponit de gratiarum actione, unde auspicari omninò debemus, gratias de perceptis beneficiis referendo: secundò de confessione peccatorum, quæ nobis ita præstanda est, ut quidquid boni agimus referamus in Deum; quidquid mali, voluntatis nostræ vitio adscribamus. Quocirca oraculum illud Psalm 94. *Præoccupemus faciem ejus in confessione*, in suis Enarrationibus exponens, *Confessio*, inquit, *duobus modis accipitur. Est confessio laudantis, & est confessio gementis. Confessio laudantis ad honorem pertinet ejus qui laudatur: Confessio gementis ad pœnitentiam pertinet ejus qui confitetur. Confitentur enim homines, cum laudant Deum; confitentur cum accusant se; & nihil dignius facit lingua. Verè puto, quod ista*
Psal. 63. 13. & 14. *sint vota, de quibus dicitur in alio Psalmo, Reddam tibi vota mea, quæ distinxerunt labia mea. Nihil ista distinctione sublimius: nihil tam necessarium, & ad intelligendum & ad faciendum. Quomodo ergo distinguis vota, quæ reddis Domino? Ut illum laudes, te accuses; quia illius est misericordia, ut peccata nostra dimittat: nam si vellet pro meritis agere, non inveniret nisi quos damnaret.* Cautè itaque secernendum est, quid à Deo; quid à nobis habeamus: quidquid verò boni, totum hoc qualecunque est, Deo; quidquid mali, nobis est adscribendum. Jam si id veritate niteretur, quod hodiernı liberi arbitrii elatores obtendunt, in ipsis bonis operibus secernendum esset, quid à Deo, quid ab innatis nobis viribus habeamus, ut Deo partem, partem nobis adscriberemus: quo nihil magis à pietate alienum excogitari potest.

Qui divinæ gloriæ studio ac zelo ardent sancti Dei homines, divinæ gratiæ virtutem, humanæque voluntatis infirmitatem perpetuò commendarunt. Ea de causâ, suam ad Romanos Epistolam scripsit Apostolus; qua perspicuè pronunciat, salutem nostram nedum à nostris viribus operibusve petendam non esse, sed à sola quæ per Christum est Dei gratiâ: cujus vim & energiam ad bonum ita commendat, ut infirmitatem sauciatæ voluntatis humanæ nil nisi ad bonum valere; disertè significet. Hoc ipsum in suis ad Corinthios Epistolis statuit. Cum etenim fideles aliqui, divinæ veluti gloriæ partem in Evangelicæ prædicationis officio Prædicatoribus adscriberent, atque in illorum partes inani gloriæ stimulo hinc inde scinderentur, palámque jactitarent, *Ego quidem sum Pauli, ego verò Cephæ, ego autem Apollo*; inanem jactantiam scripto retudit, ne quid Christi gloriæ detraheretur, cujus illi administri dumtaxat erant, unâ ejus gratiâ ad ministerium Apostolicum obeundum communiti.

Non absimiliter Augustinus eo adversus Pelagium fine pugnavit, qui quantum divinæ gratiæ, tantum divinæ gloriæ detrahebat: eumque hoc argumento sæpiùs exagitavit sanctissimus Doctor, potissimam Justificationis partem libero arbitrio adscriptum iri, si ex innatis viribus voluntatis inclinatur & determinatur ad bonum. Porrò si Molinianos audiamus, ea ad bonum determinatio, & bonus, ut ajunt, liberi arbitrii usus ab ipsa liberi arbitrii innata virtute oritur, uti & à nobis in habitis Congregationibus ostensum est, & à constitutis Judicibus pronunciatum. Perspicua etiam Molinæ confessio est 1. part. quæst. 23. art. 4. & 5. disp. 1. mem. 10.

§. 5.

Hinc oritur altera promulgandæ definitionis efficacissima ratio; ut nempe vanam de propriis viribus fiduciam deponant peccatores. Ubi etenim audiunt, in humanæ libertatis viribus positum esse, ut applicetur & determinetur ad bonum; alterutrumque pro nutu suo eligat aut refugiat, in peccato sordescunt, mollique desidiâ torpent, falsâ prorsùs ac segni fiduciâ tuti, qua se ubi libuerit peccatum depositutos confidunt, nullius gratiæ victricis ope, quæ rebelles voluntates frangat, & à dæmonis tyrannide, omnipotentissimâ virtute redi-

mat; Paulo Apostolo in oppositum reclamante, ad Philip. 2. *Cum metu & tremore salutem vestram operamini: Deus est enim qui operatur in vobis velle & perficere, pro bona voluntate.*

§. 6.

Nil minùs hujusce controversiæ definitio Ecclesiæ necessaria videri potest, ad scandala procul arcenda. Res in comperto est, nihil æquè Ecclesiam tueri ac fovere, quàm fidei atque doctrinæ unitatem, sic ut licet varia sint dona ac talenta Prædicantium, unum tamen ab omnibus Evangelium, una veritas prædicetur. Hinc Deus *Locutus per os Sanctorum*, à Zacharia dictus est, Lucæ I. quòd etsi Prophetæ multi atque Doctores exstiterint, uno tamen velut ore, eandem veritatem singuli suis oraculis prænunciarunt. Hanc Ecclesiæ suæ prærogativam spopondit Deus: *Dabo*; inquit, *eis labium electum, ut omnes serviant humero uno.* Quemadmodùm enim in turris Babel molitione hominum linguas divisit Deus, One in unum opus intenderent; ita planè ut in Ecclesia nostræ salutis opus promoveremus universi, unum fidelibus omnibus labium esse voluit, idemque ab omnibus prædicari. Stat eâ doctrinæ consensione, uti notat Augustinus L. Contra Epistolam fundamenti, Ecclesia catholica, nullóque alio æquè infici concutique potest, ac repugnantium inter sese doctrinarum tolerantiâ. Hinc omnem à Corinthiis scissionem eliminatam voluit Apostolus: *Obsecro vos*, inquit, *ut idipsum dicatis omnes, & non sint in vobis schismata*; tametsi non doctrinarum, sed affectuum scissio esset, quibus erga suos Apostolos ducebantur: Quæ cùm ita sint, nemo non videt, quantæ necessitatis sit, pendentem controversiam definire, seu veriùs latam pridem definitionem promulgare. Cùm partes hinc inde dissidentes, tuendæ famæ causæque promovendæ studio, in Scholis perinde ac pulpitis sua pro arbitrio venditeut, non sine cæterorum morsu, summóque fidelium scandalo & offensione.

Nec verò reponere juvat; controversias istas in judicium vocatas, non Religionis sed Scholæ rixas esse. Quantùm enim novis illis opinationibus religio læsa sit, demonstratum à nobis est, & in Congregationum Commentarios relatum, quid de iis constituti Judices censuerint. Quin etiam ea fuit hactenùs Ecclesiæ Catholicæ in eliminandis quibusvis novorum Theologorum sinistris opinationibus vigilantia, ut minùs probabiles opiniones, ex quibus scandalum scissioque suboriri possent, majoris securitatis studio quandoque proscripserit. Exemplo est Clementis V. in Concilio Viennensi definitio, qua quorundam Scholasticorum sententiam improbavit ac rejecit, qui gratiam informantem atque virtutes parvulis in Baptismo conferri diffitebantur. *Nos*, inquit, *opinionem quæ dicit, tam parvulis quàm adultis conferri in Baptismo informantem gratiam, & virtutes quoad habitum, tanquam probabiliorem, & dictis Sanctorum magis consonam & concordem, Sacro approbante Concilio duximus eligendam.* Quanquàm ea gratiæ informantis & habitus infusi nomina, metaphysica sint, quæ nusquam in divinis Scripturis observare licet.

§. 7.

Ultimò tandem Ecclesiæ necessaria definitio est, ad ea pericula præcavenda, quæ ex diuturniori judicii procrastinatione suboriri possent. Quia cùm universi in alterutrius partis studia veniant, omnesque pro alterutrius Scholæ affectu opiniones ebibant; res eò demum perducentur, ut quæ nunc facili negotio componerentur, nullo demum conatu, nullâ industriâ resarciri possint. Continuo siquidem usu monstra mitescunt, & errores sectatorum multitudine vires accipiunt. Eâ ratione permoti Justinus Imperator, & Comes Justinianus Hormisdam Romanum Pontificem, variis Epistolis stimularunt, ad nonnullarum controversiarum definitionem maturandam, uti apud Baronium tomo 7. ad annum 520. legere est. *Quoniam*, inquiebat Justinianus Epistola ultimâ, *nec difficilia sunt quæ ceciderunt in ambiguitatem, nec expedit diutius causam vitæ protrahi sempiternæ: ne dilatis temporibus aliquid nascatur incertius.* Nova disseminantur in dies; exoticæ in dies opiniones procuduntur, inauditâ petulantium ingeniorum audaciâ. Jactis jam ruinosis fundamentis, unusquisque pro arbitrio superædificat; ac turres veluti Babelicæ exstruuntur: tanta est in sentiendo atque loquendo dissonantia! È re Catholicâ igitur est, ut Pontificio Judicio certa fundamenta ponantur, qualia ab Apostolis ac Patribus constituta esse, probatum ac demonstratum est, quibus solis doctrinam de divina gratia superstruere liceat.

CAPUT II.

Quantùm expediat controversiam definiri, habitâ ratione Partium dissidentium.

§. PRIMUS.

ALtero ex capite Innocentium II. induxit D. Bernardus ad controversiam ætate sua subortam extremo judicio finiendam: Quòd videlicet causam ultimò dirimi expediret, habitâ ratione adversæ partis, quam indicto silentio frænare necesse erat. Res ita se habuit, ut ex ejusdem D. Bernardi Epistola 189. aliisque sequentibus colligere licet. Cùm bona pace frueretur Ecclesia, tritasque teneret Majorum ac Patrum doctrinæ semitas, circa Christi Domini Redemtionis efficaciam, & Peccatum Originale, &c. insolentem sibi fiduciam arripuit homo quidam eruditionis opinione tumidus, Petrus Abaelardus: qui ut doctrinæ singularitate famam sibi supra cæteros faceret, nova meditari cœpit; ne si cum aliis sentiret ipse, nihil præ aliis scire videretur. Librum eo animo fabricavit, ut novos Minervæ suæ partus effunderet; *atque in ipso statim disputationis exordio* (Divi Bernardi verba sunt Epist. 190.) *Ecclesiasticorum Doctorum unam omnium de hac re dicit esse sententiam, & ipsam ponit & spernit, ac gloriatur se habere meliorem.* Solitum illi erat, ita de gravi supercilio
Ep. 190. pronunciare: *Omnes sic; Ego autem non sic*; quasi novâ præ cæteris Ecclesiæ Doctoribus luce perfusus esset. Discipulos sibi momento fecit, atque eos inter Arnaldum Brixiensem, multæ audaciæ virum, disseminandæ novitatis peritum artificem, quo velut armigero novus Goliath utebatur. In multorum amicitiam & gratiam, sparsis undequaque ac Romæ præsertim doctrinæ suæ libris, irrepere molitus est, ut doctrinæ suæ nomen ac patrocinium conciliaret. Unde Bernardus Epistola 192. *securus est*, inquit, *quoniam Cardinales & Clericos Curiæ se discipulos habere gloriatur, & eos in defensione . . erroris . assumit.* Epistolâ verò 192. *Magister Petrus in libris suis profanas vocum novitates inducit & sensuum, disputans de fide contra fidem, verbis legis legem impugnat.* In Epistola 91. ad Innocentium II. quam unà cum nonnullis Episcopis dedit, *Extendit*, inquit, *palmites suos usque ad mare, & usque Romam propagines ejus. Hæc gloriatio hominis illius, quod liber suus habet in Romana Curiâ ubi caput suum reclinet. Hinc confirmatus & confortatus est furor ejus.*

Cæterùm cùm doctrinam captu facilem venditaret ille, multosque ea de causa traheret in partes, diuturnioris moræ periculum expertus sanctissimus Abbas, cum publicis disputationibus ad sana consilia pertrahere conatus est, tametsi ausu omninò irrito, ob novatoris scilicet impudentiam, discipulorum numerositate tumidiorem. Ad Sedem igitur Apostolicam confugere necesse fuit; quâ unâ & viri petulantis audacia, & doctrinæ undequaque serpentis novitas coerceri posse videbantur. Litteras igitur ad Innocentium dedit, ad subortæ novitatis damnationem urgendam: quam & re ipsa efficacissimis rationibus obtinuit.

Videat jam atque perpendat Beatitudo vestra, num eodem nunc statu versemur. Erat ante paucos annos unius planè labii universa Theologorum Schola, circa divinæ gratiæ & æternæ prædestinationis controversias. Subintrarunt viri novitatis cupidi, & Sanctorum Patrum vanissimi contemtores, qui sparsis hinc inde libellis, totum penè orbem novitatibus infecerunt. Formam alteram doctrina penè omnis nuper induit; novam faciem universa Theologia. Res eò demùm incredibili novatorum industriâ, studio, dexteritate perducta est, ut unius Apostolicæ Sedis autoritate componi possit; jamque Basilii magni verba de quodam sui temporis novatore usurpare liceat, *Facilitate scribendi, qua per occasionem ad quosvis irrepit, conjunctam habens sufficientem linguæ facultatem, orbem suis libris implevit.* Id porrò non aliunde ortum; quàm ex inanis gloriæ cupiditate, & dominandi desiderio; ut & cæteris eminere, & altiora reliquis invenisse viderentur.

Epist. 47. ad Damascum.

§. 2.

AUget promulgandi Judicii necessitatem, recentium novatorum indoles, qua omnibus adulari, indulgere omnibus student. Non unum idemque, ut scitis, est hominum genus. Novitatibus alii delectantur, atque ii quidem numero plures: rerum etenim novarum cupidos experimur propemodùm infinitos. Alii doctrinam antiquam, & à Majoribus acceptam in pretio habent. Utrisque indulgere ambiunt illi paucorum dierum homines. Doctrinam etenim suam, interdum novam jactitant, Pelagianismi debellatoribus ignotam, Augustino *in caligine posito* prorsùs imperviam; ut viris novitatum amatoribus adulentur. Antiquam è contra nonnunquam appellant, atque ex primæva Patrum traditione derivatam, ne viris avitæ doctrinæ retinentioribus stomachum faciant. Familiaris est il-

la hæreticis penè omnibus astutia; commune novatoribus inest multiformis ingenii specimen. *Hæretici*, inquit Baronius tomo 4. pag. 288. *Primo quidem jactant quæ proferunt; & quia statim ad novitatem sequitur suspicio iterum dicunt suam doctrinam esse, antiquiorum sententias suscitare.* Quod idem ante illum observaverat Basilius magnus lib. 1. adversùs Eunomium, cujus verba hæc ex ipsius Sermonis exordio petita profert: *Eam quam jam diu apud Patres obtinuit pia traditio, tanquam amussim quandam & regulam exponendo præmittamus.*

Legantur novi isti autores, observare facile erit, quo nunc supercilio Patres contemtim excipiant, despicentur, seque in illos superbiùs efferant, quasi mysteria ipsis impervia penetrarint: quo nunc è contra festivo plausu eorum se doctrinam excipere glorientur: tanta illis inest cuilibet adulandi dexteritas! Opus est igitur, ut Apostolicâ definitione Veritas innotescat; palámque fidelibus constet, an re ipsa veterum Patrum vestigiis insistant. Num etenim ita sit, satis superque in Congregationibus actum est.

§. 3.

EO verò potiori jure definitio illa vulganda est, quò ii majori studio adnituntur ne publicè prodeat. Mali profectò id ominis est, apertumque deperditæ causæ argumentum. Quid etenim, si veritatem à suis partibus stare putant, rem extremo judicio eliquari nolunt? Aperta Christi sententia est, Joannis 3. *Omnis qui male agit, odit lucem; & non venit ad lucem, ut non arguantur opera ejus: qui autem facit veritatem, venit ad lucem.* Nihil æquè hæresim sapit, quàm velle tenebris delitescere, nolle prodire in lucem, judicium doctrinæ suæ refugere. Hinc Hieronymus in Præfatione in librum 4. super Jeremiam, *Aut bona sunt quæ docesis, aut mala. Si bona, defendite libere: si mala, quid occultò miseros jugulatis errore, rectaque fide ad decipiendos simplices quosque jactatis expositionem? Quæ si vera est, cur absconditur? Si falsa, cur scribitur?* Et in Epistola ad Ctesiphontem, *Sola hæc hæresis est, quæ publicè erubescit loqui, quod secretò docere non metuit.* Hinc & Baronius ad annum 410. Pelagii ac Cœlestii circuitus versipelles enarrat, quibus Ecclesiæ judicium effugere nitebantur. *Talis*, inquit, *hoc tempore status erat hæresis Pelagianæ, ut cum propalarentur errores, autores tamen latere cuperent: hacque de causa, insulas ad doctrinam elegerint, duasque simul pestilentiæ cathedras erexerint, alteram in Sicilia ad decipiendos Occidentales; in Rhodo Insulâ alteram, ad corruptionem Orientalium populorum.* Consentiunt & Acta Concilii Carthaginensis apud Augustinum, lib. 2. de peccato Originali cap. 2. & 3. ubi cùm Cœlestius urgeretur ad doctrinam suam nitidè & expeditè proponendam, & de ea pronuntiare Ecclesia posset, rem ægerrime tulit; sibi satis esse inquit, si Baptisma necessarium fateretur: cætera verò ad peccati originalis doctrinam attinentia, liberæ opinionis esse, quam Ecclesiastica definitione decerni & eliquari non expediret. *Quæstionis res ista est*, ajebat ille, *non hæresis. Infantes semper dixi egere baptismo, ac debere baptisari: quid aliud quæritis?* Cap. 4.

Pari calliditate Eutyches Concilii Constantinopolitani judicium refugiebat. Missis ad se legatis ut Synodo se sisteret, infirmitatem primò causari cœpit; tum Monachum se esse dixit; seque religione teneri obtendit, ne extra Monasterium vagaretur. Uno verbo, hæreticos nonnisi filios tenebrarum, noctuas, vespertiliones à Patribus appellari, notum est, quod nec videri ab aliis patiantur, nec sensa sua examinari, & Ecclesiastica definitione in aperto poni velint. Ubi ergo Pontificii Judicii sol affulserit, abscedent illicò vespertiliones, suisque latibulis delitescent; Regio Vate id attestante: *Ortus est sol, & congregati sunt, & in cubilibus suis collocabuntur.* Apud Baron. ad ann. 448.

Hoc porro Sedis Apostolicæ Judicium prodire palàm ac secundùm juris formulas promulgari, tantò plus congruit, quantò petulantiùs & audaciùs rem sibi adjudicatam conclamarunt, ac veluti parta victoriâ triumpharunt. Mirum profectò fuit, quot dies festos egerint, quot publicæ lætitiæ significationes dederint, quot tentarint artes, ut apud stultam plebeculam, virosque rerum gestarum ignaros, causam obtinuisse viderentur. Atque hinc verè colligere fuit quàm sibi in hujusce litis tractatione malè conscii essent, quàm iniquis titulis nobiscum agerent, quàm anxiâ imminentis damnationis suæ conscientiâ torquerentur; qui Sententiam à vestra Sanctitate in suspenso positam, & in opportunum tempus dilatam, insignis victoriæ loco habuerunt.

Hæreticorum hoc proprium est, victoriam sibi semper accinere, quo etiam tempore causâ cadunt, justóque judicio percelluntur: quia cùm non veritatis studio, sed popularis gloriæ cupiditate ducantur, nihil aliud adnituntur, quàm ne damnati videantur. Id in Apollinaristis comprobatum est, qui, ut refert Gregorius Nazianzenus,

zenus in Epistola ad Cledonium, in Synodo Occidentali proscripti, causam sibi adjudicatam conclamarunt procul ab urbe Roma, sibique victoriam mille mendaciis & fraudibus accinerunt. Hoc ipsum ante paucos annos in hisce novis Doctoribus experti sumus. Damnatâ quippe Romæ à Clemente VIII. illorum sententiâ de Confessione per litteras & internuncium, illicò extra urbem, ac potissimùm in Hispania, in Scholis passim & pulpitis conclamarunt, se eo Judicio Pontificio nequaquam petitos esse, sed alios, de quibus ipsimet apud Apostolicam Sedem expostulaverant, & ad sententiam ferendam adduxerant. Quo casu mille fabulas risu dignas egere, à quibus proferendis abstinemus, uti & alias hîc scenas missas facimus, quas occasione dilati Judicii Pontificii præbuere, dum divinorum auxiliorum Congregatio soluta est.

§. 4.

Accedit ratio altera ex D. Athanasio petita, libro de Spiritu Sancto ad Serapionem. Narrat scilicet eò loci Macedonii calliditatem, qui Spiritus Sancti divinitatem oppugnare cœpit, specie oppugnandi Arianismi: eoque obtentu fidelium sibi benevolentiam conciliavit, qui eum religioso oppugnandi Ariani erroris studio duci existimabant, cùm è contra nihil aliud sentiret ille, quàm Arius, ambóque in ejusdem blasphemiæ professionem conspirarent. Fraudem detexit Serapion Episcopus pientissimus, & Athanasium per litteras monuit, quàm præsenti remedio opus esset: *Eo etenim periculosiùs hæresis illa grassari cœperat*, inquit Baronius ad ann. 360. *quòd licet prodiret ex Arianis, tamen ejus promulgatores adversari se Ario profitebantur.*

Ea se astutiâ muniunt Doctores isti nuper exorti. Oppugnandi Pelagianismi specie, novam in Ecclesiam doctrinam intulere, cùm sua pené omnia ex Pelagianorum officinâ derivarint, quemadmodùm in Congregationibus habitis ostensum est. Pelagio æquè ac Calvino bellum indixisse videri volunt, ac tantâ quidem ostentatione atque jactantiâ, ut illorum ductor exercitus, à quo etiam Schola recens nomen habet, scripturire non erubuerit, nec Pelagianam quidem hæresim orituram fuisse, si sua illa inventa divinæ gratiæ hostibus exposuisset Augustinus. Id porro quo consilio jactitatum? nisi ut fidelibus turpiùs illuderent; quasi medias oppugnandi Pelagianismi & Calvinismi vias invenerint, reliquis Ecclesiasticis Tractatoribus prorsùs ignotas. Hinc itaque nova vulgandæ definitionis Apostolicæ necessitas oritur: ne honesto illo obtentu suscitatus error latiùs serpat & ambitiosiùs.

CAPUT III.

Quantùm expediat controversiam definiri, ob Apostolicæ Sedis honorem & dignitatem.

§. UNICUS.

Superest ultima, eaque gravissima vulgandi Judicii Apostolici ratio, à D. Bernardo præ cæteris commendata, Pontificii scilicet muneris obligatio. Nemini quippe dubium est, quin eo præsertim titulo, universali Ecclesiæ præfectus sit Summus Pontifex, ut enatas controversias dirimat; veritatem in aperto ponat; Apostolicæ Traditionis dogmata non arcano dumtaxat sinu foveat, sed publicam in lucem solenni judicio prodat, dum id fidelium inter sese dissidia postulaverint. Exstat in hanc rem explicatissima Deuteronomii lex, Capite 17. *Si difficile & ambiguum apud te judicium esse perspexeris &c. & Judicium intra portas tuas videris verba variari; surge & ascende ad locum quem elegerit Dominus Deus tuus, veniesque ad Sacerdotem & ad Judicem, qui fuerit illo tempore; quæresque ab eis, qui indicabunt tibi judicii veritatem.* Nec alia de causa Summus Pontifex in lege nova institutus est, quàm ut subortas in Ecclesia controversias indeficienti judicio dirimat. Hinc D. Bernardus Epist. 188. Moÿsis in Montem ascensuri verba recolens, *Habetis Aaron & Hur vobiscum: si quid natum fuerit quæstionis, referetis ad ipsos*: Christum eâ figurâ præsignari monet, qui Summum Pontificem in Cælos ascensurus Ecclesiæ dedit, ut eâ qua pollet autoritate ac zelo emergentes quæstiones enodet. Quo etenim jure Regiæ autoritatis est, civiles subditorum controversias definire, Jus in temporalibus populo dicere, sarta tectaque cuique bona servare; ita Pontificii muneris est, enatas in Spiritualibus lites dirimere, doctrinæque ac fidei quæstiones Cœlesti veluti nutu definire. Quod usque adeò certum est, ut ejus interdum de subortis controversiis definitionem, interminatâ etiam divini Judicii pœnâ, illi requisierint. Sic sané Justinus Imperator & Justinianus Comes emergentis controversiæ judicium ab Hormisda summo Pontifice expostularunt. *Tremendi Judicii*, inquiebant in data ad illum Epistolâ, *non immemor Sanctitas vestra*,

vestra, quæ sibi commissa sunt efficaci e tradi deproperet: ut intelligant cuncti, rectè vos Apostolicæ Sedis Primatum fuisse sortitos. Nec verò id mirum: cum & Gelasius ipse Anastasio Imperatori rationes exponens, cur à ferenda sententiâ abstinere tutâ conscientiâ non posset, istam præ cæteris proferat, (in Epistola apud Baronium ad annum 494.) *Dispensatione enim divini Sermonis mihi injunctâ væ mihi est si non Evangelizavero. Quod cum vas electionis B. Paulus formidet & clamet, multò magis mihi exiguo metuendum est, si divinitùs inspiratum & paternâ devotione transmissum subtraxero ministerium prædicandi.*

Pari profectò consilio Hieronymus Damasum compellavit Epistolis 57. & 58. ut fluctuantem veritatem in tuto poneret, dum celebrato Nicæno Concilio, controversia de tribus in Deo Hypostasibus orta est. Has ille palàm dicere detrectabat, quòd ea loquendi ratio nova in Ecclesia videretur, nec satis quid hac in parte certi constitueret, noverat sanctissimus Doctor. Damasum ergo convenit Epistolis, rogans ut sentiendi loquendique rationem præfigeret, pro eâ quâ in universam Ecclesiam valebat autoritate: futurumque spopondit, quod in Evangelio Christus Dominus adpromisit, *Ubi fuerit corpus, illuc congregabuntur & aquilæ*: fideles scilicet universos in eandem sententiam cum Romano Pontifice consensuros. *Apud vos solos*, inquiebat Ep. 77. *incorrupta Patrum servatur hæreditas... Vos estis lux mundi, vos sal terræ.... Quanquam igitur tui me terreat magnitudo, invitat tamen humanitas. A Sacerdote, victimam flagito salutis à pastore præsidium ovis.* Tum demùm in altera supplicationes suas ita concludit: *Obtestor Beatitudinem tuam, per Crucem Domini, per necessarium fidei nostræ decus, per passionem Christi, ut qui Apostolos honore sequeris, sequaris & merito... Noli despicere animam, pro qua Christus mortuus est.* Iis scilicet verbis innuens, has illi sanciendæ veritatis partes ex Pontificiæ dignitatis officio incumbere, eumque commisso sibi gregi defuturum, si minùs illas exsequeretur.

Jam verò si Damasum Hieronymus compellavit, dum nominis potiùs, quàm rei quæstio vertebatur; quid facturum illum existimamus, ubi rei gravissimæ controversia moveretur? Gravior hoc in casu edendæ definitionis Apostolicæ religio instat, nec sine summo Ecclesiæ damno negligi potest. *Tempus est*, inquiebat aliàs Divus Bernardus, in non absimili rerum eventu Ep. 190. ad Innocentium II. *Tempus est, ut vestrū agnoscatis, Pater amantissime, principatum, probetis zelum, ministerium honoretis: in eo planè Petri impletis vicem, cujus tenetis & Sedem, si vestra admonitione corda in fide fluctuantia confirmatis, si vestra autoritate conteritis fidei corruptores.* Similiter & Patres Concilii Carthaginensis, Innocentio I. significarunt, quanta ipsi ex Pontificii muneris religione incumberet proscribendi Pelagianismi necessitas: primùm quòd Pelagius in erroribus promovendis experrectus & ardentissimus esset: secundò quòd multos ubique gentium sectatores atque discipulos sibi faceret: tertiò quòd agitatæ ab illo divinæ gratiæ quæstiones nostrarum orationum religionem ac pietatem prorsùs exstinguerent. Quæ tria Summum Pontificem ad proscribendum sine morâ Pelagianum errorem impulerunt.

Videat nunc Sanctitas vestra, num hoc ipsum impræsentiarum experiamur. Inductâ nuper in Ecclesiam doctrinæ novitate de divinæ gratiæ auxiliis & humanæ voluntatis arbitrio, ad Inquisitores generales & Nuntios Apostolicos res illicò delata est. Causam illi, inspectâ argumenti dignitate, diligentiùs examinarunt: cumque esset ferendo judicio matura, eam Pontifex Maximus Romam adscivit; spopon ditque sæpenumerò rem sese quantociùs confecturum. Tum subinde permulti Romæ Congressus habiti, Disputationes initæ, data & in Commentarios relata deputatorum Censorum judicia. In Apostolicam itaque Sedem totus orbis defixos habet oculos, magnâque spe definitionis Apostolicæ suspensus hæret, ex ea potissimùm die, qua eam se Beatitudo vestra opportuno tempore promulgaturam, dato solenni Rescripto spopondit, suamque veluti fidem partibus dissidentibus obligavit. Nusquam-ne igitur opportunitas illa temporis occurret? Nusquam-ne illucescet optata dies, Beatissime Pater, quo sacrum illud veritatis Oraculum licebit excipere, osculari? Novas in dies ex hac tantâ Judicii procrastinatione vires obtinent Novatores; inventa sua longe latéque diffundunt; doctrinæ suæ suffragatores undequaque congerunt, ac nisi brevi Pontificia definitionis oraculum prodeat, spes omnis demùm excidet propulsandæ novitatis, & sanciendæ veritatis.

CAPUT IV.

Satisfit momentis adversæ partis, quibus Apostolicæ Sedis Judicio intercedunt.

§. 1.

HAc in primis Novatores isti ratione pugnant. Quæstiones in judicium vocatas, ex eorum numero non esse aiunt, quas definire sit opus, sed liberæ Theologorum opinioni permitti, ut quisque de illis pro arbitrio sentiat: quales aliæ propemodùm infinitæ à Theologis hinc inde pro ingenii libertate agitantur.

At pristinæ professionis suæ & anteactorum meminisse opus est, quotquot jam ita garriunt. Quæstiones quippe in judicium vocatas, non opiniones esse, sed fidei, in publicis congressibus fassi sunt adversæ partis Actores non semel & iterum, sed multis admodùm vicibus. Rursùs, de suscitato Pelagianismo postulabantur; atque an ita res esset, quæstio secundùm Juris formas apud Apostolicam Sedem instructa est. de fide itaque, non de opinionibus agebatur. Hinc toties in Congregationibus disputatum, An Molina cum Pelagianis sentiret? An cum Cassiano cæterisque Massiliensibus conveniret? An hæc vel illa sententia ex Pelagianismi fontibus derivata esset? An easdem ac Augustinus libero arbitrio vires Molina tribuerit? An Justificationis initium liberi arbitrii conatibus Molina dederit? aliáque id genus de caritate, de fide, de virtutibus, de tentationum victoriâ, de gratuitâ vocatione, de scientiâ futurorum, longè multa, in quibus Molinam Pelagianismi luto hærere demonstratum est, & à constitutis Judicibus pronuntiatum. Quid itaque nunc sibi volunt, dum controversias illas omnes præter fidem esse dicunt, & liberæ Theologorum opinioni permittendas; ut speciosâ illa circulatione Sanctitatem vestram à vulgandâ Apostolicâ definitione dimoveant?

Communis est ille Hæreticorum astutia, maximè verò Pelagianorum, de quibus ita scribit S. Augustinus lib. 2. de peccato originali cap. 23. *Volentes hæreseos astutè invidiam declinare, asserunt istam præter fidei periculum esse quæstionem; ut videlicet, si in eâ fuerint exorbitasse convicti, non criminaliter, sed quasi civiliter errasse videantur...... Perspicitis id eum egisse, hac prælocutione præmissâ, ut si quid in illo apparuerit erroris, non in fide, sed in quæstionibus quæ sunt præter fidem, videretur errasse; ubi etsi corrigendus est error, non tamen tanquam hæresis corrigatur: & qui correctus fuerit, ita dicatur errare, ut non tamen hæreticus judicetur.*

Plus satis à nobis ostensum est, non ex earum numero esse quæstiones illas, quæ liberæ opinioni permitti debeant: cùm ipsa Religionis fundamenta concutiant, easdemque veritates impetant, quæ jam pridem à Pelagianis & Massiliensibus oppugnatæ sunt. Nec enim si secùs esset, tanto eas studio, tanto apparatu Apostolica Sedes ventilasset, indictis per tot annos Congregationibus celeberrimis, auditis Academiis, Theologis ad Judicium vocatis. Imò verò eâ solemnitate Causa illa tractata est, ea totius orbis exspectatione institutum examen, ea religione vulgandæ tandem aliquando sententiæ, oppignorata Sedis Apostolicæ fides; ut hærere jam, atque suspensâ definitione Apostolicâ pedem figere, pudor sit.

§. 2.

ADdunt ad idem institutum Novatores, à ferenda definitione abstinendum esse, ne orbis eo judicio commoveatur. Nec id modò tantùm obtrudunt; sed & illo quondam terriculamento Clementem VIII. à ferendâ sententiâ dimovere conati sunt, ingentes fidelium motus & scandala comminati, si Moliniana dogmata damnarentur.

Et hæc quoque familiaris hæreticis calliditas est, motus, seditiones, & scandala comminari, ut Ecclesiæ Judicium effugiant. Hac arte usos Eutychianos, narrat Evagrius lib. 3. cap. 5. ut Concilii Calcedonensis definitiones eliderent. Imperatores Basiliscum & Marcum litteris commovêre, quibus Calcedonensia Decreta minimè vulganda inquiebant, *Pro certo persuasi, mundum, si id fieret, seditionibus eversum iri.* Pari calliditate Anastasio Imperatori suaserunt alii, ne Pontificias Constitutiones, ad confodiendam ipsorum hæresim à Gelasio latas, vulgari sineret, ne turbaretur Imperium. *Apud Baron. ad an. 476.*

Tantùm porro abest, ut orituræ seditionis metu, causa injudicata dimitti debeat; quin potiùs idcircò maturanda definitio est, ne altiores radices novitas agat, novumque sectatorum multitudine robur obtineat. Hac ratione permoti Carthaginensis Synodi Patres coram Innocentio I. supplicarunt, ut Pelagianam hæresim brevi configeret, quæ novis spatio temporum viribus augebatur. Innocentium II. adduxit D. Bernardus, ut Petri Abaelardi errores sine mora proscriberet, ne rei conficiendæ difficultas sententiæ procrastinatione au-

geretur in dies: sic enim cum sociatis nonnullis Episcopis scribebat Epistolâ 191. *Quia ergo homo ille multitudinem trahit post se, & populum, qui sibi credat, habet; necesse est ut huic contagio celeri remedio occurratis. Sero enim medicina paratur, cum mala per longas invaluere moras.*

Jam quod objicitur ex Pontificia definitione scandalum oriturum, ludicrum est. Illud immò scandali loco habendum, quòd istud viri Religiosi ac Theologi comminari audeant. Digna quippe Gregorii Magni sententia est, super Ezechielem, *Quando de veritate nascitur scandalum, utilius permittitur nasci scandalum, quàm veritas relinquatur.* Aliàs à ferenda etiam in Lutheranos sententiâ temperandum fuisset; cùm universam penè Germaniam infecissent, ejusque Principes benè multos suis partibus addixissent: ab Arianorum damnatione abstinendum, cùm toto penè orbe diffusi essent, Potentum gratiâ tuti, ac Sectatorum multitudine formidandi. Tantùm igitur abest, ut infausti quidpiam Ecclesiæ catholicæ ex Pontificio Judicio oriri possit; quin immò in ejus pacis & gloriæ cumulum cessuram hujusce litis definitionem, æstimandum est. Quocirca notanda venit Constantini Imperatoris Epistola ad sextam Synodum œcumenicam; dum excitatis gravissimis controversiis, causam fidei à sanctissimis Sacerdotibus finiri supplicavit, in spem optatissimæ pacis Imperio suo restituendæ: *In pace namque fidei*, inquit, *pariter compactam à Christo dilectam Rempublicam nostram confidimus.*

§. 3.

OPponunt tertio loco Novatores, multas Theologorum arbitrio permitti gravissimas controversias: uti sententiam de immaculato Virginis conceptu, quam nec Concilium Tridentinum, nec Romani Pontifices definiendam judicarunt.

Verùm longè aliter se res habet impræsentiarum. Nulla etenim Scripturarum aperta testimonia suppetunt, nulla Ecclesiæ facta revelatio, nulla Patrum imperturbata traditio, de Immaculato conceptu Virginis, quibus niti Canonica definitio possit. At vix ulla divinarum Scripturarum pagella est (uti loquitur Innocentius I. ad Milevitanæ Synodi Patres) ubi divinæ gratiæ necessitas non magnopere commendetur. Vix novi quidpiam de divinis auxiliis fingi statuique potest, quod à Synodis Africanis, Patribusque hæreseos Pelagianæ debellatoribus, non fuerit in antecessum occupatum, ac minutatim dispunctum. Quibus omnibus Ecclesiasticam de rebus controversis definitionem superstruere facile est.

Sed nec illud omittendum hoc loco: eam fuisse hactenus Ecclesiæ catholicæ providentiam, ut etsi nonnunquam ab edendâ solenni definitione temperarit, peculiari nihilominus studio, saniori semper atque tutiori doctrinæ tuendæ providerit. Sic legem præmittendæ Confessionis Sacramentalis, dum quis peccati mortalis sibi conscius ad Eucharistiæ Sacramentum accedit, ita sartam tectamque voluit Concilium Tridentinum, ut illos excommunicatione petierit, qui secùs docere ac prædicare præsumerent. Sic Viennense Concilium sub Clemente V. eorum Theologorum sententiam, qui gratiam informantem atque virtutes parvulis etiam in Baptismo conferri docent probabiliorem pronunciavit, & Sanctorum Patrum assertionibus consentaneam. Nusquam tamen Ecclesia cuique licitum fecit in gravissimis controversiis, quibus stat Religionis Catholicæ fundamentum, pro arbitrio & ingenii libertate sentire.

§. 4.

OBjectant ultimo tandem loco Novatores, partem adversam nova etiam vocabula in Ecclesiam induxisse: ut pote, quæ *Physicæ Prædeterminationis* vocem, Patribus ignotam usurpet:

Quibus breviter reponimus, nolle nos de vocibus disputare, modò de doctrinæ capite constiterit: *Judaicæ quippe perfidiæ genus est, relictis rebus, syllabas consectari*; ut aliàs inquiebat Gregorius Nazianzenus. Gratiam se ipsâ efficacem, in solennibus Congressibus propugnavimus; qua Deus movet hominis voluntatem ad singulos pietatis actus, non solùm interiùs suadendo, invitando, & excitando moraliter, verùm etiam activè, propriè ac verè efficiendo, ut liberum arbitrium infallibiliter consentiat. Rursus hanc divinæ gratiæ efficaciam ex Dei in hominum voluntates omnipotentissima virtute atque dominio oriri defendimus, quovis exploratricis scientiæ mediæ semoto lumine. En nostræ doctrinæ summam, de qua potissimùm à Censoribus pronuntiatum est. Id si nobiscum admiserint adversarii, nulla aut certè minima supererit de nomine controversia. Physicæ quidem Prædeterminationis nomen, ad id significandum usurpavimus, nec immeritò: quòd aliis penè omnibus voculis adversæ partis Actores abuterentur, nostrique dogmatis summam eo vocabulo congruentiùs explicari putaremus. Quid verò

verò, si novum illud utcunque videri posset? Observat siquidem eleganter Cardinalis Baronius ad annum 496. Ecclesiam ad nova interdum vocabula usurpanda cogi, ob singularem hæreticorum audaciam: qui cùm tritis sæpiùs vocibus abutantur, catholicos penè invitos ad novas etiam usurpandas impellunt. Hinc Consubstantialis, Deiparæ, Transubstantiationis, vocabula necessariò usurpata, ut antiqua Ecclesiæ fides adversùs Hæreticorum dicacitatem exponeretur: *Nova*, inquit, *in Ecclesia catholicâ opus fuit excogitare vocabula, cùm hæretici prioribus abusi vocibus simpliciter proferri solitis, ex illis suam ipsorum sententiam roborari conati sunt.* Sic & nos pari necessitate compulsi sumus, physicæ Prædeterminationis vocabulum usurpare; ut gratiæ se ipsâ efficacis omnipotentissimam, insuperabilem, & indeclinabilem energiam ab Augustino contra Pelagianos assertam, significemus: id à nobis exigente adversæ partis dicacitate, quæ aliis quibusve vocabulis licentiùs abutitur.

XVII.

QUÆSTIO THEOLOGICA, HISTORICA, ET IURIS PONTIFICII:

Ad Paragraphum nonum Præfationis Hist. de Auxiliis.

Quæ fuerit Mens Concilii Tridentini circa Gratiam Efficacem, & Scientiam-Mediam.

CUI SUBJICIUNTUR

THESES APOLOGETICÆ

Adversùs Solutionem ejusdem Quæstionis.

PRÆFATIO AD LECTOREM

Thesibus Apologeticis præfixa.

RAtio quâ homines à brutis distinguimur, generosa mentis supra plebeias erectæ indoles, quæ literarum cultoribus debet esse ingenita, Christiana pietas quam profitemur, gradus ad quem in Ecclesia, licet immeriti, sumus evecti, veritas quam tuemur, Dei gratia pro qua pugnamus, Autoris exemplum cujus Apologiam aggredimur, nedum stylum, verùm etiam linguam & animum penitùs avocarunt ab scriptione simili ei quam Autores Solutionis nuper exhibuerunt. Lumen illud vultus Divini signatum super nos, rationibus, non morsibus belluarum instar agendum suadet, nobilis ille Sapientiæ, ad quam aspiramus, Genius vulgares muliercularum, aliorumque de vulgi fœce homuncionum rixantium mores prohibet imitari, Christianæ religionis præcepta injuriarum retaliatione interdicunt,

moderamen inculpatæ tutelæ, etiam in legitima defensione, præscribunt. Sacerdotalis dignitas scurrilia scommata & sarcasmos, præsertim rebus sacris intermixtos, tanquam blasphemias abominatur. Conjunctissima Veritatis & Virtutis cognatio, sicut vetat istam mendaciis promovere, ita non sinit illam motibus animi malè coërcitis & satyricis facetiis propugnare. Dei Gratia, ut potè divinæ naturæ participatio, caritate ac zelo Veritatis, sed non amaro, nec ortis ex vanæ cujuspiam gloriæ ambitu contentionibus delectatur. Denique Autoris exemplum ad hunc nos defensionis modum cogit, cui (ut certò novimus) plurimùm displiceret aliis quàm quibus ipse usus fuerat armis, Veritate nimirùm atque modestia propugnari; cùm & ipse in Quæstione, ubi duriora quædam verba narrationis series exigebat, lenioribus, quantum potuit, conatus sit emollire. Quare ne mireris, Lector erudite atque benevole, si omnes Autorum Solutionis injurias, dicteria, aliáque id genus pungentium verborum acumina, in his nostris Apologeticis Thesibus ita dissimulemus, ut nec legisse videamur: profectò negligere in animo fuit quæcunque ad rem non faciunt, & illis dumtaxat satisfacere, quæ aliquam probabilitatis speciem præ se ferentia, re tamen verâ impetunt Veritatem. Quo fiet, ut tria, in quo adversæ partis asseclas impegisse manifestum est, offendicula devitamus; imprimis scandalum, quod ex verbis disputantium inordinatis oriri solet, non ex Veritatis defensione, ex qua etiamsi nonnulli scandalum non datum sumerent, *Utiliùs tamen*, inquit Augustinus de libero arbitrio, *illud permitteretur nasci, quàm Veritas relinqueretur.* Deinde non onerabimus cartas rebus alienis, & nihil ad Quæstionem facientibus; sed ipsam, ut sic loquamur, rei de qua agitur, substantiam attingemus; quod alii minimè præstiterunt. Si enim attentiùs adverteris, & seclusis tantisper affectuum præjudiciis æquam volueris ferre sententiam, perspicies procul dubio Solutionis autores, ut illis semiacutis facetiis locum darent, nullam omninò thesim quoad substantialia historiæ, nec nisi quoad aliqua penitùs extrinseca, impugnasse. Denique à tenebrosa confusione ordinatim procedendo cavebimus, ac singulas Theses Quæstionis, adversùs quas aliquid moverunt, juxta illarum ordinem nullâ impugnatione prætermissâ tuebimur, colligentes quæ sparsim & promiscuè ab adversariis sunt objecta: nullum enim ordinem ipsi tenuere, quod duplici de causa factum arbitramur: primùm quidem, ut liberiùs more Rhetorum vagarentur, neque historica serie stylum castigante, coercerentur: præterea ut difficillimam atque adeò à paucissimis tentandam Thesium cum Responsionibus collatio-

collationem efficerent, & ista arte Lectores ludificarentur, qui dum nequeunt ambas ad invicem conferendo examini subjicere, non possunt veritatem Thesium & Responsionum jejunitatem percipere: & dum vident quibusdam saltem specie tenùs, satisfactum, idem prorsùs de omnibus arbitrantur. Verùm, ut hæc omnia detegantur, subjiciemus primò Thesim, deinde Responsiones & argumenta reprehensorum, & tandem Apologiam nostram. Ne mireris tamen, si ipsissima adversantium verba minimè repræsentemus, noluimus facetias seriis immiscere, aut tot injuriarum meminisse: non potuimus dispersa hinc inde unà colligere, nisi repetitione inutili pluries eadem scriberentur. Satis superque visum fuit, si nihil prætermitteremus eorum quæ objiciunt: quod nos præstitisse, sicut & omnibus satisfecisse, speramus te judicaturum, si legeris. Vale.

PRIMA THESIS QUÆSTIONIS.

SAcro-sanctum Concilium Tridentinum Oecumenicum post hominum memoriam celeberrimum adversùs Lutheri atque Calvini hæreses anno 1542. indictum, (a) 1545. incœptum (b) die 18. Junii 1546. de justificatione cœpit inquirere, (c) aliisque quæstionibus pertractatis, 20. Augusti de gratiæ efficacia & libero arbitrio captum agi. (d) Unde ad quæstiones de prædestinatione transitus factus est. (e) Tandem post varias disputationes 13. Januarii 1547. de his in sess. 6. definitum adversùs prædictorum Hæresiarcharum errores, (f) quorum is præcipuus, liberum hominis arbitrium motum à Deo & excitatum, non posse dissentire aut cooperari: atque adeò libertatem tolli per motionem Dei & gratiam prævenientem: de illa enim præcipuè loquebantur. (g)

Hæc prima Thesis nulla reprehensione notatur ab adversariis.

(a) Ex Bull. Indictionis.
(b) Ex 1. sess. Concilii.
(c) Ex Actis Concilii.
(d) Ex Act.
(e) Ibidem.
(f) Text. Conc. sess. 6.
(g) Hosius Card. lib. de Hæresibus, & Bellar. l. 4. de gra. & lib. arb. cap. 5.

II. THESIS QUÆST.

ILli sessioni aderant quatuor Illustrissimi S. R. E. Cardinales (a) è quibus duo Legati, scilicet Cardinalis de Monte, & Marcellus Cervinus Cardinalis Bellarmini avunculus, qui post fuere summi Pontifices, (b); aderant & decem Archiepiscopi. 47. Episcopi (c), Jayus Societatis Jesu, Procurator Cardinalis Augustani (d) & inter plurimos Theologos Salmeron ejusdem Societatis, & Laynes, quos tres B. Ignatius monet per litteras, ne novam ullam opinionem amplecterentur, licet rationibus & auctoritatibus fulta videretur. (e) Erat & Dominicus Soto Ordinis Prædicatorum, qui ibidem libros de natura & gratia Patribus Concilii dicatos (f) & à Legatis cum laude approbatos (g) edit in lucem (h) sicut & Andræas Vega Ordinis Minorum, & ipse in Concilio, quæstiones de Justificatione, & mox commentarios in 6. sess. Trid. (i) quæ opera laudat Canisius Societatis Theologus (k)

(a) Ex subscriptionibus.
(b) Ex vitis summorum Pontificum.
(c) Ex subscriptionibus.
(d) Ex subscr.
(e) Orland. Jesuita hist. sua Societ. lib. 6. n. 25. & 26.
(f) Ex Præfatione Soti.
(g) Soto in Apologia cap. 5. Catharinus advers. Apol.
(h) Ex edit. libi Soti.
(i) Ex edit. lib. Vega.
(k) In præf. ad libros Vega.

In hac secunda Thesi unum criminantur n. 1. videlicet, quod Autor scribens anno 1607. ut apparet ex editione, laudaverit Orlandinum, cujus opus non prodiit ante annum 1615. sicut nec Sacchini ante annum 1620. quem tamen etiam citat Autor quæstionis Thesi 28.

Verùm præterquam quod hæc valdè extrinseca sunt, neque narrationis fidem evacuant, quid si auctor in manuscriptum Orlandini codicem inciderit? Quid si error fuerit Typographi annum 1607. pro anno 1627. aut 1637. reponentis? Quid quod hic lapsus Typographo editionis annum dissimulanti tribuendus videtur potiùs quàm Autori? Neque enim solent Scriptores ad annum attendere, quo Typographus editionem designat. Debuerant reprehensores ostendere ea quæ ab Autore citantur, non haberi in Orlandino & Sacchino, quod tamen non potuerunt. Maneat igitur hujus secundæ Thesis inconcussa veritas.

III. THESIS QUÆST.

SUb finem Concilii, ejus mandato Catechismus componitur, præsertim à Leonardo Marino Archiepiscopo Lancianensi ex Ordine Prædic. Ægidio Fuscarario Episcopo Mu-

tinensi ex eodem Ordine, & Francisco Forerio ejusdem Ordinis (a). Hi Romam ire jubentur, ut opus illud absolutum judicio S. Sedis evulgent (b). Recensitum & perfectum ab Illustrissimo Guilielmo Sirleto (c) qui Tridentino interfuerat (d) & Sylvio Antoniano Cardinali (e), toti Ecclesiæ proponunt Pius V. & Gregorius XIII. (f) Suscipiunt quinque Synodi Provinciales Mediolanenses sub S. Carolo Borromæo (g), Beneventana (h), Ravennas (i), Salisburgensis (k), Genuensis (l), Rothomagensis (m), Burdegalensis (n), Turonensis (o), Tolosana (p), Gnesnensis (q), Avenionensis (r), Aquileiensis (s): quæ omnes fere approbatæ sunt à sacra Cardinalium Congregatione, vel à summis Pontificibus (t). Venerantur eundem Principes (u), & Theologi (x), etiam Patres Societatis (y)

(a) Acta Conc. & Caspar Silingandus lib. de Episc. Mutinensibus & Chronicon Ord. Præd.
(b) Ex sess. ult. Concilii.
(c) Victorellus in Addit. ad Ciacconium in Pio 4. in 4. Car. creat.
(d) Cum Card S. Crucis legato, cujus tunc erat domesticus. (e) Victorell. in Addit. in Clem. 8. in 4. Card. creat. (f) In Bullis & Brevibus inf. citandis. (g) 1565. 1569. 1573. 1576. 1579. (h) 1567. De prædicatione Verbi Dei cap. 2. (i) 1568. De seminario cap. 4. (k) 1569 Constitutione 42. cap. 2. & Constitut. 59. cap. 7. (l) 1574. Tit. de Parochis. (m) 1581. (n) 1582. (o) 1583. (p) 1587. (q) 1588. (r) 1594. (s) 1596. (t) Ex Actis earund. Synod. (u) Albert. Dux Bavar. apud Fabricium & alii (x) Ederus, Bell. & alii. (y) Regula de Præfecto lectoris mensæ.

Hanc tertiam Thesim aggrediuntur n. 36. quia quæ ad Catechismi Tridentini commendationem Autor commemorat plus nocent, quàm prosint.

Scilicet nocent, quòd mandato Tridentini à sapientissimis, piissimis, & PP. Societatis studiosissimis viris sit compositus, à Purpuratis Patribus recensitus, à Pio quinto & Gregorio decimo-tertio approbatus, à sexdecim Synodis Provincialibus confirmatis susceptus, à Principibus, Theologis, etiam ab ipsis Patribus Societatis commendatus. Quid quæso poterit prodesse, si hæc noceant?

At, inquiunt, commendatur ex falsis.

Benè est, si probaverint: sed tenentur duo ad minus ex tot capitibus falsitatis accusare, ut verum dixisse vel specie tenùs videantur: enim verò ubi dixerunt commendari Catechismum ex falsis, non nisi unicum caput reperire potuerunt, quod falsitatis vel apparenter insimularent.

Non potuit, inquiunt, Synodus Mediolanensis anno 1565. habita Catechismum suscipere anno dumtaxat 1566. editum.

Verùm retunditur acumen Chronologicum, quia noverant Patres illius Synodi mandatum Tridentini, cui ferè omnes interfuerant. Ipse Sanctus Carolus Boromæus Legatus à latere & illius Concilij Præses, cujus opera (ut in ejus Vita dicitur) hic Catechismus prodiit, probè noverat Pium IV. Avunculum suum Catechismi compositionem vel in primis curare, & jam fortè vir sanctus opus illud inter manus Cardinalis Sirleti, olim Præceptoris sui, viderat recensendum: atque adeò in præfata Synodo illius meminere Constitutionum parte secunda, titulo primo, & distinctiùs eadem parte, titulo, Qui libri à Clericis legendi, ubi sic decernunt. *Clerici &c. habeant sacrorum librorum, si non copiam, saltem necessarium delectum, omninò verò Testamentum Vetus & Novum,* CATECHISMUM *Romæ edendum, cum primùm in lucem prodierit.* Ecce jam constare incipit quanta sit fides reprehensorum. Habemus Catechismum undequaque ex verissimis commendatum (etiam ex Regulis Patrum Societatis), in quibus licet non nisi Divi Bernardi * opera probaretur, hoc tamen sufficeret, ne illius autoritatem quisquam temerè denegaret: quantò magis cùm jam tot fundatissimis commendationum basibus innitatur?

* forte Borromæi.

IV. Thesis Quæst.

Circa idem tempus Scientiam-mediam excogitant Molina (a) vel Fonseca (b); non audent tamen typis mandare (c): discipulos illam privatim docent: hos inter Lessius, qui paulo post Lovanii prælegens, propositiones quasdam de prædestinatione & gratia dictat, quibus offensa Academia 1586. Censuram in eas profert (d), eamque imitatur Duacensis (e), præmonita à RR. DD. Ludovico de Berlaymont Archiepiscopo Cameracensi, Joanne Hauchino Archiepiscopo Mechliniensi, & Guillelmo Lindano Episcopo Gandavensi. Controversia ad Pontificem delata, tulit ille (scilicet Lessius) temeritatis sive acrem reprehensionem (f). Sixtus V. utrique parti silentium indicit anno 1588. (g), quo tamen Generalis Societatis solvit Molinam, cùm eodem anno ejus Concordiam approbat (h), ne victus cum suis videretur.

(a) 1. p. q. 14. à 13. disp. 18.
(b) 6. Metaph. q. 4.
(c) Idem ibid.
(d) Censura Lovan.
(e) Censura Duac.
(f) Henr. Henriq. lib. de ult. fine homi. nis c. 12. in comment.
(g) Acta Cong. de Auxiliis.
(h) Facultas Generalis.

In istam quartam Thesim ex quatuor præsertim insurgunt numero 13. 14. 15. Primum est, quia subticuit autor, Lovaniensis Academiæ Censuram factam esse inutilem Bullâ Octavii Frangipani Episcopi Calatini, Apostolici Nuntii, dicentis motas fuisse dissensiones super quibusdam sanæ doctrinæ articulis: Illi autem, inquiunt, erant articuli Lessiani: igitur articuli Lessii sanæ doctrinæ dicti sunt.

Respondeo hoc argumentum malè compactum esse: sicut si quis hæreticus diceret. Motæ sunt quæstiones in Germaniâ super quibusdam sanæ doctrinæ articulis: atqui illi

illi articuli sunt Lutherani : ergo Lutheri articuli sunt sanæ doctrinæ; non valeret hoc argumenti genus, quia cum motæ dicuntur dissensiones inter duas partes, præsertim Catholicas, de quibusdam sanæ doctrinæ articulis, idem prorsus est ac si diceretur, controversum esse, quinam sint veri & sanæ doctrinæ articuli. Quare etiam cum Patres Societatis vulgassent, Academiam Lovaniensem retractasse prædictam Censuram: Sacra ejus Universitatis Facultas eandem Censuram confirmavit an. 1613. & ab ea se nunquam discessisse, neque discessuram testata est, donec à Sancta Sede res definiretur. Hoc autem nunquam commisissent sapientissimi viri, si doctrina Lessii tanquam sanæ doctrinæ à Legato promulgata fuisset.

Secundum caput criminationis est, quòd autor citaverit Henricum Henriquez lib. de ultimo fine hominis cap. 12. (cujus loco Typographus malè apposuit c. 13.) quasi loquentem de Lessio; cùm tamen, inquiunt, ne verbum quidem habeat de illo, qui erat Lector & impugnator Catharini : Henriquez verò loquitur de Concionatore ac sectatore Catharini.

Ut ista evanescant repræsentamus locum Henriquez; in textu sic habet: *Quidam Theologi labore minus utili sententiam Catharini de prædestinatione causâ prævisâ, erroris excusare contendunt.* In commentario autem littera B. sic dicit : *Bannes, Zumel*, &c. *damnant sententiam Henrici, quem sequitur Catharinus damnatam ab Art. Parisiensibus* cap. 28. sic. *Petrus Diaconus & Maxentius oppositam tenent, Fausti damnant erroris. Item Augustinus sæpè seriò id affirmat; & colligit ex scriptura, & probat antiquos PP. id sensisse. At satis videtur, si damnetur temeritatis : esse planè contra D. Augustinum* §. 3. *constat, & agnoscit etiam Catharinus, quem Augustinum PP. in Conciliis, & major meliórque pars Theologorum antiquorum & torrens recentiorum sapientum sequitur in omni ferè Academia orbis Christiani. Quidam doctus prædicavit in Academia Lovaniensi oppositum cum magno scandalo Academiæ, & re ad Sixtum 5. Papam delata, sustinuit suæ temeritatis acrem reprehensionem.* Hæc Henriques.

Ex his constat 1. Doctum illum secutum fuisse sententiam Catharini de prædestinatione causâ prævisâ. 2. Academiam Lovaniensem fuisse commotam. 3. Rem delatam fuisse ad Sixtum V. Hæc autem omnia convenire in solius Lessii factum constat. Nam primò Lessium fuisse sectatorem Catharini, quantùm ad sententiam illam de prædestinatione ex prævisis meritis, probatur tum ex Assertione prima de Prædestinatione, relata in Censura Lovaniensi, tum ex Lessii operibus disp. de prædest. sect. 2. usque ad 6. Lessium ac sequaces, sicut & Catharinum, parùm modestè se habuisse erga D. Augustinum, liquet ex epistola Academiæ Lovaniensis ad PP. Societatis, quæ Censuræ præmittitur.

Ex quo etiam apparet commotam valdè fuisse celebrem illam Academiam : quod idem referunt ipsi PP. Societatis in Imagine primi seculi lib. 6. cap. 4. ubi dicunt illos, quorum occasione turbo ille fuerat excitatus, fuisse Lessium & Hamelium. Immò Paulus Leonardus Jesuita parte 3. n. 44. contra solum Lessium Censuram editam docet. Denique iidem ibidem referunt, rem fuisse delatam ad Sixtum V. neque ulla fuit alia commotio sive lis de prædestinatione in Academia Lovaniensi, quæ ad Sixtum V. delata fuerit. Igitur cum omnia quæ narrat Henriquez optimè quadrent Lessio, neque ulli alteri quadrare possint, non abs re Autor Lessio attribuit. Adde quod idem dictum Henriquez de Lessio intelligunt Lovanienses in libello pro Jansenio, qui Clypeus adversùs tela R. P. Viveri dicitur, sub finem. Quòd verò Doctus ille, qui temeritatis suæ acrem reprehensionem sustinuit, fuerit Concionator, non dicit Henriquez, sed dicit illum in Academia Lovaniensi prædicasse : & si dictionem prædicandi in Academia ad prælectiones publicas protendere velimus, nulla ut videtur fiet vis verbo : & si Lectorem quandoque concionatum fuisse asserrevimus, nihil asseremus à moribus & consuetudine multùm abhorrens : atque adeò habebimus Lessium sectatorem Catharini & concionatorem, de quo Henriquez intelligatur. Sed videat Lector, qua fide velint Lessium in hac controversia fuisse victorem, cùm etiam Generalis Societatis postea caverit, ne sententiam Lessii sequerentur. Immò Marcus Timelius Jesuita, ut refert tanquam testis auritus Jacobus Segers in querimonia, cum vellet R. P. Generalem Societatis flectere in sententiam Lessii, à socio ipsius tale tulerit responsum: *Ne, quæso, sententiæ illius mentionem apud R. P. Generalem injicias, aliàs futurum ut in apoplexiam aut deliquium animi incidat.* Quod audiens Lessius respondit: *Verum est, R. P. Generalis valde adversatur meæ sententiæ, sed paratus sum illam defendere in die Judicii, & pro illa mori.*

Tertium caput criminationis n. 14. ponitur, quod Autor Lessium fingat Molinæ discipu-

discipulum, quem nunquam viderat, sed ne ejus quidem scripta, utpotè nondum edita anno 1586.

Verùm Autor non fingit Lessium Molinæ discipulum, sed vel Molinæ, vel Fonsecæ, ut ex verbis Autoris apparet: quare & in hac parte imponunt Autori. Secundò, aliud est, esse discipulum; aliud, esse auditorem: qui ab altero acceptam doctrinam sequitur, non, auditor sed discipulus dici potest, etiamsi Magistrum nunquam viderit, neque illius scripta legerit, si tamen ab aliquo illam acceperit qui ab ipsa vel alio ejus discipulo didicerit. 3. Esto, Lessius Molinam non viderit aut ejus codices typis mandatos, potuit sanè manuscriptos evolvere, & in iis à Molina doctrinam excipere, qua fieret ejus discipulus, præsertim cum Molina 1. p. quæst. 14. art. 13. disp. 18. mem. 2. §. *Autores*, profiteatur se docuisse suam illam sententiam 30. annis ante edita commentaria in primam partem, quæ primùm prodiere anno 1593. vel 94. ut testatur Paulus Leonardus 2. p. numero 36. atque adeò potuerit Lessius per illos 23. annos intercedentes Molinæ doctrinam aliquâ viâ excipere.

Quartum caput criminationis n. 15. continetur. Narrat Autor, Sixtum V. utrique parti silentium indixisse anno 1589. quo silentio Molinam solverit Generalis Societatis: utrumque autem falsum est, inquiunt. Primum quidem, quia Sixtus V. non indixit silentium disputantibus, sed cavit ne altera pars alteram censurâ notaret. Secundum verò falsum est, tum quia si nulla fuit silentii lex à Sixto V. indicta, non potuit Generalis illâ Molinam solvere, tùm etiam quia Molinæ Concordia jam edita fuerat anno 1588. atque adeò non potuit Generalis dando licentiam Molinæ ad edendam Concordiam, illum solvere illa silentii lege, etiam si fuisset indictum.

Verùm hæc nihil nocent, si unicus Typographi error, qui facillimus est in numeris, corrigatur, & loco anni 1589. reponatur 1588. quo Sixtum V. per Nuntium Octavium Frangipanium, Episcopum Calatinum sententiam in hac causa dixisse fatentur reprehensores numero 13. Silentium verò indictum esse à Sixto V. probavit P. Lemos in Congregatione 26. alias 45. ex ipso Brevi Sixti V. neque id potuit inficiari P. Vaskida, qui tamen initio contrarium asseruerat. Et esto, non ita res se haberet: dum narrat Autor indictum à Sixto V. silentium, non incommodè potest hoc intelligi de silentio à censura, ita ut caverit Sixtus V. ne altera pars alteri ullam vel minimam hæreseos aut erroris notam inureret, ut dicitur cap. 4. lib. 6. Imaginis primi seculi Societatis. Hoc autem ipsum non observasse Molinam, constat, quia sententiam suæ oppositam asserit esse turpem hallucinationem disp. 17. §. His itaque; & occasionem dedisse erroribus, in Concordia membro ultimo, & passim, vix posse ab hæresi Calvinistarum vindicari, quæ liberum arbitrium destruit: immò distinctè vocat illam errorem in fide 1. p. q. 23. art. 4. & 5. disp. 1. mem. 6. §. Certè non dubitarem, pag. 325. col. 2. lit. E. & F. editionis Lugdunensis Joannis Baptistæ Buisson 1593. Quare constat indicta à Sixto V. silentii lege Molinam fuisse solutum. Neque verò dixit Autor, Generalem illum eâ solvisse, factâ copiâ edendi Concordiam, quod etiam non omninò à vero alienum esse posset, sed ait dumtaxat, Generalem silentii lege solvisse Molinam, approbando ejus Concordiam; quod longè aliud est: potuit enim Concordiam jam editam iterùm approbare. Et profectò ita contigit, nam & edita fuit Concordia eodem anno, quo silentium indictum à Sixto V. scilicet 1588. & cùm posteà nonnullæ objectiones adversùs illam (ut aliquibus videbatur) novam doctrinam afferrentur, rursùm Molina (dubio procul non sine facultate Generalis) edidit additiones & defensiones Vlyssipone apud Emanuelem de Lyra anno 1589. ut refert Paulus Leonardus Jesuita parte 1. num. 27.

V. Thesis Quæst.

LOvanienses dicunt (a), *se dolere, quod PP. Societatis Augustinum floccifaciant, & qui Jesu titulum præ se ferunt, gratiæ Jesu injuriam inferre videantur: timere se, ne qui bonæ vitæ exemplo multos ædificarunt, plurimos malè credulos in ruinam præcipitent. Finiunt in hæc verba*: Sententia hæc Dei bonitatem obscurat; justitiam enervat; Scripturis illudit; Patrum testimonia in sensus alienos detorquet; humanæ rationis corruptioni applaudit; humilitatis fundamentum evertit; precandi necessitatem non magnam relinquit; propriarum virium fiduciam ingenerat; in salutis negotio quod præcipuum est, homini donat; quod minus, Deo; gratiam libero arbitrio subjicit; in summa à Pelagiano non procul abscedit: Hæreticorum nostratum sententiam stabilit. *Eadem Duacensis.*

(a) *Thesi excerpta.*

Thesis hæc quinta intacta manet.

V I.

VI. Thesis Quæst.

EX Concordia Molinæ oritur discordia, maximè (a) *quia, Augustinum sub caligine fuisse, Non attendisse ad rem, Ex ejus sententia turbatos esse viros eximios*, &c. *diceret. Ejus tamen dogmata publicè tuetur Antonius de Padiglia* (b) *ejusdem Societatis anno 1594. 5. Martii in Per vigilio festi D. Thomæ Aquinatis, quem velut per contemtum designando, ait P. Alvari, Ordinis Prædicatorum: Putatisne vos habere clavem scientiæ in Ordine vestro? Incalescentibus in disputatione animis, PP. Ordinis Prædicatorum dicunt theses esse erroneas: cumque illi essent magnæ auctoritatis, commovetur civitas: territi PP. Societatis eadem die ad Vesperam sacro Tribunali Inquisitionis librum Molinæ tanquam de hæresi suspectum denunciant: Rogant tamen, ne PP. Prædicatores sint Censores. Ventilatur quæstio in Academiis.*

(a) D. Matth. Hist. Reg. Christ. to. 2. Hist. 7. an. pacis sub finem.
(b) Dalmatius Amatus in sua Relatione.

Adversùs hanc Thesim 6. multa conqueruntur n. 16. 17. & 18. Et 1. quidem quod auctor dixerit ex Concordia Molinæ natam discordiam anno 1584. pro quo reponendum judicant 1594.

Sed profectò vel ex hoc capite attendat eruditus Lector quam fidem à reprehensoribus exspectare debeat in factis occultioribus, cum in tam apertis, falsitatis eos convicerit. Auctor quæstionis ortam ex concordia Molinæ discordiam absolutè narrat, nullâ appositâ temporis vel anni designatione. Postmodum verò speciale quoddam factum refert Antonii de Padiglia, illudque anni, mensis, ac diei quibus contingit annotatione determinat. Reprehensores, ut ansam criminandi haberent, annum, quem auctor signat inferiùs in facto Antonii de Padiglia transtulerunt ad ortum discordiæ ex Molinæ concordia. Quæ fides? Adde quod licet auctor dixisset ortam ex concordia Molinæ discordiam anno 1584. (pro quo reponendum esset 1581.) nihil diceret à vero alienum. Nam ex Concordia Molinæ, id est, ex novo illo modo quo Molina explicare conatus est Concordiam liberi arbitrii cum prædestinatione ac gratiæ auxiliis, orta est eo anno discordia Salmanticæ, cum P. Prudentius de Monte-major Jesuita quædam theoremata ad hunc nodum spectantia voluit propugnare, quæ Theologicæ Facultati sic displicuerût, ut & Censurâ notarint, & ad sacros fidei Quæsitores res delata sit. Cujus rei testem habeant Paulum Leonardum Jesuitam p. 3. num. 35.

Secundò conqueruntur, quòd natæ ex Molinistica Concordia discordiæ testem adhibuit Petrum Matthæum, qui cum Historiam ordiatur ab anno 1601. non potuit narrare quæ contigerunt anno 1589. vel 1594. & quod dicit de Molina refert ad annum 1603. exeuntem.

Miramur profectò reprehensores istos ita se celebris Historicorum consuetudinis ignaros simulare, quasi minimè nossent historiæ scriptores, licet unius anni historiam texant, cogi nihilominùs ad præcedentes annos recurrere, ut narrationis originem explicent. Itaque P. Matthæus cùm vellet celeberrimarum disputationum meminisse, quæ habebantur Romæ, ut ita loquamur, in Orbis totius oculis, causam & originem controversiæ in scripta Molinæ refudit, non quod Molina anno illo 1603. exeunte primùm scripsisset, sed quod necessarium foret hoc subjicere, ut narratio texeretur. Et videat lector miram auctoris cùm P. Matthæo consensionem; neuter enim ortæ discordiæ annum designat; sed uterque absolutè ex scriptis Molinæ illam ortum habuisse pronuntiat. Advertat etiam, qua ratione verba auctoris ex thesi 6. num. 16. truncaverint. Dixerat auctor: Incalescentibus in disputatione animis Patres Ordinis Prædicatorum dicunt theses esse erroneas: isti abstulerunt illas particulas, *in disputatione*; fortè ut postea num. 18. veriorem causam discordiæ dicerent zelum & æmulationem: quod quanta fide, quantáve caritate condiatur, ipsi viderint. Profectò animos in disputatione posse incalescere absque zelo & æmulatione, immò citra vitium & indecorum, omnes vident; quod tamen extra disputationem minimè deceret.

Tertiò conqueruntur sive dicunt, eandem cum prædictis firmitatem habere, quod narrat Auctor de Antonio de Padiglia.

Verùm præterquàm quòd hujus rei testem produxerat auctor Dalmatium Amatum in sua Relatione Hispanica anni 1594. poßunt etiam consulere alium haud suspectæ fidei, ut potè hominem suæ Societatis (quod infrà apertissimis evincemus argumentis) Paulum Leonardum p. 3. num. 20. qui idem narrat.

Quartò conqueruntur num. 17. quòd cum auctor narrasset ex Concordia Molinæ ortam discordiam, maximè quia Molina dixerat, Augustinum esse sub caligine, Non attendisse ad rem, Ex ejus sententia turbatos esse viros eximios, &c. nullum hujus rei testem protulerit nisi Molinam ipsum, quasi verò, inquiunt, dum scriberet, ipse vaticinatus fuerit & narraverit ventura tanquam jam facta, ac testimonium contra seipsum dixerit.

Hic rursùm fidem reprehensorum & oculos lectorum desideramus. Viderint lectores an nullum alium testem, nisi Molinam, auctor citaverit ortæ ex Molinæ Concordia discordiæ, idque potissimè ob verba minùs reverenter adversùs Augustinum prolata. Nam distinctissimè citatur ad marginem utriusque rei testis P. Matthæus, qui disertissimis verbis utrumque narrat, ut videre est apud ipsum, & infra patebit, dum totum & integrum locum repræsentabimus. Ut autem exprimeret auctor, quænam illa essent, quæ (ne duriùs loquamur) audacter nimis Molina de Divo Augustino oblocutus fuerat, Molinæ loca designavit in quibus illa profert. Et quamvis dixisset auctor, Molinam & contra seipsum dixisse testimonium, dum novam suam opinionem & à nemine anteà traditam asserit, & vaticinatum esse de futuris quasi jam præteritis, dum ex gestis Salmanticæ anno 1581. & Lovanii 1586. debuit prudenter conjectare quæ ventura essent; nihil planè non verosimile protulisset. Quia verò non fideliter repræsentatam Molinæ phrasim, infra conqueruntur, lubet loca Molinæ integra subjicere, & posteà locum P. Matthæi. Molina itaque in Concordia qu. 23. art. 4. & 5. disp. 1. memb. 6. §. Quod ad August. ait: *Quocirca si meum hac de re judicium quicquam ponderis habet, suspicor Augustinum & D. Thomam (qui Augustini vestigia est secutus) sua illa opinione illud primum solum intendisse potissimum, neque advertisse quantum ad auferendam duritiem illam aliam, quam minimè intenderunt, conduceret additio illa, quam nec negarunt, nec negassent si de ea fuissent consulti. Interim verò,* DUM SUB EA QUASI CALIGINE DIVUS AUGUSTINUS AD HOC NON ATTENDIT, *arbitratus primo aspectu, cum sua de prædestinatione opinione esse conjunctum, Deum non velle omnes universim homines salvos fieri, sed solos prædestinatos, in multis suæ doctrinæ locis ita illum locum Pauli primæ ad Timoth. 2. interpretatus est, ut de solis prædestinatis intelligeretur.* Ecce quomodo Molina dicat Augustinum, dum sub quasi caligine (quia videlicet non advertit auferendam esse illius opinionis duritiem) ad hoc non attendit, malè interpretatum esse locum illum D. Pauli. Ibidem membro ultimo loquens de eadem Augustini explicatione in eundem locum D. Pauli, ait: *Quæ doctrina plurimos ex fidelibus, præsertim ex iis qui in Galliâ morabantur, non solùm indoctos, sed etiam doctissimos viros, atque in Episcopali dignitate constitutos, mirum in modum turbavit; ne dicam illius occasione salutem eorum fuisse periclitatam. Ne enim hujusmodi doctrinæ adhærerent, hæresi potiùs Pelagianæ ex parte assentiendum putabant.* Hæc Molina.

P. Matthæus Historiæ septem annorum pacis tomo secundo.

Multum interest famæ Romanæ civitatis (quæ olim diva vocabatur, hodieque nomen Sanctæ obtinet, quòd præ cæteris majori constantia doctrinæ integritatem conservarit; & quæ est in Ecclesia, quod pupilla in oculo, & ratio in anima) ne patiatur quæstiones absque utilitate curiosas, quæ nulla alia pollent auctoritate, quàm privatis quorundam nimis præsumentium phantasiis, qui ut sagacitatem ingenii promant, temeritatem produnt, seseque æquè ridendos exponunt, ac Megabysus fecerit, dum de linea & umbris in officina Apellis discurreret.

Summus Pontifex, cui cura doctrinæ fidei commissa est, qui controversiarum Judex est & arbiter, ferre non debet quòd in tam eleganti vultu verruca ulla emineat, aut nodus quidam intersecet rectum habitum, & dispositionem cedrorum, quæ supra libanum elevantur, aut quòd macula quæcunque, albugo, vel defluvii quidpiam illi oculo hæreat. Veritas enim & antiqua doctrinæ ipsius auctoritas mirum in modum læditur, dum quædam ingenia, contentioni & divisioni nata, conantur in disputationem deducere res adeò claras, toties decretas & confirmatas. Sed sunt qui à disputatione abstinere nequeunt, & qui tantum voluptatis capiant in perfricanda proprii cerebri prurigine, ut si audirentur, omnia essent disputationi obnoxia; nulla esset veritas, cui non altera veritas opponeretur; nulla ratiocinatio, quæ non alia æqualis momenti ratiocinatione oppugnaretur.

Jesuita quidam excitavit quæstionem audacem nimis in tota Ecclesia Catholica, sed audacissimam Romæ, quòd scilicet non esset de essentia fidei credere Clementem VIII. esse verum ac legitimum D. Petri successorem. Conjectus propterea fuit in carcerem. Et nisi Legatus Regis Hispaniarum intercessisset, pejora esset expertus, probasset que corpus sæpe meritò posse conqueri de animo, propter labores quibus subeundis illud exponit.

Alter Jesuita promulgavit propositionem, quæ insolens existimata est ob periculum novitatis & consequentium, scilicet quòd confessio fieri posset per litteras, & per internuncios. Hi turbines ex parte causam præbuerunt Suarez Doctori Jesuitarum eundi Romam.

Fuit & tertia orta ex scriptis Molinæ Jesuitæ, De Concordia gratiæ & liberi arbitrii, qui dicebatur propugnare plusquã mediã partem hæresis Pelagianæ, & qui audacter nimis

locutus

tus fuerat contra sententiam D. Augustini, quæ nihilominus est fides Ecclesiæ in his quæ ad gratiam & liberum arbitrium pertinent.

Fratres Prædicatores, qui primas Theologiæ cathedras in Hispania & Lusitania obtinent, dicebant opinionem Molinæ erroneam esse. Lemos, quem arbitrantur nulli cedere in doctrinâ, multum laboravit ut hoc probaret. Quæstio disputata fuit coram summo Pontifice, Cardinalibus, & Generalibus Ordinum, qui Romæ resident. Reiicienda est in annum sequentem definitio harum quæstionum: videbitur an summi Pontificis judicium hominem libero arbitrio fortiorem efficiat, quàm gratia Dei. Vidi ego literas Cardinalis Baronii, manu propria scriptas ad D. Petrum de Viliars Archiepiscopum Viennensem, verè alterum Galliæ Hilarium, & quem tantus ille Cardinalis vocat Lucernam pedibus suis, dum per obscura Theologiæ contigerit ambulare, & sane ab omnibus habetur ex doctissimis totius Ecclesiæ Episcopis. Conqueritur ille, quòd Molina quæstionem excitarit, quæ Ecclesiæ Catholicæ non erat opus. Atque sub finem ait, quod licet diligat & colat ex animo Jesuitas, sibique injuriam reputet quidquid eos offendit, nihilominus eos admonuit ne famam suam discrimini defendendo Molinam exponant.

Ad marginem verò ipsa verba epistolæ Cardinalis Baronii sic refert: *Vale, Pater amantissime ac doctissime, lucerna pedibus meis, dum per obscura Theologiæ contigerit ambulare. Monui R R. P P. meos Societatis Jesu, ne existimationem Suorum in defensione librorum Molinæ periclitari sinant, & in discrimen adduci. Colo ipsos omnes ut Patres, Deus scit, ut de ipsis illud usurpem: Opprobria exprobrantium tibi ceciderunt super me.* Ecce integrum locum Matthæi.

Numero 18. recriminantur, & dicunt primò, quòd si ea potuit esse causa discordiæ, quidni Thomistis potiùs imputatur, qui nihil obstante Augustini luce, tantam esse fatentur hujus concordiæ caliginem, ut captivandus sit intellectus, sicut in obscurissimis Trinitatis & Incarnationis mysteriis?

Resp. Rationem esse, quia Augustinus ipse eodem modo censet captivandum in hac concordia intellectum. De Spiritu & littera cap. 34. *Jam si ad illam profunditatem scrutandam quisquam nos coarctet, Cur illi ita suadeatur ut persuadeatur, illi autem non ita; duo solum occurrunt interim quæ respondere mihi placeat. O altitudo divitiarum! &, Numquid iniquitas apud Deum? Cui responsio ista displicet, quærat doctiores, sed caveat ne inveniat præsumtores.* In eundem sensum loquitur de corrept. & gratia cap. 8. & in infinitis propemodum aliis locis, in quibus ferè semper adducit illud D. Pauli ad Rom. 11. *O altitudo divitiarum sapientiæ*, &c. quæ verba Ecclesia usurpat in festo Sanctissimæ Trinitatis ad significandam obscuritatem tanti mysterii: ut mirum non sit, si qui D. Augustinum magistrum agnoscunt, usum Ecclesiæ cum Augustini doctrina conferentes, obscuritatem concordiæ liberi arbitrii cum prædestinatione & gratia obscuritati mysteriis Trinitatis comparent, & in utroque captivandum intellectum pronuntient.

Dicunt 2. cur nullam peperit discordiam, quod Bannez ait, si Augustinus voluisset attendere malitiam hujus consequentiæ, nunquam posuisset quòd, &c.?

Resp. Idcirco hoc nullam peperisse discordiam, quia licet duriùs locutus sit Bannez, hi tamen qui eandem cum Banne doctrinam tenent, non ii sunt qui omnes eorum quos sequuntur lapsus & errata velint pro aris & focis excusare atque defendere: quod idem si oppositæ partis fautores præstitissent, nulla unquam orta fuisset ex nova Molinæ doctrina discordia.

Ne autem quis horreat ad dictionem illam (*malitiæ*) in dicto Bannesii, consideret illum solùm velle consequentiam illam, qua infertur omnes reprobari propter solum peccatum originale, ex eo quod aliqui propter illud solum reprobentur, non esse bonam & legitimam: & hoc est quod Bannez ait, D. Augustinum noluisse attendere.

Tertiò dicunt, cur nullam quoque discordiam peperit, quod Prosper & Hilarius in suis ad Augustinum Epistolis narrant?

Resp. Quia Prosper & Hilarius id scribebant Augustino privatim, non ut illum impugnarent, sed ut monerent, quantum immineret periculi ex adversantium auctoritate, idque ante damnatos Semipelagianos, quos proinde nolebant tanquam hæreticos debitis honorum titulis spoliare, sed tanquam Catholicos colere: Molina verò vocans Semipelagianos illos viros fideles & Catholicos, id scribebat adversùs Augustinum, idque publicè impugnando ejus doctrinam, etiam post damnatos Semipelagianos, quos non debuit vocare fideles, & ita commendare, cùm jam damnati omni penitùs honore excidissent.

VII. Thesis Quæst.

(a) D. Matth. to. 2 hist. 7. ann. pacis. (b) Idem & Act. Congr. (c) Ibidem (d) P. Matt. cit. referens fragmentum epist. Card. Baronii ad Archiepisc. Vienn. D. de Villars, quod sic habet: Moneat RR. PP. Societatis Jesu, ne existimationem Sacrum in defensione librorum Molinæ periclitari sinant, & in discrimen adduci. (e) Acta Cong.

Res ad Clem. 8. defertur 1597. (a) Societas tota defensionem Molinæ suscipit (b), quamvis oppositum suaderent domestici (c) & extranei, ut Cardinalis (d) Baronius. Pontifex statuit Consultores, Illustrissimum Cardinalem Ludovicum Madrutium Episcop. Tridentinum, qui Trid. interfuerat F. Propertium Restam de Talleacotio Ordinis Min. Episc. Geruntin. & Cariaten. F. Julium Santlucium de Monte Polit. Ord. Min. Episc. S. Agathæ Goth. D. Lelium Landum Stuss. Episc. Neritonensem. F. Hyppolitum Senen. Servit. Episc. Montispelusii, F. Gregorium Nunnes Ord. Eremit. S. Aug. F. Joannem Antonium Bovium Carmel. D. Jacobum le Bossu Gallum Ord. S. Benedicti Doctorem Sorbonicum, Dominum Ludovicum de Creil Doct. Sorb. Quibus additi postea sunt Fr. Joannes Rada Procurator Generalis Ord. Min. post Archiepiscopus Tranen. F. Joan. Plumbino Proc. Gener. Ordin. S. Augustini, & F. Hieronymus Palantierus Ord. Min.

Circa hanc thesim. 7. multa dicunt in quibus se triumphare arbitrantur. Primò citationem marginalem reprehendunt, quia Petrum Matthæum autor citavit in testimonium, quòd domestici Societatis censebant Molinæ sententiam non esse nomine totius Societatis defendendam. Et certè error Typographi fuit, qui cum in margine litera c. debuisset apponere, (*ibidem*) apposuit (*Idem ibidem*) Illa autem particula (*ibidem*) non denotat citationem ex Petro Matthæo, sed ex Actis congregationis, ut potè ultimò citatis. Ne autem ob defectum testium conquerantur, consulant Marianam de regimine Societatis cap. 4. id expressè dicentem: consulant Fuligattum & Sylvestrum Petra-sancta, Vitæ Card. Bellarmini lib. 3. cap. 3. idem non obscurè subindicantes. Et Henricum Henriquez de ult. fine hominis cap. 4. §. 2. in Comment. litt. C. Idem si opus fuerit aliis testibus etiam domesticis comprobabitur.

Secundò reprehendunt quòd Baronii verba truncaverit.

Verùm non debuit, præsertim chartæ angustiis (ut apparet) prohibitus, afferre omnia, sed ea dumtaxat quæ rem relatam probarent. Immò (ne quid dissimulemus) peccavit auctor quæstionis: debuit omnia repræsentare, ut affectum Baronii erga Societatem ostenderet, & ex illo tale deducere argumentum. Si Baronius, tanto affectu Patres Societatis prosequens, monet illos, ne se, defendendo Molinam, periculo exponant, profectò non tutam, neque in D. Augustini mentem, sed potiùs ut ipsi sancto Doctori adversam debuit censere Molinæ opinationem. Quòd verò Baronius securior futurus esset, si vitam produxisset, an divinare sit, viderint Lectores. Nos enim in animum nunquam inducere poterimus, tantum Principem hæc scripsisse ex solis rumoribus, præsertim cum jam Purpuratus Pater ipse Romæ degeret; sed post diligens examen ac prudentem causæ discussionem tale monitum ad Patres Societatis direxisse.

Tertiò asserunt n. 20. mendacium esse, quod ait autor, totam Societatem suscepisse defensionem Molinæ, neque id docere Petrum Matthæum ab autore citatum.

Verùm hujus dicti veritatem tuetur Fuligattus sive Sylvester Petra sancta in Vita Cardinalis Bellarmini loco citato dicens: *Quam* (scilicet Molinæ sententiam) *etsi aliqui, eò quòd ex unius privati scriptoris nata ingenio erat, minimè censebant defendi debere à Societate universa; attamen ii qui tum præerant, taliter deliberarunt.* Idem testatur Mariana citatus. Idem Paulus Leonardus Jesuita passim. Idem colligitur ex Matthæo, quatenus asserit utriusque Ordinis Generales, Prædicatorum & Societatis, interfuisse Disputationibus illis, quæ coram summo Pontifice habebantur.

Quartò dicunt, se exspectare quàm authentica esse probentur Acta Congregationum quæ protulit autor. Verùm ubi negaverint, non deerunt probationes: interim hæc habeant. Licuit jamdiu P. Sirmondo, licuit aliis Criticis, è veteribus membranis antiquorum libros, situ & squalore obsitos, publici juris facere, eisque sat superque autoritatis conciliare ex eo quod quædam loca ab antiquis aliquibus citata, cū iis quæ manuscriptis illis codicibus continebantur, convenire ac consonare ostenderint. Immò licuit Bartholomæo Perez Jesuitæ ingentia illa quæ circumferuntur Salmeronis volumina, post viginti annos ab ejus obitu anno 1602. impensis totius Societatis à tineis & blattis vindicare, ac typis mandare, nullâ aliâ probatione adhibitâ, quod ipsa genuini essent Salmeronis fœtus, nisi quia ipse sic profitebatur. Denique licuit P. Paulo Leonardo Jesuitæ multa ex manuscriptis, quorum fides nullo modo probari potest, in hanc ipsam causam in suis responsionibus allegare. Profectò si multa ex iis quæ ex Actis ab autore narrantur

&

& cum ſcriptis D. Le Boſſu Doctoris Sorbonici, & cum variis, quæ ab autoribus etiam Societatis citantur, locis etiam de verbo ad verbum convenire probentur, nonne tantam fidem mereri videntur, quantam illa quæ P. Sirmondus & illi alii protulere? Adde quod plura illorum Actorum capita manu Notarii Apoſtolici Romani ſubſcripta nobiſcum viderunt Illuſtriſſimi Prælati & viri doctiſſimi.

Quintò petunt explicandum, num de iiſdem Actis loquantur D. Penna, & D. le Boſſu Doctor Sorbonicus Ord. S. Benedicti.

Reſp. Quandoque de iiſdem, quandoque de diverſis, ut conſtabit ex ſtatim dicendis.

Sextò reprehendunt quod in Actis Congregationum habitarum abſente Pontifice, inſeruerit autor proteſtationem Valentiæ, cum in hujuſmodi conventibus partes nec intereſſent nec audirentur.

Verùm patet hæc eſſe falſa ex Paulo Leonardo Jeſuita p. 3. num. 35. & ex infra dicendis. Et quamvis dareinus partes neque interfuiſſe, neque fuiſſe auditas; an non ſcripto potuit Valentia proteſtari? Multa ſiquidem ſcripto utramque partem exhibuiſſe, conſtat ex eod. p. 3. num. 22. & alibi.

VIII. Thesis Quæst.

H*I à die 2. Feb. ad 13. Martii quolibet die conveniunt; bis verò in hebdomada reliquo anni 1598. Quinquaginta* (a) *Molinæ propoſitiones notant. Idem fit 1599. coram Illuſt. Madrutio, Berneſio, & Bellarm. Card. Madrutius moritur 1600. Conqueruntur Moliniſtæ ſe non fuiſſe auditos. Nunnos concinnat Cenſuram Conſultorum, qui mandato Summi Pontificis iterum 1601. congregantur ad 22. Januarii. Valentia proteſtatur nolle ſe opiniones Molinæ ut veras tueri, ſed ut minime cenſurâ dignas. Junii 17. conveniunt Conſultores ſuper examinanda Cenſura aliàs facta in 14. propoſitiones Molinæ, & poſt longam & exquiſitam diſceptationem, omnes (uno aut altero excepto) in cenſura perſiſtentes aſſirmarunt ſcientiam mediam fuiſſe à Molina aſſertam & inventum ſcientiæ mediæ fuiſſe à Maſſilienſibus excogitatum ad extenuandam gratiam effectricem bonæ voluntatis.*

(a) *Acta Congr. ſcripta à D. Franc. Penna Rotæ Decano & à D. le Boſſu Doct. Sorbon. & aliis.*

Hujus octavæ Theſis reprehenſionem moliuntur num. 6. & 7. In his multa dicunt quæ ex ſola rerum geſtarum narratione penitùs evaneſcent. Itaque Clemens VIII. ad ſe cauſam evocat anno 1594. mox uſque ad annum 1597. incluſivè ſcripta utriuſque partis à privatis Theologis diſcuti vult: ſic Paulus Leonardus Jeſuita parte prima numero 32. Anno 1598. Indicit partibus ut Romam veniant. Inſtituit Congregationem de auxiliis. Idem ibidem n. 27. & D. le Boſſu Doctor Sorbonicus ad Notam 1. c. 2. Celebrantur Congregationes à 23. Januarii uſque ad 13. Martii. Idem Leonardus ibidem. Deinde Cenſores revident geſta, convenientes bis in hebdomada uſque ad 26. Novemb. quo die PP. Societ. Molinam defenſuri adveniunt. Ita memoriale Patrum Societatis exhibitum Clementi 8. Illi ubi advenere, conqueruntur ſe non fuiſſe auditos. Jubet Pontifex partes convenire in æde Cardinalis Madrutii anno 1599. cœperuntque die 22. Februarii. Sub finem Martii Madrutio adjunguntur Cardinalis Aſculanus ex Prædicatoria familia, & Bellarminus ex Societate. Ita idem Leonardus ibidem. n. 35. Cumque habitis multis Congregationibus nihil quod momenti eſſet concluderetur, inquit Leonardus ibidem, Pontifex poſt mortem Cardinalis Madrutii, quæ contigit menſe Aprili 1600. juſſit Cenſoribus ut ſolerter reviderent geſta præcedente triennio ſub Cardinali defuncto, indeque codicillum conficerent, ipſique Pontifici exhiberent: quod & præſtitere initio Septembris 1600. Ita D. Le Boſſu Doctor Sorbonicus ad notam 12. & 13. 1. p. primi capitis. Recepto codicillo, Pontifex jubet, ut duo Theologi utriuſque Ordinis ad reviſendam Cenſuram Conſultorum coram Aſculano & Bellarmino conveniant: quod duabus duntaxat vicibus geſtum eſt, ut refert memoriale PP. Societatis exhibitum Clementi VIII. Iterùm ergo juſſu Pontificis anno 1601. Conſultores die 22. vel 23. Januarii coëunt, audituri partes ſcripto ac viva voce diſceptantes. Diſputant pro fratribus Prædicatoribus P. Didacus Alvarez & P. Thomas Lemos: pro Societate, P. Chriſtophorus Cobos, & P. Petrus Arrubal initio, & paulò poſt P. Gregorius de Valentia, cui à Generali Societatis impoſitum eſt hoc ipſo anno præceptum ut Molinam defenderet. Ita D. Le Boſſu ad Notam 14. prima p. 1. cap. Anno autem ſequenti 1602. menſe Februario decrevit Summus Pontifex diſputationes ſe præſente impoſterum habendas: quod & factum eſt ſub Clem. VIII. & Paulo V.

Ex his jam facillimum eſt omnia ſolvere quæ objiciunt n. illo 6. & 7. ac conciliare contradictiones quæ inter harum rerum narratores intercedere videntur. Itaque primis Congreg. anni 1598. neutra partium interfuit. Anno 1599. ambæ partes in-

interfuerunt. Anno 1600. duo Theologi ex quolibet duorum Ordinum duabus duntaxat vicibus unà convenerunt. De his omnibus conventibus nihil ferè dicunt D. Le Bossu Doctor Sorbonicus, D. Penna, & Joannes à sancto Thoma. Congregationes anni 1601. quibus partes intererant audiendæ, absente Pontifice, enumerat Franciscus Penna, sicut & alias præsente Pontifice habitas, quamvis priores non potuerit videre Frater Joannes à sancto Thoma. Utrarumque etiam frequenter meminit D. Le Bossu. Priores anni 1601. dicit Joannes à S. Thoma, quamvis subdubitanter, fuisse 47. posteriores verò fuere in duplici differentia, ut docet manifestè D. Le Bossu Doctor Sorbonicus Ordinis sancti Benedicti passim, sed præsertim. p. 1. 1. cap. ad Notam 10. & cap. 1. ad Notam 11. & D. Penna. Aliæ siquidem fuerunt, in quibus partes præsente Pontifice & Consultoribus disputabant; aliæ, in quibus Consultores de disputatis ferebant judicium. Primi generis fuere Congregationes 37. sub Clemente VIII. & 10. sub Paulo V. Secundi verò generis fuere sub Clemente VIII. 31. Sub Paulo V. ad minus 8. ita ut Congregationes omnes sub his Pontificibus habitæ in ipsorum præsentia fuerint ad minus 86. quamvis autor non meminerit nisi 82. quia non meminit sigillatim omnium habitarum sub Paulo V. præsertim post Disputationes Partium & Judicia Censorum: post quæ Paulus V. habuit Congregationes de modo decidendi & aliis appendicibus.

His positis jam constat nullam intercedere pugnam inter dicta autoris, & Fratrem Joannem à S. Thoma. Quando enim Joan. à S. Thoma dicit fuisse 47. Pontifice præsente, loquitur tantùm de Congregationibus in quibus partes disputabant anno 1602. & sequentibus. Quando verò autor etiam 82. enumerat præsentibus summis Pontificibus, & alias plures iliis absentibus, loquitur de Congregationibus habitis ab anno 1598. etiam de iis in quibus Censores judicia ferebant de disputatis. Quando Joannes à sancto Thoma dicit in 34. Congregatione latam fuisse à Consultoribus Censuram adversùs scientiam mediam, loquitur de Congregationibus anni 1601. quando autori illa eadem deberet esse supra ducentesimam; verissimum id esse potest, si habeatur ratio omnium ab anno 1598. habitarum. Quando Joannes à sancto Thoma computat 37. sub Clemente VIII. & in ejus præsentia, loquitur de Congregationibus Disputationum. Quando verò autor enumerat coram eodem Pontifice usque ad numerum 68. loquitur tam de Congregationibus in quibus partes disputabant, quàm de iis in quibus, seclusis partibus, Censores suffragia ferebant. Quando Joannes à sancto Thoma docet post 35. non esse ampliùs actum de scientia media, loquitur de 35. disputatione. Quando autor dicit de illa scientia actum esse in 63. & 64. loquitur numerando omnes tam Disputationum quàm Judiciorum. Denique quando Joannes à sancto Thoma dicit in tribus duntaxat Congregationibus actum esse de scientia media, id debet intelligi, esse in tribus tantum de illa disputatum. Quando verò autor sex numerat in quibus de illa actum fuit, loquitur de tribus Congregationibus Disputationum, & aliis tribus Judiciorum, quæ ferebantur tum de ipsa scientia media, tum etiam de rationibus, quibus illam PP. Societatis probabant.

Et sic evanescunt omnia, quæ reprehensores objiciunt num. 6. & 7. Unum est quod video posse objici ex num. 28. quod scilicet narrat Card. Perronius in literis ad Regem Christianissimum 8. Martii, nempè Pontificem eo die aliquorum Cardinalium sententias rogasse de quibusdam quæ fuerant in disputationibus agitata. Quid autem necesse fuerat, inquiunt, Cardinalium seorsim sententiam exquirere, si jam fuerat publicum ea de re Judicium? Enim verò fidem hic reprehensorum desideramus in transferendis verbis Cardinalis Perronii, quæ sic habent: *Hodiè Summ. Pontifex voluit colligere vota Cardinalium, qui prædictæ Congregationi intersunt, circa quosdam articulos in ea tractatos, ad quod ut me disponerem, oportuit me duos præcedentes dies impendere.* Quamvis autem modica videatur variatio; dum adversarii dicunt voluisse Pontificem eo die Cardinalium rogare sententias de quibusdam articulis in Congregatione disputatis, facile tamen erit conjicere quanti momenti sit mutatio, si attendantur præmissa, scilicet Pontificē post disputationes celebrasse Congregationes de modo decidendi & aliis huc spectantibus. Et hæc tunc agebantur dum scriberet Cardinalis Perronius, ut constat ex actis. Non ergo ait Perronius Pontificem rogasse sententias Cardinalium de disputatis, sed de propositis & ventilatis 6. Martii, scilicet de modo decidendi & aliis huc spectantibus. Quare nullius est roboris objectio, quando inferunt non fuisse necesse, ut iterùm Senatorum Ecclesiæ suffragia colligerentur, si jam fuerat publicum ea de re Judicium: rogabantur enim vota de aliquo alio diverso ab iis, de quibus fuerat pu-

publicum Judicium. Rogabantur de modo decidendi; publicum fuerat consultorum Judicium de articulis disputatis. Circa hanc thesim est, quod autores monitos velimus, scilicet reprehensores malè illam autoris particulam (*idem fit anno 1599.*) retulisse ad hoc, quod paulò ante dixerat, ipsos consultores convenisse bis in hebdomada: non enim ad hoc refertur, sed ad ea quæ immediatè præcedunt, videlicet *Quinquaginta Molinæ propositiones notant*: ita ut sensus non sit, Consultores ann. 1599. bis in qualibet hebdomada convenisse; sed dumtaxat, illos eo anno 1599. etiam notasse Censurâ Molinæ propositiones.

IX. Thesis Quæst.

Similiter propositionem Molinæ negantis præmotionem, & dicentis primam causam non influere in secundam, censuerunt Consultores non posse defendi ex scopo Molinæ, qui illi videtur communis cum Pelagio idem sentiente, ut sibi viam sterneret ad negandum gratiæ influxum in pias operationes, quem putabat stare non posse cum libertate. (a) *Circa hæc tempora Romæ publicè tuentur Molinistæ, non esse de fide, Clementem VIII. esse Summum Pontificem.* (b) *Dicunt ipsum posse errare.* (c) *Cassianum excusat Stephanus Tuccius,* (d) *Societatis. Pro Fausto Apologias cudunt* (e) *1602. Feb. 17. Pontifex monet Illustrissimum Arigonium & Burghesium, Consultores præfatos, & Archiepiscopum Armachanum Petrum Lombardum, & Episcopum Aquilanum, ut adsint disputationibus, quibus ipse Summ. Pontifex interesse & præesse vult,* (f) *Dicunt Molinistæ se à D. Thoma discedere,* (g) *non obstantibus eorum Statutis.* (h)

(a) *Eadem Acta.*
(b) *D. Matth. loco sup. cit.*
(c) *Academia Gal. ex Orat. Domini de Harlay.*
(d) *Ex notis Tuccii ad Cassian.*
(e) *Ex Baronio 6. & aliis.*
(f) *Acta Congregationis.*
(g) *In libello, De ratione studiorum cap. de delectu opinionum Regul. 11.*
(h) *4 parte c. 14 §. & in Cong. generali can. nono.*

Adversùs novam istam thesim multis modis insurgunt num. 2.4.5.21.22.& 23. quam & mendaciorum nidum vocant. Ut igitur congruo ordine procedamus, singulas illius nonæ thesis particulas sigillatim propugnabimus. Sic igitur arguunt: Refert autor, Consultores censuisse propositionem Molinæ de prima causa non influente in secundam defendi non posse ex scopo Molinæ, qui illi videtur communis cum Pelagio. Atqui hoc verum esse nequit, quia Molina (inquiunt num. 21.) non negavit talem influxum, sed dumtaxat Thomisticum illum, &c.

Respondemus reprehensores istos nihil adversùs auctorem moliri. Agit autor ibi historicum, non Theologum: refert gesta in Congregationibus, non dicta Molinæ examinat, vel ex proprio marte profert. Debuerant reprehensores narrationem illam illam falsitatis accusare, cujus tamen testes sunt D. Le Bossu Doctor Sorbonicus p. 1. 1. c. ad Notam 12.& 13. & Acta Congregationum, quæ sic Censuram de verbo ad verbum referunt. *Inspecto P. Molinæ scopo, & quòd similiter philosophatur de concursu gratiæ coadjuvantis, quem dicit non esse concursum immediatum in liberum arbitrium ut in causam, quasi priùs eo concursu motum ac à Deo ad agendum applicatum tales actus eliceret, scilicet fidei & spei & charitatis supernaturalis; sed esse influxum immediatum Dei in actus ipsos unà cum libero arbitrio, idque propter rationes quibus id ipsum docuit disputatione 25. de concursu universali ad effectus naturales: perpensâ eâ potissimè ratione, quâ ductus discessit à communi doctrina, ne videlicet tolleretur arbitrii nostri libertas, videtur non discedere à semitis Pelagii, qui ut gratiam divinam tolleret idem jecit fundamentum, suamque assertionem eâdem ratione probare nitebatur, ne scilicet arbitrii libertas tolleretur, ut videre licet apud S. Hieronymum Epistola ad Ctesiphontem.* Hanc censuram exhibuit Congregatio Patribus Societatis anno 1601. in die Conversionis S. Pauli 25. Januarii, ut contra illam Molinam defenderent, quod & fecerunt. Sed ut narrat D. Le Bossu loco citato, quia illorum probationes visæ sunt Congregationi deficientes, ipsa permansit in sua censura.

At, inquies, esto, verum narraverit, ruit nihilominùs hæc censura, si Molina id non dixerit. Profectò rueret, sed nihilominùs staret veritas narrationis, nec vel minimùm autoris fides vacillaret. Molinam autem hæc dicere, concesserunt feriâ quintâ die primâ Februarii anni 1601. in Congregatione tertiâ, qui illum defendebant, idque probarunt Censores 1. ex disp. 26. Concordiæ, quæ est 27. editionis Antverpiensis §. *Dicendum*, ubi formaliter hæc habet. *Concursus Dei generalis non est influxus Dei in causam secundam, quasi illa priùs eo mota, agat & producat suum effectum; sed immediatè cum causa in illius actionem, & effectum.* Probarunt 2. ex Commentariis in 1. p. q. 14. art. 13. disp. 6. §. *Dicendum* & disp. 7. §. item. §. præterea. §. *Adde* & §. *Attende*: in quo ult. §. eodem modo dicit se habere influxum gratiæ ad operationes fidei, spei, & caritatis supernaturalis; ac proinde negat influxum divinæ gratiæ esse influxum Dei in liberum arbitrium, quasi illud priùs eo concursu motum, agat & producat hos actus.

Neque verò valet excusatio, quâ dicunt ipsum dumtaxat negare influxum primæ causæ in secundam Thomisticum, &c.

Quid

Quid enim intelligunt nomine Thomistici influxus? An illum quem D. Thomas docuit? An verò illum tantùm quem ipsi asserunt de novo inventum à Discipulis sancti Thomæ? Hoc 2. dici nequit, nam exserto ore Molina in dicta disp. 26. & 1. p. citatâ disp. fatetur D. Thomam 1. p. q. 105. à 5. influxum illum, quem ipse Molina negat, admittere, sicut & Ferrariensem in 3. contra Gentes cap. 70. neque ullum alium unquam admisere Thomistæ recentiores, quamvìs illum coacti fuerint vocare prædeterminationem physicam, ut meliùs antiquam rem novo nomine adversùs novellas opinationes explicarent, quam denominationem & ipsi Patres Societatis in Congregatione 4. sub Paulo V. dixerunt esse optimam, si aliundè constaret dari influxum Dei in causam secundam, quo Deus illam verè, propriè, activè, nedum moraliter moveat.

Quod verò ajunt reprehensores, per gratiam cooperantem causam secundam moveri juxta Molinam, nescimus quomodo intelligant, nam moveri est mutari, atque adeò aliquid de novo recipere, quod antea non habebatur: per gratiam cooperantem causa secunda non mutatur, cum illam non recipiat, quia illa juxta Molinam non est influxus in causam, sed in effectum. Quomodo ergo id intelligunt?

Secunda particula Thesis 9. impugnatur à reprehensoribus num. 22. Dixit in illa autor, *Circa hæc tempora Romæ publicè tuentur Molinistæ, non esse de fide, Clementem VIII. esse Summum Pontificem*, idque retulit ex P. Matthæo. Atqui, inquiunt reprehensores, Matthæus tantum refert unum Jesuitam negasse id esse de essentiâ fidei, & Quæsitor non debuit nescire juxta S. Th. in 3. dist. 24. art. 3. qu. 1. non statim aliquid non esse de fide, quòd non sit de essentiâ fidei. Deinde hæc narratio non magis facit ad propositum, quàm relatio mortis Mahumetis. Denique ex eâ nihil aliud sequitur, nisi malè cedere Jesuitis, quòd Thomistas sequantur, à quibus, Turrecremata videlicet, Cajetano & Banne, ista ille didicerat.

Verùm ad hæc respondetur. Ad primum quidem, Jesuitam illum, qui negavit non esse de fide Clementem VIII. esse Summum Pontificem, id publicè docuisse, quod Generalis & alii Societatis suo silentio, cum tenerentur loqui, visi sunt approbare: idcircò meritò omnibus imputatum ab Autore, quod ille unus fecit. Et verò, quàm parùm benè affecti essent omnes erga Clementem VIII. tanquam omnibus notum, referunt Academiæ Galliæ in suis adversùs Jesuitas Defensionibus p. 24. Sed mirum quod ad interpretandum locum P. Matthæi, citant D. Thom. in 3. quasi docentem, non statim aliquid non esse de fide, quod non sit de essentiâ fidei: atque adeò, cum P. Matthæus solùm dicat, Jesuitam istum asseruisse, non esse de essentiâ fidei Clementem VIII. esse Sum. Pontificem, inferre volunt, illum Sociû non negasse id esse de fide. Obstupuimus sanè ad tam acutam distinctionem; sed ubi D. Thom. consuluimus, crevit admiratio, at in aliam partem. D. Thomas eò loci solùm explicat celebrem illam Theologorum distinctionem eorum quæ ad fidem pertinent formaliter sive essentialiter, & præsuppositivè. Sed quid hæc ad propositum? An fortè volunt illam propositionem *Clemens VIII. est Summus Pontifex*, non esse de fide essentialiter, sed præsuppositivè? Hoc verò dici nequit, cum ex D. Thom. ibidem illa dicantur de fide præsuppositivè, quæ non sunt supra rationem humanam cujuslibet hominis; illa verò propositio omnem omnium hominum rationem superat. Et profectò P. Matthæus ad has Theologorum distinctiones non attendit; sed cum Gallico idiomate dicere non potuisset, Jesuitam asseruisse, propositionem præfatam non esse articulum fidei, ne hoc intelligeretur de Articulis Symboli, juxta communem vulgi captum, aliunde verò ob cacophoniam non posset exprimere Gallicè, non esse de fide, dixit illam non esse de essentiâ fidei; qua tamen phrasi nihil aliud intellexisse, quàm quòd illa dicebatur non esse de fide, constat vel ex ipsis reprehensoribus, qui pro eâ sententia citant Turrecrematam, Cajetanum & Bannem; qui non dicunt illam non esse de essentiâ fidei, sed non esse de fide.

Ad secundum Resp. hoc multum tunc temporis spectasse ad quæstiones de auxiliis, in quantum PP. Societatis sentientes Clementem VIII. propendere ad definitionem contra Molinam, ut expressè docent Fuligattus & Petra-sancta in Vita Cardin. Bellarm. lib. 3. cap. ult. videbantur velle concutere fundamentum, ut illo ruente unà ruerent superstructa, convulsâ siquidem, aut saltem concussâ & vacillante autoritate Clementis VIII. (sicut nutaret dato quod non esset de fide, illum esse verum Pontificem) consequens foret ut quæ definiisset, non essent firmæ autoritatis, sed dubiæ & ancipitis. Quare, esto, aliunde probabilis esset opinio illa, quæ asserit non esse de fide, hunc numero hominem esse Summum Pontificem; nihilominùs in illis quæ tunc

inter-

intercedebant circumstantiis, id publicè Romæ docere, parum prudentis, & parum benè affecti erat animi, ne quid durius dicamus. Qua propter malè cessit Jesuitis, non quòd Thomistas secuti sint, sed quòd parùm prudenter & mente non admodum sincera quorundam Thomistarum sententias, quandò non oportuit, defendere ausi sint. Ex quo patet ad ultimum. Circa hanc eandem particulam est quòd lectores advertant, quòd cum autor dicit, *Circa hæc tempora Romæ publicè tuentur*, &c. non hæc eo sensu ab illo dicta sunt, quasi illa omnia, quæ deinceps in illa thesi nona narrantur, eodem anno asserat contigisse, sed solùm quod variis annis hæc gesta sint ab initio controversiæ, hoc est ab anno 1588. usque ad annum 1603. ac sequentes, & lite pendente, ut ita loquamur. Quare planissimus sensus illius dicti constaret additâ unâ particulâ, putà si dixisset, circa hæc tempora controversiæ. Hæc si attendas, evanescunt in auras quæ mox objiciunt, ut statim constabit.

Tertia particula ejusdem thesis nonæ sic habet. *Dicunt ipsum* (scilicet Clementem VIII.) *posse errare.* Sed (inquiunt num. 23. reprehensores) quis hoc dixit, quando, & ubi?

Respondetur hoc testatum esse Christianissimum Regem Henricum IV. in responsione ad propositiones Primi Præsidis Achillis de Harlay: quod etiam refertur pag. 546. in collectione Memorialium statui politico deservientium anno 1623. edita. Sin minùs hæc ipsis faciant satis, noverint esse præ manibus nostris dictata unius ex celebrioribus Theologis Societatis, in quibus docet Pontifices, nedum ut privatos Doctores, sed absolutè loquendo posse errare.

Quarta particula est, *Cassianum excusat Stephanus Tuccius Societatis.* Hoc dictum falsitatis accusant: primò quia annis quatuor ante annum 1601. Tuccius obierat scilicet anno 1597. Secundò, quia toto ante obitum quinquennio laboraverat morbo omnem omninò scriptionem impediente. Tertiò quia non Stephanus Tuccius Jesuita, sed Henricus Cuykius Episcopus Ruræmundensis Notas in Cassianum scripsit: undè neque imago primi seculi Societatis, neque Bibliotheca ejusdem, licet omnia Tuccii scripta edita vel edenda enumeret, Notarum in Cassianum quasi à Tuccio compositarum meminere.

Sed horum primum jam concidit: vidimus enim, illam particulam, *circa hæc tempora*, non denotare annum 1601. sed solùm tempora controversiæ, Idemque dicendum ad similem objectionem contra particulam sequentem. Et profectò novimus Tuccium Notas illas in Cassianum scripsisse eodem anno 1588. quo Molina concordiam edidit: quare nec secundum alicujus momenti est. Tertium verò nihil facit: potuit enim uterque & Tuccius & Cuykius Episcopus Ruræmundensis in Cassianum Notas componere. Quare verò Imago primi seculi Societatis & Bibliotheca ejusdem illarum non meminerunt, non est difficile judicare, ut scilicet consulerent honori suorum. Scripsisse verò Tuccium Notas in Cassianum, ita constans est, ut cum hoc in Congregatione 20. habita die 10. Novembris anni 1603. Pater Lemos objecisset, nihil omninò responderint: unde & ejusdem P. Thomæ de Lemos habentur lucubrationes adversus prædictas Tuccii Annotationes in Cassianum. Et Mariana lib. de mort. & immortalitate cap. 6. & 8. Tuccium videtur indicare, dum ubi dixit sententiam D. Augustini videri nonnullis horridam, addit: „Video quæ à „ Cassiano dicta sunt omnia de gratia & li- „ bero arbitrio à viris eruditis (*Quinam isti* „ *sint non est difficile conjicere*) nostra ætate de- „ fendi, quasi pietati consona neque deflexa „ à fidei regulâ sanctâ.„ Fortè nonnulli suspi- „ carentur præfatas Cuykii Notas esse easdem cum Notis Tuccii, quas cùm non potuissent Romæ eo anno promulgare, posteà sub Episcopi nomine, quo ipsis auctoritatem conciliarent & si quid reprehensione dignum esset totum in Episcopum refunderetur, in Belgio edidere. Neque hoc multum abhorret à quorumdam recentiorum consuetudine, qui libros suos alienis sive fictis, sive veris nominibus insigniunt, ut videre est apud Petrum Aurelium in Anærretico adversus Sirmondum.

Quinta particula dicit illos pro Fausto elaborasse Apologias: in cujus rei fidem laudavit Autor Baronium tomo 6. qui ut verum fateamur, quamvis id apertè non dicat, videtur tamen subobscurè innuere *ad annum 490. Non est*, inquit, *ut pro Fausto aliqua possit in ejus defensionem vel excusationem Apologia elaborari.* Et paulò post: *Cùm igitur Fausti sententiæ ab Ecclesiâ Catholicâ fuerit contradictum, videant quanto periculo quidam ex recentioribus dùm in Novatores insurgunt, ut eos refutent, à S. Augustini sententia de prædestinatione recedant; cùm alioquin arma non desint quibus adversarii profligentur.* Ac tandem dicit se mirari Faustum ab aliquibus inscribi Sanctum. Si quis autem perpendat Baronium hæc scribentem Romæ anno 1595. ut asserunt

ferunt reprehensores num. 2. quo tempore fervere incipiebat controversia, ex cujus articulis unus erat de prædestinatione, in quo Molina se à D. Augustino recedere profitetur, idque potissimum, ut dum contra Novatores insurgendum foret, liberum arbitrium sartum tectum tueri posset, perspiciet profectò fundamenti satis fuisse autori, quo hæc à Baronio dicta Molinæ ac sequacibus tribueret. Nec verò conquerantur, sibi hâc in parte gravem calumniam ex conjecturis inuri, cùm & in Valeriano Cemeliensi, & in alio Semipelagiano, cujus librum nuper P. Sirmondus edidit ac commendavit, idem contigisse, jam notum sit omnibus.

Ultima particula quam impetunt in thesi nonâ, illa est, in quâ Autor sic ait. Dicunt Molinistæ se à D. Thoma discedere non obstantibus eorum statutis. 1. Reprehendunt chronologiam, quòd scilicet jam indictis à Clemente Disputationibus hoc dixerint in libello, De ratione Studiorum, cùm ille tribus ante hæc annis fuisset editus. 2. Quia in eo libello nullum caput est de delectu opinionum. 3. Quia in nullo Jesuitarum instituti libro aliquid est quo se profiteantur à D. Thoma discedere, nisi in quæstione de Conceptione B. Virginis, & in alia de voto solenni.

Verùm, quamvis fatendum videatur, illam particulam non fuisse suo loco repositam, & autorem inter illa voluisse ordinare, quæ eâdem Thesi refert ante narrationem de indictis disputationibus, nihilominus quia libellus ille de ratione Studiorum etiam vim ac vigorem suum habebat tunc temporis, & P. Lemos illo aliquoties usus est in Congregationibus, non absre potuit etiam in illum annum 1602. Autor rejicere, quæ in illo Molinistæ profitebantur, quia statim posteà, ubi Pontifex sequendum in hac quæstione D. Augustinum edixit, non ita apertè ausi sunt dicere sententiam Molinæ militare adversùs D. Thomam, eò quod argumentum fuisset illam non minùs opponi D. Augustino, cujus sensa penetravit D. Thomas & secutus est, præsertim in hac materiâ, ut etiam ipsimet Molinistæ agnoscunt, Molina supra citatus, Suar. prolog. 6. de gratia cap. 6. num. 28. Paulus Leonardus Jesuita p. 2. num. 44. & alii: undè videas illos scribentes ante annum 1602. in hâc ipsâ controversiâ à D. Thoma vel omninò discedere (ut de Molina jam supra vidimus & infra de Conimbricensibus patebit) vel saltem illi plurimùm derogare, ut de Suare posteà probabitur: & hinc patet ad 1. illorum quæ objiciuntur. Ad 2. verò nonnihil subdubitamus latere æquivocationis aut restrictionis mentalis, dum aiunt, in libello, De ratione studiorum, nullum esse caput de delectu opinionum. Quid enim si sub alio nomine, putà paragraphi, sectionis, tractatus, &c. delectus opinionum præscribatur? Advertendum autem, ne alicui parum hâc in re perito imponatur, duos esse libellos De ratione studiorum; alterum qui publicus est & venalis prostat pro studiis adolescentum, qui Collegia Societatis frequentant informandis: alterum qui domesticis tum Lectoribus, tum discipulis aliisque studiorum Præfectis instruendis compositus est à sex Patribus Societatis: & hic non mandatur Typis nisi Romæ in Typographiâ privatâ Collegii Societatis. Hunc libellum habere vim Constitutionis, quamvis id negent reprehensores n. 40. constat ex 5. Congregatione generali can. 9. ubi sic dicitur: *Sequantur nostri Doctores in Scholasticâ Theologiâ doctrinam D. Thomæ juxta praxim in libro De ratione studiorum ponendam.* De hoc igitur postremo Autor loquitur, cujus fortè manuscriptum in quâdam Bibliothecâ (ut audimus) existens Autor viderat; vel certè hæc desumsit ex Actis Congregationum, in quibus Disputatione 46. quæ fuit penultima sub Paulo V. P. Thomas de Lemos probavit assertionem de præmotione physicâ esse D. Thomæ, & nihilominus rejici à Patribus Societatis in dicto libello. pag. 11. tractatu de opinionum delectu in Theologicâ facultate Regulâ 5. Hoc si falsum fuerit, oculis convinci potest. Libellum illum, qui apud alios non reperitur, protinus exhibeant.

Ad tertium Resp. id videri falsum, si fidem habeamus Luisio Turriano Societatis Theologo p. 1. select. disputationum disp. 39. dub. 2. ex Societatis Constitutionibus referenti, non solùm excipi duas illas opiniones, de quibus in objectione, verùm etiam caveri prætereà, ne Patres Societatis sequantur D. Thomam in iis, in quibus ejus opiniones fuerint malignæ. Quare etiam Valentinus Herice Societatis Jesu Theologus in Præfatione ad lectorem, morem illum sequendi D. Thomam vocat cæcam & superstitiosam servitutem, ipsumque D. Thomam ait esse quidem Solem, sed & ipsum quandoque defectum pati, & obscurari objectâ ex parte nubeculâ. Et Patres Collegii Mussi-pontani, qui præfuerunt editioni Commentariorum P. Jacobi Granado anno 1624. apud Sebastianum Cramoisy Mussi-ponti, laudes doctrinæ D. Thomæ, quas Granado satis fusè prosequebatur,

quebatur, penitùs abstulerunt, quæ nihilominùs habebantur in priori editione Matritensi, & quarum vestigia in editione Mussi-pontana relicta sunt, non ablatis (Deo ita permittente) capitum titulis ex Indice. Hæc autem omnia minimè apud ipsos licuisse arbitramur, si ex animo D. Thomam ut magistrum sequerentur & colerent.

X. Thesis Quæst.

Martii 20. *statuit de his Sum. Pontifex decernendum ad mentem D. Augustini. Generalis Societatis & Valentia protestantur se opiniones Molinæ, non ut veras, sed ut non erroneas defendere: agunt primò scriptis, mox verbo. Julii 8. habetur 2. Congregatio, in qua sic exorditur Pontifex:* Nos personaliter vidimus congeriem locorum, quam vos qui Molinam defenditis, ex Augustino induxistis, & nullus inventus est, qui faveat; immò contrarium tenuit Augustinus unde mirùm quod tot artibus utmini. *Mox disputatum, an dentur in infidelibus veræ virtutes. Affirmabant Molinistæ; negativam defendit P. Lemos: in eam eunt Consultores. Die sequenti examinatur hæc Molinæ propositio:* Potest homo viribus naturæ assentiri revelatis ut revelatis: *in illam indignatus Pontifex ait:* Che è la maggior biasfema, è la piu grande heresia che sia nella Chiesa. Che hanno fatto queste novita nella chiesa, che hanno fatto, si non perturbarla tutta?

In hàc Thesi decimâ reprehendenda laborant n. 11. 24. & 25. & primò quidem arguunt quòd Autor inducat Clementem VIII. damnantem Jesuitas antequam audirentur, nondum inchoatis Disputationibus.

Verùm patet hoc multum abesse à veritate: bis enim in istâ Thesi inducitur Clemens VIII. increpans Jesuitas, initio & sub finem. De hâc ultimâ vice dici nequit nondum fuisse inchoatas disputationes, cum hoc contigerit sub finem disputationis 3. ac proindè jam Clemens Jesuitas audisset in tribus disputationibus: unde legitimè poterat illos de his quæ ex illis tribus congressibus resultabant, reprehendere. Primâ autem vice illos increpavit Clemens initio Congregationis 2. eo quòd congeriem locorum D. Augustini nihil ad rem facientium ipsi exhibuissent scripto; quod se vidisse ac perlegisse testatus est: non ergo inauditos damnavit quantum ad hoc. Secundò opponunt quod Autor dixerit impugnatam à P. Lemos & à Consultoribus damnatam Molinæ propositionem, *Dantur in infidelibus veræ virtutes.* 1. Quia sequeretur, damnatas fore Summorum Pontificum adversùs Bayum & Jansenium Censuras, sicut & Sorbonæ adversùs Lutherum, & communis Thomistarum sententia. 2. Quia omissum fuit quod addit Molina, scilicet illas virtutes non esse ad salutem utiles. 3. Quia Gonçales ipse, qui disputationibus intererat, posteà tenuit eandem sententiam: quod argumento est illam non fuisse damnatam.

His satisfacimus primò, negando quod Autor dixerit damnatam à Consultoribus illam Molinæ positionem: solùm enim dicit, oppositam fuisse propugnatam à P. Lemos, & in eam iisse Consultores: quæ verba nullam damnationem exprimunt, sed dumtaxat ostendunt illam, ut magis D. Augustino conformem magis arrisisse Consultoribus, qui præsertim de mente D. Augustini, juxta præscriptum Summi Pontificis, inquirebant. Hinc patet multò minùs damnatas Censuras Pii V. & Gregorii XIII. contra Bayum, vel Sorbonæ contra Lutherum; præsertim cum ex nulla harum habeatur vel colligi possit per legitimam consequentiam esse in Infidelibus veras virtutes: neque id habet communis Thomistarum sententia; immò potius P. Lemos in illa disputatione 2. ostendit oppositum. 2. dicimus propositam solùm fuisse à Clem. VIII. illam quæstionem, *An secundùm Augustinum homo ex naturæ viribus possit agere opus bonum morale ordinis naturalis, quod comparatione ultimi finis naturalis sit verè bonum & veræ virtutis opus.* Affirmativam defendebat Valentia, negativam Lemos, & hanc prætulerunt Consultores: quare non fuit necesse addere illam Molinæ limitationem, utpotè non additam in propositione quæstionis, & quam à P. Valentiâ ad excusationem Molinæ in dictâ Congregatione additam impugnavit P. Lemos, ex eo quod si ponerentur esse veræ virtutes in ordine ad finem ultimum naturalem, consequens esset, ut homo illis præditus rectè se haberet ad illum finem, neque esset aversus ab eo, sed potiùs ad illum conversus. Et cum habere nequeat duos ultimos fines simpliciter, scilicet finem ultimum, quem sibi præstituit ratione peccati mortalis, & Deum tanquam finem ultimum, quem respiceret ratione illarum virtutum, necesse foret illum ad Deum tanquam ultimum finem simpliciter esse conversum, ac proinde justificatum: ex quo sequeretur illas virtutes non esse ad salutem inutiles.

Ad 3. Respondetur falsò citari Gonçalem 1. p. disp. 72. art. 14. Ibi enim solùm refert & impugnat sententiam Vasquesii asse-

afferentis nullum omninò opus virtutis acquisitæ fieri posse sine auxilio gratiæ per Christum, & dicit contrarium esse omninò certum. Hoc autem longè diversum est ab eo de quo inquiritur, utrum tale opus sit opus veræ virtutis, & ad finem naturalem ultimum directum simpliciter. Nam ad primum sufficit ut nullâ malâ circumstantiâ vitietur, quod saltem in facilioribus fieri posse sine gratia contra Vasquem docent ferè omnes Theologi: ad hoc verò ut sit veræ virtutis opus in ordine ad finem ultimum etiam naturalem, necessarium est ut importet relationem saltem virtualem ad finem illum ultimum, quæ relatio est actus amoris Dei super omnia impossibilis viribus naturæ corruptæ.

Tertiò opponunt num. 25. quod Autor referens propositionem Molinæ, *Potest quis viribus naturæ assentiri revelatis ut revelata sunt*, non addiderit ejus limitationem, scilicet, *Non tamen sicut oportet*. Verùm jam responsum est 1. Pontificem in proponenda quæstione illam particulam non apposuisse, unde nec Autor gesta referens debuit apponere. 2. cum Valentia illam in Congregatione 3. adhibuisset, P. Lemos opposuit quod non potest dari assensus certò exhibitus revelatis ut revelata sunt, quin sit ut oportet, ac supernaturalis, ut potè in objectum supernaturale formaliter tendens: quare si id appositum fuisset in quæstione, superfluere videretur.

Quartò opponitur num. 11. quod Clementem VIII. Aldobrandinæ domus, atque adeò Etruscæ facundiæ peritissimum, Autor induxerit loquentem idiomate Barbaritalico.

Verùm in hoc fidem autoris mirari potiùs debuere, qui prout invenit scriptum, ita sine dubio reddidit, & forsan ipsemet Clemens datâ operâ alloquens Hispanos, qui non à longo tempore Romam ex Hispaniâ venerant, ut sese illorum intelligentiæ accommodaret, ita locutus est. Adde quod crassiora illa errata, non autoris sed Typographi sunt lapsus, qui apposuit *major* pro *maggior*; *blasphemia*, pro *biasfemia*; *puy*, pro *più*; *sie*, pro *sia*; *an*, pro *hanno*; *questo*, pro *queste*; *fin*, pro *finon*; *perturbatta*, pro *perturbarla*. Neque tot irrepsisse mendas in tam pauca verba quisquam mirabitur, si attenderit litterarum quæ mutatæ sunt similitudinem; & correctorum, qui Italicum idioma non noverant, excusationem.

XI. Thesis Quæst.

IN 4. *Congreg.* (a) 22. *Julii disputatur, utrum homo edoctus assensum supernaturalem esse necessarium, possit illum optare, petere, se disponere viribus naturæ. Eò res deducta, An Pelagiani & Semipelagiani admitterent reipsa assensum supernaturalem fieri naturaliter, etsi verbis negarent. Affirmativam tandem concedit Valentia, & Patrem Lemos subsumere minorem:* Atqui idem facit Molina; *audire nolebat. Commoventur Consultores. In exitu à Congregatione Generalis Societatis, multis audientibus, dixit Valentiæ:* Destruxisti Societatem, Destruxisti Societatem concessione illius majoris. *In 5. Congregatione 23. Julii disputatum de laude lib. arbitrii in receptione gratiæ, ante, & post. Ab ista Congregatione introducti sunt Cardinales Inquisitores Pinellus, Asculanus, S. Cæciliæ, Borghesius, Arigonius, De Avila.*

(a) Acta Congreg.

Thesim hanc undecimam num. 26. arguunt falsitatis, ex eo quod narratur in ea de Generali Societatis dicente Valentiæ in exitu à Congreg. 4. Destruxisti Societatem, destruxisti Societatem concessione illius majoris: quia, inquiunt, quæ post exitum Congregationum dicebantur, non referebantur in Acta.

Verùm inquirimus, unde norunt non fuisse etiam hæc relata, quæ quodammodo ad rem faciebant? Certum enim est quòd quædam etiam quæ extra Congregationem gerebantur, ut infirmitas Consultorum, illorum mors, & alia Actis inserebantur tanquàm appendices. Hinc illud quod PP. Societatis in Acta sua referre non sunt obliti, quòd in prima Congregatione, cùm vel specietenùs Valentia Alvarem superasse visus esset, Generalis Valentiam in Collegium quasi ovantem deduxit, ac publicè laudavit, dicens inter alia: *Tu gloria Jerusalem, Tu lætitia Israel, Tu honorificentia populi nostri.* Et quamvis daremus ista non fuisse relata in Acta, quæ asservanda erant in Archivio sacræ Romanæ generalis Inquisitionis, poterant tamen referri in Acta, quæ à Secretariis privatim, vel ab aliis scribebantur. Profectò novimus hæc reperiri in Actis, quæ habemus.

XII. Thesis Quæst.

IN 6. *Congreg.* (a) 6. *Augusti actum, An possit homo lapsus elicere contritionem naturaliter, ut ait Molina. In 7. conclusum negative. In 8. 19. Augusti, An homo lapsus naturaliter possit diligere Deum super omnia, ut vult Molina? Conclusum negative, in 9.*

(a) Acta Congreg.

20.

20. Aug. In Congreg. 10. 2. Septemb. actum, An homo possit naturaliter cuilibet tentationi resistere, ut asserit Molina; Irascitur Pontifex in Molinistas, quòd Scholasticis maximè suis, non scripturâ, Conciliis, Patribus uterentur. In 11. die 30. Sept. utrum detur lex dandi infallibiliter gratiam facienti quod in se est. Falsificant Viguerium, & (quod pejus) Augustinum. Indignatur Pontifex. Valentiam (qui parùm fideliter legerat Augustinum) dicendo Ho, *prosternit: qui sensu omni privatus, inde sublatus, & mox Neapolim advectus, moritur. In 12. conclusum negativè.*

In thesi ista 12. reprehendunt narrationem de prostrato Valentia. 1. Quia majus id esset miraculum, quàm illud Christi prosternentis Judæos, qui ad ipsum ligandum venerant. Christus enim tribus syllabis, *Ego sum*, satellites illos prostravit. Clemens VIII. una vocali aspirata, *Ho*! 2. Quia hujus rei testem Autor citat neminem: & denique, quia non potuit Valentia Augustinum 19. de Civit. cap. 13. & Viguerium lib. Instit. cap. 10. §. 4. falsificare; cùm potiùs falsificanda essent illa loca, ut non faverent.

Hæc verò narrationis fidem non elevant. Ad horum primum Respondetur: sive fuerit majus miraculum, sive non, nihil hoc argumento confici, tùm quia ipse Christus Dominus omnibus Apostolis, & præsertim Petro dixit, Joan. 14. *Qui credit in me, opera quæ ego facio & ipse faciet, & majora horum faciet*: tùm etiam quia eodem argumento narratio facti D. Petri in Anania & Saphira Actuum quinto infirmaretur: posset enim argui, non esse credibile D. Petrum majus miraculum patrasse prosternendo & morte puniendo Ananiam & Saphiram, quàm Christum, qui proprios hostes prostravit quidem, sed non morte punivit. Neque verò quis dixerit multum intercedere discriminis inter factum Ananiæ & Saphiræ, & factum Valentiæ. Si enim diceremus hoc miraculum fuisse, quod sic prosterneretur Valentia, dici posset, quod sicut Ananiam & Saphiram prostravit Petrus, quia (ut ipse ait) mentiti fuerant Spiritui sancto ita veluti mendacium fuit; & peccatum contra Spiritum Sanctum, veritatem cognitam impugnare, illamque (ut loquitur Apostolus) in injustitia retinere, præsertim in tanto consessu, ubi agebatur de quæstionis istius definitione ac determinatione, ut deinceps altera quidem pars de fide esset, altera verò proscriberetur. Quare velle mendaciis alteram Pontifici suadere, nihil aliud videbatur, quàm mentiri Spiritui sancto. Nec tamen hinc inferat aliquis miraculum intercessisse in casu Valentiæ: nos siquidem id non asserimus; nam P. Gregorius de Valentia initio Congregationis malè habebat.

Ad secundum Resp. Autorem produxisse in hujus rei testimonium Acta ipsa. Si quærunt alios, legant Alexandrum Ziliolum in Commentariis quæstionum memorabilium sui temporis. Consulant viros qui etiamnum superstites Romæ degunt, à quibus & nos rem totam accepimus. Denique hujus rei conjecturam aliis adjunctis satis apertam sumimus ex eo, quòd ipsi autores Societatis de morte Valentiæ tam varii sint & diversi. Antonius Possevinus 1. tomo Apparatus sacri in Additionibus lit. G. illum Romæ diem obiisse anno 1604. narrat. Ribadeneira Neapoli 1603. 15. Aprilis. Paulus verò Leonardus p. 1. num. 24. in medio dicit Valentiam mortuum paulò post finem Septembris anni 1602. Neapoli, & sine dubio hic ultimus rem propiùs attigit.

Ad tertium non est quod quæramus, An Augustinus & Viguerius faveant, sed utrùm eos falsò citarit, & ipsum Augustini locum corruptè legerit Valentia. Si enim favit & nihilominùs legendo vitiavit, bis peccavit, videlicet, & quia corruptè legit, & quia causæ prævaricator extitit. Et verò non favere locum Augustini probavit P. Lemos disp. 9. die S. Hieronymi 30. Septemb. quo hæc contigisse dicuntur. Agebatur de illa Molinæ propositione: Facienti quod in se est ex viribus naturalibus, ex certa lege Deus dat gratiam.

Illam probabat Valentia ex Augustino loco cit. sic legendo. *Deus ergo naturarum omnium sapientissimus conditor & justissimus ordinator, qui terrenorum ornamentorum maximum instituit mortale genus humanum, dedit hominibus quædam bona huic vitæ congrua, &c. eo pacto æquissimo, ut quicunque mortalis talibus bonis paci mortalium accommodatis bene usus fuerit, accipiat ampliora atque meliora, & ipsam immortalitatis pacem, eique convenientem gloriam, &c.* Ex quo sic arguebat: Augustin dicit, Deum ex pacto æquissimo benè utenti bonis temporalibus daturum duo, nempè bona ampliora atque meliora, & præterea ipsam immortalitatis pacem sive gloriam. Sed per ampliora bona non possunt intelligi nisi bona gratiæ, quæ sola sunt temporalibus ampliora & à bonis gloriæ distincta. Igitur Deus ex pacto dabit benè utenti temporalibus bona gratiæ & gloriam. Et cùm præmium promissum bono operi non debeat

à benè operante, dum benè operatur & meretur haberi (nam meritum ſpem involvit, quæ eſt de futuris) conſequens eſt, ut Deus non habenti gratiam, & ſic benè utenti temporalibus ſine gratiâ, atque adeò ex naturæ viribus, daturus ſit & gratiam & gloriam.

Dum hæc proponeret Valentia, P. Lemos ſtabat attonitus intra ſe (ut ipſe poſteà narravit) dicens, quî fieri poſſet, quòd Auguſtinus hæc diceret. Non eſt, inquiebat, poſſibile quòd ipſe Sanctus Doctor factus ſit hæreticus. An ego memoria omninò lapſus ſum? An PP. Societatis auſi eſſent falſificare D. Auguſtini locum, in præſentia ſuæ Sanctitatis, ut aliàs alibi pluries factitarunt? Atque ubi ſic cogitabundus ſtaret, finem dicendi fecit Valentia. Et tùm P. Lemos, ignarus quid conſilii caperet, flexo poplite, ad Sanctiſſimum ait: *Qua intentione P. Valentia falſificaverit B. Auguſtinum, non eſt meum, P. Beatiſſime, judicare; Veſtra Sanctitas judicabit: meum eſt oſtendere, quod falſificaverit. Ne autem dicant Patres id contigiſſe defectu codicis, & errore Typographi, præcipiat Veſtra Sanctitas, ut detur mihi idem numero codex, & in eo oſtendam ipſum falſificaſſe verba D. Auguſtini.* Et cùm jubente Pontifice datus fuiſſet codex, Pater Lemos oſtendit non ſic haberi in Auguſtino, ſed longè aliter, videlicet, *Deus*, &c. *dedit hominibus quædam bona huic vitæ congrua* &c. *eo pacto æquiſſimo, ut quicunque mortalis talibus* &c. *recte uſus fuerit, accipiat ampliora atque meliora, ipſam SCILICET immortalitatis pacem.* Ex qua lectione probavit Lemos D. Auguſtinum ibi loqui de homine benè utente bonis temporalibus, non ex viribus naturæ, ſed ex divina gratia: quia Deus, inquiebat, non eſt daturus gloriam homini benè utenti temporalibus ex ſolis naturæ viribus (neque enim vel hoc Pelagius eſt auſus aſſerere) ſed dumtaxat homini benè utenti temporalibus ex divina gratia. Atqui Auguſtinus dicit Deum illi homini benè utenti temporalibus daturum gloriam: dicit enim Deum, illi daturum meliora bona, & ſtatim explicans, quæ ſint illa meliora bona, ſubdit, *Ipſam SCILICET immortalitatis pacem*, per quam intelligitur gloria, ut neque PP. Societatis diffitentur. Igitur loquitur de homine benè utente temporalibus non ex viribus naturæ, ſed ex divina gratia. Non ergo potuit locus ille favere Valentiæ ad probandum intentum, niſi falſificaret, ut fecit, apponendo particulam, ET, ac ſubtractâ particulâ (SCILICET) Quod etiam ubi propriis oculis probavit Pontifex, facti indignitatem deteſtatus, Valentiam ſevero vultu intuitus, illam particulam *Ho!* protulit, accidítque narratum ab Autore.

Locus verò Viguerii multò minùs favet, quia ſic habet Viguerius eò loci: *Sic conanti Deus ſuâ proclamatâ miſericordiâ adeſt & convertitur ad eum ſuo auxilio ſpeciali.* Ipſi verò legebant, Sine auxilio ſpeciali, ut teſtatur D. Le Boſſu Doctor Sorbonicus 1. p. primi cap. ad notam 14. paulò ante finem.

De his quæ num. 25. dicunt adversùs theſes 10. & ſequentes uſque ad 22. malè videlicet citari Molinam, non eſſet curandum: ſufficeret enim ad fidem autoris, probaſſe ita relatum & intellectum fuiſſe Molinam in Congregat. Verùm ipſa loca ex quibus Summ. Pontifex, qui quæſtiones proponebat, propoſitiones Molinæ deſumeret, dabimus inferiùs.

XIII. Thesis Quæst.

Ab hac 13. Congregat. ad 33. diſputat Arrubal loco Valentiæ de convenientia Molinæ cum Caſſiano in 14. propoſitionibus uſque ad 19. Congregationem excluſivè habitam 11. Junii 1603. Celebris 21. fuit, in qua 27. Januarii actum de dono perſeverantiæ, & oſtenſum Molinam dicere, quòd concurſus divini auxilii naturâ poſterior eſt concurſu liberi arbitrii. Cumque ad ſcientiam-mediam recurreret Arrubal, interrogavit Pontifex. Quid per illam ſcientiam Deus prævidet? *Reſpondit Arrubal:* Influxum liberi arbitrii. *Replicavit Pontifex:* Aut quem gratia facit, aut quem natura? Si primum, ſcientia illa non eſt ante decretum: ſi ſecundum, idem dicit Caſſianus. *Concluſum contra Molinam in 22. habita 28. Januarii. In 27. & 28. actum de prædeſtinatione: concluſum fieri ante prævisa merita. Molinam dixit Pontifex impudentiſſimè locutum contra Auguſtinum.*

XIV. Thesis Quæst.

Propoſitiones in quibus Molinam cum Caſſiano convenire cenſuerunt Conſultores ſunt. 1. Homo lapſus poteſt habere judicium naturale cujuſlibet boni moralis. 2. Gratia illuminans & vocans ſufficit ad ſalutem. 3. Poteſt homo lapſus naturaliter diligere Deum ſuper omnia. 4. Deus exſpectat noſtros conatus. 5. Deus exſpectat occaſiones, ut largitio gratiæ ſit rationabilis. 6. Lapſus poteſt naturaliter cuilibet tentationi reſiſtere. 7. Explicatio illius 1. Cor. 10. Fidelis Deus &c. 8. Servanda eſt laus libero arbitrio ante receptionem gratiæ. 9. Ad perſeverantiam ſolùm requiritur gratia habitualis, & auxilium ſuffi-

sufficiens. 10. *Actus naturæ ordinantur ad justificationem.* 11. *Conanti ex natura datur gratia.* 12. *Propter bona naturæ ut occasiones, datur gratia &c.* 13. *Lapsus potest medicum quærere.* 14. *Prædestinatio omnium non est gratuita.*

XV. THESIS QUÆST.

IN Congregat. 29. *habita* 11. *Junii* 1603. *disputatum, An Concilium Tridentinum sess.* 14. *c.* 4. *& can.* 5. *obstet iis quæ de contritione & attritione docet Molina. Conclusum est affirmative in Congregat.* 30. *In Congreg.* 31. 23. *Junii actum de motivo necessario; ut actus sit simpliciter bonus, & conclusum in* 32. *adversus Molinam. Post hanc Arrubal infirmatus perrexit in Hispaniam: loco illius disputavit Vastida, & in Congregat.* 33. *die* 10. *Novembris actum, An ea quæ Molina docet de actibus, quos liberum arbitrium potest elicere, & de lege facientis quod in se est ex naturalibus, dicant ordinem ad justificationem, ut veræ dispositiones. In* 34. *Congregat. conclusum affirmative juxta Molinam; quamvis juxta rei veritatem contrarium sit, tenendum. In Congregat.* 35. 18. *Novembris actum, Utrum liberum arbitrium & gratia sint duæ causæ partiales boni operis. In* 36. 19. *Novembris conclusum negative.*

XVI. THESIS QUÆST.

IN Congregat. 37. 25. *Novemb. actum, Utrum Molina in positione de causis partialibus conveniat cum Pelagio. In Congreg.* 38. *die* 25. *Novembris Consultores determinarunt affirmative, addentes statum causæ illius seculi esse eundem cum præsenti. In Congregat.* 39. 8. *Decembris actum, Utrum Deus se inferat nostris conatibus naturalibus, ut vult Molina. In* 40. *die sequenti, conclusum negative.* 20. *Januarii* 1604. *in Congregat.* 41. *disputatum, Utrum juxta Augustinum interna vocatio pendeat à libero arbitrio, ut ait Molina. In* 42. *conclusum negative. In* 43. *habita mense Februarii actum, An quamdiu sumus in via salus sit posita in manu arbitrii nostri. In* 44. *conclusum, quòd non, juxta sensum intentum à Molina. In* 45. 22. *Martii, an Deus de lege ordinaria magna ex parte dona sua usui liberi arbitrii accommodaret. In* 46. *conclusum negative.*

XVII. THESIS QUÆST.

IN Congregat. 47. 21. *Aprilis actum, An Deus exigat, ut homo faciat quod in se est, prius quàm donet fidem. In* 48. *negativa pars prævaluit. In* 49. 30. *Aprilis actum, An actus admissi à Molina ex naturalibus sint ut ad salutem oportet. In* 50. *affirmative determinatum. In* 51. 6. *Maii actum, In quo differant motivum pietatis Christianæ, & bonitatis Dei super omnia dilecti &c. In* 52. *dictum non differre. In* 53. *Maii* 28. *actum, Utrum intellectus proponens voluntati Deum amandum, ut qui pro nobis fudit sanguinem, ut præmiantem vitâ æternâ, &c. proponat objectum naturale vel indifferens. In* 54. *conclusum, quòd proponit ut supernaturale. In* 55. *Junii* 30. *actum de eodem. In* 56. *idem conclusum.*

XVIII. THESIS QUÆST.

IN Congreg. 57. *Junii* 21. *quæsitum supposita doctrina Molinæ de actibus bonis naturaliter possibilibus & de partiali causalitate gratiæ & liberi arbitrii quænam ex illis causis præponderet in justificatione hominis. In* 58. *conclusum juxta Molinam liberum arbitrium præponderare; gratiam verò, in rei veritate. In* 59. *cœptum est agi de Scientia-media die* 27. *Octobris. Vastida differt per duas Congregationes ad punctum difficultatis venire probans in* 59. *Deum cognoscere conditionatè futurare in* 61. *illa cognoscere certò, quamvis Consultores juberent, ut accederet ad quæstionem, utrum illa cognitio antecederet Decretum. Die* 28. *Octobris. In* 60. *Consultores per* 4. *horas examen protrahentes concluserunt scientiam-mediam esse ipsissimum Pelagianorum & Semipelagianorum fundamentum.*

XIX. THESIS QUÆST.

IN 61. *die* 29. *Novembris de Scientia media iterum. In* 62. 30. *Novembris iterum contra illam conclusum. In* 63. 6. *Decembris, Vastida venit ad punctum difficultatis; sed eo audito, etiam tertiò exploditur Scientia-media in* 64. *Congregat. In* 65. 4. *Januarii* 1605. *quæsitum, An detur decretum in Deo de actibus liberis antecedens omnem consensus liberi prævisionem. In* 66. *conclusum affirmative ex Augustino. In* 67. *Januarii* 22. *introductus est Illustrissimus Cardinalis du Perron: disputatum: Utrum bonus usus auxiliorum Divinæ gratiæ sit ab ipsa gratia: aientem partem ut veram ex D. Augustino in* 68. *Consultores determinarunt. Post hanc mortuus est Clemens* 8. *In conclavi juratum, quòd futurus Pontifex finem bis quæstionibus intra annum imponeret. Electus est Leo XI. quo paulò post sublato, constitutus est S. D. N. Paulus V. qui, non obstantibus variis instantiis, negotium prosecutus est.*

XX. THESIS QUÆST.

SUb Sanctissimo D. N. Congregatio 1. *habita est die Exaltationis S. Crucis inter*

Con-

Consultores : ubi conclusum est, quòd præter toties disputata, de duobus punctis fierent præcisè duæ disputationes, post quas S. D. N. Apostolicâ autoritate definiret. Itaque 1. habetur 20. Septembris. De mente D. Augustini actum, Utrum gratia efficaciam haberet ex omnipotentia Dei & supremo dominio, quod sua Divina Majestas habet etiam in voluntates hominum, ut fæl. record. Clemens 8. in suo Scripto exhibito 9. Julii 1603. cap. 5. proposuerat. Negarunt Molinistæ, quia (inquiebant) in hoc importatur prædeterminatio physica. Sed ostensum à P. Lemos, & in Congregat. sequenti conclusum à Consultoribus, eam esse D. Augustini mentem, quam Clemens 8. ex multis ejusdem S. Doctoris locis proposuerat.

XXI. Thesis Quæst.

IN 4. *Congregat.* 10. *Octobris actum, Utrum Deus activè, propriè, nedum moraliter moveat suâ gratiâ liberum arbitrium ad bonum, &, An hoc dato, illa gratia dici debeat prædeterminatio physica. Hoc 2. admisere Molinistæ, primum negarunt. Vastida initio invectus in Consultores, increpatur à S. D. N. dicente*; Respondete al dubio, e lasciate queste cose, lasciate queste invettive, à che proposito se fanno queste invettive ? *Instat Vastida contra consilium Consultorum, ne unâ Congregatione terminetur negotium, & obtinet. Actum igitur 1. ex Script. 2. ex Tridentino & Senonensi Concil. 3. ex PP. maximè Augustino 4. ex D. Thoma. 5. ex Scholasticis. 6. rationibus. Consultores in 14. Congregat. concluserunt Deum activè propriè movere; Rationes verò Molinistarum captiosas, periculosas, humanis auribus prurientes, Pelagiana fovere dogmata. Jam exspectatur definitio S. D. N.*

Theses 18. 19. 20. 21. sine teste esse conqueruntur.

Resp. Non fuisse opus : omnes enim satis intelligebant illas haberi ex Actis toties citatis. Unum restat dissolvendum, quod adversùs Thesim 18. & 19. objiciunt num. 29. nimirum, quòd narretur bis damnata Scientia-media, antequàm veniretur ad punctum difficultatis : quare nutabit illorum judicium vel justitia, qui causam inauditam damnavere : vel prudentia, quia post latam sententiam audire voluerunt litigantes.

Respondemus Judices illos, viros æquissimos ac doctissimos, non damnasse inauditam causam, cùm jam toties & toties usque ad nauseam, eadem repetentes audissent, & scripta legissent : & licet inauditos damnassent, justè id fecissent, quia P. Vastida noluit obedire ipsis jubentibus, ut ad punctum difficultatis accederet : quandò autem altera pars tergiversatur, & malorum litigatorum instar fugit, causæ suæ ipsa diffidere judicatur : undè in alterius favorem profertur sententia : potest tamen damnata pars iterum aliquando audiri, idque quotidiè præstant Senatores integerrimi absque ullo vel justitiæ vel prudentiæ præjudicio.

XXII. Thesis Quæst.

QUando Tridentinum (a) *damnat hanc propositionem Calvini : Liberum arbitrium motum à Deo non potest dissentire ; damnat illam in sensu quo à Calvino asserebatur ; aliàs nihil quoad hoc egisset contra ipsum : cum tamen convenisset ad illius errores proscribendos, inter quos ille capitalis erat. Atqui propositio illa asserebatur à Calvino intellecta de præmotione physica, ut sensus illius esset : Liberum arbitrium motum à Deo per præmotionem physicam non potest dissentire ; illam enim præmotionem dicebat tollere libertatem, non autem motionem simultaneam, vel gratiam prævenientem moraliter, ut etiam fatetur Suarez* (b) *& alii. Igitur anathema dictum est asserenti hanc propositionem liberum arbitrium præmotum à Deo physicè non potest dissentire, sive non manet liberum : sed illam propositionem veram esse contendunt assertores Scientiæ-mediæ, negant verò alii, ergo &c.*

(a) Sess. 6. can. 4.

(b) Primo de concursu Dei, cap. 11.

Adversùs thesim hanc 22. & sequentes objiciunt, quòd Auctor inciderit in censuras latas contra illos, qui edunt quicquam in publicum, quo attingatur ipsa quæstio de auxiliis divinæ gratiæ, hoc est de illorum efficacia.

Nos etiam hîc manum abstinemus, si tamen liceret Auctoris causam agere, non aliis uteremur excusationibus quàm reprehensorum. P. Viverus in libello cui titulum fecit, *Tela ingesta regesta*, excusat P. Tannerum & P. Mæratium, *Quia*, inquit, *moniti, parati fuissent desistere.* P. Paulus Leonardus hoc anno 1644. scripsit suas excusationes p. 3. n. 57. Illum autem esse Jesuitam, (quamvis id dissimulaverit in titulo libri) colligitur ex p. 1. num. 53. p. 2. n. 3. & 30. ac denique ex p. 3. n. 62. Scripserunt præterea de hac ipsa materia Theophilus Rairlaudus, Eugenius Philadelphus, hoc est, teste Petro Aurelio P. Hennatus sive Annatus Caturcensis ; P. Petavius hoc ipso anno adversùs Jansenium, & tot alii. Sed quid quòd cum ultima Bulla, quæ omnes de his rebus libros edere in lucem (ut dicitur) prohibet, ipsi suas Theses Lovanienses Parisiis

ſuis typis mandari curarunt? Quis manifeſtior eſſe potuit Mandati contemtus, quàm ipſum promulgando violare? Nec verò eſt quòd Autor ad has omnes excuſationes recurrat. Theſes compoſuit de his rebus quas ipſi quotannis in publicis poſitionibus diſputandas proponunt. Non dubitamus crediſſe auctorem poſt tot virorum Religioſorum & doctiſſimorum Caſuiſtarum exempla, idem ſibi licuiſſe, præſertim cum modeſtia, à ſcommatis, dicteriis, facetiis, etiam rebus ſacris intermixtis abſtinendo; quod & nos præſtitimus, & doluimus ex animo, reprehenſores hunc morem non eſſe ſecutos: quicunque illi fuerint, ignoſcat illis Deus. Nos ad ſimilia quamvis regerere in promtu eſſet, ſi liceret; ſi deceret nunquam reſpondebimus niſi ſilentio.

XXIII. Thesis Quæst.

QUando Tridentinum definit, liberum arbitrium motum à Deo poſſe diſſentire, per particulam, motum, *intelligit vel motionem moralem, vel phyſicam ſimultaneam, vel phyſicam præviam, vel omnem omninò qua homo indiget, ut agat, quæcunque tandem illa ſit. Duo priora dici nequeunt; aliàs nihil actum foret quoad hoc contra Calvinum, qui nunquam aſſeruit motionem moralem, vel phyſicam ſimultaneam impedire uſum libertatis: ineptè etiam uterentur illo canone Moliniſtæ adversus præmotionem phyſicam, cum de illa non intelligatur. Reſtat ergo, quòd intelligatur de phyſica, vel de illa quæ eſt neceſſaria, quæcunque ſit. Si primum eligant; igitur hæc eſt propoſitio definita à Concilio: Liberum arbitrium motum à Deo præmotione phyſica poteſt diſſentire, & remanet liberum, quam tamen illi negant.*

Theſim 23. ex Dialectica arguunt n. 12. quòd disjunctivum ſyllogiſmum unimembrem autor in ea protulerit.

At profectò incidêre illi in theſim non correctam; nobis correctior contigit, quæ duo membra apponit. Neque difficile erat id ex ſequentibus colligere: nam autor duo membra proſequitur; primum, omiſſum errore Typographi & incuriâ correctorum in eadem Theſi vigeſima tertia; ſecundum, in Theſi ſequenti vigeſima quarta. Quare de facili non tam mali Dialectici hoc fuiſſe erratum Typographi colligere potuiſſent.

XXIV. Thesis Quæst.

SI autem velint Canonem illum intelligi de motione quacunque neceſſaria, idem ſequitur: nam vel PP. Tridentini noverant Calvinum ex præmotione phyſica inferre, quod uſus libertatis tollitur, vel non noverant: hoc ſecundum dici nequit ſine gravi injuria PP. Tridentinorum, qui damnaverint incognita, & patet eſſe falſum ex diligenti illorum ſtudio. Igitur noverant. Vel ergo judicaverunt, antecedens illud eſſe falſum & hæreticum, vel illationem eſſe erroneam & illegitimam. Non primum; aliàs obligati fuiſſent ad illud proſcribendum formaliter & conceptis terminis: cum antecedens, ex quo per legitimam conſequentiam infertur conſequens hæreticum, ſit etiam hæreticum. Ergo judicarunt conſequentiam eſſe ſpuriam & erroneam: quod etiam modus quo loquuntur illo canone 4. ſatis oſtendit. Atqui hanc conſequentiam legitimam eſſe affirmant Moliniſtæ. Ergo, &c.

App. Hiſt. Cong.

XXV. Thesis Quæst.

VEl Tridentinum admiſit, præmotionem phyſicam non tollere libertatem, vel admiſit Scientiam-mediam: cum Suarez (a) *& alii fateantur alterum è duobus admittendum eſſe, ut nos expediamus ab argumentis hæreticorum. Atqui Tridentinum non potuit admittere Scientiam-mediam, quia anno 1547. quo hac de re actum eſt, nondum fuerat è tenebris eruta: hoc enim non contigit ante annum 1559. ex Molina & Fonſeca* (b) *Igitur Tridentinum admiſit, prædeterminationem phyſicam non tollere libertatem: hoc autem negant Moliniſtæ: ergo, &c. Adde quòd ſi Molinam audiamus dicentem* (c) *admittendam eſſe ſcientiam-mediam, niſi, inquit, turpiter hallucinari velimus, neceſſe fuerit dicere BB. Ignatium, Xaverium, &c. immo quotquot ante ſcientiæ-mediæ inventionem hæreticos impugnarunt, ipſos etiam PP. Tridentinos, turpiter fuiſſe hallucinatos.*

(a) Lib. 2. de ſcient. conau. cap. 4. num. 5.

(b) Sup. cit.

(c) 1. p. q. 14. a 13. diſp 17. §. Huius.

In 25. Theſim inſiliunt, ex eo quod autor, ex dicto Molinæ, quo ait debere nos ſcientiam-mediam admittere, niſi turpiter hallucinari velimus (quam tamen ſcientiam à ſe inventam profitetur) ſequi aſſeruerat BB. Ignatium, Xaverium, &c. fuiſſe hallucinatos, ſcilicet (inquiunt reprehenſores) in ſuis ad Magiſtrum commentariis.

Non ſanè; neque arbitramur eruditum autorem latuiſſe, Beatiſſimos illos viros, aliis operibus deditos, commentaria in Magiſtrum non edidiſſe: ſed ſolùm voluit, fuiſſe hallucinatos in ſuis adversùs hæreticos & infideles concertationibus: non enim minùs verbo quàm ſcripto poteſt quis hallucinari. Et profectò, non uſos fuiſſe ſanctiſſimos illos Patres ſcientiâ-mediâ ad propugnandam arbitrii noſtri libertatem adversùs novas hæreſes, ſatis videtur conſtare

ex eo quòd P. Leonardus Jesuita refert, primos Societatis discentes, cum Dominicanorum Scholas peterent, ut P. Herice insinuat tract. 3. disp. 25. cap. 2. in fine, ex eorum fontibus potasse physicam præmotionem, & modum futura contingentia cognoscendi quæ ab hypothesi dependent ex decretis prædeterminantibus. Atque adeò constat, omnes illos primos Patres fuisse hallucinatos.

XXVI. Thesis Quæst.

(a) 1. de Div hist c. 15. & 7.
(b) Appar. verb. Corn.
(c) In Exod. 3. in Gen c. 50.
(d) Lib. de præd. & provid.
(e) De lib. operum verit. 7.
(f) Inc. 9. ad Rom
(g) De nat. & grat. cap. 16.
(h) De justific. q. 11.
(i) Disp. 19. in Ep ad Rom.

Hanc Concilii mentem collegimus etiam ex Cornelio Musso, (a) qui 6. Trid. sess. ordinavit cum auditorum admiratione tanta (inquit Possevinus Societatis) (b) ut PP. omnes uno ore clamarent S. Spiritum mirabili modo in eo fuisse operatum. Idem constat ex Lipomano, (c) Catharino, (d) Romæo (e), Seripando, (f) Soto, (g) Vega, (h) Salmerone, (i) aliisque PP. Conc. quorum nullus meminit scientiæ mediæ. Immo omnes illius fundamenta evertunt; præmotionem verò physicam docent, sicut & plures ex Societate, qui memores moniti B. Ignatii ad tres PP. Societatis in Concilio existentes, noluerunt sententiam Molinæ amplecti, utpote novam. Sic Patres Societatis Colonienses (k), Pererius (l), Toletus (m), Henricus Henriquez (n), Mich. Marcus (o), Azorius (p), immo & Bellarminus (q), sincerus & non adulteratus, & alii.

(k) Dial. 2. de Hom. pag. 36. (l) Lib. 8. de princ. nat. cap. 8. (m) 2. Phys. c. 3. sec. 38. q. 8. ann. 54. in Luc. (n) Lib. ult. de fin hominis a. c 3. ad 11 (o) 1. p. q. 23. a. 7. & 3. p. q 86. art. 1. dub. 1. (p) Lib. 1. Instit. Mor. cap. 17. q. 7. & 8. (q) Lib. 4. de grat. & lib. arb. cap. 14. & 16.

Tria in hac Thesi 26. reprehendunt 1. quòd citaverit Autor Lipomanum pro mente Concilii, qui tamen ante Concilium scripserat.

Verùm attendenda fuerat Autoris intentio, qui Tridentini mentem ac sensa indagaturus, autores qui 6. Sessioni illius synodi interfuere velut in testes citavit, quorum alii mentem suam priùs quidem scriptis traditam in Concilio haud dubium proposuerunt & explicarunt, dum hæc quæstio ventilaretur per quatuor ferè integros menses, neque posteà retractarunt. Alii verò in ipso amplissimo PP. consessu didicerunt, eamque posteà docuerunt. Inter primos fuit Lipomanus, quem non dixit autor ea in Concilio audivisse: cùm anno 1546. opus ejus fuerit editum. Sed profectò multò justior fuerit auctoris querela in reprehensores, qui ubi num. 33. laudarunt Romæum (ea fide quam posteà ostendemus) subdidere: Hæc Romæus in Tridentino audierat. Cùm tamen Romæus opus illud, De libertate operum, jam edidisset anno 1538. ut patet ex Antonio Possevino Societatis in Apparatu sacro lit. F. Quare si hallucinatus sit autor, minùs sanè erravit quàm reprehensores: ille non uno anno integro, hi verò ad minùs annis octo, ille non dixit Lipomanum hæc in Concilio didicisse; sed potiùs intellexit hanc doctrinam in Synodo tradidisse; hi verò ajunt, Romæum hæc in Tridentino audivisse: qui lapsus duplò crassiores sunt, Deo sic parùm benignam reprehensorum in arguendo licentiam tanta cæcitate ulciscente, ut ipsi graviora peccarint, quàm quæ reprehendere conabantur.

At videamus jam de secundo quod arguunt. De sincera aliorum autorum citatione volunt ferri judicium ex duobus, Romæo nimirum & Soto. Acceptamus conditionem: & ne parùm grati videamur, his volumus adjungere Salmeronem, addituri etiam ex eadem Societate alium, ut esset perfecta retaliatio, si in illa 6. sess. fuisset cujus opera ad nos pervenissent. Ejus loco Henricum Henriquez proferemus. Itaque ut probent autorem non bona fide citasse Romæum & Sotum, minimè proferunt loca ab autore citata, sed alia; Romæi locus ab autore laudatus est Veritate septima: is quem ipsi citant habetur Veritate octava. Soti locus quem citat autor exstat cap. 16. lib. 1. de nat. & grat. ipsi afferunt locum ex cap. 15. & ex fine lib. 4. Sententiarum. Optimus sanè & laudatissimus modus arguendæ malæ fidei alicujus, sed adeò mala fide, quàm fuerit Autoris optima. Est & aliud vitium in citatione Romæi: nam sequendo Paulum Leonardum Jesuitam deceperunt, sumentes pro Romæi sententiâ, quod ipse sibi objicit, ac statim solvit: quæ hallucinatio tam gravis est, ut si talem in autore reperissent, planè illum dicteriis obruissent. Ut autem bona fides autoris & mala reprehensorum appareat, utrumque locum Romæi subjicimus. Primus quem citavit Autor, est, ut diximus, Veritate 7. ubi cùm dixisset, Deum omnium actionum etiam liberarum causam esse, non partialem, sicut sunt duo trahentes navim, sed perfectam, statim explicat modos quibus Deus dicitur & est causa cujuslibet actionis. Primò, quia dedit virtutem agendi. 2. Quia illam conservat. 3. In quantum, inquit, applicat collatas conservatasque virtutes. 4. Et ob id potissimùm dicitur Deus omnium opera operari, quia in virtute operantis Dei unumquodque operans operatur. Unde Proculus illustris Philosophus: *Virtus*, inquit, *primæ causæ plus*

plus influit super effectum causæ secundæ, quàm virtus ipsius causæ secundæ; plus, inquit: ac si dixisset, immediatiùs, priùs, intimiùs, efficaciùs, ut solennes exponunt Philosophi. Hæc Romæus. Præterea, consulant ipsum reprehensores Veritate 16. videbunt quantum ipsis faveat.

Secundus locus, quem citarunt reprehensores, habetur sub finem Veritatis 8. Dixerat anteà & probaverat Romæus, ex efficacia divinæ cognitionis & voluntatis res eo modo evenire, quo Deus scit & vult eas evenire. Soluerat argumenta in contrarium per distinctionem sensus compositi & divisi. Docuerat realem omnium rerum præsentiam in æternitate. Conciliaverat libertatem arbitrii nostri cum efficacia divinæ cognitionis & voluntatis per hoc, quòd causæ universali, qualis est divina voluntas, debet correspondere effectus universalis, non particularis, qualis est necessitas eventus aut contingentia. Undè intulerat, ex eo quòd Deus velit vel sciat aliquid futurum, non sequi determinatè illud fore necessariò, sed solùm futurum eo modo, quo Deus vult illud esse futurum; vel necessariò, ut in causis naturalibus; vel contingenter aut liberè, ut in aliis. Quo etiam modo utitur Cajet. 1. p. q. 22. a. 4. citatus & reprehensus n. 18. ab adversariis, & Corn. Mussus in c. 9. Ep. ad Rom. Hæc verò omnia tam apertè placitis reprehensorum adversantia ubi præstitit Romæus, quia manifestè docuerat divinam cognitionem esse causam rerum, in fine ait: *Illud demùm non prætereundum, quod si ad antiquos Doctores te convertas, reperies ferè omnes in hanc unam convenisse sententiam: videlicet, non ex hoc quòd Deus scit aliquid futurum, idcirco futurum est; sed quia futurum est, Deus novit, qui præscius est futurorum: sic enim loquitur Hieron, &c.* Et ut constet illa per modum objectionis afferri, statim sanctos illos Patres explicat, dicens: *Juxta hanc igitur loquendi formam, non ea mens fuit Patribus nostris, quod res futuræ sint causæ quoquo modo Divinæ erga se præscientiæ (cum eminentissimus Deus à rebus ipsis nihil accipiat) sed ea duntaxat intentione atque consilio hunc aptaverunt loquendi modum, ne scilicet putaret quis ex divinâ præscientia rebus prævisis vel necessitatem induci, vel libertatem auferri.* Circa quæ advertendum est, optimè dixisse Romæum, res futuras non esse quoquo modo, id est ullo modo, causas scientiæ divinæ, ut indicaret nulla prorsus ratione scientiam divinam ab his creatis objectis pendere etiam tanquam è conditionibus; sed potiùs, illa esse ejus effectus. Quare dixit, mentem Patrum solùm esse, quòd scientia Dei nullam rebus præscitis necessitatem infert. D. Thom. 1. p. q. 14. art. 8. in primo argumento cum sibi eadem loca Patrum objecisset, solvit dicens, illos locutos esse de scientia Dei secundùm communem rationem scientiæ, cui ratio causalitatis non competit: & quando aiunt, ideò Deum scire, quia futurum est, verum esse vi consequentiæ, non vi causalitatis; hoc est, illam consequentiam: Deus scit futurum, ergo illud erit, esse optimam: causalem verò non esse veram, quia futurum non est causa scientiæ Dei, sed potiùs è contra. Mirum ergo est, quod cum hoc legant, & profiteantur reprehensores se discipulos D. Thomæ, hæc ausint Thomistis opponere, quæ ipse sibi D. Thomas opposuit & solvit.

Jam veniamus ad Sotum, in cujus citatione non minores lapsus reprehensorum videbimus.

In primis dicunt illum asserere cap. illo 15. damnatam esse doctrinam nedum Calvinistarum, sed etiam quorundam Catholicorum de gratia efficaci: qui verò illi fuerint, inquiunt, conjiciat qui volet ex eo, quòd significat, se contra illos disputare solitum ac reclamare.

Intelligimus satis quid sibi velint. Volunt Sotum denotare fratres suos Thomistas: sed profectò malè. Nam ibidem duo ait, quæ ipsis nequeunt competere. Primò significat, illos non scriptis, sed viva voce, suam sententiam docuisse: quod de Thomistis intelligi non posse, vel ex ipso Soto statim probabimus. Secundò non loquitur Soto de asserentibus utcumque gratiam efficacem, sed de asserentibus illam cum tali vi ac necessitate, ut in nostra nos conversione merè habeamus passivè ac receptivè: quod nemo Thomistarum unquam asseruit. Qua in re profectò bilem penè movit reprehensorum licentia, qui ut Sotum inducerent damnantem Thomistas, ausi sunt Soti locum & detruncare & corrumpere. Ecce integrum Soti locum. Ubi locutus est de Lutheranorum hæresi, negantium libertatem in operibus supernaturalibus, subdit: *Quin etiam sunt inter Catholicos, quos viva voce dogma hoc asserentes nobisque reclamantibus defensantes audivimus, putà quòd Deus nos vi & necessitate ad se pertrahat, itaut in nostra nos conversione merè habeamus passivè ac receptivè.* Quo in loco, ut constat, non loquitur de asserentibus utcumque gratiam efficacem, sed de iis qui illam volebant vi & necessitate tanta trahere voluntatem, ut ipsa merè passivè se haberet: cujus ultimæ clausulæ subtractione lectoribus illudere voluerunt reprehensores. Præterea, neque dicit, neque signi-

significat, se contra illos sic asserentes disputare solitum, sed solùm, se audivisse illos suum illud dogma defensantes, & reclamasse. Et si daremus, adversùs illos Sotum solitum disputare, Catharinum intelligeremus, contra quem sæpiùs disputavit: cujus tamen opinionibus frequenter adhærentem Laynium jam supra vidimus. Idemque de Jayo, Salmerone, & Canisio quis suspicari posset? utpotè cum Jayus, Salmeron, & Canisius quodammodo ejus discipuli fuerint, quos nimirum teste Orlandino lib. 9. Historiæ suæ Societatis num. 52. ipse Catharinus doctoralibus pileis Bononiæ anno 1549. donavit. Denique, si Sotus diceret, damnatos in Tridentino illos qui præmotionem physicam admittunt, seipsum proscriberet, cùm ipsam admittat cap. sequenti, ut videbimus, si priùs locum alium ex eodem cap. 15. ab adversariis citatum discusserimus. Habetur ille paulò ante finem capitis in 4. argumento, quo probat suam conclusionem, Dari scilicet libertatem in homine ad opera supernaturalia, neque voluntatem merè passivè se habere. Illud desumit ex eo quòd nihil videretur causæ restare, cur Deus non omnes converteret. *Quod si, inquit, rem forte in æternas causas prædestinationis retuleris, quia, Cui vult miseretur, & quem vult indurat, non satis quæstioni feceris. Illa enim est causa suprema & remota, videlicet quare hunc ad gloriam destinaverit, illum verò minimè; sed tamen prætereà causa desideratur proxima, per quam destinaverit unumquemlibet in regnum recipere. Ut enim in infantibus* &c. *ita in adultis reddenda est proxima causa, cur cum duos æquè sit Deus paratissimus convertere, præsentissimâ; utrumq; misericordiâ aspiret, hunc trahat, illum non trahat. Quæ reverà reddi non potest, nisi quòd alter præbet assensum & cooperatur, alter verò minimè.* Vident quomodo Sotus non dicit, nullam absolutè reddi posse rationem, cur ex adultis alter convertatur, altero non converso, ut non bona fide adversarii repræsentant; sed dixit nullam posse aliam reddi *proximam* causam: de illa enim formaliter loquitur. Certissimum siquidem est, Deum suâ gratiâ efficaci non esse causam operis supernaturalis omninò proximam: cum enim opus illud vitale sit, causam proximam vitalem requirit. Quare optimè Soto ostendit, voluntatem nostram in conversione sua ad Deum non merè passivè se habere, quia illius operis, quo ipsa convertitur, Deus quidem est causa aliquo modo remota & universalis in ordine supernaturali per gratiam efficacem; voluntas verò est causa proxima, atque adeò aliquid agere & ipsa debet: non ergo merè passivè se habet. At mirari hìc subit, cur reprehensores in eas partes Sotum voluerint trahere, quasi diceret gratiam fieri efficacem ex consensu, quod Molina asseruit in Concordia disp. 38. & alibi; cùm noverint Bellarmin. lib. 1. de gratia & libero arbitrio cap. 12. asserere illam opinionem esse alienam omnino à sententia D. Augustini immò & à sententia divinarum scripturarum: &, quòd caput est, ignorare non debeant, Generalem Societatem prohibuisse ne Molinæ opinionem in posterũ sequerentur. Decretum asserunt Tannerus 1.2.d.6.q.1.d.5.de gr. & Paulus Leonardus p.2.n.55.

Demùm, ut fidem auctoris in citando Soto probemus, sufficiet locum integrum ex cap. 16. transcribere. Sic ergo ibi habet: *Aut sumus liberi in hujusmodi actionibus ante momentum temporis, quo nos Deus movet, aut præsente motione Dei. Non ante, quia absque eo movente moveri nequimus. Neque cum nos ipse actu movet; quia non stat, ipsum nos movere, quin unà moveamur: sunt enim movere & moveri ceu actio & passio correlativa. Ad dissolvendum argumentum hoc supponenda est definitio libertatis. Illa enim causa libera est, quæ positis omnibus requisitis ad agendum potest & agere, & non agere: cui contraria ratio est causæ naturalis. Sunt ergo inter Catholicos qui doceant, posito concursu Dei non esse utrumque in potestate voluntatis, scilicet agere, & non agere. Ob idque secundò aiunt, ejusmodi concursum non connumerari inter requisita ad agendum. Immò dicunt, ut suâ utamur voce, concomitari actionem ipsam. Horum autem duorum vel utrumque nunquam intellexi, vel neutrum unquam credam. Etenim non est dubium, quin concursus Dei licet concomitetur, ut aiunt, actionem, sit nihilominùs cuicunque secundæ causæ requisitus ad agendum, immò verò, ET NATURA PRÆREQUISITUS: quoniam non solùm Deus est causa effectus secundæ causæ, verùm ipse etiam movet eam ad agendum. At quamvis ille concursus sit prærequisitus, nihilo secius illo posito, tunc etiam est in facultate voluntatis, agere & cessare; aliàs nullus dabitur requisitorum numerus, quibus positis voluntas possit agere & non agere, atque adeò neque erit libera: nam ante divinum concursum non potest agere; & quando ille adest, ut isti aiunt, non potest non agere. Solutio ergo dubitationis est, quòd illo tunc temporis momento, quo Deus mecum concurrit, sum liber, ut tunc agere renuam. Etenim dum liberè moveor, possum in sensu diviso non agere, & tunc cessabit concursus Dei. Tametsi in sensu com-*

composito contra se invicem pugnent, Deum agere erga me actione illa, & me non agere.

Jam verò Salmeronis sententiam uno aut altero loco, quem indicavit Autor, breviter ostendamus. Disputatione 19. in Epistolam ad Rom. explicans illa verba Apostoli: *Quos præscivit, hos & prædestinavit*; dicit, illum terminum, *præscivit*, significare idem quod, PRÆDILEXIT. *Quos igitur prædilexit, eos* (inquit Salmeron) *& prædestinavit, id est, antequàm videret opera eorum, amavit illos non ad aliquod bonum temporale, sed ad supremum cœlestis gloriæ; nec ad tempus, sed usque in finem dilexit eos, id est,* FIRMA SUA ET IMMOBILI PRÆDETERMINATIONE *per certa media quasi serie quadam instituit, ut possent ad gloriam pervenire.* Hæc Salmeron ibi. Et disp. 21. postquàm dixit, Deum videre omnia in seipso tanquam in causam, & ipsam æternitatem esse nunc unum sistens, ambiens omne tempus, & cuivis differentiæ temporis & momentis sive instantibus coexsistens, subdit: *Illud quod nondum est in se, vel in suis causis determinatis, non potest vel Dei oculo determinatè videri.* Et paulò post asserit, Deum non posse determinatè videre effectus contingentes, nisi vel quando jam sunt in esse, aut quando in causis ad unam contradictionis partem inclinatis, illa pars determinatè necessitatem acquirit exsistendi. Et tandem docet, quòd prædestinationem subsequitur præscientia certa bonorum operum & certæ adeptionis finis, & hoc est, quia in prædestinatione est certa Dei voluntas, ut hæc eveniant: quia certa sunt in se (ratione præsentiæ in æternitate) & in suis causis, id est in Dei voluntate. Quare & in tota illa Disputatione 21. propugnat prædestinationem ante prævisa merita, & contrarium vocat dogma Pelagianorum, & Calvinistarum.

Henricus Henriquez cap. 4. de ultimo fine hominis §. 1. litt. A. loquens de sententia asserentium, propositiones de futuro in signo rationis antequam concipiatur ulla divinæ voluntatis prædeterminatio, veras esse, & præsciri in seipsis: *Et quasi*, inquit *rem novam se invenisse putant, nam in hac antiqua controversia non confugiunt universaliter Patres & veteres Theologi ad conditionatam præscientiam.* Ac mox §. 2. *Hec sententia non est necessaria pro asserenda hominis libertate, & in multis deficit.* In Commentario litt. C. *Hec disputatio*, inquit, *de præscientia futurorum conditionatorum à nobis* (id est Jesuitis) *ante 20. annos excitata est, &* CONTRA VOTUM NOSTRUM *suscepta est in Italia sententia, de qua in textu.* Vide eundem ibidem litt. L. M. & cap. 5. §. 4. ac 6. & cap. 11. & tandem cap. 14. §. 4. & 6. ubi agit de gratia efficaci.

Tertium, de quo circa Thesim 26. conqueruntur, est quod Autor provocaverit ad Bellarminum sincerum, & non adulteratum: dicunt esse calumniam, quæ ipsam quoque petit Ecclesiam in Bellarmino Hæreticos hodieque triumphantem. Deinde nullibi exstat integer alius ab illo qui communiter circumfertur. Igitur ille non est adulteratus. Demum id constat, inquiunt, ex ea quam postremis annis fecit operum suorum recognitione, ex juramento Cardinalis de Monte, & ex Testamento Bellarmini, quo publicè declaravit se in ea sententia mori, in qua & vixisset: quæ est doctrina Societatis. Hæc illi.

Quod de calumnia Ecclesiam impetente afferunt, longè à veritate abest. Ecclesia suos triumphos habet, utpotè Columna & firmamentum Veritatis, ab omni privatorum periculo & lapsibus secretos & independentes.

Verùm ad Bellarminum veniamus, quem in his præsertim de quibus agitur, adulteratum fuisse testantur Fuligattus & Sylvester Petra-Sancta in Vita Cardinalis Bellarmini in lib. 2. cap. 5. p. 100. editionis Latinæ Antverpiensis, ubi narrant modestiam Eminentissimi hujus Senatoris maximè tunc apparuisse: *Quando*, inquiunt, *volumina Controversiarum disposita, ut in lucem edi possent, non modò æquanimiter* (*sicut ipsemet deinde Benedicto Justiniano testatus est*) *sed cum hilaritate etiam passus est à Patribus Societatis in Germania quoad paucula opiniones immutari in spem fructus inter hæreticos uberioris.* Hæc ibi.

Ex quibus manifestissimum fit, immutatas in Bellarmino nonnullas opiniones, & alias in eorum locum repositas ex Bellarmini sensu nos descendentes, idque ea spe, ut fructus uberior inter hæreticos haberetur, hoc est ut illis, non Bellarmini, sed Germanicorum correctorum opinionibus, fortiùs hæretici pervincerentur & ad Ecclesiam traherentur.

Verùm si adhuc nosse Lector desiderat quænam fuerint illæ opiniones, quas loco genuinæ mentis Bellarmini, in ejus controversias intruserunt, legat eosdem Autores in cap. ultimo libri tertii: quo loco referunt, eos qui Societati præerant, sententiam Molinæ à Societate defendendam deliberasse ea potissimum ratione, *Quia*, inquiunt, *judicabatur imprimis idonea ad no-*

stri ævi hæreses pervincendas. Profectò si liceat ex his duobus locis arguere, habebimus, præmissas etiam in forma syllogistica penè rectè dispositas ad inferendum hoc consequens, Bellarmini opera in his quæ ad hanc spectant materiam fuisse adulterata sive immutata. Nam ex primo loco habemus, correctores Germanos illa immutasse in spem fructus inter hæreticos uberioris, hoc est substituisse illas opiniones, quæ visæ sunt magis idoneæ, ut faciliùs Hæretici convincerentur, & convicti ad fidem redirent. Atqui tota Societas, aut saltem illi qui ei præerant, existimarunt opiniones Molinæ esse ad hoc ipsum magis idoneas. Igitur opiniones Molinæ Bellarmini Operibus interseruere. Cujus rei non leve aliud argumentum est, quod narrant iidem lib. 3. cap. 4. pag. 547. Bellarminum jam morti proximum coram publico scriba professum se dedisse veritati, quæ in libris Controversiarum asseruerat, neque primam sententiam ullatenùs mutavisse. Si ergo testes habeamus asserentes ipsum à sententia Molinæ & Lessii procul abfuisse, immò contrariam publicè docuisse, profectò conficietur alias, quæ in libris Controversiarum leguntur, esse supposititias. Testes verò habemus oculatos & auritos, Doctores Academiæ Lovaniensis, unà cum Auditoribus, qui Bellarmini dictata publicè Lovanii excepere. Hi in Epistola Censuræ adversus Lessium præmissa, antequam Bellarmini Opera ederentur & à Germanis correctoribus mutarentur, testificati sunt Bellarminum contrariam Molinæ ac Lessio sententiam publicè Lovanii prælegisse: Ergo si nunquam mutavit sententiam, necessum est ipsissimam illam in Controversiis exposuisse. Quare nec seipsum mendacio inquinavit, quando asseruit se ab ea, quam in Controversiis explicarat, opinione non discessisse, quia videlicet adversantem Molinæ placitis ibi docuerat, sed eam nobis Germani correctores jam suffurati sunt, ac Molinæ dogmata ejus loco alicubi repræsentarunt. Verùm ut nihil occultum, quod non reveletur, vindicavit Deus veritatem, imprimis quidem ipsorum Patrum Societatis confessione, deinde Lovaniensis Academiæ testimonio, & (quod caput est) quibusdam veræ sententiæ particulis, quæ correctorum Germanorum, Deo sic permittente, diligentiam effugerunt: invenimus enim non pauca in Bellarmini Operibus prout extant, quæ à Molinæ sensu in præcipuis capitibus multum abhorrent. Et ut unum è multis proferamus, non negant adversæ partis asseclæ, suæ sententiæ de simultaneo non prævio concursu Almainum subscribere in Moralibus c. 1. & 2. Illum enim quàm plures in suas partes eo loci citant, ut Suarez lib. 1. de concursu Dei cum voluntate c. 14. Ruvius 2. Phys. q. 8. n. 79. & alii. At verò ipsius Almaini sententiam eo loci explicatam hac in parte confutat Bellarminus de gratia & libero arbitrio lib. 4. cap. 14. *Falsum est*, inquit, *quod Almainus dicit, concursum Dei non esse de prærequisitis.* Denique in editione Lugdunensi apud Pillehotte anno 1593. aliqua habentur circa hanc materiam, quæ non exstant in editione Parisiensi anni 1608. & è contra, ut videre poterit Lector ad finem cap. 14. lib. de gratia & libero arbitrio.

Plura alia suppetunt argumenta tam apertæ veritatis, Bellarminum longè aliter quàm Molinam in his sapuisse; sed illa in alium locum servamus. Solùm hic dicimus, Bellarminum, uti erat vir facilis atque optimæ indolis, & cui è Societate assumto Societatis gloria cordi erat, noluisse aperta postmodum mentis suæ testificatione, Patres olim suos deprimere.

XXVII. Thesis Quæst.

Sententia distinctiùs tradita in Catechismo Tridentini, est ipsissima mens ejusdem; cum sit compositus ab iis qui sensum Concilii noverant, tanquam supplementum ad instruendos Parochos de iis quæ plebem docere debeant. Sed sententia docens prædeterminationem physicam, & ideò negans Scientiam mediam, distinctiùs traditur in Catechismo, (a) qui sic habet: Non solùm autem Deus universa quæ sunt providentiâ suâ gubernat atque administrat, verùm etiam quæ moventur & agunt aliquid, intima virtute ad motum atque actionem ita impellit, ut quamvis causarum secundarum efficientiam non impediat, præveniat tamen, cum ejus occultissima vis ad singula pertineat, &c. *Respondent Catechismum non esse magnæ autoritatis, utpotè compositum à tribus Patribus Ord. Præd. & à Pio V. ex eodem Ordine approbatum.*

(a) 1. p. 1. art. Symb. fidei num. 22.

Nihil in ista reprehendunt.

XXVIII. Thesis Quæst.

Sed contra: primò, quia cum Delrio in Præfat. ad l. Disquisitionum 1. edit. Lugdunensis hoc effugium scripsisset, jussit Pontifex illam expungi tanquam sanctæ Sedi injuriosam; nec tamen eandem tradere postea destiterunt, ut constat ex variis autoribus. Deinde actio mandata magis tribuitur mandanti, utpotè causæ principali, quàm mandatario (a). Sed Catechismi hujus compositio est actio mandata

(a) Reg. 73. de reg. juris in 6. c. 1. de procur. cap. Quicumq; de sentent. excomm. in 6. l. qui mandat. ff. de solut.

à

à Tridentino. Ergo illi, non Patribus his, debet tribui: quare etiam Catechismus Tridentini dictus est. Ad hæc, qui jussu Judicis aliquid facit, non censetur dolo malo facere, quia parere necesse habet (c). *Sed hi Patres piissimi, eruditissimi, toti Societati amicissimi,* (d) *qui Tridentino interfuerant,* (e) *ante ortam vel minimam litigii umbram, jussu Tridentini hunc Catechismum perfecere. Ergo non debent censeri dolo malo fecisse.*

lib. 1. §. quoties ff. de vi & vi arm. l. qui jussu ff. de reg. juris. (b) *Ex sess. 24. c. 7. ex sess. ult. in continuatione sess.* (c) *Reg. 24. de reg. juris in 6.* (d) *Orland. hist. suæ Societ l. 1. num. 1. l. 10 num. 18. l. 11. num. 38. l. 14. n. 33. Sacchinus hist. suæ soc. lib. 2. num. 33.* (e) *Index PP. Tridentinorum.*

Thesim 28. ex duobus carpunt: alterum est, quòd Autor non citarit eos qui respondent Catechismum Romanum non esse magnæ autoritatis: alterum verò, quòd dixerit Delrium tale effugium scripsisse in Præfatione disquisitionũ Magicarum 1. editionis Lugdunensis, quam posteà Pontifex jusserit expungi: quia, inquiunt, nulla in prima illa editione apud Pillehotte Lugduni 1604. est specialis Præfatio, quæ non reperiatur in omnibus aliis.

Nos sanè vix possumus dicere quosnam Autor voluerit indicare: novimus tamen Camerarium 2. p. selectarum disputationum philosophicarum quæst. 9. dub. 2. num. 3. §. *Probant secundò*, meminisse cujusdam Morsani (quem Jesuitam fuisse ex duobus evincit) eumque refert præfatâ adversùs Catechismum exceptione usum. Idem nobis audientibus præstitere non pauci alii in Collegiis Societatis Parisiensi, Tolosano, Burdigalensi, & aliis, eodemque effugio nonnullos Catechismi locum evasisse refert Hyacinthus Choquet, qui etiam factum Delrii narrat in tract. De mixt. aquæ in Calice cap. 13. Cujus autoris opus (quod, Viscera Deiparæ erga Ordinem Prædicatorũ (a), vocavit) non alia de causâ arbitramur proscriptum esse, quàm quòd contra prohibitionem Urbani VIII. anno 1625. quædam scripsisset, quæ miraculi speciem præferebant; cùm tamen non essent ab Eminentissimis Patribus discussa, & à Summo Pontifice approbata. Hanc verò unicam fuisse proscriptionis causam, vel ex eo colligimus, quòd eodem tempore liber quædam veluti mira insignium Patrum Societatis gesta etiam continens, eadem ratione proscriptus sit. De Delrio itaque nihil ampliùs dicemus, donec vera prima Lugdunensis editio in manus nostras inciderit: suspicamur enim autorem, sicut & Choquetium, non hæc dixisse absque fundamento.

(a) *Maria Deipara in Ordinem Prædicatorum Viscera Materna exhibens Hyacinthus Choquetius, donec corrigatur.* Index lib. prohibit.

XXIX. THESIS QUÆST.

Responsa prudentum, quibus de jure respondendi à Principe potestas facta est, plenissimam autoritatem sortiuntur, perinde ac si ab ipsis Principibus constituta fuissent. (a) *Quantò magis liber ab iis compositus, quibus nedum concessa facultas, sed imposita est necessitas per mandatum? Accessit autoritas Pii V.* (b) *& Gregorii XIII.* (c) *qui toti Concilio Tridentino interfuerat,* (d) *Qui Patribus Societatis favebat plurimùm.* (e) *Hinc factum est, ut is Catechismus tanquam legitimus Concilii Tridentini fœtus à supradictis Conciliis Provincialibus receptus sit,* (f) *quibus aderant plusquam viginti ex Præsulibus Tridentinis,* (g) *& inter illos Gregorius XIII.* (h) *& ab ipsis Patribus Societatis,* (i) *etiam in propriis Regulis,* (k).

(a) *Parag. sed neque in consist. de conc. digest. parag. responsa prud. Instit. de jure nat. gen. & civil.* (b) *Apud Fab. in præf. Geor. Eder. in partit. Jacob. Bayum Gabutium in Vita Pii V. lib. 1. c. 12 lib. 2: cap. 4. Ipse Pius in Brevi ad Man. in Bulla pro reform. Ordin. Cisterc & Ord. servorum bull 106. bull. 122 in brev. speciali tit. Catech.* (c) *In Brevi 1583. bull. 48 ex Conc. Aquileiensi, ex Possev. in Apparatu.* (d) *Ciacconius in Greg. XIII cum addit.* (e) *Id & bull 1. 15. 36. 39. 51. 5 . &c.* (f) *Vide Thes. 7.* (g) *Ex Act. eorund. Concil.* (h) *In Concil. Mediolan. 1576. & in syn. Diœc. Cremon. 1584.* (i) *bull passim Possevin. lib 6. cap. 11. 15 & 40. & lib. 7. cap. 12.* (k) *Reg. de perf. lect. mens.*

XXX. THESIS QUÆST.

Doctrina D. Augustini & Divi Thomæ in materia de gratia & libero arbitrio fuit recepta in Tridentino, quia Augustini doctrina circa hoc est fides Ecclesiæ (a), *& quia Patres Tridentini plurimum utrique sancto Doctori deferebant, ut videre est in Baronio* (b), *& Parva de Andrade* (c), *qui refert totum Concilium substitisse in definitione de Ordinatione Sacerdotum in nocte cœnæ, quia aliquis male opposuit id esse contra D. Thomam. Constat etiam quia Clemens VIII. edixit doctrinam D. Thomæ esse absque ullo prorsus errore.* (d) *Atqui doctrina negans scientiam-mediam & asserens gratiam ex se efficacem, est D. Augustini & D. Thomæ, ut fatentur Molina,* (e) *Conimbricenses,* (f) *Suarez,* (g) *libellus de ratione Studiorum* (h) *Patrum Societatis, qui habet vim Constitutionis: & ita etiam censuerunt Academiæ Lovaniensis & Duacensis, Cardinalis Baronius, Consultores Congregat. de Auxiliis, Clemens VIII. & Paulus V. & hinc patet ad quæstionem.*

(a) *Ex Conc. Mil. Carth Arausic. ex SS. PP Innoc. Zosimo. Bonif. &c.* (b) *Ad 7. Martii.* (c) *In serm. de laud. D Th.* (d) *Clemens 8. in brevi ad Neapolit.* (e) *In conc. passim & præsert. mem. ultimo,* (f) *2. Phys. cap. 7. q. 13 art. 1.* (g) *lib. 1. de conc. cap. 11. num 7.* (h) *cap. de del. opinionum reg. 11.*

Irruunt conglobatis interrogationibus in Thesim ultimam n. 40. nam n. 39. nihil quod momenti sit afferunt.

Ubinam, inquiunt, Clementis VIII. & Pauli V. Judicium?

Resp. Passim in Actis elucere, haberi apud

D.

D. Le Bossu Doctorem Sorbonicum c. 2. in 7. & 8. notas & alibi sæpe: colligi ex Fuligatto, & Sylvestro Petra-sancta lib. 3. Vitæ Bellarmini cap. ult.

Ubinam Consultorum?

Resp. Haberi ex Actis, ex D. Le Bossu, ex Memoriali PP. Societatis exhibito Clementi VIII. ex Narratione D. Francisci de Penna, & ex parte fatetur Paulus Leonardus Jesuita p. 1. n. 19. sub finem.

Ubi Baronii?

Resp. Ex P. Matthæo, & ex tomo 6. Baronii satis constare.

Quis dedit libello Societatis vim Constitutionis?

Jam responsum est, Congregat. quintam generalem. Et sanè mirum est reprehensores id ignorare, quod familiarissimum esse deberet.

Quis in eo libello legit unquam caput de delectu opinionum?

Jam diximus, vel caput, vel tractatum, vel paragraphum haberi, nec repetenda sunt superiùs dicta.

Nùm pudet quæsitorem citare Suarem lib. 1. de concursu c. 11. num. 7?

Minimè pudere debet: quia verissimum est, Suarem eo loci fateri D. Thomam admisisse prædeterminationem physicam in q. 3. de potentia art. 7. sed posteà retractasse. En verba Suaris. *Colligo D. Thomam Doctorem factum omisisse & retractasse in 1. p. sententiam illam de virtute fluente* &c. *Nec discursus, quo in illa q. 3. de potentia utitur D. Thomas, est efficax.*

Nùm puduit citare Molinam ultimo membro Concordiæ?

Nequaquàm profectò. Immò potiùs eos, qui adversus PP. Ecclesiæ, præsertim Augustinum, parùm reverenter loquuntur, pudere debuisset. Jam verba Molinæ retulimus, qui non dicit Augustinum sibi favere nisi conditionatè, si ea de re fuisset consultus: absolutè verò illum impugnat, ut est evidens.

Nùm puduit Conimbricenses citare 2. Phys. cap. 7. quæst. 13. art. 1.?

Certè non debuit pudere: quia quamvis eò loci non loquantur de gratia efficaci; nihilominùs ibidem philosophicum fundamentum gratiæ physicè prædeterminantis D. Thomæ attribuunt. Dicunt enim: *Discutienda se offert celebris opinio D. Thomæ, Capreoli, Ferrariensis, & aliorum existimantium omnes causas secundas antequàm operentur accipere à Deo influxum quemdam & motum, qui sit quasi esse intentionale virtutis divinæ, quo ad promendas actiones excitentur, eo modo quo artium instrumenta, ut dolabra & securis, præviam motionem à fabro recipiunt, cum ad opus conficiendum applicantur.*

Ad 41. Thesim unico verbo satisfacimus. Tolerantia & dilatio non est adjudicatio provisoriæ: quare Pontifices provisoriam non adjudicarunt. Bulla Sixti V. ut diximus, utrique parti imponit silentium. Constitutio illa Clementis VIII. nulla unquam fuit. Qua enim ratione Constitutionem anno 1594. edidisset de provisoria adjudicanda, quando ad se causam evocabat, & contra Molinam definire parabat, solùm fuit sublatio interdicti de non prælegenda publicè materia de Auxiliis, ut refert Reverendissimus Hieronymus Baptista de la Nuza in sua ad Paulum V. epistolâ.

Paulus V. non Constitutionem edidit post Disputationes; sed jussit Generalibus utriusque Ordinis ut epistolam tenoris sequentis ad Provinciales scriberent.

In negotio de Auxiliis Divinæ gratiæ sua Sanctitas significavit tam Disputantibus, quàm Consultoribus, posse illos redire ad proprios lares, suóque tempore declarationem fore ut proferret suam. Interim ordinavit, idque valde seriò, ne quis inter agendum de his materiis ausit alterutram partem qualificare, vel censurâ notare; ordinando prætereà, quòd si quispiam sive ex FF. Prædicatoribus, sive ex PP. Societatis in hoc peccaverit, severissimè puniatur. Intendit enim sua Sanctitas quod hæc ordinatio inviolabiliter observetur.

Cumque propterea PP. Societatis se causam lucratos in Hispania gloriarentur, jussit Pontifex, ut scriberetur causam illos non esse lucratos, sed dumtaxat Judicium esse suspensum. En litteras de mandato Pontificis scriptas.

Vidi quas ad me scripsit in causa de auxiliis, multumque miratus sum, quòd contra intentionem Sanctissimi Domini nostri ausint asserere ac promulgare similia, quia certè verissimum est, Sanctissimum Dominum nihil ea de re decrevisse: immò verò cum sibi definitionem ultimam vindicarit, etiamnum de illa cogitat, contrariumque affirmando vel spargendo in publicum maxima irrogatur injuria, & ipsi personæ Sanctissimi Domini, & S. Sedi Apostolicæ. Et hoc est quod possum impræsentiarum certò scribere. Si quid contrarium his dicatur, moneat me, ut inobedientes cognoscantur. Romæ 8. Januarii 1608.

Dum hæc Epistola fuisset promulgata in Hispania, PP. Societatis illius exemplar Summo Pontifici exhibentes, nullum aliud responsum tulere, nisi rem ita se habere, ut in præfata epistola dicebatur. Quare patet non

non fuisse illis adjudicatam provisoriam, sed dumtaxat suspensum judicium ob varias causas.

Sic olim Pontifex Honorius Primus in causa Monothelitarum distulit judicium. Unde & ab hæreticis calumniam passus est.

Sic Zozimus in causa Pelagianorum, sic alii judicia suspenderunt; nec propterea Hæreticis provisoriam adjudicarunt. Absit tamen comparationi invidia: neque enim nos adversantem partem proscribimus; sed dumtaxat veritatem, seclusis fucis rhetoricis, dicteriis, ac scurrilibus verbis, quantum modestè potuimus, defendere conati sumus; si quid hac in parte peccatum est, parati emendare, sicut & de his quæ diximus fidem facere. Si litem Patres Jesuitæ lucrati sunt, cur in Imagine illa primi seculi, ubi quæcunque ad gloriam Societatis illustrandam conferunt, tanto fastu prosequuntur, nulla prorsus hujus rei mentio habetur? Causa Lessii ibidem ad longum describitur, varii alii casus, etiam leviores, fusissimè referuntur: de hoc negotio, quod per annos viginti totum ferè Christianum orbem suspensum & exspectabundum detinuit, ne verbum quidem. Hæc si advertissent reprehensores, nunquàm ut narrationis veritatem expugnarent, dixissent sibi provisoriam adjudicatam. Nam si benè cessisset, nemo credet illos ab hac tam gloriosa victoria scribendâ, promulganda, ornanda, in illo laudum Societatis theatro abstinere potuisse.

Indiculus falsitatum quæ reperiri probantur in Solutione Quæstionis.

1. NUm. 1. ad finem supponunt. Hist. Orlandini non fuisse scriptam anno 1607. Scriptam fuisse, non tamen editam, constat ex Biblioth. Societatis littera O.
2. Num. 2. imponunt Autori, quod Thesi 9. dixerit Molinistas circa annum 1601. edidisse Apologias pro Fausto: quod falsum esse demonstratur pag. 306.
3. Ibidem negant Baronium loqui de Apologiis pro Fausto. Oppositum probatur p. eàd.
4. Ibidem negant dictum Baronii intelligi de Molinistis. Contrarium ostenditur p. 307.
5. Num. 4. & 5. negant Tuccium scripsisse Notas in Cassianum. Probatur tamen p. 306.
6. Num. 7. tribuunt Autori, quod dixerit Congregationes habitas bis hebdomada *App. Hist. Cong.* annis 1599. & 1601. Id falsissimum esse declaratur p. 301.
7. Num. 9. negant casum Valentiæ. Sed probatur p. 313. 314. & 315.
8. Num. 13 dicunt Censuram Lovaniensem factam inutilem Bullâ Nuncii Apostolici. Contrarium patet pag. 285. 286.
9. Num. 14. tribuunt Autori, quòd Lessium dixerit Molinæ discipulum. Oppositum constat p. 287.
10. Ibidem negant Lessium Molinæ discipulum fuisse. Falsum esse declaratur p. eàd.
11. Ibidem negant locum Henriquez intelligi de Lessio. Falsitatis convincitur pag. 286.
12. Ibidem dicunt Lessium fuisse impugnatorem Catharini. Vide oppositum probatum p. 285. 286.
13. Ibidem dicunt reprehensores Lessii fuisse à Sixto V. reprehensos. Contrarium docet Henriquez citatus p. 285.
14. Num. 15. negant silentium indictum utrique parti à Sixto V. Non esse verum probatur pag. 288.
15. Ibidem supponunt autorem dixisse, quòd Generalis Societatis solvit Molinam ea silentii lege, dando facultatem ad edendam Concordiam. Falsum esse probatur p. 289.
16. Num. 16. dicunt autorem asseruisse ortam ex Concordia Molinæ discordiam anno 1584. Falsam esse criminationem patet ex lect. 6. Thesis. Vide pagina 289.
17. Ibid. negant P. Matthæum dicere ortam ex Concordia Molinæ discordiam. Vide p. 290.
18. Ibidem negant factum Antonii de Padiglia. Illud probatur p. eàd.
19. Ibidem truncant verba autoris. Vide p. 291.
20. Num. 17. negant autorem alium protulisse testem natæ discordiæ ex Molinæ Concordia ob verba minùs reverenter prolata in D. Aug. quàm Molinam. Oppositum pag. 291. 292.
21. Ibidem negant fideliter repræsentatam Molinæ phrasim. Vide pag. 292.
22. Num. 20. negant totam Societatem suscepisse Molinæ defensionem. Sed verum id esse prob. pag. 296.
23. Ibidem id negant haberi ex P. Matthæo. Vide p. eàd.
24. Ibidem dicunt in Congregationibus anni 1601. partes non interfuisse. Contrarium p. 298.
25. Num. 21. asserunt Molinam non negare influxum 1. causæ in 2. &c. Oppositum p. 301. 302.

26. Num. 22. falsò, & minimè ad propositum citant D. Thomam pag. 304.
27. Num. 23. negant se docuisse Pontificem errare posse. Vide pag. 305.
28. Ibidem negant esse caput ullum de delectu opinionum in lib. de ratione studiorum, pag. 307. 308.
29. Ibidem negant in illo Instituti Jesuitarum libro haberi aliquid, quo profiteantur se discedere à D. Thoma. Oppositum videbis ex Turrian. pag. 308.
30. Num. 24. dicunt Autorem inducere Clementem damnantem Jesuitas inauditos. Falsum patet pag. 309.
31. Ibidem dicunt non fuisse inchoatas disputationes quando Clemens VIII. increpavit illos. Falsum pag. eâd.
32. Ibidem dicunt autorem referre damnatam à Consultoribus Molinæ propositionem de virtutibus infidelium. Oppositum vide pag. 310. 311.
33. Ibidem indicant propositionem illam haberi in Bulla contra Bayum. Falsum probatur pag. 310.
34. Ibidem eandem dicunt esse Thomistarum & nominatim Gonçales. Falsum pagina 311.
35. Num. 25. dicunt omnem propositionem Molinæ, quam autor retulit à Thesi 10. usque ad 22. aliis atque aliis modis esse corruptam. Quare visum hic illas propositiones subjicere, & loca Molinæ ubi illas docet afferre.

Non diffitemur autem citationes marginales, quas affert autor, quandoque fallere, sive id contigerit errore typographi, sive ob varietatem editionum, juxta quam est etiam varietas disputationum & paragraphorum, ut constabit conferenti editionē Concordiæ Ulissiponensem anni 1588. cum Lugdunensi ad finē primæ partis anni 1593. apud Joannem Baptistam Buisson; & hanc cum Antverpiensi anni 1595. apud Joachimum Trognæsium. Nos utemur Lugdunensi citata, supponendo tamen §. *Forte mirabitur*, qui additus est in editione Antverpiensi ad membrum 6. disp. 19. p. 81. col. 2. in quo §. Profitetur Molina se semper amplexatum fuisse opiniones illas, quas disp. 14. & 19. dixit esse communes Scholasticorum.

36. I. Propositio. Dantur in infidelibus veræ virtutes.

Hanc non negant esse Molinæ, ut constat ex Thesi 24. Illam docet Molina disp. 5. §. *Ut ad vires* pag. 797. col. 1. lit. E. *Cum solo concursu generali Dei, absque alio dono vel auxilio gratiæ, potest homo efficere opus bonum Morale, quod fini naturali accommodatum, & comparatione illius sit verè bonum ac virtutis opus.* Quod etiam extendit ad infideles disp. 6.

37. II. Potest homo viribus naturæ assentiri revelatis, ut revelatis.

Molina disp. 7. §. *Ut ergo.* Versu, Quod itaque, adjuncto §. pars affirmans pag. 770. col. 2. litteris B. C. *In facultate liberi arbitrii est cum solo concursu generali Dei rebus propositis assentiri tanquam à Deo revelatis.*

38. III. Homo edoctus assensum supernaturalem (fidei) esse necessarium (ad salutem) potest illum optare, petere, se disponere.

Molina disp. 43. §. *Ex his* pag. 847. col. 1. littera D. loquens de assensu fidei supernaturalis, qui exigit actum intellectus & actum voluntatis; ut ibidem §. præcedenti declaraverat. *Ex his patet*, inquit, *hos duos motus gratiæ prævenientis actiones esse vitales intellectus & voluntatis, multumque pendere à libero arbitrio, immo & liberum arbitrium posse illos* desiderare, & petere à *Deo*, *& quodam modo seipsum* aptare *&* disponere.

39. IV. Propositio. Servanda est laus libero arbitrio in receptione gratiæ, ante & post.

Molina disp. 9. §. *Ut quæ hac*, vers. licet pag. 776. col. 1. littera B. *Ante receptionem gratiæ & in ipsa gratiæ receptione ac postea in augmento illius suum locum libero relinquit* (Deus) *arbitrio. Quatenus ipse autor esset omnium bonorum, omniaque ei accepta referrentur; nihilominus libero arbitrio propria industria & laus servaretur.*

40. V. Potest homo lapsus elicere contritionem naturaliter.

Molina disp. 14. membro 1. §. *Negari*, pag. 784. col. 2. littera E. *Negari non potest complurium esse Scholasticorum sententiam, liberum arbitrium nostrum cum solo concursu generali Dei, elicere posse, non solum actum attritionis naturalem, id est dolorem de peccatis ex Dei timore cum proposito amplius non peccandi lethaliter, sed etiam actum contritionis naturalem, quæ idem propositum non peccandi amplius lethaliter, includat.* Eam verò esse suam sententiam docet in cit. §. *Forte mirabitur:* immò motivum supernaturale id actui tribuit ibidem §. *Ratio.*

41. VI. Homo lapsus naturaliter potest diligere Deum super omnia.

Molina disp. 14. membro 3. §. *Duo quædam*, pagina 789. col. 2. littera B. *Duo*

quæ-

quædam colligere licet ex dictis toto hoc membro. Primum est, immeritò ex doctrina D. Thomæ a. 3. cit. adversus eundem in 4. loco, membro. 1. cit. communemque Scholasticorum sententiam inferri, dari non posse solis viribus naturalibus arbitrii nostri & concursu generali Dei actum absolutum merè naturalem dilectionis Dei super omnia, qui ad justificationem nequaquam sufficiat.

42. VII. Homo potest naturaliter cuilibet tentationi resistere. Molina tota disp. 19.

43. VIII. Datur lex dandi infallibiliter gratiam facienti quod in se est ex naturalibus.

Molina disp. 10. in principio pag. 776. col. 2. littera C. D. *Inter leges quas tam ipse* (Christus) *quàm Pater æternus statuerunt de auxiliis & donis quæ nobis Christus promeruit merè gratis conferendis, una eaque rationi maximè consentanea fuit, ut quoties ex nostris viribus naturalibus conaremur facere quod in nobis est, præsto nobis essent auxilia gratiæ, quibus ea ut oportet ad salutem efficeremus, ut ea ratione, dum essemus in via semper in manu arbitrii posita esset salus nostra.*

44. IX. Homo lapsus potest habere judicium naturale cujuscunque boni moralis.

Molina disp. 19. membro 2. §. *Autores.* pagina 804. col. 2. littera D. adjuncto §. *Fortè mirabitur* cit. *Autores hujus sententiæ consequenter affirmant nullum esse in singulari opus bonum morale merè naturale, quod homo naturæ lapsæ cum solo concursu generali Dei non possit efficere.*

45. X. Gratia illuminans & excitans sufficit ad salutem.

Molina disp. 38. §. *Ex dictis* p. 832. col. 2. littera F. quatenus ibi docet eandem numero gratiam esse prævenientem, excitantem, adjuvantem & cooperantem.

46. XI. Deus exspectat nostros conatus, vel occasiones.

Molina disp. 9. §. *Quod hac*, versu, Etenim quamvis pagina 776. col. 1. lit. A. *Quatenus ergo excitatio illarum cogitationum, sine quibus Deus non influit affectum timoris supernaturalis, pendet à ministris & conatu Ecclesiæ, atque à libero arbitrio ejus in quo excitantur; eatenus gratia præveniens voluntatem peccatoris ad attritionem pendet ab eisdem ministris conatuque Ecclesiæ atque à libero arbitrio ejus cui confertur. Etenim quamvis illam Deus non conferat propter illa quæ antecedunt, nihilominus nisi illa antecedant conferre illam non solet.* Exspectat ergo Deus quoadusque illa antecesserint. Illa autem sunt conatus liberi arbitrii & occasiones prædicationis, lectionis, &c. ut ibidem priùs expresserat.

47. XII. Ad perseverantiam sufficit gratia habitualis & auxilium sufficiens.

Molina q. 23. a. 4. disp. 1. membro ultimo pag. 857. col. 1. littera F. docens quòd cum auxilio, quocum unus non perseverat (atque adeo sufficienti) alter perseverat.

48. XIII. Actus illi naturales supra recensiti dicunt ordinem ad justificationem.

Molina docens, facienti illos actus dari gratiam ex lege infallibili, eosdemque actus asserens esse dispositiones remotas ad justificationem 1. p. q. 23. art. 4. & 5. disp. 1. membro 11. §. *Illud addendum.* Versu, quin sicut pag. 354. col. 2. lit. D. & ratione illorum conatuum naturalium salutem esse positam in manibus nostris, ut visum est in 8. propos.

49. XIV. Conantibus ex viribus naturæ Deus dat gratiam, non tamen quasi ex meritis (&) propter conatus naturales, non tamen tanquam propter merita, sed tanquam propter occasiones, Deus dat gratiam.

Molina disp. 10. in principio pag. 776. col. 2. littera C. dicens. *Quotiescunque liberum arbitrium ex suis viribus naturalibus conatur, præsto ei est ad conandum totum id quod ex sese potest, tam circa dolorem de peccatis ac justificationem, à Deo conferri gratiam prævenientem, auxiliave, quibus id faciat ut oportet ad salutem: non quidem quasi eo conatu dignus efficiatur talibus auxiliis, ullave ratione ea promereatur, sed quoniam id obtinuit nobis Christus ob sua merita & inter leges, &c. & 1. p. q. 23. a. 4. & 5. disp 1. membro 11. §. Illud addendum,* versu, Quin sicut. pag. 354. col. 2. littera D. *propter eleemosynas & alia operà moraliter bona* (quæ fieri posse docet viribus naturæ, ut sup. ostensum est) *facta ab existente in peccato lethali, consuevit Deus opitulari citiùs, ac magis uni quàm alteri, ut à peccato resurgat, eaque ratione hujusmodi opera non immeritò appellari consueverunt dispositiones remotæ ad gratiam.*

50. XV. Prædestinatio omnium non est gratuita.

Hanc intellectam de prædestinatione ad gloriam nemo dubitat esse Molinæ loco ultimo citato §. *Octava conclusio.* pagina 349. col. 2. littera D. E. F. & §. *Septima*

ma concluſio, ubi illam docet, ſicut & Leſſius, Vaſques & alii. De prædeſtinatione ad gratiam docet Molina loco in præcedenti propoſitione citato dicens. *Quæ auxilia & dona confert Deus in tempore propter aliquem bonum uſum liberi arbitrii antecedentem, eadem ex æternitate conferre ſtatuit propter eundem bonum uſum prævisum futurum ex hypotheſi, quod hunc vel illum ordinem rerum condere vellet.*

51. XVI. Liberum arbitrium & gratia ſunt duæ cauſæ partiales boni operis.

Molina q. 23. a. 4. & 5. diſp. 1. memb. 6. §. *Ad 1. barum*, verſu, Porro, Pag. 326. col. 2. littera E. *Supernaturales noſtræ actiones à Deo ſupernaturaliter influente, & à nobis tanquam à duabus partibus unius integræ cauſæ emanant.*

52. XVII. Deus ſe inſerit conatibus noſtris.

Molina diſp. 43. §. *Quod ſi quis*. Pagina 848. col. 1. littera C. *Quod ſi quis intellectu per lumen fidei illuſtrato cogitet ſe propter lethalia peccata jus ad ſempiternam felicitatem amiſiſſe, ignem & cruciatus ſempiternos extremamque miſeriam promeruiſſe, naturaliter ex tali cogitatione inſurgere ſolet in voluntate motus timoris Dei, qui adeo peccata deteſtatur & acerbe punit. Huic autem motui ſolet ſe inſerere Deus, influxu ſupernaturali eum acuendo, ut plus ſtimulet ac pungat, tribuendoque illi eſſe ſupernaturale ſervilis timoris.*

53. XVIII. Interna vocatio pendet à libero arbitrio. Molina ſup. propoſitione 3. & 11.

54. XIX. Quamdiu ſumus in via ſalus eſt poſita in manu arbitrii noſtri, quatenus conantibus ex viribus naturalibus Deus dat gratiam. Molina ſupra relatus propoſitione 8.

55. XX. Deus leges ordinarias in donis ſuis diſtribuendis magna ex parte uſui liberi arbitrii accommodat. Molina diſp. 9. §. *Quamvis hæc*, Pag. 774. col. 2. lit. E. expreſſis terminis.

56. XXI. Deus exigit, ut homo faciat quod in ſe eſt, priuſquam donet fidem.

Molina ſupra relatus propoſitione 11.

57. XXII. Intellectus proponens voluntati Deum amandum, ut qui pro nobis fudit ſanguinem, ut præmiantem vita æterna, &c. proponit ut motivum naturale, ut vult.

Molina diſp. 14. membro. 1. §. *Ratio vero*. Pag. 786 A. B. C. *Præexiſtente maximè lumine fidei, quo agnoſcimus Deum Conditorem noſtrum, innumeraque & maxima beneficia tum naturæ tum gratiæ, quæ in nos contulit uſque ad proprii ſanguinis in cruce effuſionem; quo cognoſcimus, juſtis ſempiternam felicitatem, impiis vero ignem ſempiternum extremamque miſeriam eſſe propoſitam, lethale autem peccatum tam extremum eſſe malum, adeòque divinam Maieſtatem offendere, ut vel unum ſit ſatis, ut qui illud commiſerit, niſi de eo doleat, ſtatuatque nihil tale deinceps committere, ſupremam amittat felicitatem, in extremamque incidat miſeriam: procul dubio tam potens eſt hæc cogitatio, ut liberum arbitrium ejus qui hæc ſibi perſuaſerit cum ſolo concurſu generali Dei elicere valeat, intuitu quidem extremorum, in quæ aliàs incidit, dolorem ſeu deteſtationem ſuorum ſcelerum cum propoſito cavendum poſterum omnia peccata lethalia, in quo conſiſtit attritio quoad ſubſtantiam actus: intuitu vero bonitatis ac beneficiorum Dei ſimilem deteſtationem ac propoſitum, in quibus poſita eſt ratio contritionis quoad ſubſtantiam actus ſufficientis ad ſalutem, eo quod peculiari impulſu Spiritus ſancti excitata non ſit, nec effecta.*

58. XXIII. Liberum arbitrium præponderare gratiæ in operatione ſupernaturali, collegerunt Conſultores ex eo quod Molina docet liberum arbitrium reddere gratiam efficacem & caſſam diſp. 38. §. *Ex dictis*. Pag. 839. col. 2. litt. F. & alibi paſſim.

59. XXIV. Datur in Deo ſcientia media.

Affirmat Molina diſp. 52. Concordiæ Antverp. quæ eſt diſp. 17. q. 14. a. 13. §. *Triplicem*. Pag. 224. col. 2. B.

60. XXV. Bonus uſus auxiliorum divinæ gratiæ eſt à libero arbitrio.

Hanc docere Molinam, judicarunt Conſultores ex eo quod bonus uſus nihil aliud eſſe videtur, quàm ipſa efficacia auxiliorum. At verò Molina docet, efficaciam eſſe ex libero arbitrio; loco citato propoſitione 23. & alibi. Aliæ propoſitiones, quas hic non retulimus, conveniunt cum iſtis, ut patebit attendenti: & ſic patet in illa unica ſententia, quam proferunt reprehenſores numero 25. ad minus 25. falſitates contineri: quare ſit.

61. Num. 26. Dicunt depravanda fuiſſe loca Aug. & Viguerii, ne faverent Valentiæ p. 313. 314 315.

62. Num. 28. male tranſtulerunt verba Perronii, pagina 300.

63. Num. 29. negant actum fuiſſe ter de ſcientia media. V. pag. 319.

64. Num 32. negant autores citatos Theſi 26.

26. stare contra scientiam mediam. V. pag. 323. 324. 325.
65. Num. 33. Ut falsitatis convincant autorem in citatione Romæi & Soti, non afferunt loca ab ipso allegata, sed alia pagina 324. 325.
66. Ibidem, sumserunt objectionem Romæi pro ejus sententia. pagina 324.
67. Ibidem, dicunt Romæum audivisse in Trid. quæ scripserat 8. an. ante Trid. p. 324.
68. 69. 70. Num. 34. tripliciter falsificant Sotum. p. 326.
71. Num. 35. negant Bellarmini Opera esse vitiata. V. pag. 330.
72. Num. 36. dicunt mandatum Tridentinum, approbationem Pontificum, &c. nocere. p. 283.
73. Ibidem, dicunt Catechismum commendari ex falsis, pagina 283.
74. Ibidem, negant Concilium Mediolanense 1. suscepisse Catechismum. pagina 384.
75. Num. 37. negant Jesuitas negare autoritatem Catechismi. pag. 333.
76. Num. 40. negant Clementem VIII. & Paulum V. ut privatos DD. stetisse contra scientiam mediam. pagina 334.
77. Ibidem, negant Consultores censuisse sententiam Molinæ. pagina 335. *Deest fortè hanc fuisse.*
78. Ibidem negant librum de ratione stud. habere vim Constitutionis. pagina ead.
79. Ibidem negant Suar. admittere, præmotionem physicam fuisse de mente D. Th. pag. ead.
80. Ibidem negant Conimbricenses eandem tribuere D. Th. pag. 336.
81. Num. 41. dicunt provisoriam sibi adjudicatam. V. pag. ead.
82. Ibidem citant Constitut. Clementis VIII. quæ nunquam exstitit. pagina ead.
83. Ibidem citant Constit. Pauli V. quæ nulla fuit. pag. ead.
84. Pro 84. falsitate repone injurias &c. in autorem, & invenies falsitates duplò excedisse num. positionum: quibus omnibus hac una sententia potuisset responderi:

Falsitatibus, injuriis, dicteriis, &c. propugnari, argumentum mendacii est.

XVIII.

EXCERPTUM
Seu Priora Capita
Prolixi contra Molinam Operis

Domni IACOBI LE BOSSU, *in Regali ac Celeberrimo Sancti Dionysii propè Parisios Monasterio Monachi, in Academia Parisiensi Doctoris Theologi, & in Romanis de Auxiliis gratiæ Congregationibus sub Clemente VIII. & Paulo V. Consultoris.*

ANNOTATIO GALLICA *

Domni Sancii à Sancta Catharina, Fuliensis Monachi, Operi Præfixa.

*Latinè versa habetur §. Præfationis. 7.

MONSIEUR LE Bossu Religieux de l'Abbaye de S. Denis & Docteur de Sorbonne, aprés avoir fait infinis biens en France avec la predication & autres exercices de pieté & charité, alla à Rome durant que vivoit le Pape CLEMENT VIII. où il a demeuré environ trente-cinq ans, & jusqu'à son decés, qui fut il y a deux ans & davantage.

Le Pape Clement le connoissant docte & homme de valeur & de merite, le fit un des Consulteurs de la Congregation *De Auxiliis*.

Il a toujours tenu & defendu l'opinion des Jacobins touchant la grace contre les Jesuites. Mr. De Creil Docteur de Sorbonne, & grand Docteur, qui entroit en la dite Congregation, la tenoit aussi.

Le Pape Clement decedé, M. Le Bossu voulut s'en retourner en France & en son

Abbaye ; mais le Pape Paul V. qui l'avoit connu en la Congregation *de Auxiliis*, & l'avoit en grande estime, luy dit qu'il vouloit qu'il demeurât a Rome, & qu'il l'absolvoit de toutes les obligations qu'il avoit de retourner à son Abbaye : & des lors il luy donna quelques petites pensions sur aucuns Benefices pour s'entretenir, & pouvoir de disposer à sa volonte du peu qu'il avoit, alors que Dieu l'appelleroit de ce monde.

Il aimoit grandement le bien, & avoit un grand sentiment de la foy & verité de l'Eglise....

Il entroit en aucunes Congregations de celles qui sont en la Cour de Rome, & a eu long-tems le gouvernement spirituel des Religieuses du Monastere de S. Susanne de Rome.

Il étoit tenu de ceux qui le pratiquoient & connoissoient pour un Saint personnage.

On le voioit quelquefois pleurer és Eglises où il alloit prier, tant il avoit le cœur tendre & devot.

En l'âge de quatre-vingts ans, auquel il est decedé, il jeûnoit les Carêmes & les autres jours, comme il les jeûnoit en l'âge de trente ans. Peu d'annees devant son trepas il visitoit les sept Eglises à pied, qui est un chemin de cinq lieues.

Il se levoit toujours à minuit pour dire son Breviaire. Il portoit le cilice ; il dormoit souvent vêtu, & s'abstenoit par fois, non seulement de l'usage de chair, mais aussi de l'usage des œufs, & faisoit plusieurs autres austerites en l'âge de quatre-vingts ans, dont les regles & la vie commune de son Abbaye le dispensoient.

Quelque tems avant que mourir, il entreprit à mon mouvement & persuasion de composer un livre de la Grace, lequel il n'acheva pas, prévenu de la mort : & parce que je l'avois prié de faire cet œuvre, il m'en fit heritier & de tous ses autres Ecrits, & me dit qu'il avoit intention en composant le dit œuvre de le dedier a la Maison de Sorbonne.

Il donna par Testament le peu de bien qu'il avoit aux pauvres.

Finalement il mourut saintement, le 7 Juin 1626. sa mort correspondant à sa sainte vie, & fit une harangue en latin au S. Sacrement, quand on le luy donna pour viatique, avec tant de devotion, amour, foy & sentiment de la verite de ce Sacrement, qu'il pleuroit en luy parlant, & faisoit pleurer ceux qui y etoient presens.

Ceci est écrit par Dom Sans de sainte Catherine Religieux de la Congregation des Feuillans.

ANIMADVERSIONES.

In viginti-quinque propositiones P. Ludovici Molinæ Societatis Iesu de Concordiâ liberi arbitrii cum Gratiæ donis.

Autore R. D. JACOBO LE BOSSU Monacho Monasterii Sancti Dionysii propè Lutetiam, Ordinis Sancti Benedicti, Doctore Theologo Parisiensi, uno ex Consultoribus à Clemente VIII. & Paulo V. deputatis in controversiâ de Auxiliis divinæ Gratiæ inter Doctores Ordinis Sancti Dominici, & Societatis Jesu ; qui obiit Romæ die 7. Mensis Junii 1626. & morte præventus opus imperfectum reliquit.

INDEX CAPITUM QUI ET CONSPECTUS OPERIS.

Ad primam Notam Animadversio.

Ad II. Notam Animadversio.

sionis ad Notam 14. De faciente quod in se est.

Pars 2. Capitis primi, de lege quam dicit Molina constitutam à Christo cum Patre dandi gratiam facienti quod in se est.

Caput 2. Animadversionis ad Notam 14. continens tres partes, 1. de fide, 2. de Spe; 3. de Caritate. Pars prima de Fide.

Pars 2. Capitis 2. hujus Animadversionis, quæ est de Spe.

3. Pars 2. Capitis Animadversionis ad 14. Notam quæ est de Caritate.

Ad XV. Notam Animadversio.

Caput 1. Animadversionis ad Notam 15. quod est de Pœnitentiâ.

Caput 2. Animadversionis ad Notam 15. quod est de Attritione.

Caput 3. hujus Animadversionis ad Notam 15. quod est de Contritione.

Ad Notam XVI. Animadversio.

Caput 1. Animadversionis ad Notam 16. in quo explicatur Molinæ sententia circa ea quæ in Notâ continentur.

Caput 2. hujus Animadversionis, in quo rejicitur Molinæ sententia de naturali facultate liberi arbitrii ad resistendum quibuscunque tentationibus.

BREVE COMPENDIUM.

Ad Paragraphū 9. Præfationis Hist. de Auxiliis.

Doctrinæ P. Ludovici Molinæ de Concordiâ liberi arbitrii cum Gratiæ donis, viginti quinque punctis explicatum, quæ suis Notis designantur secundum quas ordinantur Animadversiones.

I. IN primis notandum, hunc Patrem satis indicare ad finem sui libri de Concordiâ &c. rationem illius Concordiæ à se traditam, esse novam; dum declarat membro ultimo §. *Longior fui;* Quæ si tradita fuisset tempore Sancti Augustini, aut ab eo fuisset exposita, itum fuisset obviam hæresibus Pelagianorum & Lutheranorum; nec tam multi ex Massiliensibus aut ex Gallorum Episcopis ad hæresim defecissent: dum sub eâ quasi caligine (ait in 1. part. S. Th. qu. 23. art. 4. & 5. disputat. 1. membro 6. §. *Quod ad Augustinum*) laboraret S. Augustinus.

II. Inde sumit pro fundamento suæ opinionis. In 1. part. q. 14. art. 3. disp. 17. §. *Triplicem;* præter duplicem scientiam Dei traditam à Scholasticis, nempe præter scientiam simplicis intelligentiæ, quæ est omnium rerum possibilium; & scientiam visionis, quæ est rerum existentium in qualibet temporis differentiâ, aliam statuendam esse, quæ quasi inter utramque inseratur, quam ideò Mediam appellat, dicitque eam esse futurorum conditionalium, v. g. quâ scivit Deus (Matth. 11.) Tyrios & Sidonios acturos fuisse pœnitentiam, si signa vidissent &c.

Eodem loco & §. sequentibus, dicit III.
Deum altitudine intellectus cognoscere quid quilibet (v. g. Petrus & Judas) sit acturus, si in his vel illis circumstantiis constituatur, id est, an sit consensurus, vel dissensurus. Et ibidem §. *His ita*, ex præscientiâ secundùm hanc scientiam vult pendere illam concordiam cum donis gratiæ sivè æternis, ut sunt Dei præscientia, voluntas, providentia, prædestinatio &c. sivè temporalibus, ut sunt vocatio, justificatio, perseverantia, & si quæ ad illa reducuntur, ut gratiæ collatio, conversio &c.

De his verò statuit Molina, ut sequitur.

Præscientiam ex futuro hominis con- IV.
sensu vel dissensu secundùm vires propriæ voluntatis, metiendam esse probare conatur ex illorum autoritate qui dicunt, non ideò res esse futuras, quia Deus præscivit; sed contrà, Deum ideò eas præscire, quia futuræ sunt, ut disputat loco supra dicto §. *Ex his* & sequentibus: adjungitque, quod si Petrus fuisset dissensurus auxiliis, id Deus præscivisset, & uno nomine Deus præscivisset contrarium ejus rei, quam præscivit etiam ab æterno, si illud futurum fuisset.

Quantùm verò attinet ad Dei volunta- V.
tem; qu. 19. in 1. part. art. disp. 1. §. *Sciendum;* & disp. 2. §. *Altero membro*, admittit quidem voluntatem antecedentem, qua vult Deus omnes homines salvos fieri; restringit tamen ad illam conditionem, Si ipsi velint; consequentem verò voluntatem, ratione eorum qui salutem consecuturi sunt, penitùs negat, sicut & omnium futurorum contingentium, sublatâ prædictâ conditione. Immò nec aliam voluntatem ratione salvandorum videtur §. *Ex his*, & §. *Patet deinde*, & §. *Sciendum 3.* in 2. disp. admittere nisi complacentiæ, quâ Deus de illorum adeptâ salute delectatur, secundùm desiderium, quod habuit per voluntatem antecedentem, cui complacentiæ subjicit absolutam Dei voluntatem.

Quæstione verò 22. art. 1. disp. 2. §. *Porro* VI.
& sequentibus ex ipsâ voluntate sic explicatâ metitur Dei providentiam, includens in eâ illam voluntatem antecedentem conditionatam, quâ vult quidem omnes in finem

nem dirigere &c. & excludens ab eâ (quantum ad finis consecutionem) voluntatem absolutam §. *Ad tertium*, & art. 4. §. *Illud etiam* : fatetur enim, Dei providentiam non semper consequi suum finem quem intendit ; immò §. *Hinc etiam*, dicit interfectiones à grassatoribus, suffocationes in aquis, & similia, quæ præter spem eveniunt, non esse à divinâ providentiâ intenta.

VII. Et quoniam certum est prædestinationem esse quandam providentiæ divinæ partem, ratione eorum, qui finem particularem vitæ æternæ consecuturi sunt ; idem Molina in 1. part. quæstione 23. art. 4. & seq. disputatione 1. membro 13. §. *Hac ergo*, & aliis locis definit illam ex ratione prædictæ scientiæ, & per consequens ex prævisso consensu futuro prædestinati. Dicit enim apertè illum consensum prævisum, esse causam cur prædestinatio habeat rationem prædestinationis, & non ampliùs simplicis providentiæ : quod de reprobatione quoque intelligendum est.

VIII. Multa alia dicit Molina de illis externis donis, quæ facilè præteriri possent, nisi quod ad explicationem dogmatum illius sequentium operæ pretium videtur istud adjungi debere ad ea, quæ de prædestinatione dicta sunt, Deum (secundùm illius sententiam in loco citato, & alibi etiam) præscivisse quid Petrus sub his conditionibus, seu cum his auxiliis, quidvè Judas esset acturus, sed tunc de utroque nihil adhuc definivisse: cum autem ventum est ut decerneret, decrevisse dare Petro ea auxilia, quæ ad liberum ejus consensum eliciendum essent congrua, & ita eum prædestinasse : contrà verò cùm videret Judam negaturum suum consensum vocationi futuræ per ea auxilia quæ ad ejus salutem essent sufficientia, decrevisse ea sola illi præbere, & negare alia, quæ prævideret illi sic esse congrua, ut per ea consensum præberet, quia essent contemperata ejus voluntati, & ita eum reprobasse. Autoritates S. Augustini, quibus hanc suam conatur fulcire sententiam, posteà proferentur. Nunc autem quid doceat de temporalibus donis, examinandum est.

IX. Ex ipsismet locis, & præsertim, ex Concordia quæst. 14. art. 3. disp. 9. penè integrâ, quid sentiat Molina de vocatione, primo prædestinationis effectu, facile est intelligere : docet enim alios vocari à Deo per auxilia sufficientia, & non respondere: alios verò vocari per auxilia congrua, & respondere: respondere verò, vel non respondere, statuit esse propriæ & innatæ libertatis.

Eodem quoque modo de justificatione & perseverantiâ philosophatur in Concordiâ, loco citato : quibus respondet ultimus effectus, qui est glorificatio. De justificatione verò tractat ex professo disp. 44. X.

Cum autem hi & similes effectus, qui glorificationem præcedunt, à duabus causis proficiscantur, nempè à gratiâ & libero arbitrio (vocatione sumtâ, quatenùs est efficax) illæque causæ non se habeant uno & eodem modo, cum necesse sit unam esse primam, & alteram, secundam : hoc discrimen inter eas statuitur à Molinâ in Concordiâ quæst. 14. art. 13. disput. 12. §. *Est tamen observandum*, quòd gratia sit prima, majore sed partiali influxu ; liberum verò arbitrium sit secunda, minore tamen influxu : atque utramque ita efficit partialem, ut utraque propriis viribus agat, sicut (ait in 1. part. quæst. 23. art. 4. & seq. disputatione 1. membro 6. §. *Ad primam*) quando duo homines trahunt unam navem : & (ut ait in Concordia) quando duo agentia movent unum mobile. XI.

Ex his ibidem statuit tria tantùm esse necessaria ad benè agendum, concursum Dei generalem, gratiam excitantem, & voluntatis liberum arbitrium. XII.

Ex quibus etiam eò loci ad 1. part. disp. 37. & alibi, refellit eos qui statuunt concursum Dei, sive generalem in rebus quæ sunt ordinis naturæ, sive specialem in his, quæ sunt ordinis gratiæ, fieri ad ipsas causas secundas, cum secundùm ejus opinionem ad solos earum effectus extendatur ; disputat etiam contra illos, qui præter gratiam quâ excitamur, aliam adhuc requirunt, quâ voluntas efficaciter moveatur ; denique refutare eos conatur, qui consensum voluntatis posterioris gratiæ volunt esse effectum, quem docet ad solam ejus innatam libertatem (postquàm excitata est) esse referendum. XIII.

Ut autem ejusdem arbitrii vires magis explicet in Concordiâ, disp. 7. 13. & 14. defendit hominem, cum solo generali concursu Dei, sine aliâ speciali Dei motione & auxilio, ex vi liberi arbitrii posse assensum fidei elicere & credere omnia quæ revelata sunt à Deo ; posse item fidelem eodem modo habere actum spei, seu sperare omnia, quæ à Deo sunt promissa ; posse denique habere actum dilectionis super omnia, cum proposito servandi in genere omnia præcepta Dei, ita tamen ut hi actus, merè naturales, non sint satis ut quis justificetur, sed necessaria sit gratia ad hoc quod fiant sicut oportet, id est, ut valere possint ad justificationem. XIV.

XV. Huc etiam pertinent quæ disp. 14. quasi per totam, sed præcipuè membro 1. & 4. docet, nimirum liberum arbitrium cum solo generali Dei concursu, elicere posse non solùm actum attritionis naturalem, id est, dolorem de peccatis ex Dei timore cum proposito ampliùs non peccandi lethaliter, sed etiam actum contritionis naturalem qui idem propositum includat.

XVI. Huc quoque spectat quod asserit ibidem disp. 19. probabile esse, nec contrarium ab Ecclesiâ esse definitum, immò dicit se ita probare validis rationibus, ut ejus intellectus in oppositis non possit quiescere, liberum arbitrium propriis viribus, sine speciali Dei auxilio, & cum solo ejus concursu generali, dum judicium rationis non absorbetur, posse in quocunque temporis momento, cuicunque gravi tentationi non consentire, & superare quamcunque magnam difficultatem, quam pro servandâ lege naturali necesse sit vincere, etiamsi mors esset toleranda, ita ut si consentiat, peccet.

XVII. Denique de connexione utriusque causæ supradictæ, id est, gratiæ & liberi arbitrii disp. 10. §. 1. ita videtur rem absolvere, quoties liberum arbitrium ex suis viribus naturalibus conatur, præstóque est ad conandum totum quod ex se potest, tam circa credenda, quàm circa dolorem de peccatis ac justificationem, à Deo conferri gratiam prævenientem auxiliumque, quibus id faciat ut oportet ad salutem (hic etiam adjungit Deum sæpè torpens excitare arbitrium) non quòd eo conatu efficiatur dignus his auxiliis, sed quòd Christus id promeruit quasi constitutâ cum Patre lege subveniendi ob ejus merita.

XVIII. Illam gratiam prævenientem (quæ secundùm illum est altera pars bonæ operationis) ibidem, ac etiam disp. 37. sic agnoscit excitantem & moventem hominis voluntatem, ut tamen nihil ei reale imprimat (ut loquitur quæst. 14. disp. 38. per totam) seu non agat in eam motione reali, sed tantùm morali, utique per præsentationem objecti eam impellendo, movendo, suadendo, alliciendo &c. Hinc est quod tam acriter invehitur contra eos, qui ponunt efficaciam gratiæ in motione physicâ seu reali.

XIX. Asserit quippe in 1. part. quæst. 23. art. 4. & 5. disput. 2. membro 5. §. *Postremò*, & in Concordiâ qu. 14. art. 13. disc. 38. §. *Hinc 5. loco*, gratiæ efficaciam ex solo nostri arbitrii consensu metiendam, in cujus potestate situm esse asserit, auxilium gratiæ reddere efficax vel inefficax: efficax quidem assentiendo; inefficax autem (ita tamen ut verè sit sufficiens) dissentiendo.

Unde etiam asserit in Concordiâ quæstione 14. art.... disp. 12. integrâ, provenire ex solâ innatâque libertate arbitrii; quòd duobus stantibus in paribus auxiliis, unus ex eis convertatur, alter non: immò verò adjungit plerumque evenire, unum ex duobus cum pluribus auxiliis damnari; alterum verò cum paucioribus salvari; idque ex solo libero arbitrio provenire. XX.

Quod quidem ne nimis durum videatur, néve aliquid de efficacitate gratiæ detrahere videatur, Molinæ defensores sic eum interpretantur, ut illud auxilium efficax, quod fit tale per consensum voluntatis, sit majus sufficiente in ratione doni, non autem in ratione auxilii, sicut donum ensis majus in necessitate, quàm extra necessitatem. Ita etiam Deus ei qui præbet consensum, dat gratiam congruam in his circumstantiis in quibus ex suâ libertate consensurus est, non dat majus auxilium nisi in ratione doni, eò quod illa gratia non habet in se vim majorem, quàm ea quæ alteri ex duobus, id est, non consentienti datur. Hoc autem tam Molina quàm defensores confirmant ex duobus locis Sancti Augustini, nempe ex l. 1. ad Simplicianum quæst. 2. & ex cap. 14. libri de Dono perseverantiæ. Verba primi loci sunt: "Cujus miseretur, sic " eum vocat, quomodo scit ei congruere ut " vocantem non respuat. Item: Non est vo- " lentis, neque currentis, sed miserentis Dei, " qui hoc modo vocavit quomodo aptum erat " eis qui secuti sunt vocationem. Verba ve- " rò secundi loci sunt: Quosdam habere natu- " raliter in ipso ingenio divinum munus in- " telligentiæ, quo moveantur ad fidem, si con- " grua suis mentibus, vel audiant verba, vel si- " gna conspiciant. XXI.

Denique hanc gratiam, ita factam efficacem ex proprio hominis consensu, fatetur in Concordia quæst. 14. art. 13. disp. 38. esse cooperantem ex eo quòd illa & liberum arbitrium tanquam duæ causæ partiales (ut dictum est) producant justificationem & opera meritoria quæ ab illâ promanant. XXII.

Neque enim agnoscit disp. 35. §. *Advertendum tamen est*, hominem justificatum & per justificationem habentem virtutes, fidei, spei & caritatis infusas, egere novo auxilio intrinseco ad benè meritoriéque operandum, aut etiam ad perseverandum; quamvis Deus ei conferat aliqua auxilia externa, quibus à periculis mundi ac dæmonum per quandam particularem manutenentiam eruatur. XXIII.

Insu-

XXIV. Insuper notandum est, Molinæ defensores sic interpretari illius sententiam de gratiâ efficaci, ut primò constituant illam efficaciam in illâ motione præveniente, quæ cum sit intrinseca, non differt tamen à gratiâ sufficiente, nisi quòd congrua est & contemperata voluntati, & quòd habet infallibilem consensum voluntatis. Secundò constituunt illam efficaciam in gratiâ cooperante propter effectum qui ab eâ (ut tamen à causâ partiali) elicitur.

XXV. Illam verò consensus infallibilitatem negant profluere ex aliqua vi quæ insit gratiæ, sed eam solùm inferunt ex præscientiâ per scientiam mediam.

EXAMEN

Doctrinæ P. Ludovici Molinæ de Concordiâ liberi arbitrii cum Gratiæ donis, cujus Compendium superiùs proponitur, Distinctum in tot Animadversiones, quot sunt Notæ Capitulorum dicti Compendii.

Ad I. Notam, Animadversio.

DUo quidem vocabula satis aperiunt, Molinam non de solâ explicatione suæ sententiæ, quam non semel fatetur se desiderasse in antiquis Patribus, sed de novâ illius à se factâ inventione hanc tradidisse liberi arbitrii cum donis Gratiæ Concordiam, dum §. *Nos pro nostrâ*, dicit: *Quæ si data explanataque semper fuissent*; & §. *Longior*, loquitur apertè: *Hæc nostra ratio conciliandi libertatem arbitrii cum divinâ prædestinatione à nemine, quem viderim, hucusque tradita.* Duæ autem istæ voces, *Data* & *Tradita*, satis ostendunt id quod diximus; multò verò magis particula, *nostra*, sed de hac dicemus ad 3. Notam. Porrò duo etiam sunt, quæ jure videntur in hac Notâ reprehensibilia. Primum est discessus à communi Patrum sententiâ, qui de hac concordiâ scripserunt. Secundum est, pauca reverentia quam demonstrat versùs Sanctum Augustinum & ejus doctrinam: ita ut non desint, qui primum temeritati, secundum inverecundiæ adscribant: id quod nollem ei impingere, sed de utroque dicendum duobus capitibus, ita tamen ut hæc Animadversio, quia non est dogmatica, sit futura multo brevior sequentibus.

CAPUT I.

De discessione à Patrum sententiâ.

IN rebus fidei discessionem à Patrum sententiâ & introductionem novitatis, ut quis proprium suum inventum obtrudat, suspectam esse & periculosam, ita compertum est, ut non egeat probatione. Nihilominùs id clarius futurum existimo, si illud & exemplo Sancti Basilii, & doctrinâ Vincentii Lirinensis illustravero. Magnus ergò Basilius Ep. 62. tam tenax fuit antiquitatis, ut encomii, quod descripsit in laudem Musonii, præcipuum caput exponens, ita loqueretur: *Nihil de suo, nihil quod novæ alicujus cogitationis inventum resiperet, in medium adduxit; sed, juxta benedictionem Moysi, ex ipsis arcanis cordis ac bonis thesauris vetera veterum, & quæ ante faciem juniorum vetera essent, proferre novit.* Is, inquam, Basilius magnus, cum orans apud populum utroque sequenti modo glorificationem absolvisset Deo & Patri, interdùm cum Filio ipsius & Spiritu-Sancto, interdùm per Filium in Spiritu Sancto, & aliqui dicerent illum novis usum esse vocibus, ut refert scribens ad Amphilochium c. 1. Epist. 73. (alibi etiam dicit c. 29. *Traducunt nos quasi insolens & novum quiddam de Spiritu Sancto doceamus*) tantum abest ut de novitate gloriam captaverit, quin potiùs ab eâ se quàm alienum esse protestatus est, sic eundem alloquens Amphilochium cap. 29. *Veneranda sunt antiqua dogmata, quæ ob antiquitatem & canitiem quandam, habeant quiddam reverendum.* Unde etiam id quod dixerat, confirmat Antiquorum autoritatibus, citans Clementem Romanum, & Alexandrinum, Irenæum, Dionysium Alexandrinum, Africanum, Athenogenem, Gregorium Thaumaturgum, Firmilianum, & Meletium Pontificem.

Quod autem attinet ad Vincentium Lirinensem, cum penè totus sit in utroque Commonitorio, scribens adversùs profanas hæresum novationes, in ablegandis à rebus fidei novitatibus, & adstruendâ antiquitate, satis esse videbitur hoc loco citare quæ ex Summis Pontificibus ad hujus rei confirmationem profert.

Primum igitur cap. 9. in 1. Commonitorio ex B. Papa Sixto, in Epist. ad Africanos, profert id quod ad eversionem Anabaptismi conclamati in Concilio Carthaginensi post tempora Agrippini illius autoris, definierat Sixtus: Nihil novandum, nisi quod traditum (subaudi) recipiatur; *Idenim*, inquit Vincentius, *proprium est Christianæ modestiæ & gravitatis, non sua posteris tradere, sed à Majoribus accepta servare.* Deinde in 2. Commonit. cap. 3. autoritati Sixti conjungit B. Cœlestini sententiam, qui ita alloquitur Gallorum Episcopos: *Desinat itaque (si ita res est), ut ad me*

me perlatum est) videlicet incessere novitas vetustatem. Verba quæ Vincentius subjicit verbis Sixti, videntur directè ferire Molinam, sicut verba Cœlestini, qui de rebus controversis de quibus nunc agitur definiebat, illius doctrinam (ut apparet) jugulant.

Non sum nescius, aliquos uti ad Molinæ defensionem eodem Vincentio Lirinensi Commonit. 1. cap. 27. concedente, aliqua novè dici in rebus fidei. Veruntamen satis se explicat Autor, dum ita loquitur: *Eadem tamen quæ didicisti ita doce, ut cum dicas novè, non dicas nova*; seseque magis aperit in sequentibus dum dicit cap. 28. *Crescat* quidem intelligentia, scientia, sapientia, sed in suo dumtaxat genere, in eodem scilicet dogmate, eodem sensu, eâdemque sententiâ. Et cap. 32. rem, quibusdam interpositis, sic illustrat, ut fateatur Ecclesiam in decretis Conciliorum quæ à Majoribus solâ traditione acceperat, posteris per scripturæ chirographum consignare, plerumque propter intelligentiæ lucem, non novum fidei sensum, novæ appellationis proprietatem signando. Unde qui Molinæ facesseret negotium de solis vocibus non usitatis hactenùs, sicut est appellatio Scientiæ-mediæ, videretur operam perdere, nisi doceret res, quibus explicandis adhibentur, ab illo alio sensu intelligi, & ex consequenti ab illo nova contra vetustatem secundum diversum dogma proponi. Hoc autem facilè constabit ex sequentibus, & ex ratione discessionis à Sancto Augustino fiet evidens.

CAPUT II.

De paucâ reverentiâ, quam exhibet Molina Sancto Augustino in hac doctrinâ.

LOcus qui citatur ex Concordia paulò prolixior est: *Neque*, inquit Molina, *ex Augustini opinione concertationibusque eum Pelagianis tot fideles fuissent turbati ad Pelagianosque defecissent... Concertationesque* (ait paucis interjectis) *inter Catholicos facile fuissent compositæ.* Ubi cum vocat *opinionem* D. Aug. quam debuisset potiùs vocare sententiam, nisi stabilire volens suum judicium pro Catholicâ sententiâ, judicium tanti Sancti noluisset recipi pro solâ opinione. Monstrat præterea se in sequenti loco, quem nunc citabimus, agere perperam, dum nititur hunc Sanctum ad suam opinionem traducere, confessus nunc libenter Sanctum Augustinum sic opinatum, ita ut hæc quæ citat incommoda, indè secuta sint. Aliorum etiam relinquo judicio, si concertationes illæ dicendæ sint fuisse *inter Catholicos* simpliciter, quæ ex occasione Scriptorum Sancti Augustini emerserunt inter Catholicos & Semipelagianos.

Sed jam agamus de loco citato ex Comment. in 1. part. in quo sic scribit: *Interim verò dum sub eâ quasi caligine ad hoc non attendit S. Augustinus* (nempè prædestinationem & reprobationem non fuisse sine præscientiâ qualitatis usus liberi arbitrii habitâque consideratione illius) *arbitratus cum suâ de prædestinatione sententiâ esse conjunctum, Deum velle solos prædestinatos salvos fieri* &c. Profectò mirum mihi est, repertos fuisse aliquos, qui ut Molinam excusarent, rejecerunt eam caliginem, à Molinâ Sancto Augustino attributam, ad alios illius seculi Theologos, cum hæc vocabula, *non attendit*, &, *arbitratus esse conjunctum* &c. aliò quàm ad illius personam vel doctrinam applicari nequeant; sequiturque inde, Molinam fateri se clarâ luce suæ doctrinæ sic hanc materiam illustrare, ut opinionis S. Augustini caliginem expellat.

Cæterùm postquàm sententiam Sanctorum Thomæ & Augustini versavit & reversavit, sentiens se, nonnisi vi tantos autores sibi facere posse propitios, tandem §. *Ex his patet*, in hæc verba prorupit. *Immò verò, esto, hi duo Patres in eam sententiam inclinassent, salvâ reverentiâ, quæ illis debetur maxima, quoad illud secundum non esset admittenda.*

O quantùm Sancti Prosperi Aquitani judicium de Sancto Augustino à verbis Molinæ est differens, dum post citatam Sancti Cœlestini commendationem illius (quam statim subjiciemus) exclamat: *Contra istam clarissimæ laudationis tubam, contra istam sacratissimi testimonii dignitatem audet quisquam malignæ interpretationis murmur emittere, & perspicuæ sincerissimæque sententiæ nubem obliquæ ambiguitatis obtendere?* quod licet applicet ad se, contra eos qui ab approbatione B. Cœlestini eximebant libros Sancti Augustini de prædestinatione Sanctorum & de dono perseverantiæ; intelligit tamen extendi etiam ad alios, unde in fine Epistolæ ad Rufinum. *Tu autem, dilectissime & venerandissime mi frater, si verè de his quæstionibus instrui desideras, sicut desiderare te convenit, ipsis B. Augustini disputationibus cognoscendis impende curam, ut in confitendâ Dei gratiâ defæcatissimam ac saluberrimam Evangelicæ Apostolicæque doctrinæ intelligentiam consequaris.* Sed & in Epist. quam ad eundem Augustinum scripsit,

sit, cum illum meritò ita salutasset: *Domino Beatissimo Papæ ineffabiliter mirabili, incomparabiliter honorando* &c. reddens rationem cur ad illum scribat, nempè se id facere studio fidei, adjungit: *Excubante enim pro universis membris corporis Christi vigilantissimâ industriâ tuâ, & adversus hæreticarum doctrinarum insidias veritatis virtute pugnante* &c. Jam verò audiamus ipsum Cœlestinum cum magnâ commendatione de Sancto Augustino & ejus doctrinâ loquentem, dum scribit ad Venerium & alios quinque, quos nominat, nec non ad cæteros Galliæ Episcopos: *Augustinum* (ait cap. 2.) *sanctæ recordationis Virum pro vitâ suâ atque meritis in nostrâ communione semper habuimus, nec unquam hunc sinistræ opinionis rumor aspersit: quem tantæ scientiæ olim fuisse meminimus, ut inter magistros optimos etiam à meis semper decessoribus haberetur. Bene ergo de eo omnes in communi senserunt, utpote qui ubique cunctis & amori fuit & honori.*

Hîc, præter id de quo agimus, nempè Sanctos cum multo majore reverentiâ de Sancto Augustino locutos fuisse, quàm Molinam, duo sunt, quæ benè notanda esse credimus. Unum, illudque præcipuum, quòd ad sententiam suorum Decessorum adjungit suæ quoq; probationis calculum, per Prædecessores intelligens Innocentium, Zozimum, & Bonifacium, sicut etiam S. Prosper testatur ad finem libri contra Collatorem, dum exspectat etiam Sixti, Successoris ejusdem Cœlestini, sententiam, quam tulit posteà, sub cujus Pontificatu dictum librum scribebat. Ut ex eo constet eum, qui à D. Augustini doctrinâ discedit, simul etiam à Sanctæ Sedis determinationibus secedere.

Alterû est, quod non contentus fuit Cœlestinus Sanctû Augustinû ex Antecessorum sententiâ collocasse inter Magistros optimos, nisi etiam annumeraret inter suos, dum cap. 3. suæ Epistolæ ita loquitur: *Quia nonnulli, qui catholico nomine gloriantur, in damnatis autem hæreticorum sensibus, sive pravitate, sive imperitiâ, demorantes, piissimis Disputatoribus obviare præsumunt; & cum Pelagium & Cœlestium anathematisare non dubitent, Magistris tamen nostris, tanquam necessarium modum excesserint, obloquuntur &c.* Unde constat illud dictum, *Magistris nostris*, non referri ad Summos Pontifices Innocentium & Zozimum, quorum definitionibus utitur sequentibus Capitulis, sed præsertim ad Sanctum Augustinum, quem norunt omnes piissimum Disputatorem contra Pelagianos: atque ex hujus loci principio constat, B. Cœlestinum Semipelagianos, qui facessebant negotium Doctrinæ Sancti Augustini, vix habere pro Catholicis, licet eo nomine gloriarentur; cum tamen Molina eos appellet catholicos sicut antea notavimus.

Porrò certum est in 2. Concilio Arausicano, quod nonnulli asserunt sub Leone Magno, alii probabiliùs affirmant anno 3. Hilari ejus successoris, celebratum fuisse scilicet anno Christi 463. actum esse contra Semipelagianos ex occasione Fausti Regiensis Episcopi, illorum hæresim renovantis, conclusum fuisse, promulgari decreta quæ olim à Romano Pontifice ad Galliarum Episcopos transmissa fuerant, quæ quidem ex libris S. Augustini transcripta, & à Leone Magno approbata & definita sunt, conformiter (ut par est credere) ad illa XIII. decreta Cœlestini, quæ transmissa fuerant ad prædictos Galliæ Episcopos. Gelasius autem scribens ad Honorium Ep. 4. admonet eum, ne iterùm Pelagiana hæresis, quàm S. Augustinus contriverat, pullulet, quam Epistolâ præcedente dixerat ab Apostolicâ Sede per beatæ memoriæ Innocentium; ac deinde Zozimum, Bonifacium, Cœlestinum, Sixtum, Leonem, continuis & incessabilibus sententiis fuisse prostratam. Unde non mirum, si is Summus Pontifex, ut est in C. *Sancta Romana Ecclesia*, Distinct. 15. approbans Opuscula Sanctorum Augustini, Prosperi & Hilarii, rejecerit Opuscula Cælestii & Fausti Regiensis Episcopi. Nec prætereundus est in hoc quasi catalogo Hormisdas Summus Pontifex cujus Epistola, quæ tomo 1. Epistolarum Summorû Pontificum est LXVII. in tomo verò II. Conciliorum recentioris editionis est LXX. sic concluditur: *De Arbitrio verò libero & Gratiâ Dei quid Romana, hoc est, Catholica sequatur & asseveret Ecclesia, licet in variis libris B. Augustini, & maximè qui sunt ad Hilarium & Prosperum, possit cognosci, tamen in Scriniis Ecclesiasticis expressa Capitula continentur, quæ si tibi desunt, & necessaria creditis* (alloquitur Possessorem Episcopum, ad quem scribit) *destinabimus: quanquam qui diligenter Apostoli dicta considerat, quod sequi debeat, evidenter cognoscat.* Ex quibus omnibus, & aliis quæ qui scribunt de hac re proferunt in medium, satis evidens est, neminem à sententiâ S. Augustini posse discedere, qui non simul discedat ab Ecclesiæ totius consensu, tot tantorúmque Pontificum decretis confirmato.

Hinc est quod augustæ memoriæ Papa CLEMENS VIII. in primâ Congregatione

tione ex his, quas in præsentiâ suâ voluit haberi, (illa porrò *Congregatio* appellabatur *De Auxiliis*, initiumque habuerat circa initium mensis Januarii 1598.) convocatis coram se Consultoribus, ac etiam Generalibus tam Societatis Jesu quàm Ordinis Dominicanorum, assistentibus. Cum illis, iis quibus onus disputandi commiserant, 20. die mensis Martii 1602. qui erat dies Mercurii quartæ hebdomadis Quadragesimæ in hanc sententiam peroravit. „ Quamvis nemini nisi Deo rationem reddere debeam mearum actionum; dicam tamen imprænsentiarum, quare sim resolutus ad adstringendam totam hanc disputationem ad normam doctrinæ Sancti Augustini de Gratiâ. Deinceps tres rationes hujus suæ resolutionis proposuit. Prima fuit, quòd si teste B. Prospero, ferè initio libri contra Collatorem, 20. annorum spatio acies Ecclesiæ ita dimicavit pro gratiâ contra Pelagianos, ut tandem Augustino Duce vicerit, æquum esse ut in causâ simili eundem Ducem sequamur. Secunda est, quòd idem Sanctus nihil videtur prætermisisse eorum quæ ad præsentes controversias pertinent, quandoquidem si agitur de necessitate gratiæ, eam describit dicens, esse necesse ut nos præveniat, comitetur, & sequatur; si de vi, asserit vires efficacissimas præbere voluntati; si de effectu, testatur facere de nolente volentem; si de modo, asserit Deum id facere omnipotentissimâ facilitate; denique sic dissolvit objectiones, ut doceat liberum arbitrium, non tantum benè cum illâ gratiâ quam defendit, cohærere, sed etiam fieri liberius, quando ab illâ fuerit liberatum. Habebat autem locos propriâ industriâ ex B. Augustino excerptos, quos admodum appositè ad singula, quæ dicta sunt, confirmando recitabat. Tertia verò ratio fuit quòd cum multi Pontifices, sui prædecessores, Doctrinæ Sancti Augustini de Gratiâ tam acres fuerint assertores & vindices, ut quasi hæreditario jure eam voluerint in Ecclesiâ relinqui, non esse æquum ut patiatur illam hac quasi hæreditate privari: seque id nunquam passurum resolutè asseveravit. Et ita mansit fixus in hac resolutione, ut cum sequentes disputationes voluerit fieri more Rotali (in illo enim Romano integerrimæ Rotæ judicio, causæ in quibus aliquid difficultatis est, proponuntur per dubia, quasi dicas, quæstiones antequam terminentur) singula pene dubia quæ proposuit disputanda postulabant, An articuli excerpti ex Molinæ doctrinâ essent apud Sanctum Augustinum, aut secundùm doctrinam & mentem illius. De rebus autem quæ controvertebantur, si quando proponeret quid sentiret, monebat, se id dicere non resolvendo aut definiendo.

XIX.

DEFENSIO CENSURÆ LOVANIENSIS

Et Iustificationis ejusdem, itemque Censuræ Duacensis, contra Scriptum nuper vulgatum, cujus titulus: Parallelus Thomismi veri & falsi.

PRÆFATIO.

Ad primum Paragraphum Præfationis Hist de Auxiliis.

Res est primâ fronte ab omni verisimilitudine abhorrens, falsum Thomismum Censuris Lovaniensi ac Duacensi contineri, seu Censurarum illarum origiginem, seu progressum spectes.

Censuram Lovaniensem cum undecim aliis ejusdem Scholæ Magistris composuit Petrus Bacherius ex Ordine Prædicatorum.

Actam solennem, qua anno 1613. declaravit unanimiter Facultas se persistere in veteri sua de Gratia Christi sententiâ, composuit Thomas Torres ex eodem Ordine, Facultatis Theologicæ pro tẽpore Decanus

Similem declarationẽ dedit Facultas anno 1649. instante Patre Thoma Leonardi ex Ordine Prædicatorum. anno 1679. instante Patre Joanne Antonio D'Aubermont ejusdem Ordinis, aliisque non semel.

Censuræ Duacensis Autor præcipuus est Guillelmus Estius, Thomista celeberrimus; cui Censuræ anno 1648. vivente Francisco Silvio, Thomisticæ Scholæ principiis valdè addicto, sese inhærere, semperque inhæsisse palàm professa est Facultas Theologica Duacensis, quod & nuperrimè die 20. Januarii 1690. eadem Facultas confirmavit.

Denique in Thomistarum scriptis peregrinum eum esse necesse est, qui ignorat, quo in pretio sint Censuræ illæ apud Thomam de Lemos, Didacum Alvarez, Joannẽ à Sancto Thoma, Carmelitas Salmanticenses,

ses, Joannem Baptistam Gonet, & alios quoscumque præstantissimos ejusdem Scholæ Magistros.

Nec privatorum tantùm Doctorum, sed etiam unanimi Theologorum Cathedralium, Episcoporumque Belgii calculo probatæ fuerunt, ut ipsi Patres Societatis confitentur in Imagine primi seculi. lib. 6. cap. 4. aliisque scriptis publicis.

Immò verò, quod rei caput est, coram Paulo V. & gravissimo selectorum Cardinalium Consultorumque consessu, P. Gregorius Nunnius Coronel Ordinis S. Aug. Secretarius Congregationum de Auxiliis, jussus ea compendio referre quæ sub Clemente VIII. gesta erant, sciensque quo in pretio semper fuisset Censura Lovaniensis apud Patres Congregationum sub Clemente VIII. habitarum, in isto Relationis exordio palàm dixit, Doctores Facultatis Lovaniensis ad unam & triginta Professorum Societatis propositiones *dignam adhibuisse Censuram*. Exstat prorsus integra hæc Relatio in Bibliotheca Angelica de urbe ad S. Augustinum, una cum votis plurium Consultorum, qui eandem pariter prædicarunt. Nolim mihi quis hac in parte credat, sed oculis saltem suis illa legentibus in prædicta Bibliotheca Angelica credere dignetur.

Quibus non obstantibus, visum est Autori Scripti cui titulus: *Parallelus Thomismi veri & falsi*, doctrinam de gratia Christi, in Censuris illis explicatam, non tantùm ut Pseudo-Thomisticam traducere, sed etiam Jansenismi, hoc est damnatarum quinque Propositionum labem ei aspergere. Quæ audacia, licet fortè graviùs castigari mereatur; ne tamen aliorum invectivas graviùs carpendo, culpam quam in aliis noto, ipse incurram, malim modestè, breviter, ac succinctè singula accusationis Capitula refellere, totumque Judicium Superiorum arbitrio submittere, ratum habiturus ac gratum, quidquid illi pro æquitate sua censuerint decernendum. Articulos singulos eo ordine, quo in prædicto Scripto exhibiti sunt, proferam, singulisque responsionem meam subnectam.

ARTICULUS PRIMUS.

Hec sufficientis Auxilii assertio ex Massiliensium & ipsius Fausti (qui contendit Gratiam à Deo omnibus offerri & ingeri) *doctrina, & placitis est depromta*. Censura Duacens. ad Ass. 2. pag. 82.

RESPONSIO.

Tantùm expendendum est, quid eo loco per sufficiens auxilium intelligant tam Censura Duacensis, quàm Lessius aliique Patres Societatis, adversùs quos lata est, & mox difficultas omnis evanescit. *Sufficiens Dei auxilium* (inquit Censura Duacensis ad Assertionem II.) *est præter quod ex parte Dei non est aliud necessarium*. Eandem gratiæ sufficientis notionem viguisse apud Patres Societatis, patet ex Censura Lovaniensi ad eandem Assertionem. Notissima est hac in parte Lessii sententia, quæ dictis Censuris oppugnatur, quamque latius refert & exponit Adamus Tannerus Societatis Jesu Theologus disp. 6. q. 2. dub. 5. juxta quam inter gratiam efficacem & sufficientem, solùm discrimen est in actu secundo; adeò ut moraliter & in ratione beneficii tantum præstet Deus habenti gratiam merè sufficientem, quantum præstat habenti efficacem; immò verò sustinet Lessius, collatâ hac sufficienti gratiâ, nec ullo alio beneficio ex parte Dei accedente, in potestate hominis esse, ut illam cum voluerit, faciat efficacem. Hanc Lessii doctrinam graviter carpit Cardinalis Bellarminus libro 1. de Grat. & lib. arb. cap. 12. refertque Tannerus loco supra citato decretum Patris Aquavivæ Generalis Societatis Jesu, quo doctrina illa è Societate fuit proscripta. Hanc ipsam esse Fausti doctrinam sustinet Thomas Lemos in Tract. 2. de gratia sufficiente c. 6. n. 28. resque ipsa Legenti Faustum, prorsus est manifesta; scribit enim lib. 1. cap. 4. *Totum planè Gratiæ est, sed omnibus eam offert atque ingerit ad salutem, omnium Conditor atque Redemtor.*

Hanc doctrinam se ex Fausto hausisse fatetur ingenuè Ruardus Tapperus. Quem non tantùm sequebatur Lessius, sed Lovaniensibus quoque insultabat, quòd non Ruardum potiùs, quàm alios Majores suos sequerentur. Unde nec unquam conquestus est Lessius, quòd hanc ex Fausto doctrinam depromsisse diceretur. Et sane quî potuisset conqueri? cùm ipsemet in dictatis, quæ oculis meis legi, legeruntque Majores nostri, ut patet ex Justificatione Censuræ num. 68. in responsione ad objectionem 8. fateatur ingenuè, se doctrinam suam de prædestinatione ex prævisis meritis, assertioni de qua nunc agitur, prorsus gemellam, hausisse ex Fausto, quem inter Sanctos Ecclesiæ Patres recensebat. Duacensibus ergò vitio verti non potest, quòd doctrinam illam è Fausto depromtam dixerint, quam è Fausto depromtā esse in dictatis suis Lessius ipse fatebatur; eademque est ratio de Massiliensibus qui paria cum Fausto sentiebant, maximè cùm apertissimè scribat Joannes Mariana

riana lib. 3. de mortalitate cap. 8. *Quæ à Cassiano dicta sunt omnia hæc de Gratia & libero arbitrio, à viris eruditis* (Lessio utique & ejus sequacibus) *nostra ætate defenduntur, quasi pietati consona, neque deflexa à fidei regula sancta.*

Unde mirari subit, quid in illa Censuræ Duacensis assertione reperiunt Patres Societatis, falsum Thomismum aut Jansenismum sapiens, cùm nihil hic de Lessio ejusque doctrina dicant Duacenses, quod non ipse Lessius, quod non Ruardus Tapperus, quod non Mariana, & Sirmundus, immò verò quod non Cardinalis Bellarminus, Generalis Societatis Aquaviva, totque alii Societati addictissimi, tam ante quàm post editam Censuram Duacensem palàm asseruerint. Huic autem Censuræ Duacensi planè consonant Thomas de Lemos loco supra citato, aliique celebres Thomistæ; immò & ipsi Theologi & Consultores Congregationum de auxiliis, qui similem in Molina doctrinam haud semel tanquam Fausti, aliorumque Semipelagianorum dogmati affinem, proscribendam censuerunt.

ARTICULUS SECUNDUS.

Gratia Christi non est à bono usu sejuncta, sed facit hominem benè uti oblatis salutis occasionibus. Justif. Censuræ Lovan. num. 164.

RESPONSIO.

DOctores Lovanienses in Censura Assert. 8. duplicem gratiam distingunt: *Unam qua benefacere quisque possit, si velit; Aliam, qua fit, ut absolutè velit, ac benè operetur.* Ita si non nomine, certè reipsa cum Thomistis conveniunt circa gratiam Thomistico sensu sufficientem, quia benè notat Lemos Tractat. 3 de Gratia sufficienti. cap. 2. num. 17. ista æquivalere, *auxilium cum quo homo potest operari si velit*, & auxilium sufficiens ad operandum, tribuens possibilitatem *rectæ operationis.*

Notandum equidem, quòd licet hanc gratiæ divisionem Lovanienses libenter admittant, tamen cum de gratia Christi simpliciter loquuntur, antonomasticè intelligere videantur specialem ejus gratiam, seu adjuvantem, qua Deus facit ut velimus, ut indicant loco jam citato; quod etiam probatur Alvaresio, & ab eo confirmatur disp. 99. num. 5. Cùm autem ex Thomistarum sensu, adjuvans illa gratia nostram voluntatem prædeterminet ut velit, & prædeterminans illa gratia, juxta Scriptum Reverendissimi Patris Generalis Jesuitarum, à Patre Magistro Desirant Sacræ Congregationi nuper oblatum, essentialiter connexa sit cum consensu, rectissimè hoc sensu cum Thomistis omnibus dicere potuerunt Lovanienses, *Gratiam Christi à bono usu sejunctam non esse.*

Cæterum si quis sustinere velit, non solam gratiam efficacem seu adjuvantem, sed etiam Gratiam sufficientem, esse veram Christi gratiam, nihil inde contra allatum articulum & Lovanienses efficiet: communis est enim apud Thomistas doctrina, Gratiam sufficientem ab eo quidem usu sejungi, respectu cujus dicitur sufficiens, non tamen ab eo, ad quem proximè & ex voluntate Dei consequente datur. Cùm ergo ex Thomistarum sensu, omnis gratia, etiam sufficiens, sit efficax alicujus effectus, ejus nimirum ad quem proximè ordinatur, & quem Deus absolutâ voluntate intendit; Gratia Christi etiam tantùm sufficiens, non est à bono usu sejuncta.

ARTICULUS TERTIUS.

Augustinus gratiam nostri status à primi hominis gratia accuratè distinguens, non solum ei tribuit posse, si velimus, sed facere etiam ut velimus. Cens. Lovan. ad Assert. 10. p. 36.

RESPONSIO.

DIscrimen hoc gratiæ nostri status à gratia primi hominis, ipsis Augustini verbis agnoscunt, & constanter profitentur SS. Prosper, Fulgentius, Remigius, Thomas, cæterique omnes S. Augustini Discipuli: & quamquam Doctores quidam moderni circa hoc, in exponendo Augustini sensu non adeò per omnia conveniant, iniquum tamen omninò videtur, à privatis Scriptoribus de Jansenismo accusari discrimen illud, ipsis Augustini verbis expressum.

Sed tantisper sepositâ hâc justissimâ querelâ, explorare propiùs libet, quid tandem sit, quod in hoc utriusque Gratiæ discrimine Societatis Patribus tantopere displiceat.

Suppono (cum ipsimet hoc ita Romæ prædicent) nolle eos doctrinam de Gratia per se efficaci accusare de Jansenismo, & ab hac labe apud eos prorsùs immunes fore, qui talis gratiæ necessitatem, non tantùm in statu naturæ lapsæ, sed etiam in statu naturæ integræ adstruxerint.

Sed quid si quis sustineat cum Eminentissimo Cardinale Laurea Opusc. 3. num. 153. quòd gratia, quæ pro statu naturæ lapsæ est necessaria homini ad bona opera facienda,

non est sicut illa, quæ data fuit Adamo in statu innocentiæ, dicta *sine qua non*, subdita libero arbitrio illius, ut eâ uteretur, si vellet, sed est potentior illâ, quæ facit facere opera bona, non trahenda à libero arbitrio, sed trahens illud?

Hic enimverò, Jesuitarum judicio totus Jansenista habendus est, cujus doctrinam non posse se à Jansenismo distinguere fateantur necesse est. At undè hæc tam gravis accusatio? An ex eo quod dicitur, quòd *gratia primi hominis, libero ejus subdita arbitrio, solum ei tribueret posse, si vellet?* At hoc etiam dicunt ipsi Patres Societatis. An fortè magis displicet, quòd Gratia nostri status facere dicatur ut velimus? At prorsus ridiculum est, de hæresi accusare Theologos, qui hoc astruunt in statu naturæ lapsæ, cum nullâ dignos Censurâ fateantur eos omnes, qui hoc ipsum non tantùm pro statu naturæ lapsæ, sed etiam pro statu naturæ integræ asserunt.

En ad quas angustias compelluntur Patres Societatis, dum Theologos Lovanienses aliosque S. Augustini Discipulos, de Jansenismo accusare non cessant. Ipsa accusatio sibi non cohæret, nimiusque accusandi pruritus, contraria illos loqui cogit. Spero interim fore, ut in carpendo illo discrimine plus sibi deinceps temperent, cum in facie Ecclesiæ illud sustineri videant ab Eminentissimo Cardinale, quem nullus unquam Jansenismi rumor sinister aspersit, ut omittam Reverendissimű Patrem Noris,* immò & ipsum Patrem Desirant, totque alios Augustinianæ Religionis Theologos qui illud ipsum utriusque gratiæ discrimen palàm agnoscunt & tuentur.

* *Nunc Emin. S. R. E. Cardinal.*

ARTICULUS QUARTUS.

Gratia ad conversionem sufficiens ipsa convertit, quæ vero non convertit, non sufficit. Justif. Censur. num. 176.

RESPONSIO.

Cum ex parte Dei habetur gratia ad efficiendam in nobis ipsam conversionem necessaria, ipsam quoque conversionem haberi, apud omnes gratiæ per se efficacis propugnatores, exploratum est. Atqui ex antedictis patet, Lovanienses Theologos nomine auxilii ad conversionem sufficientis, intelligere illud solum, præter quod ex parte Dei non est aliud ad conversionem necessarium, seu gratiam adjuvantem, ac per se efficacem, quam antonomasticè gratiam Christi appellant: ergo definito hoc nomine evanescit difficultas.

App. Hist. Cong.

ARTICULUS QUINTUS.

Ut peccator possit converti, necessarium est, ut recipiat specialem Christi gratiam, quâ non sola possibilitas, sed ipsa quoque operatio confertur. Censur. Lovan. ad Assert. 8. pag. 31.

ARTICULUS SEXTUS.

Fatendum est, nullum peccatorem converti posse, nisi per specialem Christi gratiam, seu speciale auxilium, quod auxilium non habet nisi cum actu convertitur. Censur. Duacens. ad Assert. 15. p. 134.

ARTICULUS SEPTIMUS.

Nullus infidelis credere poterit, nisi per gratiam, quam eum non habere, dum infidelis permanet, perspicuum est. Censur. Duacens. ad Assert. 14. pag. 174.

RESPONSIO.

Duplicem benè agendi potentiam distinguunt Theologi, unam nempè ab omni actu sejunctam, ac veluti solitariam, aliam cum actu conjunctam, quam S. Augustinus vocat possibilitatem cum effectu. Distinctio illa in potentiis quoque naturalibus frequenter usu venit, juxta quam de homine in tenebris constituto dicimus: *Homo ille potest videre*, utique ratione potentiæ visivæ, quæ in eo integra est. Porro de eodem illo homine rectè dicitur, *sine lumine non posse videre*, potentiâ nempe actui conjunctâ. Tota autem controversia in tribus articulis relatis non erat de potentiâ benè agendi solitariâ, sed de possibilitate cum actu, quæ ex omnium Discipulorum S. Augustini & S. Thomæ sententiâ haberi nequit sine gratiâ adjuvante. Hæc gratia adjuvans, utpote physicè prædeterminans, fatente Reverendissimo Patre Generali Jesuitarum, est essentialiter connexa cum consensu; ergo cum per eam operatio conferatur, verè dicunt articuli jam relati, quòd auxilium illud de facto non habeat, qui de facto vel non credit, vel non convertitur, quandoquidem ejusmodi auxilium, ex Thomistarum sententia (quæ & nostra est) cum ipsa fide & conversione essentialiter sit connexum.

ARTICULUS OCTAVUS.

Scripturâ Teste, nec pro omnibus Christus orat Patrem, nec omnes Christo dati sunt à Patre: non omnes ergo habent sufficens auxilium ex parte Dei ad salutem consequendam. Censur. Duacens. ad Assert. 2. pag. 83.

RESPONSIO.

Planus & facilis est horum verborum sensus, si reflectatur, quod supra non semel notatum est, per auxilium ex parte Dei sufficiens ad salutem consequendam, intelligi illud solum, præter quod ex parte Dei nullum aliud ad salutem consequendam necessarium est, agique de Oratione Christi absoluta, quemadmodum locum de quo quæstio, intelligit D. Thomas 3. p. 21. art 4. ad 2. aliisque locis quæ ibidem refert Sylvius. Cæterum non ignorabant Duacenses, sano sensu dici posse Christum pro omnibus orasse, sicut rectissimè dicitur voluisse omnes homines salvos fieri, quia, ut inquit D. Thomas in c. 17. Joannis; Christus, quantum est de se, pro omnibus oravit, quia oratio sua quantum est de se, est efficax pro omnibus, ut valeat toti Mundo.

Ex quo tamen non sequitur, omnes habere auxilium ex parte Dei taliter ad salutem consequendam sufficiens; quia ut mox subdit S. Doctor; *Oratio illa Christi non in omnibus sortitur effectum, nisi in Sanctis, & Electis Dei, & hoc propter impedimentum mundanorum.*

ARTICULUS NONUS.

Deus absoluta voluntate constituit hunc hominem excludere à Regno ante omnem prævisionem meritorum. Censur. Lovan. ad Assert. 29. p. 58.

RESPONSIO.

Aliud eo loco non dicitur, quàm Deum sua absoluta voluntate propter solum originale, reprobare parvulos ante regenerationem morituros, independenter ab eorum voluntate. Quæ non Lovaniensium tantum & Duacensium, sed præstantissimorum Thomistarum, & ipsius S. Augustini ac D. Thomæ aperta doctrina est.

ARTICULUS DECIMUS.

Sufficientia, quam postulat generalis Redemtio, in pretio sanguinis Christi est, non autem in auxilio omnibus collato. Censur. Duacens. ad Assert. 5. pag. 99.

RESPONSIO.

Censura Duacensis exponit primò cum S. Prospero, quomodo Christus sit omnium Redemtor, tum subnectit: *Sufficientia, quam postulat generalis Redemtio, in pretio Sanguinis Christi est, non autem in auxilio omnibus collato, ut prætendit objectio.* At prætendebat objectio, Christum esse omnium redemtorem, quatenus per ipsum donantur omnibus sufficientia media quibus resurgant à peccatis: Si enim, inquit, non darentur sufficientia media, verus non esset eorum Redemtor, *quia neque quoad sufficientiam, neque quoad efficaciam.* Meminisse tantùm oportet, quid per media ad salutem sufficientia intelligant tam Duacenses, quàm Jesuitæ, ut in Responsione ad primum Articulum explicatum est; fietque perspicuum, omnes gratiæ per se efficacis propugnatores consentire, sufficientiam, quam postulat generalis Christi Redemtio, non esse in auxilio omnibus collato juxta prædictum sensum sufficientiæ, ut prætendebat objectio.

ARTICULUS UNDECIMUS.

Quamquam dici possit, sufficiens pro parvulis institutum remedium, dici tamen non potest id eos habuisse, quod nec in sua, nec in suorum habuerunt potestate, unde perspicuum est, tale salutis impedimentum Dei judicio verissimè imputari. Censur. Lovan. ad Assert. 16. 17. pag. 43.

RESPONSIO.

Est doctrina S. Augustini in Epist. 107. in qua dicit, *Quod gratia Dei multis non datur parvulis, & sine illa plerique moriuntur qui non habent contrariam voluntatem; & aliquando cupientibus, festinantibusque parentibus, Ministris quoque volentibus ac paratis, Deo nolente non datur, cum repente antequam detur, exspirat, pro quo, ut acciperet currebatur; unde manifestum est hos, qui huic tam perspicuæ resistunt veritati, non intelligere omninò qua locutione sit dictum, quod omnes homines vult Deus salvos fieri, cum tam multi salvi non fiant, non quia ipsi, sed quia Deus non vult, quod sine ulla caligine manifestatur in parvulis.* Hanc S. Augustini doctrinam optimè confirmat Thomas Lemos tract. 4. de reprob. cap. 21. num. 320. & aliàs sæpiùs.

ARTICULUS DUODECIMUS.

Ut homo possit converti non requiritur ut habeat gratiam sufficientem eo ipso tempore, quo posse dicitur, sed satis est, si habere illam, & obtinere quæ sufficiat, possit; quomodo homo dicitur posse manducare panem, etiam cum panem non habet, neque etiam quidquam unde panem sibi comparet, ut etiam dicitur videre posse, qui non habet lucem sed in tetrum carcerem conjectus est, quamvis sine luce visurus sit nunquam. Justit. Cens. Lovan. num. 177.

RESPONSIO.

HOc ipsum est quod tradit Lemos lib. 4. p. 2. tract. 3. de grat. suff. cap. 10. num. 145. *Qui actualiter*, inquit, *habent auxilium sufficiens, dicuntur posse salvari per potentiam proximam & formalem, quæ in ipsis est. Qui autem nullo modo auxilium habent sufficientis gratiæ, dicuntur posse salvari per potentiam quæ est in Deo, qui potest eis auxilium tribuere, quo salventur, & per remotam potentiam liberi arbitrii, quæ illud auxilium à Deo recipere potest.* Hac solutione palam utuntur, qui dicunt talem quandoque obduratos quosdam & excæcatos, in pœnam præcedentium peccatorum, omni prorsus supernaturali auxilio destitui; quos tamen fatendum est, omni instanti, quamdiu sunt in via, posse converti, juxta jam relatam Thomæ Lemos expositionem, quæ inter Theologos satis communis est ac vulgata, utpote ex S. Thoma deprompta prorsusque conformis doctrinæ Lovanien. ac Duacen. in Censuris suis, ac Justificatione Censuræ Lovaniensis.

CONCLUSIO.

HÆc est genuina Lovaniensium Theologorum, de gratia Christi doctrina, quam ut suæ per omnia conformem & à Jansenismo, seu damnatis ab Ecclesia quinque propositionibus, toto cælo distantem facile agnoscunt, post Thomam Lemos præstantissimi quique hujusce temporis Thomistæ.

Difficilius hoc videri Lessii Discipulis, non adeò mirum est, cùm ab initio hujus controversiæ palam professi sint, se nec Lovaniensium nec Thomistarum doctrinam à Calvinismo distinguere posse. Utinam brevi Christus tollere dignetur è cordibus eorum præjudicia, quibus fit, ut ad has veritates hactenus caligent, excussâque maturo examine doctrina prædictorum Theologorum, tandem ex Oraculo Sedis Apostolicæ discat Orbis Christianus, sanam prorsus & orthodoxam esse doctrinam de gratia per se efficaci, nec aliam propugnari ab iis, qui hucusque a Molinistis tanta animositate, totque artibus vexantur, & traducuntur. Ita voveo.

MONITUM.

Excusa jam Superiori Censurarum Defensione adversùs Parallelum Verum & Falsum venit in mentem, non paucis gratum fore si Parallelus ipse integer hoc loco ederetur in lucem. Illum igitur totum repræsentamus; ne ex partis alicujus detractione fraudem quis suspicari amet.

PARALLELUS THOMISMI

VERI & FALSI.

VERUM appellamus eum, quem celeberrimi Doctores ex Ordine S. Dominici exposuerunt in disputatione de auxiliis: FALSUM, quem exponunt Lovanienses ac Duacenses in suis CENSURIS ac JUSTIFICATIONE.

NUllus Catholicus potest dubitare de illa divisione auxilii, in auxilium sufficiens & auxilium efficax.

Alvares disp. 71. de aux. n. 2.

App. Hist. Cong.

Hæc sufficientis auxilii assertio ex Massiliensium, & ex ipsius Fausti (qui contendit gratiam à Deo omnibus offerri & ingeri) doctrina & placitis est deprompta.

Cens. Duac. ad Ass. II. pag. 87.

PARALLELUS THOMISMI.

VERI & *FALSI.*

Deus quantum est ex parte sua paratus est omnibus gratiam dare.

Idem disp. 3. n. 7.

Multi peccant eo quod desint gratiæ.

Petr. Ledesma de aux. art. 13.

Etiam Pharao habuit multa auxilia, quibus potuit credere & converti.

Did. Nugnes Cabezudo tract. de aux. tom. 2. ad art. 1. q. 86.

Gratia Christi non est à bono usu sejuncta, sed facit hominem bene uti oblatis salutis occasionibus.

Justific. Cens. Lovan. §. 164.

S. Aug. & D. Thomas non intendunt negare conferri à Deo sufficiens auxilium, etiam obduratis & excæcatis, ut à peccato resurgant.

Joa. Paul. Nazar. ad q. 23. 1. p. art. 3. Controv. 2.

Augustinus, gratiam nostri status à primi hominis gratia accurate disjungens, non solùm ei tribuit posse si velimus, sed facere etiam ut velimus.

Cens. Lovan. ad Ass. X. pag. 36.

Ex iis ergo confutatur error Lutheri & error Calvini negantium istam divisionem, & dicentium, nullum habere auxilium sufficiens, qui non habeat etiam auxilium efficax, ut salvetur.

Balolaz. Navarr. tom. 2. Contr. ad q. 19. art. Contr. 12.

Gratia ad conversionem sufficiens ipsa convertit, quæ verò non convertit non sufficit.

Justific. Cens. Lovan. p. 176.

Constat Judæos, quos reprehendit Dominus, gratiam efficacem non habuisse: habuerunt autem verè sufficientem per quam converti potuerunt.

Alvarez disp. 71. n. 3.

Ut peccator possit converti necessarium est ut recipiat specialem Christi gratiam, quâ non sola possibilitas, sed ipsa quoque operatio confertur.

Cens. Lovan. ad Ass. VIII. pag. 31.

Si non daretur gratia verè sufficiens, non posset illis, qui non convertuntur imputari ad culpam, quod non converterentur, nec adimplerent divina mandata; & consequenter Deus irrationabiliter conquereretur de illis, & sine causâ illos increparet.

Alvar. disp. 75. n. 2.

Fatendum est nullum peccatorem converti posse nisi per specialem Christi gratiam, seu speciale auxilium: quod auxilium non habet, nisi cùm actu convertitur.

Cens. Duac. ad Ass. XV. pag. 124.

Fides est ita, ut oppositum sit hæresis manifesta, quòd omnis homo, dum est in via, & compos rationis, potest simpliciter loquendo pœnitentiam agere de peccatis, atque adeo omnibus dantur auxilia sufficientia, ut possint pœnitere.

Did. Nugnes Cabezudo in 3. p. tom. 2. ad 36. art. 1.

Nullus infidelis credere poterit, nisi per gratiam quam eum non habere, dum infidelis manet, perspicuum est.

Cens. Duac. ad Ass. XIV. pag. 124.

Quilibet

PARALLELUS

THOMISMI

VERI & FALSI.

VERI

Quilibet homo viator habet auxilium gratiæ necessarium & sufficiens ad salutem consequendam.

Joan. Paul. Nazarius ad quæst. 23. art. 3. contr. 2. V. Ledesma art. 1. de auxiliis.

Cabezudo q. 2. in 3. par. ad art. 1. 986.

FALSI

Scripturâ teste nec pro omnibus Christus orat Patrem, nec omnes Christo dati sunt à Patre, non omnes ergo habent sufficiens auxilium ex parte Dei ad salutem consequendam.

Cens. Duac. ad Ass. 2. pag. 83.

VERI

Deus nolitione formali vult beatitudinem reprobo quamdiu existit in gratia.

Alvarez disp. 34. n. 5.

Quamdiu quis manet in hac vita exclusus non est à remedio salutis æternæ.

Gonz. de Albeda disp. 73. in leg. 3. n. 24.

Electio efficax aliquorum non est contraria ullo modo sinceræ voluntati & generali, qua vult Deus omnes homines salvos fieri.

Idem disp. 73. in 1. sect. 3. n. 24.

FALSI

Deus absoluta voluntate constituit hunc hominem excludere à Regno ante omnem prævisionem meritorum.

Cens. Lovan. ad Ass. XXIX. pag. 58.

VERI

Christum satisfecisse pro omnibus quantum ad sufficientiam, & dedisse omnibus auxilium sufficiens, ut agant pœnitentiam. Illuminat igitur omnem hominem quæ verba intelliguntur etiam de illuminatione supernaturali.

Did. Nugnes Cabezudo tom. 2. in 3. par. ad art. 16. q. 86.

FALSI

Sufficientia quam postulat generalis Redemtio in pretio Sanguinis Christi est, non autem in auxilio omnibus collato.

Cens. Duac. ad Ass. VII. pag. 99.

VERI

Parvulis omnibus providit Deus auxilium supernaturale sufficiens, non tamen in seipsis, sed per alios.

Joan. Paul. Nazar. ad q. 23. art. 3. contr. 2.

FALSI

Quamquam dici possit sufficiens pro parvulis institutum remedium; dici tamen non potest, id eos habuisse, quod nec in sua, nec in suorum habuerunt potestate: unde perspicuum est tale salutis impedimentum Dei judicio verissimè imputari.

Cens. Lovan. ad Ass. XVI. XVII. pag. 43. 44. & ad Ass. XXIX. pag. 58.

VERI

Est necessarium ponere tale auxilium, dans sufficientiam, & posse, quia ad potestatem, & vim operandi non sufficit ipsa capacitas obedientialis, quam habet naturalis potentia, ut elevetur ad opera supernaturalia, sed requiritur facultas

FALSI

Ut homo possit converti, non requiritur ut habeat gratiam sufficientem eo ipso tempore quo posse dicitur, sed satis est si habere illam, & obtinere quæ sufficiat, possit: quomodo homo dicitur posse manducare panem, etiam cum pa-

PARALLELUS THOMISMI

VERI & *FALSI.*

proxima & proportionata ad operandum.

Joan. à Sancto Thom. in 1. par. quæst. 23. disp. 10. art. 3. num. 27.

Hic est verus THOMISMUS, quem Societas Jesu profitetur à se non posse notari ullâ censurâ.

nem non habet, neque etiam quicquam, unde sibi panem compararet: ut etiam dicitur videre posse, qui non habet lucem, sed in tetrum carcerem conjectus est, quamvis sine luce victurus sit nunquam.

Justif. Cens. Lovan. §. 177.

Hic est falsus THOMISMUS, quem Societas Jesu fatetur non posse se à Jansenismo distinguere, ita verò fatetur post Eminentissimum Cardinalem d'Aguirre, qui adductis quàm pluribus tum Censuræ tum Justificationis Lovaniensis testibus, *Vide*, inquit, *si doctrinam hanc possis ullomodo internoscere, aut quoquomodo distinguere ab illa Janseniani fulgurii* Defens. Cathed. Petri disp. 21. sect. 4.

X X.

DECRETUM

Illustrissimi Archiepiscopi ac Ducis REMENSIS PRIMI FRANCIÆ PARIS, &c.

Ad Paragraphum 4. Præfationis tit. de Auxiliis.

Instar Institutionis Pastoralis, Ad Facultatem Theologicam Universitatis Remensis directum

Occasione duarum Thesium Theologicarum in Collegio Societatis ejusdem urbis habitarum, diebus 5. & 17. Decembris, anni 1696.

Ex Gallico Idiomate latinè redditur.

CAROLUS MAURITIUS LE TELLIER Dei gratiâ Archiepiscopus Dux Remensis, Primus Par Franciæ, Regiorum Ordinum Commendator, Regii Sacelli Præfectus, Sorbonæ Provisor &c. Venerabilibus Viris, Decano, Magistris, & Baccalaureis, Facultatis Theologicæ Remensis, Salutem & Benedictionem.

Carolus Cardinalis à Lotharingia; seculi superioris insigne decus, ac noster quondam in Archiepiscopatu decessor meritissimus; cùm novam perantiquæ Sanctissimæque Metropoli, (unde Regibus Christianissimis totique Galliarum Regno fidei lumen affulsit, cœlestibusque in sacra sua Inunctione benedictionibus irrigantur iidē Augustissimi Principes) lucem adderet; à Paulo III. Pontifice Maximo, annuente Hen-

Henrico II. veniam obtinuit anno 1547. erigendæ in hac urbe Remensi studiorum Academiæ. Hanc ille expeditiorem viam existimavit, qua in diœcesi sua divinas atque humanas litteras promoveret, suisque deinceps successoribus, atque adeò & nobis, eruditos suppeditaret, qui in ferendo ex alto nobis imposito onere, adjumento esse possent. Non illum spes vana fefellit. Ab annis quippe supra viginti quinque, quibus istud gerimus onus, non exigua nobis Academia hæc adjumenta contulit; cui & nos quo potuimus studio decus addidimus, magnaque identidem dedimus benevolentiæ & existimationis argumenta.

Nos itaque, quibus ex Pastoralis Officii debito convenit servare depositum fidei; quique ex ejusdem Academiæ fundatoris, & Præpositi titulo, tenemur maximè sanioris doctrinæ fontem, unde in Seminaria nostra totumque Clerum cumulatè diffunditur, purum & illibatum custodire: dissimulare nequaquàm possumus, quid de duabus periculosis Thesibus sentiamus, quæ in Jesuitarum hujus urbis Collegio, diebus 5. & 17. Decembris, anni proximè elapsi, propugnatæ sunt.

Silentium nostrum, hac dubio procul occasione exciperent universi, uti tacitam Molinianæ doctrinæ * approbationem, quam unam circa divinæ gratiæ quæstiones ab Ecclesia catholica comprobatam exhibent prioris Theseos Defensores. Quin etiam ea ipsa exprobrari nobis, si quidem taceremus, meritò possent, quæ quondam Cœlestinus Papa Episcopis Gallicanis objecit, de Presbyteris Massiliensibus sermonem habens, quos Prosper & Hilarius coram Apostolica Sede traduxerant: *Timeo ne connivere sit hoc tacere..... In talibus causis non caret suspicione taciturnitas, quia occurreret veritas, si falsitas displiceret.*

Tom. 2. Conc. gener. Edit. noviss. p. 1612.

Absit ut hæc in nos probra concitare velimus. Immò verò officii nostri putamus esse, in harum Thesium Autores animadvertere, ut tandem ipsi aliquando sentiant, altam illam quam de Molina suo opinionem ebibere libuit, non illos tamen eo usque efferre debuisse, ut indebitas ei laudes tribuerent, doctrinamque ex sola Ecclesiæ tolerantiâ permissam, Augustinianæ ab Apostolica Sede adeò solenniter comprobatæ, privatâ autoritate præferrent. *Ergo corripiantur hujusmodi*, prosequitur Cœlestinus de Presbyteris Massiliensibus, ad eosdem Gallicanos Episcopos, *nec sit his liberum pro voluntate habere sermonem.*

Ibidem.

His de causis, ac ne Theses illæ erroris ansam fortasse præbeant, hac vos Institutione Pastorali muniendos existimavimus.

Harum Thesium prima sic habet, in prima tertiæ Columnæ Positione, quæ est De sententia Ludovici Molinæ. *Doctrina Ludovici Molinæ, aliorumque Theologorum, qui concordiam libertatis humanæ cum gratiâ divinâ ope scientiæ-mediæ tradere enucleatiùs tentarunt, ita ab errore Calvini, aliorumque hujus ætatis sectariorum recedit, ut ad opinionem Pelagianorum nullomodo accedat. Et ideo tam validè impetita, toties à diversi generis hostibus impugnata, & coram summis Pontificibus tam diligenter agitata, tanquam aurum in fornace probata, purior inventa est, ut ait Maurolicus, & cum honore ex tot disputationum fluctibus emersit.* Quæ sanè Molinianis opinionibus commendandis usque adeò honorifica verba sunt, ut illustriora in iis attollendis usurpari nequaquam possent, si illas solenni judicio Ecclesia comprobasset.

Verùm statim atque Molinæ liber, Ulissippone typis editus anno 1588. * publici juris fuit, magnos in Hispania tumultus opinionum novitate concitavit. Intercessit universus Prædicatorum Ordo, ac singulari zelo pro avita doctrina pugnavit.

De Concor. lib. arb. cum gratiæ donis &c.

* Hæc eadem Editio indicabitur in hocce Mandato.

Thomas de Lemos, Doctor, tot inter alios quos isto ac priori seculo peperit Ordo ille, præstantissimus, fidem facit, hunc Molinæ librum, Theologos quibus pietatis ac Religionis sensus inerat, usque adeo commovisse, ut etiam è Societate vir celebris Henricus Henriques, * prolixam in eum Censuram ediderit: ubi post expensas gravissimisque censuris confixas propositiones illius quinquaginta duas, ita demum de toto libro universim pronuntiabat, *Licet Autor admittendus videatur, ut apud Censores fidei purget se de vehementi suspicione, & intentione hæresis Pelagianæ, cui sæpè favet, & admonitus non desistit; liber tamen dignus est ut omninò prohibeatur: nec enim purgari potest; cùm passim infinitis locis scateat periculosis & erroneis doctrinis. &c.... In illa nova doctrina*, addit Henriques, *quam in præfata Concordiâ Autor sibi arrogat, asserit etiam Sanctos Augustinum & Thomam, & reliquos Patres, immò & Pelagium aliosque hæreticos, si advertissent illam, fuisse sibi consensuros. Insuper haud satis modestè de Patribus & Theologis loquitur: quin immò illorum sententias, quas ipsi certas & indubitatas asserunt, ait Autor iste periculosas esse, & errorum occasionem, immò tollere liberi arbitrii libertatem, & nec ab illis, nec à Conciliis fuisse veritatem de Prædestinatione & Gratia atque libertate arbitrii declaratam*,

In Panoplia gratiæ tom. 1. par. tract. 6. cap. 2.

* Is erat Theologiæ Doctor & Professor in Academia Salmanticensi

declaratam, aut planè intellectam, antequam ipse hunc librum conderet. En, inquit Lemos, Henriquesii de Molinæ libro Judicium.

Addit eruditus Dominicanus, se multò duriora Jesuitæ hujus de Concellità suo, verba silentio mittere, ne injuriam illi videatur inferre. Subjungit idem ille, Episcopos bene multos, ac ipsam quoque Salmanticensem Academiam, hunc ipsum Molinæ librum Censurâ notasse.

Tom. 4. lib. 4 par. 1. tract. 4. cap. 34. Et tom. 1. 2. pa. Tract. 5. cap. 35.

Ut excitatæ turbæ, quarum infaustum in Hispaniis exitum timebat Philippus II. opportunè silescerent, ad Apostolicam Sedem provocatum est, quæ gravissimæ causæ cognitionem Romam ascivit. Nullo porrò publico Instrumento liquet, Romanos Pontifices Clementem VIII. & Paulum V. qui Autoris hujus doctrinam, variis Congregationibus illorum autoritate, ac sæpiùs ipsis præsentibus, celebratis, examinari curarunt, latas in Hispaniis contra Molinæ librum Censuras atque judicia rescidisse, vel in suspenso posuisse: nulláque ratione evinci potest, Pontifices illos, Molinianis opinionibus casu aliquo adfavisse. Quin potiùs certo certius est, eas illis & novas & Sanctis Patribus repugnantes, visas esse, ac potissimùm Augustino, cujus principiis, in novi Systematis Moliniani examine, inhærendum voluere. Noverant quippe decessores suos, de quibus nobis postea sermo erit, significasse sæpiùs, Romanam Ecclesiam Sanctissimi viri doctrinam, circa divinæ gratiæ & liberi arbitrii quæstiones, omnibus retrò seculis approbasse, coluisse, excepisse.

Quod hic de Summorum Pontificum Clementis VIII. & Pauli V. dum Congregationes de Auxiliis haberentur, animo ac voluntate dicimus, probata res est atque omnibus nota. Nemo est, qui Clementis VIII. in retinendis servandisque Prædecessorum suorum definitionibus, studium inviolatum & ardens, vertere in dubium possit, ex quo nobis eruditissimi Cardinalis Baronii testimonio certò constat. Is quippe in Epistola, quam hoc seculo ineunte, ad Viennensem Archiepiscopum dedit, fidem facit, hoc Beatissimo Patri in proposito fuisse, hoc in voto, hoc in decreto, ut nec latum unguem à vestigiis Prædecessorum recederet, sed iisdem insisteret quàm firmissimè. Addit subinde eundem Clementem VIII. *scivisse planè, tot Sanctos Pontifices, Innocentium, Sixtum, Cœlestinum, Hormisdam, ac denique Felicem (cujus sunt Canones Arausicani Concilii) hoc professos suis scriptis esse, atque testatos, Romanam Ecclesiam in iis quæ spectant ad gratiam & liberum arbitrium, sequi semper consuevisse S. Augustinum.* Ac demùm ultimò concludit, *Hormisdam tot id verbis attestari, ut alio judicio opus non sit*; cùm jam in rem præjudicatam abierit.

In ea nihilominus Thesi, quæ die 5. Decembris propugnata est, hoc Defensoribus studium fuit, ut Molinæ doctrinam approbationis veluti sigillo munitam venditarent: eamque non modò cum Augustinianâ, tot Ecclesiæ commendationibus illustri, conferre fuit animus, sed & eam arrogantiùs efferre.

1. Posit. 3. columna.

Equidem Clemente VIII. ad superos vocato, Paulus V. (cujus consilia introspicere religio nobis est) meditatum Judicium in suspenso posuit, & in commodiorem tempestatem consultò distulit. At nemo inde, citrà temeritatis notam, propterea colliget, probatum idcirco fuisse librum illum, de quo tam diu fuerat deliberatum. Post tam diligentem motæ litis tractationem, silentium Romanorum Pontificum approbationis loco jactare velle, hominum est nimis audacium; qui Sedem Apostolicam Protestantium calumniæ committunt qua eam de contemtâ jam tandem Augustinianâ doctrinâ, novisque Molinæ inventis in animum inductis accusant.

Quare quantumlibet hujusce Thesis Autor in despicienda futilique Maurolici sui autoritate fidem ponat, ferre nullatenus possumus, eam immoderatis adeò laudibus doctrinam efferri, quæ ex ipsa sui origine, sinistræ, ut minimum, suspicionis labē incurrit: quod & ex antedictis, & ex probatissimorum hujus ætatis Scriptorum suffragio perspicuum est: maximè verò ex Cardinalis Baronii, cujus acre judiciū magni apud omnes pōderis est, Epistolâ paulò ante laudatâ.

Significat statim ab initio meritissimus Cardinalis, se Molinæ libros non sine stomacho legisse; in quibus nihil potentius præ se fert, *quam S. Augustino adversari; quanquam sanctum nunquam nominet.* Addit Baronius, eò usque temeritatis venisse Theologum illum, ut Augustinum oscitantiæ redarguat, seque in illis disputationibus vigilantiorem perspicacioremque jactet. *Quis possit talia loquentem absque nausea tolerare?* Subjungit præterea, se ad quinquaginta & amplius propositiones notasse, verba, Phrases, *erroribus Pelagianorum sive Semipelagianorum affines*; nec id ab ullo negari omninò posse, qui Molinam absque privato affectu perlegerit. Quid mitius iis de Molinæ lucubrationibus sentiret, hoc extremo judicio expressit: *Quid Ecclesia Dei in-*

indiget hujus Molinæ libris, ut discat quæ à tot Sanctis Patribus, Conciliis, atque Decretis, jam ante tot secula dicitur & docuit?

Tota hæc Epistola, quæ anno 1603. data est, pendentibus scilicet Congregationibus de Auxiliis, nec non sub Clementis VIII. Pontificatu, qui Baronium anno 1596. ob egregia pietatis & eruditionis merita, Sacris Infulis ornaverat, paucis adeò nota est, tanti tamen hac in parte ponderis habenda venit, ut eam ad hujusce decreti calcem, ex integro referendam putaverimus.

Nihil necesse est, ut in hac Editione, Epistola hæc, ad hujus Decreti calcē referatur, cum integra relata jam fuerit. *lib.* 1. *cap.* 14. *pag.* 63.

Id observatione dignum occurrit: Molinam damno suo de propria doctrinâ decretorio quodam modo præjudicasse; dum eam & novam & Ecclesiæ ignotam hactenus fassus est. En ejus verba: *Quæ si data explicataque semper fuissent, forte neque Pelagiana hæresis fuisset exorta, neque Lutherani tam impudenter arbitrii nostri libertatem fuissent ausi negare; obtendentes cum divina gratiâ, præscientiâ & prædestinatione, cohærere non posse: neque ex Augustini opinione, concertationibusque cum Pelagianis, tot fideles fuissent turbati, ad Pelagianosque defecissent: facileque reliquiæ illæ Pelagianorum in Gallia, quarum in Epistolis Prosperi & Hilarii fit mentio, fuissent extinctæ.* Quid plura? In altera Concordiæ suæ Editione, quam anno 1595. novis additamentis auctâ typis dedit Antverpiæ, eò devenit audaciæ ut scriberet, *D. Augustinum sub ea quasi caligine* positum, ad hoc non attendisse: scilicet, *Fuisse Prædestinationem & reprobationem non sine præscientia qualitatis usus liberi arbitrii.*

In Conc. qu. 29. *art.* 4. *disp.* 1. *membro ultimo.*

Quæst. 23. *art.* 4. & 5. *disp.* 1. *membro* 6.

Hinc experiri licet, quo lumine quibusve præsidiis defraudatam Ecclesiam existimaret autor ille; donec ipse mundo illuxisset, suaque inventa fidelibus eructasset. Quis inauditam adeò impudentiam æquo animo ferat, qua sese in Sanctissimos divinæ gratiæ defensores audaciùs effert, ac præsertim in Augustinum, quem pro enodanda tanti Mysterii altitudine; datum cælitùs Romana semper agnovit, & commendavit Ecclesia? In suum certè caput ea loquendi ratione pronuntiat Molina, suoque se gladio ferit dum hæc habet. Nec verò quod subinde addit, præconceptæ de se vanæ fiduciæ, & arrogatæ sibi præ omnibus Ecclesiæ Patribus, exponendarum divinæ gratiæ quæstionum dexteritatis, opinionem eluunt, sed veriùs augent: *Nec dubito, quin ab Augustino, & cæteris Patribus unanimi consensu comprobata fuisset hæc nostra de Prædestinatione sententia, ratioque conciliandi libertatem arbitrii cum divina gratiâ, præscientiâ, & prædestinatione, si iis proposita fuisset.*

App. Hist. Cong.

Tantùm igitur abest, ut Molinæ doctrinam, velut Ecclesiæ approbatione dignam excipere liceat; quin potiùs illum ipsum, velati virum propriis figmentis, cæterorum novatorum more delectatum habere necesse est, ejusque doctrinam infaustâ novitatis & audaciæ labe, ab ipso sui Autore notatam exsibilare. Id dubio procul compertum habebit, quisquis verba ejus paulò attentiùs observabit: *Longior*, inquit, *fui in hac disputatione quam optaram... quia res est magni momenti, ac veluti lubrica & hæc nostra ratio conciliandi libertatem arbitrii cum divina Prædestinatione, à nemine quem viderim huc usque tradita est.*

Typhanius Molinæ Sodalis, ac Theologus præstantissimus, hanc illi de novo invento gloriationem eripit, dum de scientia media, quam cumulatè tractavit, ita pronunciat: *Scientiam-mediam rejicimus, non ut erroneam aut in fide periculosam, sed ut falsam, ut novam, ut nullum solidum in Scriptura, in Sanctis Patribus, in S. Thoma, aliisque vetustioribus Theologis fundamentum habentem: ut superfluam ad Sacræ Scripturæ intelligentiam; ut inutilem ad humanam libertatem tuendam, aliasque difficultates Theologicas expediendas.*

Lib de Ordine, deque priori & poster pag. 204. *edito Remis ann.* 1640.

Petavius Sodalium alter sapienter observat scientiam illam mediam priscos Ecclesiæ Patres latuisse; eâque ne vel unum difficultatum omnium enodari, quibus defensores ejus Augustinianam doctrinam obsideri ac laborare, sibi putant.

Tom. 1. *dogmat. Theol. lib.* 4 *cap.* 8 *n.* 2. & *lib.* 9. *c.* 15. *n.* 6.

Qui Molinæ doctrinam Jesuitas inter amplexi sunt, altiorem opinionis ejus originem repetere; eamque ex Sanctorum Patrum, atque etiam D. Augustini fontibus derivare moliuntur: quod & nunc hujusce Thesis autor adnititur. At usque adeò petitis ex Sanctissimo Doctore probationibus parum fidunt; ut Suares ipse, primi inter illos subsellii Theologus, qui Molinæ in explicandâ divinæ gratiæ efficaciâ conciliationem amplexus est, eam à Sancto Augustino, *nunquam satis expressè declaratam*, fateri demum coactus sit. Cujus quidem (quod stupendum magis) rationem affert, *Quia res est*, inquit, *difficillima & ab humanis sensibus remotissima.* Interea dum is * infallibilis divinæ gratiæ efficacitatis rationem, nusquam satis ab Augustino expressam obtendit, mittendus profectò est, ad ea Sanctissimi Doctoris loca propemodùm infinita, quibus eam in suavi atque victrici delectatione positam docet; qua Pater eorum corda perfundit,

Lib. 3. *de Conc.* & *auxil effic. cap.* 14. *Editionis Moguntinæ anni* 1619. *p.* 133.

* Unde habeat talis vocatio hanc efficacitatem ut infallibiliter hominem trahat ad

bb quos

consentiendum Augustinus nunquam satis expresse declaravit, quia res est difficillima & ab humanis sensibus remotissima.

quos, ut loquitur Evangelium, trahit ad Filium. Cæterùm duo hæc ex Suaresii verbis colligere licet: primum, traditam ab eo post Molinam suum, tanti Mysterii expositionem, ab Augustino procul esse: alterum, eum rei ut fatetur difficillimæ explanationem, aliunde quàm ex Sanctissimi Doctoris operibus repetendam existimasse.

Ultra eam Molinæ ejusque Sectatorum confessionem, quà vel unà suspecti fiunt; dum in re solis Scripturæ Sacræ ac Traditionis legibus definiendâ, novitatis suo ipsorum testimonio convincuntur. Id potissimè notandum venit, Molinæ doctrinam tot aliunde erroribus infici, ut quibus ab hujusce Thesis autore coronatur laudibus, indigna prorsus haberi debeat. Certum quippe est, Molinam non casu & obiter, sed ex instituto conceptissimisque articulis hunc in Concordiæ suæ libro Semipelagianorum errorem astruere: Deum iis gratiæ suæ dona largiri, qui nativis arbitrii viribus adnituntur. Quocirca sic suam ille sententiam exponit: *Facienti quod in se est per naturæ vires, Deus non denegat gratiam. Quotiescunque liberũ arbitriũ ex suis viribus naturalibus, conatur præstòve est ad conandum totum id quod ex sese potest, tam circa ea quæ fides habet addiscenda & amplectenda, quàm circa dolorem de peccatis ac Justificationem, à Deo confertur gratia præveniens, auxiliave quibus id faciat ut oportet ad salutem.*

Quæst. 14. art 13. disp. 10.

Quo Molinæ principio constituto, sponte fluit ille ipse Pelagii quondam error, quem is in Concilio Diospolitano ejurare jussus est; suæque deinceps hæreseos caput Semipelagiani posuerunt: gratiam scilicet prævenientem nativis liberi arbitrii conatibus præveniri. Equidem Molina ejusque Concordiæ fautores, à *meriti* vocabulo prorsus abstinent. At nec ab eo quoque vocabulo reticendo procul abessent Massilienses, modò (quovis tandem id titulo liceat) salutis exordium ac ipsa Justificationis prima radix, nativis liberi arbitrii viribus adscribantur. Ea siquidem arte, nullo negotio eluderentur, quæ nos Scripturæ Sacræ Majorumque Traditiones de gratuita divinæ gratiæ vocatione docuerunt.

Tom. 2. Concil gener. pag. 1519.

Sanctissimus Pontifex Leo, cognomento Magnus, qui horum hæreticorum versutias adeo feliciter internovit ac profligavit, non absimiles illorum artes eleganter expressit dum ait, Pelagianos callidà simulatione, reprobare in speciem solitos esse odiosas minusque ab Ecclesia probatas loquendi rationes; modò tota arte fallendi doctrinæ suæ caput in tuto ponerent; gratiam scilicet Dei secundùm merita nostra dari. Meritò certè systema suum, Augustini ætate prorsus ignotum dixit Ludovicus Molina. Sua sanè Pelagiani verba paulò aliter composuissent, tacitâque *meriti* voce, ac datâ Molinæ dexterâ, gratiam Christi, sin minùs nativis conatibus virtutibusque promeritam; iisdem saltem indivulsam, & humanæ industriæ pedissequam prædicassent. Verùm etsi Pelagiani, verbis ita paululum immutatis, in Molinistarum castra venissent; non illos idcircò Leo magnus, non illos sui temporis Ecclesia suscepisset. Quas etenim Ecclesia dotes postularet, ut Pelagianismi notam quis effugeret, ab Leone Magno discere licet. *Nisi gratis detur*, inquit ille, *non est gratia, sed merces retributioque meritorum: dicente B. Apostolo, GRATIA salvati estis per fidem, & hoc non ex vobis, Dei enim donum est: extollatur non ex operibus, ne fortè quis.* Cum itaque gratiam gratis datam fateri necesse sit: hoc est, Dei (ut loquitur Canon 6. Concilii II. Arausicani) misericordiâ collatam, non nativis liberi arbitrii conatibus, unde gloriari homo posset, obtentam: quisquis gratiam Dei quovis quæsito diverticulo, humanis conatibus virtutibusve naturalibus certò dari profitetur, Apostolo, Augustino ejus interpreti fidelissimo, Leoni Magno, ac toti demum Ecclesiæ contradicit. *Gratiam Dei sic confiteatur, qui vult veraciter confiteri, ut omninò nihil boni sine illa, quod ad pietatem pertinet veramq; Justitiam, fieri posse non dubitet.*

In Epist ad Aquil Episc. in Appen. ad tom. 10 S. August. p. 136.

Cum omnes definitiones suas ad subrependi facilitatem improbare se simulent atque deponere, hæc tibi tota arte fallendi, nisi intelligantur, excipiunt, ut gratia Dei secundùm meritum dari accipientium sentiatur.

Epist. 86. ad Aquil. Episc.

S. Aug. lib. de gratia Christi cap. 26.

Suis satis implicitus retibus hæreret prioris hujus Thesis Autor, si Molinæ sententiam naturæ plus justo faventem, à Semipelagiano errore, quam tertia positione tertiæ Columnæ delineat, se cernere vellet *. Et verò qui non piam dumtaxat credulitatem, sed & ipsam etiam fidem supernaturalem, cæterasque gratias omnes, nativorum liberi arbitrii conatuum comites ac pedissequas individuas agnoscit, is-ne hoc in capite Semipelagianis tolerabilior? Nihil æquè Sacris litteris veterique Traditione expressum occurrit, ac generalis humanæ naturæ ex Protoparentis peccato contracta corruptio, & Redemtricis gratiæ secuta necessitas. Tota hinc naturæ simul & gratiæ Mysteriorum enodatio repetenda. Fidei dogma est, universa sauciati hominis desideria, cogitationes, affectus, sponte suâ in malum ruere, nisi divinæ gratiæ adjutorio reparetur: Non esse nos sufficientes, ut Apostolus loquitur, cogitare aliquid à nobis quasi ex nobis, bonum aliquid quod ad salutem

*In eo Semipelagiani errarunt quòd ad aliquam piam credulitatem, quæ esset initium salutis, vires liberi arbitrii sufficere dicerent.

1 Gen. cap. 6. v. 5 cap. 8. v. 21.

2 Cor. cap. 3.

Concil. II. Arausic. can. 7. salutem pertinet æternæ vitæ cogitare non posse: Omnes declinasse, simul inutiles *Psal. 13. v. 3. & seq.* factos esse; non esse qui faciat bonum, non esse usque ad unum. Qua itaque sorte, in corruptæ adeò & inquinatæ naturæ sinu eas dispositiones comminisci Molina potuit; eamque (ut infra videbitur) laudabilem fidem tametsi minimè supernaturalem; caritatem illam & contritionem, illos uno verbo liberi arbitrii conatus ingenitos, quibus supremâ veluti potestate, supernaturalem gratiam adpromittit? Ea *Ad Rom. cap. 3. v. 9. & seq.* humanæ naturæ generali corruptione, toties ab Apostolo prædicatâ permoti Arausicanæ Synodi Patres; vivisque Sacrarum Scripturarum luminibus, ac ipsis, ut ita dicamus, tractabilibus cordis humani tenebris, insigniter eruditi, dignam illam protulere sententiam: *Nemo habet de se nisi mendacium & peccatum.* Qua ergo nunc fronte dicat aliquis, hominem ingenitâ sibi labe excæcatum atque corruptum, ac sua etiam cæcitate & corruptione delectatum, nativis ad Justificationem & salutem viribus adeò feliciter eniti atque conari, ut ex certa lege supernaturalis gratia consequatur? *Ergone*, clamaret attonitus Augustinus, si attritas illas jam pridem fanaticas opinationes ætate nostrâ recoqui cerneret, *Lib. de gra. Chr. c. 23* *ut perveniatur ad adjutorium Dei, ad Deum curritur sine adjutorio Dei?* Sed & quid tandem sibi volunt, qui nativas liberi arbitrii vires, Molinâ duce, sic efferunt? Quid *In eadem Epist. ad Aquil. Episc.* aliud illi moliuntur, nisi (quod Leo Magnus observat) occultâ dexteritate originalis peccati labem obtegere; inflictum vulnus, quo vel uno humana superbia contundi potest, mortalium oculis studiose præripere: negati demum Originalis peccati (quod de iis existimare pronum est) aut certè minùs ab illis agniti suspicionem ingenerare?

Bonorum operum donatio.... abstitis ideo per naturalem industriam dicitur præveniri, ut quæ ante gratiam proprio clara fit studio, nullo videatur peccati originalis vulnere sauciata, falsumque sit quod Veritas ait: Quoniam Filius hominis venit quærere & salvare quod perierat.

Neque verò evanidis conjecturis ducimur, dum generalem humanæ naturæ depravationem à Molina minimè cognitam suspicamur. Hunc si audiamus, ingenitæ naturæ vires, tales in homine lapso mansere, quales illas essemus in puris naturalibus habituri, nullo Originis vitio sauciati. Amissa quidem in Adam supernaturalia dona profitetur, at nihil ultra mali ex Adami peccato derivatum agnoscit. *

Non eum latere quidem poterat, nec re ipsa latebat in Scholis & Ecclesia receptum effatum, quam contracti ex Protoparente vulneris gravitas demonstratur; quandoquidem illud post paginam alteram laudat. Nemoque Christianorum est, qui fatali experimento non probet, lapsum hominem, nedum spoliari gratuitis, sed & in naturalibus vulnerari; non secùs ac miserum illum, qui ab Jerusalem descenderat in Jerico: quem Ecclesiæ Patres uti lapsi hominis typum exhibent. Non eum denique synodorum Arausicanæ ac Tridentinæ Canones ab ipsomet laudati latebant, quibus decernitur hominem nedum fuisse donis supernaturalibus spoliatum, verùm & totum secundùm corpus & animam in deterius commutatum.

In Concil. quæst. 14. art. 13. disp. 3.

** Peccatum primi parentis solùm in gratuitis nobis nocuit, & ob id naturalia in nobis & in Angelis post peccatum integra remanserunt, qualia essent suaptè natura, si nullo dono supernaturali fuissent affecto.*

Ibidem. Luca 10. v. 30. Conc Ara. can. 1. Trident sess. cap. 1.

Iis attamen insuper habitis, jactis Principiis Pelagianismo affinibus stat immotus & à Conciliorum testimoniis insulsâ distinctiunculâ expediri se posse putans, veluti futiles Scholarum suarum argutias dissiparet, fidenter pronuntiat, *Concilium Tridentinum & Arausicanum loqui comparatione virium, quas liberum arbitrium habebat, in statu innocentiæ, ex præsentia Justitiæ originalis; non verò comparatione virium quas habuisset, si homo in puris naturalibus esset conditus.*

Heu miseros Pelagianos, tali Magistro atque Doctore destitutos! Quàm feliciter institutore Molinâ definitiones Ecclesiasticas elusissent! Certè non erant illi adeò stolidè amentes, ut eò nunc felicitatis statu positum hominem effutirent, quo fuerat ante peccatum *. Id unum iniquâ & Molinianæ germanâ miseratione commoti sibi finxerant, non ea peccatum Adæ vulnera posteris intulisse, quibus sauciatos se Catholici profitentur, & ingemiscunt. Quid verò prodest, si quod ille, suum inter ac Pelagianum dogma, verbo tenus discrimen afferat. Negat equidem homines ingenitis arbitrii viribus, Christi gratiâ dignos eam ve ulla ratione promereri *: ab odiosis Pelagianorum elocutionibus, quibus Christi mortem (uti eis non semel Patres exprobrant) cassam faciebant, studiosè temperat, quin etiam hominem nonnisi gratuitis, Christique merito partis auxiliis justificari profitetur. Verùm invertit deformatque omnia, integrare dum nititur. Pactum Patrem inter & Christum comminiscitur, Pelagianis cæterisque quos noverimus omnibus ac ipsi etiam Gentium Apostolo prorsus ignotum *. En illud, ut ex Molinæ cerebro prodiit: *Id obtinuit nobis Christus ob sua merita: atque inter leges quas tam ipse quàm Pater æternus statuerunt de auxiliis & donis quæ nobis Christus promeruit merè gratis conferendis, una eaque rationi maximè consentanea fuit, ut quoties ex nostris viribus naturalibus, conaremur facere quod in nobis est, præsto nobis essent auxilia gratiæ, quibus ea ut oportet ad salutem efficere-*

Quæst. 14. art. 13. disp. 3.

** Cum in Palæstino judicio Pelagio fuisset objectum, quòd diceret infantes nuper natos in eo statu esse in quo Adam fuit ante peccatum, negavit se dicere, idque damnavit. S. Aug. lib. 1 oper. imper. contra Julian. num 96.*

** Non quidem quasi eo conatu dignus efficiatur talibus auxiliis, ulla que ratione ea promereatur.*

Quæst. 14. a. 13. disp. 10. p. 44.

** Quid ergo dicemus? Quod*

efficeremus. Ut ea ratione, dum essemus in via, semper in manu liberi arbitrii nostri posita esset salus nostra, per nosque ipsos staret, quod ad Deum non converteremur.

Certè Pelagianos usque adeò obfirmato animo fuisse, nemo dixerit, ut ad eas Molinæ compositiones venire pertinaciter detrectassent. Quid enim re ipsa postulabant? Nisi ut in singulis Adæ posteris, sufficientes naturæ vires admitterentur, quibus gratias omnes (mereri quidem, ne dicamus, quandoquidem Molinam uti & Ecclesiam verbum offendit) adipisci possent, *quoties liberum arbitrium ex suis viribus naturalibus conatur præstò ei est ad conandum.* Quid ultra ad hominis commodum eis erat in votis quàm quod festivè Molina comminiscitur? Ingenitis scilicet naturæ studiis & affectibus gratiam respondere; idque adeò certò & indivulsè, ut ne fidentiùs quidem certiusque adfuturum sibi naturalem & universalem concursum ad promittere sibi possit, quisquis secundùm naturam agere meditatur; quàm adfuturam sibi gratiam, quisquis ad bonum nativis conatibus nititur. *

Gentes quæ non sectabantur justitiam apprehenderunt justitiam, justitiam autem quæ ex fide est. Israel verò sectando legem justitiæ, in legem justitiæ non pervenit. Quare? Quia non ex fide, sed quasi ex operibus. *Ad Rom. 9 v. 30. 31. & 32.*

Quæst. 14. art. 13. disp. 30.

* Sicut semper præsto est per concursum generalem libero arbitrio ut naturaliter velit aut nolit, prout placuerit: ita præstò illi est per auxilium gratiæ sufficiens, ut quoties ex suis viribus naturalibus aggredi voluerit opus aliquod ex iis quæ ad justificationem spectant, illud exsequatur prout ad salutem oportet.

Suis sanè commodis nimis bene consuluissent Pelagiani si in isto tectoque doctrinæ capite, minùs de pristinâ tenacitate, pro Christi gratiâ remisissent, quàm Molina ipse ad liberi arbitrii commendationem, de Ecclesiæ doctrina remiserit. Si etenim res intimiùs attenditur, positis Molinianæ compositionis conditionibus, post tot erecta ab Augustino & Gentium Apostolo divinæ gratiæ tropæa, liberum arbitrium ambitiosiùs triumpharet: ac reluctantibus licet Scripturarum & Traditionis Oraculis, salus hominis, si penes Molinam judicium staret, non à Deo pro arbitrio miserente, * sed ab homine propriis conatibus volente ac concurrente penderet. *Semper*, ait ille, *in manu liberi arbitrii posita est salus nostra.*

* Non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei. *Ad Rom. 9. 16.*

Si sic est, si stant pacta illa conventa, vix ultra nobis est, cum Pelagianis aliqua de re disputandum. Id exemplo compertum erit. Tot inter agitatas olim in Ecclesia controversias, ea sanè gravissima fuit, quæ de peccati originalis transmissione, ejusque vulneribus in Adæ posteros movebatur. Mirum quantùm hæc Pelagianis, nimis pro more suo humanis & indulgentibus stomachum fecerit. Verùm mollescere ac flecti nescia veritas obfuit, ne quid unquàm Ecclesia hac in parte remitteret: maluitque Sacris oraculis erudita, altè de divinæ justitiæ severitate sentire, quam projecta hæreticorum ac licentiorum hominum somnia consectari. Id nobis certò persuasum, nihilo plus Ecclesiæ probari Molinianam de peccato Originali, quàm de divina gratia & prædestinatione sententiam, Pelagianosque lubentibus animis excepturos fuisse.

Quid porro, circa Originalis peccati dogma, veteres illos hæreticos offendebat? Non certè, quòd pueros, pro Regno cœlorum adipiscendo, baptizatos Ecclesia crederet. Explicatius eis Evangelium hoc in capite videbatur, quàm ut in dubium verti posset. Immò nec peccatum Originale, suo tamen arbitratu expositum, fateri Pelagius detractavit, in synodo Diospolitano, ac velut impactam sibi calumniam propulsavit, quod illi à nonnullis exprobrabatur, *Quòd infantes*, juxta ipsum, *etiamsi non baptisentur, vitam æternam habere possint*: errorem hunc ejusque sectatores liberè condemnavit. Qua itaque parte Pelagiani à Catholicis dissidebant? Illâ maximè, qua totius difficultatis cardo vertebatur: quòd videlicet duram nimis & inhumanam opinionem arbitrarentur, quam Ecclesia Scripturâ duce ac vindice Augustino tuebatur; parvulos non modò vitiatam ex Adam originem ducere, nulloque vel minimo ad salutem conatu se ipsis eniti posse; sed & illos æternum damnatum iri, nisi Sacris fontibus expiati, in Christo renascerentur. Augustinum cæterosque Catholicos traducebant, ut iniquos divinæ bonitatis hostes, crudeles, barbaros, Manichæos pro sua in humanum genus miseratione vocitabant. Omnia demû in illos regerebât probra, convicia, maledicta, ut cæca illos & iniqua humanitas concitabat. Quisquis controversias illas penitùs & intimiùs atigerit, eò universâ recidisse, nullo negotio fatebitur. Si Pelagianis dedisset Ecclesia, parvulos minimè cunctos æternis miseriis nullatenus esse addicendos, aut naturali, ut aiunt, felicitate esse potituros; sua satis forte contenti, gradum sine dubio retulissent. At nulla unquam Ecclesiæ vel Augustino, ubi fidei summa vertebatur, compositio probata est. Unus Molina mitioris concordiæ genus commentus est, Catholicis non minùs exosum, quàm Pelagianis acceptum. Quid novus ille dogmatistes, insolita luce perfusus, totâque Ecclesiâ Catholicâ & Augustino longe humanior venditarit, audiamus. *Parvuli reprobati*, inquit ille, *perinde se habebunt, ac si in solis naturalibus fuissent constituti: immo post diem Judicii, cum ipsorum animæ suis fuerint corporibus restitutæ ab omnibus molestiis & ærumnis, quibus in hac mortali vita subjacemus, supernaturaliter libe-*

Aug. cont. Jul. lib. 1. cap. 5.

Quæst. 23. art. 4 & 5. memb. 8.

liberabuntur, melioremque in naturalibus vitam, vitio omni mentis & corporis & immunem, in perpetuas æternitates ducent, quam ullus unquam mortalium duxerit. Quid ergo, ad eas ne conditiones cum Molina descendere Pelagius detrectasset? Si hoc eis non erit malum, à Dei Regno separari, non itaque summum bonum erit Regnum ejus, ajebat olim Augustinus de parvulis sine baptismo morientibus. At Molina adverso in Augustinum animo actus, & amica cum Pelagianis consensione illectus, de gravi supercilio pronuntiat, illos citra inhumanitatis vitium infelices appellari non posse, quos tamen iræ filios appellat Apostolus *. Invito Originali peccato, ac reluctantibus Scripturis & Traditionibus, eos in paradisum deliciarum Molinianis manibus consitum inducit, quos Deus è suo unà cum Adam olim expulit, & procul à facie sua æternùm arcebit. *Meliorem in naturalibus vitam in perpetuas æternitates ducent, quàm ullus unquam mortalium duxerit.*

Cont. Jul. lib. 6. cap. 10. n. 32.

* Eramus natura filii iræ. Ephes. 2. v. 3.

Gratias Molinæ maximas, si tantum in rescindenda Originalis peccati damnatione autoritatis haberet, quantùm ejus in promovenda doctrina sectatores obtinent! Ad Ecclesiæ nihilominus famam, id certò fatendum, Molinæ opinionem nequaquam hoc saltem in capite, ex indulgentia permitti; tametsi Autor ex nomine damnatus non est. Concilium Generale totius Africæ, contra Pelagium & Cœlestium anno 418. celebratum, totius orbis Ecclesiarum, à quibus acceptum est, sententiam dixit: *Si quis dixerit, ideo dixisse Dominum, In domo Patris mei mansiones multæ sunt, ut intelligatur quia in Regno Cælorum erit aliquis medius, aut ullus alicubi locus, ubi beate vivant parvuli, qui sine baptismo ex hac vita migrarunt, sine quo in Regnum Cælorum, quod est vita æterna, intrare non possunt, anathema sit.* Quisquis ergo errorem illum protulerit, sit ille Pelagius aut Cœlestius, sit ille Molina, *si quis dicit*, anathema esto. Ac ne ambiguis duplicis felicitatis voculis difficultatem eludere sibi putet lepidus Cavillator, reliqua Canonis verba ponderet, & ab iis, si quidem potest, sibi caveat: *Nam cum Dominus dicat, Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non intrabit in Regnum Cælorum; quis Catholicus dubitet, participem fieri diaboli eum, qui cohæres Christi esse non meruit?*

In append. ad tom. 10. S. August.

Si quis iis insuper habitis, Molinæ figmentis omni retro tempore ab Ecclesia reprobatis, etiamnum pasci velit; eruditam Dissertationem consulat Theologi celeberrimi, quem eximia merita, & justa Pontificis æstimatio ad Purpuram extulere, invitá ac frendente calumniâ, extrema quæque tentante, adnitente, machinante, ut injectâ infamiâ, dignam tot virtutibus mercedem eriperet.

Card. Henricus de Noris, in Vindicon Aug. cap 3. § 5.

Nobis tamen nullus est animus, functos sine baptismate parvulos, ipsius etiam sensus pœnâ mulctatos decernere. Orbari Deo plus satis æternæ miseriæ loco illis erit. Idque certò cum Augustino statuendum, futuros illos *in omnium levissima atque mitissima damnatione*. At non idcirco dicere licet nisi Pelagianis assentiri velimus, illos minimè miseros, aut etiam quod pejus sonat, felices, ac supra mortalium sortem, feliciores extituros.

Lib 5 con. Jul cap. 11 In Enchir cap 93. lib. de pecc. meri.

Sed ad Thesim, unde divertimus aliquantulum, redeamus. Si Molina iis est laudibus coronandus, quos illi plena manu tribuit, ejus ergo doctrina velut unicè comprobata, excipienda nobis erit, iis saltem in capitibus, ubi sola post Molinæ sententiam exponitur hæreticorum assertio. Rigidioribus Calvinianis quodam saltem pacto concedenda lis erit; qui Sedem Apostolicam tam falsò, quàm impudenter incusant, quasi Augustino relicto ad Moliniana castra transierit: gratulandum & Arminianis, qui Molinam Augustino prætulere: exprobrandum divinæ Gratiæ vindici (uti & Hispanus ille impudentius audet) quòd Ecclesiam turbarit imprudens, veterumque ac recentium hæreticorum partibus inconsultò vires addiderit. Ac demum, quod lugendum magis, dum interim Augustinum despicatui impune habet Molina, erunt nobis fabulæ ejus summâ veneratione suscipiendæ. Mirum! Olli ergo garrire fas erit, Augustino ac Synodis conculcatis, & veluti repercussis, Christi ac Sanctissimæ Matris animas, idcircò præ cæteris ad tantum dignitatis fastigium evectas esse, quòd illas Deus, reliquis meliùs innatâ libertate usuras prævidisset: fas erit hariolari, Scripturis & Ecclesiasticis definitionibus, hominem lapsum, integris æquè naturæ viribus stare, ac illas erat in puris naturalibus habiturus, nullo peccati vulnere sauciatus: fas erit effutire, pueros sacro fonte minimè expiatos, æternùm secundùm naturam felices, ac supra quàm ullus mortalium fuerit, feliciores extituros. At tandem refricatis licet, atque recoctis per Molinam Nestorianis, Pelagianis, cæterisque bene multis erroribus, hunc tamen impunè laudibus coronabunt Thesis hujus Autores, ejusque doctrinam tot notis infamatam, periculosam, malesanam, nobis obtrudent ut aurum in Judicii Pontificii fornace

Quæst. 23. art 4 & 5. disp. 1. mem. 9.

nace diu liquatum, ac probatissimum?

Cæterùm id præ cæteris observandum; Molinam novos illos Minervæ suæ partus effudisse, velut Scientiæ mediæ, cujus se autorē dicit, digna semina. Id ejus verba plus satis innuunt: [*Quæst. 14. art. 13. disp. 7.*] *Cùm Deus suâ scientiâ prævideat, quinam ex iis qui audituri sunt Evangelium, conaturi sint, ex suis naturalibus, ad assensum eliciendum, ut tenentur, & qui non; sane ut à peccato non excusentur, qui assensum fidei supernaturalem non elicuerint, satis est Deum suo auxilio & gratia præstò esse, ad præveniendum in eodem instanti quoscunque præviderit ex suis naturalibus ad assensum conaturos, ut ita non quidem tempore sed naturâ præventi, talem eliciant fidei assensum, qualis necessarius est ad salutem.*

Explicatiùs profectò doceri nequit, Deum sua illis auxilia parasse, quos se ipsis atque ingenitis viribus acturos novit: quod ipsum in Pelagianis olim damnavit Ecclesia. Sic sane in errorum abyssum præcipites ruunt, qui inani fiduciâ tumidi de altissimis mysteriis argutantur. Non absimili confidentiâ, alterum istud temerarium & [*Quæst. 14. art. 13. disp. 7.*] captiosum dogma posuit: *Liberũ arbitrium solo concursu Dei generali elicere posse assensum fidei, actu qui sit mere naturalis.* Nec verò aliter de spe pronuntiavit, *quoad actus substantiam attinet.* Ac demum de Caritate sermonem instituens, idem quod de reliquis virtutibus Theologicis ponit. *De dilectione*, inquit, *non est quod seorsim à contritione disseramus, cum contritio eam includat.* [*Ibidem.*] Quibus positis ita decretoriè pronuntiat: [*Ibidem.*] *Liberum arbitrium cum solo concursu generali Dei, elicere potest, non solum actum attritionis naturalem, id est, dolorem de peccatis ex Dei timore, cum proposito amplius non peccandi lethaliter; sed etiam actum contritionis naturalem, qui idem propositum non peccandi amplius lethaliter includat.* Hæc porro si cum aliis paulò antea positis conferantur, dilectionem scilicet contritione includi; consequens profectò est, naturam ipsam secundùm Molinæ principia, sibi soli relictam, solo concursu generali opitulante, fidem, spem, & caritatem, *quoad substantiam actus*, habituram; tametsi non aliam Ecclesiæ Patres fidem, spem, & caritatem agnoscant, quàm quæ secundùm Apostolum ex gratia sobolescunt.

Audiendus hoc præsertim in capite Canon 6. secundi Concilii Arausicani: *Si quis sine gratiâ Dei volentibus, desiderantibus, conantibus, laborantibus misericordiam conferri dicit divinitus.... & aut humilitati aut obedientiæ humanæ subjungit gratiæ adjutorium .....resistit Apostolo dicenti: Quid habes quod non accepisti, & Gratiâ Dei sum id quod sum.* [*1. Cor. 4. v. 7. & cap. 15. v. 10.*] Hoc-ne Concilium Molina legerat, cujus non semel suo in opere meminit? Aut illud nihili fecerat? An eum fortè latebat singularis autoritas, quam hactenus obtinuit in Ecclesia Romana, unde suas venerandi Patres definitiones hauserant? Quo loco notare opere pretium est, nullam eo in Canone meriti naturalis, aut dignæ ad gratiam sine gratiâ obtinendam dispositionis, mentionem ingeri; sed eos simpliciter anathemate peti, qui misericordiam hominibus sine Dei gratia credentibus, conantibus, laborantibus conferri dicerent, aut divinæ gratiæ adjutorium (uti Molina fabulatur) humanæ obedientiæ & humilitati subjungerent. Frustra porro ad declinandum interminati Anathematis pondus, obtruderet aliquis duplex virtutum genus; alterum earum quæ saluti & justificationi deserviant; illarum alterum quæ juxta Molinam ad salutem steriles perhibentur. Sunt hæc speciosa diverticula, quibus non Pelagianos errores proscribere, sed Ecclesiæ Censuras eludere velint. Nam etsi fides; spes, caritas, contritio, ad salutem inutiles, monstri penè instar haberi possint, quo vel uno deterreri Molina debuerat, quominùs adulterinam adeo, & apud filios Regni reprobatam pecuniam tanti faceret, ejus etiam sectatoribus ostensuri sumus, quantùm ipsi se fallant, aut alios fallere velint.

Certum quippe est in Molinæ systemate, primas re ipsâ partes naturæ tribui, quæ uni gratiæ in speciem attribui videntur. Id enim ab eo fundamenti loco ponitur: Deum certò gratias omnes ad justificationem & salutem necessarias largiri homini, ubi primùm ingenitis naturæ viribus egerit totum omne quod ex se potest. Ex quo plane consectarium est, in liberum tandem arbitrium recidere universa. Num quæso, stipites Massilienses, quibus ut damnationem effugerent nihil ejusmodi cuiquam venit in mentem? Nihil enim quod dogmatis caput attinet, intererat; aut fidei supernaturalis initia cum Fausto nobis ascribere; aut certè cum Molinâ contendere, nil quidem nos ultra fidem naturalem ex nobis posse; at supernaturalem fidem naturali illicò præstò esse, ac velut indivulsam & individuam comitem hærere jugiter; qua una subtilitate fractæ & elisæ hæreseos reliquias collegissent. *Novimus hanc istorum esse versutiam*, inquit Leo Magnus [*Epist. ad Aqu. Epis.*] Episcopum Aquileiensem adversùs Pelagianorum astutias muniens, *ut in quacunque particulâ dogmatis exsecrandi, quam*

à damnandorum soli litate discreverint, nihil sibi sensuũ suorum existiment esse non salvum.

Et verò dispungantur minutatim novæ Concordiæ principia; nemo erit qui apertè non videat, quàm facilè Pelagiani, Molinâ suffragatore, Ecclesiæ judicia declinassent.

Quæst. 14. art. 13. disp. 14. sic ille sua venditat: *Facienti quod in se est Deus non denegat gratiam: Christusque nobis promeruit auxilia, non solum quæ conantibus nobis, ex nostris naturalibus efficere quod in se est, præstò essent, ac prævenirent; ut sic illo eodem conatu eliceremus dispositionem supernaturalem ad gratiam, sed etiam quibus sæpe excitaremur omninò. Inde est, quod quoties quis paratus fuerit ad conandum ex timore, efficiendumque totum quod potest, circa detestanda peccata commissa, & cavenda in posterum omnia lethalia, præveniatur à Deo affectu donoque timoris supernaturalis, & eliciat attritionem supernaturalem, qualis cum Sacramento est necessaria, ut peccata deleantur.* Hoc si verum; nihil obest quominus homo sibi justificationem & salutem ascribat: cùm gratiam ingenitis naturæ conatibus individuam sortiatur.

Tot illos Molinæ exitiales errores, dum de divina gratiâ sermo fuit, silentio prætetire nefas erat: cùm iis ab illo semel positis, quidquid demum de gratuita electorum prædilectione statuere visus est, sponte ruat. Dum hæc perversa dogmata stabunt, humanæ superbiæ locus erit: atque ubi gratuita supernaturalium donorum præparatio posita fuerit; eadem ipsa dona, ingenitis viribus, naturalibusque, si superis placet, fidei, spei & caritatis virtutibus adscribentur.

Si hæc impunè feramus, vix ac ne vix quidem Pelagianismum, ingenitâ hominum superbiâ renascentem ac tumidum cohibere fas erit. Cogimur igitur vel inviti, piis Leonis Magni consiliis morem gerere, quibus Aquileiensem Episcopum hortabatur, ut in obscuros aliquos hæreseos Pelagianæ fautores invigilaret, tantò difficiliùs à veris Christi ovibus secernendos, quantò callidiùs ovinâ pelle obtegebantur.

Epist. jam laudatâ. *Cavendum ergo magnâque diligentiâ providendum, ne per hujusmodi homines exstincta dudum scandala suscitentur; & de exciso olim dogmate, aliquod in Provincia tua ejusdem mali germen oriatur; quod non solùm in radicibus suis crescat, sed etiam sanctæ Ecclesiæ sobolem veneno sui odoris inficiat.* Eò verò movemur magis, quòd nullibi prodigus ille Molinæ laudator, errores ejus vel leviter adnotet, vel explodat: quamquàm tales ii sint, ut totam Molinianæ doctrinæ summam inficiant.

Accedit & aliud hujusce Thesis incommodum longè gravius. Tertiâ scilicet Columnâ, * ubi de variis circa gratiam opinionibus agitatur, sex complectitur appendices. Ultimis quinque, hæreses omnes exponit, quibus Ecclesiæ Catholicæ doctrina de divinâ gratiâ pulsata est: Pelagianos, Semipelagianos, Prædestinatianos, Lutheranos, Calvinistas, Jansenianos numerat ordine longo. Porro tot illis divinæ gratiæ hostibus, unam Ludovici Molinæ doctrinam ex adverso ponit appendice primâ, cæteris omnibus Theologorum orthodoxorum sententiis silentio alto prætermissis: quasi hujus unius doctrinam catholicis Theologis amplecti necesse sit, si procul à damnatis hæresibus stare velint.

* Cui titulus: De variis circa gratiam opinionibus

Certè ubi de fidei dogmate statuendo agitur apud Theologos, id statim ponitur ordine primo, quod Ecclesia profitetur, omnique retro tempore professa est: tum enatæ in oppositum hæreses recensentur. Cùm igitur una Ludovici Molinæ sententia de divinis auxiliis, uti subortis erroribus adversa, recensita sit, perspicuum est, unum hoc Thesis hujus Autori fuisse consilium, ut Molinæ sententiam tanquam Ecclesiæ Catholicæ professionem obtruderet; cui ex officio stare necesse sit, ut recensitæ hæreses evitentur.

Atque id quidem eò manifestiùs constat quòd statim sub primæ appendicis initio scripserit, Molinam ejusque discipulos, divinæ gratiæ cum humanâ libertate concordiam, ope Scientiæ-mediæ, cæteris omnibus enucleatiùs tradidisse. Addit, doctrinam ejus tam valide impetitam, toties à diversi generis hostibus impugnatam, & coram summis Pontificibus tam diligenter agitatam, tanquam aurum in fornace probatam, puriorem inventam esse. Eò etiam venitur audaciæ, ut sacrilegâ violatione sacras Scripturæ voces usurpet, quibus invictam Martyrum fidem commendat Ecclesia. Ac demum latâ veluti sententiâ pronuntiat, Molinæ doctrinam dirâ coram Summis Pontificibus persecutione agitatam, solidiorem ac puriorem evasisse; dignamque etiam quæ uti Sanctorum Patrum hæreditas excipiatur: *Cum honore ex tot disputationum fluctibus emersit.*

Societatis Constitutionibus sancitum est, *Ut in Theologiâ legantur vetus & novum Testamentum, & doctrina Scholastica D. Thomæ.* Hoc ipsum * quinta Congregatio generalis definivit; nonnullaque quorumdam deputatorum, de seligendis opinionibus instituta confirmavit, quorum primo ita. Par. 4. cap. 14.

* Unanimi omnium consensu statuit doctrinam S. Thomæ in Theologia.

gia Scholastica tanquam solidiorem, securiorem, magis approbatam & consentaneam, nostris Constitutionibus sequendam esse à Professoribus nostris. *Cap.41, cap. 56.*

ita constitutum est: *Nostri omninò S. Thomam ut proprium Doctorem habeant, eumque in Scholastica Theologiâ sequi teneantur; tum quia Constitutiones eum nobis commendant, & Summus Pontifex Clemens VIII. id se cupere significavit: tum quia cum unius Scriptoris doctrinam in Societate eligendam Constitutiones moneant, nullius hoc tempore doctrina potest occurrere, quæ sit ea solidior aut securior, ut non immeritò S. Thomas Theologorum Princeps ab omnibus habeatur.* Quin etiam cap 41. quintæ Congregationis cautum est, *Ne deinceps ad Cathedras Theologicas promoveantur, nisi quis Sancto Thomæ bene affecti fuerint; qui verò ejusdem autoris parum studiosi, vel etiam ab eo alieni sunt, à docendi munere repellantur.*

Divi Thomæ principiis imbutus profectò non fuit F. Gabriel Thirioux, Thesis hujus Autor & propugnator, uti imbutum illum fuisse oportuerat, si suas Societatis Præpositi leges exsecutioni demandassent. At maluerunt Suaresium ei Magistrum præfigere, cujus doctrina nil nisi Molinianæ temperamentum est. Ea nobis agendi ratione Jesuitæ significant, pluris apud illos fieri recentium scholæ suæ Theologorum autoritatem, quàm Clementis VIII. jussa; qui pendentibus Auxiliorum Congregationibus, unicum eis Magistrum esse voluit Doctorem Angelicum. Quid ergo mirari sibeat, si quo tempore Thesis illa habita fuit, nullam alterius statuti prudentissimi rationem habuere, quo quinta illorum Congregatio vetuit, ne quis eas Opiniones in aliqua Academia doceat aut defendat, quæ Catholicos offendere possint * ?

* Quæ opiniones, cujuscunque autoris sint, in aliqua Provincia aut Academia Catholicos graviter offendere scientur, eas ibi nemo doceat aut defendat. Ubi enim nec fidei doctrina nec morum integritas in discrimen adducitur, prudens caritas exigit, ut nostri se illis accommodent, cum quibus versantur. *cap. 41.*

Majori Jesuitæ Remenses reverentiâ duci debuerant, in Societatis suæ Constitutiones, Congregationumque generalium instituta, quorum iis interdum memoriam revocavimus, dum nostrum illis de Molinæ doctrinâ judicium aperuimus. Si quod Majoribus quondam suis caritatis ac prudentiæ studium insitum erat, illos etiamnum egisset, non usque adeò publicè comprobassent, quàm parvi sensa nostra ac monita pendeant. Ab eo delicto procul illos esse, & ab immodicis Molinæ sui laudibus temperare oportuerat, vel hoc solo titulo, quòd illius sententiam inter fidei dogmata reputare ipsi non audeant; eamque e contrario novam, ut minimùm, confiteri, ipso Autore judice, compellantur.

Mirari subit, liberam opinandi licentiam usque adeò Societatem occupasse, viris quondam olim, atque etiam hodie eruditis abundantem: cui etiam nihil statim omissum, ut prudentissimis institutis, ab ea sibi labe præcaveret *.

* Idem sapiamus, idem quoad ejus fieri possit dicamus omnes juxta Apostolum. doctrinæ igitur differentes non admittantur. *Par. 3. Const. c. 1. Cap 6.*

Joannes Mariana Hispanus è Societate celeberrimus, ea de re graviùs expostulavit, edito Tractatu, *de Erroribus in formâ gubernationis Societatis Jesu.* Ubi malum eò usque progressum ait, ut plures in Scholis opiniones recipi cerneret, quæ falsæ prius atque insulsæ habebantur. Quàm ardentiori reformandæ Societatis zelo exarsisset, si detestandum peccati Philosophici errorem, impiamque adversus caritatis mandatum hæresim, publicis apud suos Thesibus defendi, ætate sua comperisset! Nulla nobis quo minùs id exprobremus religio est; quandoquidem Theses illæ solenni Alexandri VIII. Decreto * proscriptæ sunt. Alias silentio mittimus, in nonnullis hujusce Regni diœcesibus ante dies aliquot propugnatas; quod falcem in messem alienam immittere, ac de gestis extra Jurisdictionis nostræ fines publicè pronuntiare, minùs liceat. Ab iis Ecclesiarum Pastoribus exspectanda sententia est, quorum ovibus periculosæ Conclusiones scandalo fuere. Hanc ut libuerit pronuntiabunt, pro eâ qua nobis præstant eruditione, & singulari tutandæ fidei Zelo. Nos interim quâ poterimus vigilantiâ, concreditum curæ nostræ depositum servabimus, hacce præsertim ætate temporum, quâ cum adulari sibi homines velint, impatientique dissolutæ disciplinæ prurigine laborent, promiscuam laxiorum Doctorum copiam æmulantur, qui illorum cupiditatibus serviant. Hortabimur, obsecrabimus, increpabimus, uti nos monet Apostolus, *In doctrina sanâ, & eos qui contradicunt* arguemus. *Doctrinis variis & peregrinis abductos*, qua decet caritate & animi fortitudine castigabimus, ut *profanas vocum novitates* devitent, & *oppositiones falsi nominis scientiæ, quam quidam promittentes circa fidem exciderunt.*

Divione ann. 1686. mense Junio.

Mussiponti anno 1689. die 14. Januarii.

* *die 24. August. 1690.*

Ad tit. cap. 1. & 9.

Ad hæbreos c. 13.

1. ad Tim. cap 6.

Idem ille Joannes Mariana, qui quo tempore Auxiliorum Congregationes habebantur, prælaudatum de Societatis Regimine tractatum edidit, diligentiùs notat, quæ mala liberiorem illam in vulgandis figmentis Molinæ licentiam secuta sint. *Ex inordinato*, inquit ille, *novitatis amore emanarunt illi turbines & procellæ, quibus nostra Societas tentavit exagitare Sapientissimos Dominicanæ familiæ Theologos, quos potiùs venerari debebat, quàm sequi hesterna Ludovici Molinæ figmenta.* Addit idem ille, *occasione Molinianæ Concordiæ à suis certatum acriter; ac primò quidem ad generalem Hispaniarum Inquisitorem provocatum,* sub-

Cap. 4.

Laudat Illustrissimus Archipræsul Marianæ verba, juxta perventam & accuratam versionem gallicam, ipsi Autographo coævam.

* Videtur loqui de Cardinale Baronio qui in ſua ad Archiepiſcopum Viennenſem Epiſtola ſcribit Jeſuitas à ſe monitos, ne defendendo Molinæ librum ſuę ipſorum famæ officerent.

* In Hiſpania ſcribebat Henriques, nimirū Toleti, ubi diem ſupremum obiit 17. Februarii 1624. nonaginta annos natus.

ſubinde Romam: ubi (ut ait) *quo tempore ſcribebat, controverſia magno animorum æſtu tractabatur. Cujus proſperum exitum* (*etiamſi res illis proſperè cederent, quod admodum incertum erat*) *non niſi multis expenſis, & anxiâ multorum annorum curâ empturi eſſent.* Subjungit, Virum aliquem perilluſtrem *, rerum illarum apprimè conſcium, Societatis Propoſitos monuiſſe, ne ſeſiti huic altiùs implicarent, nihil tamen obtinuiſſe; *Tum quòd ad litem urgendam, proprii honoris ſtimulo duceretur Præpoſitus generalis, ob datam Molinæ tyrorum veniam; minuſq; rei gravitatem perſentirent juniores nonnulli Hiſpaniæ Profeſſores* *: *tum quòd qui Generali Romæ aſſiſtebat, quique Hiſpaniæ Provincialatum obiit* (*quorum artibus omnia hæc movebantur*) *viri eſſent prorſus illiterati, qui publica Societatis munia hominū ejuſdē moris & indolis gratiâ obtinuerant.* Qua in re id tandem ev nuturum ait, *quod evenire neceſſum erit, quoties ardua Societatis negotia, viris turbulentis & ignaris Præpoſitis committentur.* Ita Mariana, eo in libro quem publicæ luci præripere tantopere conati ſunt; quemque nos in fidei argumentum, Gallicè & Hiſpanicè redditum in Bibliotheca noſtra ſervamus. Sic demum Autor ille tractatum abſolvit. *Multam mihi fiduciam ſumſi, in detegendis Societatis malis, & publici Regiminis erroribus; iiſque potiſſimum quæ cum communiter approbentur, libentius fiunt. At quid ergo? Candide loquor, & ſine fuco ac ſpe quacumque: Rem quiſque ut libuerit æſtimabit. Verùm quod in me eſt, quò propius ingraveſcente ætâte ad extremum judicium accedo, eò certiùs aſſevero Societatem noſtram, quæ ex Deo dubio procul eſt, in præceps ruere, ac brevì etiam caſuram omninò, niſi Deus ipſe det opem; ejusque filii pro ſua in Matrem pietate, omnique privati commodi ſtudio ſepoſito, præſens auxilium adferant, & ad vivas uſque partes circumcidant, ſi ita eſt opus, ne ultra peſtis incedat.* Perpendite jam per me licet, Marianæ verba, & infauſta præſagia. Duo tantùm inde colligimus: Primum, iſto ineunte ſeculo, virum de Societate ipſa bene meritum, de liberiori ſociorum opinandi licentiâ duriùs expoſtulaſſe: Alterum, minùs alte de Molina ſenſiſſe illum, quàm hodie ſoleant in Societate ſentire.

Unum ſupereſt, quod in Molina, tantis eâ in Theſi laudibus imprudenter commendato obſervari debeat, minor ſcilicet in Sanctos Patres & antiqua Concilia veneratio, contemptus, deſpicatio. Hunc ſi audimus, minùs illis circa divinæ gratiæ quæſtiones, lucis affulxit. *Patres antiquos,* ait audacior Ariſtarchus, *Antiquaque Concilia legenti perſpicuum erit, parùm admodùm lucis fuiſſe circa ea quæ ad gratiam ſpectant.* Atrocem Traditioni ſacræ, unde doctrinæ depoſitum ad nos uſque tranſmiſſum eſt, & audacem injuriam! Videri equidem primâ fronte poteſt, ſuperiora dumtaxat Pelagio tempora notare: verùm ut illic Arauſicanæ Synodi-ſecundæ mentionem ingerit, nullaque ante Pelagium circa Dei gratiam Concilia celebrata ſunt; perſpicuum eſt, nedum ſuperiora Pelagio tempora, Molinâ quidem judice, minùs divinæ gratiæ doctrinam internoviſſe; ſed & ipſas etiam poſt Pelagium Synodos habitas, non ſatis in hiſce quæſtionibus, luminis attuliſſe. Conciliis igitur Africanis & Arauſicano, nec non tot ſummorum Pontificum definitionibus injuriam irrogat, quaſi minùs feliciter divinæ gratiæ veritates atti gerint. Audacem nimiùm inſcitiam, ac ſeveriori cenſura dignam!

Quæſt 14. art. 13. diſp. 15.

Iis de cauſis, aliiſque graviſſimis benè multis, invocato Dei nomine, re maturiùs expenſa, auditis Sacræ Theologiæ Doctoribus eruditiſſimis, ſapientiſſimis, & in Epiſcopali dignitate conſtitutis, damnavimus atque damnamus primam Poſitionem tertiæ Columnæ, Theſis habitæ die 5. Decembris ultimò elapſi, quam & hìc ſupra retulimus, uti falſam, temerariam, ſcandaloſam, captioſam, & inducentem in errorem.

Altera quæ die 17. Decembris habita fuit, nec minùs fallit, nec minùs, ſi penitiùs attenditur, cenſuram meretur. Equidem primo quintæ Columnæ intuitu, ſuſpicari pronum eſt, voluiſſe Theſis hujus Autores, Auguſtino & Eccleſiæ, pro læſo ante dies aliquot honore, ſatisfacere. Ut enim præſenſerant, nos unà cum probati nominis Theologis indignè laturos, quòd unam Molinæ ſententiam Auguſtino adeò injuriam oſtentaſſent, uti hæreticorum circa divinam gratiam erroribus repugnantem, ſibi utcunque præcaverunt. De Sanctiſſimo Doctore aliquantò reverentiùs loquendum exiſtimarunt. *In exponenda Prædeſtinatione*, inquiunt, *Auguſtinum ſequimur.* Ac demùm Auguſtini partes in ſpeciem ſaltem æmulati, *toti* (addunt) *Auguſtiniani ſumus.* Benè id quidem: verùm ut totus quis Auguſtinianus haberi poſſit, minùs eſt Auguſtini ſententiam amplecti, niſi docendi quoque modum æmuletur. Si quid enim ut fidei dogma poſuit Auguſtinus, nec ab Auguſtiniano tacendum illud, nec negandum.

Poſit. 5. col. 3.

App. Hiſt. Cong.

Viden-

* In 15. Positione suarum Thesium 22. Aug. 1696. defensarum.

Videndum igitur num hac parte Jesuitæ Remenses, Lugdunensibus * religiosiores exstiterint: collatisque Thesis secundæ principiis perpendendum, quo demum spectet ea in speciem veneratio, qua divinæ gratiæ Doctorem excepere.

Posit. 5. col. 2.

Antequam speciosâ illâ commendatione salutaretur Augustinus, id cautè præmissum ab illis est, scientiam mediam *Gratuitæ prædestinationi explicandæ unicè deservire*, quasi nullo Molinæ systemate, explicari nullatenùs posset. Pro superi, quæ præstigiæ! Quid igitur, Augustinianæ doctrinæ commendatio à Moliniana pendebit: atque hæc quidem, tot Apostolicæ Sedis Oraculis probata sententia, recenti novatoris opinioni, à melioris notæ Theologis confutatæ, ab ipsis Societatis Scriptoribus explosæ, Pontificibus (ne quid interim dum solenne judicium exspectatur, durius proferamus) ignotæ, ab ipso sui ortu suspectæ, vectigalis habenda erit? Recentis Autoris somnia mutuari necesse erit, ut Prædestinationis mysterium exponamus; eaque nobis dumtaxat conditione, Augustinianis licebit esse, modò Molinianus fuerit Augustinus? Absit ut ista ferantur.

Ibidem.

Verùm qua tandem festivitate, ut cæteris illuderet Thesis Autor, commentus est, Augustinum scientiam mediam luculenter approbasse, & *Ad gratuitam Dei electionem demonstrandam, eâ tanquam invicto argumento usum esse*? Ità-ne dum hæc Columnâ secundâ scriberet, quid tertia Scripturus esset advertebat? Ibi quippè distinctè testatur, nullam alteram Prædestinationis causam Augustino probatam esse, ultra divinam voluntatem. Rogandus ergo, ut secum ipse consentiat. An eum fortè fugiebat, Molinam scientiæ mediæ inventum, ante dies aliquot ab sodali suo adeò magnificè commendatum, alteri nemini concessisse? Hoc ille longè minùs concessit Augustino, quem illius ignoratione, in eo argumenti genere excutiisse, omniaque turbasse commentus est. *Si hæc*, inquit, *explicata fuisset, neque Pelagiana hæresis fuisset exorta, neque Lutherani tam impudenter arbitrii nostri libertatem fuissent ausi negare: neque ex Augustini opinione concertationibusque cum Pelagianis, tot fideles fuissent turbati ad Pelagianosque defecissent; facileque reliquiæ illæ Pelagianorum in Gallia fuissent exstinctæ.* Quàm dolendum heu, Molinam Pelagianæ Sectæ temporibus, Augustini loco non decertasse; aut Lutheranos Molinæ ætate nuper enatos, victricibus recentis Athletæ armis non concessisse! Quis non recentis Theologi inaudi tam audaciam indignè ferat? Cui si demus aures, suis jam titulis spoliandus est Augustinus, nec jam Ecclesiæ defensorum præstantissimus, hæresumque Triumphator habendus erit *.

Posit. 5. col. 3.

* Istius ergo intercunctos qui de grege Sancto Insanas pepulere feras industria major, majus opus, totum præstantius imbuit orbem. *S. Prosper Carm. de Ingr.*

Iis Augustinum titulis universa commendat Antiquitas: his eum encomiis celebrant quotquot Ecclesiæ partes tuentur ac diligunt. Addunt & alia Romani Pontifices, qui celebratas ab D. Prospero Sanctissimi Doctoris laudes, amplioribus cumularunt. Quin & hac nostra ætate, Cardinalis Perronius Augustinum appellat, *Maximum post Apostolos Prædestinationis Doctorem, immò os ac vocem veteris Ecclesiæ, quantùm ad illam pertinet de divina gratia doctrinam.*

In Resp. ad Magnæ Britan. Reg. c. 12.

Si ut obtendit, Augustinianus re vera foret Frater Franciscus Baltus, hujusce secundæ Thesis Autor & Vindex, non ita profectò exiliter & jejunè de Sanctissimi Doctoris sententiâ pronuntiasset. *Nihil*, inquit, *in doctrina Augustini certiùs, quàm Prædestinationem esse omninò gratuitam*: modò tamen, ut præmonet, Moliniano sensu exponatur. At innuit-ne vel leviter, Augustini sententiam eo saltem in capite, Ecclesiæ Catholicæ doctrinam esse; atque à Summis Pontificibus distinctè probatam? Solas ne errantium opiniones è regione ponit, quemadmodum in altera Thesi in Moliniani dogmatis commendationem, factitatum est? Multùm certè abest, ut id agat; satisque S. Augustini honori consultum putat, si se Augustinianum obtendat, datâ tamen cæteris omnibus dissentiendi licentiâ. *In explicanda*, inquit, *Prædestinatione Augustinum sequimur, ab utrisque Semipelagianis & Prædestinatianis æquè remotum.* Ne verbum quidem tota Thesi occurrit, quo vel leviter innuat, nefas esse sentire aliter: atque id tamen innuere, palamque significare opus erat, ut totus re ipsa Augustinianus haberetur, & Ecclesiæ Romanæ sensum exprimeret, ut Hormisdas Pontifex declaravit, * totaque nos præsentis Institutionis Pastoralis serie demonstrabimus.

Posit. 5. col. 3.

* De arbitrio tamen libero & gratia Dei quid Romana, hoc est Catholica, sequatur & asseveret Ecclesia licet in variis libris Beati August. & maximè ad Hilarium & Prosperum possit cognosci &c. *Epist. 70. Hormisdæ Tom. 4. Conc. gen. pag. 1532.*

Qua in re, id statim consilii nobis fuit, ea omnia seponere, quæ salvo fidei capite in Scholis Catholicis disputantur, & intra Prædestinationis gratuitæ fines unicè concludi. Atque hoc ipsum dogma est, quod ab Augustino traditum diximus, uti communem Ecclesiæ Catholicæ sensum, ex Scripturis & veterum traditione petitum; & à fidelibus universis, summâ veneratione & consensione susceptum.

Id

Id ut ordine statuamus, ponenda in primis venit, Augustino duce Prædestinationis definitio, ab universa Ecclesia summo consensu probata. *Nihil aliud est illa*, inquit Sanctissimus Doctor, *nisi præscientia & præparatio beneficiorum Dei, quibus certissimè liberantur quicunque liberantur.*

Lib. de dono Persev. cap. 4. num. 35.

Deus ergo certis quibusdam hominibus, quos Electos idcirco Scriptura vocat, singularia beneficia destinavit, quibus à peccato & æterna damnatione certissimè liberantur. Jam si certissimè, iis igitur auxiliis liberantur, quæ indeficientia sint, & ad exitum infallibiliter, ut aiunt, ac certò perducant. Hæc si Deus parasset omnibus, nemo non certò liberaretur: at bonâ duntaxat voluntate paravit iis, qui illa suscipiunt. Quid pro illis facturus esset in tempore; ab æterno novit, idque ipsum præparavit atque prædestinavit. Nullis moveri meritis potuit ✱, ut certa illa auxilia præpararet, è quibus omnia nascuntur merita. Non quæ primò confertur gratia, electos coronat; cùm quotquot ea donantur, non idcircò salventur. Non itaque prima duntaxat gratia, gratuitò præparata ac prædestinata, æternam electorum salutem certissimam facit; sed ipsa potissimè gratiarum beneficiorumque peculiarium series, quæ illis à Domino præparantur. Horum nemo perit, quibus illa parata sunt. Adversùs hanc prædestinationem, si credimus Augustino digno Ecclesiæ Interpreti, nemo unquàm sine errore disputavit. *Hoc scio*, inquit ille, *neminem contra istam Prædestinationem, quam secundum Scripturas Sanctas defendimus, nisi errando disputare potuisse.* Hæc contra divinæ gratiæ hostes, inquit Doctor egregius, propugnamus, non privatis præjudiciis occupati, sed Sacris litteris eruditi; nec vocari in controversiam ullatenus possunt, nisi vel beneficia quibus certissimè liberantur electi, negentur omninò; vel minùs à Deo prævisa dicantur ac præparata: quæ duo fidei summam perinde læderent.

✱ *Si gratia, jam non ex operibus: alioquin gratia jam non est gratia. Ad Rom. 11. 6*

De don. Persev. cap. 19

Hanc S. Augustini doctrinam explicatissimè definivit Adrianus Pontifex hujus nominis primus, dum inquit: *Opera Misericordiæ ac Justitiæ suæ præparavit Deus, in æternitate incommutabilitatis suæ; & sicut futurorum operum suorum nunquam fuit ignarus, sic in eorum operum præparatione nunquam improvidus. Præparavit ergo justificandis hominibus merita, præparavit eisdem glorificandis & præmia: Malis verò non præparavit voluntates malas, aut opera mala, sed præparavit eis justa & æterna supplicia. Hæc est æterna prædestinatio futurorum operum Dei, quam sicut nobis Apostolicâ doctrinâ semper insinuari cognoscimus, sic etiam fiducialiter prædicamus.... Teneatur ergo Prædestinationis veritas à fidelibus cunctis; quia quisquis divinum non credit in hac Prædestinatione consilium, non perveniet ad gloriosum hujus prædestinationis effectum.*

Epist. 95. ad Egilam, & 97. ad Episcopos hispaniæ.

Quisquis Sanctissimi Doctoris libros de Prædestinatione Sanctorum & de dono perseverantiæ, vel obiter legerit, ne quid de cæteris adversus Pelagianos editis dicamus hîc) facilè comprobabit, nihil illum hoc in argumento, nisi Sacrarum Scripturarum fidem, & universalis Ecclesiæ sensum retulisse. Nihil æquè Catholicorum fidem in aperto ponit, quàm publicæ orationes ab iis fundi solitæ. Quid porrò omni retro tempore, & ubivis, ardentiùs publicis supplicationibus efflagitavit Ecclesia, quàm pro fidelibus perseverantiam, pro infidelibus fidem? Cùm aliàs certò constet, iis maximè donis impleri modò, quæ Deus electis suis ex æternitate destinavit. Perspicua ac decretoria Augustini verba sunt. *Ille itaque dicat Ecclesiam aliquando in fide sua non habuisse veritatem prædestinationis hujus & gratiæ, quæ nunc contra novos hæreticos curâ diligentiore defenditur. Ille, inquam, hoc dicat, qui dicere audet, eam aliquando non orasse, vel non veraciter orasse, sive ut crederent infideles, sive ut perseverarent fideles.* Si ergò eas hactenus gratias à Deo postulavit Ecclesia, eas ab illo uno donari certò credidit. Neminique negare fas fuit unquam (nisi omnem religionis rectique judicii sensum exuere vellet) ea Deum ex æternitate novisse bona, quæ suis deinceps electis collaturus esset. *Quæ bona*, prosequitur Sanctissimus Pater, *si semper oravit, Dei dona esse utique credidit, nec ab illo esse præcognita unquam negare fas fuit.* Quibus demum statutis ac positis, colligit in hæc verba: *Ac per hoc prædestinationis hujus fidem, quæ contra novos hæreticos, nova sollicitudine nunc defenditur, nunquam Ecclesia Christi non habuit.*

De don. Persev. cap. 23.

Ibid. c. 19.

Perpendantur Augustinianæ doctrinæ principia, perspicuum erit, neminem ab iis nisi desertâ Scripturâ & Traditione recedere posse. Fidei dogma est, primam & ultimam gratiam, initium fidei & finalem perseverantiam à Deo esse. Fidem prioribus operibus mereri nullatenùs possumus: preces verò uti & opera bona, quibus perseverantiam obtinemus, ac etiam, ut loquitur Augustinus, emeremur, non nisi gratiæ gratuitæ partus haberi possunt, quam Deus quibus voluerit donat; iisque certissimè donat, qui perseverant, nullo nobis relicto quæ-

Conc. Trid. sess. 6. c. 8.

Lib. de dono Pers. cap. 6.

querendi jure. Si ergo perseverantiam solus ille perseverantibus donat, solus ille singulari bonitate largitur, quid-ni cum Apostolo hac præsertim occasione dicamus? *Si gratia, jam non ex operibus, alioquin gratia jam non est gratia.*

Nullâ futurorum operum habitâ ratione, certa nobis beneficia destinavit, quibus ea in finem usque faceremus: nullâque idcirco bonorum operum ratio fuit, ut ad æternam, de qua loquitur Augustinus, liberationem eligeremur; quandoquidem nonnisi indebitæ gratiæ partus haberi possunt, quotquot in finem usque eduntur bona, ut aperte nos docet Apostolus: *Nos liberavit & vocavit vocatione sua Sancta, non secundum opera nostra, sed secundùm propositum suum & gratiam, quæ data est nobis in Christo Jesu ante tempora secularia.*

Ad Tim. cap. 1.

Hoc sensu æternæ Prædestinationis Mysterium exponat necesse est, quisquis procul ab hæreticorum erroribus esse velit: ne vel cum Calvinianis, fidelium merita tuendæ gratuitæ Prædestinationis studio, perimat; vel gratuitam Prædestinationem cum Pelagianis, tuendis humanis meritis nimis intentus inficietur. Ab utrisque ex æquo distat Ecclesia Catholica: totumque Deo à quo totum accipimus, referendum docet, ne quis sibi de suis meritis blandiatur. Christianam humilitatem Pelagiani perimunt, excitandæ vigilantiæ obtentu: vigilantiam è contra omnemque virtutem eliminant Calviniani, semotis piis libertatis humanæ meritis. Medius incedit Augustinus; nosque ex æquo & intentos officio, & susceptorum beneficiorum memores esse monet. Tametsi enim ex merâ misericordiâ electi vocentur, ex Justitiâ nihilosecius* coronabuntur; nullusque salvabitur Electorum, nisi certam bonis operibus vocationem & electionem sibi fecerit. * Tantùm verò abest, ut idcirco æternæ vocationis gratiæ minùs debeant; quin potiùs illa ipsa officiorum integra solutio, novæ gratiæ genus est, cui dignâ grati animi significatione respondere satis nequeant. Suâ illi voluntate benè usi sunt; at parata est illis, ut Scriptura loquitur, voluntas à Domino. Opera bona dignosque pœnitentiæ fructus ediderunt; at secundùm Apostolum, *In Christo Jesu in operibus bonis creati sunt, quæ præparavit Deus, ut in illis ambularent.* Sic igitur adulti gratis perinde eliguntur ad gloriam, gratuitâ dumtaxat gratiâ promeritam, ac ipsi post Sacrum fontem erepti pueri, quos intuitu meritorum prædestinatos nemo dixerit, nisi qui Semipelagianus haberi velit. Omninò

Conc. Trid. sess. 6 c. 16.

* Satagite ut per bona opera certam vestram vocationem & electionem faciatis. 2. Pet. 1. 10.

ergo secundùm Ecclesiæ & Augustini doctrinam, Sanctorum Prædestinatio gratuita est: vitaque æterna quam, partis Christi gratiâ meritis dumtaxat spectatis, Coronam justitiæ vocatam legimus, mera re ipsâ gratia, nullis nostris meritis ex æternitate præparata dicenda est. *Hinc gratiam Dei vitam æternam* vocat Apostolus; Nosque *gratiâ per fidem* salvatos ait, idque *non ex nobis*, sed dono Dei; *ut ne quis glorietur*, solaque liberatis supersit misericordia liberantis. Perpetua est illa, atque imperturbata Ecclesiæ Catholicæ fides, de qua tam verè quàm piè scripsit Augustinus, *Sicut in his orationibus, ita in hac fide nata est, & crescit, & crevit Ecclesia.*

Ad Rom. 6. ad Eph. 2.

Lib. de dono Persev. cap. 23.

Nemo ergo nobis obtrudat, quod & à nonnullis ignaris audacibusque nebulonibus dictum scimus, gratuitam Prædestinationem, non nisi privatam Augustini opinionem esse; eumque, ubi ejus agitur causa, minus audiendum, dum suam nobis opinionem velut Ecclesiæ fidem ostentat. Aliud nobis eximia illius humilitas spondet, certamque nobis fidem facit, uni eum veritati studuisse. Verùm si minùs ejus probationibus datur; stet penes Pontifices fides integra, quos & eminentia Sedis, & eruditio singularis Ecclesiæ universæ spectabiles fecit. Penes omnium gentium & ætatum eruditos esto judicium, quos eximia virtutum merita cælo dedere: iisque demum reclamantibus neget qui id audeat, Augustini de Prædestinatione sententiam, firmam Ecclesiæ Romanæ doctrinam esse.

Innocentius I. Zozimus, Bonifacius I. Sanctissimi viri doctrinam, quo etiam tempore viveret, approbarunt; eamque secuti Pontifices uti traditam sibi hæreditatem excepere. Astipulantur Leo Magnus & Cœlestinus: quorum alter Augustini doctrinam, nulla unquam sinistrâ suspicione notatam pronuntiat. Hoc ille elogio minùs dignus esset, nec eo illum celebrasset Cœlestinus, si privatas opinationes, uti fidei veritates omni retrò tempore ab Ecclesia susceptas venditasset. Tota hæc Augustini laudes Epistola spirat: quæ cum agnitâ causâ Galliarum Episcopis data sit, ut illos in nonnullos Novatores gratiæ defensori obloqui solitos concitaret; nemini mirari subit, si Sacra ejus documenta tenaciùs amplectimur, ejusque vobis verba damus, tametsi longè notissima. *Augustinum sanctæ recordationis virum, pro vitâ sua atque meritis, in nostra communione semper habuimus. Nec unquam hunc sinistræ suspicionis saltem rumor aspersit; quem tantæ scientiæ olim fuisse meminimus, ut inter Magistros*

gistros optimos etiam ante à meis Prædecessoribus haberetur. Bene ergo de eo omnes in commune senserunt; ut pote qui ubique cunctis & amori fuerit & honori.

Hoc uno eleganti elogio, universis Augustini obtrectatoribus occlusum os existimavit Prosper Aquitanicus. *Per hunc virum*, ait ille de Cœlestino sermonem habens, *intra Gallias istis ipsis, qui S. Memoriæ Augustini scripta reprehenderunt, maleloquentiæ est ademta libertas.*

Lib contra Colias.

In Epist ad Xistum quæ est 194. inter August.

Sixtus III. in Sacram Petri Sedem, quam vocato ad superos Cœlestino occupavit, decessoris sui doctrinam intulit, ab ipso gratiæ Doctore traditam, & ad Ecclesiam Romanam continuatâ Majorum serie unâ cum Apostoli ad Romanos Epistolâ derivatam.

Tom. 4. Concil. Gener. pag. 1260. Ibidem pag. 1532. Ibidem pag. 1666 ibid. pag. 1688. Ibid. pag. 1751.

Eandem illam Gelasius I. Hormisdas, Felix IV. cujus sunt secundæ Arausicanæ Synodi Canones, Bonifacius II. & Joannes II. approbarunt, quorum ad marginem testimonia indigitare sat est.

Hormisdæ Romani Pontificis definitio neminem fugit. Neque diffiteri quisquam potest, eum in sua ad Possessorem Epistolâ ex Apostolicæ Sedis autoritate pronuntiasse, quem Episcopo respondisse constat, à quo uti Summum Ecclesiæ caput consulebatur. Ex hac igitur supremi Ecclesiæ Hierarchæ Cathedrâ, cujus judicium quærebatur, respondit Sanctissimus Pontifex, ut quod aliàs de Leone Magno, * de Hormisda quoque pronuntiari hoc loco possit, Petrum per Hormisdam locutum esse. Ab annis fermè mille ducentis, in universa Ecclesia Pontificium illud Rescriptum exceptum est; quo Augustini doctrina, ultimis præsertim libris distinctiùs & luculentiùs expressa, sacro velut oraculo consecratur. *De libero arbitrio & gratia Dei, quid Romana, hoc est Catholica sequatur & asseveret Ecclesia, in variis locis Beati Augustini, & maximè ad Hilarium & Prosperum cognosci potest.*

* Vocis B. Petri omnibus constitutus interpres. *Tom. 4 Conc. gen. pag. 833.*

Epist. 70. * Itaque Sedes Apostolica non tantùm semel, sed etiam secundò & tertiò adversùs Pelagianorum reliquias pro defensoribus gratiæ & prædestinationis sententiam tulit, ut jam hæc sententia non quorumvis Doctorum opinio, sed

Et quisquam jam dubitabit, Ecclesiam Augustini doctrinam fecisse suam? Non certè dubitabat Bellarminus è Societate Cardinalis *, Optandumque ut Thesis hujus Autor & vindex, eximii viri judicium, ex quo Societati tantum gloriæ & honoris accessit, Molinianis novitatibus, quæ illi usque adeò dedecori sunt, prætulisset. *Hæc Augustini sententia*, ait ille, *non quorumvis Doctorum opinio, sed fides Ecclesiæ Catholicæ dici debet.* Est hoc verò Sanctorum Patrum & celebriorum Doctorum Judicium constantissimum; Prosperi, Petri diaconi, Fulgentii, aliorumque bene plurium, quorum suffragia producit meritissimus Cardinalis, totiusque Ecclesiasticæ Traditionis.

fides Ecclesiæ Catholicæ dici debeat. *Bellarminus Tom. 4. Editionis Paris. 1613. lib. 2. de grat. & libero arbitrio.*

In ea quodam modo sententia, Jesuitarum Societas nata est. Salmeronius S. Ignatii Socius, & elapsi seculi Theologus præstantissimus suam his verbis mentem aperuit: *Tertius erat modus dicendi, quòd à prævisione meritorum penderet Prædestinatio; qui quidem falsus est, & ut Pelagianum dogma ab Augustino confutatus; & ut dogma Calvini confutandum, qui Deum malorum causam esse prædicat.*

Patres non solùm hoc affirmant, sed antiquiores & doctiores ipsis, quos cæteri postea secuti sunt ad fidem Catholicam hanc sententiam pertinere tradunt, & contrariam ad Pelagianos rejiciunt. *Ibid. pag. 478.*

Dionysius Petavius, cujus paulò ante suffragium usurpavimus, scribit, Augustinum tot inter Ecclesiæ latinæ Patres, quorum in divinæ gratiæ quæstionibus summa Autoritas est, primum ex Theologorum omnium consensu locum obtinuisse. Quin & addit, *Omnes deinceps Doctores & Patres, tum verò Ecclesiæ Romanæ Præsules, Præsulumque Conventus, illius de divina gratia sententiam ita ratam & catholicam judicasse; ut hoc satis magnum putarint veritatis argumentum, quòd ab Augustino positum & decretum esse constaret.*

Lib. 3 disp. in Epist. Pauli ad Rom. disp. 21 tom 13. Tom. 1. dogm. Theol. lib. 9. cap 6.

Nec verò quis nobis obtrudat, extremos Ecclesiæ Romanæ Pontifices, suos hac parte Decessores deseruisse. Figmentum est illud quorundam nostrorum temporum Protestantium, ut Apostolicam Sedem novitatis incusarent. Clemens VIII. Alexander VII. Clemens X. Innocentius XI. (*a*) Innocentius XII. (*b*) qui pari nunc integritate ac potestate Ecclesiam regit, fideles ætate nostra ad Augustini libros misere, ut Ecclesiæ Romanæ doctrinam, quod gratiæ quæstiones attinet, discerent. Minùs igitur est, Prædestinationem in doctrinâ Augustini, omninò gratuitam appellasse; addendum hoc quoque, cum Romanis Pontificibus, ac Celeberrimis Catholicorum Scholis, hanc ipsam esse Ecclesiæ sententiam.

(*a*) In suo Brevi dato 23. Febr. 1677. quo jubet festum S. Augustini per totam Hispaniam celebrari. (*b*) In Brevibus ad Belgarum Episcopos & ad Facultatem Theologicam Lovaniensem, datis 6. Feb. 1694. & 24. Nov. 1696. *Posit. 5. col. 3.*

Qui etiam hic sumitur de industria, propugnandæ gratuitæ Prædestinationis modus, nescio quid affectationis prodit: *Nihil certius*, inquit, *in doctrinâ Augustini, & nos id ipsum affirmamus.* Nihil eo dogmate certiùs, at ubi? Num in omnibus Scholis? Num in Ecclesia? Nihil ea de re, nihil. Ita-ne verò, ubi fidei dogma ponitur, in Ecclesia susceptum, & Theologorum opinationibus minimè permissum, ita-ne, inquam, jejunè & exiliter? Siccine occasione Moliniani dogmatis factum, in altera Thesi? ubi solis ex adverso positis hæreticorum sententiis magnificis adeò verbis Molinismus exponitur.

 Quod

Quod in quinta tertiæ Columnæ positione legitur, tametsi Augustino, cujus in statuendo decretorum ordine sententia ponitur, honorificum videri utcunque possit, non n si tamen studiosâ dexteritate dictum est, ut sanctissimi viri doctrina, inter liberas Theologorum opiniones reponatur. *An ad gratiam priùs, aut ad gloriam, Deus electos prædestinaverit; hanc quæstionem non attingit S. Doctor: ejus tamen doctrinæ magis, consentaneum est, ut gloria priùs decreta dicatur, & hic quoque toti Augustiniani sumus.* (Ibidem.) Quàm grata nobis, quàm jucunda hæc illa tandem Jesuitarum vox, *toti Augustiniani sumus.* Monendi tamen, ne varia promiscuè dogmata misceant, neve opinionem Scholarum arbitrio datam, quis scilicet divinorum decretorum ordo, cum constanti gratuitæ Prædestinationis doctrinâ confundant. Procul est illa à prudentibus Theologis aberratio. At gravis suspicio subest, ne qui se in statuendo decretorum ordine, & gratuitâ Prædestinatione constituendâ, totos se perinde Augustinianos vocant, parem faciant utriusque negandi dogmatis libertatem.

Meminerint itaque, altum ab Ecclesia, inter utramque quæstionem discrimen poni. Nihil adhuc pronuntiatum ab ea legimus, de divinorum decretorum Ordine, quem ea Thesis uti Augustinianæ doctrinæ consectarium ponit, de quo disputare sit liberum. At gratuitam prædestinationem solenniter definivit, velut ex Scripturis ac veterum traditione petitam, & ab Augustino adversùs Pelagianos apertè & invictissimè propugnatam.

Hujus Ecclesiæ doctrinæ ignoratione, amplior Lessio datus est campus, in quo Molinam & Augustinum alternis veluti vicibus ludit. (Edit. Lugd. an. 1651. pag. 443.) In dispositione Apostolica de gratiâ efficaci, statim ab initio ponit gratuitam electorum prædilectionem, at jactis Molinæ principiis. (Ibidem pag. 5 4.) Cum tractatu sequenti de Prædestinatione & reprobatione Angelorum & hominum, oppositam viam init: nullam prædilectionem gratuitam agnoscit: Molinam Sodalem suum, hactenus à se dessensum deserit: tantúmque abest, ut conditionatam præscientiam, exponendo Prædestinationis Mysterio commodam dicat; quin potiùs nihil ex ea solatii peti posse, confidenter pronuntiat, in ipsa Tractatus Præfatione *. Tum subinde, toto passim Opere, in sententiam Molinianam, quæ gratuitam prædilectionem Scientiæ mediæ fundamentis superstruit, ea ipsa incommoda regerit, quibus Molina ipse gratiam ex se efficacem, & prædestinationem prævisa quæque merita antevertentem oppugnaverat. (pag. 551.) Quin etiam graviora objectat: Molinianа decreta nullatenùs meliora vocat: Auctam non sublatam scientiâ conditionali difficultatem dicit *: atque etiam quod mirandum magis, neminem esse contendit, *Qui non mallet voluntatē suam prædestinari & necessario impelli ad opus malum, quàm occultis modis ita gubernari, ut libere faciat; quia illo modo plus haberet excusationis.* Sic sanè sibi datus audacium hominum animus, omni doctrinæ vento jactatur. Verùm etsi Augustini doctrinam, Molinianæ hoc saltem loco anteponat Lessius, ejus nihilominùs partes illicò deserit: tantumque abest ut gratuitam prædilectionem à Sanctissimo Doctore positam amplectatur; quin potiùs ad injiciendam desperationem inventam effutit. (Ibidem. ibid pag. 531. & 536.)

* Alii confugiunt ad prædiffinitionem præscientiæ conditionatam, sed etiam ex hac parum vel nihil apparet solatii. pag. 512.

* Non tollitur per præscientiam conditionatā, sed potius augetur, quia subministrat modum occultè exsequendi & dissimulanter impediendi, ne quis non electus in numerum salvandorum intret.

Ut ergo Semipelagianorum, in Augustini & Ecclesiæ doctrinam, odiosa probra tritasque criminationes refricare Lessio placuit, eadem illi responsa demus, quibus ingratos & superbissimos gratiæ inimicos toties exagitavit Sanctissimus doctor. *An timendum est, ne tunc de se homo desperet, quando spes ejus ponenda demonstratur in Deo; non autem desperet, si tam in se ipso superbissimus & infelicissimus poneret? Maledictus omnis, qui spem habet in homine: Bonum est confidere in Domino, quàm confidere in homine, quia beati omnes qui confidunt in eum.* (Lib. de dono persev. cap. 22.)

Sic certè spes hominum erigit Augustinus, eosque adversùs nimiam de semetipsis fiduciam munit. Nec modò sua nos doctrinâ *in barathrum desperationis* non agit, ut audacibus & ignaris nonnullis visum est; (Ibidem pag. 536.) quin & nos eò certiùs constanti firmaque spe in cœlum erigit, quò firmiùs totam in Deo fiduciam, nullam in nobis ponendam decernit. *Absit autem vobis, ideò desperare de vobis, quoniam spem vestram in ipso habere jubemini, non in vobis.* (Lib. de dono persev. cap. 22.)

His documentis imbuendi fidelium animi, ut solidæ pietatis fundamento posito, nec vanâ de suis viribus fiduciâ extollantur, nec iniquâ de divina misericordia diffidentiâ solvantur. In hac sententiâ state firmiter; nec vanis Molinæ, Lessii, Arminianorum, licentiorumque hominum terroribus moveamini, quibus gratuitam electionem hac nostra ætate impetere moliuntur; uti vanas olim Pelagianorum declamationes sprevit Ecclesia, quibus obscœnâ sophismatum fæce, divinæ gratiæ Vindicis auctoritatem ac fidem imminuere nitebantur.

Absit nihilominùs, ut Molinæ ejusque le-

Sectatoribus Semipelagianiſmum tribuamus. Hoc ſaltem æſtimare par eſt, illos pro ſua in Eccleſiam obedientiâ, nefarias Molinani ſyſtematis conſecutiones diſferri: ſtatuendumque omninò, illos ſi fortè in errore verſantur, à pertinaciâ tamen, atque ita ab hæreſi procul eſſe. Cùm etiam Apoſtolica Sedes, ſua dumtaxat juris eſſe voluit, de celeberrima auxiliorum diſputatione, inter Prædicatorum Ordinem & nonnullos Societatis Theologos, hujus initio ſeculi agitatâ pronuntiare, judicium à Summis Pontificibus in ſuſpenſo poſitum exſpectare neceſſe eſt. Intereà per nos minimè ſtabit, quominùs Theologi Societatis, in hac noſtra Diœceſi conſtituti, Molinianas divinæ gratiæ & liberi arbitrii conciliationes pro viribus tueantur. Sic tamen, ut nec ſcientiam mediam, velut unicum orthodoxum explicandæ Prædeſtinationis modum efflutiant; nec gratuitam prædeſtinationem, ab Auguſtino ſecundùm Scripturas prædicatam, & omni retrò tempore ab Eccleſia ſuſceptam, uti doctrinam opinione liberam ponant. His dumtaxat conditionibus, licitam eis facimus Scientiæ-mediæ defenſionem, adversùs eruditam Doctoris Angelici Scholam; quam poſthabitâ Sanctiſſimi Inſtitutoris voluntate, contemtiſque generalium Societatis Congregationum ſtatutis deſeruere. Verùm non ultra Scientiæ-mediæ uſum Auguſtino tribuant, ipſo etiam Molina repugnante, Sanctiſſimóque Doctore prorſus invito, qui hanc eo ipſo in libro funditùs evertit, quem in ejus defenſionem adducit Autor ſecundæ Theſis. Agnovit equidem Doctor Sanctiſſimus, *Habere quoſdam in ipſo ingenio divinum naturaliter munus intelligentiæ, quo moveantur ad fidem, ſi congrua ſuis mentibus, vel audiant verba vel ſigna conſpiciant.* At quid iis Auguſtini verbis & Scientiæ-mediæ? Quid ergo? An fortè Auguſtini ſenſum eſſe putat hujuſce Theſis propugnator, verba ac etiam miracula ad converſionem hominis ſatis eſſe, modo nativis cogitationibus congruant! Purus hîc putuſque Pelagianus eſt error, quem gratiæ Vindici nullus affinget. Quovis igitur ſenſu ſumatur divinum illud naturaliter munus, eò demum deveniendum eſt, quod de Tyriis ac Sydoniis ibidem addit. *Nec illis profuit, quod poterant credere quia prædeſtinati non erant ab eo, cujus inſcrutabilia ſunt judicia & inveſtigabiles viæ: Nec iſtis* (Corrozaïtis ſcilicet ac Bethſaitis) *obfuiſſet, quod non poterant credere, ſi ita prædeſtinati eſſent ut eos cæcos Deus illuminaret, & induratis cor lapideum vellet auferre.* Huc ergo referenda venit electionis gratia: non in naturale intelligentiæ munus ejus, ejuſve cum externis occaſionibus cognationem, à Deo ſcientiæ cujuſdam mediæ lumine cognitam. Imminò verò in ſecretam divinæ voluntatis ordinationem; *Omnipotentiſſimamque*, ut loquitur Auguſtinus, *inclinandorum transferendorum, quando voluerit & ubi voluerit poteſtatem.*

lib. de dono Perſev. cap. 14.

Ibidem.

Tota illuc collimat Auguſtinianæ doctrinæ ſumma. Iis principiis Deo dignis hærete firmiter: ac procul vana illa novaque, ſigmenta ablegate, quibus humana mens altiora Myſteria metiri putat. Unam Scripturam ac Traditionem conſulite, ubi ſecretas illas occultaſque rationes diſcere liceat, quibus præpotens Deus corda hominum ad arbitrium inflectit fide novimus, Deum *omnia quæcunque voluit, feciſſe in cœlo & in terra*: eundemque & in miſericordiâ divitem, & in judiciis incomprehenſibilem: ne igitur ejus omnipotentiſſimam voluntatem, ab humanis affectibus pendere putemus; quaſi rerum omnium Conditori Deo, mutua nobiſcum conſilia conferre ſit opus, ut ſua illi proſperè ſuccedant, illeque ipſe qui corda Regum, quovis præ cæteris jure ſoluta, manu regit, ac pro nutu flectit, infirmæ priùs voluntatis ſinus exploret, quàm ſua decreta ferat ac ſanciat.

Pſal. 113. 134. Ad Eph. 2. Ad Rom. 11.

Cæterùm ſpes nobis eſt, fore ut in tradenda Prædeſtinatione gratuitâ, non eruditioni tantùm, ſed & proximorum exemplo utilitati ſtudeatis. Utrumque nos admonet Auguſtinus, quid docendum, qua ratione docendum. Nedum vitandus eſt error, unde grave damnum ſuboriri poſſet; verùm & omnis verborum aſperitas, quæ non exemplo, ſed ſcandalo foret. Ea prudentiâ tractandum illud argumenti genus humanis mentibus impervium, ne inſpiratâ fiduciâ tepeſcant auditorum animi; aut ingenerato laboris ſtudio, ſuis plus æquo viribus fidant. Piæ fiduciæ rationes, ex ipſa orandi neceſſitate repetit Sanctiſſimus Doctor, dum inquit: *Vos itaque etiam ipſam obediendi perſeverantiam à Patre luminum, à quo deſcendit omne datum optimum, & omne donum perfectum ſperare debetis, & quotidianis orationibus poſcere, atque hoc faciendo confidere, non vos eſſe à Prædeſtinatione populi ejus alienos: quia ut hæc etiam faciatis ipſe largitur.*

Hæc dum fidelibus monita dabitis, non terrori eritis, ſed ſolatio. Nemo quippe non ſentit, ſuâ ſe in oratione gerere piæ fiduciæ fundamentum: modò noverit illud ipſum ex Deo eſſe, qui orationis affectum inſpirat,

Aug. in Epist. ad Xistum 194. n. 30.

inspirat, & exitum donat. *Inspirato salubriter orationis affectu & effectu.*

Jam verò, ut uno velut intuitu conspicere vobis liceat, quid de vestra pietate, in hujusce Argumenti genere pertractando desideremus. Omnia hoc ordine breviter complectimur.

(a) Verbum meū non revertetur ad me vacuum, sed faciet quæcunque voluit & prosperabitur in his ad quæ misi illud. Is. 55. 11. Auferam cor lapideum de carne vestra & dabo vobis cor carneum. Ezech. 36. 26 Faciam ut in præceptis meis ambuletis & judicia mea custodiatis & operemini. Ibid. 27. lib. 1. de gr cap. 10. In Epist. ad Concil. Carth. quæ est 181. inter Aug.

Statuenda in primis gratuita atque omnipotentissima Dei gratia; nullis ingenitis naturæ dotibus, vel humano liberi arbitrii usu promerita; quæ bonas nobis cogitationes, desideria pia, actus bonos, perseverantiam in finem liberaliter donat: intima atque efficax Dei gratia, quæ secundùm Apostolum operatur in nobis velle & perficere (a): qua ut loquitur Augustinus, *Non solum suadetur quod bonum est, verum & persuadetur.* Gratia demum victrix, quæ nostram infirmitatem erigat, & contra salutis hostes sua virtute nos muniat; Innocentio I. Pontifice pronuntiante, *Necesse est, ut quo auxiliante vincimus, eo iterum non adjuvante vincamur.*

Hoc gratiæ genus statuere facillimum est; cùm publicas Ecclesiæ preces consulere satis sit; nullumque fidei dogma reperire liceat, luculentioribus Scripturarum ac Traditionis testimoniis confirmatum.

Ea ad cujusvis boni operis exordium, progressum, consummationem, ultimamque in finem usque perseverantiam gratiâ constitutâ, cum Augustino & Angelico Doctore demonstrare facile erit, non ipsâ dumtaxat fide duce, verùm & naturali ratione affulgente, Deum ante omne tempus prænovisse ac destinasse singula beneficia, quibus in hacce mortali vita nos donat. Deo etenim æterno atque immoto, nihil novi seculorum tractu accidere potest; quod is facturum se ex æternitate non destinarit, si bonum sit; aut permissurum, si malum. Hæc duo igitur ex æquo constant ea videlicet beneficia, quibus electi certissimè liberantur, ex æternitate, nullis eorum exploratis meritis destinari; eademque illis ex tempore gratuitò & efficaciter dari, hujus nempe exsecutione voluntatis & dilectionis æternæ, qua in Christo ante tempora secularia parata fuerant *. His duobus fundamentis immotis, stat universa Augustini doctrina, ab Apostolica Sede probata, & contra Pelagianos, uti Ecclesiæ fides asserta. Hinc velut ex fonte derivatur celebratissima Prædestinationis definitio, à nobis paulò ante tradita; qua tota paucis exponitur divinæ gratiæ ac nostræ salutis dispositio. *Hæc est prædestinatio Sanctorum nihil aliud; præscientia scilicet & præparatio beneficiorum Dei, quibus certissimè liberantur quicunque liberantur.*

* Caritate perpetua dilexi te, ideo attraxi te miserans. Jer. 31 3.

Lib. de dono Persev. cap 14.

Vestra illuc de divinâ gratiâ documenta perpetuò recidant: aliàs periculum suberit, ne regiâ relictâ viâ, in sinistram aut dexteram deflectatis. Cæteras quæstiones quod attinet, profundiorum & incurrentium quæstionum numero haberi possent, quos *sicut non audemus contemnere, ita non necesse habemus astruere.* In hæc verba desinunt Capitula illa celeberrima, quæ S. Cœlestini Epistolæ ad Gallicanos Episcopos datæ, adnexa sunt. Ne porro Augustini obtrectatores iis fortè verbis abuti pergant, ut Sanctissimi Doctoris sententiam, de gratuita Prædestinatione & efficaciâ divinæ gratiæ, minùs à Cœlestino probari dicant; quæ sequuntur verba maturiùs expendant: *Ad confitendam gratiam Dei, cujus operi ac dignatione nihil penitus subtrahendum est, satis sufficere credimus, quidquid secundùm prædictas regulas, Apostolicæ nos Sedis scripta docuerunt; ut prorsus non opinemur Catholicum, quod apparuit præfixis sententiis esse contrarium.* Qui aures non penitùs obtusas habent, noruntque vel leviter quæ tunc Catholicos inter & Semipelagianos quæstio esset, hoc uno telo ac veluti tonitru confici sentiunt universos Augustini osores. Nec satis ad hæc capere possumus, qua tandem audaciâ Theologi quidam gratuitam Prædestinationem inficientur.

Id porro cavete maximè, ne de auxiliorum efficaciâ tractaturi, in extremas illorum partes abeatis, qui tuendæ divinæ Majestatis studio, humanam libertatem è medio tollunt. Quin immò tametsi positis Traditionis & Scripturæ Sacræ principiis, difficilior fortè videretur divinæ gratiæ & libertatis humanæ conciliatio, quàm statutis quorundam Recentiorum opinationibus; vobis satis omninò sit, duo hæc fidei Capita posuisse, Deum omnia posse, & sua hominem libertate frui. Cætera uni Deo committite, aut iis quos ille suâ luce perfuderit, ut intimos reconditioresque modos explorent, quibus sicuti Scriptura loquitur, *facit concordiam in sublimibus*; iis nempe, quæ nimiâ sui sublimitate terrorem humanis mentibus incutiunt, vixque à nobis percipi aut conciliari inter se possunt. Quin potiùs illa ipsa quæ à nonnullis obtenditur hujusce Mysterii explicandi tanta facilitas, magnam præ se fert suspicionem falsitatis; atque adversùs recentiorum conciliationes, Apostolo Patribusque doctissimis ignotas omninò præjudicat. Satius profectò erit reconditissima Mysteria, nusquam hactenus à Patre luminum revelata, cum Apostolo & Augustino nescire; quàm

Job c. 25.

Doctorum

Doctorum de se plus æquo fidentium ingeniosa figmenta noscitare, quæ caro illis & sanguis revelarunt. Neque enim eru diti Theologi aut prudentis Philosophi est, altissimas veritates infallibili autoritate aut ipsa rationis evidentiâ constantes, idcircò negare velle, quòd gravissimis difficultatibus implicentur. Augustinus ex æquo humilis & eruditus, magnis se in conciliandâ libertate cum gratiâ difficultatibus obsideri fassus est, *(quo vel uno intelligimus obiter, quantùm illi ab eo & ab Apostolo dissideant, qui nullam hac in parte difficultatem experiuntur) stetit nihilominus in incœpto, nec à prædicandâ divinæ gratiæ virtute, & humanæ libertatis arbitrio propugnando dimotus est. *Non enim, inquit, cùm ista commemoramus, arbitrium voluntatis tollimus, sed Dei gratiam prædicamus.* Sat erit illustriora Sanctissimi Doctoris loca indigitare, ubi liberum arbitrium in agendi & non agendi potestate situm docet. Sententiam hac de re dixit omnium explicatissimè, in libro De Spiritu & littera, libro De gratia & libero arbitrio, ac passim in aureo libro, De natura & gratia. In eo asserendo dogmate ubique penè totus est: tum maximè in Enarratione in Psal. 91. numero 3. ubi hæc habet: *Aures tuæ positæ sunt inter monentem Deum & suggerentem serpentem. Quare huc flectuntur, hinc avertuntur? Non cessat Satanas suadere malum; sed nec cessat Deus admonere bonum. Satanas autem non cogit invitum: in tua potestate est consentire, & non consentire.*

* Lib. 1. de grat. Christi cap. 47 Illa quæstio, ubi de arbitrio voluntatis & Dei gratia disputatur, ita est ad discernendum difficilis, ut quando defenditur liberum arbitrium, negari Dei gratia videatur; quando autem asseritur Dei gratia, liberum arbitrium putetur auferri.

Lib. de nat. & gr. c. 32.

In Ps. 91.

Ecquis tandem sit Pastorali nostræ Institutioni modus, si illustria quæque Augustini testimonia proferrentur, ubi indivulsa sauciatæ libertatis jura tuetur ac probat, quo etiam tempore gratiæ victricis imperio subest? Quidquid tamen hoc de argumento explicatiùs docuit, hac unâ brevi ac pressâ sententiâ complexus est: *Si non est Dei gratia, quomodo salvat mundum? Et si non est liberum arbitrium, quomodo judicat mundum?* Si quis autem ultra modum argutari velit, atque è duobus alterutrum è medio tollendum putet, quòd utriusque concordiam minùs capiat; his eum verbis exagitabit Augustinus: *Nunquid ideo negandum est quod apertum est, quia comprehendi non potest quod occultum est? Nunquid, inquam, propterea dicturi sumus quod ita esse perspicimus, non ita esse, quoniam cur ita sit non possumus invenire? .... Neque propterea judicia Dei sunt injusta, quia occulta.*

Epist. 214.

De dono Pers. c. 14.

Epist. 194. n. 10.

Theologus si sapit ut debet, quo studio Electorum vocationem divinæ voluntati adscribet; eodē & reproborū damnationem solis eorundem malis meritis adjudicabit. *Deus de suo bonus*, inquiebat Tertullianus, *de nostro justus.* Diligit omnia quæ sunt ait Sapiens, & nihil odit eorum quæ fecit; quia non odiens constituit & fecit. *Quia bonus est, sumus.* Procul igitur absit a vobis feralis illa sententia, Deum se ipso quempiam prædestinare ad malum. Proscriptus error est olim in Concilio Arausicano secundo, suis in divinæ gratiæ & gratuitæ Prædestinationis hostes Canonibus celeberrimo, ac non ita pridem in Synodo Tridentina, Sessione 6. can. 17.

De resurr. carnis cap. 14. Sapien. c. 11. Aug. de Doct. Christ. lib. 1. cap. 32.

* Aliquos ad malum divina potestate prædestinatos esse, non solùm non credimus, sed etiam si sunt qui tantum malum credere velint, cum omni detestatione illis anathema dicimus. Ibid.

Quotquot ad sobrietatem, ut monet Apostolus, Theologi sapient, longè erunt ut putent, Deum justum ac bonum impossibilia jubere. A priscis quondam Patribus proscripta blasphemia, & à Concilio Tridentino rursùs explosa aureis Augustini verbis in suos canones transfusis, *Deus impossibilia non jubet, sed jubendo monet, & facere quod possis, & petere quod non possis, & adjuvat ut possis.*

In Sess. ne Concilii Sess. 6. cap. 11 & can. 18. Aug. lib. de nat. & gr. c. 43.

Illud etiam sæpiùs fidelium animis inserendum est, Deum suâ semel gratiâ justificatos nusquam deserere, nisi prius ab eis deseratur. Est hoc alterum pietatis Christianæ documentum, Augustini verbis in Concilio Tridentino definitum. Nihil eo apud Sanctissimum Doctorem eliquatius: *Ut innotescat*, inquit, *quod latebat, & suave fiat quod non delectabat, gratiæ Dei est, quæ meritis hominum adjuvat voluntates; quæ ut non adjuventur, in ipsis itidem causa est, non in Deo.*

Sess. 6. cap. 11. lib. 2. de pecc. meritis cap. 17.

Iis principiis constitutis, duo hæc consectaria sponte fluunt: primum, posse nos gratiæ cuilibet etiam efficacissimæ resistere, quia nos eâ libertate frui simus: alterum, culpæ nostræ certissimè adscribendum esse, quoties aut exteriori gratiæ resistimus, aut etiam interiori, quâ (nisi nostra obesset iniquitas) Dei mandata implere possemus. Et hoc rursùs disertissimè in Tridentina Synodo constitutum; quæ & hoc etiam in Capite, cæterisque penè omnibus Justificationem attinentibus, nedum Augustini sensum, sed verba æmulata est. Sic ergo nec humana libertas gratiæ obest, quâ velut instrumento utitur Deus: nec gratia libertati, quam sartam tectamque nobis Deus esse voluit.

Sess. 6. de Just. cap. 5. & 13.

Tota iis terminis concludenda hujusce argumenta tractatio; nec ultra divinorum Judiciorum Abyssus tentanda temerè *. Secretas divinæ in Electos misericordiæ rationes, aut tremenda in Reprobos justaque judicia scrutari propiùs, nefas esto.

* Judicia tua abyssus multa. Ps. 35. 7. Altiora te ne quæsieris, & fortiora te ne scrutatus fueris. Eccl. 3. 22. Qui scrutator est majestatis opprimetur à gloria. Prov. 25. 27.

Si qui vos licentioris procaciorisq; ingenii viri sophismatibus irretire tentarint, veteresque Semipelagianorum argutias intempestivè recuderint, hoc ipsum reponere satis esto, quod toties olim secundùm Apostolum

Ad Rom. 9. reposuit Augustinus: *O homo tu quis es, qui respondeas Deo?* quasi dixerit: Quid ergo tu, vilis homo, exilis admodum acuminis & ingenii, ac ipso etiam originis vitio obcæcatus, secretiora Dei judicia rimari velis? Et inexhaustæ misericordiæ, aut infinitæ justitiæ rationes scrutari te posse putes? Cùm itaque gentium Apostolus, cælesti præ cæteris luce perfusus, hanc unam noverit aut certè dederit solutionem, qua vanas humanæ ignorantiæ atque superbiæ, adversùs Prædestinationis & gratiæ mysterium, argutationes retudit; aliam ostentare, religio sit. Divina Apostoli verba locupletissimi responsi loco demus:

Ibidem ver. 10. 21. 22. 23. *Deus volens ostendere iram, & notam facere potentiam suam, sustinuit in multa patientia vasi iræ, apta in interitũ, ut ostenderet divitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ præparavit in gloriam.* Nec tamen *dicit figmentum ei qui se finxit: Quid me fecisti sic? cùm habeat potestatem figulus luti, ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam.* Si qui ultra molestiùs urgeant, jam cum Apostolo exclamandum: O altitudo divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, quàm incomprehensibilia sunt judicia ejus, & investigabiles viæ ejus! monendique, juxta Augustini consilium, importuni Cavillatores, ut sibi caveant, ne dum quærunt doctiores, inveniant præsumtores.

Vanis Theologorum inventis nullatenus invideatis. Augustini dictum suâ ipsi audaciâ comprobarunt: *Scrutetur qui potest Judiciorum Dei tam magnum profundum; verumtamen caveat præcipitium.* Eorum adversùs sanctissimum gratiæ defensorem criminationes ne curetis. Quantumlibet illi initio sibi blandirentur, magnaque spe mentem pasti sibi fingerent, futurum tandem aliquando, ut Ecclesia Augustini sententiis (sicut aiebant) turbata jam pridem, suis illis inventis sedaretur, novamque lucem acciperet; suo tandem experimento comprobarunt, quantùm ipsos spes illa deluderet. Nec modò quam sibi spondebant pacem non attulere; sed suis etiam inventis excitata dissidia, tumultus, scandala, suis veluti manibus contrectarunt. Novos illos humanæ superbiæ partus irriserunt quotquot veterum Patrum & Ecclesiæ Romanæ doctrinam æmulabantur. Joannes Mariana, Molinæ licet Concellita, Sociorum pertinaciam malè habuit, qui Societatis honorem in ejus tuenda doctrina positum existimabant. Ac demùm Lessius ipse, variis turbinibus agitatus, nihil ex hoc novo invento solatii reportavit.

Epist. 194. ad Xistum. Aliàs 105.

Humilis Scripturarum meditatio, Traditionis studium acre, conscientiæ puritas, plus nobis lucis afferent, quàm quantacunque ingenii subtilitas, superbaque humanæ mentis elatio. Ac re ipsa quidem vulgò probabitis, Augustinianæ doctrinæ studiosiores religiosiori grati animi significatione Dei dona excipere, iisdemque accuratiori fide ac religione respondere: cùm alii ex opposito, qui ab ea, quasi animos frangeret aut socordiam aleret, procul absunt, grave periculum subeant, ne minùs ipsi pervigilent, minùs ferveant; immò verò sibi longe plus tribuant, plus superbiant.

Sed & id obiter observandum, vanos illos sublimioris, ut videri quidem volunt, ingenii viros, qui Prædestinationis mysterium pro arbitrio flectunt, ut licentiùs vivant, ac molli securitate torpescant, ita dumtaxat subtiliter argutari solitos esse, ubi sua ipsorum salus agitur. In aliis quippe, ubi sua vel minima vertuntur commoda, omne in rebus suis promovendis studium ponunt; nec modò cæteris minùs, sed plus etiam quandoque vividi, acres, & experrecti totis viribus adnituntur. Ita-ne verò fugit eos, nisi fortè omnem religionis, ac recti judicii sensum exuerint, Deum ventura quæque certò novisse, atque æterno consilio statuisse? Quid ergo una illos non tangit animæ salus, ubi periclitatur æternitas? Næ illos seculi filios, in fluxis & caducis sectandis prudentes, ac ipsis quandoque filiis lucis prudentiores!

Ne quid ergo omittamus hoc loco institutioni vestræ pernecessarium, ab iis maximè cavendum monemus, qui cum Augustini doctrinam aperto marte oppugnare minùs audeant, ejus saltem autoritatem imminuere adnituntur, objectâ sanctissimi Doctoris cum Superioribus Patribus, ac maximè græcis dissonantiâ. Accusationem occupavit in antecessum Augustinus, multisque probavit argumentis, fieri non posse, ut aliter de divinæ gratiæ necessitate sensissent, qui iisdem illam precibus flagitaverant. Eos omnes suspectos habetote, qui vel Traditionis seriem succidunt, vel ejusdem, ut ita dicamus, generalitatem demoliuntur, Patribus secum mutuò commissis, ac fictitio Orientem inter & Occidentem excitato dissidio. Eruditionem in solvendis, non in congerendis difficultatibus

bus positam putares in conciliandis Patribus, non illis mutuâ secum contentione Aug. cont. Jul Pelag. lib. 1. c. 6. In Ps. 54. de Praedest. SS. cap 14. Lirinen. in Common. 1. cap. 22. & 23. committendis. Idque in antecessum certò credatis, quod vestro tandem experimento & assidua lectione comprobabitis, posteriores scilicet Patres (quemadmodùm Augustinus & Vincentius Lirinensis observant) ea dumtaxat distinctiùs explicasse, quæ pressiùs, atque ex occasione tantùm veteres attigerunt: ea præsertim ætate temporum, quâ nondum subortis hæresibus nulla veritatis distinctiùs tractandæ & eliquandæ necessitas erat.

Formam igitur, uti jubet Apostolus, sanorum verborum habetote, quæ ab iis audivimus, quibus veritatis depositum à Deo ipso creditum est: idque in divina doctrinâ melius, id certius reputate, quod emergentium hæresum occasione, ab Ecclesiæ defensoribus divinitùs datis assertum est.

Quod superiorum temporum Patres attinet, salvâ doctrinæ illorum integritate, observare sat est, illos necdum subortis controversiis, securiùs pronuntiasse: *Vobis nondum litigantibus, securius loquebatur*, aiebat alias Augustinus de S. Joanne Chrysostomo sermonem habens, cujus hodie nobis nonnulla loca studiosiùs opponuntur; doctissimi Photii de illius operibus minùs spectato judicio. *Sicubi*, inquit ille, *sententiarum aliquæ, seu interpretationis, seu profundioris indagationis indigebant, neque tamen diligenter satis eas explicavit, mirum id minimè videri debet: quæcunque enim auditorum captui accommodata essent, atque ad eorum salutem & utilitatem pertinerent, ea nentiquam ille prætermittebat. Quamobrem neque admirari sanctissimum virum satis unquam possum, quòd perpetuò in omnibus suis scriptis, auditorum ita utilitatem, tanquam scopum præfixisse sibi videtur, ut cætera vel omninò neglexerit vel levissimè attigerit: sed & illud præ auditorum utilitate contempsit, quod alicui vel sensus aliquos ignorasse, vel ad profundiora quædam penetrare refugisse, vel id genus alia prætermisisse videri posset.*

Lib. 1. contra Jul. cap. 6.

In Bibliot.

Nos quidem, qui ea dumtaxat vobis exponimus, quæ à sanctissimis divinæ gratiæ defensoribus, quo tempore à variis hostibus peteretur, asserta vindicataque sunt, in eadem hactenùs sententia fuimus. Hanc nos celeberrima Sorbona docuit, ubi & instituti quondam fuimus, ac nunc etiam, quod summo honori ducimus, Provisoris munere fungimur.

Ab anno 1347. Academia Theologica Parisiensis, Joannis de Mercuria Ordinis Cisterciensis propositiones numero tres gravi censura perstrinxit. *Quod propter opera alicuius futura bona, Deus præordinaverit aliquem ab æterno.* Item, *Quòd aliquis prædestinatus est ab æterno propter usum liberi arbitrii, quem Deus præscivit cum habiturum.* Item, *Quod non sic gratis & misericorditer Deus prædestinavit, quin & pro omnibus bonis ipsius futuris, vel alterius.* Extat Academiæ Censura ad Calcem Magistri sententiarum, Editionis anni 1550.

* App. Hist. Cong.

Nec aliter censebat olim Academia ista Remensis, quo primùm tempore instituta est. Fidem locupletissimam faciunt Alani Cardinalis Angli dictata scripta, dum ante indutam purpuram publici Professoris munus obiret *, cum Augustino de gratuita Prædestinatione sensisse tunc Academiam nostram, plus satis indicant.

* Balduinus Rythovius Theologiæ Doctor & Professor in Academia Duacena hæc quæ sequuntur scribebat anno 1609. (immò videtur circa annum 1589. aut 1590.) In penultima ad Baccalaureatum Disputatione defendendas sibi sumserat Respondens præter alias, etiam duas propositiones hasce *Electos Deus ex pura gratia, & non ex prævisis meritis ad ostensionem misericordiæ suæ prædestinavit. Et omnis voluntatis conatus & acceptatio gratiæ est à gratia, sine qua nemo Deo inspiranti consentit.* In disputatione cum quæsitum à quodam disputantium fuisset de sententia Illustr. Cardin. Alani super causa prædestinationis (cui interrogationi occasionem hoc dabat, quòd Respondens illius viri in Academia Remensi discipulus alumnusque fuisset) diximus & Præses & Respondens id quod res erat. Et paucis post diebus legi vobis in Commentariis ejusdem D. Alani in primum Sententiarum mea manu illo dictante descriptis ejus sententiam nostræ prorsus conformem, addens quod fide digno testimonio mihi constabat eundem a Cathedra Remensi ideò prohibuisse quosdam, quia contrarium, ut didicerant, docturi etiam fuissent.

Pag. 108. Collectionis cujusdam, cui titulus: Commentarii summi momenti Historiam Facultatis Theologicæ Academiæ Duacenæ attinentes, editi anno 1695.

Exculta eruditio singulari pietati conjuncta, quam in hacce Academia vestra læti suspicimus, spem nobis facit, futurum ut acceptam à Majoribus doctrinam tueri, & inductos à nonnullis abusus arcere pergat. Ea vos eruditio muniet adversùs talsi nominis Augustinianos, qui cum sanctissimi Doctoris mentem cæteris omnium ætatum Theologis feliciùs assecutos se sibi fingerent, gratiam necessitantem commenti sunt, novam humanæ libertatis ideam intulere, summæ bonitati Dei, qui omnes homines salvos fieri vult, modum arbitratu suo posuerunt: cæteros demum errores refricarunt, quos à Concilio Tridentino jam pridem anathemate notatos, suis demum Constitutionibus proscripsere Innocentius X. & Alexander VII. quinque famosis Propositionibus, ex libro Cornelii Jansenii Iprensis Episcopi petitis, justâ censurâ confixis.

Eas Summorum Pontificum Constitutiones summâ quâ par erat veneratione exceperunt Episcopi Gallicani; latoque ju-

dicio reverenter assensi sunt. Accessit universalis Ecclesiæ Catholicæ consensus. Ac demum Christianissimus Rex, Ecclesiæ commodis pro sua pietate indesinenter intentus, Ecclesiasticæ Autoritati Regiam addidit, lato supremo Edicto, Mense Aprili 1665. firmam hæc atque etiam perennem Ecclesiæ pacem attulissent, nisi eam identidem inquieta ingenia perturbassent, seu scriptis seu verbis minùs prudentibus & ortodoxis, quibus etiam Caritas non mediocriter lædebatur. Certam nobis restituendæ pacis viam monstravit piissimus Princeps, dato sanctioris Consilii sui Edicto, die 23. Octob. 1668. quo Brevis Pontificii Clementis IX. observantiam imperabat. Summa nobis ad hanc usque diem cura fuit, piis tanti Principis votis respondere, ut in hacce diœcesi nostra pacem integram foveremus: ac re ipsa quidem volente Deo studiis nostris respondit eventus. Stabimus post hac in incœpto, nec minimum quidquam de pristina vigilantia remittemus. Quo zelo, qua fide, in eos animadvertemus, qui è damnatis quinque propositionibus aliquam tueri, aut adversùs Innocentii X. & Alexandri VII. Constitutiones scripturire ac mussitare auderent, eorum quoque audaciam cohibebimus, qui assumtâ sibi de intimis animi sensibus judicandi licentiâ, quam ne sibi quidem arrogat Ecclesia, viros probos ac pios temerariis suspicionibus infamant, vexant, exagitant, ac vagis Jansenismi accusationibus insectantur. Sanctissimi Pontificis à Deo dati, cui & longos adprecamur annos, prudentibus Statutis utemur, ut debemus. Futurumque speramus, ut data non ita pridem Brevia Apostolica, ad Belgii Episcopos, & Academiam Lovaniensem, singulari in Augustini doctrinam studio commendabilem, locupletissimam tandem Ecclesiæ pacem adferant. Interea Brevium illorum autoritate tuti, iniquas & invidiosas accusationes compescemus, quibus professi calumniatores singularis pietatis ac doctrinæ viros insectantur.

Edicto publico 28. Septembris dati Rex cavit ne subditorum suorum ulli se invicem impetant aut dictis proscindant, sub prætexto ante actæ controversiæ, neve impingant Hæreticorum, Jansenistarum, Semipelagianorum, aut similia quævis factionis nomina, ne demum scribant edantve in lucem libellos de hoc eodem controverso argumento, nec famam conviciis lædant cujsquam, qui fidei formulæ ex sui Archiepiscopi Episcopive præscripto subscripserit, sub pœna gravi ad exemplum infligenda.

Quocirca publicè denuntiamus, quemadmodum & nuper Illustrissimus Archiepiscopus Parisiensis publico Decreto denuntiavit, nos nulla ratione passuros, ut viri sine nomine, sine caritate, ac sæpiùs etiam sine litteris, de proximorum fide judicandi, eosdemque ex levibus suspicionibus infamandi, jus sibi sumant. Faxit Deus, ut tot illis Summi Pontificis & Episcoporũ consiliis obsequantur audaces accusatores, prudentissimoque Regis Edicto obtemperent, quo fatale nimis & bonis omnibus exitiale incendium restinguendum existimaverat. Si sua illos nihilosecius pertinacia malè torquet, timendum ne hæc in eos Hormisdæ Pontificis de Scythiæ Monachis, verba cadant: *Eò usque tumoris elati, ut ad arbitrium suum utriusque Orbis putent inclinandum esse judicium; nec in numero fidelium deputantes, sequaces Traditionis paternæ, si suæ viderint cedere nolle sententiæ.*

Die 20. Augusti 1696.

Epist. 70.

Volumus hoc præsens Decretum nostrum in proximis Theologicæ Remensis Academiæ Comitiis legi, cùm primùm ex juris formâ vulgatum erit, in ejus Commentarios referri ex integro, doctrinamque inibi expositam, in publicis Scholis doceri ac propugnari. Volumus insuper, idem illud ad omnes Diœcesis nostræ Cœnobiarchas deferri, ad trium Seminariorum Præpositos, ad Rectorem & Theologiæ Professores Collegii Societatis hujusce urbis, ac demum ad Rectores Jesuitarum Carolopolis & Sedani: atque id quidem sine morâ, agente Curiæ nostræ Syndico. Universis Societatis Religiosis, seu jam in nostra Diœcesi constitutis, seu ad eam deinceps accessuris injungimus, ut præsenti Decreto pareant, quo supra modo expositum est. Ac licet liberam eis relinquamus quæstionum Theologicarum tractationem, quas vel liberas habent Theologicæ Scholæ, vel ad sui judicii aleam vocavit Apostolica Sedes; iis tamen, quemadmodum & singulis sacerdotibus secularibus & Regularibus, Concionatoribus, ac Magistris inhibemus, ne quid scribant, doceant, aut è Sacro suggestu vel Scholæ pulpito tradant duobus illis Capitibus repugnans, quibus veluti fundamentis Augustinianæ doctrinæ summam, ab Ecclesia probatam, ac velut Ecclesiæ fidem contra Pelagianos assertam ostendimus. Statuimus præterea, ut Theses Theologicæ diebus 5. & 17. Decembris anni mox elapsi habitæ supprimantur.

Cæterùm testificamur paratos nos esse ex animo, ad singulares benevolentiæ & existimationis nostræ significationes, quavis data occasione Societati deferendas: futurumque speramus, ut qua ratione nihil ex eis omninò volumus, nisi quod Dei gloria, Ecclesiæ dignitas, ac vera Societatis ipsius commoda postulant; ita judicio atque autoritati Dei pareant, qui nos immeritos licet, posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei.

Hoc tandem superest unum, ut Deum opti-

1. ad Cor. 1. ad Eph. 4. optimum adprecemur, *Ut id ipsum dicamus omnes..... simulque perfecti in eodem sensu & in eadem sententiâ*; ut ejus opitulante gratiâ, solliciti simus *Servare unitatem Spiritus in vinculo pacis*: cùm una nobis fides esse debeat, spes una, finis unus, Gloria scilicet Dei Patris, per Dominum nostrum Jesum Christum, ad Ecclesiæ Catholicæ munimentum.

Datum Remis, in Palatio nostro Archiepiscopali, sub Cameræ nostræ sigillo, nostroque ac Secretarii nostri Chirographo, die 15. Julii anno 1697.

CAROLUS MAURITIUS Archiepiscopus Dux-Remensis.

De Mandato Illustrissimi Archiepiscopi Domini me, DE MARTIGNY.

XXI.

THESES JESUITARUM

De quibus in Pastorali Illustrissimi Remensis Decreto, & in Historia Congregationis cum aliis nonnullis affinibus.

I. IESVITARVM REMENSIVM

Theses Theologicæ de Gratia.

13. *Augusti anno* 1692.

DE GRATIA IN GENERE.

Ad Paragraphum 4. Hist. de Auxiliis.

I.

GRATIA magnum Dei donum; sed magnum quoque fidei mysterium; in eo scrutando vestigiis D. Augustini & D. Thomæ prudenter insistitur, in explicando, Ecclesiæ definitionibus inhærendum. Hinc ab Alexandro VIII. damnata hæc propositio, *Ubi quis invenerit doctrinam in Augustino clarè fundatam, illam absolutè potest tenere, non respiciendo ad ullam Pontificis Bullam.* Gratia vel est purè naturalis, si tamen hæc à Theologo gratia dici simpliciter debet, vel supernaturalis, eaque vel quoad modum tantùm vel quoad substantiam: subdividitur supernaturalis in gratis datam & in gratum facientem; gratum faciens in habitualem & actualem, actualis in gratiam sanitatis & medicinæ; utraque in prævenientem, concomitantem & subsequentem; præveniens in efficacem & sufficientem, &c. Potuisse hominem condi absque ordine ad ullam gratiam supernaturalem probat ipsum nomen supernaturalis gratiæ; non ita tamen fuisse conditum probat felix ille status, in quo ante peccatum vixere primi Parentes. Hujus status prærogativæ singulares numerantur, naturæ integritas, justitia originalis, gratia sanctificans; quæ omnia primo homini à primo creationis instanti fuisse donata arbitramur, ut enim in Angelo, sic in homine Deus simul fuit & naturam condens & gratiam largiens. Fuit ergo possibilis status naturæ puræ, at non exstitit; exstitit status integer elevationis, at hic non diu perstitit, quæ enim per bonam voluntatem concesserat Deus Creator, hæc per malum arbitrii usum perdidit homo peccator, nunquam utique reditura, nisi lapsus ille naturæ fuisset, si non adæquatè, saltem secundùm id quod erat præcipuum, beneficio Redemtoris reparatus.

II.

DAri in statu naturæ reparatæ gratiam sanctificantem habitualem, eámque homini realiter inhærentem & non denominativè tantùm ab Christi Redemtoris justitia homini justo imputata, contra recentiores Hæreticos definiit Concilium Tridentinum. An hæc entitativè ab anima distincta sit, quæstio est philosophica magis quàm Theologica, supponimus certò distinctam: an verò distincta sit ab habitu caritatis, quæstio est verè Theologica, sed minùs certa; nos sententiæ distinguenti, ob id maximè quòd videatur esse D. Thomæ, lubentiùs assentimus. Bene definitur, Supernaturalis participatio divinæ naturæ,

Supernaturalitatem suam habet, sicut & omne aliud ens in entitate supernaturale, quoad nos quidem, quòd ad unionem cum Deo, ut in se est, ordinetur; quoad se verò, quòd ejus sit perfectionis, quæ vires omnes cujuscunque naturæ creatæ tam passivas quàm activas, tam morales quàm physicas exsuperet. Obtinetur in Sacramentis ex opere operato, præciso, non excluso, omni operantis merito, immò & quandoque exclusa omni subjecti dispositione, ut in infantibus: extra Sacramenta non nisi ex opere operantis, si martyrium excipias; absque tamen merito de condigno, si sit prima; secus, si sit secunda. Facit hominem verè justum, verè filium Dei adoptivum, & gloriæ æternæ hæredem: an hæc tamen omnia ex natura suâ, an ex accedente pacto divino habeat, non definimus. Capax est augmenti, augeturque de facto per pia opera, idque statim ab opere, non contradicente D. Thoma; at per peccata non minuitur, sed vel tota perit, si sunt mortalia; vel si sunt venialia, tota remanet, non tamen absque accidentali detrimento.

III.

Homo in quolibet statu indiget ad benè moraliter agendum speciali beneficio Dei, at ad agendum supernaturaliter indiget beneficio aliquo supernaturali, eóque non tantùm dignificante, sed etiam actualiter adjuvante; quin nec improbabile videtur auxilia primo homini ante lapsum, aut ad bonum agendum aut ad malum laudabiliter fugiendum concessa, fuisse omnia supernaturalia, non per se & propter defectum naturalis possibilitatis, sed ex beneficientia Dei, & propter hominis ad statum supernaturalem elevationem. Auxilium supernaturale interius duplex, aliud in intellectu, aliud in voluntate. Est in intellectu pro omni statu idem, nempe prævia cognitio ejus quod faciendum est, ut præveniatur ignorantia vel tollatur: at in voluntate est pro diverso statu diversum. In natura integra fuit, ut loquitur Augustinus, *lætius*, est in lapsa *potentius*; adjuvabat in natura integra voluntatem, non corroborabat; adjuvat & corroborat in lapsa; poterat quippe voluntas sana per se ipsam agere, licet non sine auxilio coagente; at semel læsa, facta est infirmior, quàm ut vel coagere possit, nisi priùs ipsa auxilio prævio & intrinsecè sanante corroboretur. Prioris status auxilium dictum est ab Augustino, *Auxilium sine quo*; posterioris, *Auxilium quo*: sive sit solius potentiæ, si non sit efficax, sive & ipsius actus, si accedat efficacia. In hoc adjuvandi diverso modo situm est essentiale discrimen gratiæ sanitatis & gratiæ medicinæ; & hanc fuisse mentem D. Augustini qui negaverit, Augustinum non satis intelligit.

IV.

Auxilium sine-quo voluntatis sanæ non aliud fuit post habitam gratiam originalem quàm ipsamet gratia originalis, vel per se vel per annexos sibi supernaturalium virtutum habitus voluntatem elevans & adjuvans ad actus hisce habitibus correspondentes; at ante habitam gratiam non aliud fuisse putamus, quàm concursum actualem extraordinarium supplentem absentiam principii habitualis: his sine, nihil salutare potuit completè agere quantumvis sana voluntas, at cum his nihil non potuit; secus voluntas læsa, quæ etsi à gratia habituali & virtutibus sufficienter & elevetur & veluti extrinsecè adjuvetur, ut supernaturaliter agat & meritoriè, at non habet sufficienter ab eis, ut cum iis possit cooperari, accedat enim necesse est prævia motio gratiæ actualis, quam Augustinus vocat delectationem quandam justitiæ, quæ dum vincit in nobis delectationem concupiscentiæ per suavitatem Spiritus Sancti, voluntatis sanat infirmitatem, & eam ex propriis viribus impotentem non tantùm agere, sed & coagere, corroborat ut jam possit, sicque auxilium non tantùm sine quo, sed quo. Hinc licet nec in natura integra liberum arbitriû quidquam ageret absque gratia, nec in præsenti statu gratia quidquam agat meritorium absque libero arbitrio, tamen in præsenti statu meritum omne speciali titulo gratiæ tribuitur, quod in statu naturæ integræ arbitrio tribuebatur: hæc enim verò attributio specialis apud Augustinum non semel occurrens, quandam dumtaxat primitatem causalitatis innuit, non coagentis exclusionem.

V.

Auxilium illud quo gratiæ, quod negabat Pelagius, quod Augustinus propugnabat, & à Pelagio nunquam non postulabat, ita in natura lapsa necessarium est ad omne opus salutare, ut absque eo physicè, non tantùm *elicitivè* sed & *applicativè* influente, liberum hominis arbitrium nihil, ne initium quidem cujuscunque operis salutaris, habere possit; non initium fidei aut credulitatis affectum; non invocationem gratiæ, non volitionem sanationis, non quantulumcunque conatum, non suam determinationem. Quid ultrà poscat vel ipse Philalethes adversariorum acerrimus? TH. V. (a)
At si ita est, qui stabit (a) *Triumphi sui* Philalethes
funda-

librum suum inscripsit Triumphus Thomistarum, ipse tamen non Thomista (b) In Appendice, quam inscripsit Triumphus firmatus num. 25.

fundamentum, quòd affirmemus, *In opere salutari aliquid esse à libero arbitrio, quod non sit effectivè ab auxilio gratiæ*, si non *elicitivè* saltem *applicativè*, ut explicat alibi (*b*), cujus oppositum hic apertè profitemur. Neque tamen propterea concludendum est aut exstinctum esse liberum arbitrium, aut ita infirmatum per peccatum, ut nihil cooperetur, quo ad justificationis gratiam se disponat ac præparet, contradicente Tridentino, sic enim à Pelagianismo discedendum est, ut in recentiores hæreses non impingatur: immò nec est inferendum humanum arbitrium nihil posse omninò boni intra naturæ limites; sive, ut loquitur Augustinus, *quod ad præsentis vitæ honestatem valet*, si non desit auxilium connaturale: hinc enim multæ damnatæ propositiones Baianæ. Quid autem possit, non nisi periculosè definire; tentabit privatus Theologus. Hoc unum dici ad majorem Christi gloriam posse putamus, vel ipsa purè naturalia, si quæ homini nunc dantur, auxilia, aut ad vincendas laudabiliter leviores tentationes, aut ad bene purè moraliter agendum, totidem esse Christi beneficia, ut sic totum ei debeatur, à quo peccatum illud deletum est, per quod totum ablatum erat.

V I.

ACtualis & supernaturalis gratia Christi duplex est, efficax & sufficiens. Augustinum sanè non accuratè legerunt, qui vocem gratiæ sufficientis ignotam volunt Augustino, cùm Augustinus facultatem non modò sufficientem sed & *sufficientissimam* agnoscat (*c*) non efficacem. Qui verò in doctrina gratiæ asserunt eundem Augustinum à prioribus Patribus dissensisse, haud facilè definias Patribusne an Augustino sint magis injuriosi, Patribus, quos in re tanti momenti erroris arguunt; Augustino, quem Pelagianis objiciuut desidendum: quâ enim vel apparente ratione recusare potuisset Augustinus priorum Patrum doctrinam circa gratiam, qui ob id maximè à Juliano postulabat admitti peccatum originale, quòd iidem Patres peccatum illud admisissent. Fuit ergo & priorum Patrum & Augustini eadem de gratia doctrina, sicut & de peccato originali, at non ita apertè explicata: nec ab iis, sicuti nec ab Augustino, ullo modo dissentimus, cùm & sufficientem gratiam admittimus, cui consentire homo possit, si velit; & efficacem, cui non tantùm *dandæ*, quod admittit Philalethes, sed & *datæ*, quod in proprio sensu negat, dissentire posset, si vellet id definiente Tridentino: sicque asserimus

VI. (c) Ex eo quòd non accepit nullus reus est: ex eo verò quòd non facit quod debet, justè reus est: debet autem, si accepit & voluntatem liberam & SUFFICIENTISSIMAM facultatem. Et infra. Si tu laudaris videndo quod facere debeas, quantò magis ille, qui & velle præcepit, & POSSE præbuit, &

efficacem esse utilem & necessariam, ut sufficiens non sit inutilis, nedum perniciosa, & ad id ut minimum necessaria, ut justificetur Deus in sermonibus suis, & vincat cùm judicaverit peccatores. Huic doctrinæ frustra opponitur dictum S. Augustini, *Quod amplius nos delectat, secundum id operemur necesse est*; cùm id sit intelligendum de delectatione, non quæ sit gratia, sed à gratia nobisque libera.

non impune nolle permisit. Aug l. 1. de lib. arb. cap. 16.

DE GRATIA EFFICACI IN SPECIE.

V I I.

GRATIA efficax ob adjunctam sibi beneficii specialis rationem, gratiæ nomen sibi specialiter vendicat, & re ipsâ apud Patres sæpè obtinuit. Quid de ea sentiamus, apertè declaratum est jam ab anno 1599. in quinque propositionibus à nobis Cardinali Madrutio & per eum Clementi VIII. præsentatis 28. Maii (*d*) iis ne in apice quidem immutatis (1) etiaminum adhæremus, ut pote quæ doctrinam contineant, quam & tunc arbitramur & D. Augustino & D. Thomæ magis consentaneam. Prop. 1. *Ad pietatis opera, quibus homo ad justificationem disponitur necessarium est auxilium præveniens (2) gratiæ efficacis, per quod Deus facit ut homo (3) piè operetur; quod quidem auxilium est internum, supernaturale (4) intellectui & voluntati intrinsecum, & donum peculiare distinctum ab auxilio sufficienti, nec se tenet solùm ex parte objecti, sed etiam ex parte potentiæ.* Prop. 2. *Efficacia hujus auxilii non consistit in qualitate seu motione, quæ physicè prædeterminet hominis voluntatem ad consensum, aut quæ talis sit naturæ, ut cum ejus entitate dissensus (5) conjungi non possit, sed consistit in supernaturalibus & congruis Dei excitationibus, (6) quæ ad vocationem solent (7) revocari, quibus Deus intellectum illuminat, & voluntatem inclinando & persuadendo movet ea ratione, quâ videt ei congruere ut vocantem non respuat.*

V I I I.

PRop. 3. *Unde hæc efficacia (8) gratiæ præter entitatem & vim supernaturalem, quam à Deo accepit, necessario etiam requirit ut ea homini (9) tribuatur in illis circumstantiis, in quibus prænovit Deus ita congruere 10. voluntati, ut, si per eam provoveatur, sit infallibiliter præstitura consensum.* Prop. 4. *Præter hanc gratiam (11) quæ in prædictis vitalibus (12) motionibus consistit, nulla alia requiritur (13) motio physica distincta à gratia comitante (14), quæ sit ultimum actus primi complementum ad usum gratiæ sufficientis necessarium (15)* Neces-

VIII (d) Hæc, & plura alia ad historiã Congregationis de auxiliis pertinentia, videri possunt apud Ripaldam, de Ente super. Tom. 2. l. 5. disp. 113.

(1) Historici observatio. Cum hoc idem Scriptum, cui ne in apice quidem immutato etiamnum adhærere profitentur Jesuitæ Remenses, superiùs Historiæ lib. 2. c. 6. pag. 202. excusum sit, operæ pretium putavi etiam levicula discrimina observare, quæ inter nostrum illorumque exemplar occurrunt. Nostri igitur istæ sunt lectiones à Thesi discrepantes. (2) prævenientis. (3) ut homo convertatur & piè opere-

Necessaria tamen est gratia comitans (16) *Dei adjuvantis & cooperantis, quæ unà cum libero arbitrio piam actionem eliciat, ac simul cum eo*, (17) *ut causa tamen præcipua, ejus determinationē efficiat.* Prop. 5. *Procedit autē auxilium efficax ab æterno & absoluto Dei* (18) *decreto, quo pios actus in particulari* (19) *voluit ante prævisionem boni usus liberi arbitrii* (20) *absolutè futuri, non tamen ante præscientiam ejusdem boni* (21) *usus præcogniti futuri sub conditione talis gratiæ;* (22) *quod æternum Dei decretum Deus exsecutioni mandat in tempore, non quidem per aliquam motionem, quæ physicè voluntatem prædeterminet, sed per vitales illas motiones voluntati congruas, & per gratiam comitantem supra explicatas* (23)

tur. (4) *Pro* Supernaturale *habet*, A Deo immissum (5) voluntatis dissensus (6) *Add* Et inspirationibus (7) *Pro* solent *habet* debent. (8) prævenientis gratiæ. (9) Ea hominiomittit *nostrum* (10) In quibus præcognoscit Deus ita aptari & congruere. (11) Prævenientem efficacem. (12) *Addit* Dei. (13) Nulla alia nec propter indifferentiam voluntatis, nec propter subordinationem causæ secundæ ad primam requiritur &c. (14) Distincta à comitante. (15) *Deest* necessarium. (16) concomitans. (17) cum Deo. (18) Dei voluntatis (19) Quo illos actus quibus homo convertitur, in particulari (20) *Deest* liberi arbitrii (21) ante prævisionem boni (22) sub hac conditione, si liberum arbitrium tali gratia (in) talibus circumstantiis moveretur. Quod æternum decretum &c. (23) per vitales illas *inspirationes* & motiones voluntati congruas *ut consentiat* & per gratiam concomitantem, *modo supra exposito.*

IX.

GRatiæ efficaci in his quinque propositionibus explicatæ conveniunt dotes omnes quas catholica doctrina requirit, nulla ex iis, quas convitiantur adversarii 1. *Humanæ libertati congruit*; quis verò non indignetur vel ob id solum à quibusdam censeri rejiciendam? Quasi verò non is debeat esse Theologorum scopus, ut salva fide, vel apud ipsos Infideles, humana libertas concilietur cum divina præscientia, cum gratia, cum gratuita Dei prædestinatione: ad gratiarum quidem distributionem exclamandum est, ò altitudo! at non ad singula, quæ gratiam spectant. Hanc libertatem humanam penitùs pessundat gratia efficax Jansenii, sive antiquum nomen retineat necessitatis, sive à recentioribus Patronis pallietur nomine prædeterminantis, ut nempe detur effugio locus. Eamdem libertatem non nisi in intelligibiliter salvam conservat, non qualis infrà tolerabitur à nobis, sed qualis à Thomistis communiter admittitur, physica gratiæ prædeterminatio, D. Thomæ, ut quoad nomen incognita, ita & quoad rem planè opposita, quam tamen à Janseniana diversam Thomistis (e) lubentissimè concedimus. Hanc prædeterminationem non tuetur satis sensus divisus, qui si solus passivus admittitur, non modò non *quietat animum* teste ipso Cajetano (*f*) sed vel ipsa notione libertatis evertitur; si activus, rationem evertit prædeterminationis. Tueri posset præcedens dispositio negativa hominis libera, sed hæc opinio & speciem habet effugii, & in omnia impingit incommoda, quæ nobis objicit, cum hoc discrimine, quod hæc sint ei insolubilia, nobis ne timenda quidem. Non tuetur magis quod Thomistæ repetunt ad nauseam, Deum non prædeterminare nisi secundùm modum naturæ liberæ convenientem, quasi verò non id sit, quod in quæstione versatur quodque negatur, posse nempe dari physicam prædeterminationem, quæ non sit contra modum naturæ liberæ convenientem. Libertatem utcunque retinet prædeterminatio moralis quorundam Recentiorum, sed nisi hæc in congruitatem incidat, & opponitur experientiæ, & infringit dictum Joannis; *Regnum Cælorum vim patitur &c.* & nisi à scientia media dirigatur, Deum facit frustrabiliter decernentem. Igitur ad gratiam redeundum, quæ sit ex congruitate certò & infallibiliter effectum habitura.

IX. (e) Vide opus Ber Guiard Dominicani, cujus titulus, *Discrimina inter doctrinam Thomisticā & Jansenianā* Toto lib. 1. qui est de discriminibus inter prædeterminationē Thomisticam & Jansenianā (f) *Nihil hactenus inveni ad quæstionem istam*, erat de providentia pro tempore ordinante, sed multò magis urget pro physicè prædeterminante, *nisi quæ communiter dicuntur de SENSU COMPOSITO ET DIVISO; de necessitate consequenti & consequentia &c sed hæc omnia intellectū non QUIETANT, quoniam &c.* Cajet. in 1. p. q. 22. 2. 4.

X.

HÆc gratia non est 2. *minus Dei donum* immò majus quàm si me determinaret, plus enim ei debeo, qui intacta mihique relicta mei determinandi potestate ac determinatione, tam certò me facit bonum opus operari, quàm si ipse me ad opus illud determinaret. 3. Non minùs est *efficax per se* (quanquam non in Jansenii sensu) quippe quæ nihil à voluntate mutuetur unde agat, sed ipsa viribus suis & agat & voluntatem faciat coagentem; est enim consensus voluntatis, id quidem sine quo gratia non ageret, at non id quo agit (g), & consensus ipse principaliùs est à gratia quàm à voluntate, nec à voluntate nisi per gratiam quæ physicè moveat & applicet voluntatem consentientem. Videant ergo quantùm apud nos errent, qui sic ratiocinantur: Gratia voluntatem physicè movet, immò & præmovet; ergo determinat, immò & prædeterminat, ergo non est efficax per se. 4. Non est *Pedissequa* voluntatis; neque enim ut agat, quidquam prævium exspectat à voluntate, cùm voluntas non agat nisi præventa à gratia, præventione non dependentiæ tantùm, sed & naturæ 5. Multò minùs est *versatilis*, quia etsi ejus operatio potuerit à voluntate, si dissensisset, impediri, at nec ipsa de se indifferens est ad agendum aut non agendum, est enim ex natura sua ad agendum determinata, quamvis non inimpedibiliter; nec, si esset indifferens, indifferenter datur, sed ex proposito infrustrabiliter effectum ejus prædefinien-

X. (g) Cùm Molina dixisset liberum arbitrium reddere efficacia gratiæ auxilia, qui modus loquendi, in alio quàm Molinæ sensu, ab adversariis intellectus, præcipuam dedit occasionē in ejus doctrinam declamandi, sic ipsemet illico subdit *Quando audis consentiens nostrum efficacia reddere auxilia gratia, non ita id intelligas, quasi arbitrium nostrum vim aliquam aut efficaciā tribuat auxiliis ipsis. Ut enim*

tuien-

definiente, unde non minùs apud nos, quàm apud quoscunque, *gratia efficax*, &, *gratia secundùm propositum* convertuntur.

latè explicatum est. arbitrium & influxus noster nullam vim conferunt gratiæ auxiliis, *sed potiùs*, sed contra, *auxilia vim & propensionem arbitrio tribuunt. Quo fit ut arbitrium priùs natura motum & excitatum per auxilium gratiæ prævenientis consentire liberè & cooperari cum eodem auxilio non sit* EFFICACITATEM *illis tribuere*, *sed adhibere* CONDITIONEM SINE QUA *tale auxilium* NON *habebit rationem efficacis per comparationem ad talem effectum. Hæc censui hoc loco addenda, tametsi perspicua satis in nostra doctrina essent, quoniam non defuerunt, qui, ut auxilia gratiæ ex se efficacia*, in sensu nempe Thomistico, *tuerentur, doctrinam nostram hoc loco in sinistrum sensum trahere conati sint, quasi nos docuerimus arbitrium conferre efficaciam, seu vim auxilio gratiæ &c.* Molina lib. de Conc. q. 23. a. 4. & 5. disp. 1. membr. 6.

X I.

HInc 6. nulla unquam datur efficax gratia, quin absolutè sit *certissimè*, *infrustrabiliter*, *invincibiliter*, *indeclinabiliter*, *insuperabiliter &c.* habitura effectum, quod tamen non habet à sola sua aut entitate aut etiam congruitate, sed à proposito divino, cui cùm datur, subest. 7. Per gratiam prædictam Deus non minùs *physicè* opus salutare *operatur*, quàm per quancunque aliam; ad physicam enim actionem nihil minùs facit prævia præmotio quàm prædeterminatio. 8. Neque etiam minùs *moraliter*; ut sit enim Deus initium salutis hominis, eúmque primò discernat, tam sufficit ut hominem sic vocet, quomodo scit ei congruere, ut vocantem non respuat, quàm si prædeterminet. *Neque volentis*, clamamus cum Augustino, *neque currentis sed miserentis est Dei, qui hoc modo vocavit, quomodo erat aptum iis, qui secuti sunt vocationem; nam cujus miseretur, sic eum vocat, quomodo scit ei congruere, ut vocantem non respuat.* 9. Eadem gratia non minùs est *effectus omnipotentiæ*; (*h*) immò magis: prædeterminare enim non reluctantem, non video cur desideret omnipotentem; at quis alter quàm omnipotens tot talésque habeat in sua potestate motiones, ut quamvis nulla prædeterminet liberum arbitrium, nullum tamen sit arbitrium, quantumvis aversum & reluctans, quod non possit per ejusmodi motiones, quò voluerit, eò convertere. Hoc enimverò est Deum habere, ut ait Augustinus, *humanorum cordium quò voluerit inclinandorum omnipotentissimam voluntatem.* 10. Denique ut non minùs *gratuitam*, sic nec minùs *inscrutabilem* facit hæc gratia prædestinationem, sed de prædestinatione infrà. A page ergo toties in hanc gratiam intentata ab nonnullis terriculamenta, quæ sciolis imponere possint non doctis: in quæstione tam gravi rationibus agendum non convitiis, & priùs discendum quid impugnetur quàm descendatur ad pugnam.

XI. (*h*) *Memento ista aptissimè inter se cohærere, nihil esse in potestate creaturæ quod etiam non sit in potestate Dei: Deum suâ OMNIPOTENTIA inflectere posse nostrū liberum arbitrium quocunque voluerit, præterquàm in peccatum &c.* Molina l. de Conc. q. 12. a. 13. disp. 52. §. *Scissitabitur.*

App. Hist. Cong.

X I I.

GRatia præveniens sic est ex se & ex Deo, ut explicatum est, efficax, ut radicaliter & primò, non nisi ex nostro, hoc est ex nostri consensûs defectu, fiat ad id, ad quod proximè datur, purè sufficiens ut verificetur illud Osée 13. *Perditio tua ex te, Israël, tantummodò in me auxilium tuum.* Gratias purè sufficientes admittunt Thomistæ, & sentiunt tales esse ex negatione prædeterminationis. At si hæc negatio negationem consensus non præsupponit, rursùs inintelligibilis est conservatio libertatis; si præsupponit, rursus adest species effugii, rursus incommoda ipsis insolubilia. In Principiis multorum aliorum, sufficientia pura gratiæ oritur ex defectu virtutis quâ nos moveat: quare cùm nulla sit, quæ virtutem non habeat ad id nos movendi, ad quod proximè datur, hinc apud eos, cùm consequenter, ne dicam, cùm sincerè loquuntur, nulla est gratia purè sufficiens (*i*). Qui ea in re idem se sentire cum Thomistis, sub expressionibus utrique prædictæ sententiæ communibus, nunc profitentur, optandum esset ad Ecclesiæ pacem, ut, memores Cœlestii & Pelagii sub Zozimo, mentem apertiùs & specialiùs explicarent. Quidquid sit, quàm apertè nobis hic, ut ubique, faveat Augustinus, vel ex hoc loco potest intelligi. *Illi electi, qui* CONGRUENTER *vocati; illi autem, qui non congruebant, neque contemperabantur vocationi, non electi quia* NON SECUTI, *quamvis vocati.* Mirum sanè displicere AUGUSTINI DISCIPULIS, gratiam ex congruitate efficacem, & inefficacem ex defectu consensus, quam ab Augustino legunt assertam, placere prædeterminantem, de cujus voce tam altum est apud Augustinum silentium, quàm de ejusdem natura magnum hactenus fuit, vel inter Assertores dissidium, teste ipso Philalethe (*k*).

XII. (*i*) Pacis amantes autorum nomina solis scientibus indicamus I. S. D. L. 2. Januarii 1649. Th. 2. *Libertas non indiget gratia sufficienti, quia indifferentiam illam & gratiam merè sufficientem, quæ in statu naturæ integræ fuerunt, in statu naturæ lapsæ dari neque Scr. S. neque Con. Tr. neque S Aug. neque ratio docet.* Idem 16. Octob. 1649. Th. 4. *Gratia sufficiens statui nostro non tam utilis quàm perniciosa, sic ut proinde meritò dicere possumus, à gratia sufficienti libera nos Domine.* Quæ propositio est 6. è damnatis ab Alex. 8. G. V. D. L. 11. Febr. 1651 Th. 1. *Gratia sufficiens in hoc statu non solùm non datur, sed frustranea esset,* QUANTUMCUNQUE INTENSAM *Deus largiretur.* C. L. D. L. 17. Apr. 1651. NULLA *nobis, quæ* TOTA *in Adam periit, atque natura nostra plagas reparare inhabilis est, gratia sufficiens &c.*

(*k*) *Gratia sufficiens Molinistica concordiâ Molinistarum apud* PLEBEM *crevit: gratia per se efficax, quam uterque Ecclesiæ sol defendit, parum abfuit, quin discipulorum discordiâ dilaberetur.* Philal. in Triumph. opusc. 1. num 93. Haud querimur nos Molinistas appellari à Philalethe, tum cùm magnum, ne quid ampliùs dicam, Theologorum numerum PLEBEM appellat. Scire tamen potuit, fuisse jam ab anno 1599. 22. Febr. declaratum, propriam Molinæ doctrinam non nisi ut autoris privati (non ergo ut ducis, & quomodo ut ducis, quem nos in non paucis impugnamus) & ut probabilem dumtaxat, & à cen-

ſura alienam à nobis vindicari, quod quidem hactenus, Deo favente, præſtitum eſt. Quid autem de doctrina Molinæ ſentiant plures alii non NOSTRI, diſcere poterit ab uno aut altero. D. BAIL. Doctor Sorbonicus in addit. ad Summam Concil *Licet ſignificaverit Molina in libro ſuo de Concordia, ſi ratio concilianda humana libertatis cum divina gratia, qua petitur ex uſu ſcientia media ita fuiſſet ſemper expoſita diſtinctè, ac à ſe expoſita fuit, inde juvari potuiſſe, qui olim contra Pelagianos, & nuper contra Lutheranos pugnaverunt, hoc nec D. Auguſtino nec Concilio Tridentino injurioſum ab aliquibus ritè cenſetur. Quid enim vetat quidpiam ſubinde retegi, quod erat quidem traditum priùs, ſed non tantopere enucleatum; ut aliquid afferatur lucis iis qua à SS. Patribus tradita ſunt? Quid ni creſcat in Eccleſia ſplendor &c.* Expreſſiùs Sylveſter MAUROLICUS lib. 5. Oceani Relig. citatus in Bibliotheca Scriptorum Societatis, hoc eſt in libro, qui cùm à ſacra Rituum Congregationis ob reverentiam cujuſdam decreti ab Urbano VIII. prius editi, primùm repulſam paſſus eſſet, ejuſdem Congregationis Secretario proponente, ipſius Urbani juſſu iterum examinatus eſt à R R. D.D.D. Julio Cencio prælaudato S. Congregationis Secretario, D. F. Albizio, tunc S. Inquiſitionis Aſſeſſore, poſtea Cardinale, & D. Jul. Roſpiglioſio tunc Secretario Brevium, poſtea Clemente IX & poſt diligentiſſimum octo menſium examen, & habitam ſuper eo Congregationem approbatus eſt, addente Urbano placere ſibi hujus libri impreſſionem: in libro igitur tanta approbatione munito Maurolicus in doctrinam Molinæ diſtinctiſſimè citatus, *cujus*, inquit, *eruditus DE AUXILIIS partus, poſitus in fornace EXAMINIS PONTIFICII, & ſæpius igne probatus, deprehenſus eſt AURUM OMNIBUS NUMERIS PURGATISSIMUM*, Vide infra BOYVINUM Th. 14. Lit *p*.

DE CAUSIS ET ADJUNCTIS GRATIÆ.

XIII.

GRATIÆ cauſa efficiens principalis, Deus; quod enim omnes creaturæ vires & exigentiam ſuperat, à quo alio poſſit eſſe quàm à Deo? Cauſa meritoria in ſtatu præſenti, Chriſtus. Hic meritum ſuum conſummavit in morte, ei tam quoad ſubſtantiam, quàm quoad circumſtantias perfectè libera. Libertatem illam cum ejuſdem Chriſti impeccabilitate haud adeò difficilè conciliamus, non per gratias equidē, ſed per motiones ſemper efficaces, ipſi ratione unionis hypoſtaticæ, neceſſario & infruſtrabili debito debitas & datas. Sic pro omnibus oravit, ut neminem excluſerit ab oratione; ſic pro omnibus mortuus eſt, ut nemini media ad ſalutem neceſſaria denegarit, quanquam nec æqualiter, nec ſemper ſint ſingulis data. Falſa eſt ergo & meritò damnata hæc Propoſ. *Dedit ſemetipſum pro nobis oblationem, non pro ſolis electis, ſed pro omnibus & ſolis Fidelibus.* Omnium enim ſalutem aliqua voluntate voluiſſe probant ſufficienter vel ipſa Sacramenta, quæ ſic ab eo inſtituta ſunt, ut nemo omninò ſit, cui ſi debitè applicentur, non ſint effectum habitura, & gratiam, tanquam cauſæ minùs principales, collatura. Huic doctrinæ haud quaquam adverſatur Auguſtinus, etiamſi locum hunc Apoſtoli 1. ad Tim. 2. *Qui omnes homines vult ſalvos fieri*, in alio ſenſu, non uno in loco, juſta de ratione explicarit.

XIV.

DIſtributioni gratiarum prælucet neceſſariò Scientia illa, quam Recentioribus placuit *Mediam* appellare, & quam ſub ſcientia vel ſimplicis intelligentiæ, (*l*) vel viſionis antea comprehenſam, non alia de cauſa iſti putàrunt ab utraque diſtinguendam, niſi ut prædeſtinationis myſterium, ejuſque cum humana libertate conſenſio explicaretur clariùs atque faciliùs. Eſt diſtinguendi fundamentum pluſquàm ſufficiens, cùm hæc ſcientia, in particulari ſumta & ratione termini ſui, nec ſit abſolutè neceſſaria, ut ſcientia ſimplicis intelligentiæ, nec abſolutè Deo libera, ut ſcientia viſionis, ſed inter illas quaſi media; diſtinctam tamen aut admittet aut negabit qui voluerit, modò res retineatur, hoc eſt, Liberorum omnium ſub conditione futurorum cognitio, quæ omne decretum antecedat. Hanc ſcientiam novit Auguſtinus, ejus uſum laudavit in aliis (*m*), ipſemet nunquam non uſus eſt (*n*) ubi opus habuit; ejus abuſum in Semipelagianis, & aliquando in ſeipſo, reprobavit quidem (*o*), ſed ita ſemper, ut eam in genere exiſtentem non negarit, & non negando firmarit. Cave hanc ſcientiam ſeu præſcientiam, ſi ſtrictè loqui velis, confundas cum prævisione, prævidentur enim ea ſola quæ abſolutè futura ſunt, non quæ futura tantùm ſub conditione. Eſt antecedens ad omnia decreta Dei, ut eorum, quatenus ſunt effectuum liberorum prædefinitiva, ſit directiva. Hanc Deus unicè debet & naturæ ſuæ, quatenus eſt intelligibilitas omnis veri, & intellectui ſuo, quatenus ratione ſuæ in intelligendo infinitatis extendit intellectionem ſuam ad omne verum. Sic terminatur ad futura ſub conditione, ut ab iis minimè pendeat. Quam malè eam norunt, qui de ea ſentiunt aliter, eámque damnant, at non ita omnes. (*p*).

XIV. (*l*) *Quidam ſcientiam illam mediam, quã ſtatuimus atque ex ſuis principiis deduximus, teſtimoniisq; SCRIPTURARUM ac SS. PATRUM, immò & SCHOLASTICORUM corroboravimus, tametſi non eo NOMINE eam appellent, impugnant ac totis viribus &c.* Molina libro de Conc. q. 14. a. 13. diſp. 53. membro 1.

(*m*) lib. de dono perſ. cap. 10.

(*n*) Epiſt. 49. ad Deo gratias. q. 2. Item lib. de dono perſev. c. 9.

(*o*) De prædeſt. SS. c. 9. & 13. Item de dono perſev. c. 9.

(*p*) *Hanc ſcientiam mediam quam PLURIMI EX ORTODOXIS, maxime ex modernis admittunt, inter quos ex Scotiſtis poſſunt numerari Philoſophus Faber, Poncius Cavellus & multi alii, rejicere non vellem, cùm nullo modo Semipelagianiſmo faveat, & multum ad faciliorem providentia divina & libertatis creata conciliationem conducat, ſpecialiter contra Hareticos recentiores. Neque novitas nominis, apud veteres non auditi, ab illius introductione deterrere debet, cum non ſit curandum de vocabulis, modò res per ipſa explicata Catholicè inſtitui poſſint. Nec etiam dicendum eſt talem eſſe ſcientiam mediam, quam Lud. Molina ſe inveniſſe jactitat* (ubi, non ſcitur cùm ipſe Molina in loco mox citato lit. *l*. ſit ſufficienter oppoſitū atteſtatus) *licet Suares contendat ab Auguſtino ad nos perenniter fluxiſſe, eſto non ſemper ita perſpicuè Theologis innotuerit; fuiſſe condemnatam à Clemente VIII & Paulo V. hoc enim falſum eſt, ut clarè patebit legenti ea qua fuerunt acta in Congregatione de Auxiliis.* BOYVINUS inter Scotiſtas celeberrimus, de Deo uno C. 3. diſp. 4. q. 12. Id, quod ultimum aſſerit, probabit nota in Th. 17. lit. *x*.

XV.

X V.

Eldem gratiarum distributioni præest divina Voluntas. Si quæras, *Ex duobus ætate jam grandibus impiis cur iste ita vocetur, ut vocantem sequatur, ille autem aut non vocetur, aut non ita vocetur?* Respondemus cum Augustino, *Inscrutabilia sunt judicia Dei. Ex duobus autem piis cur huic donetur perseverantia usque in finem, illi autem non donetur?* Respondemus cum eodem Augustino, *Inscrutabiliora sunt judicia Dei.* Et hoc est inscrutabile illud prædestinationis mysterium, quod quidem scientia media concil at cum humana libertate, at quod è tenebris suis eruere minimè gloriatur. Prædestinatio illa, ex parte voluntatis, definiri adæquatè potest, Electio liberandorum & præparatio mediorum, quibus certissimè liberentur: & si sumatur adæquatè, est ante omnem prævisionem meritorum; & quamvis eorum, ut possibilium & futuribilium, cognitionem præsupponat, at est ab eis in ratione principii influentis penitus independens; est ergo summè *gratuita*, imò magis gratuita, quàm si absque meritis liberis prædestinaret; plus enim dat, qui meritum dat primò, deinde coronam, quàm qui coronam daret absque merito. Si ergo, ut supponunt adversarii (q) totus est Augustinianus, qui gratuitam prædestinationem tenet, concludant ipsi quales nos simus, qualis sit Molina ipse, qui eam ex professo docet & stabilit (r), nec imminui putat per pactum suum (s), ab ipsomet alioqui prorsus rejiciendum. Nobis tale pactum non satis probatur.

XV (q) *Après tout, la verité de la prédestination des Saints gratuite, certaine, invariable étant une fois établie le reste n'étoit plus qu'une* DISPUTE DE NOM, *aussi bien que les capitules qui regardent la volonté generale de Dieu pour le salut des hommes, & la mort de JESUS-CHRIST pour tous.* Quales in Ecclesia à tot seculis DE VOCE quæstiones! *Historici observatio.* Quo sensu hæc Traditionis Autor scripserit, verba immediatè antecedentia aperiunt: *Tout le monde admettoit la Prédestination des Saints* ante prævisa merita, *sans en douter le moins du monde. Mais Hincmare & sa caballe ne pouvoient souffrir qu'on admit une seconde predestination des reprouvés à la damnation, c'est sur cela principalement que l'on disputoit &c.* En igitur quæstio de nomine quæ versabatur. *Et quelques uns même des adversaires d'Hincmare ne vouloient pas que l'on fit du bruit dans l'Eglise ny que l'on troublât les Esprits sur ces derniers points, à cause de quelques Peres qui avoient parlé autrement sur ces questions, que ne faisoient rien au fonds.. mais encore un coup la Prédestination des Elûs étoit reconnuë de tout le monde pour gratuite. & en l'admettant* ON ADMET TOUTE LA DOCTRINE DE S. AUGUSTIN SUR LA GRACE *dont elle est la Base & la Clef* Autor Libri, cujus Titulus, *Tradition de l'Eglise Romaine sur la Predestination des Saints &c.* Part. 3. §. 39.

Historici observatio.

Admissâ nimirum prædestinatione gratuita adæquatè sumta quæ in Augustini sensu & destinationem ad gloriam, & simul media per se efficacia complectitur, secundum hanc ejus definitionem *Scientia & præparatio beneficiorum Dei quibus certissimè liberantur quicunque liberantur.*

(r) *Quod Deus hunc potiùs ordinem elegerit, quàm alium, eumque executioni ex parte sua mandare constituerit, neque proinde quod in Christo hos potiùs elegerit in vitam æternam quam alios, neque item quòd per Christum ea media iis conferre statuerit, per quæ prævidebat eos pro sua libertate, aut aliorum si essent parvuli, perventuros in vitã æternam,* NULLA DATUR CAUSA, RATIO AUT CONDITIO ETIAM SINE QUA NON *ex parte usus liberi arbitrii ipsorum aut aliorum prævisi, ob quam illos prædestinaverit, volueritve illis ea media, per quæ prævidebat perventuros illos in vitam æternam, aut cur potiùs hæc ipsa voluerit eis, quàm aliis;* SED ID TOTUM IN SOLAM LIBERAM AC MISERICORDEM VOLUNTATEM DEI EST REFERENDUM QUI PRO SOLO SUO BENEPLACITO ID ITA VOLUIT. Molina L. de Conc. q. 23. a. 4. & 5. disp. 1 membr. 1. concl. 6 Quo quid expressiùs? Non minùs tamen expressè sed breviùs ibidem §. *Duo observa. Prædestinare aut non prædestinare à solo Deo pro sua tantùm libera voluntate pendet*, Ita ubicunque se dat occasio.

(s) Sic saltem Molina sensit, cujus hæc est circa pactum suum doctrina. *Addendum est*, inquit, *quotiescunque liberum arbitrium ex suis viribus naturalibus conatur, præstòve est ad conandum totum id quod ex sese potest, tam circa ea quæ fides habet addiscenda & amplectenda, quàm circa dolorem de peccatis ac justificationem, à Deo conferri gratiam prævenientem auxiliaque quibus id faciat ut oportet ad salutem;* NON QUIDEM QUASI EO CONATU DIGNUS EFFICIATUR TALIBUS AUXILIIS, ULLAVE RATIONE EA PROMEREATUR, *sed quoniam id obtinuit nobis Christus ob sua merita, atque inter leges, quas tam ipse quàm Pater Æternus statuerunt de auxiliis & donis, quæ nobis Christus promeruit,* MERE GRATIS *conferendis, una eaque maximè consentanea fuit, ut quoties ex nostris viribus naturalibus conaremur facere quod in nobis est præsto nobis essent auxilia gratiæ, quibus ea, ut oportet ad salutem, efficeremus &c.* Lib de C. qu. 14. a. 3. disp. 10. Quod posset in eundem propè modum explicari, quo communissima sententia docet, primam Angelorum gratiam a Deo, non quidem naturali Angelorum perfectioni ut quid debitum datam esse singulis tamen distributam secundùm gradus naturalis cujusque Angeli perfectionis, ex puro & gratuito ipsius Dei beneplacito ac dono.

X V I.

Prædestinatio eadem, si sumatur inadæquatè, vel pro sola electione ad gloriam, vel pro sola præparatione mediorum utra præcedat alteram, quæstio est ad prædestinationis gratuitatẽ faciens nihil: in quo videant plures quàm hallucinentur, tantundem enim Deo debeo, sive primò donet merita quibus consequar gloriam, & deinde gloriam; sive gloriam primò velit dare, deinde merita quibus eam consequar: quæstionem ergo solvet unusquisque prout voluerit, nos de Deo meliùs sentire putamus, si dixerimus neutram virtualiter intrinsecè esse altera priorẽ, nec nisi unico & virtualiter intrinsecè indiviso decreto Deum decernere merita ut gloriæ causam, & gloriam ut mercedẽ meritorũ: neq; ergo gloria ante, aut post, sed per merita decernitur; nec merita, ante aut post, sed propter gloriã decernuntur. Quod si repugnante divini decreti perfectione, extrinseca saltẽ rationis distinctionẽ partialium decretorum prioritatẽmque, non quidem in quo, sed à quo, velis inducere, tunc si gloriam spectes ut finem, prior erit electio ad gloriam; si ut mercedem, sic poterit esse posterior, ut possit adhuc esse prior quare sub meliori titulo dices simpliciter electionem ad gloriam esse priorem præparatione mediorum, meritorumque prævisione, Cave tamen ne eundem ordinem affingas divinæ reprobationi; hæc enim sic est

est virtualiter intrinsecè, destinatio ad gehennam propter permissa demerita, ut si destinationem à permissione extrinsecè distinguas, unámque velis altera esse priorem, destinatio sequi debeat permissionem prævisionémque demeritorum, non contrà. Quare ex non electione ad gloriam inferetur quidem immediatè permissio demeritorum, at non, quæ permissionem consequitur, destinatio ad gehennam. Gratiæ efficaces sic sunt effectus prædestinationis, ut non solis dentur prædestinatis, accedat enim insuper necesse est gratia perseverantiæ. Hæc non magis cadit sub meritum quam ipsa prædestinatio, potest tamen adultus ad illam, non ad hanc, se disponere.

XVII. (t) ab Autore Trad. Romanæ &c. Tom. 2. part. 5. §. 37.

X V I I.

PLusquam lynceos habeat oculos necesse est, quisquis in doctrina hactenus exposita deprehendat quidquam, quod ad Pelagianismum aut Semipelagianismum pertineat. At an ista, inquiet fortè quispiam, est gratia, de qua actum est in Congregatione de Auxiliis? Eandem prorsus esse evincunt propositiones Corollarii 7. & 8. confirmant Decreta Aquavivæ & Vitellesci, nobis eam ad rem minùs prudenter objecta (t) Quid ergo ad Constitutionem *Gregis dominici* Pauli V. Huic Constitutioni, sicuti & editis Congregationis actis, fidem omnem abrogavit Decretum Innocentii X. prohibétque in ullam partem allegari: nos ergo nec Constitutioni fidem damus, nec allegamus eam in tutamen doctrinæ. At etsi fides dari posset, aut ipsa allegari, videant adversarii an foret nobis detractanda. Hanc toties ab nonnullis intentam, inter acta tamen Congregationis pluries ab iisdem excusa non editam mirum erat, sed mirum esse desiit, ubi venit in manus. Id suboluerat Autori recentiori (v), cum timere visus est, ne vel in nostras partes Acta Congregationis aliquando flecteremus. At quid flecti ea oportuit, cùm Constitutio ipsa, à qua sola vim habere possent, gratiam prædeterminantem, in eo quidem sensu approbat, in quo eam ultrò quoad rem, admittimus; at reprobat in quo rejicimus, nostrúmque loquendi modum asserit convenientiùs adhiberi: quod ne fictum esse suspicetur fortè quispiam, verba Constitutionis, prout circumfertur, subjicimus.

(v) Eidem Autori Tom. 3. part. 2. a. 3.

X V I I I.

CAp. 6. DE MODO MOTIONIS GRATIÆ. *Quando Catholici quidam ita exprimunt, quod Deus ad actus liberos salutares voluntatem hominis physice prædeterminat, non aliud eo loquendi modo significare volunt, quam quod Deus per virtutem quam efficaci suâ gratiâ voluntatem hominis afficiendo subministrat, sic eam inclinet atque applicet ad hujusmodi actus, ut non tantùm metaphoricè, seu moraliter ipsam moveat, sed etiam physicè, idest, operatione verè & propriè activa efficiat hominem ad eosdem actus se determinare, in quo sensu qui negant Deum efficaci suâ gratiâ determinare seu prædeterminare hominis voluntatem, errant quidem illi.* Nos minimè negamus, immò asserimus. Gratia enim cooperans quæ semper est efficax, sive distinguatur realiter à præveniente, sive ratione tantùm influit realiter & physicè, & quidem tanquam causa principalis, in opus salutare; immò nec ipsi gratiæ prævenienti, etiam ut præveniens est, talem influxum seu motionem denegamus, & in eo passum se esse calumniam meritò conquestus est Molina. *Verumtamen quod ad loquendi modum attinet, quo dicitur Deus physicè voluntatem prædeterminare seu determinare, in quantum expositus est alicui alteri sensui, qui adversatur humanæ voluntatis libertati, in tantum minùs convenienter adhibetur ad explicandum dogma de efficaci operatione seu præoperatione Gratiæ* (x). Et hic est sensus libertatis repugnans, quem nos impugnamus; quem adversarii tuentur, si à nobis dissentiunt; & cujus suspicionem ut à se avertant, desinantque recentioribus hæreticis præbere clypeum defensionis, convenientissimè agerent, si nobiscum & sentirent & loquerentur.

XVIII. (x) Eadem Constitutio non minùs admittit, & si qua ei vis inesset, quam tamen omnem ei abrogatam ab Innocentio X. iterū profitemur, non minùs confirmaret scientiā nostram mediam, saltem contra Thomistas, contra quos solos erat tunc temporis hæc scientia propugnanda. *Decretum* inquit c. 9. *prædefinitivum operis salutaris, cùm se habeat antecedenter ad præscientiam Dei de consensu hominum absolutè futuro, etiam præsupponit in Deo SCIENTIAM, quâ ANTE OMNEM ACTUM LIBERUM suæ voluntatis, quo de actibus hominum ad salutem pertinentibus quidquam decernat, sic cognoscit quid possit tam gratuita virtus auxiliorū seu gratiæ in quolibet eorū gradu, quam naturalis possibilitas liberi arbitrii uniuscujusque hominis in quibuscunque circumstantiis, ut id cognoscendo prout perfecta sua providentia ratio exigit, PRÆSCIAT, sub hujusmodi conditione sui actus, qualia si velit ipse dare auxilia, futurum ut ii consentiat, cui dantur* En scientiam liberorum conditionatorum ante omne decretum, atque adeo & ipsissimam scientiam-mediam, quâ Thomistæ negarunt hactenus, nos asseruimus, ut existentem & necessariam ad conciliationem humanæ libertatis cum efficacitate gratiæ & gratuita Sanctorum prædestinatione. Alteram enim quam subjicit & reprobat Constitutio, nos nec admittimus & reprobamus, cujuscumque fuerit, etiamsi Molinæ, at quomodo Molinæ, cùm scientia ista sit *de consensu ad salutē pertinente, futuro non ex efficaciâ decreti & auxiliantis gratiæ, sed pro innata libertate humanæ voluntatis:* hæc tamen sit Molinæ secunda conclusio fundamentalis: *Liberum arbitrium sine speciali auxilio aut dono supernaturali Dei NIHIL potest fini supernaturali QUOQUOMODO commensuratum.* Quam conclusionem sic fusiùs explicat: *Liberum nostrum arbitrium cum solo concursu Dei generali NIHIL efficere potest, non solùm quod vitam æternam aut gratiæ incrementum promereatur, sed neque quod, tanquam ordinem, ad finem naturalem transcendens, commensuratum cum fine supernaturali aliquo modo sit, etiam tanquam REMOTA DISPOSITIO ad gratiam, tam ex parte voluntatis quàm intellectus, sed ad id omne indiget auxilio & ope supernaturali.* Lib. de Conc. qu. 14 a. 13, disp. 6. &c.

Hæc autem omnia dicta sunt, non tam ad alienam de gratia doctrinam impugnandam, quàm ad nostram, haud satis

omni-

omnibus notam, explicandam. & vel sola sui explicatione, non leviter apud peritus æquósque judices, ut speramus, stabiliendam.

Harum Thesium veritas, auspice Deo & favente Dei-parâ Virgine, propugnabitur in Aula maiore Collegii Remensis Societatis JESU, die Mercurii 13. Augusti anno Domini 1692. horâ post meridiem primâ.

Ex Typis Joan. Multeau.

---

2. JESUITARUM REMENSIUM

Theses Theologicæ de Gratia.

5. *Decembris anno* 1696.

DE GRATIA IN GENERE.

I.

De naturæ Gratiæ.

GRATIA strictè sumta potest in genere definiri donum supernaturale, animæ inhærens, eique concessum ad consequendam visionem beatificam. Rationem supernaturalis inde sumit, quòd omnes vires omnemque exigentiam naturæ creatæ aut creabilis superet. Dividitur præcipuè in actualem quæ datur per modum actus transeuntis, & in habitualem quæ per modum habitus permanet. Potuit homo creari sine ordine ad utramque, & sine dono integritatis quo appetitus rationi subjiceretur, & tamen esse immunis à peccato; adeóque possibilis est status naturæ puræ, licet revera nunquam fuerit.

II.

De necessitate Gratiæ ad actus naturales.

HOmo in natura pura potuisset sine auxilio supernaturali elicere actus honestos, & assequi beatitudinem suo statui convenientem; nunc verò quid possint intra limites naturæ, liberi arbitrii vires concursu ordinario adjutæ, & quousque possint se extendere, non tentabit prudenter definire privatus Theologus. Illud verè asserimus non extinctam esse in præsenti statu libertatem indifferentiæ, nec ita infirmatas esse per peccatum animæ potentias, ut propriis viribus nullam veritatem naturalem cognoscere, nullam quantumvis levem tentationem superare, nullum opus moraliter bonum patrare possit, si non desit auxilium connaturale.

III.

De necessitate gratiæ ad actus salutares.

IN quolibet statu, ad actus salutares ita indiget homo supernaturali gratiâ compleri, ut sine ea præveniente & adjuvante, non initium fidei, non volitionem sanitatis, non quantulumcunque conatum quo se à peccato liberet, habere possit. Diversum tamen fuit auxilium pro diversis statibus naturæ innocentis & lapsæ. Ita adjuvabat primum hominem ante peccatum ut ipsius voluntati propriis viribus agenti consensus speciali modo tribui jure posset. In natura lapsa voluntas infirmior facta sic eget corroborari & sanari per gratiam, ut ipsi gratiæ speciali titulo meritum tribuatur. In primo dicitur ab Augustino, *Auxilium sine quo*, in secundo, *Auxilium quo.*

IV.

De causis Gratiæ.

DEus omnium largitor munerum solus physicè gratiam producit in ratione causæ principalis, solus eam in cordibus nostris infundit; Sacramenta sunt veluti canales & vasa plena Sanguine Christi per quæ in nos derivatur; producunt illam ex opere operato per influxum dumtaxat moralem, ut actiones moraliter Christi, qui est causa meritoria omnium quæ ad salutem nostram conducunt. Homo quoque eam meretur licet minùs principaliter per actus supernaturales, de condigno quidem, si à justis proveniant illæ actiones, sin minùs, de congruo tantùm. Prima tamen gratia actualis, ut pote principium omnis meriti, nullatenùs potest cadere sub meritum.

V.

De modo operandi Gratiæ.

GRatia non solùm moraliter influit in consensum alliciendo & inclinando voluntatem, sed verum habet & proprium influxum physicum, quo elicit omnes actus salutares, eosque cum libero arbitrio per unam indivisibilemque actionem producit. Cùm sint duæ causæ partiales boni operis licet in diverso genere; neutra seorsim potest agere sine consortio alterius, neutra priùs aut posteriùs agit in consensum. Quod non impedit quominùs aliqua prioritas gratiæ tribuatur, in quantum applicat voluntatem ad agendum, eique vires subministrat, cum ipsa nec à voluntate applicetur, nec ab ea virtutem recipiat.

V I.

De effectibus Gratiæ.

EFfectus gratiæ est gloria Cœlestis, ad quam Deus eodem etiam virtualiter indivisibili actu prædestinat, quo prædefinit bonos actus; unde nec præparatio mediorum est prior prælectione ad gloriam, aut vicissim; nisi fortè respectivè ad nostros conceptus, quod levis est momenti. Prædestinationi ad gloriam & ad gratiam prælucet scientia-media, nec ideò tamen est minùs gratuita, cum Deus ad illam nullis meritis humanis moveatur, sed tota ratio cur unus præ alio ex massa perditionis extrahatur, sit sola bonitas divina, de cujus prædilectione, ut nemo justè potest gloriari, ita de derelictione nemo potest meritò conqueri.

DE GRATIA IN SPECIE.

I.

De natura Gratiæ actualis.

AUXILIA actualis gratiæ prævenientis, in hoc statu naturæ lapsæ, constituuntur adæquatè duobus præcisè actibus vitalibus, quorum primus est illustratio intellectus objecta proponens, alter est pia motio voluntatis ad bonum alliciens, per primum apparet quod latebat, per secundum suave fit quod non delectabat: qui quidem actus in nobis sine nobis liberè concurrentibus à Deo producuntur. Præter duos illos actus nulla admitenda est qualitas mortua cujuscunque generis in anima recepta per quam voluntas proximè compleri indigeat, quæ instructa his duobus solùm exigit concursum Dei in actu primo, seu Dei omnipotentiam paratam ad concurrendum.

I I.

De Gratia actuali sufficiente.

CUm Christus Redemtor pro omnibus & singulis pretiosum Sanguinem fuderit, nullus est cui media ad consequendam salutem negentur, adeoque adultis omnibus rationis compotibus, sive sint in sinu Ecclesiæ, sive sint infideles, dantur gratiæ actuales, quibus possint servare præcepta, quorum transgressio non est imputabilis, nisi fuerit potentia ea servandi. Quin etiam tanquam divinæ misericordiæ & bonitati magis consentaneum existimamus impios & sceleratos non destitui omnimodè auxiliis, & nullum esse ita induratum cujus cor Deus non pulset inspirationibus suis: *Nemini enim*, inquit Prosper respons. ad obj. vinc. *correctionis adimit viam, nec quemquam boni possibilitate dispoliat.*

I I I.

De Gratia actuali efficaci.

GRatia efficax est speciale divinæ benignitatis donum, quod cum Deus largitur habet infallibilem connexionem cum consensu. Ejus efficacia non provenit ab aliqua vi ita necessariò trahente voluntatem ad bonum opus, ut sit ipsi impossibile ponere dissensum; non etiam ab aliqua qualitate physicè prædeterminativa, qualem Thomistæ admittunt; sed dicitur efficax ex eo quod Deus eam nobis largiatur per decretum prædefinitivum actus boni, & eam concedat in iis circumstantiis, in quibus præluceute Scientia-media prævidit, quòd si daretur, habitura esset effectum, unde à solo Deo provenit quòd quis gratiam efficacem sortiatur.

I V.

De Gratia merè sufficiente.

DAntur gratiæ merè sufficientes non in sensu novorum Dogmatistarum, qui ut imperitis illudant, ejusmodi auxilia verbo tenus agnoscunt: sed tales esse admittimus, quæ non sortiantur effectum quem possint habere, licet ex parte Dei nihil desit quominùs voluntas habeat potentiam ut in bonum prorumpat; tales igitur gratiæ sunt simul inefficaces, & tamen complent voluntatem ad rectè operandum, aut saltem ad precibus impetrandum auxilium quo proximè disponamur ad bonum opus, quod opus cum abest, illud in solam hominis perversitatem refunditur, qui gratiam suo effectu frustratur, dissentiendo, & abjiciendo illam, cuique potest rectè cum Propheta dici, *Perditio tua, Israël.*

V.

De gratia habituali.

DAtur in justis gratia habitualis formaliter sanctificans inhærens animæ, & ab ea, ejusque actibus, nec non à virtutum habitibus infusis realiter distincta; per eam Deus omnem eluit peccati maculam in anima, facit hominem suæ quodammodo naturæ participem, evehit ad dignitatem Filii Dei adoptivi, dignificat opera quæ in tali statu fiunt, & tribuit jus ad hæreditatem cœlestem, cujus est veluti semen. An possit Deus sine illius infusione remittere peccatum mortale, sine ullo operæ pretio disputatur à quibusdam Theologis, cum

cum certum sit remissionem peccati mortalis & infusionem gratiæ sanctificantis nunquam de facto separari.

V I.

De intensione, & amissione Gratiæ habitualis.

GRatia habitualis est capax intensionis & augmenti, & reverà augetur per productionem novorum graduum quos Deus prioribus addit, quotiescunque justi bonum aliquod opus exercent, aut Sacramenta cum debita dispositione suscipiunt. Non item est capax remissionis, sed vel tota perit, si adveniat animam aliquo peccato mortali contaminari, cum quo gratia tantam habet oppositionem, ut ne divinitùs quidem cum ipso possit compati in eodem subjecto; vel si sit veniale dumtaxat peccatum, tota remanet, cum aliquo tamen detrimento accidentali, nempe cum aliqua imminutione in fervore caritatis; quo imminuto anima tepescit.

DE VARIIS CIRCA GRATIAM OPINIONIBUS.

I.

De Sententia Ludovici Molinæ.

DOCTRINA Ludovici Molinæ aliorùmque Theologorum qui concordiam libertatis humanæ cum gratia divina ope Scientiæ mediæ tradere enucleatiùs tentarunt, ita ab errore Calvini aliorumque hujus ætatis sectariorum recedit, ut ad opinionem Pelagianorum nullo modo accedat. Et ideo tam validè impetita, toties à diversi generis hostibus impugnata, & coram Summis Pontificibus tam diligenter agitata, *Tanquam aurum in fornace probata, purior inventa est, ut ait Maurolicus*; & cum honore ex tot disputationum fluctibus emersit.

I I.

De Heresi Pelagiana.

PElagiani in varios errorum scopulos circa gratiam impegerunt. Ac primò quidem ipsius gratiæ nomen respuebant, omne donum à creatione liberi arbitrii distinctum rejicientes; deinde ut Doctrinæ suæ virus versipelles hæretici absconderent quoquo modo, gratiam aliquam ad actus salutares necessariam admisere, sed externam dumtaxat positam in lege aut exemplis Christi: quin etiam eò devenerunt, ut gratiam internam agnoscerent, sed quæ illustraret intellectum, voluntatem nullo modo moveret. Ac tandem si quam aliam gratiam concederent, eam volebant ad facilius operandum tantummodò conducere. Quos errores ab Augustino tot annis debellatos multi Pontifices Romani, variæque Synodi anathemate confixerunt.

I I I.

De Heresi Semipelagiana.

NOn is est Semipelagianorum error quem novi Dogmatistæ ipsis affingunt, qui inter illorum pravas doctrinas recensent veritates pleraſque Catholicas, à quibus recedere sit nefas, quales sunt Christum pro omnibus esse mortuum, auxilia omnibus ad salutem esse oblata, & gratiam dari quam voluntas humana posset respuere. Sed in eo errarunt quòd ad aliquam piam credulitatem quæ esset initium salutis, vires liberi arbitrii sufficere docerent. Quam doctrinam viri tum pietate tum Doctrinâ insignes amplexati sunt, donec à Synodis & Summis Pontificibus damnata cœpit pro hæresi haberi, & ab omnibus deseri, salvo tamen fautorum suorum honore.

I V.

De Hæresi Prædestinatiana.

NOn esse fictitiam, ut quidam volunt, Prædestinatianorum hæresim convincit Concilium Arelatense, quod eam à Lucido Presbytero & paucis forte aliis non magni nominis viris, haustam ex scriptis Augustini in pravum sensum detortis damnavit. Illam penitùs exstinctam seculo nono renovavit Gotteſcalchus à Rabano Moguntinensi & Hincmaro Remensi Archiepiscopis in Synodis Moguntina & Carisiaca justè damnatus. Inter eorum errores ille præsentem materiam præcipuè spectat, Quod mortuum Christum pro omnibus & voluntatem Dei circa salutem omnium per collationem gratiæ negantes, aliquos ad malum prædestinatos assererent.

V.

De Heresi Lutherana & Calviniana.

SEctariorum hujus temporis Doctrina tantam gratiæ Christi injuriam infert, quantum se illius dignitatem extollere & partes tueri jactitant. Ejus largitionem, ut judicetur majoris pretii, ad paucos restringunt, benignitati divinæ terminos injustè præscribentes. Ut majorem ipsi tribuant virtutem sub ea fatiscere liberum hominis arbitrium prædicant. Denique nil ita horrent quàm gratiam talis naturæ; ut cum ea maneat salva libertatis indifferentia, quamque voluntas amplectatur aut deserat, si velit,

velit, cui consentire aut dissentire habeat in potestate. Quem etiam in primis errorem ut Christianæ sollicitudini maximè oppositum Tridentina Synodus damnavit.

VI.

De Hæresi Janseniana.

JAnseniana circa materiam gratiæ doctrina non tam nova hæresis, quàm Calviniani & Lutherani erroris infelix fœtus dicendus est, sub specioso Augustini nomine fidelibus propinatus. Ex sectariorum libris sæpè, ne mutatis quidem vocibus, hausta videtur; cujus autores in eo suis antesignanis sunt similes, quòd Augustinum sibi optimè perspectum, totúmque suum esse, cæteris Ecclesiæ Patribus neglectis, falsò glorainţur; & quòd Pelagianismum Scholasticis exprobrent, eo modo quo Calvinus eandem calumniam Concilio Tridentino & Sorbonicis Doctoribus intulerat. Quique proindè anticipatâ damnatione cum suis ducibus in Concilio Tridentino perculsi, iterum Pontificum decretis confixi sunt.

Hæ Theses Deo duce & auspice Dei-parâ propugnabuntur, in Aula majore Collegii Remensis Societatis JESU; die 5. Decembris horâ post meridiem prima anno 1696.

Remis, ex Typis Viduæ J. MULTEAU.

JESUITARUM REMENSIUM

Theses Theologicæ de Deo.

17. Decembris a. 1696.

3\. DE ESSENTIA DEI.

I.

DEUM existere qui ignorat, rationis non est compos; qui dubitat, culpæ non est expers; qui negat, scelus admittit. Esse autem reipsa demonstratur, non quidem per causam, cum nullam Deus habeat, at saltem per effecta, quæ habet certissima & notissima. Hæc si conceditur, hanc propositionem, Deus est, non esse ex iis, quæ per se notæ dicuntur, fatendum est: quæ enim per se nota sunt, per alia demonstrari quid necesse est? Nec dissentiunt SS. Patres, ut non nemo existimat; cognitionem enim Dei facillimam quidem esse docent & evidentem, at non ex terminis notam. Unicum verò esse Deum adversus Marcionistas, Valentinianos, Manichæos & ex ipsis Ethnicis adversus Ethnicos demonstrant: hos præterea ratio refellit, illos & ratio & fides.

II.

CIRCA simplicitatem Dei alii crassiùs errarunt, alii subtiliùs. Priorum antesignani sunt Ægyptii Anthropomorphitæ, Deum corporeum esse opinantes, quibus proximi sunt, si non iidem Audiani: istos tamen excusat Epiphanius; illos Cassianus & alii. Utrisque longe ante præiverat, si Origeni credimus, Melito Sardensis, at non Tertullianus; quæ enim ab eo proferuntur minùs commodè dicta facilè Augustino præeunte explicantur. Crassioribus istis non multo acutiores annumero Græcos Palamitas, essentiam Dei & lucem quandam, quæ sit Deus, distinguentes; hancque à se oculis aspici & naribus efflari, dum certum quendam corporis habitum assumunt, impiè juxta ac stolidè garrientes. Subtiliùs erravit Gilbertus Porretanus, divinitatem quâ, non quæ Deus esset, à Deo sejungens: cujus error à Bernardo confutatus, in Concilio Remensi damnatus fuit. Ab eo ut recedamus, nullam in Deo, præterquàm in Personis, distinctionem realem admittimus, aut formalem ex natura rei.

III.

DUM à Gilberto receditur, ne in Aëtium & Eunomium imprudenter incurratur, cautio est. Ii attributa Dei omnia, nullo modo, ne cogitatione quidem, ab essentia discrepare existimantes, unum in iis vocum discrimen agnoscebant. Quibus affines videntur ii Theologi qui Nominales dicuntur, & qui cum Nominalibus sentiunt, nulla alia ratione attributa divina à se invicem differre, quàm quòd alia aliis magis expressè rem eandem significent. Istis omnibus opposita est vera sententia, quæ diversos esse attributorum conceptus docet, atque adeò synonymis vocibus ea minimè appellari. Nec istud quicquam divinæ simplicitati nocet, ut Anomæi somniabant.

IV.

AT summam illam Dei simplicitatem numquid lædit compositio illa, quæ est ex genere & differentia? Læderet si esset Physica quoquo modo: nunc autem non ita est, sed Logicam tantùm admittimus, quæ nullam imperfectionis labem in Deo denotat. Deus itaque à nobis definitur, Spiritus à se. Illud autem, à se, cum audis, non modum quendam, aut affectionem substantiæ, sed fundum perfectionis intellige, quo Deus sibi ipse sufficiens est ut sit,

atque

atque esse per se exigit. Ita de Anomæorum Ingenito, ad denotandam Dei essentiam, à Patribus reprobato, adversùm nos non præscribes. Illam autem nullum aliud nomen magis propriè significat, quàm Hebraïcum illud quod Tetragrammaton dicitur. Sed quænam sit vera ejus pronuntiatio disputatur. An Jehova est, an Jao, aut Jeve? Nequaquam. Quænam igitur? Respondeo illam esse funditùs ignotam.

V.

AETII impia & exsecranda vox fuit, Deum se viribus ingenii ac naturali facultate tam exactè nosse, quàm is se cognoscit ipse. Quam impudentem & sceleratam jactantiam & Patres unanimiter confutarunt, & Fides Catholica in Concilio Viennensi stabilita coarguit, dum docet nullum intellectum creatum naturaliter Deum videre posse: quod & de intellectu quocunque qui creari posset, dicendum est. Nulline autem veterum Patriarcharum aut Prophetarum beatificæ illius visionis usus aliquis, vel per brevi tempore concessus est? Nulli prorsùs, ne Moysi quidem. Multo minùs piis hominibus nunc coruscamina illius quædam, etsi rapida & momentanea, concedi probabile est. Deum verò oculis corporis videri non posse multo certius est. Ea de re tamen dubitasse Augustinus videtur. Quidquid sit, epistolis ejus standum, in quibus veram sententiam exponit ac probat.

VI.

UT naturaliter à nobis videri non posse Deum, aut corporis oculis certum est, ita supernaturaliter atque oculis cordis videri posse, Christianus ambigit nemo. Dubitatum est autem antiquitùs, an statim ab interitu labis omnis expertes animæ Dei visione donarentur. Proprius fuit Chiliastarum error, post ultimam omnium resurrectionem, in terreno quodam regno, mille annis, Sanctos cum Christo detinere, *ut ex visione Domini assuescerent capere gloriam Dei Patris.* Ita loquitur Irenæus hac opinione imbutus, cujus autorem Papiam, multosque ex veteribus ejus suffragatores recenset Hieronymus. Alii magni nominis nec è Millenariorum numero SS. Patres, in abditis quibusdam receptaculis sanctorum animas ad extremum usque judicium retineri innuunt. Quamvis autem eas non priùs Deum visuras senserit Joannes XXII. PP. nihil tamen ea de re sanxit, immò hanc opinionem ante mortem exuit. Licuit olim sic opinari. Nunc post Florentinam & Tridentinam Synodos, dogma est Fidei Catholicæ sanctos visionis Dei esse compotes. Illius tantùm in Scholis inquiruntur principia, quæ tria à nobis assignantur, Deus, intellectus creatus & lumen gloriæ. Speciem Dei impressam aut expressam nullam dari posse censemus, & ut possit, ad videndum Deum inutilem illam putamus.

DE INTELLECTU DEI.

I.

QUICUNQUE Deum non negat, intelligentem eum fateatur necesse est. Quisquis autem ea de re disserentes audierit SS. Patres, quin intellectum in eo propriè dictum agnoverint non dubitabit. Is, ut pote omnium longè perfectissimus, hanc vim ac virtutem à seipso habet, ut sit species intelligibilis cujuslibet objecti, illudque immediatè repræsentet. Quòd si honorificentiùs etiam de divino intellectu loqui placet, eum tantæ esse virtutis mecum dices, ut præcisa omni specie intelligibili, omnia in seipsis cognoscat. At numquid hoc est divinam scientiam ex rebus ipsis duci atque hauriri, quod negant SS. Patres? Nimiùm quantùm absumus ab ea opinione. Habet à se ipso divinus intellectus ut omnia intelligat, nihil à rebus ipsis mutuatur: illæ ad eum rationem habent termini tantùm, non verò causæ aut motivi cujuscunque.

II.

MULTIS partibus scientia divina creatis omnibus antecellit. Non est qualitas aut accidens aliquod divinæ superfusum substantiæ. Non est multiplex, sed simplicissima. Nihil in ea est varium aut mutabile, cum ad immutabilem Dei essentiam pertineat. Nec humanum imitatur discursum cum sit perfectissima, discursus autem noster, etiam qui virtualis propriè dicitur, sit imperfectus. Omnia demum complectitur ac in numerato habet, quæ sunt, quæ fuerunt, aut futura sunt, quæque esse possunt. Hinc multiplex apud Theologos illius divisio. Celeberrima est quæ illam in scientiam simplicis intelligentiæ, & scientiam visionis partitur. At an sit adæquata, quæstio est, penè tota de voce. Hoc unum aïo; si per scientiam simplicis intelligentiæ, solam intelligis necessariam, per scientiam visionis solam liberam; divisio ista non est adæquata: est enim quædam alia in Deo scientia, quæ nec est necessaria nec libera, sed naturalis; contingens tamen, quæque idcircò Media convenienter appellatur.

III.

ETSI unica sit simplexque reipsa in Deo, tam quæ simplicis intelligentiæ,

App. Hist. Cong. Ff quàm

quàm quæ visionis scientia appellatur: ambæ tamen dotibus ac muniis plurimùm inter se discrepare intelliguntur. Illa quæ fieri possunt, immò etiam quæ non possunt, cognoscit; ista quæ certæ jam sunt affixa temporis differentiæ contemplatur. Illius est ordinare res antequam fiant ac voluntati divinæ facem quodammodo præferre; istius, res easdem voluntate divina jam designatas, quasi præsentes intueri. Illa itaque rectè causa rerum effectrix dicitur, hæc non item, nisi fortè quatenus priorem illam includit. De scientia autem visionis cum speciatim quæritur, an causis liberis necessitatem afferat, una est Catholicorum omnium responsio, nullam ab ea inferri. At cum ab iisdem quæritur, in quo futura intueatur, in varias partes abeunt: alii enim aiunt in solis decretis; nos aut non in iis, aut non in solis, sed præterea in seipsis futura videri à Deo affirmamus.

I V.

DE DEO non ut par est sentiunt, qui liberorum sub conditione futurorum cognitionem ei denegant. Magnis præterea sese difficultatum ambagibus implicant, à quibus hactenus se feliciter explicuit illorum nemo. Clarissima enim exempla quibus inesse Deo hujusmodi cognitionem Scriptura demonstrat, alienum omnem sensum quem ipsis affingere sunt conati, prorsus respuunt. Inter eos autem qui scientiam illam conditionatorum agnoscunt, multùm aberrant qui ea, in causa spectata in actu primo, cognosci posse opinantur. Sunt qui decreta conditionata adhibent; sed parùm, ut videtur, appositè. Quidquid sit, certum est non in iis futura illa cognosci, sed etiam in existentia ipsiusmet liberi futuri sub conditione. Quod postremum si approbas, scientiam conditionalem Mediam facis, quam ad divinos quoque actus pertinere consentaneum est.

V.

QUI scientiam illam Mediam à Semipelagianis primùm invectam, à D. Augustino reprobatam affirmant, ii quis fuerit ea in re Semipelagianorum error aut non vident, aut videre se dissimulant, Augustinum aut non legerunt, aut ad eum legendum præjudicatam opinionem attulerunt. Is in libro de Dono perseverantiæ, ut cæteros taceam, eam luculenter approbat, & ad gratuitam Dei electionem demonstrandam, eâ tanquam invicto argumento utitur. Idem planè est illius apud nos usus, gratuitæ enim prædestinationi explicandæ unicè deservit, qua parte tamen mysterium tantum explicari potest ac debet. At non ita Semipelagiani, apud quos nulla nisi ex meritis & quidem quoad fidei initium naturalibus, erat prædestinatio. Hanc ut in ipsis pueris suscepto aut non suscepto Baptismo morientibus, statuerent; futura si diutiùs vixissent, nescio quæ illorum merita comminiscebantur, quorum rationem in illis prædestinandis aut reprobandis Deus habuisset, Absurdum itaque illud commentum quo bona aut mala merita nunquam futura, præmio tamen aut pœna affici dicuntur, meritò in Semipelagianis istis damnat Augustinus, & perversum scientiæ, quam in eo fingendo subvertebant, absolutæ potiùs quàm conditionalis abusum.

V I.

HIc ab erroris istius suspicione vindicandi mihi sunt primi omnium Lirinenses Monachi, quorum beatam insulam magnorum ferè omnium illius ætatis virorum altricem, nonnulli malè tanquàm hæresis Semipelagianæ cubile designant. Illos inter nobilissimus Vincentius aureolum adversus hæreticos edidit libellum, quem qui adversùs Augustinum editum volunt, dum levibus suspicionibus nimiùm indulgent, gravem Augustino irrogant injuriam. Hunc ordine sequetur, quamvis dignitate prior, Hilarius Arelatensis, quem etsi ab Hilario Epistolæ ad Augustinum authore diversum censeam, ab omni tamen Semipelagiana labe purum fuisse existimo. Qui in Valeriani Cemeliensis homiliis labem illam agnoscit, eandem in scriptis Hilarii, Chrysostomi & Hieronymi agnoscat necesse est. Ennodium Ticinensem nihil aliud Semipelagianismi reum apud quosdam fecit, quàm quod Prædestinatianum errorem *Scriptas habere in fronte blasphemias* dixerit. Hoc verò laude dignum erat, non contumeliâ. At quid de Cassiano, quid de Fausto dicemus? Ipsos Semipelagianorum duces fuisse antiqui disertè testantur, & ut sileant, ipsi sese proprio judicio produnt, ille Collatione XIII. hic Libro de libero arbitrio. Non est itaque quòd quis apologiam pro iis velit scribere, sanctis tamen & clari nominis Viris licet reverentiam deprecari.

DE VOLUNTATE DEI.

I.

CUM Deus sit summè potens, summè intelligens, voluntate præditus sit necesse est. Quodnam verò sit objectum ejus motivum, non multùm inquirendo laborabit, qui eam penitùs non ignorat. Infinitam autem esse voluntatem divinam, actumque

actumque ejus infinitum, omnes norunt, à solo itaque objecto infinito moveri potest. Concinnè illam Chrysostomus in primam & secundam dividit. & ex eo Joannes Damascenus explicatiùs in antecedentem & consequentem. Prima rem ipsam spectat, altera rem & quæ illam circumstant. Hos secuti Hugo Victorinus & Petrus Lombardus, voluntatem beneplaciti & voluntatem signi, primi distinxerunt. Illa rem quamcunque designat, semper præstat atque obtinet; hæc quid fieri optet, indicio aliquo tantùm demonstrat.

II.

IMPERFECTI est artificis, alio finem, alio media voluntatis actu decernere; perfecti, omnia simul & semel statuere. Deus itaque cum sit præstantissimus artifex, uno eodemque decreto finem simul & media decernit. Hinc nullus inter ejus decreta ordo realis est, nullus virtualis intrinsecus; extrinsecus, neque necessarius est, neque certus. Indubitatum porrò est Deum velle, saltem antecedenter, *Omnes homines salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.** Hoc tota cum Apostolo testatur antiquitas Græca & Latina. Nec dissentit Augustinus, qui à Patribus cæteris ulla in re paulò gravioris momenti nunquam dissensit. Quas itaque aliquando affert Apostolici loci explicationes non litterales, litteralem non excludunt, quem ipse aliàs adhibuit, & post eum Discipuli ejus Prosper & Primasius. Cæterùm Deum absoluto decreto quodcunque opus bonum prædefinire dicimus; non tamen hominis voluntatem physicè prædeterminare.

III.

UTRIQUE Catholicæ professionis modum excesserunt Prædestinati & Semipelagiani; dum illi plus æquo, isti minùs quàm par erat, prædestinanti Dei decreto tribuerunt. Sed Semipelagianorum errores & sectam nullus non agnoscit. Quidam fuerintne unquam Prædestinati hæretici, contra veterum omnium fidem, in dubium revocant. Erroris Prædestinatiani exordia quædam primùm apud Monachos Adrumetinos ab Augustino ipso deprehensa sunt. Mox per Gallias cœpit malum serpere, obnitente contra inter cæteros Prospero, cujus profectionem Romanam & Cœlestini ab eo impetratam ad Galliæ Episcopos Epistolam; illuc quoque pertinuisse probabile est. Certè Prædestinatos paulò post in sectam coaluisse, & Prosperi alterius Chronicum testatur, & autor Prædestinati luculenter docet, sive Primasius is sit, sive Arnobius junior, seu quicunque alius. Adeò demùm illorum numerus crevit & audacia, ut Episcopali autoritate compescendi fuerint. Id factum in Arelatensi triginta Episcoporum Concilio, in quo Lucidus Presbyter, Prædestinatorum antesignanus, errores suos dato libello damnavit, ipse alioquin damnandus. Iisdem hæreticis quinquaginta circiter post annis Synodus Arausicana II. anathema dixit.

App. Hist. Cong.

IV.

PRÆDESTINATORUM hæresim nono seculo Gothescalcus instauravit, primùm per litteras à Rabano confutatus, mox ab eodẽ in Moguntina, tum ab Hincmaro in Carisiaca Synodo damnatus. Cùm autem epistolis aliisque scriptis ætatis suæ eruditos in sententiam pertrahere conatus esset, ab aliis nihil responsi obtinuit: à Servato Lupo, qui cum Ferrariensi idem est, & Ratramno Corbeïensi non quale optasset, accepit: ab Amolone verò Archiepiscopo Lugdunensi severè reprehensus & castigatus fuit. Dissidia verò illa seu privata seu publica, quæ tunc temporis diversarum partium Episcopos inter se commiserunt, nihil illius causæ faverunt. In Prudentii Tricassini & Flori Magistri scriptis non minùs confutantur ejus errores, quàm insulsa Joannis Erigenæ Capitula. Remigius pariter Lugdunensis, cum mentem Hincmari assequitur, cum eo facit, nunquam autem cum Gothescalco, cujus pravos sensus non satis cognitos habuit. Synodus denique Valentina & Carisiaca II. licet specie tenus dissideant, in damnandis tamen Gothescalci erroribus, stabiliendaque catholicâ doctrinâ planè consentiunt.

V.

IN explicanda prædestinatione D. Augustinum sequimur, ab utrisque Semipelagianis & Prædestinatis æquè remotum. Nihil certiùs in doctrina Augustini, quàm Prædestinationem esse omninò gratuitam. Et nos id ipsum affirmamus; nullamque aliam ejus causam Augustini exemplo assignamus quàm Dei voluntatem. An autem ad gratiam priùs, aut ad gloriam, Deus electos prædestinaverit; hanc quæstionem non attigit S. Doctor, ejus tamen doctrinæ magis consentaneum est, ut gloria priùs decreta dicatur. Et hîc quoque toti Augustiniani sumus: nam si gloria spectatur ut finis, haud dubiè prior est electio ad gloriam; si ut merces, sic esse posteriorem affirmamus, ut prior esse possit; ideòque eam omni præparatione mediorum & meritorum prævisione esse priorem, meliori titu-

lo dici asserimus. Denique cùm Augustinum, aliquem in decretis divinis ordinem uspiam agnovisse, sit inauditum, ab ejusdem mente ne latum quidem unguem discedentes, nullum & ipsi agnoscimus; sed prædestinationem ad gloriam, per prædefinita merita unico decreto factam esse docemus.

V I.

PORRÒ discrimen prædestinationis Angelorum à prædestinatione hominum, & quod huic necessariò conjunctum est, adjutorii sine quo non, ab adjutorio quo bonum fit, ipsum Augustinianæ doctrinæ caput est. *Quapropter saluberrimè confitemur quod rectissimè credimus, Deum...sic ordinasse Angelorum & hominum vitam; ut in ea prius ostenderet quid posset eorum liberum arbitrium, deinde quid posset suæ gratiæ beneficium.* En utriusque prædestinationis discrimen: unde verò procedat aperiendum est. *Quid ergo Adam non habuit gratiam?* De Angelis dictum puta. *Immò verò habuit magnam sed disparè.* Angelorum enim gratia fuit adjutorium sine quo, hominum verò, est adjutorium quo. Illa fuit lætior; hæc autem est potentior. Illa adjuvabat voluntatem Angelorum sanam; hæc & adjuvat & corroborat voluntatem hominum infirmam. Ex quo sequitur prædestinationem Angelorum esse quidem gratuitam, at longè magis hominum prædestinationem; hanc soli gratiæ, illam voluntati divinà gratiâ adjutæ posse ascribi.

Harum Thesium veritas, auspice Deo & favente Dei-para, propugnabitur in Aula majore Collegii Remensis Societatis JESU, die Lunæ 17. Decembris anno Domini 1696. horâ post meridiem primâ.

Remis, ex Typis Viduæ J. MULTEAU.

JESUITARUM PARISIENSIUM

THESES

4. *DE GRATIA CHRISTI SALVATORIS.*

21. Februarii anno 1685.

I.

RELICTA regiâ viâ, *quæ in Augustini scriptis ostio tantummodo reserato valde manifesta est, ad diverticula nova & periculosa divertit, qui docet* gratiæ sanitatis & medicinalis verum & genuinum discrimen esse, quòd gratia sanæ voluntatis in ejus libero arbitrio relinqueretur, ut eam, si vellet, desereret; aut ea, si vellet, uteretur; gratia verò lapsæ ægrotæque voluntatis nullo modo in ejus relinquatur arbitrio ut eam deserat aut arripiat, si voluerit, nullum adjutorium gratiæ, cujus usus ita ponitur in arbitrio voluntatis, ut illo utatur aut non utatur, ut illud amplectatur aut deserat, ut illi consentiat aut non consentiat, si voluerit, ad medicinale adjutorium Christi, de quo contra Pelagianos Augustinus & Ecclesia disputavit, ullo modo posse pertinere, sed ad adjutorium primi hominis & sanæ voluntatis esse referendum; in eo consistere essentialiter differentiam utriusque adjutorii, in eamque differentiam totis viribus directè collimare Augustinum, & hoc discrimen tam luculentè tradere in lucubrationibus, quas adversus hostes gratiæ exaravit, ut impossibile sit legenti non advertere, nisi opinionis alicujus præoccupatæ caligo cernendi perspicaciam, judicandique libertatem impediverit: Scholasticos recentiores in utroque membro intelligendo tam enormiter aberrasse, ut directè oppositum ejus, quod Augustinus ex professo docuit, ipsi ex professo ex ejus verbis exsculpserint.

I I.

AB *Augustini semitis longissimè aberrat, qui docet* sufficiens adjutorium, & præter quod nihil aliud ex parte Dei per modum principii necessarium sit ut homo velit & operetur, nullum jam dari hominibus, quin simul sit efficax, & nullam Christi gratiam effectu operis, ad quem efficiendum voluntati datur, ullâ voluntatis pervicaciâ frustrari; hocque ipso quo data est homini gratia, mox effectum, propter quem est data, sequi; hoc ipso autem quo effectu illo destituitur, nullam ei gratiam collatam esse, nullam Augustinum aliam agnovisse, nec agnoscere potuisse actualem Christi gratiam, quàm efficacem nisi regulas omnes, quibus innixus naturam gratiæ medicinalis tradidit, velit interimere: quisquis alia divinæ gratiæ adjutoria afferre nitatur, novum gratiæ genus Christianis illum afferre, quod nec Augustinus nec ullus Latinorum Patrum qui de gratiæ adjutorio cum Pelagianis ex professo decertarunt, nec Ecclesia in Conciliis generalibus vel provincialibus ab Apostolica Sede probatis agnovit unquam, nec agnoscere potuit, nisi principia quibus ipsa per antiquos Patres medicinalem Christi gratiam defendit, funditùs evertantur, non esse nivem calori dissimiliorem, quàm sufficientem illam gratiam veræ gratiæ, quam Augustinus tradidit, hoc adjutorii genus perniciosum esse, monstrosum esse, prout

à Recentioribus explicatur, in eoque Recentiores longè deteriùs quàm Pelagianos philosophari.

III.

RADICES doctrinæ sanctissimi securissimique Doctoris perspectas ille non habet satis, qui statuit gratiam istam Christi Salvatoris medicinalem, quam efficacem Schola vocat, per quam solam operamur quidquid boni operamur, non aliud esse quàm cælestem quandam atque ineffabilem suavitatem seu spiritualem delectationem justitiæ, aut legis, aut operis boni aut rectè facti, quâ voluntas præveniatur, aut flectatur ad volendum faciendumque quidquid eam Deus velle aut facere constituerit: solam caritatis inspirationem esse ejusmodi gratiam, nullum esse actionis aut volitionis bonæ, nullum effectum efficacis gratiæ qui non illi tanquam veræ gratiæ Christi, veræque causæ tribui debeat; tantopere verò juxta Augustini mentem constantissimam, necessariam esse, quando cum terrenarum rerum tentationibus aut delectationibus dimicamus, magnam adeóque majorem ac victricem delectationis gratiam, ut nisi major fuerit quàm terrena delectatio, fieri possit quin non propriæ voluntatis infirmitate vincamur, delectationem autem illam cælestem non esse aliud quàm actum quemdam indeliberatum cælitùs immissum in voluntatem, illumque esse partim primum & indeliberatum affectum animæ seu actualem complacentiam, partim etiam & crebrò secundum, nempe indeliberatum desiderium & amorem, quibus anima improvise, suaviter & delectabiliter afficiatur Deo rapiaturque.

IV.

TOTAM doctrinâ Augustini diametraliter sibi e repugnantem perturbat, & intolerandis modis ab ejus mente detorquet, qui docet sine caritate quâ verè, sincere & gratis ex animo propter se ipsum nullius creaturæ, sed ipsius solius intuitu diligatur Deus, nullum esse vel posse esse opus verè bonum: solam absentiam ultimi finis tanquam circumstantiæ maximè necessariæ ad verum peccatum abundè sufficere, & non solùm actionem supernaturalem, meritoriam, ad vitam æternam conferentem, sed omnem omninò actionem verè bonam, hoc est non malam seu non peccatum, ad verum Deum esse referendam, ut hoc ipso quo non referatur, peccatum sit, & virtus quæ illam facit, non virtus, sed verum vitium tanquam actionis malæ principium vocari mereatur: operaque, quæ, quia ad Deum non diriguntur, nihil ad vitam æternam conferunt, non esse bona, sed tantummodo minùs mala, peccata tamen ignibus punienda: per illa opera non esse homines tantùm steriliter bonos, hoc est sine fructu vitæ æternæ, sed magis aut minùs malos, injustos, & ex iis tanquam ex operibus malis reos effici, & voluntates ea proferentes (intellige volitiones) non posse esse arbores bonas, ideoque excidendas & in ignem mittendas: sententiam Philosophiæ admiratorum (Suaris, Vasquis, &c.) non aliud esse quàm ipsissimam illam Juliani sententiam, in quam tanquam contra chimæricam imaginationem invehitur Augustinus.

V.

VIX quisquam reperietur facile, qui Augustini doctrinam magis perturbaverit, minusque assecutus sit, quàm ille qui docet opera ante fidem facta, omnia omninò opera infidelium, nullo excepto, non tantùm non esse bona, & ad vitam æternam inutilia, sed mala & vera peccata, nec esse posse nisi peccata: id tanta docuisse Augustinum asseverantiâ atque securitate, ut majore non posset Catholicam fidem: mentem illum suam tanta manifestatione declaravisse, ut si solis radiis eam scribere voluisset, vix illustriùs eam depingere potuisset: mentem ejus de iis etiam quæ vocari, & haberi solent moraliter bona, tam esse claram, ut homo nullâ sententiâ contrariâ præoccupatus non possit aliud suspicari: non intelligendum Augustinum regulariter & moraliter, quòd plerumque operentur ut infideles, sed Augustini mentem formaliter, universaliter, sine ulla exceptione intelligendam esse: Augustinum semper solam fidei absentiam, velut malæ operationis originem causamque sufficientissimam peccati incusare. *Enormiter vero de tanti Doctoris doctrina ludit, qui ait* hanc doctrinam Augustinum mordicus tanquam verissimam, Christianam, atque Catholicam contra Julianum illam tanquam falsissimam refellentem, defendisse, nugasque esse, delirium, insaniam, errorem, impietatem contrariam Christianorum sensui, Scripturis & fidei juxta Augustinum & Concilium Arausicanum, quòd infidelium sint ulla opera sine peccato.

VI.

NON parum ab Augustini mente exorbitant, qui impossibile esse putant, ut ille qui in peccandi proposito constitutus est, sola pœnæ formidine ita mutet voluntatem, concipiatque propositum benè vivendi, peccata universa relinquendi, & observandi totam legem, fugiatque peccatum & detestetur, ut dum peccatum timen-

do cavet, nullo peccato sive interno, sive interno maculetur: doctrinam Scholasticorum mirabilis esse paradoxi novitatem, eamque principiis Augustini solidissimis, ex quibus Pelagiana hæresis expugnata est, directè refragari. *Imaginatio enim est hæc fundata in mera hallucinatione de Augustini cum Pelagianis disceptatione; nec ipse rerum obscurarum anfractus satis penetravit*, *qui ait* magis admiratione dignum esse, quod Scholastici docent, dolorem quo quis de peccatis ex solo pœnarum infernalium timore dolet, atque detestatur, quam attritionem vocant, dispositionem idoneam esse ad justificationem in Sacramento Pœnitentiæ aut Baptismi recipiendam. *Non minùs verò intolerabile est illud alterum paradoxum, quo dicere ausus est* Scholasticorum sententiam non solùm Augustini principiis ex diametro repugnare, sed etiam à Synodi Tridentinæ Patribus multis modis proscriptam esse: Trid. multis locis evidenter significare nunquam justificationis gratiam sive extra Sacramentum sive in Sacramento tam Pœnitentiæ quàm Baptismi adultis dari, nisi contritio antecedat. *Longè satius esset palam à Trid. discedere, quàm ejus doctrinam tot ludibriis adulteratam vindicare.*

VII.

VERUM *cardinem difficultatum omnium, quibus Massilienses in errorem abrepti sunt, minùs quàm par est, attendit, vel penetravit, in easque opiniones, unde evadi sine maxima Catholicæ & Semipelagianæ doctrinæ perturbatione non potest, se compingit ille qui vult* Massilienses præter prædicationem atque naturam ad initium fidei, orationem, desideria, permansionem in fide, similesque actus bonos, quos homini in potestate remansisse sentiebant, & humanæ libertatis & voluntatis adscribebant viribus, verè internæ actualisque gratiæ adjutorium necessarium statuisse; Augustinumque omninò semper ad omnem omninò bonam voluntatem, quâ Deo creditur, Deus rogatur, sanitas petitur, gratiam Dei & adjutorium fassum esse non modò senem, cùm conflixit cum Pelagiana peste, sed etiam quando Presbyter & Catechumenus in eodem quo Massilienses errore versabatur: facillimè Massilienses, ipsosque adeo Pelagianos cum Catholicis potuisse coalescere, si Augustinus talem explicandæ gratiæ rationem, cum qua indifferens maneret homini & in propria potestate positum credere vel non credere, ejus adversariis tradere voluisset: eos immania illa portenta quæ ex Augustini opinione pullulare aiebant, non formidasse, nec tantis clamoribus questos esse sequi ex illo adjutorio SINE QUO NON omnibus præparato; nec fuisse inimicos gratiæ ad credendum, & perseverandum, nisi illius tantùm quæ adamantina quadam Dei constitutione, quam mutare non possent, voluntates præveniret.

VIII.

LONGISSIME *recedit ab explicanda veræ libertatis ratione, quam Augustinus tenuit, qui ait* paradoxum in Augustini doctrina esse, quòd actus aliquis voluntatis propterea liber sit, quia ab illo desistere voluntas & non agere possit, diametraliterque potiùs è contrario semper ab eo propterea libertatem alicujus actus asseri, quia voluntas eum agere potest: Scholasticos, cùm nullam suspicari possint libertatem arbitrii nisi semper hæsitantem, & quasi in bivio quodam fluctuantem indifferentiam ut eligat, vel non eligat, eligat hoc aut aliud, putare & Augustinum, cùm liberum arbitrium nominat, de simili indifferentia loqui: hoc nihil esse absurdiùs, & quantùm Arcticus polus ab Antarctico discrepat, tantùm rationem libertatis quam Augustinus docet, ab eorum libertate dissentire: non umbram esse ullam in omnibus scriptis Augustini quòd libertatem in voluntate majorem velit fieri, quòd possit eligere vel non eligere, hoc eligere vel illud bonum: indifferentiam contradictionis esse merè Philosophiæ fœtum, nec ab Augustino, nec à Prospero aut Fulgentio sub nomine libertatis arbitrii propugnatam, requisitam, agnitam fuisse: indifferentiam contrarietatis, qualem admittunt Scholastici, ab Augustino constantissimè negatam fuisse & à Pelagianis contentiosissimè postulatam: illâ datâ nihil facilius esse, quàm totam Pelagianam hæresim defendere, ipsumque peccatum originale de medio tollere: sententiam istam velut erroris Pelagiani nidum fortiter & acerrimè refutasse Augustinum.

IX.

CIRCUMSPECTISSIMO *Doctori Augustino attribuit ille paradoxa, quibus nec à Stoicis paria excogitata sunt, qui ait* omnem omninò voluntatem quantumcunque determinatam ad unum, esse liberam: idem esse voluntatem seu volitionem, & liberam voluntatem, velle & liberè velle: impossibile esse ut velle non sit liberum: liberum actum esse idem, atque non coactum, seu voluntarium & spontaneum, prout voluntas, voluntarium & spontaneum designant motum rationalem, cum ratio-

rationis advertentia, & circumstantiarum cognitione: violentiam quidem & coactionem capitaliter repugnare libertati, eamque funditùs interimere, non autem illam necessitatem, quâ simpliciter necesse est aliquid fieri non repugnante, sed immobiliter volente voluntate; Recentiores qui ad nomen incoactæ voluntatis exhorrescunt intolerabili antiquitatis imperitia, in sententias istas lapsos esse: Nullam immutabilitatis, inevitabilitatis, vel quocunque voces nomine, sed solam coactionis necessitatem essentiali & genuinæ arbitrii libertati repugnare: Quicunque aliam libertatem in Augustini scriptis quærit, oleum illum & operam perdere, nec exitum ex labyrintho inextricabili plurimarum difficultatum inventurum: Quicunque doctrinam istam erroris insimulare ausus fuerit, non Augustinum, sed Philosophiam fortassis Aristotelis ducem ac patronam eum habiturum esse, & in illud doctrinæ culmen & columen necesse esse ut anathema primùm dicat.

X.

ILLI *oculos clausit pervicacia, qui docet* in illo acerrimo diuturnoque conflictu, quo cum Pelagianis de gratia & voluntatis libertate decertatum est, nusquam vel semel nec ex professo tradere Augustinum, nec per transenuam insinuare, nec in ullis ejus libris inveniri posse unum textum vel vestigium opinionis illius, quòd idcirco voluntas sub gratia quæ facit eam facere, maneret libera, quia cessare posset, & actum volendi sic exereret, ut cum posset suspendendo sustinere: sed potiùs conspirare omnia, idcirco esse liberam, quia, quantumcunque Deus efficaciter per gratiam operetur, gratia voluntatem nonnihil agentem, non nolentem aut invitam potentissimè velle & operari facit: ex Augustini locis, quibus cuncta ejus opera contra Pelagianos referta sunt, luce meridiana manifestius apparere istam unicam gratiæ cum libera voluntate conciliationem ab ipso agnitam, probatam, traditam esse Christianis, & ejus solius explicatione hostibus Ecclesiæ satisfacere eum voluisse: hæc omnia ad amussim maximè mirabiliter ex omni parte principiis ab eo traditis de libero arbitrio convenire, ipsamque rerum admirabilem consonantiam altissimè clamare hanc ipsam esse veram genuinamque divinæ gratiæ cum libera voluntate concordiam: Concilium Tridentinum sessione sexta, canone quarto, eandem omninò concordiam gratiæ & liberi arbitrii tetigisse, & Romanos Pontifices, & omnes veteres gratiæ defensores unanimi consensu.

XI.

AUGUSTINUM *ille ex privatis suæ doctrinæ principiis renitentem torquet in sensus à se præoccupatos, & ab ejus mente alienissimos, qui ipsum ait docere* Deum in perpetua voluntate, qua potenter & immutabiliter vult justitiam, vel non vult peccatum & injustitiam, esse liberum: Beatorum arbitrium liberrimum esse in illa ipsa immobili & indeclinabili voluntate non peccandi & fruendi Deo, atque ab ejus amore non deficiendi: Christo liberam fuisse voluntatem, quâ peccare non possit, aut malæ voluntatis motum aliquem admittere: Has liberrimas esse voluntates & propriissimè dicta libertate: Dæmones amisisse penitùs & irreparabiliter libertatem ad bonum, & potestatem benevolendi & benefaciendi, retenta perfectissimè libertate ad malum, & potestate solius mali, perfectissiméque esse liberos à justitia servosque peccati: rationem tamen peccati nihil quidquam continere, quod non maximè in eorum facta quadret, quæ contra legem æternam scientes, videntes, lubentesque dicunt, faciunt, concupiscunt: gravissimorum eos certissimorumque peccatorum autores esse, blasphemiasque illas in Deum horribiles neminem sanæ mentis inficiari posse gravissima esse sceleratæ mentis facinora: Augustinum non tantùm peccandi voluntatem Diabolo & vera peccata, sed etiam peccatorum supplicium attribuere, & eum non modò peccatorum, sed & pœnarum luendarum reum facere.

XII.

QUIS, *nisi oculos apertissimæ veritati clauserit, non videat, paradoxum in Augustini doctrina esse, quo universa ejus principia, & doctrinæ regulæ, quas de libertate ad peccandum generaliter tradit, jugulentur*, generale Scholasticorum pronuntiatum, quòd quidquid ex invincibili fit ignorantia, hoc ipso culpa vacat, esse solenne illud Pelagianorum dogma, Catholicorum Episcoporum judicio in Synodo præsidentium Augustinique toties Episcoporum judicium approbantis calculo sine ulla tergiversatione damnatum, quòd ignorantia, quæ non secundùm voluntatem evenit, sed secundùm necessitatem, peccato non subjaceat: eam peccandi necessitatem, quæ ex ignorantia illa invincibili & incavibili sequitur, à Pelagianis fuisse exagitatam, eam verò Augustinum agnovisse, ingenuéque confessum esse, asseruisse apertissimè, constanter admisisse, nec unquam ad aliquam impropriam sive peccati sive necessitatis acceptionem fugisse; sed esse illa ex ejus mente

mente quantumvis necessaria, tamen vera peccata, ad culpam imputanda, remissione delenda, pœnis plectenda: Hoc Augustinum, hoc Hieronymum, hoc Concilium Palæstinum ut rem in Ecclesia Catholica extra omnem controversiam docuisse: Augustinum doctrinam illam de ignorantia invincibili juris naturalis prævaricationem quidem, non tamen peccatum excusante, ex Apostolo hausisse.

XIII.

NIMIS *enormiter ab Augustino & veritate aberrant, qui persuadere moliuntur sanam hanc esse sanctamque Divi Augustini doctrinam:* Omnes qui non sunt ad salutem prædestinati efficaciter ante omnem absolutam cujuslibet meriti præscientiam, esse à gloria hoc ipso & in eo ipso signo, quo Deus alios elegit, exclusos efficaciter & reprobatos actu positivo, Deumque non solùm eos non voluisse liberare, sed etiam positivè noluisse eos à toto statu perditionis, in quo eos jacere videt, hoc est finaliter à perditione liberare; reprobationisque istiusmodi positivæ, sive ille parvulus vel adultus fuerit, sive ad tempus justificandus, sive in iniquitatibus totâ vitâ mansurus, non aliam esse causam nisi massæ perditæ meritum, seu peccatum originale, quo periisse &. damnationem ejusmodi meruisse prævidentur; non autem actuale peccatum prævisum, quo judicentur indigni & regno & gratia Dei: cur verò ex duobus, quorum uterque originali culpa maculatus est, hic non ille reprobetur à Deo, rei illius nullam omninò causam dari posse ex parte hominis, sed pendere à puro beneplacito Dei, idque apud Augustinum innumeris inculcari locis adversus Pelagianos: *Imaginationes enim illas, quas ex male intellectis Augustini & Pelagianorum principiis peperit Iprensis libro decimo de Gratia Christi Salvatoris, falsissimum est convenientissimè in Augustini principia quadrare.*

XIV.

QUI *ausus non sit dicere, Deum hoc ipso quo quosdam liberandos ad æternam vitam eligit, cæteros positivè ad pœnas omnes sensûs, quas in inferno reipsa pro peccatis omnibus passuri sunt, reprobando damnavisse eum vehementer admirabile est sine vacillatione docere* illius positivæ reprobationis, quâ suppliciis omnibus æternis eos Deus mulctandos esse constituit, causam formaliter esse peccata omnia, cum quibus & in quorum reatu morituri sunt, sed radicaliter etiam originale peccatum, quia ex illius suppliciis quidquid peccatorum à reprobato perpetratum est, fluxerit, (*licet inde omnia necessariò & inevitabiliter fluant*) ita ut tota illa suppliciorum concatenatio (*quæ semper necessitatem ineluctabilem adjunctam habet*) usque ad ultimam damnationem in ignem æternum radicaliter & mediatè in peccati originalis meritum referendum videatur. *Tridentinæ verò Synodi doctrinæ principia non rectè apprehendit, qui sic interpretatur decretum de peccato originali §. 5. sess. 5. ut* quamvis verum sit in multis culpam originalem Christi baptismate deleri, nec propter culpam jam deletam immediatè posse eos regno cœlestis hæreditatis excludi, simul tamen *velit* propter illam culpam noluisse Deum ipsi totale beneficium liberationis decernere, & à perditione, sic ut eam reipsa evadat, liberare.

XV.

MULTO *verò enormiùs ab Augustini mente recedit ille, cùm docet* primæ istiusmodi reprobationis, quâ nempe reliqui omnes à Deo alios liberandos prædestinante præteriti ex illa primæ originalis iniquitatis culpa & prævaricatione quæ omnium fuit, reprobati sint positivè & tanquam indigni prædestinatione ab æterna vita quæ est in regno Dei realiter adipiscenda, exclusi, finaliterque ideo in perditione relinquendi; illius, inquam, reprobationis effectus esse excæcationem obdurationemque eorum qui ad interitum parati sunt, & traditionem illorum in desideria cordis sui atque desertionem ejusmodi, quâ Deus non misereatur, nec gratiam tribuat, quâ peccata caveantur, ut subtractâ gratiâ fiant cæci atque duri; demùm permissionem peccatorum quæ à reprobatis post contractam originalis noxam fiunt: Deumque idcirco talibus misericordiam & gratiam in tempore negare, quia æquitate occultissima abjecit eos, ne perveniant ad regnum suum; ita ut, etsi culpa non maneat, quâ damnatione sunt digni, maneat tamen pœna per quam semel culpâ extracti novum iterum reatum perditionis incurrant, & ex reliquiis istius peccati, quas non absterserit, Christi gratiâ fiat, ut omnibus istiusmodi massæ suppliciis impellentibus iterum in peccatum ruant, nec solùm in massam perditionis, sed etiam in statum perditionis relabantur, in eoque maneant & moriantur.

XVI.

TRITA *ergo hæreticorum arma non colligunt nec obsoleta recudunt, qui locum Apostoli Epistolæ* 1. *ad Timotheum*, Vult omnes homines salvos, &c. *de omnibus omnino, quantum in Deo est, intelligi volunt, mirum est tam pervicaciter prædicari* eam

eam istius loci Apostolici explicationem non esse genuinam, immò contrariam divinæ gratiæ sinceritati: hanc factorum verborum expositionem neque verbis Apostolicis congruere, & scopo Apostoli manifestè repugnare, atque ab errantibus introductam fuisse: & à veris, antiquis, genuinis defensoribus gratiæ, tanquam dissonantem à veritate, reprobatam: non exiguum isti interpretationi præjudicium facere, quod sic explicuerunt hostes gratiæ Pelagiani & Semipelagiani: nunquam illam Augustinum, nisi quando Semipelagiano errore fallebatur, admittere voluisse: quodque existimant Recentiores Augustinum expositionem illam in libro De spiritu, & littera amplexum esse, eos falli, & objectionem Pelagianam pro solutione arripuisse; Prosperumque nunquam eorum opinionem, nequidem in libro De vocatione gentium, docuisse: eam expositionem ex professo impugnare multis locis Prosperum & Fulgentium, nihilque omninò doctrinam Damasceni de antecedente salutis omnium voluntate Recentioribus prodesse, eamque cum negandæ salutis & gratiæ sufficientis voluntate subsistere: Quod verò pro ista Recentiorum interpretatione multi veteres proferuntur, non multùm ei conciliare autoritatis.

XVII.

MALESANUS *est medicus, fictisque morbis præparat antidotum, qui Recentiores imaginatus ad eundem, atque Massilienses, scopum collimare, eorumque argumenta eadem esse quibus Massilienses usi sunt, & eisdem se Augustini & Prosperi solutiones opponere, mira securitate atque vehementia prædicat* argumentum istud, quo Christus redemtionem se pro omnibus dedisse dicitur, nihil omninò pro auxilio sufficienti omnibus, nullo excepto, suppeditando facere: non pro omnibus omninò juxta doctrinam Antiquorũ, Christum passum aut mortuum esse, aut pro omnibus omninò tam generaliter sanguinem fudisse, eosque hoc potiùs tanquam errorem à fide Catholica abhorrentem docere esse respuendum: nullo modo principiis Augustini consentaneum esse, ut Christus Dominus vel pro infidelium in infidelitate morientium, vel pro justorum non perseverantium æterna salute mortuus esse, sanguinem fudisse, semetipsum redemtionem dedisse, Patrem orasse sentiatur: juxta sanctissimum Doctorem Christum non magis Patrem pro æterna liberatione ipsorum, quàm pro Diaboli deprecatum esse, fieri non posse, ut pro quo sanguinem fuderit Christus & mortuus fuerit & rogaverit Patrem suum, non assequatur istius mortis & propitiationis & deprecationis effectum, profuturumque illi necessariò Christi sanguinem & mortem; & cui nullo modo prodest Christi sanguis & mors, pro illo nec sanguinem fudisse Christum nec mortuum esse.

XVIII.

FALSISSIMUM *ergo, absurdissimum, impiissimum, & Christianæ fidei contrarium est* esse præcepta quædam hominibus non tantùm infidelibus, excæcatis, obduratis, sed fidelibus quoque & justis, qui & fidem Christi & caritatem justitiæ susceperint, volentibus, conantibus secundùm statum in quo sunt constituti, & præsentes quas habent vires, impossibilia deesse quoque gratiam, quâ possibilia fiant: hoc sancti Petri exemplo aliisque multis quotidie manifestum esse: fidelibus multis deesse illam sufficientem gratiam, & quarumdam cupiditatum tentationes aliquorum hominum vires superare, ita ut eas superare non possint; & consequenter deesse illam perpetuam, quam quidam prædicant, faciendi præcepti potestatem: non esse tamen excusatos sive fideles sive infideles, qui sufficienti adjutorio carent, etsi sine illo præceptum absolutè implere non possint; & non magis hic & nunc & absolutè dici possit fieri præceptum posse, quàm si sine alis volare quis posse diceretur, actumque ejusmodi sine gratia sufficiente esse liberum libertate quæ ad peccatum sufficit, non minùs quàm si illius adjutorio munirentur: Doctrinam Scholasticorum esse illud ipsum telum præceptorum, quo à Pelagianis petebatur Augustinus: sollicitè verò, solidè, instanter sanctissimum Antistitem docere etiam eos qui credunt Deo, & jam justificati sunt, etiam volentes conantesque multa Christianæ doctrinæ præcepta implere non posse.

XIX.

PIUS *sudat in Augustino præconceptam suam opinionem stabiliendo, quàm genuinum Patris sensum indagando, qui docet* ab Augustino sexcentis locis tradi perspicuè reipsâ homines gratiæ adjutorio, quod ad implendam legem necessarium est, caruisse, ideoque sæviente concupiscentia non nisi sub prævaricatione jacuisse reos: idcirco hoc ab Augustino dici, quia non solùm lex non dabat gratiam, sed quia cum lege data illis transgressoribus per carnem infirmantis gratia non dabatur: Reipsâ legem in Judæis qui eam acceperant à gratiâ fuisse sepa-

separatam, & fuisse quemdam sub lege statum, sub quo generaliter paucis exceptis Judaïca natio ante Salvatoris adventum fuerit, in quo non solùm non daretur gratia sufficiens implendi hoc quod jubebatur, multò minùs gratia sufficiens ad salutem; sed è contrario talis gratia juxta doctrinam Apostolicam ab Augustino propalatam rationi legis, ac scopo Dei capitaliter repugnaret: scopum nempe legis præcipuum fuisse, ut multitudine peccatorum & prævaricationum humiliati discerent ad gratiam quam non haberent, implorandam fugere. *Mirum verò est eo usque ineptiæ progressum quempiam*, *ut prædicet* doctrinam illam esse in Scripturis apertè comprehensam, verissimam & Apostolicam, ac velut basim veteris ac novæ legis, ut qui eam labefactare tentaverit, is universam œconomiam veteris novique Testamenti confundere moliatur.

X X.

P*LUS studii suscipit ad obscurandum ea quæ in Augustini scriptis manifesta sunt, quàm ad ea quæ obscuriora sunt, illustranda, qui ait* multis modis magnaque claritate Augustinum docere excæcatos obduratosque ab adjutorio sufficienti prorsus deseri, ipsisque subtractam esse sufficientem gratiam, non solùm eam, quâ cordis oculis videant veritatem, eamque mollitâ voluntate sectentur, & quâ possint vel videre, vel credere, vel rectè vivere; sed etiam eam, quâ peccata cavere & vitare possint; quæ ex istis principiis proficisci solent: rarissimam esse gratiam, quâ cæcitas dispelli & peccata ex cæci cordis errore nascitura vitari possint, & judicio Dei nunc multis deesse: idque Augustinum absoluta autoritate definire non de obcæcatis & obduratis tantùm, (de iis ipsum nunquam vel dubitasse) sed generaliter de multis aliis peccatoribus: docere Augustinum justis quibusdam gratiam subtrahi, sine qua impossibile est justum manere, & injustum rectè vivere & peccata vitare quamvis velit, ex ista igitur cordis cæcitate & voluntatis obduratione nasci præcipuè quandam peccandi necessitatem, quæque non aliud quàm impotentia quædam & insufficientia cavendi peccata tentationesque superandi, quæ non aliunde nascatur, quàm ex eo quòd sufficienti illo adjutorio deseruntur: possibilitatem semper videndi & bene vivendi quam Scholastici peccatori semper adesse volunt, illam ipsam esse quam defendebat Pelagius.

X X I.

F*ACILE videt quisquis Augustini principiis imbutus est, supra modum paradoxum esse*, infideles omni gratia sufficiente ad non peccandum, & consequenter ad salutem æternam adipiscendam carere: eum statum carere gratiâ non solùm faciendi bonum, sed gratiâ non faciendi id quod prohibetur malum, seu non consentiendi carnalibus concupiscentiis, adeóque ingentem tentationum superandarum impotentiam in omnibus infidelibus reperiri: diversâ & Augustino ex diametro adversâ viâ Scholasticos Doctores ingressos esse ad gratiam sufficientem vitandi peccata infidelibus asserendam, Doctrinam illorum in Augustino, Prospero, Fulgentio, cæterisque veræ gratiæ defensoribus prorsus inauditam esse, & à Semipelagianis ortum habuisse: Indubitatam Augustini indolem ac doctrinam esse, quòd infideles non solùm non habeant sufficientem gratiam servandi præcepta naturalia, (id mirabili exorbitatione Scholasticos docuisse) sed nullam omninò, quâ vel bene vivere possint, vel naturalem legem servare, vel peccata vitare: esse hanc profundissimam, solidissimam, castissimam sancti Præsulis doctrinam, quam Scholastici non intellexerunt, illamque Augustinum in Apostolicis documentis fundasse, & velut Ecclesiæ Christianæ basim posteris tradidisse, eamque ideo & Prosperum & Fulgentium ad amussim secutos esse, & Concilium Arausicanum canone sanxisse.

X X I I.

G*RATIA* non dicitur efficax à consensu & cooperatione hominis, sed à propria & singulari virtute quam habet inferendi omnino certò suum effectum, & attrahendi infallibiliter voluntatem ad consensum & cooperationem. Non dicitur tamen efficax, nisi ex eo quòd verè præsupponatur, aut præsciatur à Deo habitura suum effectum, si detur in his aut illis circumstantiis: ex eo enim habet omnia quæcumque possunt ad illius efficaciam requiri. Non differt igitur gratia efficax à gratia merè sufficiente, neque per suam entitatem, neque per entitatem alterius ullius seu auxilii sibi à Deo superadditi, seu dispositionis naturalis, aut accidentalis in qua supponatur esse ille cui datur, seu circumstantiæ ullius cujuscunque rei extrinsecæ; neque per congruitatem, aut contemperationem aliam cum voluntate ejus cui datur, quàm quæ sit purè consequens, non antecedens eam hypothesim aut præscientiam: antecedenter ad quam seu hypothesim seu præscien-

præscientiam nihil habet gratia efficax neque intrinsecè, neque extrinsecè, neque absolutè, neque relativè, quod dicat supra gratiam merè sufficientem. Gratia medicinalis non differt à gratia sanitatis aliter quàm extrinsecè & purè subjectivè, atque objectivè, quòd habeat pro subjecto hominem ægrotum, cum alia habuerit hominem sanum, habeatque idcirco hæc pro objecto multas quas non habuit illa, difficultates superandas.

XXIII.

NON dantur in tempore nec decretæ sunt aut præparatæ unicuique à Deo ab æterno gratiæ, nisi ex affectu sincero, & quantum est ex se efficaci illum salvandi. Non dantur ergo nec decernuntur cuiquam gratiæ ullæ aut series gratiarum, neque ut & quia sunt inefficaces & inutiles ad salutem, neque cum delectu quæ sint futuræ inefficaces, neque ex cognitione antecedenti, quâ præviderit Deus futuras illas inefficaces si dentur. Non decretæ sunt proinde cuiquam aut præparatæ à Deo gratiæ inefficaces ad salutem ex alia scientia seu cognitione, quàm ex scientia simplicis intelligentiæ. Nec datur semper adultis à Deo quantum est ex se omnibus æqualiter actualis interna gratia, nec datur semper & continuè omni momento, neque iis temporibus certis quibus datur, proximè semper & immediatè datur omnis quæ est necessaria. Quod vulgò dicitur Deum facienti quod in se est, non denegare gratiam, intellectum de fidelibus hoc sensu, quòd illis facientibus quod in se est, cum præsenti auxilio gratiæ non deneget Deus auxilia ulteriora, quibus indigere possunt summam habet divinæ fidei certitudinem: De infidelibus autem hoc sensu, quòd illis per solas naturæ suæ vires facientibus quod in se est, Deus non deneget auxilium vocationis ad fidem, si nempe vitando, quantum in se est, omne peccatum, non ponant illi obicem, dumtaxat probabile est.

XXIV.

GRATIA interna actualis necessaria sanè est & ad opera meritoria vitæ æternæ & ad opera quæcunque disponentia positivè ad receptionem gratiæ. Necessaria verò non est in statu naturæ lapsæ interna eadem gratia actualis, neque ad bona quælibet moralia opera, neque ad quamlibet victoriam tentationum, neque ad quamlibet Dei dilectionem etiam absolutam & de se efficacem super omnia proposito & affectu, neque ad cujuslibet præcepti legis naturæ observationem, aut ad peccati cujuslibet fugam. Necessaria non est gratia ulla Dei neque interna neque externa ad perseverantiam in gratia seu temporalem seu finalem purè negativam. Sæpe non est etiam necessaria gratia ulla Dei ad perseverantiam seu temporalem seu finalem, etiam positivam, quæ sit per breve tempus & sine ulla gravi difficultate. Ad perseverantiam verò positivam finalem per longum tempus, non requiritur alia gratia, quàm quæ requiritur ad perseverantiam positivam temporalem per longum tempus, nec requiritur quæ distincta sit & diversa ab ea quæ datur aut offertur communiter omnibus justis per aliud quodcunque tempus suæ vitæ ad perseverandum diu in gratia; nec verò quæ sit specialis hoc sensu quòd non detur aut non offeratur justis omnibus, sed tantùm aliquibus specialiter dilectis, aut quòd non detur ex generali, sed tantùm ex speciali providentia.

Harum Conclusionum veritas, Deo duce faventéque Virgine, propugnabitur in Regio Ludovici Magni Collegio Societatis JESU, *die* XXI. *Februarii anni* M. DC. LXXXV. *à secunda ad vesperam.*

JESUITARUM PARISIENSIUM

Conclusiones Theologicæ de Peccatis & Gratia. Quatenus cum
5. *Augustino Theologi Catholici consentiant, ab eodem verò dissentiant hæretici 26. Februarii a. 1692.*

DE STATU INNOCENTIÆ.

AUGUSTINUS.

I.

DEUS primum hominem condidit in bonis, (a) sine ignorantia, & concupiscentia, & cum facilitate recti. Homo non potuit permanere in illis bonis sine adjutorio Dei: (b) ergo Adam habuit gratiam, eamque magnam, sed disparem ab ea qua homo lapsus adjuvatur. Lætior fuit in Adamo, potentior in nobis; non enim in illo fuit ea concupiscentia & difficultas recti, quæ in nobis superanda est. In Adamo fuit *adjutorium sine* non posset perseverare, non verò *adjutorium quo* fieret ut perseveraret: quia Deus non præveniebat ejus voluntatem delectatione recti, nec illam infallibiliter in rectum ferebat. (Hic est enim verus sensus eorum quæ leguntur ea super re in cc. 10. 11. & 12. libri de correptione & gratia.) Si per illud *adjutorium sine quo non* adjutus homo non peccasset, nec concupiscentiam, nec ignorantiam, nec morbos, nec mortem corporis experturus fuisset; eâque felicitate (c) posteri ejus pariter fuissent potituri. Porrò hominem tot tantisque donis ornatum à Deo primùm creari decuit, quia Deus illum ad suam ipsius beatitudinem fruendam destinabat, hoc est, ad intuitivam Dei visionem, quâ

(a) (b) *in cc. 10. 11. & 12. l. de corrept. & grat.* (c) *4. 4. cont. Jul.*

CATHOLICI.

I.

NEMO Catholicorum negat Adamum à Deo sine ignorantia, & concupiscentia, adeoque cum facilitate recti fuisse conditum. Hanc ob causam Scholastici verè docent in Adamo fuisse donum justitiæ originalis, quo concupiscentia homini ex corpore & anima conflato naturalis coërceretur. Catholici etiã fatentur Adamum non potuisse donum illud conservare sine adjutorio Dei, quapropter in Adamo innocente agnoscunt dona supernaturalia. Scholastici autem has Augustini voces *adjutorium quo*, & *adjutorium sine quo non* alii alio sensu accipiunt. Bene quidem & in sensu Augustini eas explicant, qui aiunt *adjutorium quo* esse ipsum perseverantiæ donum, quod non fuit in Adamo: *Adjutorium sine quo non* esse perseverantiæ possibilitatem; sed illi rem penitius introspicere videntur, qui aiunt adjutorium Adami, nihil aliud fuisse quàm habitus supernaturales, quos nemo in illo fuisse negat; eosque dici *adjutorium sine quo non*, quia nisi Deus per illorum habituum motus & actus illustrasset Adami intellectum, & ejus adjuvisset voluntatem, bene agere non potuisset. Eos autem non dici *adjutorium quo*, quia per illorum motus & actus Deus non præveniebat Adami voluntatem, nec eam infallibiliter ferebat in re-

HÆRETICI.

I.

PELAGIANI affirmabant eam, quam quisque nunc sentit, concupiscentiam, sic esse naturæ humanæ propriam, ut cum ea Adamus conditus fuerit, vel in ipso statu supernaturali; eum enim statum supernaturalem nunquam negarunt.∴ Calvinus verò & Lutherus, cæterique exinde Novatores circa innocentiæ statum in eo errarunt, quòd verba Augustini, *adjutorium quo*, & *adjutorium sine quo non*, sic sunt interpretati, ut *adjutorium sine quo non*, quod volunt esse gratiam similem illi, quam Scholastici sufficientem vocant, Adamo uni datam fuisse contendant: *adjutorium* verò *quo* esse gratiam efficacem, quam Adamum non habuisse aiunt ad bene operandum; utrumque porrò illud adjutorium in eo differre, quòd *per adjutorium sine quo non* daretur mera agendi possibilitas, ita ut per liberum arbitrium homo illo adjutorio uti posset, vel non uti, quod dicunt solius naturæ integræ proprium fuisse; per *adjutorium autem quo* detur ipse actus, ita ut per illud voluntas ad agendum impulsa non agere non possit, nec illud auxilium abjicere queat: cujus quidem necessitatis nullum est in Augustino indicium. Errant præterea in eo quòd negant statum naturæ puræ esse possibilem,

frui eum rebellium Angelorum loco volebat : si tamen ignorantia (d) & difficultas recti fuisset hominis primordia naturalia, non ideo culpandus Deus, sed laudandus esset.

(d) c. 11. l. de dono persever.

ctum. Denique Catholici omnes concedunt Adamum, cum posteris suis, futurum fuisse sine morbis, & morte, &c. si non peccasset, eumque ad finem supernaturalem, seu divinam visionem fuisse creatum. Sed Scholastici quærunt utrum homo creari potuerit in statu puræ naturæ, hoc est, cum mediis merè naturalibus, ad beatitudinem merè naturalem consequendam, verè quidem potuisse affirmant. At Augustinus hac de quæstione contra Pelagianos nihil habuit dicere; quædam tamen ex ipso attulimus, quæ huic Scholæ opinioni favent.

lem : & quidquid hanc in sententiam ex Augustino afferunt de concupiscentiæ malo, &c. dictum est contra Pelagianos respectivè ad statum supernaturalem, adeoque nihil probat contra statum naturæ puræ.

II. DE PECCATO ORIGINALI.

ADAMUS per mutabilitatem naturæ suæ (a) se elationi animi permisit, peccavit, de pomo vetito edit ; statim donis gratiæ spoliatus est, morbi, (b) mors, &c. in ipsum & posteros ejus insurrexere, & in pœnam tantæ inobedientiæ caro hominis menti ipsius facta est inobediens, & ignorantiæ tenebras offudit. Sic natura humana concupiscentiæ vitio, veluti quadam mala affectione corrupta est, (c) & licet quoad substantiam bona, utpote à Deo creata, tamen Deo exosa facta est, qui ipsam absque omni vitio condiderat. Quicunque autem ex Adamo generatione naturali procreatur, accipit naturam humanam, in se, & ut à Creatore venit bonam : (d) per peccatum verò, & ut ab Adamo descendit, corruptam, Deoque exosam. Peccatum originale, quî cùm nascuntur, quicunque Adami procreatione naturali filii sunt, est concupiscentia (e) cùm

(a) C. 3. l. 5. cont. Jul. (b) Ibidem. c. 5. (c) (d) (e) (f) Hæc omnia passim habentur in l. cont.

CONSTAT inter omnes Catholicos, Adamum per mutabilitatem naturæ suæ peccasse peccato inobedientiæ, pomum vetitum edendo : & statim in pœnam peccati sui, tum justitia originali, tum donis supernaturalibus spoliatum fuisse, morbis, morti, ignorantiæ, & concupiscentiæ factum fuisse obnoxium, eaque etiam omnia mala in posteros ejus fuisse transmissa ; & omnes ex Adamo generatione naturali genitos, nasci reos peccati originalis, excepta B. Virgine, quam Ecclesiæ sensus à labe peccati originalis, vel in primo generationis instanti liberat, nec id certè est contra mentem Augustini. Præterea, sive Scholastici dicant peccati originalis essentiam esse in privatione gratiæ sanctificantis ; sive velint illud propagari propter pactum aliquod, quo voluntas nostra in voluntate Adami, utpote in quo essemus omnes, contineretur, nihil Augustino contrarium docent : sed cum illo, & re, & verbis conformiùs loquuntur qui cum

PELAGIANI nunquam negarunt Adamum peccasse in Paradiso, & per peccatum suum in mala multa incidisse : sed negarunt peccatum illud posteris ejus nocuisse, nisi quatenus illis peccandi primum exemplum fuit : aiebantque concupiscentiam, ignorantiam, &c. esse hominis etiam in statu supernaturali creati conditiones congenitas, concupiscentiamque nihil in specie sua vitii habere, sed in excessu, quem cohibere liberum arbitrium posset, admittebant tamen necessitatem Baptismi, ut homines per regenerationem illam adoptarentur in filios Dei, & regni ejus hæredes : nam sine illa adoptione, neminem in regnum Dei pervenire posse contendebant, adeóque pueros sine Baptismo morientes, regni illius extorres, nescio ubi locorum volebant frui vitâ æternâ ; eos enim ullatenus puniri pernegabant. * . * . Novatores verò ut Pelagianum fugiant errorem, (id enim præse ferunt,) nihil nisi peccati originalis & concu-

homine per peccatum Adæ (b) non periit, sed factum est servum peccati; cùm enim concupiscentia effrænis mentem perturbet, & motibus violentissimis eam præoccupet, voluntas ex concupiscentia agit, (c) nisi gratia Dei ab illa servitute eam liberet. Hinc Infidelium opera ex fine aliquo concupiscentiæ fiunt, (d) superbia, v. g. suntque peccata, nisi fiant ex gratia per Christum. Sed quantumcunque concupiscentia post peccatum & ante gratiam delectet voluntatem, hinc sanè nulla afferuntur (e) necessitas voluntati, & ipsum ejus velle omninò liberum est, quod idem est quando voluntas de serva peccati facta est serva justitiæ: quantumcunque enim agendi motiva oriantur ex gratia, & per eam fiant amabilia voluntati, homo nulla necessitate (f) premitur, est sui *velle* Dominus, illud habet in sua potestate; quod facit, facit cùm vult, hoc est, sine ulla necessitate.

(b) *L. de grat. & lib. arbitr. c. 4.* (c) *L. 2. de pecc. merit. & remiss. c. 17.* (d) *L. 4. cont. Jul. c. 3.* (e) (f) *L. de natur. & gr. c. 65.*

pectu ad beatitudinem supernaturalem: & utrum possit velle ex motivo rectæ rationis tantùm, ita ut agat quia rectum, & quia honestum est præcise. Augustinus neutram ex his quæstionibus examinavit, nec enim ipsi locus fuit contra Pelagianos, quos respectivè ad actus supernaturales semper oppugnavit; quapropter dissentire Augustino dicendi non sunt Scholastici, qui, dum agnoscunt ea omnia quæ docet Augustinus; præterea id de quo nullatenus ille egit, & quod ipsius admissis dogmatis non opponitur, statuunt, quod nos defendimus, hominem posse bene agere moraliter, & aliquid in se bonum velle ex motivo solius honestatis moralis: adeoque ipsa Infidelium opera posse non esse peccata. Quin Augustinus huic doctrinæ aliquatenus suffragari videtur; cùm docet remansisse in homine semina virtutis post Adæ peccatum, & per illud, non omninò deletam fuisse Dei imaginem, *c. 28. l. de spir. & litt.* Porrò Scholastici huic suæ doctrinæ propter vim concupiscentiæ hunc modum rectè asserunt, hominem non posse amare Deum super omnia, etiam amore naturali, aut saltem non id posse diu, nec servare omnia mandata; nec vincere graves tentationes.

cuibusdam tentationibus brevi aliquo tempore resistere. Sed ipsi Novatores Ecclesiæ, certo & infallibili judicio hæreseos damnantur, cùm docent post Adæ peccatum nullam esse in homine libertatem à necessitate, & remanere tantùm libertatem a coactione, quam ad merendum & demerendum sufficere contendunt. Utrumque enim est hæreticum, & pariter ab Augustini mente alienum. Hoc autem dogma sic quidam ex illis explicat, ut audeat affirmare, quòd etiamsi in homine per Adæ peccatum periisset libertas contradictionis, nempe facultas agendi vel non agendi; tamen satis in homine libertatis superesset ad meritum & demeritum, quia hæc necessitas esset pœna peccati originalis; & voluntas per suam corruptionem seipsa in malo immobilem reddidisset: illud etiam à summis Pontificibus est jure damnatum; quod Novatores ex suo de liberi arbitrii viribus principio concludunt: quidquid fit esse aut vitiosam cupiditatem, aut laudabilem caritatem: quod non fit ex fide, quæ per dilectionem operatur, esse peccatum; necesse esse Infideles in omni opere peccare.

IV. DE PECCATIS ACTUALIBUS.

PRÆTER peccatum originis, alia sunt peccata quæ homo propria addit voluntate. Concupiscentia & ignorantia peccata sunt, sed quia peccato factæ sunt, sic vocantur, (a) sicut scriptura manus cujusque dicitur, quòd manus eam fecerit. Peccata autem sunt quæ

(a) *L. 1. cont. 2. Epist. Pelag. ad Bonifac. c. 13.*

QUIS Theologorum Catholicorum negaverit ea quæ fiunt ex concupiscentia & ignorantia, quæ sunt in nobis peccati originalis effectus, posse dici metaphoricè peccata? Quis eorum etiam non consentiat Augustino docenti, Deum permittere peccata in bonum electorum: neminem, excepto

PELAGIANI contendebant hominem solis naturæ viribus posse totam vitam sine omni peccato transigere, multosque revera transegisse. Lutherus contra & Calvinus negant quidquam, etiam ab homine justo, sic posse benè agi, ut omni prorsus culpa careat. Cum iisdem cæteri Novatores defendunt libertatem

secundùm carnis concupiscentiam, vel ignorantiam illicitè fiunt, dicuntur, cogitantur, quæ transacta etiam reos tenent, si non remittantur. Alia sunt minora & pœnæ tantùm temporalis, alia majora & pœnæ æternæ digna; majora quæ crimina dicuntur, Pœnitentiâ remittuntur, minora quæ peccata tantùm nuncupantur, cordis dolore, eleemosynis, & Oratione Dominica absolvuntur. Deus in bonum electorum peccata permittit. Nemo est, nec erit, nec fuit sine omni omninò peccato præter Christum Dominum & B. Virginem, de qua cùm de peccatis agitur, nulla habenda est quæstio (b) Potest enim aliquis, gratiâ Dei adjutus, non solùm aliquid benè sine ulla omninò culpa agere, sed etiam totam vitam innocens vivere. Quædam sunt in nobis peccata ex necessitate, sed ea sunt peccata originis, non propriæ voluntatis; illud enim non est (c) voluntatis peccatum, à quo non liberum est abstinere. Hinc quæ fiunt ex ignorantia, si ea sit voluntaria, peccata sunt: si verò non est voluntaria, nuncupantur peccata, quia ipsa ignorantia facta est à peccato; non tamen imputantur, nec reos tenent saltem baptizatos, adeoque non sunt verè peccata, (d) nisi quis neglexerit orare, atque ita fugare ignorantiam suam; quod idem est de animi infirmitate.

(b) L. de Spirit. & Litt. cap. 1.
(c) L. 1. operis imperfecti. 109.
(d) L. de nat. & grat. c. 68.

Christo & B. Virgine, sine omni omninò peccato totam vitam fuisse, aut esse, aut futurum unquam; posse tamen justos sine omni culpa per Dei gratiam bene agere? Porrò ostendimus Augustinum cum illis consentire, cum statuunt nulla esse vera peccata, seu imputabilia quæ non sint libera, saltem libertate contradictionis, adeoque peccata ex ignorantia invincili, sive facti, sive juris positivi, sive juris naturalis non esse vera peccata, quæ homines reos teneant. Item Augustinus cum illis consentit de cæteris peccatorum proprietatibus, gravitate & levitate, reatu culpæ & pœnæ, macula quatenus actus præteritus peccatorem reum tenet, denique remissione peccatorum. Sed Metaphysicam eorum omnium rationem Scholastici examinant: meliusque eam definiunt, qui aiunt peccatum habituale esse reatum odii divini; quatenus Deus acceptat jus quod habet ex actu peccaminoso ad peccatorem odio habendum, hinc est reatus culpæ, & pœnæ; hinc est privatio gratiæ sanctificantis. Deinde peccatum gravius esse aut levius aut pro graviori aut leviori violatione legis, sub majori aut minori pœna imperantis. Denique peccatum quoad culpam aut pœnam remitti, nihil esse quàm Deum cedere jure suo, & ad odio habendum, & ad puniendum peccatorem. Potest autem Deus cedere uno jure, alio retento, sic remittitur reatus culpæ, non penitùs remisso reatu pœnæ.

tatem à necessitate non requiri ad rationem veri & propriè dicti peccati; quia nimirum necessitas peccandi in nobis exorta est à peccato primi hominis, quod perfecta libertate commissum est. Hinc ea quæ in nobis fiunt concupiscentiæ lege, vera peccata esse contendunt, ea pariter quæ fiunt ex ignorantia invincibili juris naturalis, in quo cur inter ignorantiam juris naturalis, & juris positivi aut facti, discrimen esse velint, non apparet ratio; pleraque enim ex Augustini locis, cujus unius autoritate contra ipsam, ut fatentur, rationem sententiam hanc suam stabiliunt, ad ignorantiam juris positivi aut facti pertinent. Lutherus & Calvinus ad reatum pœnæ remittendum utiles esse preces, eleemosynas, & cætera opera satisfactoria, ad remittendum culpæ etiam mortalis reatum, necessarium esse Sacramentum Pœnitentiæ negant. Eadem cæteri Novatores loqui verentur; sed ut Sacramenti usum abrogent, ad illud suscipiendum eas animi dispositiones postulant, quæ vix in Beatis & Angelis reperiantur. Contra eos omnes ex Concilio Tridentino statuimus Sacramentum Pœnitentiæ esse necessarium, ut remittantur peccata actualia mortalia, Confessionis auricularis legem esse de jure divino, Attritionem cum Sacramento sufficere.

V.

QUA VOLUNTATE DEUS VELIT OMNES HOMINES SALVOS FIERI.

JEsus Christus mediator Dei & hominum mortuus est, ut in sanguine

CATHOLICI omnes profitentur Jesum Christum verum Dei Fi-

IN eo errarunt Pelagiani circa Christi mortem, quòd negarunt eum esse mor-

ejus omnes homines liberarentur: non tamen omnes revera liberantur: nec Deus ea voluntate cui nemo resistit, vult ut omnes reipsa liberentur, sed quicunque liberantur per Christum liberantur. Hinc *per unius justitiam in omnes homines in justificationem vitæ*, & *Deus vult omnes salvos fieri*. Hic rectè ab Apostolo *omnes* dictum est, quia nemo nisi per Christum. (Hac explicatione, quæ, ut patet, est de sola efficacia absoluta mortis Christi, & divinæ voluntatis, uti debuit ut plurimùm Augustinus contra Pelagianos. Etsi sæpe *omnes* Apostoli sumit pro omnibus & (a) singulis hominibus.) Deus propter merita Christi gratiam suam concedit hominibus: ea est omnibus etiam justis ad benè agendum absolutè necessaria. Quisquis fidem habet orare potest, & sic cuicunque fideli & justo mandata Dei sunt possibilia (b), quia per orationé impetrare potest gratiam, quâ possibilia fiant Dei mandata, quæ viribus naturæ essent impossibilia. Oratio tamen est donum Dei, adeóque is qui per orationem, ut mandata observet, obtinuit, gloriari in se non potest, sed in Domino, qui præparat voluntates. Deus paratus est (nos à vitiis nostris gratiâ suâ liberare, licet gratia illa sine ullis hominum meritis detur: non tamen nihil studii (d) & diligentiæ in hominibus esse oportet: non quia in his meritum esse potest, sed quia hominum studio, sive quo se ipsi, sive quo alios excitant, Deus sæpe utitur ad præparandas voluntates.

(a) *L. 6. cont. Jul l. de correp. & grat. c. 16.* (b) *L. de grat. & liber. arb c. 16* (c) *L. de nat. & grat. c 63.* (d) *L. 2. de pecc. meris. & remiss c 5.*

lium mortuum esse, ut omnes homines à peccatis, tum originali tum actualibus, liberati salvi fiant; non tamen omnes revera liberari, nec Deum absolutè velle ut reipsa liberentur. Sed Theologi ultrà quærunt, an Deus sincerè velit omnes homines salvos fieri, ita ut nemo pereat nisi præter sinceram ejus voluntatem, an pariter Christus pro omnibus salvandis mortis suæ pretium sincerè obtulerit; cum Catholicis omnibus eam sinceram Christi Dei & Christi voluntatem de salute omnium hominum defendimus; cui veritati ea quæ Augustinus hac super re habet passim contra Pelagianos, nullatenus adversantur; nam, ut jam dictum est, agit & agere debet tantùm de absoluta Dei & Christi voluntate. Ex ea sincera Dei voluntate cum Catholicis etiam concludimus, paratas esse à Deo, omnibus & singulis hominibus gratias sufficientes, per quas primùm mandata Dei, alioquin viribus naturæ impossibilia, fiant ipsis possibilia: deinde salutem suam operari possint, si velint. Novatores contendunt gratiam sufficientem ignotam fuisse Augustino, quia nempe illam nullibi nominaverit, nec in ipso De correp. & gratia libro, ubi vel solo illius gratiæ nomine Adrumetini objectionem solvisset. Ita quidam olim in sua Synopsi ejusdem libri De correpț. & gratia, sed ex scopo illius libri, vel ut in illa ipsa Synopsi refertur, ostendi potest Augustinum hic gratiæ sufficientis, nomen nunquam proferre debuisse: præterea & ibi & alibi passim Augustinus de gratia sufficiente Catholicorum dogma docet.

mortuum, ut homo liberaretur à peccato originali ejusque malis. Novatores in eo etiam errant, quòd negent Dei & Christi sinceram esse voluntatem, ut illi ipsi qui pereunt, salvi fiant. Hic profectò iidem perversè & passim dictitant Pelagianos & Semipelagianos Catholicorum ea de re opinionis autores esse, eaque usus esse ad suam de gratia Christi hæresim stabiliendam: Prisci enim illi hæretici sic Dei sinceram voluntatem de salvandis omnibus hominibus statuebant, ut omnem sanctos inter & impios ab ipsis naturæ viribus discretionem oriri vellent, quod certè Theologi pernegant, & contra quod Augustinus rectè exemplum puerorum sine Baptismo morientium, & cætera ejusmodi argumenta opposuit. Præterea docebant mandata Dei esse possibilia viribus naturæ, quod etiam tam sæpe negat Augustinus, & cum illo negamus. Novatores verò absolutè negant aliqua mandata Dei, justis conantibus esse possibilia; auxilium enim sufficiens, quo verè possibilia fiant, omne omninò negant. Volunt tamen in non observandis his mandatis peccari; putantque se in eo Augustinum Magistrum sequi: sed quàm ab illo sint alieni, patet ex iis quæ de orationis virtute docet, quotiescunque fermè de mandatorum possibilitate respectu Fidelium agit. Addunt gratiam sufficientem Catholicorum esse similem Pelagianæ & Semipelagianæ possibilitatis gratiæ, sed quàm hoc falsum sit, patebit ex dicendis.

VI. VI. VI.

DE PRÆDESTINATIONE ET REPROBATIONE.

AUGUSTINUS.

PER peccatum Adæ tota natura humana morte damnata facta est massa perditionis. Si nullus ex illa assumeretur ad Beatitudinē, omnesque homines pœnis æternis addicti in illa massa relinquerentur, nulla esset apud Deum injustitia. Verumtamen multi in suo numero ab illâ massâ eliguntur & ad felicitatem æternam prædestinantur. Prædestinatio Sanctorum nihil aliud est quàm præscientia, & præparatio beneficiorum Dei, quibus certissimè liberantur, quicunque liberantur. Beneficia illa Dei sunt ejus auxilia, quibus perseveraturi sunt ii qui sunt vocati secundùm præscientiam & propositum. Illa beneficia gratuita sunt & sine ullis hominum meritis donantur. Si quis quærat cur Deus ea beneficia huic potiùs quàm alii concedat, respondetur, Quis Dei consiliarius fuit? O altitudo! Gloria datur & debita est (a) meritis & operibus bonis Sanctorum, ea tamen rectè dicitur gratia; nam merita Sanctorum sunt dona Dei. Si quis diu bene vitam egit nec in bono perseverat, hoc ipso non erat è numero eorum qui vocati sunt secundùm propositum: si fuisset, ex nobis, non exiisset ex nobis, inquit Joan. eorum enim qui secundùm propositum Dei vocati sunt, nullus perit, sicut eorum qui non sunt ita vocati, nullus ad gloriam pervenit. Nullus tamen eorum perit nisi propter originale aut actuale peccatum. *Hæc omnia dogmata habentur præcipuè l. De correp. & grat. cc. 7. 8. 9. 10. 13. l. De dono persever. c. 14.*

(a) L. De grat. & lib. arb. c. 6.

CATHOLICI.

CUM Augustino Theologi admittunt omnes homines damnationis æternæ reos nasci, alios ex iis eligi à Deo, qui ab illa damnatione liberantur, alios ab eo relinqui. Primos accipere auxilia efficacia ad perseverandum in bono, alios non accipere efficacia: ea auxilia sine ullis hominum præcedentibus aut prævisis meritis concedi, cur aliis ea Deus det, aliis deneget; illud esse judicium Dei inscrutabile: sed Deum erga primos misericordem, erga postremos non esse iniquum; nullum enim ex illis punit, nisi propter peccatum aut originis, aut propriæ voluntatis. Præterea quærunt an prædestinatio ad gloriam sit ante, an post prævisa merita. In duas partes scinduntur, at non tam re quàm intelligendo modo videntur dissentire. Primùm enim omnes fatentur prædestinationem ad gratiam efficacem fieri ante prævisa merita, & gloriam esse veram meritorum mercedem: sed alii considerant prædestinationem ad gloriam, ut gloria continetur in mediis ad eam efficacibus, & verè dicunt eam prædestinationem fieri ante prævisa merita: alii considerant prædestinationem ad gloriam ut gloria est merces meritorum, & verè dicunt prædestinationem fieri post prævisa merita: utrique cum Augustino consentiunt, etiam dum inter se dividuntur, nam hoc utrumq; docet Augustinus. Gloriam esse & mercedem, & gratuitam: mercedem quidem quia datur meritis, gratuitam verò, quia merita sunt dona Dei.

HÆRETICI.

PELAGIANI docebant prædestinationem sanctorum oriri ex bonis operibus quæ illi viribus solius liberi arbitrii egissent: Semipelagiani initium prædestinationis esse ab initio fidei, quod solis viribus naturæ tribuebant. Augustinus contra eos tam vehementer scripsit, ut quibusdam visus fuerit docere alios necessariò salvos fieri, alios necessariò damnari: hos non uno libro ab hac opinione revocat Augustinus. Sed hinc nihilominus nati sunt Prædestinatiani hæretici. Novatores nullum dubitandi locum relinquunt, utrum hujus hæresis sint defensores. Docent enim quosdam sic prædestinari à Deo ad damnationem, ut nulla illis sint omninò media ad salutem nec quidquam possint nisi agere opera damnationis: cumque aliquid boni ad tempus operantur, hoc à Deo permitti, ut per lapsum illorum in peccata quæ necessitate commissuri sunt, electorum saluti consulatur. Eos autem qui prædestinati sunt à Deo ad gloriam, sic non posse perire, ut necessariò & sine ulla libertate, nisi à coactione perseverent. Et illud Apostoli, O altitudo, &c. eo pertinere, quòd alii sic necessariò salvi fiant, alii necessariò pereant.

DE JUSTIFICATIONE ET INDURATIONE.

AUGUSTINUS. VII.

NOBIS in hac vita justificatio secundùm tria ista confertur, (a) prius lavacro regenerationis, deinde congressione cum vitiis, tertiò dum nostra exauditur oratio, quâ dicimus: Dimitte nobis debita nostra. Deus suâ & non nostrâ justitiâ nos justos facit, (b) quia sine illius adjutorio nihil bene volumus & agimus. Lex terrens nos justos facere nequit, quia sola non adjuvat (c) ut peccata quæ ostendit, fugiamus: hinc quæ fiunt ex metu quem lex aut concupiscentia injicit, ad justificationem nostram nihil prosunt; aliter opera quæ fiunt ex metu (d) quem Spiritus Sanctus in animis nostris excitat, ea sola opera quæ fiunt ex Fide & gratia, nos justificare possunt. Hinc nulla est justitia, nisi in Fide Christi, (e) per quam ipsi veteris Testamenti Sancti justificati sunt; Fides tamen nihil (f) prodest sine operibus, ipsa autem Fides est donum Dei; (g) omnis ergo nostra justificatio gratuita est, & nemo de meritis suis gloriari potest. Gratia ante justificationem est à spiritu excitante, in justificatione verò à spiritu inhabitante. Ante justificationem opera bona sunt mortua (h). In justitia perseverare usque in finem, est donum Dei. Induratio & occœcatio fit, cùm Deus aliquem desideriis suis tradit; fit autem convenienter Deo, non per patientiam, ita ut Deus volens quemque salvum fieri, exspectet dum peccator solis proprii arbitrii viribus se ad Deum con-

(a) *Ex l. 2. cont. Jul.* (b) *L. de grat. c. 47.* (c) *Ibid. c. 8. & alibi passim.* (d) *L. de grat. & lib. arbit. c. 18.* (e) *L. de pecc. orig. c. 24.* (f) (g) *L. de grat. & liber. arbit. c. 7.* (h) *L. de nat. & grat. c. 23.* (i) *L. 5. cont. Jul. c. 3.*

App. Hist. Cong.

CATHOLICI. VII.

THEOLOGI justificationem nostram, quatenus est remissio peccatorum, docent fieri in Sacramentis Baptismi & Penitentiæ, aut per contritionem perfectam: nos justificari justitiâ Dei, quia nonnisi per merita Christi nobis applicata, justificamur: nam contritio non nos justificat ex natura sua, nec etiam Sacramenta, nisi quatenus sunt voces Christi. Legem in se vacuam esse, nullumque metum, qui merè naturalis sit, posse nos justificare: sed sub lege vacua constitutos homines accepisse gratiam per anticipatam meritorum Christi solutionem, quâ possent ea quæ lex ostendebat peccata fugere, Spiritumque Sanctum hominibus etiam filiorum Dei libertate fruentibus, salutarem metum injicere. Initium omnis justificationis esse Fidem Christi, sine qua nulla est spes salutis, eam verò esse donum Dei: justificationem, quatenus est acceptio gratiæ gratum facientis, aut sanctificantis esse à spiritu inhabitante; quod verum est, non eo sensu, quòd Spiritus Sanctus physicè & substantialiter cum justo uniatur, sed eo sensu, quòd in justis producat terminum caritatis divinæ, quam dicimus esse gratiam sanctificantem, gloriæ æternæ pignus, per bona opera augeri, sine qua nullum est meritum, & per quam recuperatam merita prius mortificata reviviscunt: perseverantiam finalem esse Dei donum speciale: indurationem & occœcationem fieri per denegationem auxiliorum efficacium, idque in pœnam præcedentium peccatorum:

HÆRETICI. VII.

PELAGIANI penes quemque esse volebant, ut per solas naturæ suæ vires, & peccata fugiendo, & virtutes exercendo, justus fieret & gratus Deo, apud quem non est acceptio personarum. Justos autem distribuebant sub natura, sub lege, sub gratia: ita ut legem nihil naturæ præter lumen doctrinæ, gratiam nihil legi præter facilitatem agendi addidisse contenderent. Semipelagiani primum credendi initium libero arbitrio tribuendum esse, subsequentem verò justitiam, Deo referendam esse prædicabant. Utrique porrò perseverantiæ donum meritis nostris concedi defendebant. Lutherus & Calvinus docebant justificari hominem per justitiam Christi merè extrinsecè imputatam, & peccata remissa dici, quia justitiæ Christi velo obteguntur; opera porrò bona nil prodesse. Calvinus addebat imputationem illam justitiæ Christi, fieri ex eo, quod per fidem, non qua mysteria creduntur, sed qua peccator se justificatum absque omni dubio credat, Christi justitia apprehenditur, & fit aliquatenus peccatoris propria. Hinc porrò Fidem, Prædestinatis nunquam perire posse quæcunque tandem in peccata prolabantur. Cum iisdem Luthero & Calvino cæteri Novatores docent, legem datam esse in exitium hominum, ex metu quolibet pœnæ nihil omnino boni perfici posse. Indurationem & occœcationem fieri, ita ut induratis & occœcatis nullum sit omninò bene agendi auxilium, atque adeò peccent necessariò, & tamen eorum peccata singula sint verè & formali-

Indicis folia prima jam excusa erant, cum duæ istæ Jesuitarum Cadomensium Theses ad Typographum missæ sunt, quas tamen cæteris adjiciendas putavit. Hinc numerorum repetitio, de qua monendus fuit Lector.

JESUITARUM CADOMENSIUM THESES DUÆ

Altera 13. *Maii*, *Altera* 15. *Junii* 1699.

---

7. ## JESU CHRISTO.

AUTORI GRATIÆ, THESES THEOLOGICÆ.

De gratiâ sufficienti & efficaci contra Prædestinatianos.

GRATIA actualis præveniens supernaturalis, qualis adversùs Pelagianos à nobis agnoscenda est, ut simpliciter necessaria ad meritum sive de condigno, sive de congruo, *consistit in illustratione ex parte intellectûs, & in inspiratione ex parte voluntatis. Illustratio autem & inspiratio sunt actus animæ indeliberati ab homine vitaliter, à Deo liberè producti, per elevationem duntaxat intrinsecam.* Porrò talis gratia est in entitate supernaturalis, & ipsis quoque justis necessaria ad bene agendum, ut oportet ad salutem; etiam quatenus est motio ex parte voluntatis.

NEGARI *non potest, salvâ fide, gratia merè sufficiens, quæ effectum non habet, & impiè loquuntur qui ejusmodi gratiam appellant gratiæ monstrum singulare*, aut gratiam diabolicam. Hæc doctrina Catholica concluditur ex duobus antecedentibus, quæ sunt veluti totidem effata evidenter in Scripturis, Conciliis & à Patribus tradita. Primum est: Vult Deus omnes homines salvos fieri voluntate antecedente & conditionatâ, eâque sincerissimâ, licet plerumque inefficaci. Alterum est: Christus mortem suam obtulit Patri pro omnium & singulorum, etiam reproborum hominum æternâ salute.

DEUS itaque providit per Christum idonea omnibus media salutis consequendæ, quibus sæpè voluntas humana resistit; scilicet Judæis, infidelibus, peccatoribus obduratis; *ipsis parvulis, seu paucorum dierum hominibus, ut loquitur Prosper, immò & abortivis. Hæc fidei Christianæ dogmata* propugnavit variis in locis *Sanctus Augustinus, præsertim cùm ait in libro De correctione & gratia capite septimo: O homo, perseverares, si velles. Hinc Catholicorum partes non satis tuentur, qui mentem Sancti Doctoris pravis interpretationibus alium in sensum detorquere conantur.*

AUXILIUM *sufficiens quale Prædeterminantes admittunt, verè sufficiens non est, videtur enim ex terminis illud non sufficere ad actionem ponendam ultra quod necessariò requiritur aliquid aliud.* Exstitit aliquando in rerum naturâ Prædestinatianorum hæresis, quidquid dicant Novatores. In eo maximè posita est quòd assererent Deum aliquos ita ordinare ad vitam æternam; ut necessitet ad bene operandum; alios ita excludere, ut ad malum necessitet; quæ est opinio Calvini & Novatorum. Ex Augustini libris malè intellectis sumsit initium, ut colligere possumus ex dissensione monachorum Adrumeti.

DUOS in Galliis motus insignes excitavit hæresis ista. Prior fuit in causâ Lucidi; hunc tanquam Prædestinatianum Faustus nomine Synodi Arelatensis admonitum ut resipisceret; jussit priora dogmata damnare, quod & fecit, mittens ad Patres Concilii suam retractationem. Posterior tempestas mota est per Gotescalchum. Iste peragratis multis regionibus exitiosa semina sator pessimus seminans, Moguntiæ primùm damnatus est. Deinde ad Hincmarum ductus, in Concilio Carisiaco dejectus presbyteratu, & virgis tandiu cæsus est, donec admoto igne collectionum suarum libellum absumeret, quæ castigatio pœna fuit secundùm Canones Agathenses, & regulam Sancti Benedicti impudenti hæretico legitimè inflicta.

GRATIA efficax, quantumvis invictissima & omnipotentissima prædicetur, non ita movet hominem, ut non possit huic motioni resistere; *neque est delectatio victrix*, cui necesse sit hominem assen-

assentiri; *neque est physica prædeterminatio; hæc enim omnia cum libertate pugnant*; neque etiam dici debet prædeterminatio moralis propter specialem congruitatem; *sentiunt omnium optime qui gratiam efficacem materialiter sumtam, physice & in entitate nihil differre volunt a sufficienti, sed moraliter tantùm, & in ratione beneficii, quatenus datur à Deo ex prævisione futuri consensus; & ex speciali affectu ut consensus sequatur.*

G*RATIA igitur non constituitur efficax per ipsam solam positionem effectus*; quia antecedenter ad effectum positum & in actu primo efficaciam habet, seu connexionem cum effectu infallibilem, *non intrinsecam illam quidem, sed extrinsecam, quam accipit vel à futuritione conditionata effectus ex suppositione gratiæ, vel à præscientiâ talis futuritionis conditionatæ*, vel à decreto dandi hujusmodi gratiam, à quo præsertim decreto hoc etiam habet gratia efficax, ut sit speciale beneficium. Hinc patet quo sensu & quàm verè dicat Sanctus Augustinus, hanc gratiam à nullo duro corde respui, esse insuperabilem, indeclinabilem &c.

R*ATIO conciliandi libertatem cum gratia per scientiam conditionatorum & efficaciam gratiæ extrinsecam, Molinæ nec somnium, nec inventum est, ut quidam dolo malo fingunt. Ea doctrina multis in locis judicia multa subiit, & ubique habuit præclara innocentiæ testimonia, ubique victoria defensivæ palmam obtinuit. Hanc verò scientiam in Deo existere, prout est præcisè rerum sub conditione futurarum, nemo nisi temerè negare potest post clara Scripturæ testimonia, apertasque Patrum sententias: eamque jam admittunt illi ipsi, quos initio species quædam novitatis terruerat; fatenturque ultrò non sufficere scientiam conjecturalem.*

NE tamen magnæ lites unquam secentur, scientiam conditionatorum nonnulli ita describunt, ut jam non eadem sit, quam Scriptura insinuat, & Patres tradidere; pendere enim volunt a decreto quodam prædeterminante, & ex parte objecti conditionato, quod quidem decretum, inutile, contrarium libertati & impossible est. *Conformiùs ergo sensui communi & magis dignè Deo sentiunt qui scientiam illam faciunt à decreto hujusmodi independentem; contenduntque decreta Dei absoluta à scientia conditionatorum potiùs pendere, ut post Augustinum, aliosque Patres sæpè declarat Angelicus Doctor.*

Has Theses, Deo duce, & auspice Deiparâ, propugnabit.

JOANNES BAPTISTA DU HAMEL, Bajocensis.

Die Mercurii, 13. Maii, anni 1699. horâ tertiâ cum mediâ pomeridianâ.

In Regio Societatis Jesu Collegio, Celeberrimæ Academiæ Cadomensis.

Pro II. Exercitatione Publica.

Cadomi, apud JOANNEM CAVELIER, Regis & Academiæ Typographum.

---

8. THESES THEOLOGICÆ.

De peccato originali, de gratiâ actuali, de justificatione, de merito, de prædestinatione ac reprobatione.

In causa duorum hominum, quorum per unum venumdati sumus sub peccato, per alterum redimimur à peccatis; per unum præcipitati sumus in mortem, per alterum liberamur ad vitam: propriè fides Christiana consistit. AUGUST. *libro de peccato originali* capite 24.

FIDE certum est, dari peccatum originale ab Adamo in posteros, non exemplo tantùm, aut imitatione, sed propagatione transmissum; estque verum ac propriè dictum peccatum. Quid verò sit, gravis est controversia. Nullo sensu propugnari potest, si velimus accuratè loqui, concupiscentiam, seu difficultatem recti, quâ laborat homo in hoc statu naturæ lapsæ, esse ipsum peccatum originale: sed neque essentia peccati originalis in privatione gratiæ sanctificantis consistit. Est ergò peccatum originale, ipsummet Adæ peccatum, quatenùs à posteris moraliter commissum in parente, intrinsecè ac moraliter in illis perseverat, donec per baptismum deleatur.

PROPAGATUR peccatum originale non physicè, seu ex natura rei, sed moraliter, seu ex pacto divino voluntates posterorum transfundente in voluntatem solius Adami; non in ordine tantùm ad habendam vel non habendam justitiam, sed etiam ad observationem aut transgressionem præcepti; pertinetque ea rès ad perfectissimum in voluntates humanas dominium Dei exaggerandum. Nemo est ex genitis vel gignendis ex Adamo per viam naturalem, qui non peccaverit in Adamo, in quo omnes peccaverunt; sicque contraxerit debitum peccati originalis. Quamvis fide non constet, est tamen judicium prudenter certum, Deiparam Virginem fuisse sine macula originali conceptam.

PER

PER *peccatum originale homo non est læsus in bonis naturalibus, v.g. in libertate indifferentiæ, & similibus*; nunc enim habet easdem facultates naturales, quas haberet in statu naturæ puræ. Hinc D. Dionysio docente, in Angelis post peccatum remansisse omnia naturalia integra, concludit Angelicus doctor, idem esse dicendum de homine. Parvuli decedentes cum solo originali puniuntur pœnâ damni, non sensûs. Immò D. Thomas distinctione 33. & quæstione 5. de malo, ac D. Bonaventura distinctione 33 cum utràque scholâ Thomisticâ & Scotisticâ, aliisque insignis notæ Theologis, docent, *hosce parvulos nullam passuros esse tristitiam ex carentia visionis Dei*, quidquid contra communem hanc doctrinam opponatur.

GRATIA strictè & Theologicè sumta, ut est aliquid commune respectu gratiæ seu actualis, seu habitualis, bene definitur, Donum Dei tam physicè quàm moraliter naturæ creatæ indebitum; contrà ac sentiunt quidam Novatores, qui Angelis & hominibus in statu naturæ integræ ita deberi gratiam existimant, ut sine illâ creari non potuerint; in quo non satis recedunt à Pelagianis, quos tantoperè in speciem oderunt. Nam & Pelagianorum error fuit, dari gratiam secundùm merita; ea verò merita moralia sint, an physica, nihil sanè interest ad gratiam Dei evacuandam. Hinc rectè sequitur, Deum absolutè creare potuisse homines sine donis gratiæ supernaturalibus.

NATURA hominis, quantumvis libera, ad salutem consequendam sibi ipsa minimè sufficit, etiam doctrinâ legis & Christi Domini exemplo adjuta, indigetque interiore quodam auxilio Spiritus Sancti, quod actuale sit & supernaturale. Gratia igitur per Christum omninò necessaria est, tùm ad ea cognoscenda, quorum notitia per se ad salutem conducit, tùm ad salutariter operandum, tùm ad tentationes quascunque superandas sicut oportet ac salutem, tùm ad perseverandum in bono: nec tantùm ad consummandam salutem natura impotens est, verùm etiam ad ipsum salutis initium, ut olim definitum est in Concilio Arausicano secundo adversùs Semipelagianos.

POTEST tamen homo quilibet rationis compos, sine gratiâ interiore & supernaturali, aliquas cognoscere veritates; quædam exercere opera moraliter bona; leves vincere tentationes; nonnulla vitare peccata; ipsum amare Deum amore naturali super omnia: hinc omnia infidelium opera non sunt peccata. Quanquam autem habitâ ratione naturæ humanæ viriumque naturalium prædicta bona præstare potest homo sine gratiâ interiore & supernaturali, nunquam tamen hæc potentia reducetur ad actum sine speciali aliquo Dei dono, quod sit gratia gratis data, & efficax, & naturalis ordinis. Certavit præcipuè Divus Augustinus cum Pelagianis de necessitate gratiæ actualis, non verò habitualis

HÆC propositio, Gratia est necessaria ad initium fidei, videtur non pertinuisse ad fidem, id est, ad obligationem credendi hanc propositionem; nec ejus contradictoria, quæ fuit error Semipelagianorum, fuisse damnata ut apertè hæretica ante Sancti Augustini obitum. Gratia actualis præveniens supernaturalis, qualem hîc agnoscimus, includit illustrationem ex parte intellectûs, & inspirationem ex parte voluntatis: illustratio autem & inspiratio sunt actus animæ indeliberati, ab homine vitaliter, à Deo liberè producti, & quidem per elevationem duntaxat intrinsecam. Porrò talis gratia non est tantùm in modo, sed verè in entitate supernaturalis.

NEGARI *non potest, salvâ fide, gratiam merè sufficientem, quæ effectum non habet*. Hæc Doctrina Catholica concluditur ex his duobus antecedentibus: Deus vult omnes homines salvos fieri: Christus mortuus est pro omnibus hominibus. Quæ quidem duo Christianæ religionis effata propugnamus, non sensu Pelagiano, aut Semipelagiano, aut Prædestinatiano, sed in sensu evidenter in Scripturis sacris, in Conciliis, & à Summis Pontificibus ac Patribus tradito. Deus itaque providit omnibus hominibus gratias seu proximè, seu remotè sufficientes; nimirum infidelibus, Judæis, peccatoribus etiam obduratis, ipsis quoque parvulis qui non baptizantur.

EXTITIT aliquando in rerum naturâ Prædestinatianorum hæresis. In eo præsertim posita est, quòd assererent, Deum aliquos ita prædestinasse ad vitam æternam, ut necessitet ad benè operandum, alios ita excludere, ut ad malum necessariò impellat. Probabile est, nonnullos è Monachis Adrumetinis fuisse Prædestinatianos. Probabilius est, ante Cœlestini, immò Augustini mortem in Galliis emersisse hæresim Prædestinatianam. Constat, omninò fuisse aliquos Prædestinatianos quinto seculo, si non viventibus Augustino & Cœlestino, saltem annis consequentibus. Gothescalcus Monachus nono seculo hæresim Prædestinatianam recoxit, & ob eam damnatus fuit.

DIVINÆ gratiæ efficacitas non in eo sita est, quòd ita moveat hominem ab bonum, *ut non possit huic motioni resistere, seu quod voluntatem physicè prædeterminet*, aut etiam moraliter ob specialem congruitatem. *Gratia igitur efficax sumta physicè & secundùm entitatem, non differt à sufficienti, sed moraliter tantùm & in ratione beneficii, quatenus datur à Deo ex prævisione futuri consensûs*, & ex speciali affectu, ut consensus sequatur; hinc non constituitur efficax per ipsam solam positionem effectus; nam antecedenter ad effectum positum, & in actu primo efficaciam habet, seu connexionem cum effectu infallibilem, non intrinsecam illam quidem, sed extrinsecam.

RECTE conciliatur libertas cum gratia efficaci per scientiam conditionatorum; hanc enim scientiam in Deo existere, nemo est ferè è Theologis, qui neget post clara Scripturæ testimonia, apertasque Patrum sententias; eamque admittunt Divi Thomæ ac Scoti discipuli; fatenturque ultrò non sufficere scientiam conjecturalem. Ne tamen magnæ lites secentur unquam, hanc scientiam pendere volunt à decreto quodam absoluto ex parte actûs; quod decretum multas ob causas, rejiciendum esse censemus. Dicendum itaque, potiùs decretum absolutum dandæ

dandæ gratiæ dirigi à ſcientia conditionatorum, quamobrem *ſcientiam, quæ Media vulgo appellatur*, defendimus.

JUSTIFICATIO impii non eſt ſola remiſſio peccatorum, ſed eſt ſanctificatio per voluntariam ſuſceptionem gratiæ & donorum. Per eam peccata verè delentur, non ſolùm teguntur. Datur forma ſanctificans interior & creata diſtincta ab omni actu. Actus Charitatis & perfectæ Contritionis non juſtificat formaliter. Gratia ſanctificans non diſtinguitur realiter à Charitate habituali. Augeri poteſt & amitti, repugnat abſolutè peccato mortali; poteſt tamen abſolutè peccatum mortale remitti abſque infuſione gratiæ per condonationem merè extrinſecam. Fides prærequiritur ad juſtificationem, at non ſufficit. Nemo eſt phyſicè certus de ſuâ juſtitiâ.

DATUR meritum ſupernaturale, quod eſt effectus gratiæ. Aliud eſt condignum, aliud congruum. Ad condignum requiritur ex parte operantis, ſtatus viæ & gratiæ. Ex parte operis, ut ſit actus poſitivus, liber à neceſſitate ſimplici, honeſtus in individuo, ſupernaturalis in ſubſtantiâ. Non eſt autem neceſſe, ut ſit à Charitate elicitus aut imperatus. Ex parte præmiantis requiritur promiſſio, quâ ſeclusâ bona juſtorum opera nullum cauſant in Deo debitum præmii. Meritum congruum debet eſſe actus viatoris, & liber, & honeſtus, & ſupernaturalis. Huic non eſt neceſſaria nec contraria promiſſio; ſimiliter ſtatus gratiæ. Hinc omnia opera, quæ fiunt à peccatore, non ſunt peccata.

HOMO non poteſt mereri primam gratiam actualem congruè, nec primam habitualem condignè. Immò juſtus non poteſt merito condigno aut congruo infallibili ſibi aut alteri mereri gratiam perſeverandi, à peccato reſurgendi poſt lapſum, aliamve gratiam actualem; poteſt & quidem condignè ſibi mereri gratiæ habitualis aut gloriæ augmentum, ipſamque vitam æternam. Quamvis Contritio peccatoris non mereatur de condigno primum gradum gratiæ habitualis, meretur tamen primum gradum gloriæ. Condignitas meriti non eſt perfecta æqualitas ejus valoris cum valore præmii infiniti: hinc Deus remunerat ſupra condignum. Augent meritum, quæ augent bonitatem actûs.

PROBABILIUS nobis videtur & fidelium animis ad ſalutis ſtudium erigendis accommodatius, formalem electionem ad gloriam reipsâ factam eſſe poſt præviſa merita. Quanquam non negamus, rem abſolutè potuiſſe aliter fieri. Quin etiam in negotio prædeſtinationis non videntur eſſe neceſſariò admittendæ prædefinitiones bonorum operum. Datur ex parte reprobi cauſa reprobationis ſtrictè dictæ, videlicet ejus iniquitas finalis, ſeu in termino viæ, ante cujus abſolutam præviſionem nullus poſitivè deſtinatur ad æterna ſupplicia, nec excluditur à gloriâ cœleſti. Reprobatio itaque poſitiva fit poſt præviſam mortem in ſtatu peccati ſive perſonalis, ſive originalis.

Has Theſes, Deo duce, & auſpice Deiparâ, propugnabit THOMAS GUILLELMUS BENARD, Cadomæus,

Die Lunæ, 15. *Junii*, *anni* 1699. *horâ ſecundâ cum mediâ pomeridianâ*.

In Regio Societatis Jeſu Collegio, Celeberrimæ Academiæ Cadomenſis.

Cadomi, apud JOANNEM CAVELIER, Regis & Academiæ Typographum.

EXCERPTUM

Ex dictatis Theologi Collegii Cadomenſis Societatis Jeſu.

Appendix hiſtorica ad diſſertationem de Doctrina Molinæ.

RAtio conciliandi libertatem cum gratia per Scientiam-mediam & efficaciam gratiæ extrinſecam, Molinæ nec ſomnium, nec inventum eſt, ut aliqui dolo malo fingunt.

Hæc doctrina velut pretioſa quædam margarita, viſa eſt creſcere procellas inter & turbines, & ex magnorum virorum oppugnationibus ſordidior in dies, nitidior, atque auguſtior effecta eſt.

Multis in locis judicia multa ſubiit, & ubique præclara habuit innocentiæ teſtimonia. Nam 1. Luſitanæ Inquiſitionis Senatus Molinæ cauſam & patrocinium ſuſcepit. 2. Doctrinam ejus approbavit Academia Complutenſis poſt annuum examen. Recepit quoque Salmanticenſis. 3. Clemens VIII. poteſtatem fecit eam publicè profitendi. 4. Lovanienſium Doctorum injuſtam contra Leſſium Cenſuram correxerat jam ante Sixtus V. Leſſii Doctrinam ſuam eſſe dicens, & præcipua ejus capita approbans ut articulos ſanæ doctrinæ. 5. Romæ quidem in Molinæ libro notatæ primùm fuere privatis aliquot Theologorum cenſuris propoſitiones ſexaginta; ſed præcipiti, ut poſtea apparuit, judicio; mox viginti tantùm; tum ſex aut ſeptem. Mira Cenſorum Inconſtantia! Verùm prioribus judiciis retractatis, totus, nec uno quidem apice excepto, Molinæ liber indemnis evaſit, & cenſurâ omni liberatus eſt; idque ſupremi Cenſoris, ſeu Pontificis Pauli V. ſententiâ, & poſt 47. diſputationes, partim coram ipſo, partim coram prædeceſſore ejus habitas, ita eruditus Molinæ partus poſitus in fornace examinis Pontificii, ut loquitur Sylveſter Morolicus, ſæpiùs igne probatus deprenenſum eſt aurum omnibus numeris probatiſſimum.

Acta Congregationum ſuper quæſtione de Auxiliis, ſub nomine Franciſci Pegnæ, & narratiunculas Patris Lemos, nec non autographum Bullæ Pauli V. contra Molinæ doctrinam nullius eſſe fidei declaravit Innocentius X. nec ab alter utrâ parte, aut à quopiam alio allegari poſſe aut debere.

Hinc colliges Molinæ ac Societatis doctrinam poſt longa viginti annorum certamina, victoriæ, non dico offenſivæ, ſed defenſivæ palmam obtinuiſſe: cujuſmodi victoria gloriatur civitas, quæ oppugnantium inſultibus fortiter repreſſis, eſt tandem ſuâ virtute propriâ à diuturnâ hoſtium obſidione liberata.

Solida hæc eſt ratio Patris Annati. Intenderunt, inquit, aggreſſores Scientiæ-mediæ, ut illius aſſertio notaretur & prohiberetur; Defenſores è contrario, ut liceret initam ejus tradendæ ac tuendæ poſſeſſionem retinere. In hoc autem genere litium qui proviſoriam, ut loquuntur, obtinet, ille interim victor exiſtit. Atqui defenſores Scientiæ-mediæ proviſoriam obtinuerunt à Summis Pontificibus. Ergo &c.

Porrò hæc victoria Doctrinæ noſtræ probabilitatem firmat & auget, ut ſatis patet.

INDEX RERUM

præcedit merita nostra, sed quia sine nobis producit in nobis delectationem recti: dicitur cooperans, adjuvans subsequens, quia adjuvat & subsequitur voluntatis consensum.

tantem, cooperantem, adjuvantem, & subsequentem eam esse auxilium quo homo dominatur concupiscentiæ. Gratia efficax non differt à sufficienti per entitatem suam, sed per effectum, & maximè per modum quo conceditur à Deo.

opus ad quod incendebatur, licet auxilium sufficiens ipsi deesse velint, quo bonum illud opus ipsi verè possibile fiat.

Harum Conclusionum veritas, Deo duce, & auspice Deiparâ, propugnabitur die Martis XXVI. *Februarii anni* M. DC. XCII. *à tertia ad vesperam*

IN REGIO LUCOVICI MAGNI COLLEGIO SOCIETATIS JESU.

---

6. JESUITARUM ROTOMAGENSIUM THESES THEOLOGICÆ DE GRATIA.

10. *Januarii A.* 1698.

I.

GRATIA, si vocis originem spectes, omne illud est quo quid gratum efficitur: usum si attendas, venustatem, benevolentiam, favorem, beneficium, sive exhibitum, sive redditum, munus idque gratuitum significat: postremò hoc sensu accipitur à Theologis, quibus gratia Dei idem est ac Dei donum. Gratiæ igitur proprietates ex notis doni proprietatibus definiendæ. I. donum naturam supponit, cui conferatur, jam existentem, neque enim donum dono ipsi datur: accuratè loquendo creatura, Dei opus est, non Dei donum, nisi quatenus in creaturæ alterius commodum creatur. Sic gratia non substantia, sed substantiæ modus est. 2. Gratia modus est naturam perficiens: donum quippe, ex suâ conditione & dantis intentione prorsus inutile aut noxium, donum non esset. 3. Gratia modus est, naturæ quam perficit indebitum: nil donat qui debitum solvit: *Si gratia ex operibus, jam non est gratia.* 4. Gratia naturæ tantum intelligentis modus est: quis seriò dare se aliquid lapidi profiteretur? Acceptio, saltem interpretativè libera, & benevola agnitio, ad doni rationem pertinent: quæ duo à naturâ intelligente dumtaxat præstari possunt. Gratiæ causa efficiens, Deus: instrumentalis quandoque creaturæ, finalis gloria Dei, creaturæ perfectio: occasionalis, Christi tum capitis, tum Salvatoris dignitas, merita, preces: cave sedenim ne gratiam aliquam sic asseras Dei esse largientis, ut non sit Christi promerentis & obtinentis. Christus est *Primo genitus omnis creaturæ, in quo condita sunt universa; Caput corporis Ecclesiæ*; finis divini operis; omnem in se sanctificans creaturam; Sacerdos idem ac Deus, parem divinæ majestati cultum exhibet, amori immenso dignum proponit objectum, infinitam boni copiam in se recipit, refundit in suos. Christum propter se, cætera propter Christum vult Deus. Angeli, homines ideo creati, ut haberet Christus sui similes, quibus benefacere posset.

I I.

GRATIÆ divisionem accuratam sic institue. Gratia alia est Capitis, scilicet Unio Hypostatica; alia, membrorum. Gratia membrorum alia est patriæ, visio beatifica; alia, viæ. Gratia viæ alia est naturalis, quæ causarum secundarum ministerio absque extraordinaria Dei operatione confertur; alia supernaturalis, quæ extraordinariam Dei operationem requirit. Hæc immediata, illa mediata dicitur. De Ente supernaturali obiter statuimus; naturale illud dici latâ significatione quod naturæ convenit, illamque exornat; quo sensu opponitur violento: 2. strictiùs acceptâ voce, naturale illud est quod rei natæ innatum est; sic naturalis dici potuit Adami conditio quatenus acquisita non erat, naturale etenim hoc secundo sensu opponitur acquisito: 3. propriè loquendo: naturale illud est quod naturæ debetur, quod natura aut habet ex se aut propriis viribus acquirere potest, quo solùm sensu naturale opponitur supernaturali. Hinc sequitur 1. supernaturale illud esse quod exigentiam, aut saltem vires naturæ superat. 2. nullam esse substantiam supernaturalem. Hinc 3. modum illum supernaturalem esse per accidens, qui vires non exigentiam naturæ superet; Per se & in entitate modum esse supernaturalem, qui & vires & exigentiam naturæ superet. Hinc 4. supernaturalem esse modum qui vires causæ

causæ secundæ præsentis superat, licet fortè vires causæ secundæ cujuscunque non superet. 5. proprietates naturæ superioris esse naturæ inferiori per se & absolutè supernaturales.

III.

GRATIA supernaturalis ac similiter naturalis dividuntur in exteriorem & interiorem. Exterior dicitur quæ mentem ipsam non afficit, ac interioris gratiæ causa est extra nos posita. Puta Christum, Sanctorum communionem, singularem Dei providentis curam. Rursus interior gratia dividitur in gratis datam & gratum facientem, discrimen utriusque in eo situm est, quòd gratia gratum faciens subjecto suo aut sanctitatem conferat aut sanctitatis obtinendæ possibilitatem. Gratis datæ nec inter se nec cum sanctitate subjecti ullam connexionem dicant, jam gratia gratis data quædam est aut scientiæ aut potentiæ divinæ communicatio, & maximè in alterius aut opitulationem aut eruditionem à Deo tribuitur, hujus decem veluti species enumerantur ab Apostolo epist. ad Cor. 1. cap. 12. Sermo sapientiæ, seu donum fidei mysteria ex causis eruditè demonstrandi, sermo scientiæ, seu donum eadem mysteria probandi ab effectis, fides, non quæ virtus Theologica fit, non in miraculis patrandis fiducia, ut Theologis quibusdam placuit, sed donum mysteria fidei, absque eruditionis & eloquentiæ apparatu, simpliciter, sed explicatè, & appositè ad persuadendum tradendi. Gratia sanitatum, Prophetia, donum linguarum quid sint, notum est: operatio virtutum idem est ac miraculorum, seu potiùs prodigiorum vis effectrix: discretio spirituum donum est quo motionum diversarum quibus mens humana continuò agitatur, origo manifesta fit: interpretatio sermonum donum est sensus librorum, alioquin occultos manifestans: gratia gubernationum est gratia ordinis, jurisdictionem conferens. Gratiæ gratis datæ justis vulgò, peccatoribus quandoque tribuuntur, nunquam tamen in erroris testimonium.

IV.

GRATIA gratum faciens alia habitualis, actualis alia: inter habituales alia per se sanctificat, ut de habitu caritatis suo loco probabitur, alia ad sanctitatem præparat tantùm, ut fidei, speique habitus. Gratia actualis plura sortitur nomina, operantis & cooperantis, excitantis & adjuvantis, prævenientis, &c. quæ nomina non plures actualis gratiæ species, sed diversos ejusdem gratiæ effectus, respectusque indicant: operatur, excitat, prævenit cum voluntatem movet; cooperatur, adjuvat cum voluntas mota consentit. Dividitur porrò in gratiam illuminantem & gratiam inspirantem, illa in cogitatione consistit, hæc in affectu divinitùs indito. Celebris gratiæ actualis divisio in gratiam efficacem, & gratiam sufficientem, de qua divisione toto secundo libro dicetur, divisiones gratiæ in gratiam vocationis, justificationis, & perseverantiæ; in gratiam vocationis congruæ & incongruæ, in gratiam hominis puri, elevati, lapsi suis locis explicantur.

V.

DUO errores circa gratiam contrarii Ecclesiam turbavere, Pelagianus & Prædestinatianus; Pelagiani erroris originem investiganti supra Theodorum Mopsuestenum nihil occurrit, quamquam à Paulo Samosatano, immo à Judæis petendam admodum probabile censeam. Rufinus natione Syrus, diversus ab Aquilegiensi, delitescentem in Oriente errorem transvexit in Occidentem primus. Pelagius Cœlestiusque disseminarunt. Horum doctrinam in varios errores late patentem duplici propositione breviter & clarè inclusit Augustinus, *Naturam hominum, neque in parvulis medico, quia sana est, neque in majoribus gratiæ adjutorio egere, quia sibi sufficiens est ad justitiam.* Nascentem hæresim Africana Concilia, Sede Romana approbante, & universalis Ephesina Synodus extinxere. Jam telis Augustini confossam. Revixit tamen in Massiliensibus, qui quantumvis errorem damnatum emollire & dissimulare sategerint, dum in naturâ aut vim, aut saltem meritum ad gratiam obtinendam agnoscunt, Pelagiani agnoscuntur.

VI.

HÆRESIS quoque prædestinatiana & rigidos & molliores habuit sectatores. Rigidos in Viclefo, Luthero, Calvino: Molliores, in Goteschalco, Baio & Jansenio. Priores liberum arbitrium peccato Originali peremtum funditùs: Voluntatem gratiâ sic agi nihil ut agat, immò dum gratia bonum in ipsâ sine ipsâ operatur, Voluntatem peccare, impiè magis an absurdè docuerunt Jansenius voluntatem sub gratia agere fassus est, sed quatenus agitur, quare licet Lutheri & Calvini principium, ut Semipelagiani Pelagianum errorem, emollierit aliquatenus, in conclusionibus cum Luthero Calvinoque consentit, asserens gratiæ nec resisti hoc in statu unquam, nec resisti posse: Christum

stum vero & proprio sensu pro omnibus mortuum non esse, necessitatem inevitabilē nec libertati nec merito quicquam officere: Peccare nos in eo quod cavere non possumus: Præcepta Dei impossibilia esse justis, volentibus & conantibus, secundum præsentes quas habent vires, deesse quoque gratiam qua possibilia fiant: Tot in errores non casu, sed livore malo & consilio Lessii tanquam Semipelagiani traducendi delapsum Jansenium ipse testis est in Epistolis ad Abbatem sancti Cigiranni scriptis, quarum Autographa in Parisiensi nostro Collegio servantur. Manet interim æternumque manebit primæ Sedis judicia, & quo Lessii doctrina *sana* & quo Jansenii commenta, *falsa*, *hæretica*, *impia*, *blasphema*, universa Ecclesia applaudente pronuntiata sunt.

VII.

INNOCENTIUS X. postulantibus Galliæ Episcopis penè omnibus, famosas quinque propositiones damnavit, quas similesque & Jansenianorum subterfugia novis Constitutionibus ac Decretis confixere Alexander VII. Clemens IX. Alexander VIII. & qui orbis Christiani vero nomine Pater, sedet Innocentius XII. quorum judicium cum Ecclesia Catholica universa secuti, quinque propositiones doctrinam Jansenii ipsissimam continere, prout in mendacis tituli Augustino exponitur, asserimus: easdem propositiones *in sensu à Jansenio intento damnatas & damnandas*; *sensum intentum à Jansenio, & damnatum esse sensum obvium quem ipsamet propositionum verba præ se ferunt*. Insuper doctrinam his quinque propositionibus explicatam, Augustinianæ contrariam, Calvinianæ conformem, & à Tridentinâ Synodo reprobatam pugnamus: Præterea librum Jansenii paralogismis, fallaciis, contradictionibus refertum, quarum specimen esto quòd objectos sibi libertatis notionem impugnanti Patrum textus ut faciliùs solvat aut potiùs corrumpat, *de gratia Christi libro 7. cap. 4. 5. &c.* non aliam quam *coactionis necessitatem* admiserit.

VIII.

LONGE dispar Societatis JESU, sive cum eruditissimo & religiosissimo Prædicatorum Ordine, sive cum Doctoribus Lovaniensibus ac Duacenis quibusdam concertatio. Prioris occasio fuit liber Molinæ, supremæ Inquisitionis Lusitanæ, Academicarum undecim judicio comprobatus, Romæ coram Pontifice & Cardinalibus, Bellarmino, Perronio &c. per annos quatuor examinatus, ac demum nullâ censurâ notatus: Controversia sic composita ut liberum relinqueretur utrique parti sententiam suam, absque alterius censurâ defendere. Censura Salmanticensis tam fictitia est quàm Bulla Pauli V. aut Acta Congregationis de Auxiliis, quæ fide indigna declaravit Innocentius X. Quare cum Romæ etiam Molinæ doctrina, quæ tot habuit Sectatores dignitate, eruditione inclytos, doceatur: quicunque Molinam Semipelagianis annumerat, Romanam Ecclesiam approbati Semipelagianismi ream peragit. Censuræ in Lessium Lovaniensis ac Duacena statim Apostolica autoritate reprobatæ & suppressæ, de quibus (quoties Romanam Sedem consuluere Censurarum Patroni, toties grave responsum acceperunt) eas Romanæ Ecclesiæ displicuisse & displiceri: easdem à Sorbonâ, cum publicatæ fuerant, improbatas fuisse certum est; ac nullius roboris æstimatas inde constat, quod deinceps & Societatis Theologi, & alii Professores contrariam Censuris doctrinam Lovanii ac Duaci impunè docuerint.

IX.

UNA gratiæ definitione, fide certâ, satis confutatur Baii & Jansenii paradoxum, vel in terminis pugnans, *gratiam primæ conditionis naturæ integritati debitam fuisse*: Quasi vero immortalitas corpori, scientiæ, sanctitatisque Dei propriæ infusio menti creatæ naturalis sit, aut creaturæ jus ullum ad Creatoris felicitatem ex se competat. Non ita est, naturâ servi sumus, & servi inutiles, mancipiis porrò vel cum se suaque omnia Domini causa profuderunt, nulla debetur merces; quod debuerunt, hoc fecere: nec quicquam divinæ æquitati officeret, si nati ad serviendum æternùm serviremus, durum hoc superbiæ humanæ, *sed quis es tu ô homo? an non habet figulus potestatem?* Quid quod *servire Deo regnare est*. Itaque possibilis status quem puræ naturæ appellant. Potuit homo nasci, nec peccato infectus, nec ornatus gratiâ, quo in statu non præmium supernaturale proponeretur, non merita supernaturalia requirerentur, non concederentur auxilia supernaturalia, non inesset homini beatitudinis supernaturalis desiderium: proponeretur beatitudo naturalis, legis naturalis observatione comparanda. Hunc statum imperitè Baiani negant, non Augustinus, eundem imperitè describunt aliqui, nemo quippe mihi persuaserit, sub Deo justo bonis malè

unquàm

unquam futurum fuisse, aut concupiscentiæ rebellioni homini naturalem esse: utile sit rationem affectu præveniente excitari & commoneri: rationem affectu repugnante conturbari & impedire malum est, & Deo autore indignum. Illud demonstravit Augustinus, approbavit Gelasius Papa Constitutione adversus Senecam Pelagianum, innuit, post Apostolum Joannem, Tridentina Synodus, post sanctum Thomam libro 4. contra Gentes cap. 12. & 1. 2. qu. 82. art. 3. Schola nominalium integra, pluresque è nostra etiam Societate Theologi, tradidere. Naturæ puræ nomen gratiam ab eo statu omnem excludit. Necessaria esset cura Dei providentis, ut corporis structuræ nihil deesset, ut boni bene, mali male haberent, causas secundas regens, bene agendi occasiones, documenta, exempla subministrans, impedimenta removens. Verùm homini innocenti debita foret, quæ reo nunc gratis impensa naturalis gratiæ rationem habet.

X.

STATUS puræ naturæ ita possibilis ut nunquam futurus fuerit: *Quod melius esse recta ratione intellexeris, hoc factum à Deo ne dubites*; convenientius fuit naturam humanam in statum supernaturalem elevari, elevata est; Deus, quos servos habere poterat, filios habere voluit, & felicitatis propriæ, immò *& naturæ* consortes. Adamo nascenti datum in affectus imperium efficax, fides, spes, caritas infusa, concessa præter corporis conditionem immortalitas tot ornatus donis, quamquam actuali spiritus sancti illustratione aliquando indiguerit, non eguit inspiratione quâ voluntas nostra movetur, piâ cogitatione alioqui non movenda, propter concupiscentiæ resistentiam: quicquid Augustinus de duplici adjutorio disseruit huc recidit. Primo parenti tantæ felicitatis perpetuitatem, in posteros transmittendam unius pomi abstinentiâ constare voluit Numen optimum, qui nec cum Adamo benigniùs agere poterat, nec tutiùs consulere nobis quàm parenti, tot instructi præsidiis causam nostram committendo, tam facilè obtinendam. In voluptatibus modum tenere quàm difficile sit, quàm facile inter prospera Dei suique obrepat oblivio, funesto sanè exemplo, jam tum patuit: peccavit Adamus, *in quo* capite, tutore, ac procuratore suo, *omnes peccaverunt*; peccasse animas antequam venirent in corpora, fabula ingeniosa profectò, at fabula est. Peccasse humanum genus Scriptura, Traditio contestantur, ratio demonstrat. Infans miser est, ergo reus non actualis culpæ, ergo originalis: Pelagianum interrogo, unde in nobis tam immensum boni desiderium, tanta boni ignorantia, tanta virtutis admiratio, tantus vitii amor; tantus sciendi ardor, tanta discendi difficultas? Cur mens servit corpori? An Dei invidi aut impotentis creatura sumus? Fateatur efficax corruptionis nostræ argumentum duci ex miseria bonis & malis communi, ex concupiscentiæ insultibus ex perturbato & rectoris Dei sapientiâ indigno rerum statu, ex ingenito pristinæ dignitatis sensu, & præsentis abjectionis pudore.

X I.

PECCATI Originalis naturam alii aliter explicant, non est peccatum solius Adami, ut placuit Catharino, & Pelagio aliquando placuerat: sententia Illyrici peccatum Originale esse substantiam, omnem absurditatem excedit. Non consistit in concupiscentiâ, sive rebelli, ut vult Lutherus, sive dominante, ut mavult Jansenius; Baptismo quippe sic deletur ut non reviviscat, ac præterea concupiscentiæ rebellio peccatum consecuta est, non est ipsa peccatum. Pœnam quoquè peccati cum peccato confundunt, qui in privatione justitiæ originalis illud collocant: nec reatus eâ carendi peccatum est, sed peccato contractus fuit: Peccatum Originale est peccatum uniuscujusque nostrum in Adamo: adversæ sententiæ cum nostra, si hæreticas exceperis, nullo negotio concilantur. Dic Peccatum Originale esse concupiscentiam effrenem, dic esse habitualem conversionem ad bonum sensibile ab Adamo peccatore in nos traductam, dic esse privationem justitiæ originalis connotantem Adami peccatum, dic reatum esse carendi omni gratiâ peccato Adami contractum, dic esse Adami peccatum nobis merito imputabile, dic esse injustitiam originalem, dic esse hæc omnia simul conjuncta, non malè locutus eris, accuratiùs loquimur. Hinc nascimur filii iræ, spoliati, vulnerati, manet interim in nobis liberum arbitrium viribus licet attenuatum & imminutum, atque in sensibile bonum præceps. Hoc nisi gratiâ Dei sanetur, in negotio salutis nihil posse, fide certum est.

Harum Conclusionum veritatem Deo duce & auspice Deiparâ propugnabit,

JOANNES CLAUDIDUS LE LOUVETEL, Rotomagæus.

In Aula Collegii Archiep. Borbonii Rotom. Societatis JESU, die Veneris 10. *Januarii.* 1698. *hora sesqui-secunda.*

In-

INDEX RERUM NOTABILIUM.

Ubi reperitur sola littera O, significatur rem designatam in toto loco indicato tractari. Ubi verò hæc ◡ nota offenditur, significatur quòd ferè per totum de re indicata tractetur. Tria autem puncta ... sibi succedentia significant sequentibus quoque Capitibus aut columnis idem argumentum tractari.

A.

ACADEMIA.

AGATHENSIS (JULIUS SANCTUTIUS) Episcopus S. Agathæ Gothorum.

ARA-

2. *Non-*

C.

CLEMENS VIII
Pontifex Maximus.

COBOS (CHRISTOPHORUS)

Societatis Theologus.

E.

F.

G.

GRATIA.

GRAVIUS. (HENRICUS)

Doctor Lovaniensis & Censuræ ejusdem Facultatis Autor.

HISTO-

I.

JANSENISMUS.

JESUITÆ.

58. *Tanto*

129. Et

49. Osten-

Fide

15. *In*

44. *Bul-*

NUGNO

3. *Non*

PRÆ-

Q.

QUÆSTIO

R.

REGINALDUS. (ANTONINUS)

Celebris Doctor Tolosanus Ord. Præd.

ROA EX-JESUITA.

ROTHOMAGENSIS THESISTA.

RYTHOVIUS. (BALDUINUS)

S.

SABELLUS. (CARDINALIS)

2. Pu-

FINIS.

ERRATA